P. LUDOVICI MARIÆ SINISTRARI
DE AMENO
ORDINIS S. FRANCISCI REFORM. PROVINC. MEDIOLANENSIS.

FORMULARIUM CRIMINALE

NECNON TRACTATUS

DE INCORRIGIBILIUM EXPULSIONE

AB ORDINIBUS REGULARIBUS

Quibus accedunt in hac editione nonnullæ Conſtitutiones, & Ordinationes Summorum Pontificum ad materiam Criminalem Spectantes ; item aliquot Obſervationes ad varios Auctoris titulos a JOANNE BAPTISTA GALLUCCI J. C., & in Romana Curia Advocato concinnatæ ; ac noviſſimus Index Generalis.

JUSDICENTIBUS, ET ADVOCATIS CRIMINALEM JURISPRUDENTIAM EXERCENTIBUS APPRIME OPPORTUNA.

OPERUM PARS SECUNDA.

Ad simplicem usum [illegible] R. P. Angeli à [illegible] = [illegible] S. Anthimi



ROMÆ, MDCCLIV.

In Domo CAROLI GIANNINI Librorum SANCTITATIS SUÆ Proviſoris In Platea Capranicenſi.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

REVERENDISSIMO PATRI

PATRI BERNARDINO A TERLITIO

Sacræ Theologiæ Lectori Jubilato, in Cismontana Familia Ordinis Minorum, tam Observantium, quam Reformatorum, nec non Conceptionistarum Commissario Generali, Visitatori, ac Reformatori Apostolico.

CAROLUS GIANNINI

FELICITATEM.



ECIT omnino, *REVERENDISSIME PATER*, summa observantia erga Te mea, ut hoc Auctoris celeberrimi R. P. Ludovici ab Ameno volumen alterum Tuo nomini inscriberem: sed eadem facit, ut parce attingam meritorum,& laudis argumenta, quæ in librorum nuncupationibus ab aliis fere colligi solent; & a quibus Te sciam (quæ Tua est animi moderatio, vel potius dimissio) non mediocriter abhorrere. Verumtamen dicam id, quod res est: Leges hoc

libro continentur de criminibus vindicandis: cumque sit Ciceronis hæc præclara sententia, *legem esse mutum magistratum, hunc vero legem loquentem*; Tibi istæ potissimum commentationes dicandæ erant, quem mitissimo ingenio, probisque moribus præditum ita Sodales Franciscanæ Familiæ & reverentur, & diligunt, ut legem fortiter, suaviterque loquentem jure appellari confiteantur: qui vitæ exemplis ad virtutem colendam sic filios inflammas, ut, prope dicam, jam timere non debeas, ne quispiam fiat obnoxius acerbitati legum, & iis pœnis, quæ sunt errantibus constitutæ. Nempe in oculos omnium occurrunt illa, quæ Ordinis vestri *PATRIARCHA SANCTISSIMUS* inesse iis, qui magistratum gererent, peroptabat; in laboribus patientia, in dictis, factisque candor lenitate conjunctus, nihil in potestate insolens, severissimis omnia modestiæ legibus adstricta: ut ab ejus personæ, quam sustines, dignitate nunquam oculos deflectere, sed illud perfectum, absolutumque decorum, quod iis, qui cœteros regunt, hujus familiæ instituta commendant, assidue spectare videaris. Quod Tibi Te primum proposuisse, cum ad hunc Ordinem religiosissimum aggregarere, jam exemplis domesticis incitatum, ex eo plane conjicio, quod ex illustri tua *TAURORUM* gente fratres duos majores natu adolescens habueris, quorum posses virtutem imitari; qui inclytam Jesu Societatem ingressi, in ea literis, & probitate floruerunt, unus etiam *BENEDICTO XIII.* Pontifici Maximo ob scientiam rerum divinarum acceptissimus fuit: quem hic ego Pontificem non pietatis modo, sed grati animi causa commemoravi, quod nullam rem mihi suscipere, nullum commodum, aut ornamentum optare contigerit, in quo promtam ejus erga me beneficentiam summam, ac liberalitatem non fuerim expertus. Itaque (ut ad Te redeam) adjuvante naturam imitatione, quotidie Te ipsum bene agendo vicisti, donec in Ordine BEATI FRANCISCI eam, quam dixi, maturitatem virtutis es consequutus. Vides, *REVERENDISSIME PATER*, quam late campus nunc pateat, in quo possit excurrere, & exultare oratio mea; sed angustiorem facit modestia Tua. Ergo ne Tibi ornando Te laudibus molestior essem non multa attigi; sed tamen aliqua afferre volui, ut studio meo ergo Te singulari satisfacerem

LECTORI BENEVOLO
EDITOR.



QUANTÆ mibi curæ fuerit, ut Opera P. de Ameno numeris omnibus absoluta in novam lucem proferrem, non est cur dicam. Res ipsa loquitur: Siquidem in hac Editione, quidquid Operum utilitatem, & ornamentum spectare potuit collatum est; Ac præsertim in hac parte quoad ordinem Editionis alteræ; quo vero ad tempus, quo in publicum edita est, novissima, id curavi, ut Summorum Pontificum, & potissimum Smi Dñi Nostri BENEDICTI XIV. Pontificis Sapientissimi, modo feliciter regnantis Constitutiones ad rem facientes adjicerem: ac præclarissimi Viri Joannis Baptistæ Gallucci in Romana Curia Advocati Observationes aliquot ad nonnulla Operum Capita pertinentes apponerem; qua ex re quantum Splendoris universo Operi accesserit alii melius, quam ego poterunt dignoscere. Præterea adduntur nunc primum formulæ quædam iis, qui in judiciis criminalibus versantur non mediocriter opportunæ: Accedit quoque Index Generalis rerum omnium, & verborum notabilium, quæ in tractatu de Incorrigibilium expulsione ab Ordinibus Regularibus, itemque in Constitutionibus Pontificiis, & in observationibus recensitis continentur: Index autem rerum, in Formulario Criminali existentium, post ipsum Formularium appositus est. Alia non despicienda in volvendo opere adnexa Lector inveniet, de quibus verba non facio. Ne autem contra Officium grati hominis peccem, operæ prætium existimo, ut publice eidem Joanni Baptistæ Gallucci innumeras gratias ob singularem operam ab eo præstitam profitear. Illud etiam adnotandum esse puto, Auctorem sæpenumero in hac Operum parte (fortassis non ex animi sententia, sed ex praxi, quæ tunc temporis, cum ipse scriberet, vigebat) tradere; Reis ad examen, & quæstionem adductis Jusjurandum de veritate dicenda esse dandum: quod sane exolevit: Concilium enim Romanum sub Benedicto XIII. Celebratum hujusmodi Jusjurandum penitus abrogavit: ut eruitur ex prima Operum parte tit. 19. §. 4. pag. 405. in quo Concilio absolute, & sub pœna nullitatis Actorum probibetur, ne deinceps hujusmodi Jusjurandum a reis criminaliter constitutis exigatur; Atque hoc ita intelligendum est, ut obtineat, quoties rei ipsi, ut principalis tantummodo constituuntur, secus vero, si ut Testes quoad alios examinentur. Cum itaque datam jam in prima Operum parte fidem servaverim, promissisque steterim; rei gestæ rationem facto ipso reddidisse videor: Quamobrem magnopere sperandum mihi est, operam meam, qualemcumque in hac re adhibui, Reipublicæ Literariæ haud inutilem futuram.

AUCTORIS

AUCTORIS PRÆFATIO.



ON sine consilio in unum congessimus omnes Formulas criminaliter procedendi, postquam tractationes absolutas de actibus forensibus in Prima Parte dedimus. Opportunius forte nonnullis visum erit, post Titulos datos, formas singulis congruentes dare, facem ad hoc præferentibus *Durando in Speculo*, *Ferrario in Practica*, *Hostiense in Summa*, *Sgrol in Luce Prælatorum*; ultra alios, quos recensere, supervacaneum est. Sed quia pro inexpertis scripsi, & adverti difficultates, quas isti in casuum contingentia offendunt, commodius, & facilius fore pro ipsis putavi, si formas omnes separatas a Titulis, continuatasque dedissem. Cum enim sufficientem peritiam agendorum non haberent, easque a libris expiscari cogerentur, fiebat, quod totum codicem revolvere cogerentur, antequam formam desideratam reperire potuissent: & multoties accidit, quod actus quosdam præposterarent, quosdamque essentiales omitterent, quæ omnia ansam tribuerunt Patronis dicendi de nullitate Processus; sicque vel Rei indebite absoluti, vel periculosæ contentiones inter Judicem, & Patronum evadebant, cum damno justitiæ, & jactura. Ordinem proinde mutavimus, & serie non interrupta, schemata singularum formarum pro singulis Causis dedimus. Præmisimus generales inquisitiones, paternam, & judicialem, ineundas per Ordinarios, aut Delegatos; exinde tradidimus speciales tum ex officio, tum ad instantiam Partis; his subiecimus probationes Corporis Delicti; mox Testium examen; postea Rei constitutionem; huic supposuimus Defensiones; subinde modum Torturæ; expost methodum sententiandi; postremo Appellationes. In his formas diversas, juxta casus eas requirentes dedimus; interseruimus quoque Adnotationes, quibus possit Judex, Reus, aut Patronus instrui secundum accidentium varietatem. Et cum nec sic sufficienter provisum inexpertorum necessitatibus duxissem, eo quia initiato, verbi causa, Processu, non immediate subjungitur forma, pro constantia Corporis Delicti probanda, cæterisque &c. Sed primam assumptam subsequentes formæ incipiendi diversos a Causa Processus interrumpunt; ideo, præmissis iis, quæ in omni judicio de necessitate interveniunt, recapitulavimus, quasi per Indicem omnem seriem singularum Causarum, ita ut certissimum sit manuductorium, quo dirigatur Judex Regularis per omnes actus, ab initio usque ad Causæ cujusvis complementum ordinate præstandos; & hoc modo, quantum fieri possit, consultum censui difficultatibus, in quas passim in Criminalium litium Actis inexercitati solent impingere. Fruere ergo, Lector Amice, tibi oblata facilitate, & a Deo vitam, & incolumitatem tibi deprecor.

IMPRI-

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

F. M. de Rubeis Patriarcha Constantinopolitanus Vicesgerens.

APPROBATIONES.

I.

LOcupletissimas Additiones, seu Observationes Theorico-Practicas ad nonnullos titulos Operis *R. P. Ludovici Mariæ Sinistrari de Ameno* a Jo: Baptista Galluccio Causarum Criminalium in Alma Urbe Advocato elucubratas, & huic Secundo Tomo insertas, sicuti jusserat Rm̃us P. Sac. Pal. Apostol. Magister, quâ potui, diligentia legi, summaque animi delectatione lustravi. Nedum enim nihil in illis offenditur æquo Censore dignum, (Si tantum impetitiæ meæ affirmare licet) Sed nihil imò inveni, quod solidam, probatamque jurisprudentiam, & Eruditionem non redoleat; quum Clarissimus Jurisconsultus omnes propemodum Criminales quæstiones, sive Theoriam, sive Praxim respicientes ita enodet, explicet, enucleet, atque recto pertractet Ordine, ut *Patrem Amenum* præclari quidem nominis Auctorem observationibus hisce suis literario Orbi longè clariorem reddat, gratioremque. Opus igitur utriusque Fori Sectatoribus perutile, ac scitu fere necessarium, ut publicam, quo poterit citiùs, prodeat in lucem dignissimum censeo, si probet cui ita imperandi potestas relicta est. Dabam Romæ ex Ædibus meis x. Kalend. Decembr. MDCCLIV.

Paulus Franciscus Antamorus Sacræ Consultæ Ponens, & Tribunalis A. C. Adsessor.

II.

JUssu Rm̃i Patris Sacri Palatii Apostolici Magistri; Observationes super quosdam Titulos Operis *R. P. Ludovici Mariæ Sinistrari de Ameno*, huic secundo Tomo annexas, ab Eximio Viro Joanne-Baptista Gallucci J. C., & in Romana Curia Advocato docte, & erudite elucubratas, qua potui diligentia, lustravi; & eum in iis nihil Fidei, bonisque moribus absonum repererim, sed sanam Jurisprudentiæ Doctrinam perpexerim; Typis mandari posse existimo, si ad quos spectat, ita videbitur. In quorum fidem &c. Datum Romæ in Conventu SS. Cosmæ, & Damiani Idibus Novembris Anni 1754.

Frater Joseph Maria Baccioli Tertii Ordinis S. Francisci, Romanæ, & Supremæ Inquisitionis Qualificator, & in Archigymnasio Romano Academiæ Theologicæ Censor.

III.

DE mandato Rm̃i Patris Sacri Palatii Apostolici Magistri diligenter perlegi Additiones, seu Observationes per eruditissimum Virum Joannem Baptistam Gallucci J. C., & in Romana Curia Advocatum dilucidè appositas in nonnullis Titulis Operis *R. P. Ludovici Mariæ Sinistrari de Ameno*; Cumque in eis nihil quod Religioni, bonisque moribus adversetur invenerim, utillimum arbitror, quod ad omnium documentum in lucem proferantur, si ita videbitur. In quorum fidem datum Romæ hac die 25. Novembris 1754.

Bartholomæus, Advocatus Andreetti Judex Criminalis Cameralis.

IMPRIMATUR.

Fr. Joseph Augustinus Orsi Ord. Præd. Sacri Palatii Apostolici Magister.

INDEX

INDEX

Complectens Argumenta, & Titulos Constitutionum Apostolicarum Observationumq; Votorum, & Juris allegationum, quæ in his Additionibus continentur.

Breve PII IV. de Bannitis, & Homicidis non audiendis in Carcere non constitutis, & de probanda eorum innocentia super delicto, super quo habiti sunt pro confessis in vim fictæ confessionis Statutariæ, ut antea JULIUS II. decreverat. 10 *Aprilis* 1562. *pag.* 239.

Motus proprius particularis PII IV. De executione sententiarum capto Bannito post sex Menses. Ac etiam de nonnullis aliis Capitulis Causas Criminales concernentibus. 26 *Maji* 1565. *pag.* 241.

Motus proprius Pii Papæ V. per quem præcedentis Motus proprius Pii IV. moderatur. 20. *Junii* 1566. *pag.* 243.

Declaratio Pii Papæ V. quomodo Rei in contumaciam condemnati, & infra annum capti, admittendi, vel non admittendi sint ad faciendum eorum defensiones. Et de executione Sententiæ contra eos captos, si legitima ad inquirendum indicia præcesserunt. *pag.* 244.

Bulla Generalis PII Papæ V. contra Homicidas, Bannitos, & alios facinorosos. 3. *Nonas Julii* 1566. *pag.* 245.

Ordinatio Papæ PII V. ut ejus literæ contra Homicidas, Bannitos, & alios facinorosos, eorumque Receptatores editæ singulis annis legantur. 4. *Septembris* 1566. *pag.* 252.

Motus Proprius PII Papæ V. super declaratione alterius Motus proprii felic. rec. Pii Papæ IV. quod Banniti non audiantur, nisi prius in carceribus constituti. *Ibidem*.

Constitutio GREGORII Papæ XIV. super Immunitate Ecclesiarum. 9. *Kal. Jun.* 1591 *pag.* 253.

Constitutio Barberina circa terminos substantiales ab Officialibus Status Ecclesiastici in causis contumacialibus servandos. 25. *Maji* 1641. *pag.* 295.

Formula omnium terminorum contumacialium in Statu Ecclesiastico servandorum pro hujus *Barberinæ* Constitutionis observatione. *pag.* 296.

Declaratio cum additione ordinationum Substantialium, quæ ab Officialibus Status Ecclesiastici servandæ sunt in causis contumacialibus, 10. *Maji* 1656. *pag.* 298.

Adnotatio Joannis Zuffi J. C. Romani ad Constitutionem *Barberinam*. *pag.* 299.

Prohibitio deferendi, & detinendi Pugiones, Cultellos, parvas Sicas, seu eos, qui vulgo appellantur *Stortini*, & quodvis aliud genus Armorum brevioris mensuræ trium palmorum. *Idibus Augusti* 1690. *p.* 355.

Confirmatio, Extensio, & Moderatio respective Constitutionum PII II. SIXTI IV. CLEMENTIS VII. PII IV., & PII V. super prohibitione quamcunque remissione, compositionem, vel gratiam homicidis, illorumque fautoribus, auxiliatoribus, consultoribus, vel complicibus, necnon Ministrorum Justitiæ, querelantium, & testium offensoribus concedendi absque Romani Pontificis speciali mandato. *Idus Maji* 1692 *pag.* 258.

Constitutio BENEDICTI Papæ XIII. Quæ San. Mem. GREGORII Papæ XIV. Literæ Apostolicæ certa excipientes delicta, & casus, in quibus Inquisiti Loci Ecclesiastici Immunitate gaudere non debent, confirmantur, declarantur, & ad alia etiam delicta, & casus extenduntur, ac ampliantur: Nec non Curiis Ecclesiasticis forma in eorumdem Inquisitorum extractione a locis immunibus observanda præscribitur, cum aliis Ordinationibus, & clausulis derogationibus opportunis. 6. *Julius* 1725. *pag.* 262.

Constitutio BENEDICTI Papæ XIII. Qua Depositarii, Arcarii, Custodes, Subcustodes, Exactores, Rationarii, Computorum scriptores, aliique Officiales, & Ministri æris publici, & particularis, rem, & pecuniam alienam, sibi creditam, & depositam, usurpan-

pantes, ac damno publico, & privato fraudantes, vel usurpari, & fraudari scientes, tanquam infames, ac veri fures, & latrones, debitis pœnis ultimi supplicii tam in Urbe, quam in toto statu Ecclesiastico, lege lata subjiciuntur. 4. *Kal. Octob.* 1729 *pag.* 264.

Constit. CLEMENTIS XII. contra Homicidas, ac deferentes Arma prohibita in Alma Urbe, & reliquo statu Ecclesiastico. 1. *Februarii* 1734. *pag.* 268.

Altra Dichiarazione sopra la Bolla degl' Omicidj, nella quale si dichiara, che le Donne sono comprese nella Bolla sudetta. 5. *Ottobre* 1736. *pag.* 273.

Altra Dichiarazione sopra la Bolla degl' Homicidii, circa la comprensione de' Soldati. 13. *Giugno* 1741. *Ibidem.*

Editto contro il Delitto di Stupro. 13. *Settembre* 1736. *pag.* 274.

Reos convictos per indicia indubitata, quamvis non confessos, pœnis ordinariis multandos esse statuitur. 13. *Januarii* 1743. *pag.* 275.

Smi Dñi Nostri BENEDICTI PAPÆ XIV. Constitutio super Reformatione Tribunalium Urbis in Judiciis Criminalibus, & quoad expeditiones Commissionum, cum opportunis ordinationibus. 2. *Januarii* 1743. *pag.* 276.

Smi Dñi Nostri BENEDICTI PAPÆ XIV. Constitutio, qua confirmantur in Ordine Minorum pœnæ contra recurrentes extra Ordinem, & certus modus præscribitur in causis recursus, & appellationis. 11. *Augusti* 1748. *pag.* 281.

Smi Dñi Nostri BENEDICTI PAPÆ XIV. Constitutio, qua circa Immunitatem Localem nonnulla dubia declarantur, post Constitutiones Benedicti XIII., & Clementis XII. excitata, aliaque opportune statuuntur, & præcipiuntur. *Id.b. Martii* 1749. *pag.* 283.

Smi Dñi Nostri BENEDICTI PAPÆ XIV. Constitutio, qua confirmantur, & declarantur Romanorum Pontificum Constitutiones super Vetita Armorum delatione. 8. *Kal. Februarii* 1752. *pag.* 288.

Smi Dñi Nostri BENEDICTI PAPÆ XIV. Constitutio, per quam Tribunali Auditoris Generalis Cameræ Apostolicæ certa methodus in Judiciis Criminalibus servanda præscribitur: cum Deputatione duorum Prælatorum Sac. Consultæ Ponentium, & ejusdem Tribunalis Assessorum, aliisque ordinationibus pro expedita, & recta Causarum Criminalium Decisione. 14. *Septembr.* 1753. *pag.* 290.

OBSERV. I.

De Judice Ordinario competenti ad coercenda crimina. *pag.* 312.

OBSERV. II.

De Judice Delegato. *pag.* 314.

OBSERV. III.

De eodem Judice delegato. *pag.* 315.

OBSERV. IV.

De duratione Jurisdictionis delegatæ. *pag.* 316

OBSERV. V.

Qui Judices esse non possunt. *pag.* 318.

OBSERV. VI.

De Recusatione Judicis: *pag.* 319.

OBSERV. VII. VIII., & IX.

Continuatur eadem Recusationis materia. *pag.* 320. 321. 322.

OBSERV. X.

Quando Recusatio proponenda. *pag.* 323.

OBSERV. XI.

Qui Recusari possunt. *pag.* 325.

OBSERV. XII.

Quæ causæ censeantur Frivolæ in recusatione Judicis. *pag.* 327.

VOTUM SUPER DUBIO.

An Xenia, dona, seu munera, quæ ex liberalitate Illustrium Personarum comple- ...

tis Processibus dantur Notariis substitutis Officii Charitatis sint in fructu nec ne, proindeque an ipsi acquirantur, vel potius ad Notarium ipsum Conductorem Officii pertineat. pag. 329.

OBSERV. XIII.

De Appellatione. pag. 338.

OBSERV. XIV.

De Appellatione ex Jure Pontificio in criminalibus causis deneganda. pag. 341.

OBSERV. XV.

De Contumace non appellante, pag. 344.

Responsum Juris pro retractatione sententiæ contumacialis ob excessivitatem pœnæ &c. pag. 346.

OBSERV. XVI.

Continuatur idem discursus Appellationis quo ad Contumaces. pag. 350.

OBSERV. XVII.

An in criminalibus mortuo Reo appellante, possint hæredes appellationem prosequi, & quando. pag. 353.

ALLEGATIO I. Pro Fisco, & Adhærent. pro extinctione Appellationis. pag. 353.

ALLEGATIO II. Pro hæredibus pro prosequutione appellationis. pag. 357.

ALLEGATIO III. Pro extinctione appellationis. pag. 360.

VOTUM SUPER DUBIO.

Patre appellante a sententiâ pœnam corporis afflictivam dictante in Judicio criminali contra ipsum prolata, & in reatu pendente appellatione defuncto, an & quibus in terminis liceat filiis illam prosequi ad infamiam purgandam, pœnamque Bonorum vitandam? pag. 365.

OBSERV. XVIII.

Appellatio an in criminalibus concedatur Fisco, ejusque Adhærenti, & qua forma? pag. 376.

OBSERV. XIX., & XX.

De aliis quæstionibus ad eamdem Appellationis materiam pertinentibus. pag. 381. 384

Constitutio *SSmi Dñi Nostri BENEDICTI PP. XIV.* respiciens appellationem in nonnullis casibus non admittendam. pag. 387.

OBSERV. XXI.

Continuatur Appellationis discursus. pag. 393.

Constitutio ejusdem *SSmi Dñi Nostri BENEDICTI XIV.*, quo ad nullitates, & appellationes proponendas quoties ageretur de nullitate, aut validitate Professionis Regularium. pag 396.

OBSERV. XXII.

Delicti etymologia, nomina, & causæ. pag. 402.

SECTIO I.

De cogitatione, & attentato. pag. 405.

SECTIO II.

De Ignorantia in delictis. pag. 407.

SECTIO III.

De Vi, & metu delinquentibus. pag. 411.

APPENDIX UNICA.

De Infanticidio metu infamiæ admisso, vel timore Parentuum. pag. 415.

Allegatio Juris in eadem Infanticidii materia pag. 416.

SECTIO IV.

Ætas quando excusat in delictis. pag. 421.

Allegatio Juris pro minore, qui homicidium cum qualitate proditionis, & latrocinii patravit. pag. 424.

SECTIO V.

De Furioso, Mentecapto, & Demente delinquentibus. pag. 433.

SECTIO VI.

De Mutis, Surdis, Dormientibus, & Ebriis de-

delicta admittentibus. pag. 436.

SECTIO VII.

De delinquente vi amoris, consuetudine, aut credulitate ducto. pag. 439.

APPENDIX UNICA.

An pro vulneribus cum qualitate proditionis, & latrocinii de Iure communi imponi possit poena ordinaria capitalis supplicii.

RESPONSUM I. Pro poena extraordinaria. pag. 442.

RESPONSUM II. Pro poenâ ordinaria. pag. 445.

SECTIO VIII.

De aliis tribus delictorum causis formali, efficiente, & finali. pag. 451.

OBSERV. XXIII.

De Reo Convicto. pag. 454.

SECTIO I.

De Convicto per testes. pag. 455.

SUBSECTIO I.

De inhabilitate Testium ratione Personæ, qui Reum convincere nequeunt. pag. 459.

SUBSECTIO II.

De Testibus inhabilibus, & non convincentibus ob exceptiones, & defectus in eorum dictis. pag. 466.

SUBSECTIO III.

De Testibus, qui non convincunt ob exceptiones quæ opponi possunt contra eorum examen. pag. 475.

SUBSECTIO IV.

De aliis pertinentibus ad materiam Convicti per Testes. pag. 484.

SECTIO II.

De Convicto per indicia indubitata. pag. 497.

APPENDIX I.

Declaratio Constitutionis S. M. Clementis XII quo ad Convictos per Testes. pag. 513.

APPENDIX II.

De Chirographo, quo Barones status Ecclesiastici possunt ex indiciis ultra torturam, Reus ad triremium extraordinariam damnare. pag. 514.

OBSERV. XXIV.

De Legitimatione Processus. pag. 515.

OBSERV. XXV.

De Degradatione Verbali, & actuali. pag. 524

Actus Practicus deveniendi ad degradationem verbalem, actualem, & consignationem Degradati. pag. 529.

Constitutio *SSmi Dñi Nostri BENEDICTI XIV.* contra Surripientes, vel asportantes, seu retinentes Sacras Hostias. pag. 538.

Formulæ superadditæ ad ornatum Formularii. pag. 536.

INDEX

INDEX SECTIONUM FORMULARII CRIMINALIS

SECTIO I.

Traduntur Formulæ Inquisitionis, sive Visitationis paternæ, ac judicialis. pag. 1.

SECTIO II.

Dantur formæ Initiandi Processus, usque ad Corpus Delicti probandum. pag. 10.

SECTIO III.

Habentur formæ probandi Corpus Delicti. pag. 24.

SECTIO IV.

Exhibentur formæ omnes examinandi Testes. pag. 30.

SECTIO V.

Afferuntur formæ constituendi, & examinandi Reum. pag. 52.

SECTIO VI.

Demonstrantur formæ concedendi, & formandi Defensiones. pag. 65.

SECTIO VII.

Agitur de Tortura Rei. pag. 75.

SECTIO VIII.

Tractatur de Sententia. pag. 85.

SECTIO IX.

Præscribitur modus Appellationis. pag. 90.

SECTIO X.

Recapitulantur ordinate omnes formæ præcedentes pro quavis Causa. pag. 98.

SECTIO XI.

Miscellaneæ quædam formæ actuum Causarum Criminalium spectantium ad Superiores Provinciales, ac Locales afferuntur. pag. 102.

Accedunt in hac nova Editione.

Formula Absolutionis dandæ a Prælatis Regularibus in fine Visitationis. pag. 121.

Formulæ Generales Decretorum, quæ a Visitatoribus fieri aliquando contingunt. pag. 122.

FORMU-

FORMULARIUM CRIMINALE.

SECTIO I.

In qua traduntur Formulæ Inquisitionis, sivè Visitationis generalis Paternæ, & Judicialis.

I. *Antequam tradamus Formulas, secundùm quas Prælati se gerunt, tanquàm Judices in Foro contentioso, expedit eam tradere, quam servare debent, ut Patres in Foro Regulari. Et quia hoc consistit in Visitatione Generali paterna, priùs de ea loquemur. Cum verò fiat Visitatio à Prælato Provinciali, tanquàm Ordinaria, & à Visitatoribus Commissariis à Generali, aut Provinciali Delegatis, de utrisque res tradenda est.*

II. Forma Visitationis generalis paternæ, quæ fieri debet à Prælatis Provincialibus.



N nomine Domini. Amen. Hæc est Visitatio Generalis, quam facere intendit Fr. N. Minister Provincialis Provinciæ N. in Conventu N. &c. Mensis, &c. Anni, &c.

Convocatis capitularitèr Fratribus ad signum solitum Campanæ, illis, pro debito, verbum Dei proposuimus, & Visitationem intimavimus: omnes in Domino admonemus, & formali præcepto Obedientiæ adigentes, ut dicerent, quæ de jure dicenda veniunt; & non ex odio, aut prava quavis animi affectione, sed sola charitate, & Regularis Observantiæ zelo, moverentur.

Posteà visitavimus Ecclesiam incipiendo ab AUGUSTISSIMO SACRAMENTO; deindè Altaria, Reliquias Sanctorum, Oleum Infirmorum, Capellas, Confessionalia, Sepulturas, Sacristiam cum paramentis, & vasis sacris, Officinas Conventus, & Cellas Fratrum; & invenimus, &c. *Et hic describatur status, in quo prædicta reperta fuerint.*

Tandem vocatis Fratribus, ab ultimo incipiendo, unumquemque illorum interrogavimus super sequentibus Articulis.

1. An in Divino cultu Religiosa devotio, & pietas in Conventu eluceat?
2. An Sacri Ritus, & Cœremoniæ, ex præscripto Constitutionum, serventur?
3. An ad Divina Officia die, noctuque omnes, qui tenentur, diligenter conveniant?
4. An in Ecclesia aliquis indevotè versetur, aut confabuletur?
5. An in Refectorio victus communis servetur, & lectio continua habeatur?
6. An silentium in locis, & temporibus debitum servetur?
7. An votorum, vel præceptorum essentialium Regulæ transgressiones vigeant?
8. An aliquis Religiosus ità immorigeratè vivat, ut cæteris scandalo sit?
9. An Superior localis providerit Fratribus necessaria; eos monuerit, corripuerit, & ad exigentiam castigaverit indifferenter, & sinè passione?
10. An Apostolicæ Constitutiones, Decreta Sac. Congreg., & Statuta Ordinis, suis temporibus fuerint lecta?
11. An Superior localis, ad normam Constitutionum Ordinis, reddiderit rationem Eleemosynarum sive ex Missarum celebratione, sivè ex fidelium charitate? &c.

Vocatus igitur primo fuit Frater N. Laicus Conversus ætatis annorum &c. Religionis verò, &c. & Interrogatus super Articulo primo. *Respondit*, &c. Super secundo, *Respondit*, &c. *Et sic deinceps, &c. ac ejus dicta fideliter, & compendiosè scribantur*, & depositioni suæ se subscripsit.

Ego Frater N. confirmo, ut supra.

Quod si Visitatus scribere nesciat, adnotetur sic. Et quia nescit scribere, signum Crucis suæ depositioni apposuit ✠.

Secundo vocatus fuit Fr. N. &c. & *ità prosequatur usque dum singulos Fratres Subditos, & Superiorem visitaverit.*

Visitatis igitur omnibus Fratribus, & Patribus Conventus, eosdem iterùm Capitularitèr congregatos de Votorum Observantia, & Regularis disciplinæ Custodia monuimus. Quosdam defectuosos (*si tamen ità sit*) paternè pœnitentiavimus, & ad majorem Religiosorum profectum, & Regulæ Observantiam nonnulla ordinavimus in scriptis, videlicet, &c. *Hic verò scribantur Ordinationes, quas continget fieri, juxtà Conventus necessitatem.* Et data omnibus absolutione, & benedictione Visitationem complevimus Die .... Mensis .... Anni .... *& apposito sigillo minori Provinciæ subscribat.*

Ita est Ego Fr. N. Minister Provincialis.

III. Forma Absolutionis Generalis dandæ ab omnibus Superioribus in actu Visitationis.

Completo sermone, qui regularitèr fit à Visitatore in terminanda Visitatione, omnes Fratres in medio Refectorii genuflectant, & recitent Confiteor Deo omnipotenti, &c. *quo completo, Visitator surgat, & dicat* Misereatur vestri, &c. Si tenemini aliquo vinculo Excommunicationis majoris, vel minoris, Suspensionis, vel Interdicti, in quantùm se extendunt gratiæ, & privilegia Ordini nostro indulta, mihi commissa, & vobis concessa; Absolvo vos, & restituo vos Sacramentis Ecclesiæ, & Communioni, & unitati fidelium. Item eadem authoritate dispenso vobiscum super omnibus Irregularitatibus, inhabilitationibus, & aliis pœnis Ecclesiasticis, si quas contraxistis, in quantùm possum, & valeo. Aboleo etiam à vobis omnem maculam Infamiæ undècunque contractæ, & habilito Vos, & restituo executioni Ordinum, & Officiorum vestrorum, nec non ad omnes actus legitimos tum Ordinis, tum

jurisdictionis, ac Religionis nostræ Beneficia, prout nostra se extendit authoritas. Demùm eadem authoritate absolvo Vos ab omni transgressione Regulæ, Constitutionum, Ordinationum, & admonitionum Majorum nostrorum; ab omnibus pœnitentiis obliitis, seu etiam neglectis, & ab omnibus peccatis vestris; de illis vobis concedendo Indulgentiam plenariam, juxtà formam S. Romanæ Ecclesiæ. In nomine Patris, &c. Ite in pace; nolite ampliùs peccare, & orate Deum pro me.

ADNOTATIO I.

IV. *Circa hanc Absolutionem, quæ in omnibus Visitationibus fieri consuevit in omnibus Religionibus, (imò in Ordine* Minimorum *fit etiam in omnibus diebus solemnibus, ut scribit* Peyrinus Formular. lit. A. cap. 5. num. 1. *Advertendum est, quod ipsa est multum proficua licet enim pro Foro externo nihil prosit, ut scribit* Lanusca Theatr. Regul. V. Commissarius num. 4. in fin. *Tamen in Foro interno prodest iis, qui per oblivionem, vel inadvertentiam, seu ignorantiam (quia scilicet nesciebant aliquid esse peccatum, seu habere Censuram adnexam) in aliquam Censuram, vel pœnam inciderunt. Nam si deindè fuerint recordati, vel sciverint, se in Censuram, aut pœnam reservatam incidisse; non tenentur ampliùs quærere absolutionem, aut dispensationem illarum à Superiore, sed sufficit, quod confiteantur cuicunque Confessario simplici peccata, ob quæ illas incurrerunt, ut docet* Peyrinus loc. citato, qui affert Paludan. Angel. Rosell. Tabien. Armill. Navarr. & alios, *& in* Tract. de Subdit. Relig. quæst. 1. cap. 5. vers. Respondeo cum Ledesma. *alias ipsius utilitates recenset.* Imò Lezana Tom. 1. cap. 18. num. 93. *Satis quidem probabiliter tenet, quod talis absolutio valeat etiam pro Censuris, & Irregularitatibus certis, quæ tamen sint occultæ, verba enim illa, quæ proferunt Prælati dicendo*, absolvo vos, & dispenso vobiscum, *videntur favorabiliter amplianda, ità ut sortiantur effectum suum quoad omnia, ad quæ se extendit facultas Absolventis, & Dispensantis, quæ clarum est, quod extenditur etiam ad casus certos, & occultos. Proindè in omni Visitatione facienda est tàm proficua spirituali profectui Absolutio.*

ADNOTATIO II.

V. *Advertendum est, quod omnes Visitatores nostri, sive Ordinarii sint, sive Commissarii, debent in actu suarum Visitationum legi facere* Decretum S. Rom., & Universalis Inquisitionis, *& quia potest fortè dari casus, quod in Conventu non reperiatur, hic apponimus per extensum ex* Lanusca.

Cum, non sine gravi animi molestia, ex processuum lectura, Dominis Cardinalibus Generalibus Inquisitoribus innotuerit, quam plures Fratres Ordinis SANCTI FRANCISCI de Observantia suæ professionis immemores in ejusdem Religionis dedecus, animarum suarum damnum, & aliorum perniciem, retinere, & legere, seu aliis communicare, scripta, & libros continentes Sortilegia, incantationes, & alia similia perniciosæ lectionis. Volentes pro eorum Officio malis, & incommodis ex hujusmodi scripturarum, & librorum retentione, & lectione provenientibus opportunè providere; statuerunt, & decreverunt, & ordinaverunt, ut in posterùm nemo ejusdem Ordinis professus, cujusvis status, & dignitatis audeat, vel præsumat, aut quovis modo habere, aut legere scripta, vel libros Geomantiæ, Hydromantiæ, Aeromantiæ, Pyromantiæ, Chyromantiæ, Necromantiæ, seu continentes incantationes ad amorem, invocationes Dæmonum; abusus Sacramentorum; Sacramentalium; rerum Sacrarum, & benedictarum; remedia superstitiosa infirmitatum; ad Thesauros inveniendos; seu quævis Sortilegia: sed cum primum ad cujuslibet ipsorum manus hujusmodi libri, & scripta quovis modo pervenerint, etiam occasione audiendi confessiones Sacramentales, Ordinariis locorum, seu Inquisitoribus, vel eorum Vicariis, respectivè, intra viginti quatuor horas realiter, & cum effectu consignare, & tradere debeant, sub pœna Excommunicationis majoris ipso facto incurrenda, à qua non, nisi ab hoc Sancto Officio, absolvi possit; nec non privationis vocis activæ, ac passivæ, Officiorum, & Dignitatum quarumcumque, & inhabilitationis ad illas in perpetuum, ac suspensionis ab executione suorum Ordinum, & inhabilitationis ad illos, Carceris formalis, seu Triremium ad decem annos, aliisque arbitrio DD. Cardinalium Generalium Inquisitorum ipsorum infligendis pœnis: ejusdemque pœnis subjaceant, qui scientes aliquem ipsorum Fratrum hujusmodi scripta seu libros retinere, id Ordinariis, seu Inquisitoribus, vel eorum Vicariis, infrà viginti quatuor horas denunciare neglexerint. Et ne aliquis ignorantiam prætendere possit, mandaverunt hujusmodi Decretum publicari in singulis Capitulis Generalibus, & Provincialibus ejusdem Ordinis; ac insuper præceperunt omnibus, & singulis dicti Ordinis Ministris Provincialibus nunc, & pro tempore existentibus, ut in actu Visitationis, singulis annis, & vicibus, convocatis Fratribus Conventus, præsens Decretum omninò publicent, ita quod singulis annis in unoquoque Monasterio suæ Provinciæ realiter, & cum effectu, ut suprà expressum fuit, publicetur: sub pœna privationis Officii, ac vocis activæ, & passivæ per quinquennium, & cætera.

VI. Forma Inquisitionis Generalis paternæ, quæ dicitur Visitatio, facienda à Commissario Delegato à Superiore Generali ad Visitandam Provinciam.

Debet ante omnia juxta Constitutiones Ordinis, Visitator deputationem suam significare per literas Provinciali, qui mittet ad eum unum ex minoribus sigillis Provinciæ; & in primo Conventu Provinciæ, ad quem perveniet, Visitator legere faciet Literas patentes suæ Commissionis, congregatis capitulariter Fratribus in Refectorio, ut moris est. Quibus lectis incipere potest Visitationem, & eam describere, ut sequitur.

In nomine Domini. Amen.

Hæc est Visitatio Generalis, quam facere intendit P. N. Commissarius Delegatus à Reverendissimo P. N. Generali ad visitandam hanc Provinciam N. in Convento N., Diœcesis N., Die N., Mensis, & Anni N.

Cum pervenissemus ad Conventum præfatum N., & charitativa benignitate excepti fuissemus à Superiore, & Fratribus omnibus in eo de Familia commorantibus, Nos contulimus ad Ecclesiam, & in ea adorato SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO, post brevem orationem ad Cellam nobis paratam contulimus. Resumptis posteà fractis, ex itinere, viribus, convocatis omnibus in Refectorio Capitulariter Fratribus, illis verbum Dei proposuimus, & Visitationem intimavimus, omnes in Domino monentes, & præcepto Sanctæ Obedientiæ adigentes, ut dicerent, quæ de jure dicenda veniunt: nec odio, vel prava animi affectione; sed ex sola charitate, & regularis observantiæ zelo moverentur. Visitavimus posteà Ecclesiam, incipiendo à SANCTISSIMO EUCHARISTIÆ SA-

CRA-

CRAMENTO; Altaria, Reliquias Sanctorum, Oleum Infirmorum, Capellas, Sedes Confessionales, Sepulturas, & Sacristiam, cum sacra supellectile. Invenimus autem &c. (*hic describatur, an ea omnia in bono, aut commendabili statu sint reperta. Et describantur Decreta, quæ circa illa Visitator facienda judicaverit*) Postmodùm Conventus Officinas omnes, & Cellas Fratrum visitavimus &c. *Et hic pariter adnotetur status, in quo omnia reperta fuerint*. Tandem vocatis singillatim Fratribus, à junioribus incipientes, eorum singulos interrogavimus super Articulis sequentibus.

1. An in Divino Cultu Religiosa pietas maximè eluceat?
2. An Sacri Ritus, & Cœremoniæ, ex præscripto Ecclesiæ, serventur?
3. An ad Chorum, & Divina Officia omnes Religiosi die, noctuque conveniant?
4. An in Ecclesia aliquis indevotè, vel immorigeratè versetur?
5. An communis victus, & vita à singulis servetur?
6. An vigeant transgressiones contra vota, & præcepta Regulæ?
7. An quæstuationes pecuniariæ, vel à Regula non permissæ fiant?
8. An Fratrum aliquis Sæculares scandalizet?
9. An reperiatur aliquis in vitio proprietatis?
10. An Guardianus se benè, & charitativè gesserit in suo munere?
11. An Constitutiones Apostolicæ, & Regulares suo tempore fuerint lectæ, & servatæ?
12. An Provincialis Minister, cum Sociis suis, in suo triennio, exemplariter vixerit; Reos castigaverit indifferenter; dignos promoverit ad Officia; Infirmorum curam sedulam habuerit; Fratribus providerit de indumentis?
13. An Visitator, qui immediatè ante se Provinciam visitavit, Officium suum rectè præstiterit; pedester ierit; munera acceperit; Partes foverit; ac pacem promovere studuerit?
14. An in tota Provincia vigeant abusus, & Regulæ transgressiones?

Vocatus igitur fuit Fr. N. Laicus Conversus ætatis, prout dixit, annorum N., Religionis N., monitusque, & interrogatus.

Super primo respondit, &c.

Super secundo respondit, &c. *& fideliter describantur, quæ dixerit*.

Quibus receptis, jussus fuit suæ depositioni se subscribere.

Quod si scribere nesciat ponatur ita, & cum nesciret, scribere, suæ depositioni signum Crucis apposuit.

Posteà vocatus fuit Fr. N. Clericus, &c. *& modo simili interrogetur, & sic deinceps, donec omnes Subditi fuerint visitati*.

Tandem vocatus fuit Pater N. Guardianus, &c. *qui & ipse ut suprà interrogatur, & in fine subsignet*.

Visitatis igitur omnibus Fratribus, & Patribus Conventus, eosdem iterùm in Refectorio Capitulariter vocavimus; de votorum observantia, & Regularis disciplinæ custodia admonuimus; nonnullorum defectus paternè correximus; ordinavimus aliqua ad communem profectum opportuna; videlicet, &c. *& hic describantur Ordinationes, quas in scriptis, sive oretenùs Visitator fecerit*. Et data omnibus benedictione, & absolutione, Visitationem complevimus die N., Mensis, & Anni, &c. *Et Visitationem scriptam sigillo, & subscriptione sua communiat*.

ADNOTATIO I.

VII. *Summopere curare debent Visitatores, in investigatione finis, propter quem Fratres peccata proximorum detegant. Quantumvis enim videantur, ob zelum illa Visitatori revelare, tamen, aliquando, frigescente charitate, moventur à studio nocendi. Proindè sedulò inquirant, an juxtà Ordinis Constitutione renovatas in nuperrimo Capitulo Generali Romano*, Pro Famil. Cismont. Tit. Declarat. circ. Statut. Gen. num. 46. *ille, qui deponit, monuerit primo Superiorem Localem; ex post Provincialem de defectu proximi: & si temerè illa tacuisse deprehendat, ut Visitatori tantùm revelaret; signum est, illum motum fuisse ad deponendum non ex zelo, sed ex animositate in Fratrem. Proindè strenuè Commissarius exequatur Officium suum, ipsum puniendo ad normam Constitutionum; & depositioni suæ aut nullam, aut debilem fidem accommodet*.

ADNOTATIO II.

VIII. *Ex dispositione Statutorum Ordinis, potest Visitator Provinciæ deputare Secretarium suum, sive alium ad visitandos aliquos Conventus Provinciæ sibi commissæ. Damus igitur formam Literarum patentium, quas, ad hoc munus præstandum, debet Visitator dare*.

IX. Forma Literarum patentium, quæ dari possunt à Commissario Visitatore ad Visitandum unum, vel plures Conventus.

Frater N. Ordinis Minorum, &c. Provinciæ autem N. Commissarius Visitator. R. P. Fratri N. Theologo, &c. ac Secretario nostro salutem in Domino sempiternam.

Cum temporis angustia urgeamur, per quam, ad Ordinis Constitutionum præscriptum, nequeamus, intrà trimestre, absolvere Visitationem Conventuum hujus Provinciæ satis inter se distantium; necessarium Nobis est, ad celerem eorundem expeditionem perficiendam, partem illorum visitandorum alteri demandare. Harum ergo serie, & juxtà potestatem, quæ nobis de jure communi, & Statutario competit; Tibi, cujus providentia, dexteritas, & Religionis zelus Nobis abundè nota sunt, nostras vices committere, duximus, ut Nobis in Visitatione complenda adjumento esse possis. Quapropter Te nostrum Commissarium, pro visitandis Conventibus N. & N. hujus Provinciæ instituimus, & institutum declaramus, opportunam Tibi conferentes jurisdictionem tàm in Capita, quam in membra, quatenùs inquirere, emendare, corrigere, decernere, & punire possis omnes, & singulos defectus, quos emendatione, & correctione dignos esse, judicaveris. Et ideò omnibus, & singulis prædictorum Conventuum Superioribus, & Subditis in virtute Spiritus Sancti, & sub pœnis latis in nostris Constitutionibus contrà rebelles, præcipimus, & mandamus, ut Te, tanquam legitimum nostrum Commissarium recognoscant, recipiant, & obediant. Volumus autem, quod si aliquod, ex gravioribus, crimen detexeris, quod juridicam animadversionem requirat, ab hujus Inquisitione abstineas, ejus cognitionem Nobis reservantes. Vale. Dat. &c.

ADNOTATIO I.

X. *Advertant Commissarii Visitatores id, quod scripsimus* Par. I. Tit. Quales num. 2. *nempè; quod si ipso-*

ram Secretarii non habent conditiones à Statutis requisitas, nequeant ipsos ullo modo deputare ad Visitationem Conventus alicujus; aliter possunt recusari a Superioribus Localibus, & impediti ne visitent; & hoc monitum quadrat etiam pro Provincialibus, quando delegant Visitationem aliquorum Conventuum alicui, ratione propriæ infirmitatis, sive alterius legitimi impedimenti, ob quod nequeunt per se ipsos visitare. Tali casu possunt dare literas patentes, ut sequitur.

XI. Forma Literarum patentium, quæ dantur à Provincialibus Commissariis, quæ mittuntur ad Visitandum unum, vel plures Conventus,

Frater N. Ord. Minorum, &c. Provinciæ N. Minister Provincialis, & Servus. Dilecto Nobis plurimum in Christo. P. N. ejusdem Ordinis, & Provinciæ Concionatori, Lectori &c. salutem in Domino.

Cum Nos adversa corporis valetudine (*sive gravissimorum pro Religionis utilitate negotiorum onere*) præpediti nequeamus, ad Apostolicarum, Regularumque Constitutionum præscriptum, singulos hujus nostræ Provinciæ Conventus, & Fratres visitare; ne Familia, Nobis à Christo Domino commissa, ex hoc aliquid incommodi patiatur, cogimur ad curæ nostræ, ac solicitudinis adminiculum, aliorum auxilium implorare, & ministerio uti. Tibi ergo, cujus dexteritas, prudentia, ac zelus satis Nobis perspecta sunt, committendam duximus Visitationem Conventus Nostri N. *sive* Conventuum nostrorum N. & N. ut tua diligentia suppleat, quod Nos, ut præfertur præpediti, per nosmetipsos præstare, nequimus. Quapropter harum serie Te nostrum Commissarium, ac Delegatum ad visitandos prænominatos Conventus instituimus, & institutum declaramus, committentes Tibi vices nostras, cum plena potestate, & facultate paternaliter inquirendi, corrigendi, castigandi, ordinandi, & decernendi, tàm in Capite, quàm in membris, omnes abusus, defectus, & negligentias, si quas repereris, & pro his convenientes, salutaresque pœnitentias, ad nostrarum Constitutionum normam, injungendi. Proindè in virtute Spiritus Sancti, sub interminatione Divini Judicii, ac sub pœnis latis in Statutis Ordinis, Superioribus, & Subditis omnibus, & singulis præfatorum Conventuum jubemus, ut Te, tanquam legitimum nostrum Commissarium, ac Delegatum recognoscant, recipiant, venerentur, & in omnibus, quæ non sunt contra Regulam nostram, & animam suam, pareant, & obediant. Volumus autem, quod si aliquod scandalum, aut grave delictum repereris, quod debeat judicialiter cognosci, ab hoc abstineas; sed sumptas tantùm extrajudicialiter informationes, & Visitationem fideliter descriptam, ad Nos referas, ut possimus, quæ salubriora esse cognoverimus, ad Religionis incrementum providere. Vale. Dat. &c. *Et sigillentur sigillo majori Provinciæ.*

Visitationes autem ab ejusmodi Commissariis fieri, & describi debent eo modo, quo fieri deberent à Delegantibus, puta Ministro Provinciali, seù Commissario Visitatore respectivè; ideò nullam particularem formam præscribimus, nec jàm datas inutiliter repetimus.

XII. Forma Inquisitionis Generalis juridicæ, quæ dicitur Visitatio Judicialis, faciendæ à Prælato Provinciali.

In nomine Domini. Amen. Cum ad aures R.A.P.N, Ministri Provincialis Provinciæ N., non sine magna animi sui commotione confusus rumor pervenisset, multas, & graves transgressiones, & scandala vigere in Conventu N., quæ rigorosam exigunt correctionem, volens pro Officii sui munere mala germina erumpentia suffocare, & radicitus evellere; ne agrum Domini pestilenti segete inficiant, decrevit generalem, juridicamque Inquisitionem tum in Caput, tum in membra ejusdem Conventus instituere. Quapropter in cameram suæ residentiæ, in Conventu N., coram infrascriptis Testibus ad hoc specialiter adhibitis, me infrascriptum vocari fecit, & dato mihi juramento de fideliter exercendo munere, quod & præstiti, tacto pectore more Sacerdotum, me Notarium creavit ad hoc, ut illi inservirem pro legitimo Actuario in dicta Visitatione per eundem decreta. Acta sunt hæc die &c. & loco quo supra.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

Anno igitur, & die &c. accessit ad prædictum Conventum, & postquam fuit benignè receptus, convocatis Capitulariter Fratribus, ut moris est, in Refectorio, ipsis Visitationem intimavit, exhortatione præmissa, ne, quæ taceri debent, dicerent, sed ea tantùm revelarent, quæ de jure Superioribus debent aperiri; eisdem injungens sub præcepto obedientiæ, ne ullo modo revelanda celarent, vel inordinata affectione contrà suos Fratres moverentur, aut aliquid contrà justitiæ, & charitatis normam, in proximum effutirent. Post gratiarum actionem debitè peractam, eadem die, in Cameram residentiæ prædicti A. R. P. Provincialis, in qua ipse suum Tribunal erexerat, coram eodem, & me infrascripto Actuario vocatus fuit Fr. N. Laicus Conversus ætatis, prout dixit, annorum &c. Religionis verò &c. cui dato juramento de veritate dicenda, prout juravit, tactis sacris literis, fuit *Interrogatus*. An in illo Conventu in Divino Cultu Christiana pietas maximè eluceat; serventur Sacri Ritus, & Cœremoniæ; celebrentur Divina Officia die, noctuque cum debita compositione?

Respondit &c.

Interr. An servetur victus communis; Regulæ, & Statutorum observantia?

Respondit &c.

Interr. An vigeant transgressiones votorum, aut aliquod scandalum secutum sit, vel intra Claustra, vel in districtu illius Conventus?

Respondit &c.

Et sic deinceps interroget super generalibus; & benè caveat nè de aliquo in particulari perquirat. Quod si Visitatus ex se deponat, aliquod scandalum commissum fuisse à Cajo, vel Titio, benè quidem; Si verò deponat quidem de scandalo secuto, Delinquentem autem non nominet, debet Judex Visitator inquirere.

A *quo* fuerit scandalum commissum?
Quo loco?
Quo tempore?
Qua occasione?
Coram quibus?
Quomodo Visitatus, hoc sciat?
Si de tali scandalo est publica notitia, vel infamia?
Si Superior localis Delinquentem de tali scandalo punierit, correxerit, monuerit &c.
Si Delinquens deinceps emendatus sit?

Et hoc modo singulos Fratres illius Conventus visitando, eorum dicta per extensum debent scribi per Actuarium. Examen autem Visitati terminandum est hoc modo.

Et sibi lecta per me Actuarium sua depositione, cum no-

noluisset eidem aliquid addere, vel minuere, se subscripsit, & dimissus est salvo jure &c.

Ego Fr. N. affirmo, ut supra.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

Peracta omnium Fratrum Visitatione, si emerserint ex ea delicta, ob quæ debeat institui Inquisitio specialis, ipsa incipietur, ut dicemus infra Sect. II. num. 2. *Si verò levia tantùm crimina, paternè emendanda, fuerint reperta, concludatur Visitatio hoc modo.*

Completa Visitatione, cum ex ea emerserint tantùm nonnulli defectus, & transgressiones, & hæc indicaverit paternè coercere, idem R. A. P. Provincialis die &c. convocavit Capitulariter Fratres in Refectorio, & ipsis generaliter monitia, ut in observantia suæ professionis perseverarent, ad majorem profectum Religionis ordinavit, quod &c. *& hic recenseantur Ordinationes, quas judicaverit expedire ad bonum publicum, & antevertenda scandala.* Mox vocavit ad culpam Fratres N. & N., & Fratri quidem N. objecit, quod &c. *& hic describatur defectus ejus.* Et proindè injunxit ei pro pœnitentia, quod &c. *& hic describatur pænitentia, quam injunget.* Fratri N. objecit, quod &c. & pro pœnitentia illi jussit &c. quod &c. qui omnes pœnitentiam sibi injunctam humiliter, & promptè acceptaverunt. Mox data omnibus benedictione, Visitationem absolvit.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

XIII. *Quia verò eadem Visitatio judicialis potest fieri à Commissario Delegato à Superiore Generali, vel Provinciali, damus priùs formam Literarum patentium ad hoc requisitarum, quæ est, ut sequitur.*

Forma Literarum patentium pro committenda Visitatione judiciali alicui Delegato.

Frater N. Ordinis Minorum &c. Dilecto Nobis plurimum in Christo R. P. N. Theologo &c.

Non sine ingenti animi nostri molestia ex diversis relationibus, excepimus multas in Conventu nostro N., & graves vigere transgressiones, quæ non humanitate paterna, sed virga judiciali, debent emendari. Cumque Nos multiplicibus Officii nostri distracti curis, nequeamus hoc personaliter perficere, necessarium est, ad tale munus virum gravem, providum, & expertum eligere, per quem, ad justitiæ normam, possint Sontes inventi debitis pœnis coerceri. Cum autem, multiplici experimento per Te dato, Nobis nota sit Fides, Prudentia, Zelus, & rerum Criminalium peritia, qua polles, hanc Provinciam Tibi duximus demandandam. Harum ergo serie, Te nostrum Commissarium, ac Delegatum instituentes, & instituimus, ut, præfertur, declarantes committimus Tibi, ut assumpto in Secretarium Religioso, idoneo, Tibique benè viso, quem ad nostrarum Constitutionum præscriptum Notarium creabis, ut Tibi legaliter, possit deservire, ad præmemoratum Conventum accedas, ibi Visitationem Generalem, & juridicam tàm in Capite, quàm in membris instituas, & ea in hoc negotio cures, quæ ex Sacrorum Canonum, & Statutorum Regularium dispositione, sunt necessaria; omnimodam ad tale munus potestatem, & jurisdictionem Tibi conferentes; præcipimusque in virtute Spiritus Sancti, & sub pœnis contrà Rebelles latis, omnibus, & singulis Superiori, & Subditis memorati Conventus, ut Te, tanquàm nostrum legitimum Commissarium agnoscant, recipiant, obediant, & intra terminos juris omninò Tibi pareant. Volumus autem, quod si ex tali Visitatione contrà aliquem, vel aliquos, sufficientia emerserint indicia, ad instituendam Inquisitionem specialem, illam instituas, & Processum informativum, juxtà Praxim Criminalem Ordinis, formes, usque ad Sententiam diffinitivam exclusivè, omnem opportunam, & necessariam ad hoc facultatem Tibi concedentes. Confidimus autem, in hoc gravi negotio Te viriliter, & strenuè curaturum ea, quæ ad repressionem scandalorum, & Religiosæ Observantiæ conservationem faciunt, & paternam benedictionem Tibi peramanter impartimur. Dat. &c.

Ego N. Minister Provincialis.

Et sigillentur Literæ sigillo majori Provinciæ.
Porrò forma eas Literas exequendi erit, ut sequitur.

XIV. Forma Visitationis juridicæ faciendæ à Commissario Delegato à Ministro Generali, aut Provinciali.

In nomine Domini. Amen. Cum R. P. N. literas receperit datas à Reverendissimo Patri Generali, *sive* ab A.R.P. Provinciali N. tenoris sequentis, *& registrentur per extensum Literæ patentes &c.* volens eas, qua debet obedientiæ promptitudine, exequi; in Cameram suæ residentiæ, coram PP. N. & N. Testibus ad hoc specialiter adhibitis, vocavit me infrascriptum, & mihi dato juramento fidelitatis, quod & præstiti, tacto pectore more Sacerdotali, juxtà sibi commissam facultatem Notarium creavit, ut in sibi demandatis pro legitimo Actuario inservirem. Acta sunt hæc Die, Mense ..... Anno &c. in Conventu &c.

Ego N. Commissarius Delegatus.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

Consequenter idem R. P. Commissarius associatus à me infrascripto, & Fr. N. Laico accessit ad Conventum N., in quo fuit à Superiore, & Fratribus humaniter exceptus, juxtà morem Religiosæ hospitalitatis; & in prima refectione, ad quam convenerant Capitulariter Fratres suas Literas patentes hic præinsertas publicare per me Actuarium fecit, quod & præstiti, alta, & intelligibili voce eas legendo. Mox gravem Sermonem ad Fratres habuit, & ipsis Visitationem intimavit, exhortatione præmissa &c. *& prosequatur juxtà formam datam suprà* num. XII. *de Visitatione judiciali facienda à Ministro Provinciali, usque ad finem.*

ADNOTATIO I.

XV. *Quia, ut diximus* Par. I. Tit. Canones nu. 99. & seqq. & Tit. Inquisitio num. 59. & 60. *In Visitatione judiciali, tanquam suspectus, ex legitima causa recusari potest tum Provincialis, tum Commissarius Visitator, necessarium duximus tradere formam Recusationis, quæ in facti contingentia, si habetur causa legitima, potest proponi.*

XVI. Forma Recusationis Judicis sive Ordinarii, sive Delegati in Visitatione judiciali.

Coram A. R. P. N. Ministro Provinciali &c. *sive* R. P. N. Commissario Delegato ad judicialem Visitationem hujus Conventus, comparet Fr. N. &c. & dicit, (cum omni tamen humilitate, & reverentia, quæ debetur,) quod persona ejusdem R. P. N. &c. est sibi suspe-

suspecta, & suspectissima, & tanquam talem eam jurat. Et quia cuiquam tutum non est, coram suspecto Judice litigare, ad propriæ innocentiæ præsidium, & evadendum, omne, & quodcunque gravamen, quod ab illo recipere possit, cogitur, licito juris remedio uti, ipsum recusando in Judicem. Quapropter coram infrascriptis Testibus ipsum rogat, ne in Visitatione judiciali hujus Conventus N., quam facere intendit, ullo modo se immisceat in tangentibus personam ipsius comparentis, ex eo quod ipsum semel, & iterùm, & semper recusat, & ipsius judicio nullo pacto submitti vult, aut intendit, quia est sibi vehementissimè suspectus, & suspectissimus ex eo, quod est ejus Inimicus; *sivè*, quod in alio judicio eum gravavit; *sivè*, quia dixit, se velle eundem Comparentem acriter mortificare &c. (*& hic debet exprimi aliqua ex causis, quæ tanquam legitimæ ad Recusationem assignantur in Textu*. Tit. Accus. §. 1. pag. 210. & Tit. Test. §. 1. pag. 313. & diximus Titul. Quales n. XXXVIII. pag. 50. & indè; *illæ enim, quæ repellunt aliquem ab accusando, seu testificando, à fortiori repellunt à judicando*. Quam causam se offert Comparens, coram quibus de jure, probare. Quod si, non attenta præsenti Recusatione, memoratus Pater Provincialis, *sive* Commissarius, se immiscere intendit in tangentibus personam dicti Comparentis, ex nunc, pro tunc, dicit de nullitate actuum, appellat ad quem, & quos de jure, & ad Superiorem petit recursum. Præsentata fuit coram infrascriptis Testibus Die .... Anno .... & Mense &c. in Conventu, &c.

Ego N. recuso, appello, & recursum peto, ut suprà.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

ADNOTATIO I.

XVII. *Ad bonam cautelam Recusantis, & ut possit, in facti contingentia docere de Recusatione à se facta congruo tempore, expedit, ut duo exemplaria Recusationis scribat; & ambo subsignare faciat à Testibus coràm quibus eam vult, intimare. Adeat ergo Judicem, qui visitare intendit, & caveat ab omni verbo, forma loquendi; & gestu, qui possit aliqua modo sapere contemptum; hoc enim tum incongruum est; tum potest per illud sibi præjudicare, & a Causa excidere. Proindè humiliter, & rogativè dicat Judici, ut comparitionem illam acceptet: & obsecret, ne per hoc illi irascatur, quia devenit ad illud remedium juris ob sui indemnitatem, non ut Judicem, quem alias veretur, contemnat, aut injuria afficiat. Si Judex (ut aliquando solent nonnulli ad bilem nimis propensi) in improperia, injurias, & contumelias prorumpat, & dicat*, se respuere illam Recusationem tanquam frivolam, &c. *non respondeat ullo modo ad injuriam Recusans, sed tantum dicat*, à rejectione appello, *& dimissa ibi Comparitione scripta, abeat*.

ADNOTATIO II.

XVIII. *Dantur frequentissime casus, maximè in parvis Conventibus, quod Religiosi propriæ quietis amici, & ob timorem non displicendi Superioribus, nolunt, in Causis hujusmodi criminalibus, esse Testes. Ne ergo Recusans careat beneficio legis, quæ sibi suspectum Judicem recusare permittit, juxtà dicta* Par. 1. Tit. Canon. num. XIII. pag. 61. *damus alias Formas faciendæ Recusationis, casu quo Testes non reperiat, qui velint, coram Judice comparere; vel si Recusans ipse, ex metu reverentiali, non audet Judicem adire. Debet igitur duos, vel tres Religiosos ex gravioribus, qui sint in Conventu, (si fieri potest) convenire; aut saltem duos, vel tres Sacerdotes ordinarios, si alios graviores habere non potest, adhibitis duobus Testibus, & coràm ipsis Recusationem, & Appellationem proponere, ut sequitur.*

XIX. Forma recusationis Judicis coram honestis Viris.

Cum ad antevertendum, quodcunque gravamen, quod mihi infrascripto contingere, possit, ex Visitatione judiciali, quam publicè intimavit A.R.P. Provincialis N. *sivè* Commissarius N. necessarium mihi sit, ipsum recusare in Judicem, tanquam mihi suspectissimum; & ex timore reverentiali, neque Ego, neque alii Testes mecum audeant, illum præsentialiter convenire, & coram eo tum Recusationem, tum ipsius causas proponere, ut de jure debeo; cogor R. R. P. P. N. N. & N. coràm Vobis, tanquam coram honestis Viris, præfatam Recusationem, & Appellationem proponere. Instanter ergo, & instantissime rogo, ac per Jesu Christi viscera obsecro Vos memoratos R. R. P. P., quatenùs dignemini, recipere Libellum Recusationis, & Appellationis, quam, & oretenùs exprimo, & scriptis mandavi, Vobisque præsento, rogans insuper, ut Recusationem, & Appellationem, quam coràm Vobis legitimè instituisse, intendo, significetis, & præsentem Libellum illi præsentetis. Cum ex metu reverentiali, R. A. P. Provincialis N. non audeam præsentialiter comparere & mihi indulta à Legibus, ad proprium præsidium proponere, coràm Vobis personaliter, necessitate instante, compulsus sum, in præsentia R. R. P. P. N. N. & N. tanquàm coràm honestis personis, personam Provincialis, tanquàm mihi suspectam, imò suspectissimam recusare in Judicem. Qua propter, omni, qua decet, humilitate, P. V. rogo, ne in Visitatione judiciali, quam facere intendit, ullo modo se immisceat in tangentibus me infrascriptum Comparentem, ex eo quod eum semel, & iterum recuso, & ejus judicio nullo pacto submitti volo; ex eo quod est mihi suspectus, & suspectissimus: Quia (*& hic inseratur causa legitima suspicionis, ut diximus in formula præcedenti*), Quam causam me offero, quandò, & coram quibus de jure, legitime probare. Quod si, non attenta præsenti Recusatione, intendit se immiscere in tangentibus me Recusantem, ex nunc, pro tunc, dico de nullitate Actorum, appello ad quem, & quos de jure; & ad Superiorem peto recursum. Acta sunt hæc Die ..... Mense ..... Anno, &c. in Conventu, &c.

Ego N. recuso, appello, & peto recursum, ut suprà.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Debent autem Patres illi, coram quibus proposita est Recusatio, Libellum sibi à Recusante consignatum recipere, & ad Judicem simul deferre, ipsi significando, quæ gesta sunt, & videantur, quæ diximus circa hoc, Par. p. Tit. Canones num. 14. pag. 62.

ADNOTATIO.

XX. *Potest autem etiam dari Casus, quòd Recusans non inveniat Sacerdotes, qui velint simul convenire, ut coram ipsis possit Recusationem proponere. Tali Casu potest eam publicè, & per modum Edicti facere, prout sequitur.*

XXI.

XXI. Forma recusandi Judicem per Edictum.

Notum sit pateatque omnibus præsentes inspecturis, quod cum R. A. P. Provincialis, *sivè* N. Commissarius, Visitationem judicialem hujus Conventus publicè intimaverit, ejusdemque persona sit vehementer suspecta, imò suspectissima Fratri N. juxta juris indulgentiam, ad præcavendum omne, & quodcunque gravamen, quod sibi posset accidere ex tali Visitatione, cogitur præfatum A R. P. Provincialem, *sivè* Commissarium in Judicem recusare. Quia verò ex metu, & reverentia, non audet coram eodem R. A. P. personaliter comparere; nec invenit idoneos, coràm quibus, tanquàm coram honestis Viris Recusationem poterit proponere, ad juris remedia confugiendo, cogitur, in his scriptis publicè, & per Edictum appellare, & ut præfertur recusare, ut talis actus notitia ad memoratum A. R. Judicem perveniat. Dico igitur præfatum R. A. P. N. esse mihi suspectum, & suspectissimum, ex eo, quod (*& hic exprimatur causa aliqua legitima Recusationis juxtà dicta suprà n. XVI.*) Quam causam quandò, & coram quibus de jure, me probare offero per legitimos Testes, & documenta. Undè cum mihi tutum non sit coram eo litigare, ipsum recuso in Judicem: omni meliori modo appello ad quem & quos de jure, & ad Superiorem peto recursum, casu quo ipse spretà contrà jus & fas, præsenti Recusatione, tentaret in prædicta Visitatione se immiscere in tangentibus personam meam, & tanquam nulla, & purè attentata protestor esse futura omnia Acta, quæ ab ipso contrà præsentem Recusationem fieri contiuget. Et ut hujus Recusationis, Appellationis, & Recursus respective, notitia perveniat ad memoratum A.R.P. Judicem, hujus exemplar affixi ad valuas Refectorii, & in publico Dormitorio propè lampadem, pariter affigendam parieti curavi, ut omnibus publica fiat, & ipse illius ignorantiam prætendere non possit; & ità affixam in tantum valere volo, & intendo, sicut si fuisset per me sibi personaliter intimata. Dat. Die ..... Anno ..... Mense &c. in Conventu N.

Ego Fr. N. recuso, appello, protestor, & peto recursum, ut suprà.

XXII. Forma Decreti à Judice faciendi post Recusationem sibi intimatam, sivè notificatam.

Anno, & Mense, quo suprà, Die verò &c. comparuit coram prædicto A. R. P. Ministro Provinciali, *sivè* Commissario, &c. P. Frater N. associatus à PP. FF. N. & N. & cum debita reverentia, & humilitate præsentavit illi quendam Libellum, qui incipit &c. & desinit &c. *& ponatur tenor Libelli*. Et hic inseritur ex mandato prædicti A. R. P. in Processu signatus signo &c. *Et apponatur aliquod signum litera majuscula, sivè numerus tum in Processu, tum in Libelli ipsius fronte, ut cognoscatur esse illum, qui in Processu enunciatur.*

Si verò Recusatio facta fuit coram honestis Viris, ut dictum est, ita describatur.

Anno, & Mense, quo supra, die vero &c. comparuerunt coram eodem A. R. P. Patres Fratres N. N. & N. Sacerdotes &c. & dixerunt P. F. N. in eorum præsentia recusasse in Judicem prædictum A. R. P. tanquam sibi suspectum, & consequenter appellasse ab omnibus Actibus tangentibus personam prædicti Recusantis, sibique Libellum Recusationis præsentasse, quem exhibuerunt præfato A. R. P. & ad ejus mandatum hic inserui signatum &c. *ut suprà*.

Si autem recusatio fuerit facta per Edictum, ut paulò supra dictum est, ità describatur.

Anno, Mense, & loco, quo supra, Die verò &c. à diversis Fratribus accepit memoratus R. A. Provincialis, *sivè* Commissarius, ad valuas Refectorii, & parietem Dormitorii communis propè lampadem, affixum fuisse quendam Libellum, in quo, ut dictum ei fuit, continetur Recusatio quædam de persona ejusdem R. A. P. in Judicem facta à P. F. N. Jussit ergo eam sibi apportari. Quapropter ego Actuarius ivi ad eam tollendam à loco &c. ubi affixa erat & eam memorato R. A. P. præsentavi: qui postquam eam legisset, mihi tradidit Actibus inserendam; prout feci, signando eam &c. & incipit &c. & desinit &c. *& ponatur tenor, ut supra.*

Si recusatio fuerit personaliter à Recusante præsentata, decernat Judex, ut sequitur.

Qui R. P. dixit, se Recusationem, & Appellationem illam non admittere, nisi si, & in quantum erit de jure. Acta sunt hæc Die ..... Mense, & loco quo suprà.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Si verò Recusatio fuerit facta coram honestis personis, sivè per modum Edicti, præsentato Libello Recusationis, ut præfertur, prosequatur Processus, ut sequitur.

Tunc A. R. P. Judex vocari coram se fecit prædictum P. F. N. Recusantem, & ei dato juramento &c. prout juravit &c. tacto pectore &c. fuit *Interrogatus*. An aliquem libellum Recusationis de persona sua in Judicem composuerit, alicui præsentaverit; aut per affixionem publicaverit; & An eum recognoscet, si sibi ostendatur?

Resp. &c.

Et cum per me Actuarium, ad mandatum Judicis fuisset illi ostensus prædictus Libellus dixit, *ille ipse est, quem Ego scripsi, & P. P. N. & N. consignavi, sivè affixi in loco &c.*

Inter. An in eadem Recusatione persistat?

Respondit &c.

Tunc A. R. P. dixit, se talem Recusationem non recipere, aut illi deferre, nisi si, & in quantum erit de jure. Acta sunt hæc, &c.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Benè considerato libello Recusationis, debet Judex observare, si causa Recusationis est manifestè frivola, & ut talis expressa in Textu Tit. Canones §. 11. *& nos expendimus* Par. p. Tit. Canones num. 55. & seqq. pag. 76. *Et si eam frivolam reperit, decernat prout sequitur.*

Considerata ab A. R. P. Judice causa Recusationis proposita à P. F. N. supradicto, cum reperisset eam frivolam, & de jure insubsistentem, eam rejecit tanquam nullius vigoris, & decrevit, ea non obstante, ad intimatam Visitationem judicialem liberè, & universaliter procedere. Acta sunt hæc Die ..... Mense ..... & loco, &c.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Si verò invenerit causam esse legitimam de jure, & veram eam esse etiam de facto (puta quia Judex est Frater, consanguineus &c. Inimici notorii ipsius Recusantis), debet Judex recipere quidem in Visitatione ea, quæ sibi revelabuntur, & tangent personam Recusantis, sed non poterit ex iis ad specialem Inquisitionem devenire. Porrò si Judex est Delegatus, debet

tota-

totaliter abstinere, & indicia criminum sibi revelata, ad Ordinarium Recusantis transmittere, ut provideat de alio Delegato non suspecto, aut per seipsum specialem Inquisitionem instituat. Si verò Visitans est Ordinarius, ut potè Prælatus Provincialis, aut Commissarius missus à Generali ad Visitandam totam Provinciam, qui & ipse habet jurisdictionem sicut Ordinarius, potest delegare alium ad instituendam specialem Inquisitionem, (de consensu tamen Recusantis, ut infra dicemus), aut debet Causam ad Superiorem remittere, qui providebit de Judice non suspecto.

Si autem causa Recusationis est quidem legitima de jure, non tamen est evidens in facto, & debeat per hoc à Recusante formiter probari coram Arbitris, ut dicit Textus Tit. Canon. §. 2. p. 59. *aut si est dubia de jure, & de ejus validitate sententiare debeant Arbitri, juxtà dicta* Tit. Canon. n. 19. p. 63. *debet Judex Recusantem citare, & Processum prosequi*, ut sequitur. *Videantur, quæ diximus*. Par. p. Tit. Canones à num. 20. & p. 63. indè *circa electionem Arbitrorum.*

Anno .... Mense .... Die &c. loco quo supra, vocatus fuit coram A. R. P. Provincialis, *sivè* Commiss. N. Pater F. N. qui supradictam Recusationem proposuit, & illi intimatum fuit ab eodem R. A. P. Judice, ut Arbitrum pro parte sui nominaret, ad cognoscendum super Causa Recusationis à se propositæ; aut quatuor, vel sex Patres graves sibi benè visos proponeret, ex quibus unum, aut duos Arbitros ipse A. R. P. Judex eligeret, qui ad formam juris, super Causa assertæ Recusationis pronunciarent. Qui P. F. N. Judici gratias egit, & dixit se pro parte sui eligere P.N. *sivè* nominavit P. P. N. N. N. N. N. & N. ad effectum cognoscendi super allegata Causa Recusationis. Acta sunt hæc Die ..... Mense ..... & loco, quo suprà.

Ego F. N. nominavi prout suprà.
Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Consequenter A. R. P. Provincialis, qui supra, nominavit in Arbitrium ex parte sua R. P. N. *sivè* ex suprà nominatis à P. N. Recusante supradicto, elegit in Arbitrum communem R. P. N. *sivè* deputavit in Arbitros communes R. R. P. P. & hunc sive hos, coram se vocare fecit, & electionem de ejus, *sivè* eorum persona in Arbitrum, *sivè* Arbitros manifestavit. Et cum arbitrium acceptassent, *sivè* acceptasset, illia, *sivè* illi, assignavit terminum octo dierum ad pronunciandum. Acta sunt hæc Die ..:. Mense ..., Anno, & loco quo suprà.

Ego N. Arbiter electus.
Ego N. Arbiter electus.
Ita est Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Quomodo autem debeant Arbitri Processum suum incipere, & prosequi usque ad Sententiam, dicemus infra, Sect. II. num. XLI.

XXIII. Forma Recusationis Judicis faciendæ casu quo Processus in specie sit incœptus à Judice ex Officio, sivè ad instantiam Partis.

Suppositis iis, quæ docuimus Par. p. Tit. Canones n. 15. p. 62. *quod Recusatio semper proponenda est, antè omnes Actus, ad quos Reus interveniat, nempè antè litem contestatam, & in quacunque parte Causæ, dummodo possit Reus probare, quod notitia causæ Recusationis non pervenit ad eum, nisi post litem inceptam; ut completè absolvamus hanc materiam Recusationis, damus Formulam, juxta quam debet Reus (si causam habet legitimam) recusare Judicem sivè Ordinarium, sivè Delegatum post Processum initiatum. Si ergo habet notitiam, quod inceptus sit fabricari Processus contra se, debet ante omnia Recusationem proponere hoc modo.*

Cum, fama deferente, pervenerit ad aures P.F.N. Processum formari contrà se ab A. R. P. Ministro Provinciali, & ipse timeat sibi eventurum, aliquod gravamen ex eo, quod persona ipsius A. R. P. Ministri est sibi suspecta; ut præveniat, ad sui indemnitatem, omne injustum sui incommodum possibile, comparet coram eodem A. R. P. & dicit (cum omni humilitate tamen, & reverentia, quæ debetur) quod persona ejusdem A. R. P. est sibi suspecta, & suspectissima &c. *& prosequatur juxta formulam datam supra* num. XVI.

Si autem Reus nullam habuit notitiam præcedentem de Processu, qui fabricatur contra se, & citatur à Judice, & monetur de statu suæ Causæ, quod nempè talis est, quod ipse legitimè constituitur tanquam Reus, & sibi datur juramentum de veritate dicenda, nullo modo juret, aut Judici acquiescat; sed dicat, se illum recusare in Judicem, *& statim abscedat, & formet Libellum Recusationis prout sequitur.*

Comparet coram A. R. P. Ministro Provinciali, *sivè* R. P. Commissario N. Pater F. N. & dicit (cum omni humilitate, & reverentia debita), quod persona ejusdem A. R. P. Ministri est sibi suspecta, & suspectissima, & tanquam talem &c. *& prosequatur juxtà formam datam suprà* num. XVI.

Si verò post litem contestatam, & postquam examinatus est Reus, intellexerit Judicem extra judicialiter dixisse, se velle ulcisci injuriam factam à Reo cuidam Amico, Conjuncto, vel Familiari ipsius Judicis, vel dixisse, se velle acriter mortificare Reum; *aut aliquo modo manifestasse malum animum contrà Reum &c. possitque Reus hoc probare, & insimul probare causam hanc Recusationis, vel ortam esse post litem contestatam; vel ipsi Reo post eandem inceptam innotuisse; Libellum Recusationis potest concipere, prout sequitur.*

Comparet coram A. R. P. Ministro Provinciali N. sivè R. P. N. Commissariu Pater Frater, N. & dicit, quod persona ejusdem A. R. P. Ministri, *sivè* R. P. N. Commissarii est sibi suspecta, & suspectissima, ex eo, quod ipse animum suum malum contra Comparentem manifestavit; ex quo tutum sibi non est, coram eo litigare, aut ejus judicium expectare. Quapropter, tanquam sibi suspectissimum illum recusat; à Tribunali suo provocat, & ejus judicium subire minimè intendit. Et licet hucusque tanquam Judici legitimo paruerit, eo quia illius mali contra se animi notitiam non habuit; amodò protestatur, nolle ullo modo illum recognoscere, tanquam Judicem inimicum; & per hoc à jure reprobatum; quod probare, quando, & coram quibus de jure, se offert. Ideo instat, & vult, quod prædict. A. R. P. Minist. Provinc. *sivè* Commiss. non amplius se ingerat in Causa contra Comparentem incœpta, & protestatur futura esse nullius valoris Acta, quæ de novo fieri continget contrà præsentem propositam Recusationem; imò etiam Acta antecedentia, ut potè facta ab inimico respuit, & pro nullis haberi vult; appellando, apud quem, & quos de jure, & petendo recursum ad Superiorem, casu quo præsens, & legitima Recusatio fuerit rejecta. Data, &c.

Ego F. N. recuso, & appello, ut suprà.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.

Debet autem hujusmodi Libellus Recusationis præsentari modo, & forma, quam diximus suprà, n. XVII, & seqq.

& seqq. *Et Judex debet Decretum interponere eo modo, quo diximus* num. XXII. *Et ad Arbitrorum electionem devenire juxta methodum datam* num. XXII. in fin. *Quod si ex defectu Testium, qui velint assistere actui Recusationis, ipsa facienda sit coram honestis personis, sive per Edictum, ut dictum fuit,* num. XIX. & XXI. *debet practicari forma, ibi assignata; hoc solùm mutato, quod si ibi dicitur quod,* Judex non se ingerat in tangentibus personam Recusantis in Visitatione Judiciali; *hic debet dici,* quod ampliùs non prosequatur judicium contra se inceptum &c. *Et Judex pariter debet super Recusatione illa Decretum interponere, & ad Arbitrorum deputationem devenire, ut docuimus supra* num. XXII. in fin.

ADNOTATIO I.

XXIV. *Advertendum, quod non solùm potest recusari tanquam suspectus Judex, sed etiam omnes ad judicium intervenientes ut Actuarius, Consiliarius, Peritus &c. ut probavimus.* Par. p. Tit. Canon. n. 117. pag. 106. & seqq. *Causa autem Recusationis istorum probatur solo juramento, cum enim nullum jus habeant in Causa, in qua non interveniunt, nisi vocati à Judice, facilius repelluntur, quàm Judex. Casu ergo, quo recusandus sit aliquis istorum, statim ac ad notitiam Rei pervenit, quod Judex illos adhibuit, aut adhibere intendat, ipse compareat coram Judice, & intimet Libellum Recusationis, ut sequitur.*

XXV. Forma recusandi Peritum Notarium, Consiliarium.

Comparet coram A. R. P. Provinciali Fr. N. & dicit, quod ad aures ejus devenit, quod ipse incipere vult, & fortè incœpit, quendam Processum contra ipsum Comparentem, in quo adhibere intendit, vel fortè adhibuit N. pro Actuario, Perito &c. *sivè* ad aures ejus devenit, quod ipse A. R. P. in Causa, quæ contra Comparentem actitatur, sivè adhibere vult in Consiliarium, Assessorem &c. D. Doct. N. Et quia persona ipsius N. Notarii, seu Periti, *sivè* Consiliarii, vel Assessoris, est sibi suspectissima, ex eo quod &c. *& hic exprimatur causa suspitionis.* Et suspectissimam, ex prænarrata causa eam jurat; proinde, vult, petit, & instat, quod talem sic, ut præfertur, sibi suspectum, A. R. P. nullo modo ad judicium contrà ipsum Comparentem adhibeat. Quod si fortè adhibuit, vult, petit, & instat, quod ipsius Scripturæ, sivè Peritiæ, sivè Consilii nulla habeatur ratio. & sint omnino nulla, ut procedentia à persona suspectissima, quæ ex passione, non ex veritate scripserit, *sivè* judicaverit, *sivè* consuluerit. Jurat insuper idem Comparens, quod ipse antea nesciebat talem N. fuisse adhibendum in Notarium, Peritum &c. Quod si scivisset, præmisisset Recusationem, quam modò instituit. Protestando de nullitate, & appellando, & apostolos petendo &c. si aliter fiat. Dat. &c.

Ego N. recuso, peto, protestor, & appello, ut supra.

Ego N. fuit Testis.
Ego N. fui Testis.

Si Notarius est ille, qui recusatur, non potest Libellum Recusationis suprascriptum inter Acta recipere, nec præsentationi Actum, nec Decretum Judicis scribere; undè, tali casu, Judex debet, amoto illo, alium Notarium creare, sic describendo factum.

Cum comparuisset coram A. R. P. Ministro &c. Frater N. &c. & præsentasset quendam Libellum, quo recusavit, ut sibi suspectum, P. Fr. N. Actuarium, qui hucusque scripserat, vocavit, coram infrascribendis Testibus Me infrascriptum, & à me juramentum fidelitatis exegit, quod præstiti, tacto pectore &c. & Notarium creavit ad effectum &c. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister.
Ego Fr. N. fui Testis.
Ego Fr. N. fui Testis.

Mox jussit inter acta recipi, & inseri prænarratum libellum qui incipit &c. & desinit &c. & est signatum littera A. *sive* num. &c. In quorum &c.

Ego Fr. N. Actuarius.

Si recusatur Peritus, Consiliarius &c. facta comparitione prædicta, Judex debet decernere, ut sequitur.

Audita, & visa supradicta comparitione, & si, & in quantum admissa, decrevit A. R. P. taliter Recusatum non adhibere ad judicium. *Sed si jam admissus est dicatur,* decrevit alium Peritum, seu Consiliarum adhibere, non habita ratione peritiæ jam factæ, sive Consilii dati &c.

In quorum &c.
Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

Scio hanc formam non omnibus arrisuram, ea quia potest Reus in Defensionibus contra Peritum excipere, & ejus judicium jam factum impugnare; unde non deberet Judex, ex sola Recusatione, peritiam jam factam abjicere, & novam procurare. Sed si bene res examinetur, apparebit quietius fieri Causam hoc modo, si Judex, faciliter condescendens Reo, Peritum abjiciat, quam si, ex concertatione cum Patrono, hoc debeat, & cogatur facere invitus in termino defensoria. Verum est, quod si essemus in casu, in quo alii Periti non haberentur, qui possent substitui, & jam peritia est facta a Perito, qui postmodum recusatur, Judex, non obstante Recusatione, & Appellatione interposita, potest, non retardatis actis, ad ulteriora procedere, quorum tamen valor pendebit a probatione causæ Recusationis, quæ, tali casu formiter facienda erit in termino defensorio.



SECTIO SECUNDA.

De forma initiandi Processus, usque ad Corpus Delicti probandum.

I. *Ut absolutius tradantur formæ omnes Processuum, qui fabricari possunt, juxta casuum indigentiam; & ne cogamur inutiliter repetere ea, quæ pro omnibus Processibus necessaria sunt, optimum esse duximus, dividere actus processuales in octo partes.*

Prima erit de initio Processus, usque ad probationem Corporis delicti.

Secunda de probatione Corporis Delicti, usque ad Examen Testium.

Tertia de Examine Testium, usque ad Rei constitutionem.

Quarta, de Constitutione, & Examine Rei, usque ad Defensiones.

Quinta de Defensionibus, usque ad Torturam.

Sexta de Tortura, usque ad Sententiam.

Septima de Sententia, usque ad Appellationem.

Octava de Appellatione; hoc enim modo evadet facilius Lectori, complete instrui de omnibus formis incipiendi, & terminandi complete Processus quosvis. Supposito ergo, quod diximus Par. p. Titul. Quam. *Quod Judex moveri potest ad condendum Processum ex Officio, & ita per* Inquisitionem, *aut ad instantiam Partis; & ita per* Denunciationem, Accusationem, *sive* Exceptionem; *incipiemus a Processu per Inquisitionem.*

II. Forma incipiendi Processum per viam Inquisitionis specialis, emergentibus indiciis à Visitatione judiciali, sivè Inquisitione generali.

IN nomine Domini. Amen. Hæc est specialis Inquisitio, quam facere intendit R. A. P. N. Minister Provincialis &c. contra Fratrem N. graviter in Visitatione judiciali habita in Conventu N. quod, (*& hic exprimatur crimen, de quo fuerit indiciatus,*) ut ex Actis Visitationis apparet. Quapropter, ne delicta remaneant impunita, decrevit super hoc informationes sumere, Testes examinare, & alia facere, quæ sunt de jure præstando. (*Et si Actuario novo Judex utitur subjungat.*) Et ideo in Cameram suæ residentiæ, in qua ipse Tribunal erexit, vocare fecit me infrascriptum coram N. & N. Testibus ad hoc specialiter adhibitis, & mihi dato juramento de fideliter exercendo munere, prout præstiti tacto pectore &c. Me Notarium creavit, ut illi pro Actuario in hac Causa inservirem. Acta sunt hæc Anno..., Mense.... Die &c. & loco quo supra.

Ego N. Minister Provincialis,
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Actuarius,

ADNOTATIO I.

III. *Advertendum, quod, ante omnes actus judiciales, oportet, quod constet de legitima creatione Notarii, qui Acta authentice recipere possit; quia, ut probavimus* Par. I. Tit. Quid. num. 136. pag. 39. *Necessaria ad legitimum judicium est creatio Notarii; & quod de ea legitime, & per Testes, in eodem processu constet. Hoc autem verum est, nisi Judex utatur Religioso jam creato in Notarium pro actibus Religionis quibusvis recipiendis, ut diximus* Tit. Inquisitio num. 47. & seqq. pag. 281. *Tunc enim non est necessarium, quod in processu constet de ejus creatione; (sicut nec etiam quando Notarius creatus pro Visitatione judiciali, servit in Inquisitione speciali emergente ab ea) sed sufficit, quod in processu dicatur.* Vocavit me infrascriptum Notarium publicum Religionis, prout constat in Archivio Provinciæ &c. ut illi pro Actuario in hac Causa inservirem.

ADNOTATIO II.

IV. *Advertendum secundo, quod frequenter accidit, quod incœpto processu, Actuarius impeditur infirmitate, aut aliquo publico, & urgenti negotio, aut alia de causa, nequit illum prosequi; necessarium proinde est Judici, alium Notarium creare, ut inceptum processum continuet; & de tali creatione debet constare in processu hoc modo.*

Cum P. F. N., qui hucusque in præsenti Causa inservit pro Actuario, graviter sit infirmatus: *sive* ad Conciones Quadragesimales habendas, petierit Civitatem N. &c *aut alia causa exprimatur &c.* unde non potest in officio Actuarii continuare, A.R.P. Provincialis, in cameram suæ residentiæ coram infrascriptis Testibus Me infrascriptum vocare fecit, & dato mihi juramento fidelitatis, quod præstiti tacto pectore &c. Me Notarium creavit, ad effectum, ut illi inservirem pro Actuario in prosecutione Causæ. Acta sunt hæc Die.... Mense.... loco &c.

Ita est Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO III.

V. *Advertendum tertio, quod, ut probavimus* Par. I. Tit. Inquisitio q. I. per totam n. 52. & seqq. pag. 282. *non est necesse Inquisitionem specialem incipere, novumque Processum initiare, si præcessit Inquisitio generalis, vel Visitatio judicialis. Quandoquidem si Testes sint integri, & numero sufficientes, valent, non solum ad constituendum, sed etiam ad torquendum, & condemnandum Reum. Tamen, quia in Visitationibus generalibus possunt emergere indicia contra diversos Reos, & contra singulos essent instituendæ diversæ Inquisitiones speciales, si delicta essent inconnexa; pariterque varia à diversis, & contra diversos solent deponi, quæ Religiosam pacem turbarent, si rescirentur; & oporteret, aut integram copiam Visitationis cuique Reo concedere pro Defensionibus; vel eam decurtare, tradendo ea solum, quæ faciunt contra singulum Reum, quod semper laboriosum, & aliquando difficilè est; ideò convenientius est, Inquisitionem specialem per novum Processum incipere, & si delicta sint separata, & diversi Delinquentes, contra singulos separatam specialem Inqui-*

quisitionem instituere, *ut diximus* Tit. Inquisitio num. 55. pag. 283.

ADNOTATIO IV.

VI. *Advertendum quarto, quod ut diximus* Par. I. Tit. Inquisitio quæst. 2. p. 283. *ex Visitatione generali pater na devenire potest Prælatus ad Inquisitionem juridicam, & hoc si in illa multi deponunt de crimine, quod à multis scitur, licet de eo non vigeat publica fama; vel si de eo crimine sit vulgata fama. In primo casu instituere debet Prælatus Inquisitionem Generalem, sive Visitationem juridicam, vel judicialem, eo modo, quo eam tradidimus supra* Sect. I. num. 12. *In secundo verò casu deberet, antecedenter ad Inquisitionem specialem, facere constare de Fama, nisi crimen esset exceptum, prout diximus* Tit. Inquis. n. 12. & seqq. p. 270. *Sed melius semper, & facilius evadet, si Judex instituet Visitationem judicialem, sive Inquisitionem generalem, ut suprà: Quia in ea nulla necessitas est probandi famam, & ex ea sternitur via Judici ad Inquisitionem specialem. Quia tamen potest dari casus, quod vigeat Fama publica de aliquo delicto in aliquo Conventu magno, pro quo laboriosa, & longa evaderet Visitatio judicialis, ratione multitudinis Fratrum visitandorum; & compendiosius fieret, instituendo Inquisitionem specialem ex Fama præcedente, ideò, tali casu, melius est incipere Processum ex vulgata Fama. Sive ergo habuerit Prælatus in Visitatione paterna notitiam de infamia criminis; sive eam habuerit extrà Visitationem, ex eo quod crimen diffamatum est per alios Conventus; sive de crimine ad aures Prælati pervenerit clamorosa insinuatio, & brevius fieri judicaverit, si inquiratur in specie ex Fama, quam si instituatur generalis Inquisitio, poterit incipere Processum, ut sequitur.*

VII. Forma incipiendi Processum per viam specialis Inquisitionis ex Fama præcedente.

In nomine Domini. Amen. Cum Fama deferente, pervenerit ad aures A. R. P. N. Ministri Provincialis, Patrem Fratrem N. esse apud multos, graves, & non malevolos Religiosos graviter diffamatum de (*& hic describatur crimen, de quo fuerit infamia*) volens suo muneri satisfacere, & crimina, si quæ fuerint commissa, debitis pœnis coercere, ad Sacrorum Canonum, & Ordinis Constitutionum normam, decrevit super Fama prædicta inquirere, &, prout erit de jure, procedere: Et ideò in Cameram suæ residentiæ vocare fecit Me infrascriptum coram N. & N. &c. *& prosequatur, sicut supra* n. 2. *Descripta creatione Notarii, prosequatur ita.*

Consequenter idem A. R. P. qui supra, vocari coram se, & Me infrascripto, in cameram suæ residentiæ fecit P. N. Confessarium, sive Concionatorem &c. ætatis annorum &c. Religionis verò &c. Testem ex Officio assumptum, cui dato juramento de veritate dicenda, prout juravit, tacto pectore more Sacerdotali, & facta monitione &c. fuit

Interrogatus. An scias causam suæ vocationis?

Respondit. Nescio.

Interr. In quo Conventu, & à quo tempore de Familia habitet?

Respondit &c.

Interr. Si Fratres commorantes inibi exemplariter vivant, & si de aliquibus mala fama vigeat?

Resp. Dicitur de Fratre N. quod &c.

Interr. Quomodo hoc sciat?

Resp. Dicitur publicè in Conventu.

Interr. A quibus signanter audivit hoc?

Resp. Audivi à P. N. Lectore Theologo; à P. N. Confessario sene; & à P. N. Novitiorum Magistro &c. & ab aliis publicè.

Interr. An sciat præfatos à se nominatos esse inimicos; vel adversos Patris N. diffamati?

Resp. Nec scio, nec audivi illos esse contrarios sibi.

Inter. An sciat quid sit fama publica?

Resp. Credo esse id, quod communiter dicitur de aliquo in bonum, sive malum.

Interr. Super generalibus &c.

Resp. Ego nolo gravare animam meam, deposui pro veritate, nec sum inimicus illius diffamati, nec ipse me offendit.

Et lecto sibi priùs suo examine (*si velit aliquid addere dicatur.*)

Voluit addere, quod &c. (*& scribatur totum, quod dicet*) aut voluit diminuere, vel se corrigere, in hoc, quod suprà dixit sic &c. Sed meliùs recordatus dixit, quod &c. (*& scribatur diminutio, sive correctio dicti præcedentis*) vel nihil voluit addere, vel minuere, se subscripsit, & dimissus est. Acta sunt hæc Die .... Mense ... Anno, & loco, &c.

Ego Fr. N. deposui; ut suprà.
Ita est ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Examinandi autem sunt tres, aut quatuor Testes modo supradicto, ut plenè probata fama sit. Quo facto, debet Judex pronunciare, quod constat de fama, & decernere prout sequitur.

Quibus habitis, idem R. A. P. Minister Provincialis pronunciavit, constare de fama: decrevitque contrà prædictum P. N. diffamatum, prout de jure, procedere. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

VIII. *Circa probationem famæ, quæ requiritur ad inquirendum in specie, videantur ea, quæ circa hoc diximus* Part. 1. Tit. Fama num. 12. & seqq. p. 311. *Nisi enim Fama sit plenè probata, si Reus excipiat super hoc, processus evadet nullus; aut saltem Patronus poterit in defensionibus Famam, ut non benè probatam impugnare, & sic Processum destruere. Undè in hoc Judex sit benè circumspectus, & si videt Famam non esse sufficienter probatam ab illis Testibus, quos examinavit, alios Testes examinet, donec plenè probet; aut ab Inquisitione desistat, ut inferiùs dicemus.*

ADNOTATIO II.

IX. *Pariter advertere debet Judex ad ea, quæ ordinat* Textus Tit. Fama §. 3. pag. 310. *quod nempè ad inquirendum contra Prælatum, gravissimam Personam, & integrum Conventum, non sufficit Fama sola, & simplex, sed requiritur Clamorosa insinuatio. Et licet hoc non sit ita necessarium, itaut si fieret oppositum, rueret Processus, ut diximus* loc. prox. citat. num. 11. pag. 311.

pag. 311. tamen illud servare optimum est, ad præcludendam viam Exceptionibus contrà Processum.

ADNOTATIO III.

X. *Advertendum insuper, quod si non probetur Fama eo modo quo necessarium est, debet abstinere quidem Judex ab ineunda Inquisitione speciali, tamen non potest relinquere imperfectam Inquisitionem super Fama, sed debet eam terminando perficere, nempè pronunciando, quod de Fama legitimè non constet: actus enim judicialis, jam inceptus, non debet manere in suspenso, sed compleri; & sicut Inquisitio specialis super delicto debet terminari per sententiam diffinitivam, absolvendo, aut condemnando Reum; ità Inquisitio super Fama debet terminari per sententiam, puta quod de ea constet, vel non; quæ sententia habet vim interlocutoriæ quidem, si Fama est probata, & ex ea proceditur ad specialem Inquisitionem delicti; sed si non remanet probata, habet vim diffinitivæ; & tali casu debet Inquisitio terminari, prout sequitur:*

Quibus Testibus examinatis, ut præfertur, videns idem A. R. P. Provincialis, quod Fama vulgata ortum habuit ab inimicis; *sivè* Factionariis; *sivè* levibus; & apud viros providos, cordatos, & prudentes dictus P. N. non remanet diffamatus, pronunciavit, non constare legitimè de Fama, & ulterius non esse ex ea super hoc procedendum decrevit. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

XI. Forma incipiendi Processum per viam Inquisitionis mixtæ.

Supposito eo, quod dicitur in Textu Tit. Inquisitio §. 1. pag. 266. & nos abundè explicuimus ibi sub num. 2. nempè, quod quando delictum est certum, Auctor verò delicti ignoratur, si Judex non ad alicujus instantiam, sed ex Officio movetur ad inquirendum, talis Inquisitio vocatur mixta, nempè specialis quo ad delictum, sed generalis quo ad personas, tradimus modo formam incipiendi Processum, quæ talis est.

In nomine Domini. Amen. Cum ad aures A. R. P. N. Ministri Provincialis &c. pervenisset, quod in Conventu N. (*& hic scribatur delictum, puta, quod affixus est libellus famosus, seu factum furtum, vel aliquis fustibus cæsus &c.*) nec tamen criminis Auctor hucusque sciatur, volens, pro sui muneris debito, super hoc inquirere, & Sontes quos repererit, castigare, me infrascriptum vocare fecit in cameram suam, coram infrascriptis Testibus ad hoc specialiter vocatis, & dato juramento fidelitatis, me Notarium creavit, ut in causa, quam agitare intendit, illi pro Actuario inservirem. Acta sunt hæc Anno..... Die..... Mense,.... & loco &c.

Ego N. Provincialis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

Si autem Provincialis ex Officio velit juridicè inquirere per Inquisitionem mixtam contrà aliquem Fratrem, de quo multa audivit, quæ non sunt quidem graviora delicta, quæ singula judicialiter castigentur; tamen cumulata aggravant, & ex iis valdè conturbatur Conventus, & Provincia; (licet hoc regulariter non fiat, quia illa paternaliter emendantur) tamen hoc potest Provincialis, & multoties expedit. Tali casu incipiet Processum, ut sequitur.

In nomine Domini. Amen. Cum A. R. P. Provincialis N. accepisset Fr. N. in Conventu N. commorantem varios, & diversos excessus commisisse, & de nonnullis illorum non satis claram notitiam habuisset; ac per Fratris prædicti immorigeratam vitam conturbetur Familia illa; sicut & evenisse audivit aliis Conventibus, in quibus ipse est commoratus; pro Officii sui debito super hujusmodi defectibus, & excessibus inquirere, & ad normam juris castigare, decrevit. Quapropter me infrascripto, coram N. & N. Testibus, creato in Notarium per exhibitionem juramenti, quod præstiti tacto pectore &c. statuit, quæ de jure sunt aggredi. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Provincialis.
Ego N. Testis.
Ego N. Testis.
Ego N. Actuarius.

XII. Forma incipiendi Processum per viam Denunciationis.

Quia Denunciatio debet præcedere inceptionem Processus, qui construitur per Denunciationem, danda prius est formula, juxta quam fieri debeat Denunciatio. Et recolenda hic sunt ea, quæ dedimus Par. 1. Tit. Denonciatio num. 3. & seqq. pag. 234. *de duplici Denunciatione, puta in foro paterno, & judiciali, quæ videre omninò oportet. Si ergo detur Denunciatio Prælato, ut Patri, & denuncians intendit, quod Prælatus paternè, solùm, & secretò corrigat, & crimen non est diffamatum, non potest Prælatus ex ea processum instruere. Si verò de crimine publico est infamia, debet, in eo inquirendo, procedere ex Officio, & instituere processum per Inquisitionem ex fama, juxta formam datam supra num. 7. nulla facta mentione Denunciationis sibi paternaliter datæ; aut debet procedere per viam Inquisitionis generalis, sive Visitationis judicialis, ut dictum fuit suprà. Si verò Denunciatio fiat Prælato, ut Judici, ab illa motus Judex, & ad instantiam Denunciantis, ad fabricationem Processus deveniat. Quia verò denunciatio potest fieri simpliciter puta oretenùs, sivè per libellum præsentatum Judici, sivè per literas missivas, singulorum modorum formula est danda.*

XIII. Forma Denunciationis oretenus faciendæ, ex eò quod Denuncians nescit scribere.

In nomine Domini. Amen. Cum comparuisset coram A. R. P. Ministro Provinciali &c. Fr. N. Laicus, qui nescit scribere, & dixisset, se velle judicialiter, & secretò denunciare nonnullos Religiosos reos de nonnullis criminibus, ut ad exemplum aliorum corripiantur, idem A. R. P. Provincialis, coram infrascriptis Testibus ad hoc specialiter adhibitis, vocare in cameram suam fecit me infrascriptum, & mihi dato juramento fidelitatis, quod præstiti, tacto pectore, me Notarium crea-

creavit ad effectum ei inserviendi pro Actuario &c. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister &c.
Ego N. Testis.
Ego N. Testis.
Ego N. Actuarius.

Consequenter fuit vocatus coram eodem A. R. P. & me infrascripto Fr. N. Laicus, qui suprà, & injunctum ei fuit, ut diceret illud, quod asseruit, se habere denunciandum A. R. P. Provinciali. Qui dixit se denunciare judicialiter Patrem Fratrem N. quod (*& hic describatur delictum, seu delicta, de quibus vult denunciare, assignando tempus, & locum, & qualitatem delicti*) & Testes ad probandum assignavit PP. N. & N. Laicum &c. *& Denuncians apponat signum* ✠

Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

XIV. Forma Denunciationis per Libellum Judici præsentatum, qui potest etiam mitti per literas.

Coram P. V. A. R. comparet Frater N. Sacerdos &c. & dicit Fr. N. Laicum Quæstuarium Conventus N. &c. parùm religiosè vivere, scandalizando actibus immodestis Seculares, & eorum devotionem erga Religionem, cum gravi ipsius damno, minuendo. Et quantumvis fuerit ipse à bonis Religiosis monitus, non tamen vitam suam correxit. Quapropter zelo publici boni ductus, & ut severitas judicii corrigat, quod charitas emendare nequit, denunciat prædictum Fratrem N. sicuti (*& hic ponatur, per extensum, crimen, de quo denunciat; assignando tempus, & locum, & qualitatem delicti*) & assignat in Testes Fratres N. & N. Dat. Die .... Mense .... & Anno .... &c. in Conventu N.

Ego Fr. N. denuncio ut sup.

Ità ergo concepto Libello denunciationis, & Judici, sivè personaliter, sivè per literas præsentato, debet incipi Processus, ut sequitur:

In nomine Domini. Amen. Cum præsentatus fuerit personaliter, *sivè* per literas missus, quidam Libellus denunciatorius à P. Fr. N. Sacerdote A. R. P. Ministro Provinciali, qui incipit *Coram Paternitate Vestra Adm. Reverenda &c.* & desinit *Ego Fr. N. denuncio ut suprà*. Et hic inseritur signatus litera A. *sivè* num. 1. *sivè* signo &c. *& apponatur signum tum in fronte Libelli, tum in Processu*. Volens idem A. R. P. Provincialis sui muneris partes adimplere, coram infrascriptis Testibus specialiter adhibitis, me infrascriptum vocavit in suam cameram, & Notarium creavit, ut inservirem ipsi pro Actuario; cùm priùs exhibuissem juramentum fidelitatis per tactum pectoris, more Sacerdotali. Acta sunt hac die .... Anno ... &c. in Conventu &c.

Ita est Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

XV. *Advertendum primò, quod adversùs Prælatos, & Viros magni nominis non sunt recipiendæ denunciationes ab hominibus infimæ plebis, ut ordinatur in Textu Tit. Denunciatio §. IV. & Nos ad citatum locum explicavimus à num. 19. p. 239. & indè. Proindè si aliquis casus evenerit, quod gregarius Frater velit Prælatum, aut insignem Virum Religionis denunciare, Judex faciat, ut convertat denunciationem in Accusationem, cujus formulam infrà dabimus.*

ADNOTATIO II.

XVI. *Advertendum secundò, quod multa sunt de forma substantiali denunciationis, quæ Nos scripsimus* Part. 1. Tit. Denunciatio quæst. 4. à num. 32. & seqq. pag. 244. *ad quem locum remittimus Lectorem, ne hic inutiliter repetamus, & ea benè debet Judex advertere.*

ADNOTATIO III.

XVII. *Advertendum tertiò, quod licèt, qui denunciat judicialiter, non possit esse Testis in causa, in qua denunciat,* (ut habet Text. Tit. Denunciatio §. IV. & Nos ibi diximus num. 22. pag. 241.) *tamen, post porrectam sive missam denunciationem, optimum est illum examinare, tum ut suppleat ea, quæ sunt necessaria pro denunciatione, & ipse præ ignorantia omisit; tum ut Judex benè informetur de circumstantiis facti; ex quibus potest veritatem indagare; tum ut cognoscat, an denuncians ad instigationem alterius, qui est Testis de visu, denunciavit; ex quo fit, quod testimonium sic instigantis debilitatur eo modo quo diximus* Part. 1. Tit. Sententia num. 70. pag. 466. *& non potest cum alio Teste, licet integro, reum convincere. Habita ergo denunciatione, continuetur processus, ut sequitur:*

Consequenter idem A. R. P. Provincialis, acceptata dicta denunciatione si, & in quantum &c. voluit ab eodem met Denunciante pleniùs informari de omnibus circumstantiis facti, de quo denunciavit supra memoratum Fratrem N. & dato ei juramento de veritate dicenda, & quod non animo calumniandi denunciavit, prout juravit tact. &c.

Interrogatus. Unde scit ea, quæ denunciavit.

Respondit &c.

Interr. Quo tempore, loco, & quibus præsentibus?

An ea viderit, quæ ab aliis audierit?

A quibus, quo tempore, quo loco, quibus præsentibus?

Quomodo accidit factum, de quo deponit?

Quo loco, & tempore?

An Frater N. denunciatus sit bonæ famæ?

An aliàs fuerit correctus, & à quo?

Quo loco, & tempore?

An Denuncians monuit Superiorem Localem?

Quare non monuit?

Quare distulit tantum temporis denunciationem?

An amore, aut odio deposuerit? &c. *& habitis opportunis responsionibus concludatur ita*. Quibus per me infrascriptum receptis, sibique lectis, cum noluisset aliquid addere, vel minuere, se subscripsit, & dimissus est. Acta sunt hæc &c.

Ego Fr. N. affirmo ut supra.
Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Quod si denunciatio fuerit missa per epistolam, initium

tium processus, quod dedimus suprà num. 14. *debet continuari prout sequitur:*

Consequenter A. R. P. Provincialis volens suo muneri satisfacere, se contulit ad Conventum N. & in cameram suam, in qua Tribunal suum erexit, me infrascripto præsente, vocare fecit supradictum Fratrem N. qui scripsit Epistolam denunciatoriam, & ei delato juramento de veritate dicenda, prout juravit tact. &c. fuit.

Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

An scripserit Provinciali aliquas literas?

An per alium scribere fecerit?

Quid continebant illæ literæ?

An eas cognosceret, si sibi ostenderentur?

Et notetur, quod literæ fuerunt sibi ostensæ, & eas ut à se scriptas, vel de mandato suo, recognovit.

Undè sciat ea, quæ denunciavit?

An ea viderit?

An ab aliis audierit? &c.

Et prosequantur interrogationes paulò suprà positas &c.

Quod si examinatus, sibi præsentatis literis denunciatoriis dicat, se illas nullo modo scripsisse, & dicet characteres in parte, assimilentur scripturæ suæ, tamen tales literas à se non fuisse scriptas; posset quidem fieri Inquisitio generalis de talibus literis; sed profectò esset inutilis labor, quia non invenietur, & non fiet plena probatio de eo, qui scripsit; & causaretur tantùm conturbatio in Conventu. Melius ergo est, ut Judex tunc inquirat ab examinato, an audierit aliquid fuisse dictum de tali delicto in Conventu? A quibus ipse audierit &c. & si reperiat delictum esse diffamatum, probata legitimè fama, procedat ad Inquisitionem specialem, prout diximus suprà num. VII. *Si verò nullam reperit infamiam, concludat Processum hoc modo.*

Cum ex præhabitis nullam fuisse Denunciationem A. R. Patri transmissam, ex eo, quod non apparet persona Denunciatoris; nec etiam de delicto denunciato aliqua viget infamia, idem R. A. P. decrevit non esse ulteriùs procedendum. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

XVIII. Forma Denunciationis quando Denuncians ignorat personam Delinquentis.

Quandò Denunciatori notum est delictum, & Delinquens, & ambo denunciat Judici, & instat, ut secundùm Regularia instituta corrigatur, Judex procedit ad instantiam Partis; sed quando denunciat solùm delictum, cum nesciat Judex, contra quem dirigare debeat judicium, tenetur ex Officio procedere per Inquisitionem, quæ dicitur Mixta, puta specialis, quo ad delictum, & generalis, quo ad Delinquentem. In hoc ergo casu Processus incipi debet juxta formam incipiendi Processum per viam Denunciationis; variatur tantùm, (licet in paucis,) forma Denunciationis, quæ potest fieri, vel oretenus, vel per epistolam modo sequenti.

Coram A. R. Paternitate Vestra compareo Ego infrascriptus, & dico quod in Conventu N. commissum est tale delictum, puta, (*& hic recenseatur per extensum delictum commissum,*) ignoro verò quisnam fuerit, qui tale facinus patravit. Quapropter zelo Regularis observantiæ motus, & cognoscens, quod delictum tam grave debet judicialiter corrigi, insto, ut, juxta juris regulas, ad investigandum Delinquentem procedat. Ad probationem autem talis delicti produco in Testes P. P. F. F. N. & N. ultra alios quos inveniet informatos. In cujus veritatem hic me subscripsi.

Ego Frater N. denuncio, ut supra.

Debet autem Judex illum examinare modo, quo num. præcedenti dictum est.

XIX. Forma Denunciationis civiliter datæ.

Potest dari casus, quod Denuncians non intendat judicialem correctionem Delinquentis, sed tantùm, quod sibi restituatur, quod ablatum est à Denunciato; ut in re, quæ erat ad proprium usum, sibi surrepta; in Libello famoso contra se evulgato; in casu contumeliæ, seu injuriæ verbalis; in detractione gravi famæ Denunciantis. Tali ergo casu Judex ad instantiam Denuncientis, non potest agere nisi civiliter, puta obligando Reum ad debitam satisfactionem. Sed quia Actiones civiles, & criminales cumulantur, prout diximus. Tit. Accus. n. I. pag. 211. *ideò Judex potest tali casu procedere ex Officio, & ultra restitutionem faciendam Denuncianti à Reo, hunc de delicto criminaliter punire. Verum est, quod ad hoc, quod, ut præfertur, ipsum possit punire, oportet quod, aut delictum publicum sit; vel de eo vigeat infamia, quæ suppleat vices Denunciatoris. Sed si de delicto, quod à duobus, vel tribus cordatis viris tantùm, qui ipsum non publicaverunt, scitur, nequit Judex criminaliter ex Officio procedere. Forma autem denunciandi talis erit.*

Coram A. R. P. N. Ministro Provinciali comparet Frater N. & dicit; Gravem injuriam sibi fuisse illatam à Fratre N. qui Libellum famosum contra se composuit, & vulgavit, *sivè* coram Fratribus contumeliosa verba contra eum protulit; *sivè* e cella sua libros, *seu* aliam rem ad proprium usum Denuncianti, à Superioribus concessam, surripuit &c. Quapropter illum judicialiter denunciat ad simplicem, & purum finem, ut cogatur prædictus Fr. N. restituere famam, *sivè* rem sibi ablatam &c. Et ideo protestatur idem Denuncians, quod pro amore Dei injuriam acceptam condonat, nec vult, aut intendit, quod prædictus Fr. N. qui injuriavit, aliqua pœna, nec publicè, nec privatè afficiatur, sed solùm damnum sibi illatum resarcire compellatur. Testes verò in hoc dat. P. P. F. F. N. N. & N. Dat &c.

Ego Fr. denuncio, ut suprà.

XX. Forma querelandi aliquem apud Judicem.

Supposito eo, quod diximus Par. p. Tit. Accus. n. 50. p. 226. *de Querela, quod nempè differt ab Accusatione, & assimilatur Denunciationi; dico, quod distinguitur à Denunciatione, sicut species à genere; siquidem Denunciatio comprehendit revelationem quorumcumque delictorum, sivè tangant personam Denunciantis, sivè non; Querela autem non est, nisi de delictis, quæ tangunt, vel ipsum Denunciantem, vel alios, qui aliquo modo ad ipsum pertinent, proindè ad querelam alicujus datam contra alium, Judex procedit ex Officio; sicut in Denunciatione. Non requirit autem aliquam formam diversam ab ea, juxta quam datur Denunciatio, proindè potest fieri, juxta formam*

datam

ditam pro denunciatione civiliter facienda, & Judex debet procedere in casu Querelæ, ut in casu Denunciationis civilis:

XXI. Forma incipiendi Processum per viam Accusationis.

In nomine Domini Amen. Cum comparuisset coràm A. R. P. Ministro Provinciali N. Pater Fr. N. & illi porrexisset Libellum Accusationis contrà Fratrem N. & petiisset sibi fieri Justitiam; volens prædictus A. R. P. Provincialis procedere, prout de jure debet, vocato Me infrascripto in Cameram suam coràm Testibus infrascriptis ad hoc specialiter adhibitis, petiit à Me juramentum fidelitatis, quod præstiti tacto pectore more Sacerdotis, & Notarium creavit ad effectum, ut illi pro legitimo Actuario deservirem. Acta sunt hæc Die...... Mense.... & Anno &c. in Conventu &c.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Testis.
Ego N. Testis.
Ego N. Actuarius.

Consequenter vocatus comparuit coram eodem A. R. P. Ministro Provinciali supradictus P. F. N., & porrexit Libellum Accusationis, instando, ut acciperetur & prout de jure, procederetur: quem ad mandatum A. R. P. recepi, & legi, & in Actis inserui signatum litera A.; *sive numero primo &c.* & incipit, & desinit &c. (*& describatur tenor principii, & finis Libelli.*) Acta sunt hæc Die...... Anno..... Mense &c. & loco quo supra &c.

XXII. Forma Libelli Accusationis.

Coram A. R. P. N. Ministro Provinciali comparet Frater N. Sacerdos, & non odio aut cum animo calumniandi, sed ductus zelo publici boni, ut Delicta, in uno punita, alios deterreant à delinquendo, accusat Fratrem N. qualiter &c. (*& hic describatur Delictum assignando tempus, locum, & omnes circumstantias substantiales illius,*) Et intendit hoc probare in judicio in legitima forma, se offerendo ad pœnam talionis nisi probaverit; instat proindè præsentem Accusationem admitti, & super veritate expositorum procedi ad Inquisitionem, & debitam pœnam Delinquentis. Dat. &c.

ADNOTATIO I.

XXXIII. *Advertendum primò, quod, ut probavimus,* Par. p. Tit. Denunciatio n. 21. p. 240. *Accusatio non potest fieri per literas; neque etiam per Procuratorem, ut scripsimus;* Titulo Exceptio n. 4. p. 288 *si ergo detur Casus, quod aliquis per literas alium accuset, debet Provincialis illum ad se vocare, & facere, ut præsentialiter Accusationem de novo instituat, nulla habita ratione Epistolæ Accusatoriæ, quæ debet tantummodò esse excitativa Judici, ad vocandum Accusatorem, & de ea nulla debet fieri mentio in Processu; nisi fortè diceretur,* quod Judex motus à tali Epistola vocavit ad se Fratrem N. qui accusavit &c.

ADNOTATIO II.

XXIV. *Advertendum secundò, quod si Judex præoccupatus affectione erga Reum, periculum est, quod Accusationem, aut nolit acceptare, aut acceptatam dissimulet, (& interea moneat Accusatum, ut ad evadendam pœnam ordinariam, & publicam se spontè præsentet,) vel totaliter sepeliat, Accusator debet adhibere duos Testes, qui subscribant se in Libello Accusatorio, cujus duo originalia debet habere Accusator, quorum unum Judici præsentet, aliud verò penes se conservet, ut possit, concludenter, apud majores Superiores, probare, se tali tempore accusasse, quemadmodum diximus supra de libello Recusationis.* Sect. p. num. XVII.

ADNOTATIO III.

XXV. *Advertendum tertiò, quod ut habetur in* Text. Tit. Accus. § 6. p. 221. *Accusationes contra Prælatos, & personas insignes non sunt recipiendæ, nisi sint datæ a Religiosis, de quorum zelo non ambigatur. In facti ergo contingentia, Judex cui porrigitur accusatio contra Prælatum, si probè novit integritatem Accusantis, potest accusationem recipere, sed debet apponere in Processu, ut monuimus.* Tit. Accusatio num. 38. *sequentia.* Quia nobis nota est Religiosa probitas P. F. N. Accusantis, & ex ejus vita laudabili præsumi non potest, quod calumniose agat, ideo accusationem datam contra N. Prælatum &c. recipimus. *Si verò Judex non habet notitiam Accusatoris, antequam accusationem datam contra Prælatum accipiat, debet sumere informationem interrogando Testes super vita, & fama Accusatoris (non tamen inquirendo de aliquare in particulari,) & si invenerit eum bonæ famæ, accusationem accep*t*et, sin minus, eam repellat, ut diximus citato.* Tit. Accusatio num. 38. p. 222.

ADNOTATIO IV.

XXVI. *Advertendum, quartò, quod non tenetur Accusator assignare Testes eodem contextu, quo accusationem porrigit. Unde si metuit, quod Testes ab eo manifestati subornentur, aut ex potentia Accusati deterreantur, ne dicant veritatem, & ipse Accusator deficiens in probatione succumbat pœnæ talionis, debet solùm dicere in Libello accusatorio, se paratum esse ad legitimè probandum ea, de quibus accusavit; nec Judex potest adstringere illum ad producendos Testes; sed facere Decretum de acceptanda, vel non, accusatione, ut infra dicemus.*

XXVII. Forma incipiendi Processum per viam Exceptionis.

Suppositis, quod diximus Part. p. Tit. Except. num. 2. & seqq. p. 287. *quod nempè Exceptio, vel fit contra personas intervenientes ad judicium, ut Judicem, Actorem, Testes, Peritum &c. vel fit contra eligendum, vel electum ad Prælaturam; hic loquimur de Exceptione secundo modo. Etenim si excipiatur contra personas, quæ judicio interveniunt, de inimicitia, aut alia qualitate exceptiva; ad cognoscendum de ea, non initiatur novus Processus, sed per modum articuli incidentis in causa, Inquisitio fit, & describitur in eodem Processu, in quo actitatur causa principalis, nisi Exceptio proponatur criminaliter, ut diximus,* Tit. Exceptio n. 10. p. 289. *& de hoc inferius suo loco dicemus. Hic ergo loquimur de Processu, qui debet fieri a Prælato, casu quo fiat Exceptio contra aliquem, ne eliga-*

eligatur ad dignitatem, aut contra electum, ut non confirmetur. Recolendum autem est, quod diximus; Par. 1. Tit. Exceptio num. 6. & seqq. p. 288. *de Exceptione civiliter, vel criminaliter intentata, & benè attendenda, quæ ibi scripsimus. Casu ergo, quo tempore congruo, Exceptor proponat Exceptionem contra eligendum, ne eligatur, sivè jam electum, ne confirmetur, Processus ita potest, incipi.*

In nomine Domini. Amen. Cum comparuisset coram A. R. P. Ministro Provinciali, *sivè* Commissario Visitatore P. N. Sacerdos Concionator &c. & illi præsentasset quendam Libellum Exceptorium contra P. N.; volens prædictus A. R. P., juxtà juris regulas, & Statutorum dispositionem procedere, coram infrascribendis Testibus ad hoc specialiter adhibitis, vocavit Me in cameram suæ residentiæ, Mihique dato fidelitatis juramento, quod præstiti, tacto pectore, Sacerdotum more, Me Notarium creavit, ad effectum, ut illi pro Actuario deservirem. Acta sunt hæc Die ...... Mense ..... Anno ...... &c. in Conventu &c.

Ego N. Minister &c. *sivè* Commissarius Visitator.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

Consequenter vocatus coram eodem A. R. P. & Me infrascripto P. F. N. qui supra, Libellum Exceptorium præsentavit, & ad mandatum Judicis, ipsi legi, & in Actis inserui signatum litera A. *sivè* num. 1. &c. & incipit &c. definit &c. (*& describatur initium, & finis libelli*) & prædictus A.R.P. dixit, se illum acceptare si, & in quantum, & se provisurum, prout de jure &c. Acta sunt hæc Die ... Mense ..... Anno ..... &c.

Ego N. excipio, prout supra.
Ego N. Minister &c.
Ego N. Actuarius.

XXVIII. Forma Libelli Exceptorii contra Eligendum.

Coram A. R. P. N. Ministro Provinciali, *sivè* Commissario Visitatore comparet, F. N. Sacerdos Concionator &c. & dicit, quod magnum damnum eveniret Provinciæ, si eligeretur ad Ministeriatum P. F. N. de quo multum dubitatur, quod possit eligi: Et ideò ad antè vertendum omne damnum, quod ex tali electione posset evenire Religioni, cujus utilitatem quilibet, qui sit de ejus corpore, procurare debet, proponit contra ipsum infrascriptos Articulos Exceptorios; & in his scriptis jurat, se non animo calumniandi, malo dolo, neque ab aliqua passione, aut animositate contra memoratum P. N. moveri, sed à puro zelo boni communis. Proinde non intendit, neque vult, quod prædictus Pater ob contenta in infrascriptis Articulis, punitione, aut pœna confusibili aliqua afficiatur, sed solummodo, quod ad talem Prælaturam, non eligatur. Protestando, quod si super Exceptione, quam legitimè proponit, non fiat debita Inquisitio ad normam juris, ac, eà contempta ad Electionem devenietur, & prædictus Pater N. remanserit electus, electio ipsa erit cassa, & nullius valoris, & provocat ab ea ad Superiores ad quos de jure. Articuli autem sunt.

1. Quod P. N. est ignorans, & nescit Regulam, nec Constitutiones Apostolicas, & Regulares, necessarias ad Regimen.
2. Quod est illegitimus &c. *seu*, non habet ætatem præscriptam &c. *seu* habet talem Irregularitatem ex defectu, seu delicto &c.
3. Quod introduxit Mulierem intra claustra &c. *sivè* ingressus est Clausuram Monialium &c.
4. Quod est privatus actibus legitimis ob delictum &c. commissum tali loco, & tempore &c.

Et Testes necessarios ad probationem producit P. P. N. & N. super primo, N. & N. super secundo &c. Dat. Die .... Mense ..... Anno .... loco, &c.

ADNOTATIO I.

XXIX. *Advertendum, quod licet Exceptio proponatur civiliter, tamen si in ejus probatione concludatur aliquod crimen, seu delictum, Superior tenetur ex Officio procedere ad punitionem illius; quia, ut diximus* Par. p. Tit. Exceptio n. 3. p. 287. *probatio illa est publicum juris, quo excitatus Judex Officium suum nobile, pro bono Reipublicæ, impendere, tenetur. Verum est, quod non potest, uti eisdem probationibus, neque Processu civili, ad puniendum criminaliter, ut diximus citato loco, sed debet novum Processum incipere, cujus formam dabimus.*

XXX. Forma Libelli Exceptorii criminaliter propositi contra Eligendum.

Coram A. R. P. Ministro &c. sivè Commissario Visitatore comparet Fr. N. Sacerdos Concionator &c. & dicit, quod cum probabiliter, ut communiter existimatur, possit in futuro Capitulo eligi in Provincialem, *sivè* Diffinitorem &c. P. N. magnum damnum Religioni eveniret; tum quia multi ipso digniores, & magis proficui Provinciæ abjicierentur; tum quia ipse, qui dignus est punitione, ob sui mala facta, impunitus evaderet, cum scandalo pusillorum. Proindè ipse Comparens non malo dolo, neque ex inimicitia, sed ex puro zelo publici boni motus (ut jurat in his scriptis) excipere contra memoratum P. N. intendit, ne ad Prælaturam aliquam assumatur, & ideò infrascriptos Articulos a se probandos per legitima documenta sub pœna Talionis, proponit: volens, quod de delictis infrascriptis, de quibus excipiendo eum accusat, ad aliorum exemplum, & nostrarum legum normam, castigetur. Protestando de nullitate Electionis, si ad eam devenietur, & in prædictum cadet, non curata præsenti Exceptione; & ab ea ex nunc pro tunc provocat, appellat, & petit recursum ad Superiores, ad quos de jure. Articuli autem sunt.

1. Quod prædictus Pater N. est natus ex thoro illegitimo, nec est dispensatus ad Dignitates.
2. Quod non servat vitam Communem &c.
3. Quod fraudavit eleemosinas Conventus N. ubi fuit Guardianus; est proprietarius; & expendit denarios &c. fornicatus est scandalosè cum Berta &c.

Testes producit super primo P. P. N. & N. super secundo N. & N. super tertio N. & N: &c. *sive* Testes suo loco, & tempore producere, est paratus &c. Dat. Anno .... Mense .... Die .... loco, &c.

Ego N. excipio, protestor, insto, & appello, ut supra.

ADNOTATIO II.

XXXI. *Advertendum, circa Exceptionem criminaliter intentatam, id quod diximus;* Par. 1. Tit. Ex-

Exceptio num. 9. p. 289. *quod si delictum, ratione cujus proponitur Exceptio, erat, multo tempore antè, notum Excipienti, & tamen iste tacuit, & expectavit proximitatem Capitularis Electionis, nisi Exceptor assignet causam legitimam, ob quam tantum distulerit, non debet Judex, ad instantiam Exceptoris agere; imò debet hunc ad Statutorum normam punire, quia per tantum tempus tacuit. Verum est, quod Judex, ex Officio, tenetur inquirere super illo, si adsit infamia; & ita impedire, ne indignus promoveatur, aut Nocens evadat impunitus.*

XXXII. Forma excipiendi contra Electum, ne confimetur.

Supposito, quod ex cap. Nihil est. de Elect. & cap. final. eod. tit. in 6. *dispositione, ante confirmationem debeat Superior inquirere super scientia, ætate, & cæteris requisitis Electi; quodque hoc inter Regulares ex consuetudine, non tamen undequaque laudabilis omittatur; tamen si Confirmatori contra Electum proponatur aliqua Exceptio, quæ ab Electione possit repellat, nec debet, nec potest Superior illum confirmare, donec super Exceptione proposita non pronunciaverit: Quod si, illa non attenta, confirmarit, nulla evadet Confirmatio, & Confirmator est puniendus. Casu ergo, quod proponi debeat Exceptio contra Electum, ne confirmetur, debet concipi Libellus, ut sequitur.*

Coram A. R. P. Commissario Visitatore comparet F. N. Sacerdos Confessarius & dicit. Electionem P. N. factam in Provincialem hujus Provinciæ esse cassandam & annullandam; eo quia nonnulla militant in eo, ob quæ à Sacris Canonibus, & Regularibus Statutis, ille est ineligibilis ad Prælaturam. Quapropter non malo dolo, aut ex ulla animositate contra eum, sed ex puro zelo publici boni, & ut leges serventur, excipit contra eum de infrascriptis Articulis, quos probare intendit in legitima forma, non, ut per ea, quæ in illis continentur, aliqua confusibli pœna puniatur, sed tantum ne confirmetur in Prælatura, ad quam Electus est. Instat proinde præsentem Exceptionem, quam in his scriptis jurat, non esse calumniosam, admitti, & probationes exhibitas acceptari, & interea circa Confirmationem nihil innovetur, aliter protestatur de nullitate Confirmationis, provocat ad quos de jure, & petit recursum ad Superiorem. Porrò Articuli sunt infrascripti.

1. Quod Pater N. pro majore parte diei solet esse ebrius, cum scandolo Sæcularium.
2. Quod ipse simoniace, & pactâ pecuniâ cum Vocalibus, electus est.
3. Quod est ignorans, & non solum Constitutiones Ordinis ad regimen necessarias non novit, sed neque Regulam scit, neque etiam linguam latinam &c.

Testes producit super primo P. P. N. N. super secundò N. & N.

Ego Fr. N. excipio, insto, protestor, & adpello, ut supra.

ADNOTATIO

XXXIII. *Advertendum, quod, cum consuetudo sit, quod publicata Electione, statim intonetur,* Te Deum Laudamus, *& non solum Capitulares, sed omnes Fratres de Familia processionaliter vadant in Ecclesiam, ubi illico confirmatur Electus, & ipsi redditur obedientia; difficile est, quod tantum temporis interveniat inter publicationem Electionis, & Confirmationem, ut possit scribi Libellus Exceptorius, cujus forma est tradita. Proindè in facti contigentia, si timeatur, quod electus evadat aliquis, qui Religioni futurus sit perniciosus, potest parari antè Libellus Exceptorius, & statim, ac Disquisitor Electionem publicavit, potest Exceptor coram toto Capitulo Libellum intimare, & sic fiet, quod ad confirmationem non possit procedi; vel etiam potest proponi Exceptio oretenus, & eundem vigorem obtinebit, cum sit publica, & coram toto Capitulo facta. Quod si tempus suppetit, melius est, ut fiat scripto, quia melius exponuntur ea, quæ sunt necessaria ad validam Exceptionem. In casu autem, quod timeatur, quod Superior Exceptionem factam antè Electionem, vel antè Confirmationem dissimulet, potest Exceptor in actu producendi Exceptionem coram Judice, ad cautelam, adhibere Testes, ut de libello Recusationis diximus.* Sect. I. num. XVII.

XXXIV. Forma incipiendi Processum, ex indiciis probatis in Processu Exceptivo.

Quia, ut supra dictum est, Judex ex Officio tenetur, procedere ad punitionem delicti, quod probatum remanet in processu Exceptivo, quantumvis Exceptio fuerit civiliter tantum proposita; ideo damus formam initiandi Processum criminalem ad procedendum ex indiciis probatis in Processu Exceptivo, & talis esse potest.

In nomine Domini Amen. Cum debitum Pastoralis Officii sit criminosos Subditos debitis poenis coercere, ne delinquentium impunitas, malo exemplo, cæteros ad similiter peccandum solicitet. A. R. P. Minister Provincialis N. cum novisset, Patrem N. commisisse nonnulla gravia delicta, prout probatum remanet in processu Exceptivo contra eundem fabricato ad instantiam P. Fratris N. ut in Actis &c. Decrevit, prout etiam præsenti Decreto decernit, judicium criminale contrà eum instituere, ad examen Testium devenire, & alia prosequi, prout de jure, usque ad Sententiam Diffinitivam. Acta sunt hæc Die . . . . . &c.

Ego N. Minister Provincialis.

Ego F. N. Actuarius.

ADNOTATIO

XXXV. *Advertendum, quod in hac Forma non posuimus creationem Notarii, quæ ut alias diximus, debet præcedere cæteros Actus judiciales, quia supponimus, quod Judex, in hac Causa, utatur Notario jam creato pro conficiendo Processu Exceptivo. Cæterum si alio, qui Religionis Notarius antè non sit, vult uti pro Actuario, necessarium est, quod ipsum coram Testibus creet, & de creatione faciat constare in Processu, sicuti in singulis Formis præcedentibus*

XXXVI. Forma incipiendi Processum, quando agitur per viam Notorii.

Suppositis iis, quæ diximus de crimine Notorio, & quomodo sit in eo procedendum; Par. I. Tit. Canones à num. 56. pag. 77. *ad quæ Lectorem remittimus, sciendum est, quod quo ad initiandum Processum non differt à cæteris modis procedendi sive per In-*

 qui-

sitionem, sivè per Denunciationem. In cæteris differt in hoc, quod ubi in cæteris Processibus Testes adhibentur ad probandum crimen fuisse patratum, in Notorio examinantur tantum ad probandum, quod delictum sit Notorium; & in hoc Reus non constituitur, ut confiteatur delictum; sed tantum, ut dicat, Quare non debeat in pœnam Legis condemnari. In casu ergo Notorii, potest incipi Processus, ut sequitur.

In nomine Domini Amen. Cum ad aures A. R. P. Ministri Provincialis N. a pluribus fide dignis delatum fuerit, Fratrem N. in Conventu N. coram omnibus, *sivè* majori parte Fratrum in horto; *sivè* Camera ignis communis; *sivè* Claustro, aut Refectorio &c. existentium, dolose, scienter, & temerariè alapam impegisse in faciem Fratris N. &c. ita, ut dictus Frater N. non potest negare, quod delictum prædictum non commiserit, nec est locus justificationi, cum dictum maleficium sit manifestum, & Notorium, & cum scelere perpetratum; ideò idem A. R. P. pro suo munere per modum Notorii procedere (me infrascripto coram infrascriptis creato in Notarium per exhibitionem juramenti fidelitatis, quod præstiti tacto pectore &c.) decrevit, sumendo debitas informationes super Notorietate.

Acta sunt hæc Die ..... loco ..... &c.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego N. fui Testis:
Ego N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

XXXVII. Forma incipiendi Processum super Delicto cognito incidenter in alio Judicio.

Accidit aliquando, quod sive Testis, sivè Reus examinatus à Judice confiteatur incidenter, aliquod delictum totaliter separatum ab eo, de quo inquiritur; ut exempli gratia Cajus Testis examinatus super homicidio commisso à Titio, deponit se vidisse illum, quandò occidit Seium; & interrogatus à quo loco viderit, deponit se vidisse per fenestram, dum esset in domo, & camera Phrinis, ad quam diverterat, ut cum ea fornicaretur. Tali casu Cajus incidenter confitetur fornicationem, & de Teste fit Reus. Et pari modo Reus interrogatus potest confiteri Delictum totaliter separatum ab eo, de quo est inquisitus. Tali casu Processus instiandus est: ut sequitur.

In nomine Domini Amen. Cum in Processu fabricato contra P. N. super &c. (*& describatur Delictum, super quo fit Processus criminalis; sivè punctus litis, si procedatur civiliter*) P. F. N. Testis; *sivè* P. N. Reus judicialiter examinatus, in sua depositione confessus sit, se commisisse, tale, *sivè* tale Delictum, (*describatur Delictum confessatum*, (& de hoc non fuerit alias Curia informata; ideò volens prædictus, A. R. P. suo muneri satisfacere, decrevit, prout de jure, procedere ex Officio ad prædicti Delicti Inquisitionem, & punitionem ad formam Statutorum. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

XXXVIII. Forma incipiendi Processum contra deprehensum in fragranti Delicto.

Dupliciter potest contingere, quod Reus, in fragranti crimine deprehensus, coram Judice statuator; uno modo si in actu delinquendi captus sit, & ducatur immediatè coram Judice; alio modo si ab eodem Judice coram Testibus in scelere fragranti inveniatur. Primo modo rarus est casus respectu Regularium, sed cum possit dari, expedit tradere Formam Processus, quæ potest esse, ut sequitur.

In nomine Domini Amen. Cum ad A. R. P. Ministrum Provincialem N. à nonnullis Sæcularibus adductus fuisset Frater N. ab iisdem captus, dum agressus manu armata N. Sæcularem, illi inflixit aliqua vulnera, & tentabat eidem totaliter adimere vitam, prout dixerunt; volens idem A. R. P., prout de jure, procedere, Me infrascriptum coram infrascriptis Testibus ad hoc specialiter adhibitis Notarium creavit, per exhibitionem juramenti fidelitatis, quod præstiti more solito &c. ad effectum &c. Acta sunt hæc &c. Die .... Anno ....

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

Immediatè post idem A. R. P. coram se vocare fecit N. de N. unum ex illis, qui, ut præfertur, adduxerunt prædictum Fratrem N. captum; & in præsentia ejusdem Capti audientis, & intelligentis illum, (dato prius juramento de veritate dicenda) interrogavit.

Quare illum Fratrem apprehenderint, & coram se adduxerint?

In quo loco, & quo tempore apprehenderint?

In quo actu?

Quantum temporis fuerit interjectum inter Delictum, & apprehensionem?

Qui fuerint præsentes Delicto, & apprehensioni?

An apprehensus fecerit resistentiam, & quid dixerit, aut fecerit dum captus fuit.

Ad quem finem adduxerunt illum ad se? &c.

Et in hac forma omnes Apprehensores in facie ipsius Rei debent examinari. Et omnibus examinatis debat concludi.

Quibus habitis idem A. R. P. jussit prædictum Fr. N. Reum in carcerem detrudi ad custodiam, donec fierent, quæ agenda sunt.

Acta sunt hæc &c.

Ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Potest autem dari casus, quod Reus deprehendatur in fragranti crimine ab eodemmet Superiore; ut potè si monitus est Superior, quod Reus solet de nocte exire à Conventu; aut quod denarios habet in Camera, vel secum portat in manica, vel sporta &c. Tali casu advertat Superior, quod oportet, quod habeat secum Testes, quando vult Reum in fragranti deprehendere, ut possit eos examinare, & convincere; aliter si solus eum intercipit, non poterit ipsum, ex se solo, constituere & punire. Processus autem potest initiari, ut sequitur.

In nomine Domini Amen. Cum ad aures A. R. P. N. Ministri Provincialis devenisset, Fratrem N. solitum esse, de nocte exire de Conventu solum, absque licentia, & etiam in habitu Seculari, &c. *sivè* habere in camera, *sivè* sporta &c. denarios &c. nec posset dictus A. R. P. hoc sibi persuadere de tali Religioso, voluit, se ocularìter de veritate certificare. In serò ergo Die .... &c. Hora .... secum ductis P. P. F. F. N. & N. tanquam Testibus se abscondit in loco tali &c. à quo optimè poterat videre prædictum exeun-

exeuntem, & redeuntem ad Conventum &c. *Et sic describatur totum factum cum suis circumstantiis temporis, loci, ac loci loci, modi, indumentorum Rei exeuntis; actuali deprehensione, &c. adnotando, quod licet de nocte esset, Testes Reum bene cognoverunt, quia* erant vicini; luna lucebat; sivè habebam candelas, ad cujus lumen eum recognoverunt. *Et si agatur de inventione denariorum, describatur exactè perquisitio facta in Cella, armario, sporta, manica &c. inventio denariorum, eorum species, qualitas, numerus, & alia etiam inventa, ut arma, vestes Saeculares, jocalia muliebria; aleae lusariae; venenum &c. quae possunt esse materia criminum.* Volens proindè idem A. R. P. in hoc casu, ut de jure, procedere; dato mihi juramento, coram iisdem Testibus, Me Notarium creavit ad effectum &c. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Provincialis.
Ego N. Testis.
Ego N. Testis.
Ego N. Actuarius.

Immediate post vocare coram se fecit P. F. N. Testem ex Officio assumptum, & dato ei juramento de veritate dicenda, prout juravit &c. fuit.

Interrogatus. Ubi nam fuit antequam vocaretur coram Superiore?

Quid actum sit in loco ubi fuit?

Quid viderit, & quid audierit?

An benè observaverit omnia?

Qui alii erant præsentes?

Quam opinionem habebat de Fr. N., qui exiit de Conventu, *sive* repertus est cum denariis &c.

Et ita omnes, qui interfuerunt sacro debet examinare; & Reum ad custodiam debet eo post incarcerare, & examinare, ut suo loco dicemus. Advertendum autem; quod si Reus repertus est cum denariis, optimum est, post Testes, celeriter examinatos, immediate examinare Reum, sic enim non habebit tempus recogitandi, & meditandi modum, quo ostendat, denarios apud se fuisse depositos à Saeculari; vel datos à Paenitente ad faciendam restitutionem &c. & ita evadendi reatum. Sed dum est in actuali conturbatione, de facili fatebitur veritatem, quia tempus sibi non suppetet speculandi evasiones, aut excusationes criminis.

XXXIX. Forma incipiendi Processum contra Conventum, qui rebellavit ab obedientia Provincialis.

Potest accidere, quod ex diversitate factionum conspirent omnes Fratres unius Conventus ad rebellandum contra Provincialem, ex eo quod nimis dure illos tractat; & licet sint moniti per literas, nolint resipiscere, nec recipere Provincialem ad visitandum Conventum. Tali casu, (si suavior via non suppetit reducendi eos ad debitam obedientiam, & tentatis mediis benignioribus nullo modo resipiscunt) deveniendum est ad implorandum brachium Saeculare. Debet autem ad hoc praecedere juridicus Processus, ut ex ejus fundamenta moveatur Judex Laicus ad praestandum brachium suum. Initium autem tale debet esse.

In nomine Domini. Amen. Cum A. R. P. N: Minister Provincialis associatus à Fr. N. Laico, & Me infrascripto Secretario suo, juxtà Ordinis Constitutiones accessisset ad visitandum Conventum N. & à Janitore non fuisset admissus ingredi; & ad reiteratas voces, & pulsationes factas ad valvas Conventus prædicti, & ejus Ecclesiæ, nullus ex Fratribus, qui januam aperiret, comparuerit; conjecit, omnes, sive plerosque Fratres illius Conventus conspirasse, ad denegandam illi debitam obedientiam. Et licet replicatas paternales epistolas ad Guardianum, & Fratres ejusdem Conventus miserit; & etiam per alios Religiosos graves mitti fecerit, ut depositâ malâ voluntate, ad præstandam debitam obedientiam eidem A. R. P., ut legitimo suo Prælato, disponerentur; tamen nihil profecit ex hoc, cum præfatis Epistolis nullum responsum dederint, nec aliquem miserint ad testificandam promptitudinem eorum ad obsequendum suo Prælato. Videns propterea paterna monita nihil prodesse, ad severiora, & judicialia remedia deveniendum esse cognovit. Unde intendens, prout de jure, procedere, Me infrascriptum, coram infrascriptis Testibus specialiter adhibitis, vocavit in cameram suam, & dato mihi juramento fidelitatis, quod præstiti tacto pectore more Sacerdotali, Me Notarium creavit ad effectum &c. Acta sunt hæc Die .... Mense, Anno .... &c. in Conventu &c.

Ego N. Minister.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

Consequenter idem A. R. P. associatus à me infrascripto, & aliis Fratribus, perrexit ad Conventum N., qui est vicinior prædicto Conventui N. ut ab eo posset facilius mittere, quæ mittenda sunt, ad effectum reducendi prædictos inobedientes ad rectam semitam; & ibi cum benignè fuisset exceptus, per me infrascriptum expediri fecit Monitorium ad memoratos Guardianum, & Fratres prædicti Conventus N. tenoris sequentis:

Frater N. de N. Minister Provincialis Provinciæ N. Dilectis Nobis in Christo P. F. N. Guardiano, & cæteris Fratribus de Familia in Conventu nostro N. salutem in Domino.

Noveritis Nos die, &c. fuisse ad Conventum vestrum N. Visitationem consuetam instituere volentes; sed minimè fuisse in Conventum admissos; nec ad reiteratas voces, instantias, & præcepta fuisse januam Conventus, vel Ecclesiæ reseratam, ut ingredi valeremus. Replicatas Epistolas ad Vos misimus, & vos in illis paternè hortati sumus, ut animum vestrum ab inobedientia, quam in vobis suspicamur, averteretis, & promptitudinem ad parendum, ut debetis, Nobis, profiteremini. Sed comperimus, Vos paterna nostra monita minimè curasse, cum neque per aliquem ex vestris, neque per literas, debitam Nobis submissionem professi sitis. Harum ergo serie Vobis significamus, Nos contulisse in Conventum N. huic vestro viciniorem, ut facilior esset Vobis aditus, ad præstanda ea, quæ hic subjicimus, & injungimus à Vobis præstanda. In virtute ergo sanctæ Obedientiæ, & Spiritus Sancti, & sub interminatione Divini judicii præcipimus, & jubemus Tibi Fr. N. Guardiano, & omnibus, & singulis Fratribus Sacerdotibus, Clericis, & Laicis, ut prompti sitis Nobis obedientiam debitam præstare, & mandata nostra Regulæ, & animæ non contraria exequi. Et ad manifestandam promptam vestram obediendi voluntatem, Tibi Fr. N. Guardiano jubemus, ut ad Nos personaliter accedas; & coram Nobis compareas, nomine tuo, & tuorum subditorum ad debitam submissionem,

nem, & obedientiam Nobis præstandam. Quod si legitima fueris infirmitate, aut alia causa præpeditus, ut personaliter venire nequeas; alium, vel alios, tuo, & tuorum nomine, cum scriptis documentis mittas, per quæ debitam obedientiam profitearis. Si verò durus in malo consilio suo fuerit Guardianus, omnes Vos, & singulos subditos, qui ejus malitiæ non communicatis, monemus, & harum serie præcipimus, ut ad Nos personaliter accedatis, si absque gravi periculo potestis, vel saltem per literas animi vestri promptitudinem Nobis significetis. Ad præstanda autem supradicta vobis præcepta, sex dies enumerandos ab intimatione harum nostrarum vobis assignamus, quorum duo erunt pro primo, duo pro secundo, & duo pro tertio, & peremptorio termino. Quibus elapsis, si ea, quæ injuncta sunt minimè præstiteritis, noveritis vos esse declarandos Excommunicatos, & obnoxios cæteris pœnis in Ordinis Constitutionibus sancitis contra Rebelles. Et ut hæc legitimè vobis pateant, has nostra manu, & sigillo munitas, fieri jussimus, & ad valvas Conventus, & Ecclesiæ vestræ affigi; intendentes eas sic, ut præfertur, publicatas, omnes, & singulos vestrum, ita afficere, ac si unicuique vestrum personaliter intimatæ fuissent. Dat. &c.

Ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Monitorium prædictum per duos Fratres mitti debet, & affigi valvis Conventus, quibus illud intimare, & consignare personaliter potuerint; & debent habere tria transumpta ejusdem monitorii, quorum duo affigant, ut dictum est, aliud verò reportent Actuario, cui facere debent authenticam relationem intimationis, seu affixionis, ut sequitur.

Die &c. Anno, & Mense &c. Fratres N. & N. missi ab A. R. P. Ministro Provinciali, medio juramento retulerunt, se non invenisse Fratres Conventus N., quibus potuerint intimare supradictum monitorium, proindè duas copias collationatas de verbo ad verbum similes illi, quam exibuerunt mihi Actuario, affixisse valvis Ecclesiæ, & Conventus supradicti die, &c. & copia hic inseritur signata litera A. &c.

Ego N. Actuarius.

Expiratis sex diebus assignatis in monitorio, si nullus comparuerit, debet in Processu accusari contumacia sic.

Cum A. R. P. Minister Provincialis expectasset sex dies integros in memorato Monitorio assignatos, & ultra prædictos sex, etiam alium in abundantem, nec ullus personaliter, neque per literas comparuerit ex memorato Conventu, ad præstandum obedientiam: ex quo cognoscitur, illos esse pertinaciter contumaces, processit ad ferendam declarationem Excommunicationis; & Cedulones fieri, ut moris est, & publicari mandavit sequentis tenoris.

Hic anctoritate ordinaria declaratur, Guardianum, & Fratres commorantes in Conventu N. incidisse in majorem Excommunicationem, & proindè ab omnibus Christifidelibus esse vitandos, eo quia Canonicè moniti, ut comparerent coram Nobis, ac debitam obedientiam præstarent, obedire contempserunt. Nomina autem prædictorum sunt:

P. F. N. Guardianus &c.
P. F. N Vicarius &c.
Fr. N. Clericus &c.
Fr. N. Laicus &c.
Ego Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Copiæ autem prædictorum Cedulonum nonnullæ missæ fuerunt ad D. Vicarium Episcopalem ab eodem A. R. P. Provinciali, rogando, ut eos in locis solitis affigi, & publicari faceret, prout factum est, & signanter affixi sunt ad valvas Ecclesiæ majoris &c. (*& exprimantur duo, aut tria loca publica. & insigniora*) ultrà portam Ecclesiæ Conventus supradicti. Acta sunt hæc die &c.
Ego N. Actuarius.

Quod si Fratres indurati in sua contumacia perseveraverint, & non accesserint ad præstandum obedientiam, recurrendum est ad brachium Seculare. Sed circa hoc est advertendum, quod si in illo loco adest Conservator privilegiorum Religionis, ille prior debet adiri, prout diximus Par. I. Tit. Delictorum num. 38. pag. 128. Loquendo de Guardiano respectu Fratris inobedientis, hoc deficiente, recurrendum est ad Judicem Ecclesiasticum, si habet familiam armatam; sin minùs potest Prælatus invocare potestatem Sæcularem hoc modo.

Videns prædictus A. R. P. Provincialis, quod Guardianus, & Fratres memorati Conventus timore Dei postposito Excommunicationem non curant, ad urgentiora remedia devenire decrevit. Die ergo &c. adivit D. N. Conservatorem &c. *sive* D. N. Vicarium Generalem Illustrissimi, & Reverendissimi Episcopi N. *sive* D. N. Potestatem dicti loci; & ostensis sibi Actis, ex quibus apparet indomita per Censuras Ecclesiasticas prædictorum contumacia, imploravit auxilium brachij sui, rogando eum, ut sibi concederet Familiam armatam, quæ, si opus esset, fores Conventus confringeret, & contumaces vincularet; & si contingeret, eorum nonnullos assecurare in carceribus publicis, eo quod in Conventu non sint carceres tuti, illos nomine Ecclesiæ, & suo, & non aliter, nec alio modo in carcere publico esse deponendos: & nullum jus, aut jurisdictionem competere tali potestati Sæculari in ipsorum personas quomodolibet, sed ad simplicem nutum, aut mandatum ipsius Patris Ministri Provincialis esse relaxandos vel sibi, vel aliis, quos ipse miserit ad eos transferendos ad Carceres Religiosis; & ita expressè petiit, & protestatus est, Qui D. Potestas benignè annuit, & omnia se facturum promisit sub juramento, ut sibi petitum fuit. Die ergo &c. idem A. R. P. Provincialis associatus à supradicto D. Potestate, & ejus familia armata, accessit ad Conventum prædictum. *Et hic describantur minutè omnia, quæ gesta erunt. Si Fratres aperuerunt Januam; si necessarium fuerit portas, aut muros confringere &c. Si armatæ familiæ resistent &c. Si percutient, vulnerabunt, occident, &c. Si nonnulli carcerabuntur, quomodo fuerint inventi, si armati, &c. Tandem omnia adnotentur, donec ligentur, & carcerentur Contumaces. Causa autem ipsorum terminanda erit, prout in crimine notorio, cum notoria sit eorum contumacia.*

XL. For-

XL. Forma Processus incipiendi, si Commissarius missus à Generali non reciperetur contumaciter in aliquem Conventum.

Commissarius Visitator quovis tempore missus recusari non potest in foro paterno, prout diximus Part. I. Tit. Canones num. 99. pag. 98. *Si tamen ab aliquo Conventu Rebelli recusaretur, qui ipsum nec intra Claustra recipere vellet, & inutilis esset via, quam insinuavimus* Tit. Canones num. 96. pag. 96. *loquendo de Ministro Provinciali, cui a toto Conventu obedientia denegaretur, (nempè deputando alium ad visitandum, & dividendo per alios Conventus Familiam illam Rebellem;) debet Commissarius ad juris remedia devenire. Primò ergo debet Processum suum ita incipere:*

In nomine Domini. Amen. Cum A. R. P. N. Commissarius missus à Reverendissimo P. Ministro Generali N. ad visitandum hanc Provinciam N., die N. Mensis N., accessisset ad Conventum N., nec ullis precibus, aut præceptis sibi factis, voluerit Janitor ipsum intrà Conventum admittere, nec sigillum minùs Provinciæ sibi ostensum recognoscere; nec patentes suæ Commissionis ad Guardianum deferre, asserendo, se nullo modo cognoscere dictum P. Commissarium, nec ullo modo sibi jussa velle perficere; nec verosimile sit, prædictum Janitorem, cujus nomen ignoratur, proprio motu in tantam temeritatem prorupisse; imò credibile videatur, Familiam totam illius Conventus conspirasse in non recipiendo Commissario prædicto; quod magis apparet ex hoc, quod dum per multum temporis stetit ad januam, campanulam pulsavit, & replicatis vocibus institit, nullus ex Fratribus ad tales voces se prodidit, sed solus Janitor, elapsa janua, respondit. Ideò volens prædictus A. R. P. Commissarius, prout de jure, procedere, coràm N., & N. Testibus ad hoc specialiter vocatis, Me Secretarium suum creavit Notarium per exhibitionem juramenti fidelitatis, quod præstiti, tacto pectore more Sacerdotali. Acta sunt hæc Die...... Mense....... Anno....., loco &c.

Ego N. Commissarius.
Ego N. Testis.
Ego N. Testis.

Subsequenter die, &c. Mensis, &c. Monitorium ad Guardianum, & omnes alios Fratres illius Conventus misi tenoris sequentis.

Frater N. Commissarius, &c. Dilectis nobis in Christo P. N. Guardiano, & cæteris Fratribus Sacerdotibus, Clericis, & Laicis commorantibus in Conventu nostro N. salutem in Domino.

Noveritis à Reverendissimo P. Ministro Generali fuisse ad Nos transmissas literas tenoris sequentis, *& hic scribantur per extensum Literæ patentes suæ Commissionis*. In quarum executionem ad hanc Provinciam N. visitandam accessimus, & tanquam legitimus Visitator recepti sumus à P. N. Ministro Provinciali, qui Nobis sigillum minùs prædictæ Provinciæ tradidit. Cum autem die &c. venerimus ad visitandum vestrum Conventum, non fuimus, post multas instantias, & præcepta facta Janitori, admissi in Conventum; asserendo se nullo modo Nos cognoscere, aut velle recipere. Ut ergo Vobis notum sit, Nos esse deputatos in vestrum legitimum Commissarium, prædictarum literarum transumptum authenticum ad Vos transmittimus, monentes, & exortantes Vos, ut parati sitis, quando ad vestri Conventus Visitationem venerimus, Nos recipere, & tanquam vestrum legitimum Commissarium agnoscere, & ad normam Ordinis Constitutionum obedire. Quod si paterna nostra monita non curantes, non vultis Nos, ut debetis, recognoscere, & obedientiam præstare, in virtute Spiritus Sancti, & sub interminatione Divini Judicii, & pœnis latis in Ordinis Constitutionibus formiter vobis præcipimus, ut Nos sicuti præfertur agnoscatis, recipiatis, & ut vestro Visitatori pareatis; assignando Vobis sex dies, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & duos pro tertio, & peremptorio termino, decernimus; quibus elapsis, si vos non parueritis his nostris præceptis, quæ in his scriptis Vobis intimamus, Nos venientes ad vos, absque ulteriori citatione proferemus contrà Vos Sententiam, per quam declarabimus Vos Rebelles, & Contumaces, & incidisse in Excommunicationem Summo Pontifici reservatam latam à Gregorio XIII. contrà eos, qui non recipiunt Commissarios à Generali missos. Dat. Die, &c. Mense...... & Anno &c.

Fr. N. Commiss. Visitator.
Fr. Secretarius.

Et sigilletur sigillo Officii, & per duos Fratres mittatur ad Conventum; & si Monitorium præfatum potuerint Guardiano, aut alteri ex Fratribus illius Familiæ consignare, benè quidem; si autem neminem repererint, qui illud acceptare voluerit, affigant illud valvis Conventus, sive Ecclesiæ, & faciant relationem Actuario, ut sequitur:

Die, Mense, & Anno, &c. F. F. N. N. missi ad intimandam copiam supradicti Monitorii, medio illorum juramento, deposuerunt coràm Me infrascripto, se illam consignasse in manu propria P. N. Guardiani sive in manu Fr. N. commorantis de Familia in prædicto Conventu; sive affixisse ad valvas Conventus, vel Ecclesiæ, cum non reperissent aliquem ex Fratribus, qui illam voluisset recipere. In quorum, &c.

Ego N. Actuarius.

Expiratis sex diebus, &c. sequatur ut sup. num. XXXIX. *mutato solo nomine Provincialis in Commissarium Visitatorem.*

XLI. Forma initiandi Processum fabricandum ab Arbitris, in casu Recusationis Judicis.

Cum arbitria regulanda sint ad modum judiciorum, Arbitri, qui debent cognoscere de subsistentia Recusationis Judicis factæ à Reo; oportet, quod Processum instruant, Testes examinent, alias probationes à Recusante productas recipiant, & tandem pronuncient; & pro his videantur, quæ scripsimus Part. I. Tit. Quid n. 38. & seqq. pag. 13. & Tit. Quales nn. 48. pag. 53. & Tit. Canones à nu. 20. & seqq. pag. 63.

Potest igitur ipsorum Processus initiari, prout sequitur.

In nomine Domini. Amen. Cum in Causa, quæ contrà Fr. N. agitatur coràm A. R. P. N. Ministro Provinciali, prædictus Fr. N. recusaverit, tan-

tanquam Judicem sibi suspectum, memoratum A. R. P. N. Ministrum Provincialem, & ad cognoscendum de validitate dictæ Recusationis ad normam Sacrorum Canonum, & Praxim Criminalem Ordinis, à Partibus respectivè in Arbitros nominati sint RR. PP. N. & N., ipsisque insinuata fuerit ab eodem A. R. P. eorum nominatio, & ipsi Officium Arbitrorum acceptaverint, ut ex Actis Processualibus apparet, volentes prædicti RR. PP. Arbitri electi munus suum, prout de jure, exequi, convenerunt in cameram, &c. & in eam, accito Me infrascripto Notario jam creato ab A. R. P. in hac Causa, ut ex actis supra, &c., vocatus fuit Fr. N., qui, ut præfertur, tanquam suspectum Judicem, recusavit A. R. P. N. Ministrum Provincialem, & sibi dato juramento, quod non malo dolo, neque animo calumniandi, sed tantùm ad sui indemnitatem memoratum P. Ministrum, ut sibi suspectum, recuset (quod præstitit tact. &c.) fuit ei dictum, ut causam Recusationis proponeret, producereique Testes, aut alia legitima documenta, per quæ veritas, & subsistentia talis causæ probaretur. Qui prædictus Fr. N. reproduxit copiam Libelli Recusatorii præsentati præfato P. Ministro recusato, & dixit Patribus Arbitris, in illo contineri tum causam expressam Recusationis, tum Testes ad eam probandam necessarios; & instare apud eosdem Patres Arbitros, ut omnia admitterentur, & ad cognoscendum de veritate tum in jure, tum in facto procederent. Qui RR. Arbitri Libellum prædictum, & omnia in eo contenta admiserunt si, & in quantùm, &c. & procedere, prout de jure, decreverunt, jusseruntque mihi Actuario, ut Libellum prædictum inter Acta reciperem, prout feci; & incipit, & desinit &c. *& ponatur tenor, &c.* & hic inferius signatus litera, &c. Acta sunt hæc Die...., Mense.... Anno. &c.

Ego N. Arbiter.
Ego N. Arbiter.
Ego Fr. N. affirmo ut sup.
Ego N. Actuarius.

Successivè iidem Patres Arbitri, qui supra, in cameram solitam convenientes, examinaverunt causam Recusationis expressam in supradicto Libello producto coràm ipsis à præfato Fr. N. Recusante; & cum invenissent, eam esse ex suspicione, quæ oritur ex inimicitia; quæ asseritur versari inter P. Ministrum recusatum, & dictum Fr. N. Recusantem, pronunciarunt Causam præfatam de jure esse legitimam, proindè procedendum esse ad Inquisitionem, an constet in facto de asserta inimicitia. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Arbiter.
Ego N. Arbiter.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

XLII. *Advertendum, quòd si causa Recusationis sit legitima, aut dubia in jure, aut in facto, semper pronunciari debet ad favorem Recusantis; cum Reo potiùs, quam Fisco sit favendum; & debet priùs pronunciari super validitate causæ, quod de jure subsistat, an equidm inquiratur an subsistat in facto, prout diximus.* Part. I. Tit. Canones. num. 121. pag. 108. *ubi in sequentibus numeris videre est, quæ ab Arbitris sint præstanda.*

ADNOTATIO II.

XLIII. *Advertendum secundò; quod si unus tantùm est Arbiter à Provinciali electus ex quatuor, vel sex propositis sibi à Recusante, debet pari modo procedere, ut suprà dictum est de duobus; & quæ ibi enunciantur in plurali debent poni in singulari.*

XLIV. Forma initiandi quosvis Processus tenenda à Commissariis Delegatis à Ministro Generali, aut Provinciali.

Nomine Processus veniunt Acta omnia judicialia, sivè facta sint ex Officio in inquirendo generaliter, mixtè, aut specialiter; sivè ad instantiam Partis in Denunciatione, Accusatione, sivè Exceptione. Omnes ergo formæ procedendi à Delegatis servandæ eædem sunt eum illis, quas tenere debent Judices Ordinarii, de quibus hucusque exempla dedimus; alia differentia non est, nisi, quod in præliminari Processu, necessarium est; quod registrentur Literæ patentes, istæ enim sunt fundamentum jurisdictionis, sine qua Actus omnes essent nulli. Cæterum circà modum procedendi, nulla est differentia inter Delegatum, & Ordinarium. Forma eujusvis Processus incipiendi à Commissario potest esse, ut sequitur.

In nomine Domini. Amen. Cum R. P. N. literas receperit ad se datas à Reverendissimo P. Generali; *sivè* ab A. R. P. Ministro Provinciali N. tenoris sequentis, &c. *& registrentur per extensum Literæ patentes, quarum formam inferiùs damus.* Volens eas, qua debet animi promptitudine exequi in cameram suæ residentiæ, coram PP. FF. N. & N. Testibus ad hoc specialiter adhibitis, vocare fecit Me infrascriptum, & Mihi dato juramento fidelitatis, quod præstiti, tacto pectore, more Sacerdotali, juxta sibi commissam facultatem Me Notarium creavit, ut in sibi demandatis pro legitimo Actuario inservirem. Acta sunt hæc Die......, Mense...... Anno &c. in Conventu &c.

Ego Fr. N. Commissarius Delegatus.
Ego N. fui Testis,
Ego N. fui Testis,
Ego N. Actuarius &c.

XLV. Forma Literarum patentium pro committenda Inquisitione Generali, sivè Visitatione judiciali Commissario Delegato.

Fr. N. Ordinis Minorum Theologus &c. Provinciæ autem N. Minister Provincialis, & Servus Dilecto Nobis plurimùm in Christo R. P. N. de N. Theologo &c.

Non sine ingenti animi nostri molestia, ex diversis relationibus, excepimus, multas in Conventu nostro N., & graves vigere transgressiones, quæ non humanitate paterna, sed virga judiciali debent emendari. Cumque Nos, multiplicibus Officii nostri distracti curis, nequeamus hoc personaliter præstare, necessarium est ad tale munus Virum gravem, providum, & expertum eligere, per quem ad justitiæ normam, possint Sontes inventi debitis pœnis coerceri. Cum autem multiplici experimento, per Te dato, Nobis nota sit Fides, Prudentia, Zelus, & rerum Criminalium peritia, qua pol-

posses, hanc provinciam Tibi duximus demandandam. Harum ergo serie Te nostrum Commissarium Delegatum instituentes, & institutum declarantes, committimus Tibi, ut assumpto Socio Tibi benè viso, ac Secretario aliquo idoneo, quem, ad nostrarum Constitutionum præscriptum, Notarium creabis, ut Tibi in officio legitimi Actuarii possit inservire, ad præmemoratum Conventum accedas, ibique Visitationem generalem, & judicialem tàm in Capite, quàm in membris instituas; & ea omnia, in hoc negotio cures, quæ ex Sacrorum Canonum, & Statutorum Regularium dispositione, sunt necessaria, omnimodam ad tale munus potestatem, & jurisdictionem Tibi conferentes; præcipimusque in virtute Spiritus Sancti, & sub poenis contrà Rebelles latis, omnibus, & singulis Superioribus, & Subditis memorati Conventus, ut Te tanquàm nostrum legitimum Commissarium agnoscant, recipiant, & obediant, & intrà terminos juris, omninò Tibi pareant. Volumus autem, quod si ex tali Visitatione contra aliquem, vel aliquos sufficientia emerserint indicia ad instituendam Inquisitionem specialem, illam instituas, & Processum informativum, juxta Praxim criminalem Ordinis, formes, usque ad Sententiam diffinitivam exclusivè, omnem opportunam, & necessariam ad hæc facultatem Tibi concedentes. Confidimus, in hoc gravi negotio Te viriliter, & strenuè curaturum ea, quæ ad repressionem scandalorum, & Religiosæ observantiæ conservationem faciunt, & paternam benedictionem Tibi peramanter impartimur. Dat. &c.

Ego N. Provincialis.

Et sigillentur Literæ majore sigillo Officii.

XLVI. Forma Literarum patentium pro committenda Inquisitione speciali ex Officio, sivè ad instantiam Partis.

Fr. N. de N. Theologus &c. Provinciæ verò N. Minister Provincialis, & Servus Dilecto Nobis plurimum in Christo R. P. N. Theologo &c.

Exigit muneris nostri ratio, Ovilis nobis à Domino commissi, exacta boni Pastoris diligentia, omnem curam habere; itaut non modò Oves nostræ custodiæ demandatas suavi exortationis sibilo ad salutis pascua dirigamus, & ægras à vitiis medicinalibus correctionibus sanemus; sed etiam devias a semita rectitudinis, & per culparum prærupta errantes, adhibita rigoris virgà, ad caulas reducamus. Cum igitur, ex Fama multiplici ad aures nostras delata; *sivè* ex Denunciatione oretenùs; *sivè* per literas, quas ad te mittimus, facta; *sive* ex Accusatione coràm Nobis producta, intellexerimus Fratrem N. de N. in Conventu nostro N. de Familia commorantem, Diabolo omnium malorum satore instigante, commisisse delictum tale (*& hic describatur delictum, de quo imputatur; aut si Delictum sit notum ignoto Delinquente dicatur*) intellexerimus in Conventu nostro N. à filio iniquitatis, qui ignoratur, commissum esse delictum tale &c. Nosque, Officii nostri gravissimis negotiis implicati, nequeamus judicialem debitam indaginem instituere, cogimur, hoc munus alteri demandare. Tibi ergo, cujus Prudentia, Peritia, & Zelus Nobis sunt abundè perspecta, harum serie committimus, ut assumpto Socio, ac Actuario Tibi benè viso, ad præfatum Conventum Te conferas, & judicialem super præfato Delicto, & Delinquente instituas Processum, omnem nostram facultatem necessariam, & opportunam ad hoc concedentes. Proinde in virtute Spiritus Sancti omnibus, & singulis præfati Conventus præcipimus, ut Te tanquam Judicem legitimum à Nobis Delegatum, recipiant, & agnoscant, & in hac Causa, & ad eam spectantibus Tibi, sicut Nobis, pareant, & obediant, sub poenis latis in Constitutionibus Ordinis contrà Rebelles, & Contumaces. Omnia autem acta judicialia, ità volumus per Te fieri, ut tamen Sententiam diffinitivam Nobis reservemus. Dat. &c.

Ego N. Minister Provincialis.

ADNOTATIO.

XLVII. *Si contingat Commissarium esse alicui legitime suspectum in Visitatione judiciali sive in Inquisitione mixta, quando notum est crimen, & ignotus Delinquens, potest proponi recusatio ipsius, sicut dictum est suprà* Sect. I. num. XVI. *& ideò non repetimus.*

XLVIII. Forma incipiendi Processum, post petitam ampliationem Delegationis.

Diximus Par I. Quid num. 35. pag. 52. *quod si Delegatus ad Causam particularem reperit incidenter aliud Delictum separatum à crimine, super quo fuit Delegatus; debet scribere ad Delegantem, ad hoc, quod super tali crimine vel ipse inquirat, vel inquirendi facultatem sibi deleget. Et quia, ut loco citato diximus, casu quo sibi amplietur Delegatio, debet novum Processum separatum à primo incipere, ejus formam damus, & est, ut sequitur.*

In nomine Domini. Amen. Cum R.P.Fr. N. Delegatus ab A. R. P. N. Ministro Provinciali Processum instrueret contra Fr. N. diffamatum, *sivè* Accusatum, *sivè* Denunciatum de &c: *Et hic exprimatur Delictum, super quo fuerit formatus primus Processus* Habuit indicia, quod præfatus Fr. N. Reus commiserit aliud Delictum, puta &c. *Et hic exprimatur novum Delictum, de quo fuit indiciatus:* Proindè scripsit ad eundem A. R. P. ipsum informando, prout de jure tenetur, de prædictis. Qui memoratus A. R. P. Minister commisit R. P. Commissario, ut etiam de hoc novo crimine inquireret; ut patet ex ejus Epistola data die &c. quæ incipit &c. & desinit &c. *& ponatur tenor.* Et hic inseritur signata &c.

In ejus ergo executionem decrevit prædictus R. P. Commissarius de veritate prædicti Delicti inquirere, Testes examinare, & alia, prout de jure. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Commissarius.

Ego N. Actuarius.

XLIX. Forma incipiendi Processum ad instantiam Episcopi, sive alterius Judicis, qui transmisit Acta coràm se facta contrà Regularem.

Plura diximus de iis, quæ facere debet Judex Regularis, casu quo Episcopus, sivè alius Judex incompetens processerit contrà Regularem, & Acta transmiserit ad Judicem Ordinarium Delinquentis,

Videan-

Videantur, quæ circà hoc scripsimus Par. I. Tit. Testes. num. 119. & seqq. pag. 350. *Et quia docemus, quod Judex Ordinarius non debet uti Actis factis coram alio, utpote nullis, seu tenetur novum Processum instruere, illius Formam damus.*

In nomine Domini. Amen. Cum ab Illustrissimo & Reverendissimo D. N. Episcopo Civitatis N. per suum Cancellarium missa fuerint ad A. R. P. N. Provincialem quædam Acta criminalia facta in Curia sua contrà Fr. N. & nomine ejusdem Illustrissimi, & Reverendissimi D. Episcopi à prædicto D. N. Cancellario FUISSET FACTA INSTANTIA prædicto P. Provinciali, ut ad normam Sacri Concilii Tridentini, ipse puniret præfatum Fratrem N. probatum coràm se Reum de &c. *Et hic apponatur Titulus Delicti.*

Sivè fuisset facta instantia prædicto Patri Provinciali, ut executioni demandaret Sententiam latam per suum Dominum Vicarium Generalem, prout in dictis Actis continetur, contra memoratum Fratrem N.

Sivè cum à D. N. Prætore, *sivè* Potestate loci &c. ad A. R. P. Provincialem missus fuerit quidem Processus coràm se factus, in quo apparet probatum, quod Frater N. &c. commiserit &c. *Et hic apponatur Delictum*, instando, quod ipsum, pro modulo culpæ, puniat.

Idem P. Provincialis volens suo muneri satisfacere creato Me infrascripto coram infrascriptis in Notarium in solita forma, præstito juramento fidelitatis, tacto pectore, more &c. decrevit ad Inquisitionem veritatis ad normam juris devenire. Acta sunt hæc Anno .... Mense ..... Die ..... loco &c.

Ego N. Provincialis.

Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.

ADNOTATIO.

I. *Advertendum, quod si Episcopus processit contrà Regularem in casibus, in quibus procedere potest tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ, Processus est validus. Unde si instet apud Judicem Regularem, ut ipse exequatur Sententiam à se latam contrà Reum, Judex Regularis eam tenetur exequi, quia legitima est. Si verò Episcopus de facto extendit jurisdictionem supra Regularem in casu, in quo eam non habet, Judex Regularis debet de novo Processum instruere, quia Processus, qui factus ab Episcopo fuit, nullus est. Et in hoc regulando attendat ad ea, quæ scripsimus* citat. Tit. Testes, à num: 119. pag. 350.

LI. Forma Decreti faciendi à Judice sivè Ordinario, sivè Delegato, ante Visitationem Corporis Delicti.

Habita sufficienti notitià Delicti, & Delinquentis, sive ex indiciis habitis in Visitatione judiciali; sive ex Fama; sive ex Delicto incidenter confessato, Aut à Testibus detecto; sive ex Denunciatione, aut Accusatione, aut Querela, aut Exceptione, *debet Judex interponere Decretum, ut sequitur.*

His, ut præmittitur, habitis, A. R. P. Minister, *sivè* R. P. Commissarius Delegatus ad ulteriora procedere, prout de jure, decrevit. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister, *sivè* Commissarius.
Ego N. Actuarius.

SECTIO TERTIA.

In qua traduntur formæ probandi Corpus Delicti.

I. *Suppositis, quæ diximus* Par. p. Tit. Corpus num. 7. pag. 249. *sciendum est, quod Delicta facti transeuntis probantur per Testes, per quos insimul probatur delinquens; cum tali casu non separetur Delinquens à delicto; proinde si delictum, de quo inquiritur, sit hujus generis, ut in Contumelia, Blasphemia, Fornicatione &c. Judex procedit ad examen Testium, priùs inquirendo de delicto, mox de delinquente.*

Delicta autem facti permanentis aliquando relinquunt vestigia perpetua, vel longo tempore durantia; aliquando verò durant modico tempore, ita ut Judex non possit de illis oculariter certificari, ut contingit in livore in facie causato à percussione, qui in termino bidui, vel tridui non amplius apparet.

In hoc casu Judex, qui venit post aliquot dies ad formandam Inquisitionem; non potest, visitando illud, & oculariter inspiciendo, facere constare de corpore delicti, quia ejus vestigium disparuit, unde cogitur, probare illud per Testes, qui livorem, vel cicatricem &c. viderunt.

Sed quando vestigium, seu corpus delicti adhuc viget, debet Judex illud visitare, & describere, quod vulgò dicitur; Visum, & repertum; *& forma potest esse, ut sequitur:*

Consequenter A. R. P. Minister Provincialis volens de corpore delicti certificari; associatus à Me infrascripto, & duobus infrascriptis Testibus ad hoc specialiter vocatis, se contulit ad visitandum corpus delicti; & visum, & repertum fuit quod &c. (*& hic describatur locus loci, in quo est corpus delicti, & omnes circumstantiæ, quæ in eo apparent, & sensui subjiciuntur; ut si agatur de Vulnerato debet describi;* quod decumbebat in lecto, & remotis fasciis per Chirurgum, vulnera retecta sunt, quorum unum erat in tali parte corporis, talis figuræ, tantæ longitudinis &c. factum punctim, cæsim ictu sclopi, vel contusione &c. aliud in alia parte corporis talis figuræ &c. *Pariter si agatur de fractura ostii, armarii, capsæ &c. in furto &c. de incisione arborum fructiferarum, incendio &c. in summa, omnes circumstantiæ debent exactissimè observari, & adnotari, & facta descriptione, debet concludi;* Acta sunt hæc die, &c.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

AD-

ADNOTATIO I.

II. *Aliquando vulnera sunt in tali statu, quod sine periculo non possunt discooperiri; & aliquando sunt quasi sanata, & consolidata, aut sola stigmata, seu cicatrices apparent, undè non potest Judex ocularitet certificari de magnitudine, & qualitate eorum. Tali casu describi debee*, quod repertus, est vulneratus decumbens in lecto habens caput, brachium, crus &c. fasciis alligatum, & cum, ad dictum Chirurgi, non possent sine gravi periculo discooperiri, decrevit Judex, post examen vulnerati, interrogare Chirurgum, & ab eo vulnerum qualitatem scire. *Pariter si sunt quasi sanata, debet describi status vulnerum, prout videntur a Judice cum suis qualitatibus, mox examinari debet Chirurgus, ut referat, quomodo fuerunt a principio; formam autem examinandi Chirurgum dabimus infra. Similiter si inventum est Cadaver Fratris cogniti describi debet*, quod fuit repertum Cadaver Fratris N. jacens in tali loco &c. tali situ, indutum tali modo &c. tali panno, &c. cum talibus vulneribus &c. sive contusionibus in tali parte corporis &c. & erat jacens in tali positione &c. oculis semiclausis, ore diducto &c. & inventa sunt circa eum talia, aut talia vasa, seu instrumenta, ut culter talis formæ, &c. *& exactissime omnia debent adnotari. Si verò Cadaver est alicujus incogniti, debet exactissimè describi ejus physonomia per enumerationem partium Corporis*, ut staturæ mediocris &c. Capillos habens nigros, & crispos &c. Barbam &c. nasum &c. os amplum &c. *& si habet aliquod peculiare, ut naevum in fronte, collo, gena &c. maculam, vel antiquam cicatricem &c. ita ut punctualiter omnia adnotentur, ut per ea, possit ignotus agnosci, si talia signa relata fuerint illis, qui viventem cognoverunt.*

ADNOTATIO II.

III. *Advertendum secundò, quod, ut diximus* Part. p. Tit. Corpus num. 9. pag. 249. *ad plenè probandum corpus delicti, oportet quod probetur, fuisse malo dolo, & cum scelere patratum; proinde, si ex visitatione corporis delicti apparet insimul scelus patratum, (ut si inveniretur quis strangulatus, manus habens vinculatas,) per solum visum, & repertum, &c. probatum remanet corpus delicti. Si verò delictum non est ex se manifestans scelus, debet Judex uti conjecturis, & præsumptionibus, prout diximus* Tit. Corpus num. 9. pag. 249. *& hoc est in casu, in quo Jadex ipse potest eas ex se formare; puta ex situ, aut loco, in quo invenitur Corpus, sanguine sparso; qualitate hominis dum vixit, ut si erat melancholicus, lunaticus, maniacus &c. non habebat rixas, inimicitias &c. ex quibus potest conjici, quod, vel ex desperatione sibi mortem consciverit; vel casu cecidit, vel se præcipitavit in puteum, &c. & advertat Judex, quod conjecturæ magis esse debent, pro non delicto, quam è contra. Si autem conjecturæ requirant specialem peritiam, ad eas rectè formandas (ut si reperiatur mortuus sine vulneribus, & conijci debeat, an fuerit ex veneno, aut apoplexia) requiruntur Periti, qui examinati ferant judicium secundum propriam artem, & isti examinandi sunt, ut per eos probetur delictum, vel non.*

Ameno Form. Crim. Par. II.

IV. Forma examinandi Peritos ad faciendum constare de Corpore Delicti.

Cum Periti debeant examinari, & deponere cum juramento; necessarium est, (si sint Sæculares, aut Clerici minimè subjecti Judici Regulari,) inter Nos, petere licentiam à suis Superioribus, ut possit Judex legitimè interrogare eos, aliter eorum depositio est nulla, ut habetur in Textu Tit. Testes. §. 11. pag. 339. *licet alii Judices Regulares possint absque tali licentia illos examinare, ut probavimus.* Tit. Testes num. 84. pag. 340. *Licentia ergo petenda est, in scriptis, & inserenda in processu, & peti potest hoc modo.*

V. Forma petendi Licentiam a Judice extraneo, ut possint ejus Subditi examinari à Judice Nostro.

Illustrissime, & Reverendissime Domine. *Si est Episcopus; vel* A. R. P. *Si est Superior Regularis; vel* Illustrissime Domine, *si est Prætor Civitatis &c.*

Necessarium est, Fratri N. Ministro Provinciali Fratrum Minorum Regularis, *sive* Strictioris Observantiæ pro Expeditione cujusdam Causæ suæ Religionis, quæ coram ipso actitatur, examinare nonnullos Subditos Dominationis Vestræ &c. Quapropter supplicat, ut dignetur opportunam ad hoc facultatem concedere. Quod totum &c. Quam Deus &c.

Habita igitur facultate debet Judex extrajudicialiter accersere duos Peritos, qui sint in arte sua cæteris excellentiores, & circa hoc videnda sunt quæ scripsimus Par. I. Tit. Corpus num. 17. & num. 53. & seqq. pag. 252. *& ipsis committere, ut visitent corpus delicti, & in scriptis referant judicium suum. Quod si rogati, ut visitent corpus delicti, & referant in scriptis, & subijciantur examini, nolint hæc facere, recurrendum est ad eorum Superiores, ut eos cogant, sicut dicemus infra de Testibus extraneis cogendis* Sect. IV. num. LXII. *Mox ipsos examinet, & examen eorum ita potest describi, & Processus continuari.*

Cum A. R. P. visitasset Càdaver prædictum, & ex se conijcere non potuisset, an morte naturali an vero violenta fuerit peremptus supradictus Fr. N. repertus mortuus, voluit a Peritis, prout de jure est, Consilium petere. Petita ergo Licentia debita, (ut constat ex supplici Libello per eum dato, & per Superiorem, cui de jure, decretato, quod hic inseritur signatum &c. & incipit &c. & desinit &c. *& ponatur tenor*) Accersiri fecit DD. N. & N. Doctores Phisicos, & Professores Medicinæ, & ipsis injunxit, ut Cadaver visitarent, & judicium, & rationem judicandi in scriptis referrent. Quod cum perfecissent, vocatus, coram A. R. P. Ministro Provinciali prædicto, fuit D. N. unus ex supradictis Phisicis, & ei dato juramento de veritate dicenda, fuit interrogatus.

An visitaverit prædictum Cadaver: & quid judicet de eo? &c.

An præsumi possit sublatum fuisse per venenum? &c.

Respondit &c. Et præsentavit judicium suum in scripto, quod ad mandatum A. R. P. Ego Actuarius inter Acta recepi, & hic inferui signatum &c. incipit &c. & desinit &c. *& ponatur tenor.* Et lecto sibi

ſuo examine cum nihil vellet addere, vel minuere, ei ſe ſubſcripſit, & pro tunc fuit dimiſſus, ſalvo jure &c. Acta ſunt hæc Die &c.

Ita eſt Ego N. Miniſter Provincialis.
Ego N. Medicus.
Ego N. Actuarius.

Et ſimili modo poteſt deſcribi examen alterius Medici, ſicut, & in aliis omnibus caſibus, in quibus Periti ſunt adhibendi, ut in recognitione Scripturæ, an fuerit falſificata; an ſit ſcripta manu ejus, cujus dicitur &c. in iudicanda quantitate damni dati; in æſtimando valore rerum furatarum; ſive earum, ob quas aliquis ſupponitur proprietarius, & cæteris Caſibus &c. Verum eſt, quod ſi Periti neſciunt ſcribere, oportet, quod Judex eos exactius examinet, & faciat omnes illas interrogationes, per quas clarius Corpus Delicti poteſt apparere fuiſſe cum ſcelere factum.

ADNOTATIO.

VI. *Advertendum, quod ſi detur caſus, quod aliquis fuerit venenatus, & graviter decumbat, vel decubuerit; & Judex procedat, debet examinare Medicos eo modo, quo examinandos diximus, in Caſu Cadaveris inventi; & curare debet, ut in relatione ſcripta, quam faciunt, dicant an venenum poſſit eſſe ingenitum, vel arte paratum; vel à cibo aſſumpto cauſatum; ſi congelans, corroſivum, inflammativum ſtrangulans &c.*

Et de omnibus reddant Cauſam ſui dicti. Quod ſi ſcriptò, non ſe ſufficienter explicaverint, debet eos examinare congruis interrogationibus, ut plenè informetur.

VII. Forma examinandi Chirurgum caſu quo vulnera non poſſint diſcooperiri, aut fuerint quaſi ſanata.

Cum, ſupra dictum fuit, non potuiſſet A. R. P. ocularıter certificari de vulneribus inflictis P. F. N. ſupradicto decumbenti, ex eo quod, ut dixit Chirurgus, non poterant, abſque gravi periculo diſcooperiri, ad habendam plenam notitiam illorum, cum ſuis qualitatibus. *Vel ſi vulnera ſint quaſi ſanata dicetur*; Cum adhibita vulneribus P. F. N. viſitati ab A. R. P. ut ſupra dictum eſt, ipſa ſint quaſi ſanata, unde ex oculari inſpectione non potuerit idem A. R. P. informari de gravitate illorum à principio: ideo ad habendam plenam notitiam eorundem cum ſuis qualitatibus vocari coram ſe fecit D. N. Chirurgum, qui ea curat, ſivè curavit; & dato ei juramento de veritate dicenda, prout juravit tactis ſcripturis fuit.

Interrogatus. An curet, ſivè curavit Fratrem N. vulneratum? &c.

Quot vulnera habeat? &c.

In qua parte Corporis? &c.

Cujus latitudinis, & profunditatis? &c.

An fuerint facta ferro pungente, aut ſecante; vel ictu ſclopi, aut piſtoletti; vel tunſione ligni, lapidis, aut alterius Corporis duri? &c.

An fuerint facta à Vulnerato ex ſe, vel ab alio? &c.

An caſualiter, & contra voluntatem ejus, qui inflixit, an voluntariè, & ex inſtituto? &c.

An fuerint facta armis venenatis? &c.

An ſint, ſivè fuerint à principio mortalia? &c.

Reddat Cauſam, quare judicet eſſe mortalia, vel facta armis venenatis, vel facta data opera, & non caſu? &c.

An ſit Amicus, vel Inimicus Vulnerati? &c.

Et lecta ſibi prius ſua depoſitione, cum nollet ei aliquid addere, vel minuere, ſe ſubſcripſit, & dimiſſus eſt, ſalvo jure &c. Acta ſunt hæc Die .... Menſe .... Anno .... Ego N. Chirurgus depoſui, ut ſupra.

Ego N. Miniſter Provincialis.
Ego N. Actuarius.

VIII. Forma examinandi Vulneratum.

Suppoſitis, quæ diximus Titul. Corpus num. 25. pag. 255. (*ad quæ Lectorem remittimus*) *ante, vel poſt examen Chirurgi, vel Medici, debet* examinari Vulneratus, aut Venenatus: examen autem poteſt deſcribi, ut ſequitur.

Conſequenter idem A. R. P. Miniſter Provincialis acceſſit ad Cellam, in qua jacebat vulneratus Fr. N. ſupradictus, & exhibito ei juramento de veritate dicenda, prout juravit tacto &c. fuit.

Interrogatus. Quomodo reperiatur vulneratus, & à quo tempore? &c.

Quis ipſum vulneravit, & ob quam cauſam? &c.

Quo inſtrumento, quo loco, quibus auxiliis, & in qua Corporis parte? &c.

Qui aderant, vel audire potuerint tanquam proximiores? &c.

Si dicit ſe neſcire Percuſſorem.

Interrogetur. An aliquam inimicitiam habeat? &c.

An verbis, aut factis aliquem offenderit? &c.

An alius ſibi fuerit minatus? &c.

Si inimicitia aliis nota ſit; quibus; & quomodo id ſciverint? &c.

An aliqui fuerint præſentes, quando rixati ſunt, & qui? &c.

Si nolit revelare Vulnerantem ex timore, ne illi amplius noceat, aut etiam ex amore Dei dicens. Se illi ignoſcere, ut bonus Chriſtianus; & nolle, quod aliquam punitionem patiatur ſui cauſa ille, qui eum vulneravit, *debet moneri, ut veritatem fateatur, quia alias peccat mortaliter, & erit Reus perjurii, nec ſibi debet nocere in anima, ne proximo noceat in Corpore. Et debet non ſemel, ſed bis, & ter moneri, & proteſtando illi*, quod ſi non revelat, devenietur ad juris, & facti remedia, quibus revelare cogetur. *Quod ſi perſiſtat in contumacia non revelandi, ipſe debet adigi per Torturam, ut manifeſtet Reum: & formam dabimus infra, quando dicemus de Teſtibus cogendis per Torturam. Et examen debet concludi clauſula paulò ſuprà dicta; puta*. Et lecta ſibi prius ſua depoſitione, &c. Acta ſunt hæc, Die &c.

Ego N. depoſui ut ſupra.
Ego Miniſter &c.
Ego N. Actarius.

IX. Forma examinandi Teſtes adhibitos Viſitationi Corporis Delicti.

Examen Teſtium aſſumptorum ad Viſitationem Corporis Delicti ordinatur in Textu; ſed eſt potiùs ſolemnitas, quam neceſſitas. Tamen, ut tutius procedatur, ut notat etiam Paſſerinus Prax. criminal. cap. 2. n. 62. *cum* Conciolo Reſolut. crimin. 4. verb. Corpus Delicti; *melius eſt, eos examinare, & examen poteſt eſſe, ut ſequitur.*

Conſequenter vocatus coram ſupradicto A. R. P. Miniſtro fuit P. F. N. Teſtis ex Officio aſſumptus,

& ei

& ei delato juramento de veritate dicenda, prout juravit, tacto pectore, more Sacerdotis, fuit.

Interrogatus. An interfuerit Visitationi alicujus vulnerati; *sive* in lecto decumbentis; *sive* alicujus ostii, armarii, capsæ &c. fractæ, aut per violentiam apertæ &c. *sive* arborum succisarum &c. & dicat quid, ubi, & quando?

Respondit. Fui præsens Visitationi, quam vestra Paternitas fecit de Fr. N. vulnerato; *sive* ægroto; sivè ostio fracto &c. sive arboribus cæsis &c. vocatus à V. P. in Testem, subscripsi descriptioni talis Visitationis factæ à P. N. Secretario vestro.

Interrogatus. An recordetur ejus, & eorum, quæ vidit, & si bene ea observavit; & dicat quid viderit?

Respondit. Attentè observavi omnia, sicut etiam descriptionem factam à supradicto P. Secretario, quæ fuit punctualiter facta, & nihil in eam ommissum de iis, quæ visa sunt.

Interr. An si illam legi audiret, & suam propriam subscriptionem videret, illam agnosceret?

Respondit: Optimè cognoscerem. Tunc ad mandatum A. R. P. ostensa per Me actuarium fuit descriptio superius facta, & manu ipsius Testis roborata, quam cum legisset dixit.

Hæc est descriptio, de qua dixi, & hæc est mea subscriptio, & omnia contenta in tali descriptione vera sunt, quia à me fuerunt visa, & descripta sunt, ut re vera fuerunt.

Et lecta sibi sua depositione, cum nollet ei, aliquid addere, vel minuere, se subscripsit, & dimissus fuit, salvo &c.

Ego N. Testis deposui, ut supra.
Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Et simili modo examinari debet secundus Testis, &c.

X. Forma probandi Corpus Delicti in Casu Deflorationis.

Suppositis iis, quæ diximus. Par. I. Tit. Corpus num. 38. & seqq. pag. 259. *de signis Virginitatis, & de difficultate probandi Corpus Delicti in casu Deflorationis; damus formam, juxta quam debet describi Visitatio facienda per Obstetrices, ut ordinat Textus, quæ potest esse, ut sequitur*.

Consequenter A. R. P. Provincialis volens per peritas Obstetrices informari de constantia Corporis Delicti, petiit debitam licentiam in scriptis a D. Prætore Civitatis, *sivè* Oppidi N. qui libenter eam concessit, ut patet ex Libello dato, & decretato, qui hic inseritur signatus &c. & incipit &c. & desinit &c. *& ponatur tenor illius*. Et vocare fecit N. & N. publicas, & peritas Obstetrices, & illis injunxit, ut visitarent Puellam N. filiam N. Et facta ab ipsis Visitatione, vocata fuit N. de N. una ex prædictis Obstetricibus, & sibi dato juramento de Veritate dicenda, & monita de gravitate perjurii, & Causæ, de qua agitur, juravit tactis Sacris Scripturis, mox fuit.

Interrogata. An Visitaverit Puellam N. &c.

An repererit eam Virginem, an vitiatam?

Ex quibus signis cognovit fuisse vitiatam? &c.

An potuerit ex se se vitiari, aut alio modo, quam per congressum virilem? &c.

A quanto tempore judicet fuisse corruptam? &c.

A quibus signis cognoscat; & dicat causam quarè sic judicet? &c.

Quibus habitis A. R. P. eam monuit, ut hoc sub secreto teneret, peccaret enim mortaliter, si proderet famam Puellæ, & etiam Religionis: imò injunxit, ut si aliquos audiret de hac re loquentes, dicat, se visitasse Puellam illam, & esse falsum, & sine fundamento, quod de ea dicitur. Et lecta sibi sua depositione, cum nollet aliquid addere, vel minuere, nesciens scribere, signum Crucis apposuit, & dimissa est, salvo jure &c. Acta sunt hæc Die . . . . &c.

Ego N. Minister. ✠
Ego Actuarius.

Et pari modo examinanda est secunda Obstetrix.

XI. Forma probandi Corpus Delicti in Casu Furti.

Si furtum Factum fuit cum fractura ostii, armarii, capsæ &c. probatur per Visitationem factam à Judice de fractura &c. & circà hoc nulla est differentia in Forma describendi Corpus Delicti in Furto, ac in Visitatione Cadaveris Venenati, aut Vulnerati, ut diximus suprà. Si verò Furtum factum est sine fractura, & nullum reliquit vestigium post se, Corpus Delicti probatur per Testes, qui viderunt rem in tali loco, ubi conservari solita erat, & tali tempore; mox viderunt eam ibi non esse, & videtur, & audierunt Officialem, sive Custodem, aut Usuarium illius rei, (quandoquidem apud Nos, dominium ullum reale non datur) contristatum, & conquerentem de re sibi furata; & circa hoc nulla est forma specialis probandi Furtum per Testes, diversa ab ea, in qua probatur quodvis Delictum, quod vestigium post se non relinquit. Sed potest dari Casus, quod aut ex Officio, aut ad instantiam Partis fiat Inquisitio contra aliquem, qui solitus furari, multa parva Furta fecit, quæ vel in cella, vel alibi ipse occultavit; consideratis autem rebus singulis, ipsæ per se non sunt sufficientes ad hoc, quod possit de iis fieri Processus, ratione parvitatis materiæ; sed collectis simul omnibus, constituunt materiam sufficientem ad Furtum grave, ob quod potest Reus constitui. Tali ergo casu debet Judex, visitatis rebus furatis, adhibere judicium Peritorum, ut secundum communem existimationem judicent de valore illarum. Quod si valor rerum furatarum non excedat duos aureos, puta viginti Julios Romanos, non est locus Inquisitioni, quia, ut ex l. Si oleum. junct. gloss. ff. de Dol. post Filliuc. *observat.* Bict. q. 123. num. 24. *summa duorum aureorum, licet sufficiat ad Peccatum mortale; tamen pro Foro Fori, in jure dicitur modica. Si verò excedat, potest procedi, & describi, prout sequitur.*

Cum A. R. P. Provincialis visitasset Cellam Fratris N. Denunciati, *sive* Accusati; *sive* Diffamati de Furto; sive proprietate, & reperisset in sporta, capsa, armario, seu subtus lectum stramineum &c. *sive* in Officina, quam dictus Fr. N. habet in cura sua, ut Coquina, Cellavinaria, Sacristia sive Officina Sutoris, quæ vulgò dicitur *Communitas* &c. multas res, quæ sunt ultrà usum Religiosum, & servabantur absconditæ, eas coram se, & infrascriptis Testibus, statuere fecit, & reperta sunt.

Primò. 20. Candelæ ceræ talis, & talis qualitatis, & ponderis &c. Secundò. frusta intortitiorum, & aliarum candelarum, & massa informis ceræ, quæ

omnia ponderabant &c. Tertiò. Quatuor mappulæ lineæ, quasi novæ. Quartò. Una tobalea linea subtilis, quæ inservit pro Altari in festivitatibus. Quintò. Quatuor sudaria linea nova, quæ serviunt in Tunstuua. Sextò. Duo sudaria lanea nova. Septimò. Duo paria sandaliorum novorum. Octavo. Sex frustra corii bovini pro soleis fabricandis, quæ ponderant &c. Nono. Duæ iconulæ pictæ super lamina cuprea ornatæ hebano, cum crystallo suprapositâ, in quarum una est effigies B. M. V. Annunciatæ; in alia est imago D. Antonii de Padua &c. *& sic describantur sigillatim omnia inventa minutim ea adnotando &c.* Quibus Visitatis, jussit custodiri apud me Actuarium ad effectum &c. Acta sunt hæc Die .... Mense ... Anno &c.

Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Consequenter A. R. P. Provincialis, qui supra, ad se plenè informandum de valore supradictarum rerum, & ità ad sciendam gravitatem Furti commissi, decrevit adhibere judicium Peritorum, prout de jure; & petita, & obtenta licentia à D. Potestate Civitatis, seu loci &c. prout petiit, & obtinuit, ut apparet ex Libello dato, & decretato, qui inseritur signatus litera &c. & incipit &c. & desinit &c. *& ponatur tenor (porrò Forma Libelli data est suprà in hac Sectione num. V.)* vocare fecit D. D. N. & N. publicos Æstimatores, & jussit, ut visitarent supradictas res furatas, & judicium suum in scriptis referrent circa valorem singularum rerum. Quod cum perfecissent, vocati fuerunt coram eodem A. R. P. & dato singulis eorum juramento de veritate &c. prout præstiterunt, tactis sacr. Scripturis præsentaverunt judicium suum in scriptis, signatum ab ambobus, & hic inseritur signatum litera &c. & incipit &c. & desinit &c. Acta sunt hæc Die ... Anno .... &c.

ADNOTATIO

XII. *Advertendum, quod non est necessè, quod in æstimatione valoris rerum furatarum Periti reddant Causam sui dicti, quia talis æstimatio non innititur principio alicujus Scientiæ, sivè Artis, sed solùm communi opinioni, juxtà quam valor rei æstimatur; & in hoc casu peritia Æstimantis est loco rationis in judicando. Insuper si tales Periti nesciunt scribere, debent singillatim examinari, & proferre judicium de unaquaque re furata.*

XIII. Forma probandi Corpus Delicti in casu Scripturæ falsificatæ, Monetæ adulteratæ, Armorum prohibitorum, mixturæ venenatæ, et similium.

Quia in Casibus propositis non apparet ad evidentiam de dolo malo, necessarium est, quod Judex adhibeat Peritos, & juxta eorum judicium reguletur. Porrò Periti debent esse juxta illud, de quo debent judicare; nam si agitur de Scriptura falsificata, debent esse Magistri Scriptores; si de Moneta adulterata, Artifices; si de mixtura venenosa Medicus, & Aromatarius; si de Armis prohibitis Fabricator armorum, &c. Porrò isti debent examinari jurati, & oretenus; sivè scripto, judicium suum præsentare, post petitam Licentiam ab eorum Superiore. Sed quia hæc omnia regulando sunt sicut examen Medici, Chirurgi, sivè Peritorum circa valorem rerum furatarum, de quibus suprà dedimus Formas, non repetimus, sed ad earum exemplar Judex se potest, in facti contingentia, regulare.

XIV. Forma probandi Corpus Delicti, quando Corpus ipsum est extra locum Jurisdictionis Judicis Regularis, sivè de eo amplius non apparet.

Possunt dari Casus, quod Corpus Delicti sit extra Conventum, aut de eo amplius non appareat, ex eo quod, post delictum transiit longum tempus. Etenim potuit Regularis vulnerasse, aut occidisse Laicum, aut Clericum Sæcularem, videntibus Testibus: sive occidisse secretò, & jam fuisse à multo tempore tumulatum, & resolutum, & Delictum aliqua via inopinata patefieri expost. Potest item Regularis adulterasse Librum publicum; Instrumentum, Apocham, sive Syngrapham cautoriam, sivè Obligatoriam; sivè composuisse, & affixisse Epithesim (Pasquinata) sive Libellum famosum, & ipsum vulgasse contra Virum, aut Mulierem honestam; Libellus autem, sivè Scriptura alia quævis falsificata, esse apud Judicem Laicum, ità ut non possit Judex Regularis facere de eo constare per Visum & repertum. Tali casu posset Judex Regularis petere Licentiam à Judice Sæculari, & Corpus Delicti visitare, & ipsum describere, sicut suprà dictum est. Tamen hoc compendiosius fiet, si Corpus Delicti jam recognitum, & probatum in Foro Sæculari, compulsetur authenticè, & inseratur in Processu Judicis Regularis. Suppono enim, quod Judex Sæcularis constare fecerit de Corpore Delicti in Foro suo per Visum, & repertum; & quia probatum in uno Tribunali est publicum juris, probatum remanet pro omnibus Tribunalibus, ideò ad hoc, quod constet de Corpore Delicti in Tribunali Regulari, sufficit, quod in Processum inseratur transumptum authenticum probationis illius factæ in Foro Sæculari. Debet ergo Judex Regularis dare Libellum Judici Sæculari, ut per Actuarium suum compulsari faciat probationem Corporis Delicti, & transumptum authenticum, & legalizatum sibi concedat, tenor verò Libelli potest esse sequens.

Illustriss. & Reverendiss. D. *si est Episcopus; sive* Illustriss., *sive* Perillustris Domine, *juxtà conditionem Judicis Sæcularis.*

Pro quadam Causa Regulari, quæ coràm se actitatur, necessarium est Fratri N. Ministro Provinciali &c. lustrare Processum factum in Curia Dominationis Vestræ super crimine &c. *& describatur Delictum, de quo agitur summariè*; & à Processu compulsare nonnulla ad suum Tribunal facientia; ac insuper examinare nonnullos Subditos. Dom. V. Supplicat proindè, ut dignetur opportunam ad prædicta facultatem concedere; & ordinare Actuario suo, ut det commoditatem Oratori lustrandi Processum memoratum; & tribuat transumptum authenticum eorum omnium, quæ Orator conducere judicabit in Causa, quæ coram se actitatur. Quod totum &c. Quam Deus &c.

Porrò descriptio in Processu facienda potest esse, ut sequitur.

Cum

Cum A. R. P. Minister Provincialis vellet, prout de jure, de constantia Corporis Delicti, de quo Accusatus, *sive* Denunciatus, *sive* Diffamatus est prædictus Fr. N., inquirere, sciretque super eodem Delicto fabricatum esse Processum in Curia Illustrissimi D. Episcopi; *sive* D. Potestatis &c. decrevit, ab eo petere Copiam authenticam probationis prædicti Delicti & facultatem lustrandi supradictum Processum, ad effectum se plenè informandi circa factum &c. quod totum gratiosè obtinuit, ut apparet ex memoriali dato, & decretato, quod hic inseritur signatum litera &c. & desinit, *& ponatur tenor* initii, & finis *Memorialis* &c. In cujus executionem D. N. Actuarius Curiæ Episcopalis; *sive* D. Potestatis, viso Decreto ad calcem supradicti Memorialis, rogatus à præfato A.R.P. Ministro Provinciali, attulit Processum fabricatum in Curia sua super &c. *Et ponatur Titulus Causæ, super qua fabricatus fuit Processus*, & in Camera residentiæ ejusdem A. R. P. permisit ab eodem legi, & ad placitum lustrari. Quo facto, prædictus Actuarius, ad instantiam memorati A. R. P. Ministri, fecit transumptum authenticum Visitationis, Recognitionis, & probationis Corporis Delicti descriptæ in eodem Processu & Copiam authenticam, & solemniter legalizatam præsentavit eidem A.R.P. Ministro, qui jussit eam inseri inter Acta, prout inserta fuit signata litera &c. & incipit &c. & desinit &c. *& ponatur tenor, &c.* Acta sunt hæc Die..... Mense..... Anno..... &c.

Ego N. Minister Provincialis.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

XV. *Advertendum, quod si Corpus Delicti probatum remanet, ex sola Visitatione facta à Judice, sivè Notario criminali per* Visum, & repertum &c. *sufficit habere Copiam prædictæ Visitationis, quia per eam plenè remanet probatum Corpus Delicti. Sed si ad ejus probationem adhibiti sunt Periti, sivè alii Testes, ex quorum judicio, seu Testimonio probatum remansit Corpus Delicti, quod ex se non erat evidens, debent per extensum inseri in copia compulsata judicia Peritorum. Testimonia Testium, & omnia alia, per quæ probatum remansit Corpus Delicti. Aliter Processus esset defectivus, quia in eo non appareret concludenter probatum Corpus Delicti, quod est illius principale fundamentum, quo subducto totum ædificium processuale ruit.*

ADNOTATIO II.

XVI. *Advertendum secundò, quod si Corpus Delicti esset in potestate Judicis Sæcularis Ecclesiasticè, sivè Laici, ut si esset aliqua Scriptura falsificata à Regulari, quæ reperiretur in Archivio Judicis Sæcularis, qui tamen eam reputat legitimam; Judex autem Regularis habet indicia, quod ipsa sit falsa, ad probandum Corpus Delicti, debet hic petere facultatem, ipsam Scripturam lustrandi non solùm per se, sed etiam per quosvis, quos judicaverit necessarios ad Causam pendentem in Tribunalè suo, ut sequitur.*

Illustrissime, & Reverendissime, *sivè* Perillustris Domine &c.

Pro Causa quadam pendente coràm se, necessarium est Fratri N. Ministro Provinciali Provinciæ N. lustrare, non solum per se, sed etiam per alios Peritos, quos judicabit necessarios, Scripturam &c. *& hic exprimatur Scriptura desiderata, sivè aliud sit Corpus Delicti nondum probatum tanquàm tale in alio Tribunali*, quæ conservatur in Archivio Dominationis vestræ.

Supplicat proindè, ut sibi, & aliis ad hoc necessariis, copia fiat prædictam Scripturam lustrandi, & eam judicialiter recognoscendi, rogatque Illustr. D. V. ut jubeat Actuario suo, ut copiam authenticam Scripturæ prædictæ Oratori indulgeat, & opportunam eidem tribuat facultatem examinandi Peritos, ac alios Subditos Illustr. D. V. in ordine ad eandem Scripturam. Quod totum &c. Quam Deus &c.

Habito autem Decreto favorabili, debet visitari Scripturam coràm Testibus, & de illa facere descriptionem per Visum, & repertum. Tamen advertendum est, quod aut falsitas est ex se manifestè evidens ex ventre Scripturæ; aut probanda est per judicium Peritorum. Si primo modo (ut si videretur Scriptura roborata Sigillo, aut falso, aut falsificato, puta ablato ab alia Scriptura, & in hac affixo; sive diceretur facta à Provinciali alicujus Provinciæ, Sigillum verò appositum non esset illius Provinciæ, sed alterius &c.) sufficit describere adamussim qualitatem Scripturæ, & sigilli, ex qua emergit evidenter falsitas; sicut esset si sigillum esset inpressum matrice sulphurea, vel ex cera Hispanica, formata per fusionem Sulphuris liquefacti super Sigillo vero, tunc enim Sigillum impressum evaderet concavum, & tamen deberet esse convexum, si fuisset impressum Sigillo vero, ut communiter fit. Tali ergo Casu adnotata prædicta qualitas, ex se probaret falsitatem; & ea descripta, sufficeret examinare Testes adhibitos ad Visitationem juxtà Formam datam suprà num. IX. Si autem falsitas probanda esset per judicium Peritorum, debent examinari formiter Periti, juxtà Formam, quam dedimus supra circa probationem Scripturæ falsificatæ num. XIII. Et copia Scripturæ falsificatæ compulsata, authenticè debet inseri in Actis, ut dictum est.

XVII. Forma Decreti faciendi post probationem Corporis Delicti.

Probato Corpore Delicti secundùm quamvis Formulam, ex supradictis, juxtà Casuum contingentiam, debet Judex interponere Decretum de procedendo ad ulteriora, si Corpus Delicti probatum plenè fuit; si verò Delictum non remanet concludenter probatum, debet decernere, non esse ulterius procedendum. In primo Casu Decretum debet esse, ut sequitur.

Cum ex hucusque Actitatis probatum remanet Furtum fuisse commissum, &c. *sivè* N. fuisse Occisum; Vulneratum; Venenatum; *sivè* Delictum &c. fuisse commissum; A. R. P. Minister Provincialis decrevit, prout præsenti Decreto decernit, ad ulteriora procedere, inquirendo de Delinquente, Testes examinando, & alia præstando prout de jure. Acta sunt hæc Die.... Mense....

Ego N. Minister Provincialis.

Ego N. Actuarius.

Si

Si verò corpus delicti non remanet probatum concludenter, Decretum debet esse, ut sequitur:

Cum ex hucusque Actitatis, non remaneat plenè probatum corpus delicti, post omnem diligentiam adhibitam; decrevit A. R. P. Minister, pront præsenti Decreto decernit, levare manum a Processu, & de eo amplius, non inquirere, donec pleniores probationes delicti possint haberi. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister Provincialis.

Ego N. Actuarius.

SECTIO QUARTA.

In qua traduntur omnes Formæ examinandi Testes.

I. Quæ universaliter sint servanda in examine Testium.

ULtrà ea, *quæ tradita sunt*. Par. prima toto Titulo de Test. pag. 313. &c. *ad quem locum Lectorem remittimus, juvat summariè tradere advertentias, quas debet curare Judex, ut cautè, & legaliter procedat in hoc puncto essentialissimo, & difficili: Primò igitur debet considerare si Testis est assumptus ex Officio, an productus a Parte. Si est assumptus ex Officio, ut accidit in omni Inquisitione generali, speciali, aut mixta, debet adnotari in descriptione examinis, hoc modo.* Vocatus fuit Fr. N. Testis ex Officio assumptus &c. *Si verò est productus a Parte, ut evenit quando proceditur per Accusationem, Denunciationem, sive Exceptionem, debet adnotari sic,* Vocatus fuit Fr. N. Testis productus ab Actore &c.

II. *Secundò. Considerare debet ætatem Testis. Si enim Testis est impubes non posset examinari sub juramento, cum non sit doli capax, ut jura dicunt* l. Qui jurasse. ff. de Jurejuran. cap.4. quæst.3. cap. Parvuli. 22. quæst.4. *Verum est, quod quando crimen est atrocissimum, difficilis probationis, aut cum aliter veritas haberi non potest, & impubes est doli capax, & scit, quid sit juramentum, & quod crimen sit perjurium, potest, secundum Doctores,* Bajard. ad Clar. quæst.24. num.108. Guazzin. Defens. 30. cap. 11. num. 11. Conciol. V. Minores. Resol. 2. num. 12. apud Passerin. Prax. crimin. cap. 3. num. 89. fol. 459. *sibi dari juramentum. Proindè initio examinis debet adnotari ipsius ætas, & ex laudabili consuetudine (licet non sit necessarium) exprimitur etiam tempus Religionis sic.* Vocatus fuit &c. Testis &c. ætatis annorum &c. prout dixit; Religionis vero &c.

III. *Tertiò. Consideranda est conditio Testis, si est Sæcularis, aut Religiosus Subditus, aut extraneus; masculus, aut fœmina; constitutus in dignitate, aut privatus; Nobilis, aut Plebejus, Sacerdos, Clericus, aut Laicus Conversus; integræ Famæ, an Infamis ob crimen, seu ob exercitium; & ejus conditio adnotari debet in Processu, & admitti, vel non, juxta exigentiam Causæ, & ea quæ diximus* Par. p. *loquendo de Testibus inhabilibus, quando sint admittendi, vel non. Proindè sic adnotaretur.* Vocatus fuit &c. Testis &c. Sacerdos, Prædicator, Novitiorum Magister &c.

IV. *Quartò. Advertendum est, quod in Inquisitione mixta, quando nempè delictum certum est, ignoratur autem Delinquens, scit autem Judex extrajudicialiter, quod circa Delinquentem sunt aliqui Testes de visu, & aliqui de auditu; bonum est prius examinare illos, qui sunt de auditu. Si quidem isti sunt ad modum Denunciantium, unde Judex habet firmius fundamentum deveniendi ad specialem Inquisitionem contra Reum.*

V. *Quintò. Ante examen Testium, omninò necessarium est, quod ipsi detur juramentum de veritate; & juxta conditionem Testis datur juramentum per tactum pectoris, si est Sacerdos, aut per tactum Sacrarum Scripturarum si sit Clericus, aut Laicus tam Regularis, quam Sæcularis, Testis enim non juratus nihil probat; & in Processu adnotandum est, quod tale juramentum præstitit, non enim præsumitur, quod juramentum sit præstitum (cum hoc sit, quid facti; quod non præsumitur, nisi probetur,) & ideo constare debet in Processu, quod præstitum sit.*

VI. *Sextò. Ante examen Testium optimum est, quod Judex scribat omnia capita, super quibus jure potest interrogare, excerpta ex Actis, aut extrajudicialiter scita, & illa præ oculis habere (abscondita verò Testi,) & hoc, ne ex oblivione, aliquod ommittat, & ut possit ordinatè interrogare. Porrò examinato uno Teste, non debet statim examinare alium, sed bene ponderare dicta, & circumstantias loci, temporis, modi, occasionis &c. circa delictum, ut possit opportunis interrogationibus a Testibus subsequentibus illa exquirere, & hoc modo delictum concludenter probare. Et ideo debet adnotare in charta, (& ante se en tenere,) omnes circumstantias ad rem facientes, ut super illis interroget, & si secundus, aut alius Testis discordat a primo, & circumstantiæ tangant substantiam delicti, potest dicere Testi, ut bene recogitet, & dicat veritatem, quia factum illud fuit sibi aliter repræsentatum. Et debet facere Judex, quod Testis clare, & distinctè det responsionem ad interrogata; & si dat responsiones obscuras, æquivocas, vel intricatas, curare, ut eas explicet. Quod si advertit Testem, pro, vel contra Reum veritatem occultare tergiversando, potest Judex eum involvere, & fatigare interrogationibus etiam parum facientibus ad punctum; & inter eas d nuò interrogare de aliqua substantiali circumstantia delicti, & si respondendo evadit varius, aut contrarius sibi in eo, quod prius dixerat, potest ipsum redarguere, dicendo.* Quomodo nunc ita dicis, dum supra dixisti ita, & ita? *Pariter si deponit inverisimilia, aut extraordinaria, & aliena a communiter accidentibus, aut parum, sibi ipsis cohærentia, potest itidem, suscipiendo partes Rei, opponere Testi sic;* Quomodo potuit hoc esse, stante tali circumstantia, quam asseruisti? *Sicque fiet, ut Testis tollat inverisimilitudinem, conciliet ea, quæ pugnare inter se videbantur, & concludentius reddatur ipsius Testimonium.*

VII. Se-

VII. Septimò. *Super omnia cavere debet Judex a suggestionibus, sivè interrogationibus suggestivis, de quibus diximus* Part. p. Tit. Testes num. 75. & 76. pag. 137. *ipsæ enim reddunt Processum nullum, ut demonstravimus* Tit. Reus num. 17. p. 406. *& ideo nunquam interroget in specie de delicto, aut Delinquente in Inquisitione Generali; neque in specie de Delinquente in mixta, nisi sit indiciatus in Processu de delicto determinate, & expresse, sufficienter.*

VIII. Octavò. *Advertat Judex, ut Testis deponat ex se de loco, tempore, & cæteris circumstantiis, & super omnia reddat Causam dicti, & scientiæ suæ; dictum enim, non assignata causa scientiæ, nullius est valoris, & non probat, nisi in eodem dicto implicite contineatur causa scientiæ, ut si diceret.* Vidi Cajum currentem post Seium, & ille armatus cultro Seium in pectore vulneravit, me vidente; *hoc enim casu Testis asserens de visu reddit causam sufficientem scientiæ suæ, & esset superfluum interrogare, nisi delictum tale sit, quod absque complicibus consummari non potuit, aut ex Actis appareat, quod multi fuerint delinquentes, Testis autem de uno solo deponat.*

IX. Ultimò. *Teneatur Judex fideliter excipere, & in Actis reponere omnia dicta Testis tam pro, quam contra Reum. Et Judex Regularis non debet practicare, quod passim fit in Tribunalibus Sæcularibus; in istis enim, ante examen, Actuarius extrajudicialiter interogat Testes, & si invenit illos deponere ad favorem Rei, etiam pro veritate, ipsos non admittit ad deponendum judicialiter, sub quæsito colore, ne destruant intentionem Fisci; & sic frequentissime Rei gravantur, aut Innocentes redduntur Rei, cum enormi læsione Justitiæ, & hoc ideo, quia multi venantur delicta, non ut corrigant, aut puniant ad bonum publicum, sed ut pecuniam emungant ad commodum privatum. Hoc fugere debet Judex Regularis tanquam pestem. Testes quosvis pro informatione Curiæ debet æqualiter admittere, nisi lege prohibeantur; & eorum dicta sivè pro, sivè contra Reum æqualiter excipere, imo, ut supra dictum est, debet favore Rei redarguere Testes deponentes contra eum, tum uti satisfaciat communi dicto Criminalistarum,* Judex debet esse pro Reo; *tum ut hac via plenius instruatur, & magis pateat veritas. Testes autem producti ad defensam, cum possint esse subornati, bene possunt detegi alia via, si falsi sunt, prout diximus* Part. p. Tit. Testes; *absque eo, quod prius extrajudicialiter audiantur. Tandem forma universalis præponenda examini cujusvis Testis est, ut sequitur:*

X. Vocatus coram A. R. P. Ministro Provinciali fuit P. N. Concionator, Lector, Confessarius &c. *sivè* Frater N. Clericus Subdiaconus &c. *sivè* Fr. N. Laicus Conversus ætatis annorum &c. prout dixit, Religionis verò &c. Testis ex Officio assumptus, *sivè* a parte productus prout in in Actis &c. cui delato juramento de veritate dicenda, prout juravit, tacto pectore, more Sacerdotali &c. *sivè* tactis Sacris Scripturis fuit monitus &c. & ad sibi factas interrogationes respondit, ut sequitur &c.

XI. Forma examinandi Testes, quando Delictum est per eos probandum.

Dupliciter potest accidere, quod delictum per Testes probandum sit; puta in Inquisitione Generali, & in speciali. De primò, dictum fuit supra Sectio I. num. XII. *quando diximus formam Inquisitionis Generalis, sivè Visitationis Judicialis. De secundò autem dico, quod dupliciter potest contingere, puta, uno modo, quando delictum, & Delinquens sunt ita conjuncta, quod unum absque alio non potest probari; ut accidit in injuria, aut contumelia verbali, in Percussione, Furto, Fornicatione, quando nempè nullum vestigium relinquitur post delictum. Tali casu probatur simul Delinquens, & delictum; sed Judex, examinando Testes, debet prius interrogare de delicto generalissimè.* An sciat aliquod delictum fuisse contra Legem Divinam, aut Regulam commissum?

Quodnam fuerit delictum commissum?

Quo loco, quo tempore; & quibus præsentibus?

Qua occasione, & quomodo hoc sciat Testis?

Et postea quærere. A quo fuerit commissum tale delictum?

Quomodo id sciat? &c.

Alio modo quando delictum est separatum a Delinquente, quia delictum relinquit vestigium post se; & hoc iterum potest dupliciter accidere; puta quando vestigium ita diutiùs perseverat, ut a Judice visitari possit; & tunc probatur delictum per Visum, & repertum, *de quo diximus supra* Sect. III. num. I. *& ideo hic non repetimus.*

Et quando vestigium nullum relictum est post delictum, puta in furto facto sine fractura &c. vel vestigium disparuit, antequam Judex potuerit illud visitare, ut in percussione, quæ reliquit contusionem, sivè livorem post se, sed interjecto tempore, & adhibita curatione, penitùs disparuerant, & de hoc casu nunc loquimur. Poterit ergo examinari Testis, ut sequitur:

XII. Vocatus fuit N. Testis &c. ut supra n. X.

Interrogatus. An sciat, vel suspicari possit Causam suæ vocationis?

Si dicit se plus, minus imaginari eam; subjungat Judex. Dic eam. *Si verò, ut plurimum, & ordinariè, responderit se nescire eam, subsequatur Judex.*

In quo Conventu maneat de Familia?

A quo tempore?

Quod Officium habeat?

An omnes Religiosi morigeratè vixerint in toto hoc tempore?

An aliquod scandalum intra, vel extra claustrà commissum fuerit.

Quale scandalum fuerit?

Caveat Judex, ut Testis præcisè ad interrogata respondeat; ideo dum ipse quærit de delicto, & non de Delinquente ante delictum; sed dicat; Non quæro a te quis deliquerit, sed quæro de delicto, ideo respondeas ad interrogata. *Si dicit Testis furtum fuisse commissum; Puellam, aut Viduam impraegnatam; Fratrem, aut Sæcularem fuisse percussum, &c. sequatur Judex.*

Quomodo hoc scit?

Ubi erant res furatæ antequam surriperentur?

An eas ipse viderit ibi?

Quomodo, & qua de causa asserat eas fuisse furatas?

An viderit vulnus, livorem, contusionem, ex percussione?

Quantum lata, longa, plus minus fuerit?

In qua parte Corporis fuerit?

An multum sanguinis effluxerit?

Quan-

Quanto tempore curata fuerint?

An qui dicitur percussus, potuerit, ex casu, aut alio modo sine dolo ita vulnerari?

Quare hoc dicat?

An sciat, qui furatus sit, impraegnavit, percussit?

Quomodo hoc sciat?

Quo tempore, & loco, sive a quibus audiverit notitiam?

An alii viderint, aut audierint, & qui?

An habebat inimicitiam, seu rixam cum eo quem dixit deliquisse?

Et sic duos, aut tres Testes potest Judex examinare ad probandum corpus delicti, ut eo probato, possit ad ulteriora procedere. Et examinato Teste, debet sibi legi ab Actuario facere ejus depositionem, & percontari, an velit ipsi addere, vel minuere aliquod, & eam faciat subsignare propria subscriptione, vel saltem signo Crucis, si Testis nesciat scribere; & tandem imposito sibi silentio circa examen factum, illum dimittat, sibi reservato jure illum, si opportuerit, examinandi toties, quoties. Porro supradicta possunt comprehendi per sequentem formulam.

XIII. Forma conclusionis examinis Testium servanda in omni, & quorumque examine.

Quibus habitis, & si, & in quantum acceptatis, R. A. P., per Me Actuarium, legi clarè, & intelligibili voce, fecit praedicto Testi suam depositionem: cui cum noluisset aliquid addere, aut minuere, se subscripsit; *sivè* signum Crucis propria manu apposuit, cum nesciat scribere; & facto sibi formali praecepto, ut cum nemine loqueretur de depositis in dicto examine, dimissus est. salvo jure &c. Acta sunt haec Die . . . . &c.

Ego N. Testis deposui &c.

Ego N. Minister &c.

Ego Fr. N. Actuarius.

Quod si Testis velit examini aliquid addere, aut minuere, debet dici. Et cum suam depositionem audisset, dixit. In tali loco &c. ubi dixi &c. addatur hoc &c. sivè minuatur hoc &c. melius enim recordor, quod fuit ità, & ità &c.

ADNOTATIO I.

XIV. *Advertendum, quod omnia interrogatoria Judicis debent scribi latinè, & per extensum; depositiones verò Testium lingua vernacula, non quidem barbara, (quandoquidem per solitas literas Alphabeti non potest aliquando scribi,) sed ex phrasi, quae proximè accedit ad idiotismum vernaculum; potest tamen commodè ità scribi, ut etiam à non barbaro possit legi, & intelligi; cum hoc, quod Actuarius sensum à Teste, (maximè idiota,) barbara loquela expressum nullo modo alteret augendo, aut minuendo vim dicti, pro, aut contrà Reum, dum phrasim barbaram convertit in magis intelligibilem. Excipienda sunt ab hoc, verba illa, quae continent in se delictum; illa etenim quamvis barbarissima, debent eadem describi, & nullis paraphrasi variari; haec enim, aut nunquam, aut difficillimè potest reddere verba, quae aequalem emphasim habeant cum prolatis à Reo, ut patet in blasphemia, & contumeliosis verbis, quae gravitatem injuriae contrà Deum, & proximum variant; juxtà varietatem Regionum, in quibus proferuntur.*

ADNOTATIO II.

XV. *Advertendum secundo, quod licet communis usus sit, quod in Inquisitione mixta, (quando nempe Delictum scitur quidem communiter à pluribus Testibus, non tamen reliquit vestigium post se, per quod possit à Judice probari per* Visum, & repertum, *) post quam Testis deposuit super Delicto ipsum probando, Judex interroget super Delinquente in specie; tamen practica haec non est undequaque laudabilis. Quia certum est, quod priùs probandum est concludenter Delictum, antequam de Delinquente possit inquiri. Dum ergo primus, aut etiam secundus Testis examinatur super Delicto, ipsum adhuc probatum non est plene, ità ut ad Inquisitionem specialem contrà Delinquentem possit deveniri. Legaliùs ergo fieret si Judex non inquirat super Delinquente, nisi postquam secundùs Testis ad minùs, concordaverit plene cum primo, & legitime probaverint Corpus Delicti; & tunc tutò poterit devenire ad Inquisitionem Delinquentis; & sic denuo examinare primum Testem, & praecise ipsum interrogare super Persona Delinquentis, de quo in primo examine, (suppono,) quod nihil deposuerit.*

ADNOTATIO III.

XVI. *Consueverunt pariter Criminalistae communiter, dando Formulas examinandi, tum Testes, tam Reos, describere Lingua Italica eorum responsiones, & ab iis exatas interrogationes Judicis subjungere; id videre est, apud Bictum, Ambrosinum; Bereì, Passerinum, & etiam Formulariam nostro Textui adnexam. Sed hoc tum inutile, tum incommodum est. Inutile quidem, quia, in facti contingentia Testis, aut Reus, non respondet, ut ibi dicitur; unde Judex (praesertim si est levis armaturae; ut frequenter accidit,) qui accurate, ante examen, legit totam illam seriem responsionum, & interrogationes faciendas, ex illis praemeditatus est; dum audit responsiones datas ab Examinato non cohaerere illis, quas legit in Formulario, se reperit intricatum, videns, quod interrogationes, quas priùs paraverat, non faciunt ad intentum. Ideo in Formulario Nostro non apponimus, nisi puras interrogationes necessariò faciendas à Judice ad hoc, quod altiùs illas meditetur, memoriae infigat, aut etiam scriptas, ut suprà diximus, ante se teneat, ut nihil mittat, quod ad legitimam probationem requiratur. Incommodum etiam aliquibus est; siquidem responsiones illae, cum sint Italicae à solis Italis intelliguntur; unde Germani, Belgae, Galli, Hispani, & aliae Nationes, quae non callent linguam Italicam, tales responsiones, non intelligunt, & multos Ultramontanos audivi, qui de hoc conquesti sunt, ac si Auctores pro solis Italis, eam invidia aliorum, scripsissent, Quapropter debuissent saltem responsiones Examinatorum latinas reddere, ut etiam ab exteris intelligerentur. Sed quia etiam hoc inutile est, ut paulo suprà diximus, ideo puras Judicis interrogationes apponimus, quibus accurate perpensis, Judex sufficienter manebit instructus de modo examinandi Testes, & Reos, & labor Noster omnibus aequaliter Nationibus, hoc modo, proficuus evadet.*

XVII For-

XVII. Forma servanda, quando examen non potest unico contextu perfici, sed ex aliqua causa interrumpitur.

Si ex prolixitate examinis tum Testis, tum Rei, non potest illud unicâ vice expediri; aut etiam ex alio impedimento Judicis non valet continuari, debet ità concludi.

Quoniam ob horæ tarditatem, *sive* ob urgentissimum negotium, quod supervenit A. R. P. Ministro Provinciali, non potuit hoc examen completè expediri, mandavit idem A. R. P. examen pro tunc terminari, animo tamen ipsum opportuno tempore continuandi, & perficiendi. Et lecto ipsi Testi supradicto examine, & acceptatis si, & in quantum ipsius depositionibus, subscribi ab eodem fecit, & dimissus est salvo jure &c.

Ego Fr. N. affirmo, ut supra.
Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

XVIII. Forma continuationis examinis interrupti.

Die ...... Mense ..... Anno ..... &c. & loco &c. præfatus A. R. P. Provincialis &c. volens continuare examen Fratris N. Testis, quod fuit interruptum ex causa supra recensita, vocari illum denuo coram se fecit, & ipsi juramentum de veritate &c. dedit, prout juravit &c. tact. &c. & fuit.

Interrogatus &c.

Si examen adhuc compleri non poterit, concludatur per Formulam datam numero XVII. Quoniam ob horæ &c. *Si verò completum fuerit debet terminari, sicut dictum est* num. XIII. Quibus habitis &c. *Et advertendum, quod, ut supra dictum est, antequam concludatur examen, debet integrum legi ipsi Testi, ut possit illi addere, aut minuere, quod vult. Verum est, quod si inter primum, & secundum examen interjectum est aliquod tempus, in quo Testis potuerit à Parte subornari; in secundo examine retractat dicta in primo (sub specie corrigendi dicta) ad favorem Fisci; Judex debet diligenter eum examinare super causa correctionis, & fatigare eum interrogationibus etiam parùm ad rem facientibus, ut Subornationem detegat, & contra illum, & subornantem procedat, sicut dictum est,* par I. Titul. Testes num. 121. pag. 121. *Potest etiam dari casus, quod Testis, non completo primo examine, graviter decumbat; aut necessitetur ob negotium grave alio pergere per aliquot dies. Scrupulizant verò nonnulli Judices interea examinare alios Testes, & credunt, piaculum legale esse, inserere in Processu aliud examen, si inceptum non terminetur absque interruptione. Sed isti trepidant timore, ubi non est timor. Possunt enim alios quosvis Testes examinare, & alia Acta necessaria facere (dummodò sint antè Rei constitutionem,) & indè reassumere, & complere examen olim interruptum; nullo enim jure (sub pœna nullitatis Processus) cavetur, quod examen Testium, aut Rei, debeat esse continuatum. Pariter opinantur multi Judices parum versati, quod si Testis una vicè complete examinetur, nequeat aliis vicibus examinari. Hæc itidem erronea opinio est, quin potest Judex toties, quoties expediens judicat, Testes, & Reum examinare, nullo enim jure aliter cautum est. Tandem advertendum, quod si Testis in uno, & eodem examine sive pro Fisco, sivè pro Reo est varius, vacillans, aut sibi contradicit, Judex debet sibi objicere variationem, vacillationem, sivè contradictionem, & eum redarguere dicendo; suprà, sive in tali examine sub die tali &c. dixisti hoc, sic, & sic &c. quomodo nunc dicis sic, & sic; hoc, & hoc &c. Si Testis reddit bonam rationem, & causam legitimam, vel contradictionem concordat, benè quidem. Sin minùs debet illum torquere, ut diremus infra num. LVIII.*

XIX. Forma examinandi Testes in Inquisitione mixta, dum Delictum est evidens, ignoto Delinquente.

Vocatus fuit &c. *ut supra numero X.* Fuit interrogatus. An sciat, vel præsumat causam suæ vocationis?

Ubi erat de familia Die ...... Anno ...... & Mense ... tali &c.

Quinam erant secum de familia in tali Conventu?

An tali tempore commissum fuerit aliquod Delictum: & quod?

Quomodo tale Delictum scierit; si ipse vidit, an ab aliis audivit?

A quibus audierit?

Quo tempore?

Quo loco?

Quibus præsentibus?

An sciat, aut audierit, a quo tale Delictum fuerit commissum?

An suspicetur de aliquo Fratre particulari, quod illud commiserit?

Quia verò plurimùm potest variari series interrogationum faciendarum juxta varietatem Delictorum, singula enim Delicta speciales exigunt interrogationes, quas si vellemus omnes in hac Formula comprehendere, generaretur confusio, ideo præmissis interrogationibus generalibus hic supra descriptis, quæ in omni Delicto quadrant; subjungimus eas, quæ in particularibus occurrere possunt, ut clariùs procedamus. Si verò est Inquisitio mixta alio modo, puta generalis, quoad Delicta, & specialis quo ad personam, potest fieri examen Testium prout dicemus infra Sect. XI. numero XIII. Vide ibi.

XX. Forma examinandi Testes in Causa Vulnerati, sivè Occisi reperti dum Delinquens ignoratur.

Præmissis interrogationibus paulo suprà XIX adnotatis, subsequatur.

Interrogatus. An sciat Fr. N. vulneratum, sivè occisum habuisse inimicitiam cum aliquo?

An sciat causam talis inimicitiæ?

Quomodò illam sciverit?

Quæ signa inimicitiæ inter eos viderit?

An fuerint posteà reconciliati?

Ex quo tempore redierint amici?

An post reconciliationem denuò repullulaverit inimicitia?

An audierit F. N. inimicum vulnerati, aliquando minitatum illi fuisse in præsentia, sivè in absentia ipsius, loquendo cum fratribus?

An credat dictum Fr. N. potuisse ob talem inimicitiam vulnerasse, aut occidisse prædictum Fr.N.?

Quare ità credat?

An solitus sit Fr. N. minas exequi?

An aliàs dictus Fr. N. percusserit; aut percutere tentaverit aliquem alium?

An solitus sit incedere armatus cultro, aut tenere arma in cella, aut alibi abscondita?

Cujus famæ sit Fr. N. quem suspicatur vulnerasse, aut occidisse?

An alii Fratres possint scire eadem, quæ ipse deposuit?

Quinam sint isti Fratres?

Quomodo sciat eos talia scire?

An sit Amicus, vel Inimicus Fr. N. quem suspicatur fuisse Delinquentem?

An alii Fratres idem suspicentur?

Quinam sint illi Fratres?

Quomodò, & quandò, & coram quibus audierit, eos esse idem suspicatos?

An de hoc sit Fama in Conventu?

A quo orta fuerit talis fama?

A quibus singulariter, quandò, & coràm quibus, & qua occasione audierit?

Et concluditur examen per conclusionem.

Quibus habitis &c. *ut suprà* num. XIII.

XXI. Forma examinandi Testes in Causa Furti manifesti dum Delinquens nescitur.

Vocatus fuit &c. *ut suprà* num. X. *& præmissis interrogationibus generalibus ut suprà notatis* n. XIX. Interrogatus. An habuerit aliquod indicium, ob quod suspicatus sit Fr. N. commisisse tale Furtum?

Cujus conversationis, & vitæ sit talis Frater?

An aliàs pænitentiatus fuerit de Furto?

An audierit illum aliàs furatum fuisse alicui Fratri particulari aliquam rem è cella?

Quomodò, quandò, & coràm quibus audierit?

Cujus Famæ sit talis Frater.

A quibus singulariter audierit talem reputari Furem; qua occasione; loco; tempore; & quibus contestibus?

An prædictus Frater habeat, aut habere solitus sit res pretiosas, quæ sinè pecunia haberi non possunt, ut jocalia muliebria; medaleas argenteas, coronas electrinas (*d'ambra*) strophiola serica, aquam vitæ moschatam, chocolatam pretiosam cum ambra, sandalia curiosa, sudaria linea subtilia &c. aut pecuniam numeratam?

An Frater ille habeat Consanguineos, aut Amicos divites, à quibus possit prædicta habere?

An habeat amicitiam cum aliqua Muliere malæ famæ, paupere, aut non multum divite?

An sciat Fr. N. dedisse aliqua munera huic Mulieri, quæ, & quando?

Quomodo sciat, aut à quibus audierit prædicta?

An frequentet domum illius Mulieris, cum admiratione, & scandalo Fratrum, & Sæcularium?

Quomodo hoc sciat?

An fuerit correctus à Superioribus de tali frequentia, poenitentiatus, aut monitus, quomodo, quando, & à quibus?

An postquam commissum est tale Furtum sciat Fratrem N. aliquid portasse, aut per Tertiarium, sive alios Fratres misisse aliquam sportam, sive peram, sive involucrum consutum (ità ut portantes videre non possent id, quod portabant,) extra Conventum ad aliquem, & ad quem, & quando, & per quos Fratres, & quomodo hoc sciat, aut a quibus audierit?

An ipse Testis fuerit Socius Fratris N. quandò ivit ad domum illius Mulieris, quoties, & quandò fuerit; & quid ibi viderit?

An sciat Fratres, qui alias fuerunt Socii ejus, dum ivit ad talem Mulierem, & quinam fuerint?

An audierit illos Fratres murmurasse de aliqua actione talis Fratris, quam ibi viderint?

An Fr. N. quem suspicatur furatum fuisse, sit vorax, gulosus, non contentus communis victus, & potus, sed comedere in camera solitus sit pullos, capones, perdices, turdos, & alia comestibilia pretiosa, vinaque generosa, ut Hispanicum, Creteuse, Hungaricum, Rhenanum &c. & quomodo hoc sciat?

An sciat quisnam tales cibos ipsi emat, mittat, portet &c.

An sciat F. N. tenere pecuniam depositam apud aliquem, aut aliquos, & quos, & quomodò sciat?

Si Furtum factum fuerit absque fractura, sed clavibus adulterinis, sivè aliis instrumentis; sivè ingrediendo per fenestram &c.

An sciat, vel audierit Fr. N. habere penès se, aut quæsivisse à Fabro ferrario commodatas claves veteres, aut instrumenta idonea ad aperiendas seras quæ dicuntur Italicè *Grimaldelli*; Gemanicè *Giumb eüsen*; Hispanicè *Ganços*, & Gallicè *Rossignols*?

An ipse F. N. teneat in camera limas, forcipes, incudem, & alia instrumenta fabrilia, & laborare claves sciat; & quomodo Testis sciat hoc?

An post Furtum secutum ipse Fr. N. visus sit ultra solitum conturbatus, & taciturnus, & fugere conversationes Fratrum, maximè, quando loquebantur de tali Furto?

An possit Testis imaginari causam talis mutationis in illo, & illam dicat?

An cæteri Fratres talem mutationem vultus, & fugam à Fratribus observaverint in Fr. N. & super hoc inter se locuti sint, & ubi, & quando, & quibus præsentibus? &c.

Et terminatur examen per conclusionem. Quibus habitis &c. *ut sup. num. XIII.*

XXII. Forma examinandi Testes in Causa Libelli Famosi affixi, sivè dispersi, ut vulgaretur.

Vocatus fuit &c. *ut suprà* num. X. *& præmissis interrogationibus generalibus, ut supra* num. XIX. *possunt fieri interrogationes super inimicitia positæ infrà* num. XXXVII. *in principio, tales enim compositiones Infamatoriæ non possunt fieri nisi ab inimicis. Judex autem in hoc casu debet bene ponderare qualitatem Libelli, scilicet an sit compositus ingeniose, soluta oratione, vel versu, cum argutia, salibus, servata lege orthographiæ &c. an potius sit compositio insulsa, simpliciter mordax, hoc est sinè acutiè ingenii, referta probris, impurisque scommatibus &c. plena barbarismis in verbis, aut in scriptura; quandoquidem ex phrasi, aut contextu sensuum, potest venari, plus minùs, Compositor; Scriptura enim potest, ex instituto Compositoris affectatè, ut videatur composita ab ignaro; sed si ingeniosus est, in sensu verborum, aliquid acuminis semper apparet; & in hoc casu maximè sagax debet esse Judex, ut ex indiciis conjectetur Compositorem. Factis ergo interrogationibus de inimicitia infamati per Libellum, ut suprà dictum est, possunt fieri, ex contextu Libelli, sequentes interrogationes.*

An

An illud, quod in Libello divulgatur in infamiam ejus, contra quem compositus est Libellus, esset publicum antequam vulgaretur Libellus; an vero a paucis sciretur, & a quibus; & quomodo hoc sciat?

An illi, qui sciebant illud, omnes sint amici infamati; an inter eos sit aliquis, qui si non inimicus formalis; saltem non multùm æquo animo sit erga illum?

An audierit hunc aliquando, sivè sæpè, murmurasse de illa infamia, quæ continetur in Libello?

An iste sit mordax, & satyricus in sermone; aut aliquam cantinnculam, sivè dicterium in derisionem, sivè contumeliam alterius Fratris scripserit, sivè oretenus recitaverit?

An delectetur narrare hujusmodi epitheses, (*Pasquinatæ*) alias factas a se, vel ab aliis contra alios Seculares, seu Religiosos?

An iste sciat, aut solitus sit componere carmina, sivè rithmos?

An audierit hunc præ cæteris Fratribus loqui de Libello famoso, de quo agitur; ipsum, sivè Auctorem ejus laudare, aut aliis recitare præcisa verba Libelli, quæ ab aliis non perfectè sciuntur?

Et quando, & quoties, & ubi, & coram quibus audierit?

An sciat, quisnam communiter apud Fratres existimetur Auctor talis Libelli, & quomodo sciat, & a quibus audierit?

An notitiam habeat characterum Fratrum illius Conventus, & specialiter illius Fratris, quem suspicatur Authorem illius Libelli?

An inter alias Scripturas cognosceret Scripturam illius Fratris?

Et si essent, debet Judex illi ostendere quatuor, aut sex copias illius Libelli scriptas in charta (quatenus fieri poterit æquali, & simili,) à diversis Scriptoribus, & inter eas poni Libellus originalis, & jubere, ut accuratè illas Scripturas videat, & recognoscat, & dicat quenam sit illa, quæ est scripta a Fr. N. Porro potest hic Actus describi, ut infra.

Tunc A. R. P. Provincialis porrare coram illo fecit sex copias prædicti Libelli, scriptas a diversis, & inter eas positus etiam erat Libellus ipse originalis, & jussit ipsi Testi, ut accuratè legeret, & observaret omnes illas copias. Quod cum fecisset, sæpius legendo, & relegendo modo unam, modo aliam, fuit.

Interrogatus. An inter illas Scripturas reperiatur aliqua scripta manu, & characteribus prædicti Fr. N.

Quomodò hoc sciat?

Et dictum ei fuit, ut manibus suis illam extrahat, & separet a cæteris, & coram eodem A. R. P. statuat. Et ipse manibus suis extraxit, & porrexit eidem A. R. P. unam ex præfatis Scripturis, & dixit: Hæc est Scriptura, quam dixi exaratam manu Fr. N., est enim simillima aliis Scripturis factis ab eodem, mihi benè cognitis, cum ejus manus sit mihi bene nota.

Hic advertendum, quod si Testis non præsentat originale Libelli famosi (quod supponimus jam esse in actis, cum sit corpus delicti, de quo antecedenter debet constare, (ut dictum est alias) non est curandum de ejus testimonio, quia nihil concludit. Si autem præsentat verum originale, debet scribi, ut sequitur:

Scriptura autem illa est idemmet Libellus famosus originalis, qui in Actis insertus fuit, ut supra &c. & ad mandatum A. R. P. fuit cum aliis sex copiis oblatus prædicto Testi, ut dictum est. Et idem A. R. P. jussit, ut denuò inter Acta, suo loco, reponeretur.

Interrogatus. An alii sint, qui notam habeant manum dicti Fr. N. & quinam sint?

An amore, aut odio deposuerit?

An habeat aliquod aliud super tali facto deponendum? &c.

Et terminatur examen per conclusionem. Quibus habitis, *ut supra numero* XIII.

Quod si primus Testis deponit Libellum esse de manu alicujus, & revera, ex sibi præsentatis a Judice eligit originale corpus delicti, facto comprobat cognitionem, quam asserit de nota manu & potest Judex devenire ad examen aliorum, qui nominati sunt a primo Teste. Porro examen illorum potest esse, sicut quando examinatur aliquis in Inquisitione in specie, aut in Accusatione super Scriptura, & Nos dicemus infra num. XXIX. *Videatur ibi.*

ADNOTATIO.

XXIII. *Advertendum, quod ultra Scripturam, possunt etiam alio modo ad injuriam alicujus affigi ad ejus cameram, sivè alibi symbola infamatoria, sivè picturæ obscenæ, sivè alio modo alicui injuriosæ, ut affigere cornua postibus alicujus Viri, seu Mulieris honoratæ, stercorare januam; cornua brutorum, maximè Caprarum, projicere ante januam domus; effigiem injuriati, cornibus ad ejus caput, deturpatum, penicillo, hæmatite, seu calamo pingere &c. Omnia hæc possunt esse manifesta ignoto Auctore. Tali casu possunt benè quadrare interrogatoria generalia, & etiam de inimicitia, sed non illa, quæ concernunt Scripturam, & nos supra dedimus. Oportet tunc ab aliis accidentibus loci, modi, occasionis, personarum, & accidentium præteritorum, inter infamatum, & alios venari indicia; neque enim de omnibus universaliter interrogatoriis, quæ fieri possunt, Judicem informare volumus, sed ex supradictis debet ex se formare ea, quæ magis ad rem expedire judicaverit. Possunt pariter alia corpora delicti diversa a supradictis, ignoto Auctore, esse manifesta: ut succisio arborum fructiferarum, sivè ad decorem; incendium alicujus rei mobilis, sivè immobilis; destructio alicujus fabricæ inceptæ; laceratio, sivè deturpatio Imaginum Sacrarum, vel non &c. In his, & similibus convenit Judici sagaci, benè pensatis omnibus circumstantiis facti, excogitare interrogatoria ad rem facientia, & ad indicia eruenda: de omnibus enim exemplum dare impossibile est. Advertant tamen benè Judices, quod si contra res sacras esset facta injuria, utpotè si esset truncatum brachium, caput, aut crus alicui statuæ Christi, vel Sanctorum; deturpata, sivè fracta tabula Altaris, sivè alterius Sacræ Imaginis; usurpata verba Sacræ Scripturæ in Libello infamatorio, aut obsceno &c. visi ato corpore delicti, debet Judex lavare manum a P oc ssu, & de ea informare Sacrum Fidei Tribunal, (ad quod spectat privativè causa,) donec Inquisitor det facultatem, ut in foro Regulari procedatur.*

XXIV. Forma concedendi impunitatem.

Accidit aliquandò, quod nullum potest haberi indicium, nec proximum, nec remotum, criminosi; delicto alioquin gravissimo patente, ob quod maximum damnum potest evenire Religioni. Tali casu, potest Provincialis, cum Diffinitorio, vel etiam Provincialis solus (si periculum est in mora) impunitatem concedere Reo alicui, ut Correos revelet, dummodo nomine Generalis hoc faciat, ut diximus Par. I. Tit. Reus num. 78. & seqq. pag. 420. *Forma verò est, ut sequitur:*

Fr. N. Ord. Minorum &c. Provinciæ N. Minister Provincialis, & Servus, Dilectis plurimùm in Christo Patribus, & Fratribus prædictæ Provinciæ, salutem &c.

Cum in nostro Conventu N. maximum furtum fuerit commissum, & asportata vasa argentea, gemmæ, pecunia &c. Illustrissimi D. N. qui ea deposuerat, in quadam camera Conventus, cujus clavis asservatur a prædicto Domino; periculumque maximum immineat toti Ordini, si tale furtum divulgabitur, & res furatæ non recuperarentur; & ad hunc effectum Monitorium publicaverimus, ut qui informatus aliquo modo esset de furto, & fure, seu furibus, revelaret illos; & nemine comparente; fulminaverimus anathema contra Auctores, Complices, & Conscios tam enormis criminis non revelantes; nec tamen per hoc aliquod, nec minimum indicium circa prædicta habere potuerimus; consideravimus hoc evenire, eo quia conscii de tali delicto sint soli complices, qui, metu poenarum, seipsos prodere noluerunt. Ut ergo tali timore solvantur, & consequenter securi a poenis revelare valeant, ubi reperiantur res furatæ, & Delinquentes, decernimus nomine, & authoritate Reverendissimi P. Ministri Generalis, ex ipsius licentia a Nobis præsumpta, impunitatem primo revelanti concedere. Harum ergo serie vobis omnibus, & vestrum singulis significamus, publicamque Religiosam fidem spondemus; quod si aliquis juridice, & in forma probante, revelaverit, ubi reperiantur res furatæ, ad effectum eas recuperandi, saltem in parte; & qui, & quot fuerint fures; eosque in manus Curiæ nostræ, si nostri sint subditi, pervenire faciet, ille quantumvis complex quoquomodo fuerit in prædicto crimine (dummodo non fuerit principalis principalissimus) pro tali delicto, ullam prorsus poenam, nec ordinariam, nec extraordinariam non subibit. Quod si post harum publicationem, ut præfertur, aliquis comparuerit, sed ante ejus revelationem Delinquentes, seu Delinquens fugam arripuerit, facta revelatio, utpotè facta cum dolo, & præmonitione insinuata Reo, ut fugeret, non suffragabit, ad consequendam supradictam impunitatem. Volumus autem, quod præsentes literæ in singulis Conventibus Capitulariter legantur, & earum exemplar ad valvas interiores Refectorij affigantur, ut omnibus pateant, & possint Complices delicti memorati animari ad revelandum, & suæ indemnitati prospiciendum. Dat. &c.

Ego N. Minister.

Locus ✠ sigilli.

Ego N. Actuarius.

Prædictæ literæ scribi debent in lingua vernacula, ut etiam à rudibus possint intelligi, & publicari per omnes Conventus Provinciæ, sicut legi solent aliæ literæ Circulares, & etiam in Processu registrari.

XXV. Forma examinandi Testes, quando delictum est notorium, seu probatum, & Delinquens extrajudicialiter scitur.

Antequam in hoc casu examinentur Testes de visu; optimum est examinare aliquem de auditu, qui judicialiter deponat, quinam fuerint præsentes Delicto, hoc enim modo securior via sternitur Judici ad examinandos Testes de visu, cum jam remaneant indiciati, in Judicio, quod fuerint præsentes delicto.

Vocatus fuit &c. *ut sup. num.* X.

Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

In quo Conventu habitet de Familia, & quod Officium habeat?

Qui sint Fratres in eodem Conventu habitantes?

An audierit aliquod inconveniens, delictum, aut scandalum fuisse commissum?

A quibus, quandò, & quo loco, & quibus præsentibus, & qua occasione audierit?

Quinam sibi narraverint?

Et terminatur examen per conclusionem. Quibus habitis &c. *ut sup. num.* XII.

Examinato uno, vel altero Teste de auditu, examinandi sunt Testes de visu, ut sequitur.

Vocatus fuit &c. *ut sup. num.* X.

Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

In quo Conventu maneat de Familia?

Ubi erat die tali &c?

An sciat tali die aliquod scandalum, aut delictum fuisse commissum, & dicat quid, & à quo, & quomodo, & ubi, & quibus præsentibus fuerit commissum?

Si agatur de percussione, vulneratione, aut occisione, sive mutilatione, interrogetur.

An sciat causam, ob quam jurgatus est Fr. N. contrà Fr. N.?

Quæ verba dixerit unus contrà alium?

Quisnam fuerit provocator?

Quis insurrexit prior adversus alium?

An ambo essent armati, & quibus armis?

An ex occasione rixæ acceperint lapides, ferrum, lignum &c.?

An viderit unus quando alium vulneravit?

Quo instrumento vulneraverit?

In qua parte corporis vulneraverit?

Quot ictibus vulneraverit?

An punctim, an cæsim, aut quomodo?

An cognosceret cultrum, ferrum, lignum, lapidem &c. quo vulneravit, sivè percussit?

An sciat ubi reperiatur modo tale instrumentum?

Si affirmat, subsequatur.

Tunc A. R. P. jussit prædicto Testi, ut instrumentum illud perquireret, & coram se afferet; qui promptè obediens ivit ad illud sumendum, & reversus præsentavit illi cultellum tantæ latitudinis &c, tantæ longitudinis &c. acutum, & affilatum &c. habentem manubrium &c. tinctum sanguine &c. *sivè* baculum &c. *sivè* pugionem, stilum, lanceam, baculum, saxum &c. *& describantur omnes particularitates talis instrumenti exactè*, & dixit, hoc est instrumentum, quo armatus dictus Fr. N. percussit Fr. N. prout deposuit.

Interrogatus. Ubi nam asservabatur tale instrumentum?

Quo modò sciat esse illud præcisè, & non aliud simile sibi?

An

An sciat quid posteà secutum sit?
Quinam alii fuerint præsentes tali facto?
An amore, vel odio deposuit?
Et terminatur examen per conclusionem. Quibus habitis &c. *ut supra num.* XIII.

ADNOTATIO.

XXVI. *Advertendum, quod plerique Criminalistæ in eorum Formulariis tradunt, quod si in judicio præsentetur cultellus, stilus, sive pugio, quo aliquis fuit vulneratus, debet delineari in Processu quantum fieri potest, addendo, seu conjungendo chartam folio Processus, si instrumentum non poterit unica pagina comprehendi. Sed hæc est scrupulosa solemnitas, quæ si non servatur, processum minimè vitiat. Concedo quidem, quod præsentatio instrumenti, quo maleficium, fuit perpetratum, facta in judicio, valdè confert ad movendum Reum ad confessionem, ut suo loco dicemus; & ideò si habetur, debet Judici præsentari, & omnis ejus circumstantia describi, ut constet de ejus identitate: Sed ad quid ejus delineatio in processu, cum, ea constante, adhuc posset mutari unum in aliud instrumentum, servata eadem forma, latitudine, & longitudine, quæ sola possunt per lineas repræsentari? Quid si Delinquens nullum instrumentum reliquit, quod in Judicio præsentari possit; aut ille usus est lancea, bidente, ligone, bipalio, aut vecte, sex, vel octo pedum longitudinis, fortè hæc essent etiam ipsa delineanda, sub nullitate processus? Minimè. Quare ergo delineandus cultellus, stilus, pugio, aliaque arma brevia? Certè nulla est lex, quæ necessitatem de hoc imponat. Sivè ergo fiat delineatio, sive non, processus minimè reddetur vitiatus.*

XXVII. Foma examinandi Testes super Furto, quando Delinquens est indiciatus.

Vocatus fuit &c. *ut supr. num.* X.
Interrog. An sciat causam suæ vocationis?
In quo Conventu habitet de Familia; & in quo Officio?
Qui sint Fratres secum commorantes?
Tali tempore, in quo loco reperiebatur ipse Testis?
An tali tempore commissum sit aliquod delictum in Conventu?
Quale delictum fuerit commissum, & à quo?
Quomodo hoc sciat?
An sciat res furatas?
An ipsas cognosceret?
Si affirmat, debet fieri recognitio, ut sequitur:
Tunc A. R. P. jussit afferri res, quæ fuerunt sublatæ à Sacristia, Refectorio, Coquina; sive Cella alicujus Fratris &c. de quibus supra in Actis &c. & ipsis positis coram prædicto Teste, dictum ei fuit, ut eas singillatim recognosceret, qui bene ipsis observatis dixit, optimè ego cognosco hoc, & hoc &c. quia sæpius hoc, & hoc vidi in Sacristia, Coquina, Cella &c. & hoc etiam vidi in cella Fratris N. qui illud in usu habebat, & cum reperta sint hæc omnia abscondita à Fr. N. in cella sua, sive alibi, dico, quod omnia hæc ab ipso furata sunt.
Interrogatus. Quomodo asserat has res fuisse ab illo surreptas?
An omnia hæc potuerint unica vice auferri à prædicto Fr. N. in illo involucro, quod Testis dixit vidisse asportari à Fr. N. à Sacristia, Coquina, Cella &c?
Si erat de nocte, prout dixit ipse Testis, & quomodò potuit illud videre?
In quo loco erat ipse Testis, dum eum vidit?
An sciat Fr. N. fuisse visum ab alio, à quo, & quo loco?
Quomodò sciat?
Si res furatæ non fuerint inventæ, & Testis dixerit, se vidisse Furem, quando surripuit.
Interrogetur. Quando vidit Furem asportantem Furtum, an viderit pariter, ubi ipsum abscondit?
An Fur exierit à Conventu post Furtum, & cum quo Fratre, & quò ivit?
An viderit ipsum exeuntem?
An haberet tunc mantellum, aut sportam plenam subtus mantellum?
An Fr. N. habeat amicitiam suspectam cum aliqua Muliere paupere, & malæ famæ; ipsius domum frequentet; dederit illi dona; & quæ, & quomodò hoc sciat, & à quibus, & quando, & qua occasione audierit &c.?
An Fr. N. habeat Consanguineos pauperes; si ipsis unquam aliquid dederit; & quid, & quandò, & quomodo sciat; vel à quo, vel à quibus audierit?
An sciat Fr. N. vendidisse aliquid alicui de rebus, quæ furatæ fuerunt; aut ab aliis audivit, & à quibus, & quomodò?
An Fr. N. habeat res pretiosas, & curiosas, ut jocalia muliebria, Coronas, Medaleas &c. sandalia, sudaria subtilia, strophiola serica &c. vel solitus sit in camera comedere cibos pretiosos, vina generosa &c.
An ista potuerint sibi dari ab Amicis divitibus, seu Consanguineis suis; & quare non?
De causa scientiæ omnium prædictorum?
An sciat, vel audierit Fr. N. tenere pecuniam apud se, vel Syndicum Apostolicum, aut alium Sæcularem, & per eos sibi comparari fecisse prædicta, de quibus deponit?
Quomodo, vel quando audierit?
Cujus famæ sit Fr. N. prædictus?
Quinam possint esse Contestes de supradictis?
An amore, vel odio deposuit?
Et terminetur examen per conlusionem. Quibus &c. *sup. num.* XIII.

XXVIII. Formà examinandi Testes de Libello famoso affixo, seu disperso, quando Delinquens est indiciatus.

Vocatus fuit &c. *ut sup. num.* 10.
Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?
Ubi habitet de Familia; à quo tempore; in quo Officio; & qui sint Fratres secum cohabitantes?
An audiverit, seu viderit aliquam Religiosam, vel Sæcularem personam, fuisse cum scandalo infamatam; & quomodo sciat, aut à quibus, qua occasione, ubi, coram quibus, & quandò audierit?
An viderit Libellum affixum; cornua pendentia à postibus, sivè sparsa antè januam; seu ostium stercoratum &c.
An sciat quisnam Libellum affixerit, composuerit, scripserit, disperserit?
Si dicit se vidisse illum, qui affixit, & ubi, & quando, & quomodò, habemus intentum. Si dicit vidisse Libellum affixum, sed nescire quis affixerit, sed se vidisse Cajum, qui illum scribebat.
Interrogetur. An legerit, aut legi audierit Scripturam, quam faciebat *Cajus*; & quid continebat, & ubi,

ubi, & quando, & coram quibus, & qua occasione legit, aut legi audivit?

An si sibi ostenderetur Scriptura Caii, illam recognosceret?

Dicat à quonam signo recognosceret; & describat quantum possit exactius chartam (& ejus circumstantias) scriptam à Cajò?

Si dicit se esse cogniturum à circumstantiis, quas asserit; jubeat Judex, ut producatur Libellus, qui jam supponitur esse in Actis, & fiat recognitio à Teste, & ità describatur.

Tunc A. R. P. jussit mihi Actuario, ut ostenderem prædicto Testi Libellum famosum præinsertum in Actis, ut supra &c. Quo viso dixit idem Testis, ista est Scriptura eadem, quæ facta fuit à Cajo.

Interrogatus de causa, & causis quare asserat esse eandem Scripturam, non verò aliam sibi similem &c.?

Si dicit se esse cogniturum, quia notam habet manum Caii; *Judex, ad certificandum de hoc, debet aliquas copias Libelli scriptas à diversis habere, & simul cum illis ponere Libellum originalem, & coram Teste omnia statuere, & reliqua perficere sicut diximus supra* num. XXII. *Quod si Testis extrahit Libellum originalem ex aliis copiis, debet Judex examen ejus concludere per terminationem.* Quibus habitis, ut sup. num. XIII. *Evindè alios Testes examinare de nota manu, ut infrà dicetur.*

Si dicit se non vidisse affixum, sed alium similem vidisse in manu Seii antè, vel post affixionem, & illum legisse, aut legi audivisse.

Interrogetur. An sciat quid continebat Libellus, seu Scriptura, quam vidit in manu *Seii*?

Quo loco, ubi, *qua* occasione; quomodò, & coram quibus ostendit, vel legit talem Scripturam?

An dixerit *Sejus*, quisnam composuerit illam; quis scripserit; vel à quo habuerit?

An sciat causam, quare *Sejus* illam sibi ostenderit?

An *Sejus* illam aliis publicaverit, & quibus?

Præter supradictas interrogationes quadrare possunt etiam ad intentum illæ, quas dedimus supra num. XXII. *Et hoc relinquitur sagacitati Judicis, ut indaget indicia concludentia Delinquentem; & terminatur examen per conclusionem.* Quibus habitis &c. *ut sup. num.*XIII.

XXIX Forma examinadi Testes de nota manu Scriptoris in recognitione alicujus Scripturæ.

Vocatus fuit &c. *ut sup. num.*X.

Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

An cognoscat Fr. N. & à quo tempore cognoscat?

An habeat secum familiaritatem, seu correspondentiam?

An aliqua negotia sibi invicem, & reciprocè commiserint?

An viderit multoties Scripturas, sivè literas ipsius Fr. N.?

An aliquando; quoties; & à quo tempore ille literas ad se scripserit?

An aliquas literas ipsius apud se habeat?

Si habeat jubeatur illas in judicio sistere; & sic describatur.

Tunc A. R. P. jussit prædicto Testi, ut literas sibi scriptas à prædicto Fr. N. afferret, & in judicio præsentaret. Qui promptè obediens perrexit in cellam, & attulit quatuor epistolas subsignatas nomine Fr. N. & prima erat sub dat. Romæ die &c. & incipit &c. *& ponatur tenor initii epistolæ.* Secunda erat sub dat. &c. tertia &c. & quarta &c. & dixit Testis prædictus, istæ sunt Epistolæ ad Me missæ à Fr. N. supradicto.

Interrogatus. An sciat prædictas Epistolas fuisse scriptas à memorato Fr. N.?

Quomodo hoc sciat?

An cognosceret inter diversas scripturas manum, & characteres prædicti Fr. N.

Tunc A. R. P. jussit, ut afferrentur multæ Epistolæ ad se scriptæ à diversis, inter quas erat una scripta à præfato Fr. N. *sivè* alia folia, *sive* conciones, *sivè* aliæ scripturæ &c. & posuit ante prædictum Testem, ita tamen, ut non viderentur subsignationes, aut nomina eorum, qui Epistolas scripserunt; & ei dixit, ut seligeret Scripturam exaratam à Fr. N. prædicto; qui extrahens unum folium &c. dixit, hoc est scriptum à Fr. N.

Si Testis aliud folium extrahit, non scriptum ab eo, quem ipse dicit, non curetur de ejus testimonio. Et concludatur examen hoc modo.

Et cum præsentasset A. R. Patri Epistolam, quæ non erat scripta à Fr. N. supra dicto, sed à Fr. N. ut ostendit ex subsignatione ad calcem Epistolæ, cernens A. R. P. illius testimonium nihil concludere, ex imperitia manus Fr. N. supradicti, post lecturam sui examinis sibi factam, ipsum dimisit. Acta sunt hæc Die.... Mense.... Anno &c.

Ego N. Testis affirmo ut supra.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

Si verò extrahit Epistolam, sivè Scripturam, exaratam manu ejus, quem ipse dixit; debet ob eo fieri recognitio Libelli famosi existentis in Actis. Et licet optimum esset multas copias diversis characteribus exaratas habere, & inter eas inserere etiam Libellum originalem, prout diximus supra num. XXII. *tamen hoc non est necessarium, cum jam Testis fecerit periculum de nota manu, ut dictum est. Debet ergò sibi ostendi Libellus, ut sequitur.*

Tunc A. R. P. jussit, ut per Me Actuarium ostenderetur Libellus præinsertus in Actis, ut supra dictum fuit; quem cum attentè legisset, & accuratè observasset, fuit.

Interrogatus. Quid sibi videtur de illo Libello, & à quo judicet esse scriptum?

Quarè ita judicet?

An amore, aut odio deposuerit.

Et terminatur examen per conclusionem. Quibus habitis, &c. *ut sup. num.*XIII.

XXX. Forma examinandi Peritos circa Scripturam aliquam per comparationem literarum.

Recognitio scripturæ alicujus per Testes de nota manu, licet ab Auctoribus approbetur, tamen rerum magistra experientia docet, non multum illi esse fidendum; id enim in mala profecit humana perversitas, ut subtilissimo invento ab aliquibus excogitata sit ars, per quam ita imitari perfectè possunt characteres alieni, ut decipi possint etiam ii, quorum scriptura adulterata fuit, & in factis contingentiu hoc vidi, ut recitavimus Par. I. *Possunt ergo a fortiori decipi etiam Testes de nota manu; unde imbecillis est reputanda eorum probatio. Majus habet*

bet fundamentum recognitio, quæ fit per comparationem manuum, si tamen recte, & a vere Peritis fiat. Ad hanc vero necessarium est, quod in judicio constet de scriptura certa, cum qua debet fieri comparatio; Item quod Periti sint non Pictores, Delineatores, sive Architecti, aut Notarii; sed Magistri, qui scribere doceant, istorum enim propria est ars cognoscendi literarum formam, & qualitatem characterum; ideam scribentis; & etiam a scriptura cognoscere, quomodo aptus fuerit calamus, quo fuit facta scriptura, puta an quadratè, an acutè &c. Tandem debent considerare scripturam utendo mycroscopio, seu magna lente crystallina utrinque convexa, quæ res minutas ad visum notabiliter auget, ut facile tunc sit, minutas alterationes, & varietates, quæ sunt in characteribus, animadvertere, quæ absque ope tali discerni nequeunt. Hoc vidi practicatum in quadam causa, in qua agebatur de quadam epistola infamatoria, quæ dicebatur scripta a quodam Viro gravi contra quendam Principem. Adhibiti ad recognitionem fuere Testes de nota manu, qui affirmarunt; esse scriptam manu illius, qui erat inquisitus. Ultra hos, pro Fisco, adhibiti fuere duo Copistæ, pro recognitione per confrontationem manuum; qui etiam ipsi idem affirmarunt, Sed isti egregiè fuere reprobati per Reum prætensum in suis defensionibus. Iste siquidem adhibuit duos Magistros scripturæ excellentissimos. Isti legaturam literarum variatam a vera, & genuina scriptura; sex literas specificè distinctas in totum dissimiles; obliquitatem linearum in scriptura vera appositam earundem rectitudini in Epistola illa observarunt, & ad oculum Fiscali, & Judici demonstrarunt. Exinde sumpta magna lente crystallina observarunt scripturam genuinam, & viderunt omnes caracterum ductiones, (utpote factas a calamo, qui prægnans atramentu ipsum æqualiter, & abunde reddebat) esse æqualis crassitiei, & manu expedita, & veloci formatas; in Epistola vero falsificata conspicuè apparebat inæqualitas crassitiei; modo abundantia, modo defectus atramenti in eadem litera, & ductus characterum non veloci, & cum libertate ducto calamo factus, sed pigro, & nutanti, ob necessitatem imitationis: & quod plus est, in quibusdam flexionibus characterum, ubi calamus pressus majus reddit atramentum, & latior evadit ductus, deprehenderunt latitudinem illam non esse factam a calamo æqualiter encaustum reddente, sed a penniculo, qui talem æqualitatem reddere non valet. Et tandem monstrarunt, nonnullos characteres ostendere aliquam sui partem formatum nigra hematite (vulgo lapis,) qua antequam obducti atramento essent, characteres erant figurati, & Falsarius partem illam non bene atramento obduxerat. Et hæc omnia absque lente prædicta observari non poterant. Et sic Epistola fuit pronunciata falsificata.

In facti ergo contingentia Judex accurate supradicta omnia servet, nè, cum violatione justitiæ, lædat proximum, ac animam suam; potest verò describi totum, ut sequitur:

Consequenter A. R. P. Provincialis conquiri fecit per me Actuarium apud diversos Fratres, qui communicationem per literas habent cum prædicto Fr. N., an haberent apud se aliquas epistolas ad se scriptas à memorato Fr. N. Et reperti funt nonnulli, nempè PP. NN. & N. Ad mandatum ergo ejusdem A. R. P. Ministri comparuit P. N. Prædicator &c. qui præsentavit unam, sivè duas epistolas &c. & sibi dato juramento de veritate, prout juravit &c. fuit.

Interrogatus. A quo acceperit illas Epistolas?

An sciat a quo fuerint scriptæ?

Cujus manu fuerint exaratæ?

Quomodò hoc sciat &c.?

Tunc A. R. P. jussit, ut prædictæ Epistolæ reciperentur inter Acta, & prima sub dat. Tusculi &c. die &c. & incipit &c. & definit &c. *Et ponatur pariter tenor*. Secunda sub data Romæ &c. die &c. incipit &c. & definit &c. *Et ponatur pariter tenor*, & sunt signatæ numero, sivè litera &c. & lecto sibi suo examine, cui noluit addere, aut minuere, dimissus est salvo &c. Acta sunt hæc Die ..... Mense &c.

Ego Fr. N. præsentavi, & affirmo ut supra.
Ego Fr. N. Minister.
Ego Fr. N. Actuarius.

Simili modo describi debent comparitiones aliorum Testium; præsentatio Epistolarum; earundem receptio inter Acta, cum descriptione datæ, initii, & finis illarum, & examine Testium, ut supra dictum est. Vocari ex post debent Periti, & fieri confrontatio, & describi, ut sequitur:

Constito eidem A. R. P. de certitudine Epistolarum, de quibus supra, quod essent scriptæ a supradicto Fr. N. decrevit A. R. P., prout præsenti Decreto decernit, quod per Peritos idoneos fiat recognitio præinserti Libelli, facta comparatione ejusdem cum supra memoratis Epistolis. Proindè habita prius licentia a D. Prætore (ut constat ex memoriali ab se dato, & decretato) eos juridicè interrogandi; coram se vocare fecit DD. N. & N. qui sunt publici Magistri scripturæ habitantes &c. & coram illis produci fecit Libellum, & scripturas, sivè epistolas memoratas, & rogavit, ut accuratè, attentè, & diligentissimè illas scripturas examinarent, & observarent, an essent scriptæ una, & eadem manu. Et judicium suum scripto referrent. Acta sunt hæc Die ... Mense .... Anno &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

Consequenter comparuerunt DD. N. & N. coram A. R. P. Ministro relationem super recognitione scripturarum sibi demandata præsentaturi; & sibi dato juramento, prout jurarunt tact. &c. præsentarunt eidem A. R. P. Ministro judicium suum in scriptis, dicentes se accuratè observasse, & sillabatim examinasse juxta principia artis suæ illas scripturas, & suum ipsorum judicium fecisse, prout continetur in illo scripto, quod in Actis præsentant, & incipit &c. & definit &c. *Et ponatur tenor &c.*

Judex debet per Actuarium coram Peritis legi facere judicium ipsorum, & si in eo Periti recitent diligentiam adhibitam, & modos servatos in observatione, ut paulò suprà diximus, & reddant causas, seu principia artis suæ allegent, ob quæ judicant, Judex potest eos licentiare, & Actum terminare, ut sequitur:

Et lecto per me Actuarium, ad mandatum ejusdem A. R. P. Ministri, prædicto judicio, ipsis gratias egit, & eos dimisit. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Peritus affirmo, ut suprà.
Ego N. Peritus affirmo &c.

Ego

Ego N. Minister &c.
Ego N. Actuarius.

Si vero Periti in scriptura rationem sui dicti non assignant, debet Judex quemlibet illorum examinare, prout sequitur.

Et lecto per Me Actuarium ad mandatum ejusdem A. R. P. Ministri prædicto judicio, cum necessarium existimasset illos examinare ad effectum se plenius informandi, jussi D.N. Perito, ut dignaretur per parum temporis exire è camera illa, donec vocaretur. Qui exivit continuò; & A.R.P. D.N. Peritum, qui remanserat.

Interrogavit. Quam diligentiam fecerit in observatione memoratarum scripturarum?

Quare judicet talem Libellum esse, vel non esse scriptum eadem manu cum epistolis?

An secundùm principia Artis suæ judicet causas à se adductas realiter concludere prout ipse judicavit?

An amore, vel odio deposuerit?

Et terminetur examen per conclusionem. Quibus habitis &c. ut supra n.XIII.

Ego N. Peritus affirmo, ut sup.
Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

Et pari modo examinetur alius Peritus.

XXXI. Forma examinandi Testes in causa suspecti consortii.

Vocatus fuit &c. ut *suprà num.*X.

Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

In quo Conventu habitet; in quo officio; à quo tempore, & qui sint Fratres secum habitantes?

An fuerit extra Conventum cum Fr. N., quo tempore, & quoties?

Ad quas domus ierit, cum prædicto Fr.N.?

An unquam, & quoties fuerit ad domum mulieris N.?

Cujus status, aut conditionis, & famæ sit talis Mulier; an Nupta, Vidua, seu Virgo?

Quot annorum plùs minùs?

An sit nobilis, an ordinariæ, an vilis conditionis?

An dives, an pauper?

An vivat de redditibus, aut labore suo, aut quomodo?

An vicinia habeat eam in existimatione bona, vel mala, & de causa talis existimationis?

De causa scientiæ omnium prædictorum?

Cujus conversationis, & famæ sit Fr. N. supradictus?

Quomodò hoc sciat?

An sciat quid negotii haberet Fr. N. cum Muliere prædicta?

An signa benevolentiæ insolita viderit inter eos?

An Fr. N. ostenderit aliqua signa particularis domesticitatis cum tali Muliere, & quæ?

An sequestraverint aliquando se Fr., & Mulier à prædicto Teste, ità ut eos non posset videre?

Per quantum temporis manserunt sequestrati antequam redirent?

Ubi nam se retraxerunt?

Quid dixerunt ipsi Testi antequam se sequestrarent?

Quando redierunt, an essent colore in facie mutati, & quo modo?

Si sequestrati erant, sed in loco, ubi Testis eos poterat videre.

Interrogetur. Quinam erant gestus, motus corporis eorum, & præcipuè oculorum, & quomodò situati erant?

An toties, quoties ivit ad illam domum, se pari modo sequestraverint?

An Fr. N. dederit munera tali Mulieri, quæ, quoties, & quando, & quomodò hoc sciat?

An sciat illos invicem ad se mittere literas, aut nuncios, & quid continebant, vel referebant literæ, seu nuncii, & de causa scientiæ?

An dicta Mulier frequenter veniat ad Conventum, & vocare faciat prædictum Fr. N.?

Si sequestrata ab aliis secùm loquatur in Ecclesia, Cappella remota, sivè in atrio Ecclesiæ, aut alibi, & quomodò hoc sciat?

An Fratres, seu Sæculares audierit murmurantes de tali familiaritate, frequentia, & amicitia; qui fuerint Fratres, vel Sæculares, à quibus audivit; quid dixerint, ubi, quando, coram quibus; & quoties?

An sciat Fratrem, seu Sæcularem aliquem, seu aliquos, monuisse Fr. N. de tali amicitia?

An ex post refrænaverit se à tanta frequentia visitationum?

An ipse Testis correxerit Fr. N., vel Superiorem Localem monuerit de hoc?

An amore, vel odio deposuerit?

Qui sint Fratres, aut Sæculares, qui sint verosimiliter, vel certò, informati de depositis à se?

Quibus habitis &c. *ut sup.* XIII.

XXXII. Forma examinandi Testes in causa lapsus carnis opere consummati cum secunda persona.

Vocatus fuit &c. *ut sup. num.* X.

Præmitti possunt interrogationes factæ supra num. XXXI. *Tendunt enim ad eundem finem; & addi sequentes.*

An Fr. N. cum Muliere N. sequestraverint se ab isto Teste?

In quem locum se retraxerunt?

An poterat illos videre?

An clauserint ostium post se, vel cortinam ostij expanderint, ne viderentur?

An ex curiositate ipsos, sine strepitu, secutus sit?

An per rimas ostij, vel parùm diducta cortina ipsos viderit?

Quid facere eos vidit?

Si non potuit videre, quid audierit, loquentes?

Quos sonos, aut strepitus audierit, seu voces?

Et in hoc sit Judex diligens, ut Testis benè explicet omnes circumstantias, quas observavit, ut risus, suspiria; anhelitus, gannitus, strepitus ex concussione lecti, ex poppysmatis &c. lamentationes &c. ista enim cum sint vehementissima indicia, concludunt delictum, cumulata cum cæteris.

Quando sunt reversi quales apparuerunt in vultu, & colore mutati, & quali?

An solus Fr. N. reversus sit, relicta sola muliere?

An reversa sit & illa secum, & quid dixerit?

An esset solito rubicundior; incomposito crine, rugosis vestibus &c.

Quo die, & mense fuit hoc?

An alii idem viderint, sivè audierint?

An amore, vel odio deposuerit?

Et terminatur examen per conclusionem. Quibus habitis &c. *ut sup. num. XIII.*

XXXIII. For-

XXXIII. Forma examinandi Testes in copula carnali attentata.

Vocatus fuit &c. ut supra numero X. Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

Ubi habitet de familia; a quo tempore; cum quibus; in quo Officio?

An extra Conventum fuerit cum Fr. N. quoties, & quando?

Tali die ad quas domos iverunt?

In illa domo quæ mulieres habitent?

An omnes illæ sint honestæ famæ, & quomodo sciat?

An vidisset illas omnes esse in domo, an viderit tantum aliquam, & quam?

Cujus ætatis plus minus erat puella, quam dixit vidisse?

An sciat illius nomen?

Cujus staturæ, capillorum, coloris, faciei? &c.

Et Judex faciat exprimi a Teste omnes circumstantias corporales, ob quas illa potest in individuo cognosci.

An Fr. N. illam allocutus fuerit coram se Teste; quid illi dixerit; quid dederit?

Postquam Fr. N. illam abduxit in cameram, sive alium locum, an ipse Testis ex curiositate clanculum post illos abierit, & quid viderit?

Si non poterat videre; an saltem audierit, quid dicerent, aut ex strepitu, voce, seu clamore potuit cognoscere, quid facerent?

Quando audivit puellam vociferantem, an ipse Testis accurrerit; & quare non?

An statim ad clamorem illum Fr. N. sit reversus ad Testem; & an esset turbatus; & quo vultu; an statim discesserit a domo illa?

An ad clamorem vociferantis alii accurerint, & qui?

An postquam discesserunt, ipse Testis interrogaverit Fr. N. de Causa, cur Puella clamaverit, & quid responderit Fr. N.

Prædictæ interrogationes possunt fieri etiam si persona tentata fuerit honesta Vidua, sive maritata, quæ delictum abnuerit. Pariter etiam si Puella consensit in Stuprum, sed, ex ætate nondum Viripotens, non potuit ex dolore admittere congressum; & hoc etiam schema interrogandi potest quadrare in crimine nefando attentato, seu consummato; faciendo tamen congruas interrogationes juxta locorum, temporis, personarum, occasionis, & cæterarum circumstantiarum exigentiam; de quibus omnibus quadrantes, ad singula facta, interrogationes extendere esset impossibile, proinde Judex, ex jam dictis, poterit ad rem necessarias interrogationes excogitare.

Cujus famæ sit Fr. N.?

An alias fuerit de Carnis delicto pœnitentiatus, seu monitus?

An amore, aut odio deposuerit?

Et terminatur examen per conclusionem. Quibus habitis &c. *ut supra numero XIII.*

XXXIV. Forma examinandi Testes in Causa Conspirationis, sive Conjurationis in Superiorem, sive alium Religiosum.

Vocatus fuit &c. *ut sup. num. X.* Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

Ubi, & a quo tempore, & in quo Officio, habitet de familia?

Qui sint Fratres secum habitantes?

An audierit aliquem, vel aliquos conquerentes de Superiore?

De qua re conquerebantur?

Ubi, quando, quoties, & coram quibus audivit?

Quæ verba dixerint in specie?

An ipse examinatus requisitus sit ab ipsis, ut alicui memoriali subscriberet?

Qui nam fuerunt Requirentes?

Ubi, quando, & coram quibus, & quoties, & quomodo requisierunt?

Quisnam eorum erat principalis, & magis urgebat, ut ipse subscriberet?

An legerit Memoriale, & quid continebat?

An alii, & qui, erant ibi subscripti?

Quare ipsi subscripserit?

An sciat causam, quare illi tale Memoriale formaverint?

An sciat, vel conjectetur, quis fuerit Author talis Memorialis, & ut cæteri subscriberent?

An sciat illos in hoc convenisse, quomodo sciat, & ubi, & quando, & quomodo convenerint?

An alii sint de hoc informati, & qui?

Et completur examen per conclusionem.

Quibus habitis &c. *ut sup. num. XIII.*

XXXV. Forma examinandi Testes de Confessione extrajudiciali.

Vocatus fuit &c. *ut supra num. X.* Interrogatus. An sciat Causam suæ vocationis?

An cognoscat Fr. N.?

A quo tempore?

An sermonem secum habuerit?

Et ponatur Delictum, de cujus confessione extrajudiciali quæritur.

Quo loco; quo tempore; qua occasione; quibus præsentibus?

Quid dixit Fr. N. de tali Delicto; & quid sibi responsum fuerit a Teste, seu alio præsente?

An dixerit causam, quare illud Delictum commisit?

An Fr. N. tunc esset ebrius, & non compos mentis; an tantum vino exhilaratus?

An solitus sit, se jactare de re, quam non fecit?

An de tali specie Delicti fuerit diffamatus, correctus, seu pœnitentiatus alias?

An sub juramento affirmaverit, se illud Delictum commisisse?

An ipse Testis, & cæteri, qui audierunt, crediderint, illum vera dixisse, & quare ita crediderint?

An amore, vel odio deposuerit?

Et completur examen per conclusionem Quibus habitis &c. *ut supra num. XIII.*

XXXVI. Forma examinandi Testes in Causa Apostasiæ.

Vocatus fuit &c. *ut supra num. X.* Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

Ubi; cum quibus; a quo tempore; & in quo Officio habitet de familia?

An hoc tempore commissum fuisse aliquod Delictum ab aliquo sciat; & quod Delictum, de causa scientiæ?

In quo loco ipse erat, quando vidit Fr. N. exeuntem de Conventu?

Per quem locum exivit?

Qua hora fuit?

Quid faciebat tunc in illo loco ipse Testis hora illa?

Si erat de nocte, quomodo poterat illum discernere?

An viderit, quando reversus est in Conventum?

An regressus sit per locum, per quem exivit?

Quare non commonuit Superiorem; quando vidit illum exiisse?

An sciat, alias exiisse tali pacto?

An sciat, ad quem finem exierit?

An talis Fr. N. habeat amicitias suspectas?

An sciat visum esse ab aliis Sæcularibus, seu Fratribus extra Conventum, vel dum exiit, aut regressus est; & a quibus?

De causa scientiæ omnium supradictorum?

Cujus conversationis, & famæ sit Fr. N.?

An amore, vel odio deposuerit. *Et. finitur examen per conclusionem*. Quibus habitis &c. ut supra num. XIII.

XXXVII. Forma examinandi Testes de Inimicitia.

Quia inimicitia potest esse indicium delicti iam patrati, (ut de percussione, occisione, aut veneno dato, &c.) vel potest esse causa, ob quam repellatur Judex, Accusator, sive Testis a judicio, diverso modo debet fieri interrogatio pro primo, quam fiat pro secundo casu. Ad probandum ergo indicium inimicitiæ, pro delicto secuto, potest fieri examen, ut sequitur.

Vocatus &c. *ut supra num.* X. Interrogat. An sciat causam suæ vocationis?

An cognoscat P. Fr. N. & P. Fr. N.?

Et quo tempore, & an fuerit secum de familia?

An sciat illos fuisse inter se amicos?

An ex post facti sint inimici?

An sciverit, & quomodo, causam talis inimicitiæ?

Quæ signa inimicitiæ inter eos viderit?

An sciat fuisse ex post reconciliatos, & a quo tempore?

An sciat inimicitiam repullulasse, & ob quam causam, & quomodo sciat?

An sciat dictum P. Fr. N. fuisse rixatum cum dicto P. Fr. N. voluisse illum percutere, nisi fuisset impeditus, & illi fuisse minatum aliquo modo?

An dict. Fr. N. sit solitus minas exequi?

Quomodo hoc sciat?

An credat dictum P. Fr. N. ex tali inimicitia potuisse percutere, vulnerare, occidere, venenare &c. dictum P. Fr. N.?

Quare, & ex quibus indiciis, ita credit?

An alii sciant ea, quæ deponit ipse, & qui nam sint de illis informati?

Quis illorum duorum Fratrum sit magis amicus ipsius Testis?

Et absolvitur examen per conclusionem Quibus habitis, *ut supra num. XIII.*

XXXVIII. Forma examinandi Testes de Inimicitia ad effectum recusandi Judicem; sive excipiendi contra Accusatorem, Testes, Notarium, sive alios, qui possunt judicio intervenire.

Vocatus fuit Fr. N. Testis productus, & exhibitus a Fr. N. Recusante, sive Excipiente &c., & dato sibi juramento de veritate dicenda, prout juravit tact. &c.

Fuit Interrogatus. An sciret se debere vocari ad examen?

A quo scivit?

Quid ei dixerit Fr. N. ad cujus instantiam examinatur?

An iste sit ejus Amicus, & a quo tempore?

Ad quem effectum dixerit se debere examinari?

An ipse Testis libenter acceptaverit munus testificandi in hoc casu, an invitus?

Quare acceptaverit?

An Fr. N. sibi dixerit, super quo debeat examinari?

An cognoscat P. Fr. N.?

Et a quo tempore?

An ipse Testis sit Amicus, aut Inimicus illius?

An sciat, & quomodo, inter Fr. N. Recusantem, & Fr. N. Recusatum vigere inimicitiam, & a quo tempore, & de causa hujus inimicitiæ?

An alii sint informati de tali inimicitia, & qui?

An fuerint ex post reconciliati, & denuo facti inimici, & unde hoc sciat?

Et completur examen per conclusionem Quibus habitis &c. *ut supra num. XIII.*

XXXIX. Forma examinandi Testes super Amicitia, Familiaritate, Factione &c. alicujus cum Recusato, sive Excepto, ut Inimico.

Quia, ut diximus Part. prim. *& habetur ex Textu* Titul. de Test. §. I. *excludi possunt a testificando, & consequenter etiam ab aliis Actibus judicialibus Amici, Familiares Inimici capitalis, & etiam Factionarii; damus Formulam, pro examinandis Testibus super tali Amicitia &c. quæ potest esse. ut sequitur.*

Vocatus fuit &c. *ut supra num X. & fiant omnes interrogationes ibi positæ usque ad illam*. An cognoscat P. Fr. N.?

Interrogatus. An cognoscat P. F. N.?

Et exprimatur nomen ejus, quem Excipiens, seu recusans habet pro inimico?

An iste sit Amicus, sive inimicus Recusantis, sive Excipientis?

Quomodo hoc sciat?

An talis inimicitia sciatur a paucis; a multis; vel publica sit; & de causa dicti?

An in Provincia sint Partes, Divisiones, Factiones &c.?

An istæ Factiones sint ex adhærentia, vel ex nationalitate?

Cujus Factionis sint Fr. N. Recusans, & P. Fr. N. quem dixit inimicum Recusantis?

Quomodo sciat eos esse oppositæ Factionis, & de contestibus?

An P. F. N. inimicus &c. sit inter præcipuos suæ Factionis, & quare talis sit?

An cognoscat Fr. N.?

Et hic exprimatur nomen ejus, contra quem excipitur, sive recusatur tanquam Amicus, seu Familiaris Inimici &c.

An sciat esse Amicum, vel adversum Fr. N. Recusati, sive Excepti?

Quæ signa extraordinariæ Amicitiæ, seu Familiaritatis inter ipsos viderit?

An talis Amicitia, sive Familiaritas, sciatur ab aliis;

aliis; a quibus, & an sit publica, seu notoria?

An Fr. N. Recusatus &c. sit Amicus, aut Inimicus ipsius Testis?

Cujus Factionis sit ipse Fr. N. Recusatus? &c.

An credat ex tali Amicitia cum P. N., ipsum Recusatum, non esse processurum secundum rectitudinem Justitiæ contra Fr. N. Recusantem?

Quomodo hoc conjectetur, vel sciat?

Et terminatur examen per conclusionem. Quibus habitis &c. *ut supra numero* XIII.

XL. Forma examinandi Testes, quando præsentantur ab Accusatore, Denunciatore, Exceptore &c. in judicio.

Diximus supra Sect. II. num. XXVI. *quod Accusator non tenetur in Libello Accusatorio exprimere nomina Testium, ob rationes dictas tum ibi, tum* Part. prim. Tit de Accusat., *licet possit etiam in eodem Libello ipsos assignare. Casu ergo, quod illos in actu Accusationis non produxerit, debet Iudex Accusatorem citare ad illos assignandos, ut sequitur.*

Cum intendat A. R. P. Minister &c. prout de jure procedere in Causa Accusationis datæ à Fr. N. contra Fr. N. de &c. *Et hic exprimatur Delictum, de quo fuit Accusatio &c.* vocare fecit coram se Fr. N. Accusatorem, & illi præcepit, ut Testes legitimos produceret, ad probandum a se proposita in Libello Accusationis, sub pœna talionis. Qui Accusator dixit, Se paratum illos exhibere, sed ex justo motivo nolle nominare omnes, quos vult producere, sed uno examinato, alium exhibebit; & pro nunc producit P. Fr. N. ad probandum primum Articulum, sive &c. & ipso examinato, alios producet. Acta sunt hæc &c.

Fr. N. Accusator.
Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

Vocatus ergo fuit &c. *ut supra numero* XXXVIII. *& possunt præmitti interrogationes omnes ibi expressæ, usque ad illam*, An cognoscat P. Fr. N. *& ejus loco debent fieri interrogationes, juxta exigentiam Delicti, utpote Furti. Fornicationis &c. quorum Formulas interrogandi supra dedimus, propriis locis; & uno examinato, citari, ut supra, Accusator debet, ut alios præsentet, donec examinentur omnes, quos intendit præsentare. Quod si aliquis Testis productus ab Accusatore, sive Exceptore, comparere, aut examinari renuat, (ut frequenter accidit, quando Accusatus est persona potens,) debet Judex illum cogere, ut dicetur infra numero XLVIII. & seqq. Et si Testis renuens examinari protestatus sit Accusatori, quod si producet illum pro Teste, ipse in judicio dicet contrarium veritati, & non faciet pro, sed contra Accusatorem: iste potest comparere coram Judice, & sibi dicta a tali Teste probare testimonio eorum, qui ita audierunt, & Judex tenetur hos examinare, & cogere Testem renuentem: & si dicet, sicut protestatus est, poterit illum punire, ut dicemus infra num. LVI.*

XLI. Forma tenenda ab Arbitris in examinandis Testibus a Recusante Judicem productis.

Cum A. R. P. N. & R. P. N. Arbitri, ut supra *Amano Form. Crim. Par. II.* electi vellent in Causa enunciatæ Recusationis, prout de jure, procedere, vocari coram se fecerunt P. Fr. N. Recusantem, illique præceperunt, ut Testes examinandos produceret, super allecta causa Recusationis. Qui Recusator dixit, se paratum illos exhibere, sed ex justo motivo, nolle, pro tunc, omnes illos nominare, quos intendit producere, sed uno examinato, alium exhibebit, & pro nunc producit P. F. N. Acta sunt hæc die ... &c.

Ego Fr. N. Recusator.
Ego Fr. N. Arbiter. Ego Fr. N. Arbiter.
Ego N. Actuarius.

Vocatus ergo fuit coram supradictis PP. Arbitris P. F. N. supradictus Testis a parte productus, qui monitus, & juratus prout juravit tact. &c. fuit interrogatus &c. *Porro interrogationes fieri debent juxta exigentiam causæ Recusationis. Si enim est de inimicitia cum Recusante, utendum est datis supra num.* XXXVIII. *Si vero de amicitia, cum Inimico Recusantis, utendum est datis numero* XXXIX. *Si ex alia causa criminosa, faciendæ sunt interrogationes juxta Formulas supra datas. Et concludi debet examen per solitam clausulam*; Quibus habitis &c. *ut supra numero* XIII. *mutatis mutandis, & uno examinato, debet citari Recusans, ad proponendum alium, & sic deinceps, donec omnes examinentur.*

ADNOTATIO

XLII. *Advertendum est, quod de facili evenire potest, quod si duo sint Arbitri, non concordabunt inter se, in interrogationibus faciendis. Proinde ad tollendas discordias, vel interrogationes ipsæ, de communi consensu jam scriptæ, debent fieri ab Actuario eas legente, & scribente; vel Arbiter, ex parte Recusantis, (ut pote in hoc casu tanquam Actor) debet prius interrogationes, quas vult, facere; & postquam fecerit eas, quas ipse congruere existimaverit, poterit Arbiter pro parte Judicis Recusati, in eodem examine alias, quas opportunas judicaverit, facere. Quod si nec concordaverint in scribendis interrogationibus, eligendus est tertius Arbiter, ut ordinatur in Textu* Tit. Canones §. II. *Sed ad hæc omnia vitanda melius est, quod unus tantum Arbiter eligatur, ut diximus* Par. p. Tit. Canones *num.* 20. p. 63. *Et in hoc casu,* Arbiter est verus Iudex, & in examine Testium, *debet procedere juxta Formas datas supra* n. XXXVIII. & XXXIX. *citato prius Recusante ad producendos Testes, ut dictum est paulo supra* num. XL.

XLIII. Forma examinandi Testes in Casu Notorii.

Vocatus fuit &c. *ut supra num.* X. Interrogatus: An sciat causam suæ vocationis?

In quo Conventu habitet?

A quo tempore in hoc Conventu reperiatur?

An sciat aliquod inconveniens, aut scandalum, esse commissum?

A quo, quomodo, quando, coram quibus fuerit commissum?

Quomodo id sciat?

An alij sint de hoc informati, & qui?

An tale factum fuerit publicum, & notorium?

Quid intendat, esse aliquid publicum, sive Notorium?

An amore, vel odio &c. Quibus habitis, *ut supra num. XIII.*

ADNOTATIO

XLIV. *Advertendum, quod omnis industria, & diligentia Iudicis, in hoc casu, esse debet, quod non solum Testes probent delictum, cum omni sua circumstantia, sed etiam, quod illud sit Notorium in Conventu, seu vicinia. Et licet duo, vel tres Testes probare possint Notorietatem, si deponunt delictum Notorium esse; tamen melius, & securius fiet, si plures Testes examinentur, imo omnes, qui delicto interfuerunt, nisi magnus esset numerus illorum. Tunc enim sufficit examinare tot Testes, quot diximus* Par. pr. Titul. Cannnes num. 56. pag. 77. *esse sufficientes ad constituendum Notorium. Ut in Conventu, ubi habitant duodecim Religiosi, sufficiunt quatuor ad constituendum Notorium; ubi viginti, sufficiunt sex; ubi triginta, octo: ita, ut decem satis sint ad faciendum Notorium in magno Conventu, si tamen concurrat loci, & temporis qualitas, prout diximus loc. citat. num. 55. Examinatis ergo Testibus, pronunciet* Constare de Notorietate, *ut sequitur.*

Consequenter A. R. P. attente consideratis, & mature perpensis præfatorum Testium depositionibus, pronunciavit constare de Notorietate asserti Delicti, proinde decrevit Reum constituere, & prout de iure ad ulteriora procedere. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO II.

XLV. *Advertendum, secundo, quod Reus appellare potest a Decreto Iudicis declarantis Notorietatem, ut habetur* ex Textu Titul. Canones §. XI. *Tali casu, in potestate Iudicis est, vel revocare Decretum, & via ordinaria procedere; vel illi concedere apostolos, ut dicemus.*

XLVI. Forma vocandi Testem absentem, per literas.

Cum in Causa, quæ, de mandato, ac commissione A. R. P. N. Ministri Provincialis, coram Nobis actitatur, necessaria sit persona vestra, harum serie Vobis committimus, ut quantocius cum Socio assignando a vestro P. Guardiano, recta ad Nos vos conferatis. Deus vestram interim charitatem conservet. &c. Dat. &c.

Frater N. Commissarius Delegat.

ADNOTATIO

XLVII. *Advertendum, quod si Iudex Superior Ordinarius est, potest per literas familiares, ac missivas, Testem ad se vocare; Et si esset Delegatus, & supponat Testem, absque difficultate, ad se esse venturum, potest supradicta literarum formula uti, quæ tamen lingua vernacula scribi debent; vel ad Superiorem localem scribere, ut Testem illum mittat. Si vero convictetur, Testem simpliciter vocatum non esse obediturum; vel si Testis vocatus per Epistolam familiarem, non vult venire; vel Iudex scit, Superiorem Localem, non esse illum missurum; oportet illum formiter citare; Formula vero poterit esse, ut sequitur.*

XLVIII. Forma citandi juridice Testem.

Frater N. &c. Commissarius Delegatus &c. P. F. N. &c. Sacerdoti Concionatori &c.

Cum ab A. R. P. N. Nobis sit commissio delegata in Causa, quam ex lectura literarum patentium nostræ Delegationis, (cujus exemplar autheuticum, manu nostra, ac Notarii Nostri firmatum, ac sigillatum sigillo Conventus N. in quo moramur; hic annexum ad Te mittimus) cognoscere poteris; necessariaque sit pro Actibus Curiæ Nostræ persona Tua, harum serie, sub præcepto Sanctæ Obedientiæ, & pœnis latis in Constitutionibus Ordinis, jubemus, ut assumpto Socio, Tibi per Guardianum Tuum assignando, ad Nos, recta, te conferas. Et sub eodem præcepto, & pœnis, R. P. N. Guardiano tuo iniungimus, ut Tibi idoneum ad hoc Socium assignet. Volumus autem, hujus nostræ citationis Libellum vim canonici Monitorij obtinere; proinde assignamus Tibi sex dies, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & duos pro tertio, & peremptorio termino statuimus a die præsentationis præsentium literarum Tibi personaliter factæ computandos, intra quos si, (nulla legitima causa præpeditus) non comparueris coram Nobis, noveris Nos contra Te, vt contumacem, ad formam juris, nulla vlteriori citatione prævia, esse processuros. Dat. &c.

Fr. N. Commissarius Delegatus.
Ego N. Actuarius.

Copia autem literarum patentium Commissionis authentica, ut præfertur, debet annecti præfato Monitorio, & mitti per duos Fratres, qui personaliter illi præsentent eam, cum Monitorio citatorio, & reversi præsentationis relationem Actuario faciant; Unde necessarium est, ut duas copias Monitorij prædicti habeant; una cujus præsentabitur Testi citato; & alia reportabitur Actuario, inserenda actibus. Advertat autem Iudex, quod dies assignandi non limitantur ad sex, sed possunt plures assignari ad ejus libitum, juxta distantiam locorum. Porro in processu describenda erit citatio, præsentatio, & relatio, ut sequitur.

Cum P. Commissarius N. vocaverit per literas suas P. N., ut ad se veniret, ob interesse Causæ, quæ actitatur, & prædictus P. N. noluerit venire; decrevit illum judicialiter citare. Quapropter ipsum formiter citari fecit, mittendo ad eum Fr. N. & Fr. N. cum Monitorio opportuno. Qui profecti ad Conventum N., in quo habitat prædictus P. N. citatus, & reversi ad me Actuarium, præstito juramento, retulerunt, se die &c. in Conventu &c. in dormitorio, sive Claustro &c. præsentasse Monitorium sibi consignatum a P. Commissario prædicto P. N. citato, & ejus copiam in Actis præsentarunt, & incipit &c. & desinit &c. Acta sunt hæc Die . . . . ., Mense . . . . . . Anno &c. in Conventu N. &c.

Ego N. affirmo ut supra.
Ego N. affirmo ut supra.
Ego N. Actuarius.

Potest etiam dari casus, quod Guardianus Testis citati, ob aliquam causam prætensam, Testem noluerit

noluerit

luerit mittere, & Testis scripserit ad Commissarium earsam, quare non venerit; tali casu Monitorium simile supradicto debet dirigi ad Guardianum, iubendo sub pœnis &c. ut in tempore statuto assignet Socium & mittat &c.

XLIX. Forma iudicialiter citandi Testem, qui vocatus non vult comparere coram Iudice.

Potest dari casus, quod Testis parvi faciens Iudicem Commissarium, vocatus, ut compareat coram Iudice, comparere recuset, nec velit ad præsentiam Iudicis venire, ne possit Iudex sibi verbaliter præcipere; & incongruum est, quod Iudex trahatur a Teste. Tali casu posset Iudex procedere per Monitorium scriptum illius tenoris (mutatis mutandis) quem supra dedimus pro citando ipsum absentem nu. XLVIII. Sed compendiosius fiet, si mittet ad eum aliquem, qui ipsum, coram Testibus, nomine Iudicis, citet verbaliter, & relationem faciat, ut sequitur.

Cum R. P. Commissarius vocare fecisset P. N. ut coram se compareret, ad effectum testificandi in hac causa; noluit comparere, sed dixit Fr. N., qui eum nomine P. Commissarij prædicti vocavit, *quod nihil negotij habet cum dicto P. Commissario; & si hic aliquid ab eo vellet, pergeret ad se.* Volens proinde eum judicialiter citare, jussit Fr. N. Laico socio suo, *sive* P. N., ut nomine P. Commissarii prædicti præciperet, ut coram se pro Tribunali sedente in Camera suæ Residentiæ compareret. Qui F. N. assumptis in Testes P. F. Sacerdote, & F. N. Clerico ivit; & post quadrantem horæ circum circa, reversus est, cum prædictis Testibus, & cum juramento ab omnibus præstito, mihi Actuario retulit, se prædicto P. N. invento in Cella, *sive* Claustro, *sive* horto &c. nomine prædicti P. Commissarij præcipisse, ut statim compareret coram se; & dictum P. N. respondisse &c. *& hic ponatur responsio ab eo data*; & hæc omnia fuisse in præsentia præfatorum Testium, qui confirmarunt ita fuisse, sicut retulit prædictus Fr. N. Acta sunt hæc Die . . . . . . Mense . . . . . & anno &c.

Ego Fr. N. affirmo ut supra.
Ego Fr. N. Testis.
Ego Fr. N. Testis.
Ego Fr. N. Actuarius.

ADNOTATIO.

L. *Advertendum, quod si Testis secundo, & tertio citatus, non vult comparere, potest procedi contra eum tanquam contumacem per censuras, & carceres, & vincula, sicut dictum est* Part. p. Titul. Testes. num. 78. p. 338. & seqq. & Tit. Tortura, nu. 57. p. 336.

Quia vero quietius, & cum majori facilitate, uti potest Iudex Censuris, quam carceribus, & vinculis, quæ aliquoties in parvis Conventibus non sunt, melius est, quod Iudex, si invenerit Testem, ut præfertur, contumacem in non obediendo, procedat per Censuras; & si Testis est Pater gravis, utatur Interdicto ab Ecclesia, vel Suspensione a divinis; cum alijs potest uti Excommunicatione. Forma autem describendi in processu hunc Actum, & ferendi Sententiam Censuræ contra sic Contumacem in comparendo, est, ut sequitur.

LI. Forma ferendi Censuram contra Testem, qui ter citatus, non vult comparere coram Iudice.

Cum A. R. P. Commissarius tribus vicibus, cum termino competenti ad comparendum, citare fecerit P. Fr. N., ut coram suo Tribunali compareret, cum ejus persona necessaria esset ad dilucidationem Causæ, quæ coram ipso agitatur; & ipse P. Fr. N. comparere renuerit, & mandata ejus contempserit, prædictum P. Fr. N., ut præfertur inobedientem, & contumacem, Censurarum mucrone procedere ad hoc, ut resipiscat. Quapropter protulit contra ipsum Sententiam Suspensionis a divinis, *sive* Excommunicationis in his scriptis contentam.

Cum fuerit citatus juridice, ad comparendum coram Nobis, tribus vicibus, nempe Die . . . . &c. Mensis . . . . &c. & Die &c. Mensis ejusdem; & Die sequenti memorati Mensis, ut ex actis processualibus in nostra Curia existentibus apparet, P. F. N. Sacerdos &c.; & ipse mandata nostra contemnendo, contumax, post trinam prædictam monitionem fuerit, & sit, ad ipsum compellendum ad debitam Nobis obedientiam præstandam, in his scriptis contra eum Sententiam Suspensionis a divinis, *sive* Excommunicationis majoris proferimus, qua maneat illaqueatus, donec coram Nobis se sistat, & absolutionis beneficium, parendo Nobis, mereatur. Et ut omnibus hæc Sententia pateat, eam capitulariter congregatis Fratribus legi, & per affixionem ad loca opportuna publicari mandamus. Dat. in Conventu &c. Die . . . . Mense . . . . &c.

Ego Fr. N. Commissarius &c.
Ego N. Actuarius.

In executionem ergo prædictæ Sententiæ, Ego infrascriptus Actuarius, convocatis capitulariter Fratribus ad sonum campanellæ in Refectorio, ut moris est, ad mandatum P. Commissarij, & ipso præsente, alta, & intelligibili voce illam legi; hac Die . . . . Mense . . . . . Anno . . . &c.

Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

Eadem Die Fr. N. Laicus Conversus Socius prædicti P. Commissarij, præmisso juramento, & coram Testibus P. Fr. N. Sacerdote &c. & Fr. N. Clerico, *sive* Laico pariter juratis retulit, se coram prædictis Testibus, & ad mandatum P. Commissarij, duas Copias prædictæ Sententiæ, sibi datas a Me, affixisse ad valvas Refectorij, & ad parietem Dormitorij publici prope lampadem.

Ego Fr. N. affirmo ut supra.
Ego Fr. N. fui Testis.
Ego Fr. N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO.

LII. *Advertendum, quod si Excommunicatus aut Suspensus adhuc perseverat in sua obstinatione, de rigore iuris potest Commissarius ipsum incarcerare. Sed quia maxima in hoc occurreret difficultas, specialiter in parvis Conventibus, ubi regulariter non sunt carceres, & Familia Fratrum, non est numerosa, & in ea Excommunicatus habet adhærentes, qui sibi*

sibi fruebunt, & Commissario de facili non obtemperabunt, unde ejus auctoritas reddetur contemptibilis; ideo si Excommunicatus perseverat in contumacia, melius est, quod Provincialis, commonitus de hoc a Commissario, compellat per carceres, vel alia juris remedia Contumacem, ad obediendum Commissario. Et caveat Provincialis, ne ad se Causam avocet (si tamen invenit, quod Commissarius suus legitime processit,) sed eam prosequi faciat per eundem Commissarium, ne videatur, qui fuit Contumax, prævaluisse Commissario, in non comparendo coram se. Sed debet Provincialis authoritatem Commissarij sui, tanquam proprium tueri; aliter Commissarij, non strenue Officium suum, ut decet, exequentur, sed trepide, & hæsitanter, ne, cum ipsorum dedecore, ipsis Causa adimatur: & ita vigor justitiæ enervabitur.

Si vero post latam Censuram Testis resipuerit, & paratus sit obedire, debet absolvi, & post examinari, ut sequitur.

LIII. Forma absolvendi, & examinandi Testem Excommunicatum ob contumaciam.

Comparuit coram R. P. Commissario P. N. Sacerdos &c. qui, ut præfertur, fuit ob Contumaciam Excommunicatus, sive Suspensus, & dixit, se pœnituisse de Contumacia sua, in non parendo mandatis, & citationibus sibi factis, propterea se paratum esse toties, quoties vocatus fuerit in posterum comparere, & R. P. Commissario obedire; interimque supplicavit a Censuræ contra se latæ Sententia absolvi. Qui P. Commissarius gravi sermone ipsum monuit, & coram infra scribendis Testibus ad hoc specialiter adhibitis, & vocatis, in forma consueta absolvit. Acta sunt hæc Die .... &c.

Ego N. Sacerdos &c. petii, & promitto Obedientiam.

Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ita est Ego Fr. N. Commissarius.
Ego N. Actuarius.

Forma autem debet esse, ut traditur in Rituali Romano, & servatur in absolutione Apostatarum, quam dabimus infra Sectione ultima num. LXVI. Excepto, quod non est necessarium, quod fiat in publico Refectorio, sed sufficit, si fiat in camera Iudicis pro Tribunali sedentis coram Testibus, & Actuario.

Poterit ex post Iudex illum examinare juxta exigentiam Causæ, & supra data interrogatoria.

LIV. Forma puniendi Testem irreverentem, & pertinacem dum examinatur.

Supponimus Testem jam coram Iudice comparuisse, & monitum, & jussum fuisse a Iudice, ut juraret; illum vero nec iurare velle, nec coram Iudice modeste versari, sed cachinnis, aut verbis impropriis, vel indecentibus illum incessere. Tali casu Iudex (quem supponimus esse Commissarium, non enim dabitur Religiosus ita effrons, & amens, ut tali pacto Superiorem Ordinarium contemnat) potest illum punire, & factum describere, ut sequitur.

Cum Fr. N. prædictus fuisset monitus, ut præfertur, & jussus præstare Iuramentum, & ad interrogata respondere, ille nec jurare voluit, nec respondere, sed cum risu, & contemptu fecit &c. *sive dixit* &c. *& describantur gestus, motus, seu verba, quæ fecerit, sive dixerit.* Quem P. Commissarius benigne admonuit, & quia ex benignitate pejor efficiebatur; severe, & gravius increpavit. Persistente autem illo in sua pertinacia, juris remediis utendum censuit, ideo ut infra decrevit.

Quoniam P. N. vocatus in Testem a R. P. Commissario, ac jussus, iuramentum præstare, & ad interrogata respondere noluit, & monitus semel, atque iterum, ac correptus, à sua pertinacia discedere noluit, ideo præsenti Decreto decernit, ut dictus P. N. in propria Cella claudatur, & jejunet quotidie in pane, & aqua, quousque resipiscat, & mandatis suis pareat.

Dat. Die ..... &c.
Ego N. Commissarius.
Ego N. Actuarius.

Vocatus ex post fuit coram eodem P. Commissario N. ejusdem Conventus Superior P. F. N., & per Me Actuarium illi lectum fuit suprascriptum Decretum; & P. Commissarius, qui supra, illi præcepit, ut memoratum Decretum executioni demandaret, sub pœna Suspensionis ab Officio. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Commissarius.
Ego N. Actuarius.

Poterit etiam Commissarius procedere per Censuras utendo forma data sup. num. LI. & mutatis mutandis, maxime si suspicionem habebit, quod remedio reclusionis in Cella, & jejunio (quod de facili non servabitur) parum proficiet.

LV. Forma examinandi Testem reversum a pertinacia.

Cum P. N. Testis, ut supra reclusus in Cella in jejunio panis, & aquæ, juxta decretum P. Commissarii, misisset ad eundem Patrem ad petendam veniam de ostensa inobedientia; & promittendum, se in posterum esse pariturum, jussit, ut liberaretur, & coram se vocaretur. Ad quem cum venisset, fuit ab eodem monitus, ne in posterum, cum gravi animæ suæ dispendio, in similem amentiam prorumperet; & monitus, & juratus, prout juravit tact. &c. fuit interrogatus.

Et prosequatur deinceps ad exigentiam Causæ &c.

LVI. Forma torquendi Testem negantem scire delictum, vel illi interfuisse, cum constet, eum illi fuisse præsentem.

Recolenda sunt, quæ diximus Par. I. Tit. Testes *circa torturam Testium, & maxime* num. 80. *ubi ostendimus non posse Iudicem sive Ordinarium, sive Delegatum torquere Testem, nisi de consensu Definitorii, sive aliquorum proborum Patrum, ut habet* Textus Tit. Tortura. §. 3. *Pariter advertendum est, quod Testes torqueri debent pluribus de causis, puta ex contradictione, varietate, & mendacio, infamia &c. ut suo loco diximus* Par. I. citat. Tit. Tortura, *& hoc intelligendum est, quando non suppetunt alii Testes, per quos possit probari Delictum. Tortura enim est remedium subsidiarium, adinventum a lege in defectu aliarum probationum; & ante Torturam omnino concedi debent defensiones illi, qui*

tor-

torquendus est, sive Testis, sive Reus sit, ut habet Textus Tit. Tortura §. 9. *& Nos diximus ibi.*

His adnotatis, supponimus ex Testibus jam examinatis, quod constet in Processu, Testem torquendum fuisse præsentem, & in loco delicti, de quo agitur, & ille neget interfuisse; præmissis ergo præmittendis, torqueri debet, & modus procedendi est, ut sequitur.

Consequenter A. R. P. N. Minister, *sive* Commissarius &c. auditis, & lectis diligenter depositionibus aliorum Testium deponentium Fr. N. Testem vocatum, & examinatum, fuisse præsentem in loco commissi delicti, tempore, quo fuit perpetratum, & ex consequenti vidisse quomodo dictum crimen homicidii, furti &c. commissum fuerit; & scire quinam fuerint Delinquentes &c. & consideratis aliis indicijs, quæ resultant ex actis, ex quibus apparet ipsum fuisse, ut præfertur, in loco, & tempore delicti commissi, & verisimile esse, quod ipse viderit totum factum, & sciat quinam delictum perpetraverit; considerato tandem, quod ipse negat fuisse tali tempore in tali loco, & nihil scire de tali delicto, & Delinquentibus; ad habendam ab ipso Fr. N. Teste examinato plenam, & integram, veritatem, super præmissis, de quibus, ut dictum est, verisimiliter informatus apparet, & ad omnem alium meliorem finem, decrevit in rigoroso examine illum constituere. QUAPROPTER illum vocare coram se fecit, & illi assignavit terminum trium dierum ad faciendas suas defensiones, & allegandum, quare non debeat torqueri. Decrevit pariter copiam Actorum sibi concedi, in ea parte, quæ tangit personam ipsius (suppressis tamen nominibus Testium;) aut si Patronus ejus, quem ipse eliget, velit acta originalia lustrare, ipsa per Me Actuarium sibi cum tota commoditate ostendi, jussit. Acta sunt hæc &c. die &c.

Ego N. Minister &a.

Ego N. Actuarius.

Postea debet Testis, sibi eligere Patronum, Acta debent communicari, fieri Defensiones, & congregari Definitorium, sive Patres Periti, ut judicent, an torturæ, & in quali gradu locus sit. Sed quia in hoc casu Testis habetur tanquam Reus, eo modo, quo Reo assignatur Patronus, traditur copia Actorum &c. ante Torturam; eodem modo procedendum est cum Teste. Formulæ autem pro his Actibus dantur infra Sect. VI. ad quam Lectorem remittimus.

LVII. Forma torquendi Testem, qui aliud dicit cum iuramento, & aliud contrarium sine iuramento.

Consequenter idem A. R. P. Minister, *sive* Commissarius considerata depositione facta cum juramento, in judicio coram Nobis, in qua Fr. N. Testis dixit se nihil scire de Homicidio, Furto &c. de quo inquiritur; & considerata depositione ejusdem huic dicto contraria facta coram N. & N. loco, & die tali &c. quibus omnem seriem præfati delicti, ita narravit, ut verisimile sit, illum totum negotium scire, ut apparet ex Actis supra; ad tollendam omnem maculam perjurii (si qua inesset in ejus persona) *vel* ad purgandum omnem variationis defectum, & ad plenius habendam veritatem, & sciendum, in quo dicto velit persistere, decrevit ipsum F. N. Testem in rigoroso examine constituere. Quapropter &c. *ut sup. num. LVI.*

LXIII. Forma torquendi Testem, qui facto interfuit, et tamen negat illud vidisse, aut audivisse.

Consequenter idem A. R. P. Minister, sive Commissarius, considerato, quod per Testes, & etiam propriam confessionem, constat, quod prædictus Fr. N. Testis die tali, hora tali, fuit in loco tali, quando perpetratum fuit delictum &c. Unde verisimile est ipsum vidisse, quomodo illud factum se habuerit, *sive* audivisse verba contumeliosa, *sive* blasphemiam &c. *si delictum consistat in verbis*; & consequenter vidisse etiam Delinquentes, & scire quinam fuerint, & quomodo res se habuerit. Et non obstantibus pluribus monitionibus, ut veritatem fateretur, negare non erubescat Delinquentes vidisse, *sive* audivisse &c. consideratisque aliis indiciis ex Actibus ipsius resultantibus, & contra dictum Testem facientibus: propterea præfatus P. Minister, ad effectum habendi ab ipso F. N. Teste examinato plenam, & integram veritatem super præmissis, de quibus, ut præfertur verisimiliter informatus apparet, & ad omnem meliorem finem decrevit, ipsum in rigoroso examine constituere. *Quapropter &c.* ut supra num. LVI.

A D N O T A T I O.

LIX. *Advertendum, quod bene potest dari casus, quod aliquis sit præsens, & in loco Delicti, & tamen ad alia distractus, nec viderit, nec audierit, licet utrumque potuerit. Si ergo Testis assignat causam rationabilem, & verisimilem, quare fuerit ibi distractus, unde non advertit; aut fuit impeditus videre; aut ad aliud intendebat &c. non debet Judex illum torquere, neque potest. Sed debet bene ponderare, an causæ adductæ quare non viderit, sint possibiles, verisimiles &c. an potius mendicatæ, ad persistendum in negativa, & evadendam Torturam. Proinde debet Testem fatigare interrogationibus.*

Quid faciebat in tali loco?

Quare illuc ivit?

Cum quibus erat?

Quid faciebant illi &c.

Et ex similibus conijciet Judex, si est locus torturæ, an non.

LX. Forma torquendi Testem varium, sive vacillantem.

Consequenter idem A. R. R. Minister, *sive* Commissarius &c. considerata, & bene ponderata variatione Fr. N, Testis examinati, qui in suo primo examine, facto sub die &c. prout supra in Actis, dixit, se scire certitudinaliter delictum Furti, Fornicationis &c. de quo agitur, & super eo asseveranter deposuit; & in præsenti, sive alio examine &c. deponit de eodem delicto, *sive* Delinquente dubitative, & non allegat veram, aut verisimilem, neque sufficientem causam talis variationis.

Si Testis est sibi contrarius, & contradictorius dicatur. Considerata, & ponderata contradictione Fr. N. Testis examinati, qui in primo, aut alio examine sub die &c. dixit sic, & sic &c. in alio vero sub die &c. dixit contrarium, puta sic, & sic, &c. unde sibi contradicit, & hanc contradictionem sibi objectam a Judice concordare nescivit, nec ullam causam talis contradictionis rationabilem assignat, aut ad contradictionem evadendam adducere potest.

Si

Si Testis est vacillans dicatur. Considerata, & bene ponderata vacillatione Fr. N. Testis examinati, qui in hoc examine, *sive* alio sub die &c. prout ex Actis &c. dixit sic & sic &c. Ex post in hoc eodem examine, *sive* alio sub die &c. prout &c. dixit sic, & sic &c. Exinde in hoc pariter examine, sive alio sub die &c. prout &c. dixit sic, & sic &c. unde manifesta apparet ejus vacillatio, quam sibi objectam a Judice concordare nequit, nec ullam prorsus potest assignare causam rationabilem, quare semel dicta revocaverit, & postea iterum confirmavit.

IGITUR AD TOLLENDAM omnem maculam perjurii, & variationis, & ad effectum sciendi, in quo dicto ipse persistat, & ad omnem alium meliorem finem, & effectum, (citra tamen præjudicium quorumcunque Curiæ acquisitorum, & citra præjudicium eum puniendi ob præfatam variationem, *sive* contradictionem, *sive* vacillationem, ac perjurium) decrevit ipsum in rigoroso examine constituere, ad effectum habendi ab eo plenam, & sinceram veritatem, & videndum in quo dicto velit persistere, & ad alium quemcumque meliorem finem. Quapropter illum vocare &c. *ut supra num.* LXVI.

A D N O T A T I O.

LXI. *Advertendum, quod varietas, contradictio, & vacillatio Testis, potest contingere in uno, & eodem examine; & potest accidere in diversis; & hoc dupliciter, puta quando omnia examina facta sunt pro Fisco, & Curiæ informatione; aut quando unum examen est pro Fisco, aliud vero pro Reo, puta quando Testis præsentatus a Reo examinatur ad ejus defensionem.*

Si est unum, & idem examen, in quo Testis variat, vacillat, aut sibi contradicit; & etiam sint plura examina diversa facta pro Fisco, & inter ea non potuit Testis subornari; hoc est non mediavit tale spatium temporis, quod, prudentis viri judicio, potuerit Testis a Reo, sive Rei amico, &c. subornari, sufficit, quod Iudex sibi objectet variationem, vacillationem, vel contradictionem; & si Testis nequit eam tollere, assignando causam rationabilem, quare ita variaverit, potest Iudex procedere ad decretum examinandi rigorose, ut supra dictum est.

Si vero tantum temporis intercessum est inter unum, & aliud examen Testis factum ad informandam Curiam, quod in eo potuerit Reus per se, vel alios, oretenus, aut scripto Testem subornare; aut si Testis est præsentatus a Reo examinandus ad sui defensam, super Articulis præsentatis a Patrono Rei; tunc, quia intrat suspicio subornationis, debet practicari alia forma, de quo infra dicemus.

A D N O T A T I O II.

LXII. *Advertendum secundo, quod licet ex Textu Tit.* Tortura §. 9. *Ante torturam omnino sint dandæ defensiones; & Nos explicaverimus ibi, quod ita dandæ sunt Testibus, sicut & Reo; tamen non est hoc ita universaliter, & absolute, & stricte accipiendum, ut aliquando Testis non possit torqueri, minime data copia indiciorum. Optima ergo est opinio* Honuphrij Camiani *relati a* Farinac. quæst. 3. num. 147. *prout eum citat* Sgroi Par. 4. cap. 16. §. 2. num. 7. *qui distinguit ita: Si mendacium Testis non est evidens ex ejus ore, sed o testimonio aliorum, qui dixerunt, Testem interfuisse delicto, & ipse negat; tunc debentur ei Defensiones ante Torturam; potest enim infirmare dicta Testium per contrarias probationes, seu aliter contra eos excipere, itaut non maneat convictus de mendacio. Si autem mendacium Testis est evidens ex ejus ore, quia est inter duo contradictoria, aut contraria dicta, quæ evidenter sint irreconciliabilia; tunc, quia nulla defensione potest se tueri, potest torqueri, non data copia indiciorum. Tali ergo casu, si Iudex Regularis procedit ad torturam (habito tamen consilio Definitorii, aut aliorum Patrum apud Nos) non datis defensionibus, nullum esset inconveniens.*

LXIII. Forma torquendi Testem varium ob præsumptionem subornationis.

Consequenter idem A. R. P. &c. *ut sup. num.* LX *usque ad illa verba* Igitur ad tollendam &c. *& subsequatur*. Considerato pariter, quod valde verisimile est, quod prædictus Fr. N. Testis ad dictam suam priorem depositionem revocandam, ab aliquo, vel aliquibus, minis, aut precibus, aut alia injusta via fuerit subornatus; ad effectum ergo sciendi ab ipso Examinato, An ab aliquo, vel ab aliquibus ad suam priorem depositionem revocandam subornatus sit, & ad omnem alium meliorem finem, & effectum, citra tamen præjudicium primi examinis (cui ratio suadet standum esse, cum deposuerit sponte, & de plano, & concordanter cum aliis indiciis, quæ ex Actis apparent) & quorumcunque jurium ex eo Curiæ acquisitorum, ac ipsum puniendi, ob præfatam variationem, & perjurium, quibus per torturam, cui ipsum vult subiicere, præjudicare minime intendit, de quo expresse protestatus fuit, & protestatur &c. & non aliter, nec alio modo, decrevit, prout præsenti decreto decernit ipsum in rigoroso examine constituere. Quapropter ipsum vocare &c. ut supra num. LVI.

LXIV. Forma torquendi Testem varium &c. non Subditum Iudici Regulari.

Potest dari casus, quod in atrocissimo aliquo Delicto, Reus Regularis habeat Complices Sæculares, qui fuerint a proprio Principe indultati; & debeant examinari tanquam Testes contra Reum Regularem; vel etiam sint Sæculares Clerici, aut Laici, aut Regulares alterius Ordinis, qui examinentur tanquam Testes, cum licentia suorum Superiorum, & varient, vel sibi contradicant &c. Et potest etiam dari casus, quod tales Testes, licet vocati cum licentia suorum Superiorum, nolint comparere; aut si comporeant, nolint jurare, aut respondere, & Regularem Iudicem contemnant; a quo sciunt nec Censuris, nec aliis pœnis posse constringi ad obediendum, aut veritatem dicendam. Tali casu Iudex Regularis debet recurrere ad Superiorem Testis protervi, ut præsertur, & illi ostendere acta, & maximam importantiam Causæ, quæ gravissima est, & Superior illius Testis debet, simul cum Iudice Regulari, decernere torturam dandam Testi, & assistere, dum actualiter torquetur, non tamen ille debet se ingerere in dandis interrogationibus, sed pure in decreto, & executione torturæ. Potest ergo describi tota forma tenenda, ut sequitur.

Cum A. R. P. Minister, obtenta licentia a suo Superiore, ut constat ex actis supra, pluries vocare fecerit N. Religiosum talis Ordinis &c. *sive* Clericum;

ricum;

ricum; *sive* Laicum Sæcularem, & ille nunquam voluerit comparere coram se, imo dixerit, nullo modo velle examinari a dicto P. Ministro. *Sive* vocatus comparuit, sed noluit jurare, aut debito modo ad interrogationes respondere &c. *Sive* examinatus sub die tali &c. respondit sic, & sic, &c. & reexaminatus sub die tali deposuit sic, & sic. &c. prout ex actis; & sibi per A. R. P. Ministrum tali variatione objecta, eam nullo modo concordaverit, unde apparet esse de jure torquendum, tum ad abstergendam maculam periurii; tum ad videndum, in quo dicto velit persistere; & ad habendam sinceram veritatem, decrevit ad ejus Superiorem habere recursum, & de jure facienda prosequi. Quapropter rogavit Perillustrem, & Reverendissimum D. Vic. Gen. Illustrissimi D. Episcopi N. *Si Testis est Clericus Sæcularis*, *sive* Reverendissimum P. Abbatem, *sive* A. R. P. Provincialem, *sive* Priorem. N. *Si Testis est Religiosus alterius Ordinis*; *sive* D. Prætorem Civitatis, loci &c. *Si Testis est Laicus Sæcularis*, (sibi prius ostensis actis, & demonstrata necessitate, & importantia Causæ) ut dignaretur manus auxiliatrices dare, & præcepto suo adigere Testem prædictum, ad comparendum, jurandum, & respondendum, *sive* ad subeundam torturam, quæ juxta juris ordinem sibi debet dari. Qui præfatus D. Vicarius &c. Abbas, Prior, Prætor &c. benigne annuit, & promisit, se missurum prædictum Testem N. ad se subijciendum examini. *Sive* se præstaturum brachium, & assistentiam suam ad torturam dandam tali Testi, juxta juris exigentiam. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

Decretum autem torturæ, sicuti & ejus executio, facienda sunt pari modo, sicut in torquendo Testem Subditum, & solum additur, quod tale decretum fit, & tortura datur in præsentia D. N. Vicarij, Abbatis, Prioris, seu Prætoris &c. sive alterius ab eo deputati. Formam vero Decreti dabimus inf. a Sect. VII.

LXV. Forma torquendi Testem inhabilem.

Cum A. R. P. Minister considerasset qualitatem Fratris N. examinati in hac Causa, & reperisset ipsum laborare nota infamiæ, propter decretum poenale latum contra ipsum in Causa criminali sub die &c. anni &c. actitatam per A. R. P. N. tunc temporis Visitatorem, sive Ministrum Provincialem; *sive* reperiisset inhabilem ad testificandum contra Fr. N. quia est ejus Socius in crimine tali &c. prout ex Actis &c. ad tollendam dictam infamiæ notam, & ut ejus dictum magis afficiat nominatum, & ad omnem alium meliorem finem, mandavit, ut per integrum Psalmum *Miserere* se disciplinaret. Qui F. N. humiliter obedivit, & in eadem Cella, coram eodem A. R. P. & Me Actuario, poenam decretam adimplevit. Acta sunt hæc Die...... Mense...... Anno &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

LXVI. Forma qua repelluntur Testes omnino inhabiles ad testificandum, sive Accusatores ab accusando.

Demonstravimus Par. I. Tit. Quam. n. 15. p. 209. *Ameno Form. Crim. Par. II.* *Quod apud Regulares Testis examinatus pro Fisco, etiam parte non citata, probat; citatio enim Rei ad videndum jurare Testes, & illis opponendum est solemnitas juris, ut alio loco diximus; & ita, cum apud Regulares, non citato Reo, Testes examinentur, non est unde ante eorum examen eos possit repellere Reus, qui multoties neque scit, se processari. Si tamen daretur casus, quod aliquis sciret Cajum velle dare Iudici accusationem contra se, vel, incepto Processu, sciret aliquem, vel aliquos, qui sunt ejus inimici, Conspiratores, alias puniti de perjurio, vel affecti aliqua qualitate, per quam totaliter inhabilitentur ad testificandum, bene potest Accusatorem, & Testes ad accusandum, & testificandum respective inhabiles, repellere, comparendo coram Iudice, adhibitis duobus Testibus ad Actum comparitionis, & illi exhibere Libellum Exceptorium, ut sequitur.*

Coram Vobis, A. R. P. Minister Provincialis, comparet Fr. N. & excipiendo dicit, quod ad ejus notitiam devenit, quod Fr. N. vult criminaliter accusare apud Tribunal Paternitatis V. A. R. ipsum Comparentem; *sive* quod in Causa, quam contra se scit actitari apud Tribunal Paternitatis V. A. R. examinandi sunt Fr. N. & F. N. & quia dictus Fr. Accusator, *sive* dicti FF. & N. sunt Conspiratores, *sive* ejus capitales inimici; *sive* alias puniti de perjurio &c. unde sunt totaliter inhabiles, ut admitti possint in judicio, & ipse Comparens promptus, & paratus est hoc, quod dicit, legitime probare; ideo dicit præfatum Accusatorem, *sive* Testes, esse a Vobis repellendos, & nullo modo admittendos ad accusandum, *sive* deponendum contra se. Et si aliter fieret per Vos, protestatur præsentem Exceptionem, & omnes alias sibi de jure competentes contra prædictum Accusatorem, *sive* contra personas, & dicta præfatorum Testium, ita hoc, & omni alio meliori modo, & forma &c. Dat. Die &c. in Conventu &c.

Ego Fr. N. excipio, ut sup.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

A D N O T A T I O.

LXVII. *Advertendum, quod si ille, qui intendit repellere Testes, vel Accusatorem, suspicionem habet, quod Iudex eam non acceptet, sive dissimulet, debet, prout diximus de Recusatione Iudicis, duas copias habere subscriptas ab iisdem Testibus, qui intersunt præsentationi, quarum unam Judici præsentet, seu dimittat, aliam apud se conservet, ut possit, suo loco, probare se excepisse debito tempore contra Accusatorem, sive Testes. Quod si non audet comparere coram Judice, aut non inveniat, qui velint esse Testes; potest Exceptionem istam proponere coram honestis viris,* sive *eam facere per edictum; & pro hoc vide formulas latas pro Recusatione Judicis* Sect. I. nu. XIX. & XXI. *& pari forma, mutatis mutandis, proponatur Exceptio, de qua nunc loquimur.*

A D N O T A T I O II.

LXVIII. *Advertendum secundo, quod si causa Recusationis non potest discuti nisi per examen Testium, & judicialem indaginem, & agitur de repellendo Teste a testificando; potest Judex, non obstante Exceptione proposita, examinare Testem, & in fine Cau-*

se, in termino defensorio, discutere Articulum Exceptionis. Si vero agitur de repellenda Accusatorem ab accusanda, aut causa Recusationis potest probari incontinenti, ut per ostensionem Sententiæ latæ contra Testem repulsum, in qua condemnatus fuit periurus; sive alias repulsus, ut Inimicus probatus &c. tali casu, ante receptionem Accusationis, sive depositionum debet discuti Articulus Recusationis, sive Exceptionis contra Testes &c.

LXIX. Forma Decreti Judicis post propositam Exceptionem contra Accusatorem, sive Testes.

Cum comparuisset coram A. R. P. Ministro &c. P. F. N. & illi præsentasset Libellum Recusationis contra P. N. &c. Testem &c. qui Libellus incipit *Coram Vobis &c.* & desinit *Ego Fr. N. fui Testis*, prædictus P. Minister ipsum acceptavit si, & in quantum &c. Cum autem didicisset a prædicto P. N. Excipiente causas a se adductas pro tali Exceptione, esse a se probandas per examen aliorum Testium, decrevit hunc Articulum exceptorium reservare discutiendum in fine examinis pro informatione Curiæ. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Minister Provincialis.

Ego N. Actuarius &c.

LXX. *Si vero Excipiens per instrumenta, sive alias probationes vult incontinenti probare causas propositas in Exceptione contra Testes, ne examinentur; aut si Exceptio sit contra Accusatorem ne accuset; debet Judex acceptare Exceptionem, & probationes recipere, ut sequitur.*

Cum comparuisset coram A. R. P. Ministro Provinciali P. N. & illi præsentasset Libellum Recusationis contra Fr. N. qui Libellus incipit *Coram Vobis &c.* & desinit *Ego Fr. N. fui Testis* prædictus P. Minister ipsum acceptavit si, & in quantum &c. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Minister &c.

Ego N. Actuarius.

Consequenter idem P. Minister citavit supradictum P. F. N. qui præfatum Libellum exceptorium contra Fr. N. præsentavit, & jussit, ut argumenta produceret, quibus intentum probaret, ut in Libello se obtulit. Qui P. Fr. N. præsentavit illi copiam Sententiæ latam die &c. a Iudice &c. contra dictum Fr. N. Testem repulsum, ex qua apparet ipsum condemnatum fuisse tanquam periurum; quæ incipit &c. & desinit &c. *& panatur tenor &c. sive* dixit, talem Sententiam asservari in libro Provinciæ, in quo registrantur Sententiæ, & institit sibi fieri copiam illum lustrandi, & Iudici ostendendi. *Sive* dixit, dictum Fr. N. alias fuisse ab eo repulsum tanquam inimicum, & tanquam talem post legitimas probationes fuisse repulsum a Judice N. in Processu facto anno tali, super delicto tali &c. ut est notorium, & publicum. *Sive* assignavit in Testes P. F. ad probandam inimicitiam inter dictum P. F. N. & se Excipientem, ne eius Accusatio recipiatur. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

LXXI. *Interea Provincialis debet examinare instrumenta producta, & Testes, & si invenerit probari ab Excipiente, saltem semiplene, intentum suum, non debet admittere nec Accusatorem, nec Testes; si autem non probatur intentum, eos admittat, & decernat, ut sequitur.*

Cum P. F. N. exceperit contra Fr. N. repellendo eum ab Accusatione contra præfatum Excipientem instituenda. *Sive* cum P. F. N. inquisitus, seu accusatus de crimine tali &c. exceperit contra FF. N. & N. Testes, tanquam totaliter illegitimos ad testificandum in hac causa; ET IPSE EXCIPIENS nec per instrumenta, nec per Testes coram Nobis productos, nec per alia legitima documenta plene, aut etiam semiplene, probaverit intentum suum coram Nobis, decernimus, nulla habita ratione talis Exceptionis, ad ulteriora procedere, & præfatum Fr. N. si comparuerit ad accusandum admittere; *sive* memoratos FF. N. & N. in præsenti causa examinare. Acta sunt &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

LXXII. *Si autem sufficienter sit probata ab Excipiente causa preposita dicatur.*

Cum P. N. exceperit &c. *usque ad verba* ET IPSE EXCIPIENS &c. & coram Nobis per legitimas probationes, prout in Actis, probaverit prædictum Fr. N. contra quem excepit, esse eius inimicum &c. *sive* prædictos FF. N. & N esse conspiratores, *sive* periuros &c. & causas a se assignatas esse veras, reales, & legitimas, ideo idem A. R. P. Minister decrevit, ut præsenti Decreto decernit, præfatum Fr. N. ab accusando esse repellendum; *sive* præfatos FF. N. & N. ad examen non esse admittendos. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

LXXIII. Forma literarum Remissorialium pro examinandis Testibus absentibus.

Diximus Par. I. Tit. Testes num. 122. p. 350. *plura de Remissione, & Commissione a Iudice facienda, quæ possunt ibi videri. Casu ergo, quod necesse habeat Iudex examinare Testes, qui sunt in aliena Provincia, & de facili non possunt haberi, debet formare Remissoriales ad Ministrum Provinciæ, in qua moratur Testis, & factum describi, ut sequitur.*

LXXIV. Consequenter P. A. R. Provincialis advertens esse necessarium examinare Fratrem N. ut informatum de præsenti Causa; & non posse ipsius præsentiam habere, cum commoretur in Provincia N. longumque esset negotium scribere ad P. Reverendissimum Generalem, ut illum ad se mitteret: decrevit literas Remissoriales dare ad A. R. P. N. Ministrum Provincialem memoratæ Provinciæ N. Expeditæ igitur fuere ad ipsum literæ tenoris sequentis, videlicet.

A. R. P. Necessarium cum mihi sit habere testimonium P. F. N. commorantis in hac vestra Provincia in Causa quadam, quæ coram Me actitatur, cogor auxilium P. V. A. R. implorare. Quapropter ipsum rogo omni maiori, qua possim, instantia, ut dignetur, ad nostræ Praxis Criminalis normam, prædictum P. F. N. examinare juridice, nempe ipsius testimonium iuratum, excipiente Notario legitime creato, & in scripturam publicam redigente; & ad me ipsius depositionem transmitteret.

tere. Articuli porro interrogatorii sunt sequentes.

Primo. An sciat causam suæ vocationis.

Secundo. An cognoscat Fratrem N. &c.

Et extendantur Articuli interrogatorii eo modo, quo procederet Judex ipse Ordinarius, si Testem ipse examinaret, juxta Causæ exigentiam, & concludatur.

Me interim famulatui offero P. V. A. R. quam Deus servet incolumem. Dat. Die &c.

Fr. N. Minister Provincialis.

Fr. N. Actuarius.

LXXV. Forma tenenda a Ministro Provinciali in examinando Teste receptis Remissorialibus.

In nomine Domini. Amen. Cum A. R. P. N. Minister Provincialis Provinciæ N. recepisset ab A. R. P. N. Ministro Provinciali Provinciæ N. quasdam literas Remissoriales, quæ hic inseruntur, & incipiunt &c. & desinunt &c. *& ponatur tenor &c.* Decrevit, prout de jure, eas executioni demandare. Quapropter, creato Me infrascripto, coram infrascriptis in Notarium, per exhibitionem juramenti, quod præstiti, tacto pectore, more Sacerdotali, statuit, ad formam juris, examen, de quo fuit rogatus, instituere. Acta sunt hæc Anno &c.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

Consequenter vocatus fuit &c. ut sup. num. X.

Interrogatus super primo articulo. Respondit &c. Super secundo. Respondit &c. *Et sic prosequatur, donec absolverit examen super omnibus Articulis. Et concludatur examen per clausulam* Quibus habitis &c. *ut supra num. XIII. & subscribatur.*

Ego N. deposui ut sup.
Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Postea examen ipsum sigillatum transmittatur ad Ministrum Provincialem, qui Remissoriales dedit.

ADNOTATIO.

LXXVI. *Advertendum, quod non solum potest per literas Remissoriales peti examen Testis, ut præfertur, sed etiam omne aliud, quod præstare posset Provincialis in Provincia sua in ordine ad Causam, quam agitat; ut visitatio Corporis Delicti; compulsatio Scripturæ a libro publico; confrontatio itidem, sive recognitio Scripturæ &c. Pariter eædem Remissoriales possunt dari ad Judicem Sæcularem Ecclesiasticum, sive Laicum, casu quo examinandus esset aliquis eorum respective Subditus; & tali casu, ad instar suprascriptarum, formandæ sunt literæ Remissoriales ad illos dandæ.*

LXXVII. Forma literarum Commissionalium ad examinandum Testem absentem.

Diximus Par. I. Tit. Testes. num. 122. p. 350. *literas Remissoriales, & Commissionales differre tantum in hoc: quod Remissoriales dantur ad Judicem Ordinarium, qui propria authoritate, excitata per petitionem sibi factam, præstat id, quod a se petitur præstandum; Commissionales autem dantur ad Subditum Committentis, qui exequitur commissionem, authoritate sibi a Committente impertita. Damus ergo formam, juxta quam possunt Literæ commissionales formari; & est, ut sequitur.*

Frater N. Minister Provincialis &c. Dilecto Nobis plurimum in Christo P. F. N. Theologo ejusdem Provinciæ &c.

Cum necessarium Nobis sit examinare pro quadam Causa, quæ coram Nobis vertitur, Fratrem N., dignisque de causis animum nostrum moventibus, judicemus non esse opportunum vocare prædictum Fratrem N. ad nostrum Tribunal, duximus Tibi demandare facultatem examinandi prædictum Fratrem N. Harum ergo serie Tibi injungimus, ut electo Tibi bene viso, ac idoneo Religioso nostro, quem more solito creabis Notarium, præfatum Fratrem N. coram Te vocare facias, & juridice coram Notario a Te creato examines super Articulis infra describendis. Præcipimus autem prædicto Fratri N. sub formali præcepto Sanctæ Obedientiæ, & in virtute Spiritus Sancti, ut Te tanquam nostrum Commissarium Delegatum ad excipiendum prædictum examen recognoscat, & in ordine ad hoc, in omnibus pareat, & obediat. Porro Articuli sunt infrascripti.

Primo interrogetur. An sciat causam suæ vocationis?

Secundo. In quo Conventu fuerit tali tempore &c. *& sic deinceps apponantur interrogationes, juxta casuum varietatem; & concludatur.*

Examen autem, ut præfertur, completum, & sigillatum ad Nos mittere curabit. Dat. &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

LXXVIII. Forma exequendi Commissionem.

In nomine Domini. Amen. Cum Pater Fr. N. Theologus &c. recepisset quasdam literas ab A. R. P. Provinciali, quæ hic inseruntur, & incipiunt &c. & desinunt &c. *& ponatur tenor.* Decrevit ea, qua par est, promptitudine eas exequi. Quapropter vocare fecit Me infrascriptum in cameram suam, & coram infrascriptis Me Notarium creavit per exhibitionem juramenti, quod præstiti tacto pectore &c. ad hoc, quod ut legitimus Scriba illi inservirem. Acta sunt hæc Anno &c.

Ego Fr. N. Commissarius Delegatus.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

LXXIX. Consequenter Vocatus fuit &c. *ut supra num.* X.

Interrogatus super primo Articulo. Respondit &c. Super secundo. Respondit &c. *Et ita prosequatur, donec absolutum fuerit examen, quod terminari debet per conclusionem* Quibus habitis &c. *ut supra* num. XIII. *subscribi a Teste, Commissario, & Actuario, sigillari, & ad Provincialem transmitti.*

ADNOTATIO.

LXXX. *Advertendum, quod potest committi non solum examen Testis, sed etiam visitatio Corporis Delicti, & omnia alia, de quibus diximus supra num.* LXXVI. *& tali casu variandæ sunt in literis*

Commissionalibus clausulæ illæ, quæ concernunt negatium commissum; & eorum executio facienda, & describenda est eo modo, quo describentur, si Acta illa fierent ab Ordinario Committente, mutato solum nomine Judicis Ordinarii, in nomen Commissarii

SECTIO QUINTA.

In qua traduntur Formulæ constituendi, & examinandi Reum.

I. *Quia ut diximus*, Part. prima Tit. Reus n.8. p. 402., *quando Reus est de fuga suspectus, potest ante constitutionem carcerari; hoc vero nequit Judex ex se (apud Nos) sed cum consilio Diffinitorum, aut aliorum Patrum peritorum in ordine, prout ordinat Textus, citato* Titul. Reus §.2. *necessarium est, tradere Formam servandam in Decreto, & carceratione, quæ talis potest esse.*

II. Forma decernendi carcerationem Rei suspecti de fuga.

Consequenter considerans A. R. P. Provincialis atrocitatem Delicti, de quo indiciatus est Fr. N. prout in Actis &c. & periculum, quod Reus aufugiat, & justitia fine suo frustetur, necessarium duxit, prout de jure, petere consilium a Patribus peritis, num scilicet F. N. Reus indiciatus deberet ad custodiam in carcere assecurari? Unde in cameram suæ residentiæ vocari fecit P.N. Ex Provincialem, *sive* Diffinitorem &c. P. N. Lectorem Theologum, & P. N. Confessarium, Concionatorem &c. qui sunt magis periti inter eos, qui sunt in Conventu N. & communicato cum illis consilio, petiit ab eis, num consulerent Reum prædictum esse carcerandum. Qui Patres, considerata gravitate criminis atrocissimi, cui pro pœna debentur triremes, vel carceratio annua &c.& conditione Rei, qui est juvenis robustus, audax, parum morigeratus; & alias apostasiam commisit; *sive* fugam meditatus est; *sive* dixit se velle fugere &c. consuluerunt, carcerari, ad custodiam, debere. In vim ergo consilii prædicti, & attentis causis, ut supra expressis, decrevit P.A.R. Provincialis, quod memoratus Fr. N. carceri mancipare tur, data commissione P. Guardiano dicti Conventus, ut Decretum præfatum executioni demandaret; cum hoc tamen, quod prædicto Fr. N. non auferretur nec chorda, nec caputium, cum carcer non formalis, sed ad puram custodiam sibi detur. Acta sunt hæc &c.

Ego Fr. N. Consului.
Ego Fr. N. ita censui.
Ego Fr. N. ita consului.
Ego Fr. N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Et intimato per me infrascriptum Actuarium præfato Decreto P. Fr. N. Guardiano Conventus N., dixit, Se incontinenti esse illud executioni mandaturum. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Actuarius.

Anno ..... Mense ..... & Die ...... quo supra, comparuit coram me Actuario prædictus P.F.N. Guardianus, & retulit se in carcerem conjecisse præfatum Fr. N. modo & forma sibi præscripta ab A.R.P. Provinciali.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

III. *Advertendum est, quod cum ex carceratione, etiam ad custodiam, maxime lædatur bona Fama Religiosi, non est faciliter deveniendum ad eam, nisi vera, & realis, & legitima sit suspicio fugæ; & pro hoc videnda sunt, quæ diximus* Part. prima Titulo Pœnarum num. 79. pag. 167. *circa ea, quæ reddunt de fuga suspectum.*

ADNOTATIO II.

IV. *Advertendum secundo; quod, ut diximus* Par. p. Titul. Reus nu. 4. pag. 401. *datur carcer ad custodiam, non solum ob suspicionem fugæ, sed etiam, ex aliis causis, quæ possunt ibi videri. Si ergo Judex ducit aliquem carcerandum, ex una illarum debet petere simili modo consilium a Patribus peritis, sed in Decreto carcerationis debet exprimi causa illa, ob quam Periti consuluerint, & Judex decreverit carcerationem.*

ADNOTATIO III.

V. *Advertendum tertio; quod ut diximus* Part. prima Tit. Pœnarum num. 76. p. 166. *non solum Provincialis, aut Judex Delegatus potest ad custodiam incarcerare, sed etiam Guardianus, Vicarius, sive etiam primus Discretus Conventus in absentia illorum, ex causa urgentissima, & quando esset periculum in mora; de quibus vide ibi. Verum est, quod sicut Provincialis, sive Delegatus tenentur petere consilium a Patribus peritis; pari modo se gerere debet Guardianus, Vicarius, Præses, sive Discretus Conventus; & optimum est, quod scripto mandetur talis carceratio, ut possit, taliter carcerans docere de legalitate procedendi. Descriptio autem debet continere breviter factum. Puta quod Fr. N. occidit, vulneravit enormiter, vel mutilavit Fratrem N &c. sive rixatus est cum eo, & iracundia indomita percitus, volebat eum aggredi, & interfirere; sive volebat fugere Apostata de Conventu, & latronibus sociari &c. Insuper consilium petitum a Discretis Conventus; & quia periculum erat in mora, carcerationem fuisse executam. Sed de hoc dicemus*, infra Sectio XI. num. LVI. & seqq.

ADNOTATIO IV.

IV. *Advertendum quarto, quod captura Rei, pro*

prout monet Textus Tit. Reus §. II. *debet fieri cum cautela, ne scandalum Sæcularibus ingeratur. Si vero enormissimum esset crimen, & majus damnum eveniret Religioni ex fuga Rei, quam ex scandalo, quod sequeretur ex ipsius captura; præstat illum capere; & etiam invocare brachium Sæculare. Judex ergo in tali casu in Decreto debet apponere causam, ob quam Patres periti consuluerint, & ipse decreverit invocare auxilium brachii sæcularis, pro Reo incarcerando. Circa invocationem autem brachii sæcularis, & de Forma tenenda videantur, quæ diximus sup.* Sect. II. num. XXXVI. in fin.

VII. Forma Decreti de Reo constituendo.

VII. *Supposito eo, quod ordinatur* in Textu Tit. Reus §. III., *& nos pluribus in locis demonstravimus Parte prima, puta, quod Reus, non potest constitui, nisi sit prius probatus semiplene delinquens; aut adsint indicia æquipollentia semiplenæ probationi, aliter Judex mortaliter peccat; Reus non tenetur respondere; & acta sunt nulla: debet Judex, mature consideratis probationibus, ac indiciis usque tunc habitis, videre, an Reus sit semiplene probatus delinquens, aut si adsunt indicia æquivalentia. Et ad hoc bonum esset, quod Iudex videat, & attente consideret, quæ scripsimus*, Par. p. Titul. Reus nu. 11. pag. 403. *ubi congessimus omnia indicia, per quæ probatur Reus semiplene delinquens, & quæ æquipollent semiplenæ probationi. Constito autem sibi, quod vigeat semiplena probatio, debet Judex ferre Decretum de ipso constituendo, cujus Formula potest esse, ut sequitur.*

VIII. Cum ex huc usque, actitatis appareat Fr. N. esse Reum de Furto commisso in Sacristia &c. *seu* de percussione illata Fratri N. &c. *seu* de proprietate &c. *& debet compendiose, exprimi Delictum, super quod facta est Inquisitio*; decrevit A. R. P. Provincialis prædictum Fr. N. constituere, citare coram se, & illum examinare, & alia prout de jure prosequi. Acta sunt hæc Anno.... Mense..... Die...... &c.

Ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

IX. Forma citandi Reum absentem per literas.

Dedimus Sectione præcedenti sub numero XLV. *Formam, juxta quam citari per literas debeat Testis vocandus ab alio Conventu. Eadem ergo præcise Forma, quæ servatur pro Teste tenenda est pro Reo. Proinde si Reus vocatus per literas extrajudicialiter datas non vult comparere, citandus est per literas judicialiter ut diximus de Teste, loco sup. citato* num. XLVI. *Et si est contumax in non comparendo (sive vocatus per literas, sive in Conventu sit, & coram Iudice comparere nolit) debet Iudex procedere ad Censuras, & carceres, ut diximus de Teste, loco supra citato* num. XLVIII. & seqq. *& eadem est servanda Forma, mutato solo nomine Testis, in Reum.*

X. Forma citandi Reum fugitivum.

Si Reus, patrato delicto, fugam arripuit; debet citari in modum absentis; hoc autem fit affigendo Monitorium, de comparendo, in loco publico illius Conventus, a quo fugit, ita tamen, quod tale Monitorium nequeat legi a Sæcularibus, ne scandalizentur. Proinde post quam in plena Communitate Fratrum fuit lectum per Actuarium, potest affigi ad valvas Refectorii, a parte postica. Debent autem omnia Acta describi, prout sequitur.

Cum Fr. N. gravatus indiciis in Processu ita reperiatur, ut verisimiliter appareat Reus de &c. *Et hic compendiose describatur Delictum, super quo inquiritur*, prout ex actis hucusque celebratis; ipseque Fr. N. fugam arripuerit Die ... &c. Mensis... & Anni...... &c. a Conventu N. in quo manebat, & iverit Apostata a Religione, vagus, & profugus, ut Notorium est; cum fuerit denunciatus Apostata, Excommunicatus in plena Fratrum Communitate, in prædicto Conventu N. a P. N. Guardiano memorati Conventus juxta Ordinis Statuta; & cum pariter nesciatur, in quo loco prædictus Fr. N. Reus, ut præfertur, reperiatur, A. R. P. Provincialis decrevit, ipsum citare ad modum absentis. Qua propter, jussit expediri per Me Actuarium, prout de iure, opportunum Monitorium, quod post quam ad mandatum ejusdem A. R. P. publicassem in plena communitate Fratrum, illud affigendum curavi ad valvas Refectorii, & ad Cellam, in qua manebat ante fugam prædictus Fr. N., ad effectum &c. Acta sunt hæc in Conventu præfato N. Anno.... Mense.... Die..... &c.

Ego N. Actuarius.

XI. Tenor autem Monitorii prædicti est, ut sequitur. Fr. N. Minister Provincialis &c. sive Delegatus &c. Tibi Fratri N. ex adverso principali authoritate Nostri Officii &c. sive commissioni Nobis factæ &c. tenore præsentium præcipimus, & expresse mandamus, quatenus, intra sex dies a publicatione præsentium numerandos, quorum duo pro primo, duo pro secundo, & duo pro tertio, & peremptorio termino assignantur, sub pœna confessatorum criminum, & Delictorum, de quibus imputaris, & insuper aliorum juxta Ordinis Constitutiones &c. debeas coram Nobis personaliter teipsum præsentare, ad teipsum excusandum, exculpandum, & defendendum ab infrascriptis criminibus, & excessibus per te commissis, & perpetratis; & signanter super eo, quod &c. *Et hic describantur Delicta, de quibus Accusatus, Indiciatus, aut probatus est Reus &c.* His peractis in fugam te dedisti, pœnas propterea, & Censuras in Sacris Canonibus, & Statutis Ordinis taxatas temere contemnendo, & incurrendo, rebusque aliis &c. alioquin &c. Volumus autem præsens nostrum Monitorium Tibi personaliter, (si persona tua commode haberi poterit, sin autem Cellæ tuæ solitæ habitationis, & valvis Refectorii, (dimissis ibidem, affixisque copiis,) præsentari, & intimari. Illudque Monitorium sic, ut præfertur, publicatum, & affixum, ita te arctare, & afficere, ac si personaliter, & magis legitime intimatum fuisset. Certificantes nihilominus Te., quod si in dicto termino non comparueris, Nos ad declarationem, quod dictas pœnas incurreris, & ad illarum legitimam executionem contra Te procedemus. Dat. &c. *Et apponatur sigillum parvum Provinciæ.*

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Anno .... Mense .... Die &c. comparvit coram Me infrascripto Actuario Fr. N. & præstito juramento retulit affixisse duas copias præjacentis Monitorii a Me ad hunc effectum sibi consignatas, ad valvas Refectorii, & ad Cellam, in qua morabatur prædictus Fr. N. sitam in Dormitorio communi versus meridiem &c. *sive* Orientem &c. cui Titulus est &c. & hoc in præsentia Fratrum N. & N.

Ego Fr. N. confirmo, ut supra.
Ego Fr. N. Testis.
Ego Fr. N. Testis.
Ego Fr. N. Actuarius.

XII. Forma recipiendi Reum Fugitivum Reversum a Fuga.

Videnda omnino sunt, quæ scripsimus. Parte prima Titul. Reus numero 46. *circa Reum reversum a contumacia, & petentem restitui in integrum. Sed sciendum, quod hoc potest diversimode accidere. Puta, vel Reus in se reversus potest sponte redire; vel invitus capi intra terminum in Monitorio assignatum; vel sponte comparere; vel per vim capi post expiratum terminum; & hoc adhuc dupliciter, puta vel antequam accusata fuerit contumacia judicialiter, & lata contra eum Sententia diffinitiva; vel post eam. Sciendum ergo, quod universaliter, & in quovis ex recensitis casibus prius debet Reus absolvi ab Apostasia in forma consueta ad præscriptum Statutorum, & mox prosequi Causa, de qua fuit processatus. Quamvis vero ordinet Textus* Titul. Reus §.7. *Quod Reus condemnatus in contumacia, relevari possit, & in integrum restitui, ad faciendas suas Defensiones, si tamen sponte revertitur ad Iudicem; tamen ex indulgentia Iudicis, pro ut diximus* Par. pr. citat. Tit. Reus sub num. 47. pag. 402. *potest admitti, etiam si per vim capiatur. Porro antequam sibi dentur Defensiones debet audiri ipse, & examinari; & ab eo sciri non tantum de Delicto, ob quod fuit inquisitus, sed etiam causa quare aufugit. Porro diversitas, quam supra innuimus, requirit tantum diversitatem in recensenda Formam, secundum quam Reus reversus fuerit; sed circa modum, secundum, quem debet a Iudice examinari, idem debet esse in omni casu, & potest describi prout sequitur.*

XIII. Anno .... Mense .... Die ... &c. Fr. N. qui, ut supra in Actis constat, fuerat citatus per Monitorium, ut præfertur, publice affixum in Conventu N. *sive* fuerat condemnatus in contumacia, ut ex Sententia contra eum lata sub Die &c. eo quia fugerat Apostata, postquam fuisset vagus per Dies &c. *Et hic exprimatur tempus durationis Apostasiæ.* In se reversus, & de commissa Fuga dolens; sponte ad Religionem rediit, *sive* captus est, ex mandato A. R. P. Provincialis, *sive* P. Fr. N. Guardiani Conventus N. Et postquam fuisset publice in forma consueta absolutus ab Excommunicatione, & adhuc in carcere formali detineretur; *sive* postquam in carcere formali ad præscriptum Statutorum Ordinis in pœnam Apostasiæ commissæ per tempus a iure sancitum fuisset detentus, volens A. R. P. Provincialis Causam ex memorata Fuga prædicti Fr. N. Rei indiciati, sive convicti, (*si plene per Testes, aut aliis documentis convictus fuerit*) interruptam continuare, vocare coram se, & Me infrascripto Actuario ipsum fecit. Et sibi dato iuramento de veritate dicenda, ac graviter monito de illius obligatione aperiendi veritatem Iudici interroganti, eo quia iuridice interrogatur cum ex actis constat ipsum Reum esse de &c. *Et hic exprimatur crimen, de quo formatus est Processus.* Fuit Interrogatus. Quare aufugerit Apostata.

Quare non comparuerit in tempore sibi assignato in Monitorio?

Quare non debeat condemnari juxta intimationem sibi factam in dicto Monitorio?

Si jam condemnatus fuit, petat. Quare non debeat exequi contra eum Sententia, quæ fuit lata contra ipsum in contumacia?

Receptis vero responsionibus Rei, quas ipse adducet in Defensionem sui, & excusationem Fugæ, ita concludatur.

Quibus habitis, & si, & in quantum receptis, licet A. R. P. Provincialis illa duxerit insufficientia ad excusandum Reum prædictum, contra quem, ut pote contumacem, ipso minime audito, deberet ferri, *sive* exequi iam lata Sententia; tamen rigorem iuris temperando, & cum prædicto Reo misericorditer, & clementer procedendo, ipsum restituit in pristinum sui statum, ante litem contestatam; decrevitque ipsum opportuno tempore constituere, interrogare, & congruum tempus pro suis Defensionibus faciendis concedere. Acta sunt hæc Anno .... & Die ...... quo supra &c.

Ego N. confirmo, ut supra.
Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

XIV. Forma Recusationis Iudicis facienda a Reo citato.

Hanc Formam dedimus supra Sect. p. num. XXIII. *Vide ibi.*

XV. Forma constituendi, & examinandi Reum.

Quæ servanda sunt a Iudice in constituendo, & examinando Reo, diximus Par. p. Titul. Reus a num. 17. pag. 405. &; inde *& ibi dedimus regulas a Iudice servandas ad effectum habendi a Reo veritatem. Optimum proinde est eas attente legere, & executioni demandare. Advertendum pariter est, quod, ut explicavimus* Par. p. citat. Titul. Reus num. 65. & seqq. *si Reus reperitur Excommunicatus, & hoc constet ex probationibus Testium, debet ante examen absolvi; si vero deprehenditur talis in ipsius examine, debet immediate absolvi, antequam ad ulteriora procedatur. Constitutum ergo Rei, potest describi, ut sequitur.*

Anno .... Mense .... & Die .... &c. in Conventu N. in Camera solitæ Residentiæ, & in qua Tribunal erexerat A. R. P. Provincialis &c. vocatus, & constitutus fuit coram prædicto Adm. R. P. Provinciali, & me infrascripto Actuario. Fr. N. Laicus, *sive* Clericus &c. Reus in hac Causa principalis quo ad se, & Testis quo ad alios, ætatis suæ annorum &c. prout dixit, Religionis vero &c. Et cum per legitimas depositiones Testium, prout in Actis, constet ipsum percussisse Fratrem N. & ideo esse Excommunicatum, idem A. R. P. Provincialis eum absolvit, ad effectum solum adstandi, & se tuendi in judicio, & non aliter, & cum reincidentia, cum ipse non possit probare se fuisse absolutum. (*Quod si de Excommunicatione antecedenter non constet.*

ffet, debet emitti descriptio absolutionis :) Ex post declarato illi statu suæ Causæ, nempe, quod in actis habeantur ea, quæ requiruntur ad eum iuridice constituendum, & interrogandum; præmissaque munitione, quod proprium crimen, stantibus indiciis, & probationibus, quæ contra eum in processu militant, sub æterna damnationis pœna, fateri teneatur, ac propterea delato ei iuramento de veritate dicenda super his, de quibus interrogabitur, prout iuravit, tactis Sacris Scripturis; *sive* tacto pectore, more Sacerdotali, ad sibi factas interrogationes respondit, ut infra.

Interrogatus. An sciat causam suæ vocationis?

Et si carceratus. A quo loco veniat?

Si respondet se causam scire, aut saltem eam imaginari, Judex subjungat, ut eam narret; & Reo incipiente narrare factum, Judex illum minime interrumpat, sed sinat eum libere dicere, & Actuarius sit accuratus, & velox in scribendo punctualiter ea, quæ dicit. Finita Rei narratione, Judex debet illi facere interrogationes, per quas clare explicentur circumstantiæ loci, temporis, modi, formæ, armorum &c. quas Reus non bene declaravit. Et advertat Judex monitum perutile omnium Criminalistarum, & est, quod Reo incipiente fateri crimen, Iudex perseveret in examinando, donec integralem confessionem ab eo hauserit, ne forte illum pœniteat, & inceptam alias confessionem revocet, obnubilet, aut turbet.

Habita tandem plena confessione faciat Iudex illi legi per Actuarium suam depositionem, cui subscribat, vel Crucis signum apponat; & bona etiam cautela est, ut Reus semper subscribat cuilibet paginæ quæ depositionis, ne possit, (ut evenit aliquando a quibusdam nebulonibus) calumniari Iudicem, aut Actuarium, quod Alia viti verint, & se non ita dixisse in suo examine, prout scriptum reperitur. Tandem subscribant Iudex, & Actuarius.

Bonum etiam est in atrocissimo casu ad examen Rei adhibere duos Patres graves, quibus a Iudice imponatur formale præceptum silentii, & subscribant etiam ipsi examini facto.

Si vero, ut in pluribus fit, neget Reus scire causam ob quam fuerit vocatus, aut carceratus; Incipiat Judex a generalioribus, & remotioribus indiciis suas interrogationes. Scio Criminalistas plerosque incipere ab inimicitia, interrogando Reum, an habeat inimicos, & quos, & qua de causa, & si reputet N. N. N. &c. Amicos, Viros probos, de quibus non possit suspicari mendacium &c. & hoc faciunt, ne Reus possit reprobare Testes, qui ab eodem fuere probati, ut Viri integri, & minime inimici. Sed talis praxis mihi non probatur, & est contra ius; etenim prout probavimus. Par. p. Tit. Reus numero 77. ℣. Septima est, *Judex non debet, interrogando, auferre Reo suas Defensiones; quærendo autem de Inimicis &c. illas aufert, quia spoliat Reum Exceptione de inimicitia, quam potest Testibus obiicere. Melius ergo fiet, si ab his abstineat, & sinceriori indagine veritatem præscrutetur, & potest sic prosequi.*

Interrogatus. In quo Conventu maneat de familia?

Quod Officium ibi habeat?

A quo tempore ibi degat?

Qui sunt Fratres ibi commorantes?

Tali Mense, & Die, ubi erat ipse interrogatus?

An tali tempore acciderit in Conventu aliquod inconveniens, & dicat quod?

Quomodo hoc sciat?

Supponamus autem aliquem Fratrem de nocte fustibus cæsum. Interrogatus: An audierit Fratrem N., quem dixit fuisse percussum, quando clamavit *accurrite, accurrite; assassinatus sum?*

Quæ hora noctis tunc erat?

Si dicit non audivisse. Interrogetur. Vbi erat illa hora ipse examinatus?

Si erat in Cella, quomodo, non audivit vocem ita vehementem, & strepitum, & tumultum Fratrum, qui accurrerunt?

Si erat extra Cellam, in quo loco erat?

Quid faciebat ibi?

A quibus visus est ibi?

Si audivit vocem clamantis, quare non accurrit in auxilium?

Quid poterat metuere, si audivit alios Fratres accurrentes?

Si accurrit etiam ipse, quomodo viderit Fratrem N. percussum?

An sanguis efflueret?

A qua parte corporis?

Quot, quales, quantæ, & in quibus membris apparebant contusiones?

Quosnam alios Fratres ibi viderit?

Quid dictum tunc fuit de percussore?

An ibi repertum sit lignum, quo percussus fuerit?

An illud agnosceret si sibi præsentaretur.

Et instrumentum percussionis, sive lignum, sive aliud sit, quod fuerit repertum, & Judici præsentatum debet Reo ostendi, & describi ita.

Et ad mandatum A. R. P. Provincialis fuit præsentatus baculus, *sive* ferrum, *sive* culter, *sive* saxum &c. quod fuit repertum apud Vulneratum sanguine tinctum, & in actis fuit consignatum, & descriptum, prout supra; quod videns prædictus Frater N. Reus dixit &c. *vel* Interrogatus.

An illud sit lignum, quod ibi vidit?

An sciat quisnam percusserit Fratrem vel saltem suspicetur?

Quare ita suspicetur?

An Frater N. percussus sit homo rixosus?

Cum quo rixatus sit; & quoties, & quando, & qua de causa, & coram quibus, & quomodo hoc sciat?

An prædictus percussus habeat inimicos, & quos, & ex qua causa, & de causa scientiæ?

An ipse rixatus unquam sit cum prædicto, & qua de causa, & quibus præsentibus?

An ipse die præcedenti, vel in illo sero ceciderit, vel impegerit caput in parietem, lignum, trabem, ex quo livor apparuerit sibi in facie; sive excoriatura, vel scarificatio, aut alius tumor in brachio, manu, pede &c. Qua occasione tale malum sibi fecerit?

Quis illud viderit?

An in sero illius diei ipse fuerit in loco, in quo asservantur ligna ad cremandum?

Quid faciebat ibi?

An aliquod lignum asportaverit?

Ad quem usum tale lignum secum tulerit?

An ullus Fratrum illum viderit cum tali ligno?

Quid ei dixerit ille frater?

Quare lignum illud tunc sub mantello absconderit?

Quonam illud detulit?

Quid dixerit die, & loco tali, post quam ipse interrogatus jurgatus est, cum Fratre percusso?

An rixa fuerit tantum verbalis, an potius etiam cum insultu unius adversus alium?

Quis

Quis prior insurrexerit contra alium, ipse interrogatus, an Frater percussus?

An ad manus tunc venerint?

A quibus Fratribus fuerint separati?

Post prædictam rixam, quo abiit ipse interrogatus?

An esset tunc solus, aut comitatus fuerit ab aliis Fratribus, & a quibus, & quid dixerit?

Monitus, ut dicat veritatem, quia in Processu constat, quod ipse minatus tunc sit Fratri percusso, & dixerit ita, & ita &c. An prædictas minas ex post executus sit?

An ex post Frater percussus aggressus sit ipsum examinatum, quo tempore, quo loco, quibus armis, quibus videntibus, aut audientibus, & quid sibi fecerit?

An ipse examinatus unquam habuerit rixam cum aliis Fratribus, & eos percusserit?

Quomodo potest negare hoc, cum sit publicum, & notorium, sive per Testes constet, quod tali tempore, in tali Conventu &c. pugnis, saxo, ferro &c. percusserit, seu sauciaverit Fratrem N.?

Qua de causa illum percussit?

Fuit ei dictum, ergo pari modo percussisti etiam Fratrem N. cum quo convictus & confessus es, te fuisse rixatum. Si tu non percussisti, quis ergo eum percussit?

Et cum hora esset tarda, A. R. P. Provincialis examen interrupit pro tunc, intendens tamen illud tempore congruo, & sibi opportuno, continuare; & lecto per Me Actuarium clara, & intelligibili voce examine ipsi Reo, eum nihil addere, vel minuere illi voluisset, dimissus est; *sive* ad carceres reductus fuit.

Ego N. confirmo ut supra.
Ego N. Assistens.
Ego N. Assistens.
Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

XVI. *Advertendum, quod plerique Criminalistæ, in suis ipsorum Formulariis, dispertiuntur examen Rei ante Torturam in tria Constituta, ex quo factum est, quod parum periti rerum criminalium opinati sint, quod Reus, ter tantum possit ante Judicem sisti, & examinari. At opinio hæc erronea est, quia, ut diximus,* Par. p. Titul. Reus. *potest Judex, quoties opportunum ad Causæ expeditionem judicaverit, examinare Reum. Distinguitur vero a Criminalistis examen in tria Constituta, non ex eo, quod primum Constitutum e. g. dicatur primum examen, quando prima vice Reus ante Judicem sistitur; & secundum, quando secundo examinatur &c. Sed distinguitur examen in tria Constituta sic, quia primum est, in quo Judex de remotioribus a Delicto Reum interrogat; & examinat illum tantummodo super indiciis habitis a Testibus, & quasi perfunctorie facit unam, vel alteram interrogationem super Delicto principali. Reo autem existente negativo, in secundo Constituto interrogat super Delicto principali; sibi objicit indicia, quæ constant; legere facit dicta Testium contra eum; opponit contradictiones, quas Reus dixit in suis examinibus; ipsum redarguit; fatigat interrogationibus; argumentis stringit, ut confiteatur. Porro in tertio congerit omnia indicia, Testium probationes, instrumenta, scripturas &c. & illa objicit Reo ad effectum ipsum removendi ab obstinatione, in qua persistit in negando; ipsum monet, quod devenietur ad examen rigorosum, nisi confiteatur de plano; minatur Torturam, & nihil intentatum relinquit, ut ipsum ad optatam confessionem perducat; ita ut ista tria Constituta sint quodammodo tres Canonicæ monitiones, antequam deveniatur ad infligendam pœnam tormentorum. Potest ergo esse, ut frequenter fit, quod in primo examine nequeat Judex interrogare Reum, neque ab eo habere responsum super omnibus indiciis remotis, & proximis, ita ut cogatur pluries eum examinare super puris indiciis, ut præfertur; omnia ergo illa examina, quæ de indiciis sunt, etiam si essent decem, integrant primum Constitutum tantum.*

ADNOTATIO II.

XVII. *Advertendum secundo; quod indicia, super quibus in primo Constituto debet examinari Reus pro veritate, & delictorum, & circumstantiarum, sunt ita multiplicia, ut impossibile sit, de omnibus specialiter interrogationes, a Judice faciendas, describere. Assumpsimus in Superiori Formula pro exemplo casum percussionis, ad cujus instar informari poterit Judex de modo se regulandi in cæteris delictis. Tamen ad pleniorem instructionem, & ut quantum fieri potest, demus Regulas interrogandi pro omnibus casibus, sciendum est, quod indicia alia sunt specialia, & proxima; alia sunt generalia, & remota: Ratio, & modus interrogandi de primis debet haberi a depositionibus Testium, & proinde de illis themata dare non possumus, sed Judex e ventre depositionum ea debet excerpere. De generalibus vero, & remotis aliqualem Regulam possumus dare. Advertendum autem, quod omnia Delicta possunt nasci ab irascibili, vel a concupiscibili; ista enim sunt duo radices maleficiorum. Ab irascibili procedunt percussio, vulneratio, homicidium, proditio, venenatio, calumniatio, falsificatio, conjuratio, conspiratio, subornatio, detractio, infamatio, & omnis alius modus, per quem proximo nocetur. A Concupiscibili vero crapula, ebrietas, Adulterium, Defloratio, Stuprum, Crimen innominabile, Sollicitatio ad turpia, Furtum, Proprietas, Simonia; & omnia alia, per quæ satis fit appetitui sensus, seu spiritus ambitiosi. Verum est, quod nonnulla, ex recensitis possunt promiscue oriri, ut furtum, Proprietas, Falsum, Apostasia, Detractio, &c. siquidem aliquis potest ita furari, esse proprietarius, &c. ut, per pecuniam, mulierem corrumpet, sive Electores; & per hoc satisfaciat libidini, vel ambitiani; vel ut Mandatarium remuneret pro homicidio Inimici, & sic irascibili satisfiat. Tamen ad illa duo principia crimina reducuntur. Habent autem illa duo principia, differentia indicia generalia, & remota, per quæ regulariter loquendo, conjici a Judice potest, quod delictum fuerit commissum, & de his Judicem informamus, ut interroget. Siquidem in Delictis percussionis, vulnerationis, homicidii &c. Interrogari debet Reus.*

An altercatus sit; an rixatus; an provocatus; an contumeliis, conviciis, detractionibus impetitus fuerit ab N. qui vulneratus est?

An rivalitatem cum eo habuerit ob Prælaturam, Officium, Dignitatem, Magisterium obtinendum?

An fuerit ab eodem Accusatus, Denunciatus, gravatus, impeditus, injuriatus in persona sua, vel suorum?

Quo-

An sit Familiaris, Amicus, Conjunctus, Factionarius Inimici Notorii ipsius examinati. *Omnia enim haec indicia sunt Inimicitiae, ob quam solam memorata Delicta committi possunt. In aliis vero Delictis carnis, differentia sunt indicia, puta conversatio, familiaritas, colloquia, sequestratio, risus, joci, nutus, tactus manuum, laudatio pulchritudinis, munera, literae, & alia hujusmodi. In his vero potest Judex interrogare.*

An Reus frequenter allocutus sit cum Muliere?
Ubi, quoties, quando, quibus praesentibus?
Quid negotii secum habuerit?
Quid sibi dixerit?
De quo riserit secum?
An sequestratus a Socio locutus fuerit?
Ad quid munera dederit?
Quid ad eam scripserit?
Cur Domum frequentaverit?
Cur affectaverit visitare in absentia Mariti, Matris, Fratrum, seu Conjunctorum? &c.

Ex omnibus enim his concluditur amor concupiscientiae erga illam. Porro alia sunt indicia generalissima, quae quadrant in omni crimine; & sunt consuetudo delinquendi in illo crimine; mala Fama, vita relaxata, indevotio, fuga orationis, & hujusmodi, & ad habendam de his confessionem ab ore Rei debet interrogari.

Quare, & ob quod crimen fuit Sententiatus tali tempore?
Quare poenitentiatus in Visitatione tali tempore?
Quare confusus a Guardiano tali tempore?
Quare refutatus de Familia ab omnibus Guardianis ita, ut coactus sit Provincialis dare illi Obedientiam apertam, ut inveniret benevolum Receptorem?

Ex istis enim cogetur fateri indicia illa, quae memoravimus supra. Praeter haec, sunt alia adminicula, puta complexio biliosa, & promptitudo ad iram, quae facit ad percutiendum; complexio saturnina, & maligna, quae inclinat ad nocendum per oblocutiones, proditiones, veneficia, avaritiam; & complexio sanguinea, quae incitat ad libidinem, amorem impudicum &c. Et super his potest pariter a Reo quaerere Judex, & interrogare.

Quare tali tempore ex simplici verbulo tantum excanduit contra N.?
Quomodo tot amicitias, & Familiaritates habeat cum saecularibus maxime foeminabus?
Quare victu communi non sit contentus, sed obsonia particularia, vinaque pretiosa procuret?
An divites conjunctos habeat, a quibus talia habeat? &c.

Adminicula autem ista valde conferunt ad intentum, si quidem per ea suppletur aliquando defectus in Testibus, & etiam coberantur indicia, ut passim dictum fuit Parte prima.

XVIII. Forma secundi Constituti.

Dictum est in Superiori Annotatione, quod in primo Constituto debet Judex Reum interrogare super indiciis remotis, & generalibus; in secundo vero debet urgere illum depositionibus Testium, & interrogare super indiciis specialibus, tanquam efficacioribus mediis ad extorquendam ab eo confessionem. Porro indicia haec, ut dicebam, excerpenda sunt ex ventre depositionum Testium, & non potest de omnibus singillatim tradi regula interrogandi, Ideo tradabimus materiam, continuando exemplum Causae, quam supra assumpsimus, ex qua Judex poterit desumere modum, quo se regere debeat in facti contingentia. Erit ergo, ut sequitur.

Anno . . . . & loco, quo supra, Mense vocatus fuit coram A. R. P. Provinciali P. F. N. Reus, qui supra, Die vero &c. qui monitus, & juratus, prout juravit tacto &c. ad opportunas interrogationes respondit, ut sequitur.

Interrogatus. An ipse Constitutus bene recogitaverit de periculoso statu suae salutis in persistendo in perjurio, & se disposuerit ad fatendam veritatem?
Quomodo audeat asserere, se dixisse veritatem in primo Constituto, cum ex pluribus indiciis, & probationibus constet ipsum percussisse Fratrem N.?
Quis ergo eum percussit?
Quomodo audes dicere nescire percussorem, dum tu ipse percussor fuisti?
Nullus rixatus est, nullus minatus est Fratrem N. nisi tu; quis ergo, nisi tu, potuit tale maleficium fecisse?
Qui sunt illi malevoli, quos tu dicis potuisse arripere occasionem ex rixa, quam habuisti cum Fratre N. ipsum percutiendi?
Si ergo neminem nescis in individuo assignare, & quomodo audes dicere, alios fuisse percussores?
Potes ne dicere P. P. N. & N. Sacerdotes graves, & senes tale facinus comisisse?
Potes ne asserere P. P. N. & N. Amicos, & Familiares ipsius P. N. ipsum verberasse?
Potes ne dicere, quod Fratres N. & N. Clerici, qui nec causam, nec rixam cum eodem habuerunt, ipsum percusserint?
Potes ne rationabiliter dicere, quod Fratres N. & N. Laici devoti, & mortificati, qui sunt filii spirituales ipsius Patris N. ipsum verberaverint?
Si nullus ergo, ultra istos, erat tunc in Conventu, nisi tu, tu solus hoc crimen commisisti?
Dictum ei fuit: Resipisce miser, nec ad evadendam temporalem poenam, illaquea te aeterna, dicas, Quare dum omnes Fratres accurrerunt ad vocem clamantis, tu solus non comparuisti, ut opem ferres?
Quomodo non audivisti, cum esset talis clamor, quod Fratres N. & N., qui erant valde distantes accurrerunt, & tu qui eras vicinus non audivisti?
Quomodo dicis tali tempore esse somno oppressum, si dixisti in primo Constituto, te non solere ire cubitum nisi hora tertia noctis, & percussio fuit paulo post horam secundam?
Quomodo dicis te fuisse lassum ex itinere facto, si dixisti supra tali die non exiisse a Conventu?
Nonne rixatus es cum P. F. N. percusso post prandium illius diei in camera ignis communis?
Nonne paulo ante Completorium fuisti in lignario? Ergo non fuisti extra Conventum, nec lassatus ex itinere, prout dixisti?
Cum quo Socio exivisti, & ad quid, & quo petente Licentiam exeundi?
Quomodo recordaris exiisse e Conventu, & non recordaris Socii, cum quo fuisti?
Nonne fuisti ad Cellam Fratris N. percussi tempore, quo ipsi alligabantur vulnera?
Si ergo profunde ita dormiebas, ut non audieris vocem clamantis, & quomodo expergefactus es, dum amplius non fiebat strepitus?
Nonne ipse Fr. N. percussus exprobavit tunc tibi, qua

qua fronte ausus fuisti illum adire, postquam ipsum tam enormiter percussisti?

Nonne respondit tibi, quod si tua lingua mentiebatur, facies tua mentiri non poterat, ex eo, quod apparebant scalpturæ, quas ipse unguibus tibi fecerat in facie ad sui defensionem, quæ fuerunt visæ tunc ab omnibus; & per nonnullos dies perduraverunt?

Respondit &c.

Videns autem A. R. P. Constituti pertinaciam, illum denuo paterne monuit, dicens: Vide Frater, tu curas de corpore, non de anima; metuis poenas sæculi, non inferni. Peccasse, fragilitatis est; sed peccatum negare coram Deo, cujus locum teneo, Diabolicum est; moneo ergo te, ut relinquas obstinationem, veritatem fatearis, & ita temperamentum poenæ merearis. Dicas ergo, quisnam percussit Fratrem N.?

Tunc Pater Provincialis, videns animum ipsius obfirmatum in deneganda veritate, voluit examinis continuationem in aliud tempus differre; ad hoc, ut Reus haberet occasionem melius de se recogitandi, & se disponendi ad fatendum crimen. Jussit tamen sibi prius legi suam depositionem, & ab ipso subscribi. Acta sunt hæc &c.

Ego N. confirmo ut supra.
Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

XIX. Forma tenenda in ultimo Constituto Rei.

Anno... Mense... Die & loco &c. adductus coram A. R. P. Ministro Provinciali P. Fr. N., qui supra, gravibus, & exhortatoriis verbis fuit monitus, ut, consulens animæ suæ, a tot perjuriis tandem desisteret, quot fuere mendacia, quæ in Superioribus Constitutis asseruit; & de novo juratus, prout juravit tacto pectore &c. ad sibi factas interrogationes respondit, ut sequitur.

Interrogatus, Quam ob causam percusserit Fratrem N.?

Quomodo audeat negare hoc, dum omnes Testes quotquot fuere examinati affirment ipsum fuisse percussorem?

Audias, (ait R. A. P.) & confusus per eorum dicta, veritatem tandem confiteare. Et ad mandatum ejusdem A. R. P. lectæ sibi fuerunt depositiones Testium, & signanter dicta primi Testis supra fol. &c. Secundi Testis supra fol. &c. *& sic deinceps, donec omnia dicta Testium sibi objecerit*. Tunc R. A. P. quid dicis ad hæc; quomodo audes negare?

Respice in me, quomodo non confunderis coram Deo, cujus locum teneo, negare, quod tot boni Religiosi cum juramento affirmarunt?

Vide miser præcipitium tuum, non es contentus falsitatem cum Diabolo defendere, & veritatem contra Deum impugnare, sed etiam Viros probos calumniaris, & audes illos perjuros, falsosque Testes dicere?

Sed quid dices ad manifesta indicia, quæ militant contra te?

Potesne negare, quod tali die &c. post prandium coram P. P. & Fr. Fr. N. N. & N. altercatus sis cum Fr. N. percusso ob causam talem &c. dum esses ad ignem communem, & protulisti contra ipsum verba talia, &c. & non solum hoc, sed, arrepto titione, volebas ipsum percutere, nisi fuisses retentus a P. N. qui apprehendit te per brachium, & adduxit in Dormitorium?

Potesne negare, te in dormitorio dixisse coram P. N. & N. quod omni modo volebas te ulcisci contra eundem Fr. N, & ipsum apprehendisses in tempore, quo a nemine posses impediri?

Potesne negare, quod post Vesperas, & paulo ante Completorium tu ivisti ad lignarium, & lignum inter alia delegisti, & interrogatus a Fr. N. Coquinario, qui illuc advenerat, quid volebat facere de illo ligno, tu respondisti *velle illo reddere sensatum quendam fatuum*, quæ verba fuere audita etiam a Fr. N. qui supervenit dum Coquinarium quærebat.

Potesne negare, te, dum a lignario exires, obvios habuisse Patres N. & N. redeuntes ab horto, & quando eos vidisti, abscondisse lignum sub mantello, & dum te interrogassent quid nam absconderes, te illis responsum non dedisse, sed concito passu, timens, ne vellent videre quidnam gerebas, ascendisti scalas dormitorii, & ivisti ad cellam, qua festinanter clausa, ad ipsos, qui iverant ad ignem, reversus es?

Potesne negare in illo sero, præter morem tuum, quo solitus es post primam noctis ire cubitum, circuisse per dormitorium, & claustrum; & dimissis calepodiis, induisse sandalia contra morem tuum, & quæsivisse a Fr. N. Clerico, an ipse vidisset Fr. N. percussum &c. & Clericum prædictum tibi respondisse, illum manere adhuc in Ecclesia?

Potesne negare, quod dum ipse Fr. N. exiisset ab Ecclesia, & scalas ascenderet, tu qui stabas in insidiis, cucurristi post eum, & ipse audiens sonitum gressus tui, sibique timens, relictis calepodiis, velociter ascendebat scalas, & tu cæpisti illum percutere, & ille fugiebat, teque prosequente percutere, ipse magna voce clamare cepit, *accurrite, accurrite, sum assassinatus*, teque ferocius percutiente, ipse in obscuritate, (dum lampas dormitorii fuerat contra consuetum extincta) faciens de necessitate virtutem, te amplexatus est, & unguibus scalpsit tibi faciem, & brachium, & digitum manus tuæ momordit, & scalpturæ visæ sunt a Fratribus in illo sero, & per plures dies durarunt, & a morsu curatus fuisti per Chirurgum?

Potesne negare, quod accurrentibus omnibus Fratribus in auxilium, Tu solus non comparuisti, quod repertum fuerit lignum, quo eum tutudisti, quod fuit recognitum a Coquinario, esse illud idem, quod tu acceperas in lignario paulo ante Completorium, & dimisisti in loco delicti, quando audiens Fratres accurrentes, fugisti in Cameram tuam?

Potesne negare, quod tu comparuisti quadrante horæ post factum in cella Fratris N., ubi erant assistentes cæteri Fratres, ad illum curandum a contusionibus, & quando ille te vidit, dixit ad te, *& audes adhuc venire ad conspectum meum postquam me assassinasti*; & dum tu negasti hoc fecisse, ipsum replicasse, *lingua tua mentitur; sed facies tua verum dicit: videte Fratres scalpturas unguium, quæ produnt malefactorem*, & dum ad illa verba Fratres conversi sunt ad te, tu mutus statim abiisti?

Quomodo ergo potes negare tot indicia, per tot Testes probata?

Dicas nonne curatus fuisti a Chirurgo in digito minimo manus?

Quomodo hoc negas, si in primo examine hoc confessus es?

Quis

Quis ergo te sauciavit in digito?

Nonne per duos dies fuisti in camera, nec audebas comparere ob faciem deformatam scalptura unguium?

Respondeas. Ad quid arripere illum baculum, & sub mantello abscondere?

Hoc nequis negare? Responde.

Advertat Iudex, quando Reus incipit titubare, verba confundere, pallere, plorare, sudare, suspirare, anhelare &c. tunc magis urgeat eum, & fatiget interrogationibus, & dicat Da gloriam Deo, dic veritatem, responde cito. *Et altiori, & imperiosa voce sic dictet Actuario. Scribe.* Et cœpit tremere, & pallere, sudare, suspirare &c. *Mox premat ipsum.* Quare gemis, suspiras, sudas, tremis &c. Nonne vides te veritate confusum.

Responde. *Et in hoc anfractu Iudex fixos, ac intentos oculos in Reum teneat, iubeatque Reo, qui a Iudice oculos divertit, ut in se illos convertat, & urgeat eum sic.*

Quare faciem meam non sostines, & oculos meos effugis.

Miser nonne vides, quod facies tua te arguit, & prodit conscientiam læsam, quam lingua denegat?

Quod si me hominem non latet, quomodo evasurum te esse, confidis, iudicium Dei omnia intuentis?

Confitere ergo delictum tuum. An ne tu percussisti Fratrem N.?

Videns autem Rev. Adm. Pater se nihil proficere monitionibus, exhortationibus, obiectionibus, rationibus, & argumentis præfato Reo pluries replicatis, & obiectis, ipsumque pertinacem, & obstinatum in negando, decrevit ipsum pro tunc dimittere, & opportuno tempore, de iure agenda perficere. Et lecto sibi suo examine, cui subscripsit dimissus est &c.

Ego N. affirmo ut supra.
Ego Fr. N. Minister.
Ego F. N. Actuarius.

XX. Forma cogendi Reum nolentem respondere, aut non respondentem præcise; aut vacillantem, aut sibi contradicentem, non concordatis dictis contradictoriis.

Possunt dari casus, quod Reus in primo Constituto, sive aliis nullum det responsum interrogatoriis Iudicis; vel respondeat cum ambiguitate; vel nolit præcise respondere per verba affirmativa, aut negativa; vel modo asserat, modo neget, iterumque asserat, iterumque neget; vel sibi in uno, & eodem, sive diversis Constitutis contradicat, sibique a Iudice obiecta contradictione, eam nequeat conciliare: tali casu, debet cogi per torturam, quemadmodum diximus, Par. prima Titul. Reus in Comment. §. 6. *Supponimus autem, quod ex ventre depositionis ipsius Testis, & ex Actis processualibus tam evidens sit contradictio, vacillatio, & obstinatio in non præcise respondendo, quod nulla queat tergiversatione celari, & tali casu nullæ dandæ sunt Reo defensiones ante Torturam, sicut diximus pariter de Teste supra.* Sect. IV. numero LX. *Sed apud Nos, peti debet consilium Diffinitorii, sive aliorum Patrum peritorum, ut habet* Textus Titul. Tortura §. III. *potest ergo deveniri ad Decretum Torturæ describendo factum, ut sequitur.*

Cum Fr. N. Reus, qui supra, pluries Constitutus coram A. R. P., & ab eo *Interrogatus* noluerit interrogationibus congruam responsionem dare; sed dixerit, *se non recordari; nihil scire &c.* & monitus ut ad interrogata responderet, easdem penitus responsiones dedit; & iterum atque iterum monitus, comminataque ipsi Tortura, nisi adæquate respondere disponeretur, spretis exhortationibus, monitionibus, atque comminationibus sibi factis, durus, & obstinatus perstiterit in eisdem responsionibus, nec aliud ab eo haberi potuerit.

Sive Interrogatus, vacillans fuerit in suis dictis, dum in primo Constituto in folio &c. dixerit hoc, & hoc &c. *& ponantur præcisa eius dicta*; mox in alio examine, ut patet in Processu folio &c. dixerit contrarium, ut hoc, & hoc &c. exinde in alio Constituto fol. &c. dixerit hoc, & hoc &c. iterumque in alio examine asseruerit contrarium, ut patet in actis fol. &c. ubi dixit hoc, & hoc.

Sive Interrogatus, ut assertive deponeret, semper dubitative, & hæsitanter responderit per verba, *mihi videtur; si male non recordor; potuit esse &c.* & monitus, ac pluries instatus, & exhortatus, ut præcise, & assertive responderet, *est*, vel *non; fuit*, vel *non fuit &c.* ipse verba futilia dedit. Dicendo quod *dixi, dixi*; quod *dixi, scriptum est; me remitto ad supra dicta &c.* nec per replicatas instantias, exhortationes, monitiones, & comminationes Torturæ removeri potuerit a sua pertinacia in dandis eisdem præcise responsionibus,

Sive Interrogatus, in plures contradictiones dederit, cum in suo examine facto sub die &c. ut appareт in Actis fol. &c. dixerit hoc, & hoc &c. *& ponantur ejus dicta*; postea in alio examine sub die &c. fol. &c. dixerit contrarium, nempe sic, & sic &c. itidemque in primo examine supradicto deposuerit hoc &c. & in alio dixerit oppositum puta &c. & obiectis sibi ab A. R. P. prædictis contradictionibus, eas nec conciliare, nec negare potuerit; *Decrevit*, iuxta Ordinis praxim, audire consilium R. R. PP. Diffinitorii; *sive* Patrum Peritorum Conventus N. super tortura, quam, ex legum præscripto, tenetur inferre prædicto Reo, ob supradictam causam. Vocatis ergo in cameram suæ residentiæ R. R. P. P. nempe P. N. Exprovinciali, P. N. Guardiano, P. N. Lectore Theologo, aperuit illis statum causæ, & per Me Actuarium legi fecit acta ad prædictam Causam, & Articulum facientia. Quibus lectis petiit, ut sibi consulerent, num graviter, num mediocriter esset prædictus Reus torquendus, quodque genus torturæ sibi convenientius videretur. Qui matura discussione præmissa, dixerunt, ipsum Fr. N. tamquam contumacem in non parendo Iudici, & in non danda præcisa responsione &c. *sive* tamquam dolose vacillantem, & *sive* tanquam periurum, ex eo, quod est inter duo contradictoria &c. deberi carceri mancipari, & ieiuniis macerari, donec discedat ab obstinatione; sive per tot dies, &c. & si hoc non profuerit, posse A. R. P. pro sui arbitrio, alia tormenta adhibere, donec Reus obediat; sed quo ad durationem se remittebant arbitrio A. R. P. Provincialis. Acta sunt hæc Anno ... Mense ..., Die ..., &c.

Ego Fr. N. ita consului.
Ego Fr. N. affirmo.
Ego Fr. N. consului, ut supra.
Ita est Ego Fr. N. Minister.
Ego Fr. N. Actuarius.

XXI. *Consequenter* idem A. R. P. inhærendo consilio sibi per supradictos Patres dato, & præmissa protestatione, quod præcise ad Torturam devenire intendit ob prædictam variationem; *sive* vacillationem; *sive* contradictionem; *sive* ad expugnandam obstinationem ipsius Fratris N. ut det responsum congruum, & præcisum ad sibi factas, & de novo faciendas interrogationes; & salvis iuribus Curiæ acquisitis circa principale decrevit, pro ut præsenti Decreto decernit, prædictum Fratrem N. esse carceri mancipandum, ubi pane, & aqua sustentetur per tot dies &c. sive donec paratus sit, congruum responsum dare &c. Acta sunt hæc. &c.

Ego N. Provincialis.

Ego N. *Actuarius*.

Et cum per Me Actuarium intimatum fuisset prædictum Decretum P. N. Superiori Conventus, ut curaret illud executioni demandari, se paratum demonstravit, & paulo post reversus mihi retulit, prædictum *Fr.* N. esse incarceratum juxta mandatum Adm. R. P. Acta sunt hæc &c.

XXII. Forma examinandi Reum tortum ut supra, ob variationem, contradictionem, vacillationem, vel pertinaciam in non dando responso præciso.

Si Reus, dum est carceratus, mittit Custodem Carceris ad Iudicem dicendo, se paratum esse, dare congruas responsiones interrogationibus sibi faciendis; potest Iudex illum ante se adducendum curare, & examinare, prout supradictum est, ad exigentiam causæ; Et in processu potest describi factum secundum Formam datam supra Sectio IV. num. LIII. *de Teste, recedente a pertinacia, examinando.*

Si vero fuerit carceratus, & sic tortus, ob vacillationem, varietatem, sive contradictionem, ad purgandam maculam periurii, & ad videndum in quo dicto præcise persistere intendat; debet Iudex, (postquam per tempus conveniens, & prout ipse expediens iudicaverit, Reus fuerit ita tortus per Carcerem, & jeiunia,) illum denuo examinare, & totum describi, prout sequitur.

Cum per Dies . . . . . &c. *& hic exprimatur numerus dierum*. Fr. N. Reus, qui supra &c. ex causa, & causis præmemoratis, ex Decreto A. R. P. fuisset in Carcere detentus, & ieiunio in pane, & aqua maceratus &c. volens idem A. R. P. Provincialis ad expeditionem Causæ procedere, & ab eo scire, in quo dicto, ex supra recensitis, a se assertis, velit persistere, jussit illum coram se adduci, & sibi dato iuramento de veritate dicenda, prout iuravit tacto &c. fuit.

Interrogatus. An tandem se disposuerit ad dicendam veritatem?

Quomodo potest asserere veritatem dixisse, dum tam varia, & contraria deposuit?

Fuit ei dictum, ut denuo dicat quomodo fuit tale, & tale factum. *Et hic quærat Iudex de illis factis circa quæ Reus fuit vacillans, contradictorius &c. & habita responsione subiungat*. Tu alias, de hoc eodem facto, a Me interrogatus, respondisti hoc, & hoc &c. modo dicis sic, & sic &c. ista dua responsa, non possunt esse ambo vera, sed necessitate unum est verum, & aliud falsum. Dicas ergo, quod nam est responsum verum, in quo persistis?

Fuit ei dictum, qua de causa dicis hoc responsum esse verum, & aliud falsum?

Quomodo asseris, hoc esse verum, dum Testes dicunt contrarium?

Fuit monitus ne ad pœnam temporalem effugiendam incurreret æternam mentiendo: dicat ergo, quomodo non est magis vera alia responsio, cum sit magis conformis dictis Testium?

Et cum pluries fuisset monitus, & exhortatus ab A. R. P., ut sibi ob oculos posito timore Dei puram veritatem diceret; semper perstitit in eodem responso. Et lecto sibi suo examine, & ad mandatum Ad. R. P. dimissus est; sive ad carceres reductus &c. Acta sunt hæc &c.

Ego N. deposui, ut supra.

Ego N. Minister Provincialis.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

XXIII. *Advertendum, quod potest evenire, quod Reus pertinax in non dando præcisa, & adæquata responsione interrogationibus sibi factis, non se disponat per Torturam Carceris, & jejunii ad recedendum a pertinacia, & consequenter non mittat ad Judicem ut numero superiori diximus. Tali casu debet Judex transactis aliquot diebus sibi bene visis a carceratione, illum examinare, instando, ut congruam responsionem det ad interrogata. Si illam dederit, bene quidem; si vero perseveret, dicendo* nihil scio. Sum innocens; quod dixi, dixi; quod dixi scriptum est; me remitto ad dicta &c. *Iudex bis, & ter moneat, urgeat, & instet, ut recedat ab obstinatione; & si videt nihil proficere, decernat augmentum Torturæ prout infra, & si Reus ab illo appellet, non curet de Appellatione, illam reiiciat, & illa non obstante, ad executionem Decreti deveniat. Porro Forma decernendi augmentum Torturæ debet esse talis.*

Cum comperisset A. R. P. Provincialis Fratrem N. prædictum Carcerem, & jejunium iniunctum nihili pendente, nec per illa moveri ad relinquendam pertinaciam suam, in non danda congrua, & præcisa responsione ad interrogata, decrevit, pro ut præsenti Decreto decernit, quod Fratri N. prædicto, ultra carcerem, & jeiunium in pane, & aqua ponantur pedes in compedibus, & vinculis ferreis alligetur, ut ex majori Tortura resipiscat, & a pertinacia recedat. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister Provincialis.

Ego N. Actuarius.

Et intimato, per Me infrascriptum, supradicto Decreto Fr. N. Custodi carceris, promisit se illud statim executioni demandaturum. Et paulo post reversus retulit, cum juramento, se iniecisse compedes ferreos prædicto carcerato, & catena pariter ferrea ipsum alligasse. In quorum &c. Acta sunt hæc &c.

ADNOTATIO II.

XXIV. *Advertendum, quod si, non obstante carceratione, & jejuniis, Reus adhuc persisteret in sua pertinacia, & essemus in casu atroci, Iudex posset variare tormenta, & adhibere sibilos, taxillos, & etiam funem. In tali ergo casu, post quam per dies Judici bene visos mansit Reus compeditus, & vinculatus, potest illum denuo examinare, &*

fa-

factum describere, prout numero superiori dictum est; & facere Decretum de augenda Tortura, & explicare genus tormenti, quod adhibere intendit. Formam autem dandi talia tormenta dabimus infra Sectione Sept.

XXV. Forma confrontandi Reum cum Testibus.

Videnda omnino sunt, quæ diximus de confrontatione Rei cum Testibus Part. p. Tit. Reus a nu. 96. *usque ad* 114. pag. 424., *& Forma erit ut sequitur.*

Cum Frater N. Reus, qui supra, obstinatus, & pertinax fuerit in non confitenda veritate, nec a sibi objectis depositionibus Testium, motus fuerit a negativa delicti, quod commisit; A. R. P. Provincialis duxit, optimam esse confrontationem eorundem Testium cum prædicto Reo, ad removendum ipsum ab obstinatione. Constituto ergo illo coram se, eoque monito, & jurato, prout juravit tact. &c. fuit.

Interrogatus. Quomodo negare possit, se tali tempore percussisse baculo Fratrem N., cum tot Testes fide digni deponant contra eum? Respondit &c.

Quomodo negare audeat, se tali die tentasse percutere titione ad ignem communem, cum hoc asseratur ab aliis, qui fuerunt præsentes? Respondit &c.

Quomodo neget, se accipisse baculum a lignario; dixisse se velle illo reddere cordatum quendam fatuum; baculum prædictum abscondisse sub mantello &c. Dicat ergo quis fuerit iste fatuus, & de quo intendebat ipse loqui? Resp.

Qua fronte neget hoc, si Testes iidemmet in facie ipsius hæc eadem confirmabunt? &c. *& subsequatur.*

Cum A. R. P. vidisset illius pertinaciam negando, quæ Testes veridici deposuerunt, vocari fecit P. Fr. N. Sacerdotem &c. Testem, ut supra examinatum, & eo monito, & jurato prout juravit, tacto pectore &c. sic ipsum interrogavit.

An cognoscat Fratrem ibi adstantem; quomodo vocetur; a quo tempore eum cognoscat; & de causa scientiæ? Respondit &c.

Tum conversus ad prædictum Fr. N. *ut præfertur constitutum, illum interroget?*

An cognoscat viceversa prædictum P. N. Testem? Respondit &c.

Et advertendum, quod sive confiteatur, sive neget, se cognoscere illum, non impedit, quin dicatur, facta recognitio. Et sequatur.

Post quam Reus, & Testis se ad invicem cognovissent, prædictus P. N. Testis fuit interrogatus.

An ipse constitutus sit ille idem, de quo deposuit sub die &c. prout constat ex actis &c.?

Tunc A. R. P. Provincialis jussit legi depositionem Testis clara, & intelligibili voce in faciem Fr. N. Rei, qua lecta, fuit.

Interrogatus, si recordatur de hac depositione? Respondit &c.

An quæ in illa deposuit vera sint? Respondit &c.

Tunc idemmet A. R. P. Provincialis conversus ad dictum Fr. N. Reum constitutum, interrogavit.

Quid modo respondes prædictis?

Et hic describatur responsio Rei, & replicatio Testis, & omnia verba, motus, gestus, & alia accidentia tum Rei, tum Testis, quæ evenient, & subsequatur.

Et cum uterque in suo dicto persisteret, A. R. P. Provincialis licentiavit a sua camera prædictum Testem Fr. N. & vocare fecit Fratrem N. alium Testem examinatum sub die &c. ut constat ex actis folio &c. & eo monito, & jurato &c. *Et ipsum examinet, sicut factum est cum antecedenti; & ita continuet, donec omnes Testes sint confrontati. Confrontatis autem omnibus subsequatur.*

Tunc A. R. P. conversus ad ipsum constitutum, ait. Nonne vides miser te per Testes, qui in faciem tuam deposuerunt super delicto a te commisso esse convictum?

Qua fronte ergo audes negare ita patentem veritatem?

Da gloriam Deo, crimen tuum humiliter fatendo dicas, anne tu die tali &c. percussisti, & vulnerasti Fratrem N.? Respondit &c.

Quibus auditis A. R. P. vocare fecit supradictos omnes Testes, ut supra confrontatos, & coram ipsis & Reo prædicto lectis eorundem depositionibus ipsis ab omnibus subscribi fecit, & Reum ad locum suum reduci jussit. Acta fuit hæc &c.

Ego N. Testis deposui ut sup.
Ego N. Testis deposui &c.
Ego N. Testis &c.
Ego N. affirmo ut supra.
Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

XXVI. Forma confrontandi Socios criminis cum Reo.

Quia Socius criminis est infamis. &, ut ejus dictum afficiat Reum, debet purgare infamiam per Torturam, ut diximus Par. I. Tit. Tortura; *& si fiat confrontatio ipsius cum Reo, damus ejus formam. Præmittantur autem ea, quæ supra dicta sunt, dum confrontantur Testes cum Reo, & subsequatur.*

Et cum uterque ipsorum staret in suo dicto A.R.P. ad ipsum Constitutum magis convincendum de mendacio, eumque magis disponendum ad fatendam veritatem, & ad tollendam omnem dubitationem, & maculam a dictis, & persona ipsius Testis ob infamiam, qua laborat, cum sit socius criminis, mandavit dictum Testem flexis genibus spoliari chorda, & caputio, & reducto habitu, ipsius humeros nudari, & flagellum, sive disciplinam in dextera accipere; Tuncque in præsentia ipsius Rei, ipsum monuit denuo, ut simplicem veritatem diceret, nec animam suam, & Proximum gravaret, dicendo mendacium; ipsumque interrogavit; An paratus esset confirmare in Tortura in faciem, & caput ipsius Rei, quæ ante deposuit? Respondit &c.

Tunc A. R. P. jussit, ut se flagellaret. Quo incipiente se, ut præfertur, flagellare, fuit interrogatus.

An ea, quæ deposuit in suo examine sub die tali &c. & quæ ratificavit paulo ante præsens tempus contra F. N. Reum constitutum hic præsentem, sint vera? Respondit &c.

Fuit ei dictum, ut replicet ea. Respondit &c.

Tunc A. R. P. jussit, ut cessaret a se flagellando, & de novo, caputium, & chordam indueret, & ad locum suum reverteretur &c.

Si sunt plures Socii criminis eodem modo sunt torquendi, & concludendum examen eodem modo, quo terminatur in Testibus, qui non sunt Socii criminis, & cum Reo confrontantur, ut dictum est supra num. XXV. Quibus auditis &c.

ADNOTATIO I.

XXVII. *Advertendum, quod si Testis aliquam* be-

habeat inhabilitatem, quæ debeat purgari per Torturam; & iste confrontandus sit cum Rei, debet ille torqueri, & sic purgare inhabilitatem in faciem, & caput ipsius Rei, & tunc per flagellationem manu sua factam, juxta formam supra datam torquendus est.

ADNOTATIO II.

XXXVIII. *Advertendum secundo, quod Tortura Socii criminis in confrontatione cum Reo, potest adhuc esse gravior, quam sit supradicta flagellatio manu ipsiusmet torti facta; sed si gravius est crimen, potest manu alterius fieri (saltem in locis, ubi est mos, quod hujusmodi flagellationes usitentur;) & in atrocissimis, in quibus adhibetur funis, potest torqueri per funem. Et in talibus casibus fit descriptio formæ, juxta quam erit tortus Socius criminis.*

XXIX. Forma recognitionis Rei faciendæ a Testibus.

Pro hac advertendum est, quod scripsimus Part. I Titul. Reus num. 96. & seqq. *& sciendum est, quod si Testi deponens, vel super qualitate, vel super substantia Delicti non novit Reum ex nomine; & circumstantias ejus personales, & sensibiles tantum descripsit, debet Judex ante Rei constitutionem procurare recognitionem ipsius judicialiter faciendam a Teste; prout diximus* Par. I. loc. cit. *Et tali casu recognitio ita facienda est, ut ille, qui adhuc in numero Reorum positus non est, nequeat percipere quid circa se faciat Judex. Si autem alii Testes, qui noverunt Reum nominaliter sufficienter deposuerunt contra eum, itaut rite potuerit in numero Reorum poni, & debeat fieri recognitio a Teste, qui ut præfertur, ipsum non novit; ista potest fieri post Rei constitutum, ipso vidente, & sciente. Pariter ista recognitio potest fieri adhuc simpliciter tantum, vel cum ea fieri etiam confrontatio; & de omnibus his formam damus. Si ergo Testis non novit Reum ex nomine, (forte quia bia, vel ille est advena, & alterius Provinciæ,) & examinatus deposuit, quod ille Frater, qui baculum abscondit sub mantello &c. est staturæ mediocris, barbæ raræ, & nigræ, parum calvus, habet humeros parum curvos, & habebat mantellum novum &c. debet Judex procurare recognitionem, ut sequitur.*

Cum Fr. N. Testis, qui supra, deposuerit, vidisse die tali &c. in loco &c. dum ipse deponens in comitatu Fratris N. rediret a viridario, & iret versus cameram ignis communis, quendam Fratrem staturæ mediocris, barbæ raræ, & nigræ &c. qui baculum talis longitudinis plus minus &c. & tantæ crassitiei &c. abscondit sub mantello &c. prout latius in suo examine, facto sub die &c. prout in actis, folio &c. nomen autem prædicti Fratris ille nesciat. Volens autem A. R. P. recognuscere distinctius, ex oculari inspectione, de quonam Fratre memoratus Testis supradicta deposuerit, vocare coram se fecit eundem Testem, illique dato juramento, prout juravit &c. interrogavit eum.

An ipse recognosceret illum Fratrem, de quo deposuit, quod abscondit baculum sub mantello &c. si ipsum propriis oculis videret?

Respondit &c. Tunc ait A.R. P. bene observa singulos Fratres, qui singillatim intrabunt in hanc cameram, & vide si inter illos reperietur ille, quem dixisti, & bene cave, ne decipiaris. Et cum antea ad mandatum A. R. P. congregati essent multi Religiosi in Dormitorio ante cellam ejusdem A. R. P. & clauso ostio, per Socium suum significavit eis, ut unus ex illis quilibet ingrederetur cellam, in quo erat idem A. R. P. & Testis supradictus coram Me Actuario; & postquam ille exiisset, alius similiter intraret. Qua intimatione facta ingressus est in cellam prædictam P. Fr. N. Et postquam ibi mansit per spatium unius Ave Maria, & ita vicinus Testi prædicto, ut optime illum discerneret fuit licentiatus. Tum A. R. P. illum interrogavit.

An P. Fr. N. qui intraverat, & fuerat ibi, sit ille, de quo deposuit, ut præfertur? Respondit &c.

Consequenter intravit P. Fr. N. &c. *Et similiter describatur, & fiat interrogatio, ut de primo factum est, & sic deinceps; donec ingrediatur ille, qui Reus supponitur &c. quo egresso e camera interrogetur.*

An ille Frater, qui modo egressus est, sit ille &c. Respondit; est ille idem, quem vidi, sed tunc habebat mantellum novum, sed modo habet repetiatum.

Interrogatus. Quomodo asserit esse illum? Respondit &c. *Et procuret Judex, ut det causam sufficientem suæ scientiæ &c.* & subsequatur.

Quibus habitis, & in quantum receptis, & lecto sibi suo examine, cui subscripsit, dimissus est. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Testis affirmo, ut sup.

Ego N. Minister Provincialis.

Ego N. Actuarius.

Si vero Reus jam constitutus est ex sufficientibus probationibus habitis ab aliis Testibus, & debeat fieri recognitio ipsius simpliciter ab alio Teste, arbitrium Judici est illam facere Reo sciente, vel non. Si vult eam Reo facere sciente, potest uti forma sequenti omissis iis, quæ faciunt ad confrontationem; si vero vult illam, Reo non sciente, potest uti forma præcedente.

Si autem facienda est recognitio, & confrontatio ita describatur.

Cum *Fr. N.* Reus negaverit se esse illum, de quo Testes deposuerunt; ut in Actis &c. ut veritas magis appareat A. R. P. decrevit illos statuere coram eodemmet Reo, ut illum recognoscant, & cum illo confrontentur. Quare primo adduci coram se fecit prædictum *Fr. N.* Reum, cui dato juramento, prout præstitit &c. fuit dictum.

Quid diceres, si Testes fide digni te recognoscerent, in facie tua dicerent, te esse eum, qui percussit &c.? Respondit &c.

His auditis ad convincendum Reum de mendacio, & eundem disponendum ad fatendam veritatem, & ad omnem alium meliorem finem &c. mandavit vocari nonnullos alios Fratres, qui prædicto Reo statura, facie, ætateque magis similes essent, nimirum Fratres N. N. N. & N. quibus comparentibus, & ad sinistram Judicis in rectam lineam ordinatis, & inter eos prædicto Fr. N. Reo tertium locum tenente, mandavit ad eorum faciem statui Fratrem N. Testem, & delato ei juramento de veritate, prout juravit &c. fuit.

Interrogatus. An inter illos Fratres reperiatur ille, de quo deposuit in suo examine sub die &c. Respondit &c.

Fuit ei dictum, ut illum manibus propriis tangendo demonstret; Et ipse Testis motus de loco suo ac-

accessit ad prædictum Fratrem N. qui erat in tertio loco, & tangens ipsum dixit; Iste est, de quo dixi. Tum fuit interrogatus.

An depositionem, quam fecit, & cui ipse subscripsit, agnosceret si sibi legeretur, & ostenderetur? Respondit &c.

Tunc A. R. P. Provincialis, dimissis quatnor supradictis prius vocatis, pro recognitione facienda, jussit mihi Actuario, ut clara, & intelligibili voce depositionem prædictam, quæ incipit folio &c. & desinit folio &c. legerem, & peracta lectione fuit interrogatus.

An illa eadem esset depositio a se facta, & subscriptio manu ipsius exarata? Respondit &c.

An vera essent, quæ in ea continentur? Respondit &c.

An denuo illa deponat, & ratificet? Respondit &c.

Tum conversus A. R. P. ad Fr. N. ait nonne audisti, quomodo in faciem tuam iste contra te veritatem confirmavit, quare ergo confusus non recedis a pertinacia, & crimen tuum confiteris? Respondit &c.

Cum autem vidisset A. R. P. Fratrem N. Reum in sua negativa persistere, lecto prius suo examine, cui ambo subscripserunt, Testem prædictum dimisit, Reum vero ad priorem locum reduci mandavit. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Testis affirmo ut sup.
Ego N. Testis affirmo ut sup.
Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

XXX. Forma recognitionis Rei negantis se esse illum, qui processatus, & condemnatus in contumacia ob fugam fuit.

Potest dari casus, quod aliquis, patrato Delicto, apostataverit, & fuerit condemnatus in contumacia, postmodum cadat in fortiis Religionis, & constitutus neget se esse illum, qui condemnatus est. Tunc debet per Testes, qui illum prius noverint, recognosci; forma autem erit, quæ sequitur.

Cum Fr. N. prætensus Reus, & ut talis captus in habitu Heremitæ, & in carcerem Religionis conjectus, negaverit se esse Fr. N. Laicum professum nostri Ordinis; sed afferat nunquam fuisse Religiosum, sed esse Heremitam Sæcularem; volens A. R. P. de veritate certiorari, statuit, illum facere recognoscere per Testes, qui plenam cognitionem habuerunt ipsius Fratris N. ex diuturna cohabitatione secum habita. Mandavit igitur in cameram suam adduci tres Fratres Laicos, qui magis similes ætate, statura, & aspectu reperiri potuerunt in hoc Conventu N. & inter hos ad sinistram ipsius in rectam lineam ordinatos secundo loco statuit prælictum Fratrem N. Reum prætensum. Exinde mandavit vocari Fratrem N. unum ex Testibus, qui diutius commorati olim fuerunt de Familia cum prælicto Fratre N. Reo prætenso; & illi dato juramento de veritate dicenda, prout juravit tact. &c. fuit.

Interrogatus. An cognoscat has quatuor personas in directum ordinatas? Respondit &c. Dictum fuit ei, ut singulas proprio nomine exprimat. Respondit &c.

Interrogatus. Quomodo sciat hunc secundum habito Heremitico indutum esse Fr. N.?

A quo tempore, ubi, & quando ipsum agnoscat?

Quanto tempore sit secum commoratus de Familia, & sub quibus Guardianis?

Ex quibus signis cognoscat individualiter ipsum esse Fratrem N. & non potius sit aliquis alius sibi similis?

Et advertendum, quod si Reus habet aliquod signum peculiare, ut maculam, verrucam, aut nævum, aut cicatricem in cute, aut digitum attractum, aut pede claudicat; aut notam in facie &c. debet Testis illam exprimere; & Judici ad oculum ostendere, & subsequatur.

Quibus habitis, prædictum Fratrem N. Testem licentiavit, & vocari fecit alium Testem Fratrem N. &c. *Et illum pari modo examinet, sicut primum; & ita deinceps, donec omnes examinaverit. Examine autem ultimi Testis absoluto, subsequatur.*

Tunc A. R. P. Conversus ad Fratrem N. Reum prætensum ipsum interrogavit.

Quomodo audeat negare se esse Fratrem N. cum tot Testes ipsum recognoverint, & asseverint contrarium? Respondit.

Monitus, ut desistat multiplicare perjuria, quia licet persistat in negativa, tamen poterit contra eum exequi Sententia, qua fuit condemnatus. Respondit &c.

Videns autem A. R. P. ipsius Rei pertinaciam, pro tunc dimisit examen, intendens tamen opportuno tempore procedere usque ad totalem Causæ expeditionem. Et vocatis denuo coram se omnibus prædictis Testibus examinatis, eorum examina alta, & intelligibili voce per Me legi fecit, & ab eisdem subsignari; dimissisque Testibus, Reum in carcerem reduci mandavit. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Testis.
Ego N. Testis.
Ego N. Testis.
Ego N. affirmo, ut supra.
Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO.

XXXI. *Advertendum, quod si Reus prædictus est per Testes convictus, quamvis neget se esse illum, qui asseritur a Testibus, potest nihilominus Sententia contra eum ista executioni demandari, prout post* Farinac. Quæst. XI. num. 25. & Ambrosin. lib. 6. cap. 2. num. 5. vult Passerin. Prax. Cauf. Judic. c. 6. num. 154. *Si autem convictus non remanet, sed est ab illis indiciatus ad Torturam, torqueri debet, non tantum super identitate personæ, sed debet interrogari de nomine, patria, parentibus, exercitio, causa discessus a Patria, habitatione &c. juxta opportunitatem, & naturam Causæ. Si in Tortura, proportionata valori indiciorum, persistit in negativa personæ; dimittendus est. Si autem confitetur quidem identitatem personæ, negat autem delictum, ob quod fuit condemnatus in contumaciam; licet possit absolute de rigore juris contra eum exequi sententia, ut scribit* Ambrosin. de Mod. for. proc. lib. 6. cap. 2. num. 10. *Tamen procedendo cum misericordia, & æquitate, prout decet inter Regulares, potest admitti ad defensiones, prout diximus supra hac eadem* Sect. num. XII. & Par. I. Tit. Reus sub numero 47.

XXXII. Forma puniendi Reum delinquentem coram Judice in actu Judicii.

Recolendi, & omnino videndi sunt, quæ de hoc dixi-

iximus Par. I. Tit. Inquisitio. num. 36., & 37. *describi autem debet factum, prout sequitur*.

Cum A. R. P. pro Tribunali sederet, & Reum supradictum examinaret, ipse Fr. N. Reus timore Dei postposito, Deum blasphemavit; *sive* alapam impegit P. F. N. Assistenti; *sive* violenter est aggressus Judicem, volens pugnis, ligno, cultello &c. ipsum percutere; sed A. R. P. vociferante, accurrit Fr. N. ejus Socius, & F. N. qui erat extra cameram examinis &c. & fuit detentus ne meditatum scelus perficeret &c. super quibus volens idem A. R. P. de justitia providere, ipsum Fratrem N. interrogavit.

Quare tale facinus coram *ipso* ausus fuerit? Respondit &c.

Advertendum hic, quod si Reus confitetur Delictum excusando se, quod fuit ex impetu inconsideratæ iracundiæ, bene quidem. Si negat factum, & adsint Testes, qui factum viderint, examinet eos in præsentia Rei, ut diximus de Reo reperto in fragranti crimine supra Sect. II. num. XXXVIII.

Si nullus sit Testis præter Actuarium scribentem, legi faciat Judex factum descriptum ab eodem Actuario; illud enim bene probat, quia authenticum est, ut scripsimus Par. I. Inquisitio num. 37. pag. 277. *post ad Reum conversus dicat*.

Et quomodo negare audes factum coram Me, & Notario patratum? Respondit &c.

Tunc A. R. P. examen distulit, animo tamen illud opportuno tempore continuandi, & quæ agenda sunt de jure perficiendi. Acta sunt hæc &c.

Ego N. affirmo ut supra.
Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO.

XXXIII. *Advertendum quod licet in* Textu Titul. Inquisitio §. VII. *habeatur; quod Reus delinquens coram Judice possit incontinenti examinari, & condemnari; tamen spatium illud, quod ibi vocatur* incontinenti, *durat per tres dies, ut expresse habet ibidem Textus. Et ideo, licet bonum sit examinare Reum statim ac deliquit, quia tunc facilius confitebitur: tamen non est, quin eius examen possit post aliquot horas, & etiam sequenti die differri. Decretum autem, per quod infligatur pœna ad exigentiam Delicti, melius semper est, ut differatur ferri post unum, vel alterum diem, ne videatur præcipitatum ex iracundia Judicis offensi, sed mature latum post quam ira deferbuerit. Ejus autem tenor, erit ut sequitur*.

Cum Fr. N. Reus, qui supra &c. timore Dei postposito ausus fuerit in præsentia A. R. P. pro Tribunali sedentis &c. *Et hic describatur delictum summarie*; prout latius continetur in Actis, decrevit idem A. R. P. prout præsenti Decreto decernit, ipsum Fratrem N. Debere &c. *Et hic specificetur pœna conveniens Delicto*; prout illum de facto ad supradictam pœnam condemnavit. Acta sunt hæc, Anno . . . . . Mense . . . . . . Die . . . . . . loco &c.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Et intimato per Me Actuarium suprascripto Decreto Fratri N. Reo, ipsum humiliter acceptavit. Acta sunt hæc Die, & loco quo supra &c.

Ego N. Actuarius.

Quod si Reus a tali Decreto, pœna tanquam nimis gravi appellaverit, devolvitur causa ad alium Judicem Superiorem. Formam vero appellandi dabimus infra Sectione Decima.

XXXIV. Forma examinandi Reum in Delicto Notorio.

Supposito eo, quod diximus sup. Sect. II. n. XXXVI. *de Notorio, & examinatis Testibus super Delicto, & ipsius notorietate, & ista plene probata, & visitato Corpore Delicti, si tale est, quod vestigium relinquat posse, ut dictum est* Sect. III. num. I. *constituitur Reus, ut sequitur*.

Anno . . . . Mense . . . . Die . . . . . . loco &c. vocatus, & constitutus fuit coram A. R. P. Ministro Provinciali Fr. N. Reus, qui ut probatum manet notorie &c. *Et hic describatur Delictum ab eo commissum*; ibique dato juramento de veritate dicenda, prout juravit tact. &c. *Et si Delictum habet adnexam Excommunicationem, ponatur*, eoque absoluto ab Excommunicatione, ad effectum standi in judicio, & cum reincidentia, & non aliter &c. A. R. P. Minister Provincialis ipsi improperavit delictum commissum, quod timore Dei postposito, & contempta justitia punitiva, tam patenter, & notorie deliquerit, ipsum

Interrogavit. Quare non deberet condemnari, quia commisit tale crimen &c. *Et hic denuo delictum commissum inculcetur, & describatur*.

Fuit ei dictum, quod non interrogatur, an commiserit illud crimen, cum notorium sit, quod commiserit, & notorietas plene constet; dicat ergo, quare illud commiserit, & quare ad ordinariam pœnam condemnari non debeat? Respondit &c.

Et replicavit A. R. P. iterum dico; quod de Delicto non quæro, cum hoc certissimum sit: sed quæro a te, quare sic deliqueris, & quare puniri non debeas? Respondit &c.

Et cum semper in negativa persisteret, nec causam assignaret ad criminis excusandam gravitatem, decrevit A. R. P. ut, sibi electo Patrono, termino tridui, allegaret, quare non deberet in pœnam ordinariam condemnari, & lecto sibi suo examine, cui subscripsit, dimissus est; sive ad carcerem reductus est.

Ego N. Affirmo, ut supra.
Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO.

XXXV. *Advertendum, quod licet verissimum sit, quod Doctores communiter asserunt, puta, quod in crimine notorio, probata notorietate, & examinato Reo, sive confiteatur, sive non, Judex, statim procedere possit ad condemnationem: tamen hoc apud Nos minime practicabile est, quia Provincialis solus, (cum simus in diffinitiva) sententiare non potest, sed requiritur consensus Diffinitorii; sequitur proinde, quod, statim ac examinatus est Reus, non potest eum sententiare Provincialis, non consulto Diffinitorio. Amplius, si quoquomodo obfuscetur probatio notorietatis debet procedi per viam ordinariam, ut probamus* Par. I. Tit. Canones. num. 56. & seqq. pag. 77. *sequitur ergo, quod si Reus excipiat contra Testes de inimicitia; factione; perjurio, aut alia inhabilitate, debet illi dare tempus, & media, quibus*

bus probari possit oppositas exceptiones, & illis probatis, non erit probata notorietas, & proinde, tunc erit ordinarie procedendum. Tandem potest Reus allegare inconsiderationem, amentiam ex ira, furore, vino &c. vel provocationem ab alio sibi factam, vim, metum &c. ob quæ probata, non est puniendus, nisi extraordinarie; & ad hæc præstanda, suadet æquitas, & ratio, quod sibi concedatur Patronus, vel Procurator, proinde in formula, Decretum Judicis de Patrono eligendo posuimus, si appelletur a Decreto notorietatis &c.

XXXVI. Forma examinandi Reum repertum in fragranti.

Anno... Mense.... Die.... loco &c. Vocatus fuit, & constitutus coram A. R. P. Ministro Provinciali Fr. N. Reus, ut supra in fragranti deprehensus; qui monitus, & juratus, prout juravit tact. &c. & absolutus ab Excommunicatione, ut posset stare in judicio, & cum reincidentia, & non aliter &c. *Hoc ponitur, quando crimen ipso facto importat Excommunicationem, ut Apostasia, percussio Religiosi &c.*

Fuit interrogatus, unde veniat?

Quare carceratus detineatur?

Quomodo audeat dicere se causam nescire, cum Testes in faciem suam testificati sint delictum a se commissum?

Quis deduxit in carcerem?

Quo mandante fuit carceratus?

Qua de causa tale mandatum emanavit?

Quomodo neget scire causam mandati, cum sciat crimen, in quo deprehensus fuit?

Quomodo negare audeat crimen tam manifestum?

Fuit ei dictum, nonne audisti quid coram te deposuerint N. N. & N. qui te captum adduxerunt coram Nobis?

Nonne deprehensus es in adulterio cum N. Furati in loco &c. Cum furto supra te invento &c. Baculo, ferro &c. persequi, verberare, percutere N. quem vulnerasti, & occidere tentasti?

Hoc negare nequis, nec de hoc a te quæro, cum certissimum sit, quod commiseris, sed quæro quare sic feceris, & quare condemnari non debeas?

Si deprehensus fuerit a Provinciali cum re furata, denariis, armis, jocalibus pretiosis muliebribus in sporta, manica, vel camera &c. Nonne inventus est apud te Calix cum Patena argentea &c. pecunia, pistolettum &c. te vidente, & Nobis inquirentibus?

Quomodo furatus es Calicem &c. a quo habuisti pecuniam, jocalia, arma, &c.?

Ad quem finem talia parasti?

Si deprehensus fuerit apostatare de nocte habitu mutato, vel non &c. Unde veniebas, quando captus fuisti?

Qua hora existi a Conventu?

Ubi fuisti, & quantum ibi mansisti, & quid fecisti?

Ad quem finem exijsti;

Cujus sunt vestes sæculares, quibus eras indutus?

Quomodo ausus es tale scandalum committere?

Quare condemnari non debes ad pœnam &c.

Si persistit in negativa Delicti, non curetur de ea, siquidem de Delicto jam convictus est; sed Judex improperet, inculcet, & urgeat idem Delictum sibi obijciendo; moneat ne tam patenter, & perfricta fronte mentiatur, exageret gravitatem perijurii, & omni via inducat Reum ad dicendum id, per quod excusari in toto, sive in parte potest Delictum & subsequantur.

Tunc A. R. P. decrevit, ut sibi Patronum eligeret, qui termino tridui allegaret, quare non deberet puniri pœna ordinaria, & ipse Fr. N. elegit sibi in Patronum P. Fr. N. Theologum. Et lecto sibi suo examine, se subscripsit.

Ego N. affirmo.

Ego N. Provincialis.

Ego N. Actuarius.

SECTIO SEXTA.

In qua traduntur Formulæ Defensionum.

I. Forma Decreti concedendi Defensiones ante Torturam.

CUM ex actitatis hucusque contra Fr. N. Reum de &c. *Et hic exprimatur Delictum, de quo fuerit inquisitum.* Gravia emergant indicia, & probationes urgentes, quibus verisimiliter ipsum commisisse tale Delictum credi potest, ipse autem negaverit in suis constitutis, prout ex actis apparet. A. R. P. Minister juris ordinem servare volens, eundem in rigoroso examine constituere decrevit. Sed quia Tortura adhiberi non potest, nisi prius datis Defensionibus; ideo hoc suo Decreto mandat indulgeri prædicto Fr. N. Reo terminum octo dierum ad producenda quæcunque monumenta, & probationes, quibus se innocentem ostendere possit, in delato crimine contra ipsum, & ad elidenda indicia, eundem afficientia, & copiam Actorum sibi dari sine nominibus, & cognominibus Testium, habitis tamen ab ipso Reo Testibus Curiæ pro rite, & recte receptis, & legitime examinatis, salvis exceptionibus, & repetitione &c. & sine præjudicio ulterioris Processus, & examinis, hoc, & omni meliori modo &c. prout hoc suo Decreto indulget terminum, & copiam. Vel si mavult a suo Patrono lustrari Processum originalem, in aula nostræ cameræ, quod etiam concedit. Datum &c.

Ego N. Minister Provincialis.

Ego N. Actuarius.

Prædictum Decretum intimatum fuit per Me infrascriptum eidem Fr. N. Reo. In quorum &c. Dat. &c.

Ego N. Actuarius.

II. Forma renunciandi Defensionibus.

Anno...... Mense..... Die....... loco &c. Comparuit coram A. R. P. Ministro Fr. N. Reus, & dixit, quod gratias agebat illi de oblatione copiæ Acto-

Actorum, termini defensorii, & Patroni in Causa contra ipsum agitata; se tamen illis omnibus sponte, & libere renunciare, & se remittere pietati Patrum Diffinitorii. Cui Pater Provincialis respondit, se nolle talem renunciationem acceptare, sed velle, quod Reus acceptaret oblata, & se defenderet; & replicante Reo, se ad Religionem venisse non ad litigandum, sed ad obediendum, proinde nolle ullo modo se defendere, sed humiliter acceptare poenitentiam sibi pro malefactis injungendam, & contra replicante P. Provinciali, sed nihilominus firmo remanente Reo, in præfata renunciatione, tandem P. Provincialis eam acceptavit, si & in quantum &c. protestando tamen, se velle pati labi octiduum sibi assignatum ad se defendendum, antequam ad ulteriora procedat, & si tali tempore velit Reus præsentem recusationem revocare, & se defendere, liberum illi sit, ac si illam minime proposuisset. In quorum &c.

Ego Fr. N. recuso, ut supra.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

III. Forma acceptationis termini defensorii, & electionis Patroni.

Anno..... Mense...... Die...... loco &c. Comparuit coram A. R. P. Ministro Fr. N. Reus, qui supra, & gratiis sibi Actis de oblatione termini defensorii, copiæ actorum, Patroni &c. omnia acceptavit, & in Patronum suum nominavit R. P. N. Theologum &c. cujus nominationem A. R. P. Minister approbavit, & eundem P. Fr. N. in Patronum præfato N. Reo indulsit. In quorum &c.

Ego Fr. N. acceptavi, & nominavi, ut supra.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

IV. Forma juramenti dandi a Patrono.

Licet in Textu nostro non præscribatur, quod Patronus debeat coram Judice jurare se fideliter defensurum Clientem suum; tamen quia hoc sancitur a lege Cæsarea, cui in hoc puncto non refragantur Canones, est servandum, etiam a Regularibus, attento maxime, quod hoc practicatur in Tribunali Fidei, & ex iis, quæ diximus Par. I. Patronus num. 5. *apparet, quod aliquando inter Regulares sit necessarissimum. Forma ergo erit prout sequitur.*

Vocatus fuit coram A. R. P. Ministro, P. Fr. N. Theologus &c. & fuit illi significatum, sicuti Fr. N. Reus &c. eum elegerat in Patronum in Causa, quæ agitatur contra eum, & fuit interrogatus.

An tale munus acceptaret?

Et eo respondente affirmative, A. R. P. ab eo exegit juramentum de fideliter, ad normam juris, exercendo officio suo, quod præstitit tacto pectore &c. Acta sunt hæc &c.

Ego N. accepto, & juro prout sup.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

V. *Circa petitionem, & concessionem Patroni bene advertenda sunt ea, quæ scripsimus* Par. I. Titul. Patronus §. 2. a num. 3. & inde; *& specialiter, quod non debet Iudex ullo modo impedire Reum, neo illi denegare eum Patronum, quem ipse elegerit, dicente Textu loco citato, quod* Nominatus a Reo omnino concedi debet, *quam clausulam expendimus in Commentario illius Textus. Et quia potest dari casus, quod Reus nullum habeat confidentem in Provincia, (ob causas, quas alibi exposuimus,) quem possit secure nominare in Patronum, & ideo nominet alium ex vicina Provincia, si causa est gravissima, cui nempe debeatur carcer semestris ad minus, aut Triremes, debet Provincialis illum concedere, ut probavimus* Par. I. cit. Tit. Patronus nu. 15. *& etiam scribere ad Provincialem alium, ut illum mittat, si commode fieri potest.*

ADNOTATIO II.

VI. *Advertendum secundo, quod frequenter accidit, quod nominatus a Reo in Patronum nolit tale munus acceptare, nulla legitima existente causa talis recusationis. Si Reus tunc implorat auxilium Iudicis, debet ille, illum compellere per præcepta, & pœnas, prout habetur ex Textu* lnc. sup. cit. *& Nos ibi sub* num. 17. *scripsimus. Damus ergo formam ipsum compellendi, quæ potest esse, ut sequitur.*

VII. Forma compellendi nominatum a Reo ad acceptandum munus Patroni.

Anno.... Mense...... Die...... loco &c. Comparuit coram A. R. P. Ministro Provinciali Fr. N. Reus, qui supra; & dixit se significasse R. P. N. Theologo electionem a se factam de persona illius in suum Patronum, sed prædictum Patrem, licet pluries rogatus fuerit ab ipso, ut pro amore Dei tale munus acceptaret, omnino, & constanter recusasse. Imploravit proinde auxilium Judicis, ut sua auctoritate præmemoratum cogeret ad acceptandum Officium, & suas Defensiones faciendas. Cui petitioni benigne annuens A. R. P. vocare coram se fecit supradictum Patrem Theologum, & cum novisset causas a se adductas non esse legitimas ad recusandum tale opus charitatis, ut est, Reos defendere, præcepit illi sub pœnis sibi arbitrariis, & formali Judicis mandato, ut munus Patroni in hac Causa acceptaret. Qui P. Theologus mandato prædicto obediens acceptavit Officium, & opportune ad Rei favorem se esse præstiturum promisit, & juravit tacto &c. In quorum &c.

Ego N. accepto, ut supra.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO III.

VIII. *Advertendum, quod si ille, qui recusat munus Patroni assignat Iudici causam congruam, & rationabilem, ob quam recusat munus Patroni; ut esset adversa valetudo; necessarium iter; occupatio gravis pro causa publica &c. non potest Iudex ipsum præcepto compellere ad acceptandum. Tali ergo casu debet scribi,* quod auditis a Iudice rationabilibus causis, ob quas non valet prædictum Officium acceptare, ipsum dimisit. Et accito coram se Reo, institit ut alium sibi in Patronum nominaret. Qui nominavit P. Fr. N. &c. *Quod si Reus replicet se nescire alium, quem nominet, tenetur Judex ex Officio sibi providere de Patrono idoneo, & totum in Processu registrare.*

IX. For-

IX. Forma decernendi Procuratorem Reo.

Potest dari casus, quod Reus sit doctus, & velit ipse suas defensiones facere; & reperiatur Carceratus ad custodiam. Tali casu concedendus est illi Procurator ab ipso nominatus, eaque omnia, quæ regulariter conceduntur Patrono, prout diximus Tit. Patronus num. 12. *Tali ergo casu debet in Processu (post Decretum de concedendo Patrono, copia Actorum, & termino defensorio, positam supra num. 1. hujus Sectionis) describi factum prout sequitur.*

Prædictum Decretum intimatum fuit per Me infrascriptum memorato Fratri N. Reo in carcere existenti, qui oblata acceptavit; sed dixit, se velle sibi ipsi fabricare defensiones, proinde non egere Patrono; sed tantum Procuratore, qui nomine suo compareat juxta exigentiam Causæ, & alia pro se præstet, quæ ipse Reus in carcere detentus præstare nequit; & tandem in Procuratorem suum nominavit P. Fr. N. Sacerdotem &c. & facta per Me relatione hujusmodi nominationis A. R. Patri, benigne concessit supradictum P. N. in Procuratorem præmemorati Rei. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO.

X. *Advertendum, quod si Reus velit sibi facere Defensiones, & non sit detentus in carcere, potest nihilominus sibi Procuratorem, ut præfertur, eligere. Tali casu variandæ est forma, quam dedimus supra num. 3. hujus Sectionis, & debet scribi, ut sequitur.*

Anno ...... Mense ...... Die ..... loco &c. Comparuit coram A. R. P. Ministro Fr. N. Reus, ut supra, & gratijs sibi actis de oblatione termini defensorii, & copia actorum, eam acceptavit: salvo sibi jure petendi necessariam prorogationem termini, & alia de jure sibi concedenda; sed quoad Patronum se non egere illo, cum intendat sibi ipsi defensiones parare; loco Patroni autem petere Procuratorem, qui nomine suo agat, juxta Causæ exigentiam, & in Procuratorem suum nominavit *P. F.* N. Sacerdotem &c. cujus nominationem A. R. P. approbavit, & eundem P. Fr. N. Sacerdotem in sui Procuratorem illi indulsit. In quorum &c.

Ego N. nominavi, ut supra.
Ego N. Minister &c.
Ego *N.* Actoarius.

XI. *F*orma petendi copiam Actorum, & prorogationem termini.

Coram A. R. P. Ministro &c. Comparet Fr. *N.* Patronus, sive Procurator Fratris *N.* Rei prætensi, & petit, terminum octo dierum, suo principali indultum, prorogari, cum concessus fuerit nimis brevis. Insuper petit sibi cum effectu dari integram copiam Actorum, appositis etiam suo loco nominibus Testium, cum intendat contra earum personas legitime excipere, protestando &c. salva semper debita erga *A. R. P.* reverentia, & sic instat omni meliori modo &c. *sive* petit sibi fieri copiam toties, quoties oportuerit lustrandi Acta originalia, & ab iis compulsandi, quæ ad sui Principalis defensionem expedire judicaverit, protestando &c.

Ego N. peto, & insto, ut supra.

Præsentata fuit suprascripta comparitio per eundem *P. N. Patronum, sive* Procuratorem, & recepta inter Acta Die ...... Mense ...... *A*nni .... &c.

Ego N. *A*ctuarius.

*A*DNOTATIO

XII. *Adnotandum, quod comparitio suprascripta, potest etiam fieri verbaliter, & tunc Actuarius debet inscribere in Processu, quod comparuit N. Patronus, seu Procurator, & petijt hoc, vel illud &c. Sed melius semper, & expeditius fit, si scripto fiat, prout supra forma data est. Advertat insuper Judex, ut de jure concedenda non deneget, prout sunt prorogatio dilationum, sive termini defensorii, & omnia alia, quæ quoquomodo faciunt ad Rei defensionem. Circa nomina Testium, probavimus* Par. I. Tit. Patronus num. 36. & seqq. & num. 51. & 58. *esse danda, si petantur, vide ibi.*

XIII. *F*orma Decreti prorogationis termini defensionum.

Perpensa rationabili petitione Patris N. Patroni, sive Procuratoris F. N. *R*ei prætensi ipsam admittens A. R. *P.* Provincialis, & in quantum &c. præcepit prorogari terminum ad alios &c. dies, computandos immediate, a tempore octo dierum prius assignatorum expirato, ad producenda ea, quæ ad defensionem Rei prædicti facere possunt. Nec non indulsit, ut nomina Testium simul cum copia Actorum præsentis Decreti vigore traderentur. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

XIV. *Advertendum, quod, prorogatio termini assignati concedenda est ex causa rationabili, etiam ultra tres vices, ut probavimus* Par. I. Tit. Patronus num. 8. *Verum est, quod Iudex debet examinare causam, quam Patronus adducit pro illa petenda, ut diximus* Par. I. Tit. Quam num. 7. *Et si reperit eam non legitimam, potest eam denegare. Et hoc non solum intelligitur, quando petitur prorogatio ultra tres terminos, sed etiam citra illos. Tali casu debet adnotari in Processu petitio prorogationis termini facta a Patrono, sicut dictum est supra* num. 10. *& subjungi ita.*

Tunc A. R. P. petiit a prædicto Comparente causam quare in tempore assignato defensiones non terminavit, & quare novum terminum petat? Qui præfatus Comparens dixit &c. *& scribatur ejus responsio.* Sed A. R. P. perpendens causas adductas non esse legitimas, & novam petitionem fieri tantum ad protelandum judicium, petitam prorogationem denegavit, & protestatus est, quod si in tempore assignato defensiones non præstabuntur, nulla habita ratione illarum, ad ulteriora procedetur.

Si autem Patronus replicet causas a se adductas esse legitimas, & a prædicto Decreto interlocutorio ap-

pellet, debet sustineri appellatio, quia talis interlocutoria habet vim diffinitivæ, proinde illi deferendum est, ut habet Textus Tit. Canones §. 11. *& Nos ibi expendimus in Commentario. In facti ergo contingentia debet describi, ut sequitur.*

Ad quæ prædictus Comparens replicavit causas a se adductas esse legitimas, & nullo modo inventas ad iudicium protelandum, proinde appellavit, ad quos de iure, a prædicta Sententia, & Decreto, & protestatus est de nullitate Actorum, si ad ulteriora procederetur. Et replicante, ac decernente A. R. P. Provinciali, talem appellationem esse frivolam, & nullam, & proinde eam reijcere, & velle, ea prorsus non attenta, ulterius, ut præfertur, procedere; ipse Comparens de novo, & replicatis vicibus appellavit, & petiit recursum ad Superiores, & apostolos instanter &c. In quorum &c.

Ego N. Patronus appello &c.
Ego N. Minister &c.
Ego N. Actuarius.

Quia vero Iudex potest Sententiam interlocutoriam, seu Decretum a se factum revocare ut diximus Par. I. Tit. Sententia num. 3. *& ego suadeo Iudicibus, ut potius revocent ex se, quam quod revocetur a Iudice* ad quem, *maxime quando dubitari potest, an Decretum factum debeat sustineri; consultius fiet, si Iudex Decretum, quo denegavit novam proragationem termini, revocet, & novum terminum concedat; attento maxime, quod magis proragabitur iudicium in discutiendis meritis dictæ appellationis, quam concedendo paucos dies novi termini. Poterit ergo revocatio Decreti exprimi, ut sequitur, antequam actus concludatur per subscriptionem.*

Videns autem A. R. P. perseverantiam dicti Comparentis in appellando, & considerans, quod, quamvis appellatio ipsius sit frivola, & causæ superius adductæ non legitimæ, tamen magis protelaretur iudicium in discutiendis illis, quam in concedendo novum terminum petitum, prudenter recedendo a Decreto iam facto, indulsit alium terminum dierum &c. In quorum &c.

ADNOTATIO II.

XV. *Advertendum secundo, quod tum Patronus, tum Reus, (si est in libertate,) per se; vel (si detinetur in carcere,) per Procuratorem, potest comparere coram Iudice, & omnia petere, quæ faciunt ad Rei defensionem; Ut si non est in Conventu necessaria copia librorum ad faciendas defensiones, petere a Provinciali, ut curet illos afferri a proximo Conventu; Visitare locum loci suppositi delicti; & ad hoc petere necessariam facultatem illuc eundi; Compulsare scripturam a libro, sive Archivio publico distante, pro qua exequendo non habet Procurator, aut Reus, qui illud peragat. Vocare Testem, qui debet examinari in Processu defensivo, cum quo vult loqui Patronus antequam Articulos probatorios formet, & similia. Tali casu potest Patronus, favore Rei, implorare auxilium Iudicis, & iste tenetur audita rationabili petitione, & causa, petita indulgere. Quod si irrationabiliter denegat, potest Patronus, sive Procurator, Rei nomine, appellare. Forma autem petendi supradicta, & similia, est eadem cum Superiori pro petenda prorogatione termini defensorii mutatis mutandis. Ideo hic non repetimus inutiliter.*

XVI. *Forma* consignandi copiam Actorum.

Anno.... Mense..... Die.... loco &c. consignata per Me Actuarium fuit præfato P. N. Patrono sive Procuratori memorati F. N. Rei, copia Actorum de verbo ad verbum collationata, & authenticata; qui eam recepit ubi, reservato iure petendi prorogationem termini defensorii, Testium repetitionem juxta Articulos interrogatorios per se dandos, & fabricationem novi Processus defensivi; Testesque per Curiam examinatos pro repetitis, & legitime receptis habuit; de quibus, & singulis expresse est protestatus. In quorum fidem &c.

Ego N. *Patronus*.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO

XVII. *Advertendum, quod copia Actorum scripta vel ab Actuario, vel ab alio, debet authenticari ab eodem Actuario in forma sequenti.*

Forma authenticandi copiam Actorum.

Suprascripta copia fuit de verbo ad verbum per Me infrascriptum cum suo originali penes Me existenti collationata, & plene in omnibus concordat. In quorum fidem &c.

Ego N. Actuarius.

XVIII. Forma præsentandi Articulos interrogatorios pro repetitione Testium.

Supposita doctrina, quam dedimus Par. I. Tit. Patronus num. 67. & seqq. & num. 176. & 177. *quæ omnino videnda est, damus formulam præsentandi Articulos interrogatorios, & petendi repetitionem Testium, & potest esse, ut sequitur.*

Anno...... Mense...... Die..... loco &c. Comparuit coram A. R. P. Ministro Fr. N. Patronus, sive Procurator F. N. Rei prætensi, & nomine sui Principalis, petiit Testium contra ipsum examinatorum repetitionem, cum interrogatoriis, ab ipso producendis, juxta protestationem a se factam in receptione copiæ Actorum; & eodem contextu præsentavit chartam interrogatoriam, quæ incipit &c. & desinit &c. *& ponatur tenor principii, & finis;* quam ex mandato A. R. P. qui acceptavit eam, si, & in quantum &c. recepi, & inter Acta reposui signat. litera &c. sive numero &c. In quotum &c.

Ego N. Patronus.
Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO.

XIX. *Advertendum, quod Testium repetitio non est necessario facienda, nec est universaliter, & in omni casu petenda, sed solummodo, quando Patronus probabiliter credit, ex ea posse desumi argumenta, per quæ dicta Testium debilitentur; & licet interrogatoria non possint formari, si tendant ad destructionem depositionis Testium, sed tantum ad purgam*

tam declarationem ejusdem, prout diximus Per I. loc. cit. *tamen ex tali declaratione frequenter emergunt aliqua, per quæ potest impugnari depositio. Pariter non est necessarium petere repetitionem omnium Testium, sed potest peti tum omnium, tum alicujus, tum aliquorum. Tandem advertendum, quod non potest dari certa Regula formandi talia interrogatoria, siquidem eruendi sunt ex ventre depositionum eorundem Testium, quæ sunt variissimæ, juxta varietatem causarum; ingeniosi proinde, & sagacis Patroni est, illa excogitare. Damus autem, ad aliqualem informationem Lectoris, sequens schema.*

Interrogatoria, quæ dat, facit, exhibet, & præsentat Fr. N. Patronus Fratris N. Rei prætensi A. R. P. Provinciali, super quibus instat examinari omnes, *sive* N. & N. Testes contra illum examinatos in Processu contra eundem Fr. N. Reum prætensum de &c. *& exprimatur delictum; de quo agitur. Et si Testes, quos vult repeti, sunt de audita, articulet.*

Primo a quo audivit, quod F. N. furatus sit fornicatus &c.

2. In quo loco audivit?
3. Quoties audivit?
4. Coram quibus audivit?
5. An a quibus audivit sint Amici, aut Inimici Fratris N.?
6. An sint bonæ, vel malæ famæ?
7. An sint personæ graves?
8. Quo tempore audivit?
9. An credat vera esse, quæ audivit?
10. An audivit postquam inceptus est Processus contra Fratrem N.?

Si Testes deponant de Fama publica, articulet.

1. Dicat quid sit Fama publica?
2. Quando ortum habuit talis Fama?
3. A quibus audivit?
4. An a quibus audivit, sint Amici, aut Inimici Fratris N.?
5. An sint personæ graves?
6. Qua de causa orta sit talis Fama?
7. An Fama orta sit post inceptum Processum?

Si vero Testes deponunt de Visu, articulet.

1. In quo loco vidit furari, fornicari, apostatare?
2. In qua parte Conventus, Domus, Sylvæ &c.
3. Ubi erat ipse, quando vidit?
4. Quanta distantia erat inter ipsos, nempe videntem, & visum?
5. An fuerit de die, aut nocte?
6. Quomodo de nocte potuit videre in tanta distantia?
7. Quomodo erat induta Mulier, cum quo fornicatus est; quomodo; & in quo vase asportabat Furtum &c. an haberet baculum, sportam, & pileum, quando apostatavit &c.?
8. An alii secum viderint? & qui?
9. An ex instituto ibi manebant ad videndum?
10. Quid negotii ibi haberent, & quare condixerunt ibi esse?

Et ad instar istorum potest Patronus peculiaria, & specifica interrogatoria formare juxta casuum varietatem.

XX. Forma Decreti correctorii Articulorum interrogatorium.

Quia non debet Judex omnes Articulos interrogatorios a Patrono propositos indifferenter admittere, sed impertinentes, superfluos, & infamatorios reformare, corrigere, sive totaliter delere, ut habetur ex Textu Tit Patronus §. 6. *damus ideo Formulam servandam in hoc, & potest esse ut sequitur.*

Consideratis, & bene ponderatis per A. R. P. Provincialem Articulis interrogatoriis, censuit corrigendum esse Articulum primum, sive secundum &c. *& exprimatur numerus Articuli*; quia superfluus est; pariter tertium, sive &c. quia nullo modo pertinet ad Causam; itidemque quartum, sive &c. quia est pure infamatorius; proinde super prædictis non intendit repetere Testes, sed eos repetere super cæteris decrevit. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

XXI. Forma repetitionis Testium.

Anno . . . . . Mense . . . . . . Die . . . . . &c. coram A. R. P. Provinciali vocatus fuit Fr. N. Testis alias pro informatione Curiæ examinatus, & ad instantiam Patroni N. iterum examinandus, juxta Articulos interrogatorios a se datos, prout supra in Actis &c. delatoque ei juramento de veritate dicenda super omnibus, de quibus interrogabitur, prout juravit tact. &c. ad sibi factas interrogationes respondit, ut sequitur.

Interrogatus super primo. Respondit &c.

Interrogatus super secundo &c. *& sic deinceps*. Respondit &c.

Interrogatus. An ea, quæ in alio examine deposuit sint vera?

Interr. Quænam sint, quæ deposuit?

Respondit &c. *Hic supponitur, quod Testis petat sibi legi suam depositionem alias factam, tunc subjungitur.*

Et A.R.P. petitionem prædicti Testis esse audiendam dixit, & proinde jussit mihi Actuario, ut eam legerem alta, & intelligibili voce; & eam legi, quæ reperitur in Actis supra a fol. &c. & deinceps; qua lecta, fuit interrogatus.

An illa sit eadem depositio alias a se facta? Respondit &c.

An velit illi aliquid addere, vel minuere? Respondit &c.

Et lecta sibi prius sua depositione, cui se subscripsit dimissus est.

Ego N. deposui, ut supra.
Ego N. Minister &c.
Ego Fr. N. Actuarius.

Et hoc modo omnes Testes, quorum repetitio petita fuit, debent examinari.

ADNOTATIO I.

XXII. *Advertendum, quod si Testis in repetitione variat, & sibi contrarius est in dictis in primo examine (& proinde, quando post lecturam illius interrogatur,* an velit addere, vel minuere, *corrigit primo dicta, aut revocat) inducit suspicionem, quod fuerit subornatus favore Rei. Tali casu, debet Judex ab eo quærere rationem variationis; & si rationabilem adduxerit, bene quidem; si autem aut nullam, aut insufficientem reddiderit, potest torqueri juxta formam,*

mam, quam tradidimus supra Sect. 4. num. LXIII.

ADNOTATIO II.

XXIII. *Advertendum secundo, quod Patronus, si habet suspicionem de falsitate Testium, potest instare, quod simpliciter repetantur, nullis propositis Articulis interrogatoriis, sed solummodo circa factum deponant, & examinentur, ac si nunquam alias fuissent examinati, & petere a Iudice, ut nullo modo eis legat primum examen, nisi postquam compleverint secundum, & illi subscripserint, & hoc, ne per talem lecturam denuo instruantur, & in deposita falsitate perseverent. Iudex autem tali petitioni debet annuere quia facit ad defensionem Rei, ut probavimus* Par. I. Tit. Patronus num. 51. & 52. *Porro Patronus potest petere repetitionem, ut sequitur.*

Anno.... Mense..... Die.....loco &c. comparet coram A. R. P. Ministro F. N. Patronus Fratris N. Rei prætensi, & instat, quod ad formam juris repetantur simplieiter, de novo, & ac si nunquam fuissent examinati F. N. N. &c. examinati pro Fisco contra suum Principalem: & quia supponit, illos in primo examine falsa, & contra veritatem deposuisse ad gravamen sui Principalis, instat, & petit, quod eorum primum examen, neque illis petentibus, non prælegatur, antequam examinentur, ne ex illo instruantur ad mentiendum, sicut fecerunt in primo; nec illis legatur, nisi postquam hoc secundum examen fuerit ab ipsis subsignatum.

Ego N. Patronus.

Præsentata fuit, & in Actis posita ad mandatum A. *R. P.*, qui petitis annuit, & Testes repetere ad formam a se rogatam decrevit. In quorum &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

Exinde debet Judex incipere repetitionem Testium juxta formam datam paulo supra num. XXI. *excepto, quod non debet facere mentionem de Articulis interrogatoriis, cum nulli dentur in hoc casu.*

ADNOTATIO III.

XXIV. *Advertendum tertio; quod si Judex (repetendo Testes simpliciter, ad instantiam Patroni, ut præfertur) reperit eos sibi contrarios, & timet a Reo fuisse corruptos, & subornatos, non debet quidem in illo examine sibi obijcere contradictionem, (quia cum Patronus petierit non sibi legi primum examen, nisi completo secundo, videretur Judex affectare, quod Testis permaneret in primis dictis, Reum gravando, ex hoc quod legere illud faceret in tempore, in quo posset adhuc secundum dictum revocare;) sed habet in alio examine ex Officio ab eo quærere causam talis contradictionis, & ipsum torquere, ut dictum est* Sect. 4. num. LXIII.

XXV. Forma concedendi copiam examinis Testium repetitorum.

Anno..... Mense..... Die &c. cum completa fuisset Testium repetitio decrevit A. R. P. ut copia ipsius, prout de jure, traderetur Parti. In quorum &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

In præfati Decreti executionem eadem die, vocatus fuit *P.* N. *Patronus*, sive Procurator Fratris N Rei, & illi consignata copia authentica prædictæ repetitionis, qui, ea recepta, gratias egit. In quorum &c.

Ego N. Patronus.
Ego N. Actuarius.

XXVI. Forma petendi a Judice fabricationem Processus defensivi.

Comparet coram A. R. *P.* Ministro Provinciali Fr. N. Patronus Fratris N. Rei prætensi, & presentat infrascriptos Articulos defensorios ad favorem sui Principalis, & instat, & petit, quod super ijs integraliter, & nullo excepto, examinentur omnes Testes, quos opportuno tempore producet, protestando, & appellando &c. cum debita tamen veneratione, & reverentia. Porro Articuli sunt.

Primo. Quod Frater N. Reus prætensus, Mense, die, & hora &c. erat in loco tali &c. distanter a loco in quo commissum fuit delictum; & permansit ibi, ab hora tali, usque ad horam talem.

Secundo. Quod delictum, de quo agitur, fuit commissum a Fr. N. sive ab N. Sæculari, & non a F. N. suo Principali.

Tertio. Quod Fr. N. qui testificatur de visu contra suum *Principalem*, die, & hora tali &c. in qua accidit delictum; erat in loco tali distanter a loco delicti.

Quarto. Quod Fr. N. Testis contra *Principalem* est Excommunicatus, *Periurus*, Infamis, Inimicus &c.

Quinto. Quod Fr. N. Testis est Factionis contrariæ suo *Principali*; & post examen, die, & loco tali &c. dixit *se in examine bene accomodasse Fratrem N. suum Principalem.*

Sexto. Quod Frater N. Accusator sui *Principalis* est Ebriosus &c. Mendax &c.

Testes vero opportunos successive unum post alium præsentabit, ad probandos supradictos Articulos, quos, justa de causa, modo non proponit, sed ad citationem A. R. *P.* ipsos nominabit.

Ego Fr. N. *Patronus*.

Præsentanti fuerunt suprascripti Articuli, & acceptati ab *A.* R. *P.* si, & in quantum, & salvo jure illos moderandi, & ad mandatum ejusdem, inter acta recepti. *Acta* sunt hæc Dje.... Mensis.... Anni &c.

Ego N. *Actuarius*.

ADNOTATIO I.

XXVII. *Advertendum primo, quod Articuli formandi, & variandi sunt juxta facti exigentiam, & in illis nunquam debet Patronus proponere aliquod quod sonet jus, sed tantummodo factum, quod probandum assumitur; & caveat proponere id, quod probare non potest, & bene examinet qualitates Testium, an sint viri graves, solidi, & constantes, nec ne, nec indifferenter fidat Testibus, siquidem multi sunt, qui promittunt maria, & montes favore Rei, & postea in examine, Iudicis majestate, aut potentia territi, vel arte circumventi, ita decurtate deponunt, quod nihil concludunt.*

AD-

ADNOTATIO II.

XXVIII. *Advertendum pariter est, quod accidit multoties, quod Iudex ægre ferens, quod per contrarias probationes destruantur Processus, & Reus evadat absolutus, contra quem ille est animosus; aut per se, aut per submissos a se, procurat sollicitare, & subornare Testes secreto, repræsentando, quod, deponendo pro Reo inviso Provinciali, ipsi perdent fortunas suas, proinde vel nullo modo se examinari sinant dicendo extrajudicialiter Patrono, quod nihil sciunt de illo facto; vel si examinentur, deponant parce, ita ut eorum depositio non proficiat ad intentum; quæ omnia sunt contra jus, & fas. Hoc periculum ut præveniat Patronus, non pandat Judici Testes, quos vult examinare, nisi oretenus, dum citatur, ut infra dicemus, & singillatim: ita enim fiet, (dum nescitur, quos velit proponere,) quod Testes non poterunt subornari prædicto modo, ut de Testibus ab Accusatore producendis diximus supra* Sect. 2. n. XXVI.

ADNOTATIO. III.

XXIX. *Advertendum tertio, quod sicut Iudex tenetur Articulos interrogatorios corrigere, moderare, & totaliter delere, apponendo singulis Censuram, ut dictum est supra* num. XX. *ita tenetur Articulos probatorios pari modo, & forma castigare. Receptis ergo, ut præfertur Articulis probatoriis, debet fieri super illis Decretum* Consideratis, & bene ponderatis &c. *ut sup. num.* XX.

XXX. Forma citandi Patronum, ad producendos Testes.

Anno .... Die ...... loco &c. Vocatus fuit coram A. R.P. Provinciali P.N. Patronus &c. & fuit ei dictum. ut produceret Testes, & alia documenta per quæ probet Articulos, a se propositos: qui respondit, se paratum esse omnes proponere, sed ex iusto motivo detineri, ne simul, & uno contextu, omnes nominet; proinde se velle singillatim nominare eos, quos producere intendit; & pro nunc nominare P. Fr. N. Sacerdotem examinandum super primo, quarto, & sexto Articulo; & petiit, ut, nulla interposita mora, examinaretur; & se interim expectare extra cameram examinis, ut possit, illo examinato, alium nominare, si A. R. P. visum fuerit, immediate post hunc examinare alios. In quorum &c.

Ego N. Patronus.
Ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Incontinenti ergo vocatus fuit P.N. Sacerdos Testis, ut supra productus, qui monitus, & juratus &c. interrogatus super primo Articulo. Respondit. Interrogatus super quarto &c. item super sexto. Respondit &c. *& concluditur examen sic.* Quibus habitis, & si, & in quantum receptis dimissus est, postquam sibi lecto examini subscripsit.

Ego N. affirmo ut supra.
Ego N. Provincialis.
Fr. N. Actuarius.

Comparuit immediate post coram A. R. P. Provinciali P. Fr. N. Patronus, qui supra, & produxit in alium Testem P. F. N. examinandum super secundo, tertio, & quinto. In quorum &c.

Ego N. Patronus.
Ego N. Actuarius.

Incontinenti ergo vocatus fuit P.Fr. N. &c. *ut supra, & completo ipsius examine, Patronus comparеat, & alium, pro ut supra, producat, donec omnes fuerint examinati, & Iudex faciat Decretum de concedenda copia dicti examinis, & Actuarius eius executionem registret, sicut dictum est supra* num. XXV.

ADNOTATIO I.

XXXI *Advertendum, quod potest dari casus, quod aliquis vocatus in Testem a Patrono, ad Rei defensam, nolit testificari; protestando extraiudicialiter ipsi Patrono, quod si vocabitur a Iudice, dicet, se* nihil scire, *quantumvis sit plene informatus de illo facto, super quo deberet testificari. Tali casu, si Patronus habet Testes, per quos possit probare, tale dictum; & quod ille Testis se prodiderit informatum de facto illo, potest implorare Officium Iudicis, ut compellat illum Testem, ad se submittendum examini, & forma potest esse, ut sequitur.*

Comparuit coram A. R. P. Provinciali P. Fr. N. Patronus, qui supra &c., & petiit audiri; & sibi facta copia dicendi, ait, quod ipse rogavit P.F.N. ut examinaretur super quodam facto, expresso in quodam Articulo probatorio ad defensam sui Clientuli, exhibito in Actis, de quo facto, constat, ipsum esse bene informatum, cum illud per extensum narraverit Fratribus N. & N., die, & loco &c. ipsum vero P. Fr. N. a se rogatum respondisse, *nullo modo se velle examinari; & si aliquo modo cogeretur, se responsurum nihil scire de tali facto;* & hoc dixisse in præsentia Fratrum N., N. tali die, & loco, &c. Imploravit ergo prædictus comparens Officium Iudicis instando, ut iuris remediis cogeret prædictum Testem, ad se examinandum super Articulo &c. & hic exprimatur Articulus, super quo vult, ut examinetur.

Quibus auditis, A. R. P. respondit, se esse præstiturum, quæ de iure esse, indicabit. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Patronus.
Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Consequenter volens A. R. P. petitioni prædictæ sibi factæ a P. Fr. N. Patrono, prout de iure est morem gerere, vocare coram se fecit P. Fr. N. &c. *& ita examinet Testes a Patrono productos, ad probandum, quod ille, qui renuit examinari, se prodidit plene informatum de illo facto; & quod dixit, se velle respondere Iudici, quod nihil sciebat de illo facto, casu quo fuisset coactus examinari. Mox si Testes probent, cogat illum Testem ad se examinandum; & si respondeat,* se nihil scire, *eum torqueat iuxta formam datam supra* Sectio IV. num. LVI.

ADNOTATIO II.

XXXII. *Advertendum secundo, quod in examine*

ne Testium ad defensam, tenetur Judex in conscientia, facere illas interrogationes favore Rei, quas fecisset favore Fisci; debet autem etiam bene perpendere, an potuerint esse instructi ad deponendum falsum, & omnem diligentiam debet adhibere, ne cum justitiæ læsione, ac falsitate, Reus defendatur. Pariter advertat ne durus sit contra Testes, qui deponunt favore Rei, nec illos increpet, deterreat, aut impediat, quo minus dicant, quod dicere volunt, aut dictent Actuario, quæ scribi velint; poterit enim, si talia præstet, recusari, ut suspectus, ut probavimus, Par. p. Tit. Patronus num. 78. pag. 445. *& si de facto impedivit ne Testes dicerent, quæ dicere inceperant, aut ne Actuarius scriberet dicta Testium, potest Patronus appellare, quia Judex jam gravavit Reum. Et quia casus iste frequenter usu venit, quando Judex est animosus in Reum, optimum est tradere formam, quam servare debet Patronus in recusando, sive appellando. Casu ergo quod Testes examinati retulerint Patrono, quod Judex obducta fronte eos receperit, vocaverit falsos, perjuros, mendaces &c. & deponentibus ipsis ad favorem Rei, ille iratum, & succensum contra eos se prodiderit; potest Patronus scripto mandare Libellum recusationis, & Judici intimare, ut sequitur.*

Coram A. R. P. Ministro &c. comparet Fr. N. Patronus Fratris N. Rei prætensi in causa contra eundem actitata; & præmissa protestatione honoris, & reverentiæ, quæ debetur, & quam præstat eidem A.R.P. tanquam suo Prælato, nomine Fr.N. Clientuli sui, dicit, personam ejusdem A. R. P. esse sibi suspectam, & suspectissimam, & tanquam talem eam jurat, ex eo quod malum animum prodidit contra F. N. Clientulum suum ægre ferens, quod Testes examinati ad ejus defensam deponerent ad ipsius favorem. Proinde cum periculosum sit coram suspecto Judice litigare, timens, esse gravandum in Sententia diffinitiva, & cæteris Actis, ipsum recusat, ut Judicem suspectum; ex causa præallegata, quam probare legitime se offert coram Arbitro, quem ipse A. R. P. eliget ex quatuor, quos sibi proponit nempe R. R. *P. P. NN. N.* & *N.*, illumque rogat, & vult, quod amplius non se immisceat in causa ista, & si aliter fiat, protestatur de nullitate, & gravamine, & provocat ad quem, & quos de iure. Dat. Die .... &c.

Ego Fr. N. *Patronus* recuso, & appello, ut supra.

Exinde eam coram Testibus in judicio præsentet, adhibitis omnibus formis, & cautelis, quas dedimus Sectio. p. num. XVI. & seqq. loquendo de recusatione Judicis; *& descriptis Actis, Decretum Judicis, deputatio Arbitrorum &c. facienda erunt, ut ibi scripsimus.*

Si vero Testes referant, quod Iudex noluit, quod ipsi deponerent favore Rei, quæ dicere inceperant, & dixit quod de his nolebat audire; aut quod *Actua*rius illa non scriberet; *tali casu, quia apparet de manifesto, & irreparabili gravamine, potest Patronus appellare in hac forma.*

Coram *A.* R. P. Provinciali comparet Fr. N. &c. *ut supra*. Et præmissa protestatione honoris &c. *ut supra*, dicit, & conqueritur, Clientulum suum fuisse ab eo gravatum, dum impedivit Testes a se productos, ne ad illius favorem prosequerentur, quæ dicere inceperant, neve *Actuarius* illa scriberet. *Proinde* cum timeat, se amplius ab eodem Judice, in futurum, esse gravandum, appellat ab eo super gravamine prædicto jam recepto, ad quem, & quos de jure &c. & cumulando appellationem cum recusatione, ex prædicta causa, illum tanquam Iudicem sibi suspectum recusat, & rogat, & vult, & instat, ut nullo modo, se amplius immisceat in Causa, quæ contra prædictum actitatur; & protestatur de nullitate, si non obstante præsenti recusatione, & appellatione, ad ulteriora processerit, denuo, & nunc, pro tunc appellat, & ad Superiorem petit recursum & petit apostolos instanter, instantius, & instantissime. Act. sunt hæc Die .... &c.

Ego N. Patronus appello, & recuso ut supra.

Exinde præsentetur in Actis, sicut de recusatione paulo supradictum est, & Judex a prosecutione Causæ abstineat; sed formet Decretum sequens.

Quamvis appellatio supradicta facta a P. Fr. N. Patrono, nomine Fratris N. sui Clientuli frivola, temeraria, & insubsistens, sit, & proinde illi non deferendum; ob reverentiam tamen Reverendissi*P.* Generalis, & aliorum successive, quos de jure &c. illi detulimus, si, & in quantum &c. & petenti apostolos esse concedendos decernimus, quando Nobis fuerit opportunum. Dat. &c.

Ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO III.

XXXIII. *Advertendum tertio, quod si recepta copia examinis, aut super Articulis interrogatoriis, aut supra prolatoriis, Patronus advertit, Judicem correxisse, vel delevisse Articulum, quem rejicere probabiliter non debuit; vel super aliquo Testes non repetiisse, aut examinasse; vel aliquem, aut aliquos Testes non repetiisse, aut examinasse; vel in examine eorum contrarias interrogationes suggestivas inexcusabiliter fecisse, vel non exacte, vel debitis interrogationibus non satis, repetiisse; aut favore Rei non examinasse; potest Patronus comparere coram Judice, & petere, ut ab eo ommissa reparet, sequenti forma.*

Comparet coram A.R. *P.* Prov. &c. Fr.N. Patronus &c. & dicit, quod in copia repetitionis Testium, *sive* examinis Testium ad defensam, reperit, quod Testes non fuerant interrogati super Articulo tali &c. *sive* non fuerunt omnes Testes repetiti, *sive* examinati, cum non fuerit repetitus, *sive* non examinatus Fr. N. qui fuit examinatus pro Fisco, sive productus ad defensam, *sive* non fuerunt factæ interrogationes, quæ fieri debuerunt, puta &c. *& hic exprimantur interrogationes faciendæ &c.* Petiit proinde, quod super illo Articulo repetantur, *seu* examinentur omnes, *seu* talis Testis &c. *sive* fiant debitæ interrogationes &c. *& hic exprimantur clare, & distincte ea, quæ petiit Patronus, ut Judex præstet.* Secus protestatur de gravamine, cum debita reverentia appellat, ad quem, & quos de jure, & petit apostolos instantius, & instantissime &c. Dat. &c.

Ego Fr. N. Patronus peto, & protestor, & appello, ut supra.

Præsentata fuit, & in Actis recepta suprascripta appellatio. Die ..... &c.

In quorum &c.

Ego N. Actuarius.

Re-

Recepto, ut præfertur, Libello petitionis circa supradicta, in potestate, & arbitrio Iudicis est, petitioni deferre, vel illam reiicere; sed si eam reiicit, Patronus a Decreto rejectionis appellat, & ligat manus Iudici, ne prosequatur, & diutius protelatur Causa, in discutiendis meritis appellationis; proinde melius est, ut Iudex petitioni annuat sequenti Decreto.

Audita præfata petitione, licet A. R. P. judicaret illi non esse deferendum, tanquam indebitæ, & frivolæ; tamen exabundantia suæ benignitatis, &. clementiæ illam admisit, si, & in quantum, & decrevit Testes examinare denuo, prout petitum fuit. Acta &c.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO IV.

XXXIV. *Advertendum quarto, quod Patronus non debet in omni casu fabricare Articulos defensorias, super quibus novi Testes examinentur; sed solummodo, quando de necessitate, aliquod factum est probandum, quod non remanet probatum per Testes pro Fisco examinato, & ex quo bonum jus potest deduci ad favorem Rei. Pariter abstineat Patronus ab Articulis cavillosis, & captiosis, tum quia hæc non prosunt, imo frequenter bonum jus Rei debilitant, sicut bono vino aqua mixta præjudicat; tum quia Causa per tales Articulos nimis protrahitur cum Religiosæ quietis jactura, & conscientiæ gravamine; tum quia illos tenetur Iudex reiicere, &, non obstante appellatione, valida erunt Acta, si post diffinitivam a Iudice appellationis pronunciabitur, Articulos illos fuisse impertinentes. Deum ergo, conscientiam, & justitiam, Patronus sibi ante oculos statuat, & Articulos mere necessarios ad Causam proponat, & probari per Testes a Iudice curet.*

XXXV. Forma componendi Defensiones.

Sicut variantur delicta, & eorum circumstantiæ, indicia, probationes, & adminicula, tam contra, quam pro Reo, ita etiam variandæ sunt Defensiones; & proinde non potest tradi illarum una Regula; sive forma, quæ varianda est ad casuum varietatem. Tamen damus schema, quod universaliter servandum est pro ordinandis debito modo Defensionibus; pro quibus condendis videat Patronus locos opportunos a Nobis datos. Par. p. Tit. Patronus num. 81. pag. 448. & seqq. num. 124. & inde, & num. 170. pag. 454. & seqq. *Forma autem erit ut sequitur.*

In Nomine Domini Jesu Christi Amen. Rev. *Adm.* P. Minister Provincialis, ac R.R.P.P. Diffinitorii.

Licet ingenii mei tenuitas a suscipiendo difficili æque, ac periculoso Patroni munere me deterruit: vires tamen imbecillitati addidit charitas, sublevando Proximo, ab Accusatoribus impetito, intenta. Labanti animo succurrit opportuna spes, quam tantorum Iudicum integritas, & sapientia, mihi est enixa. Novi siquidem tritum apud illos esse non tam monitum, quam mandatum Imperatoris, *in l. Unic. C. Ut quæ de Advoc. Jud. sup.* quo partes esse Iudicis demonstratur, supplere favore Rei, ea, in quibus deficit Advocati tenuitas. Alacer ergo tali spei fisus Defensiones Fr. N. imputati de &c. (*Et hic apponatur Delictum super quo processum fuerit*) aggressus sum, sciens P. P. V. V. Adm. R. & R. R. pro ipsarum & Doctrina, & integritate esse suppleturas, ad favorem illius ea, in quibus deficientem me reddet imperitia. Sequentia vero puncta consideranda, propono, ex quibus apparebit Fr. N., sicut expers est delicti, ita immunem esse debere a pœna a legibus contra Somes sancita.

Primum est, quod nullum fuit, nec legitime probatur Delictum, quod supponitur.

Secundum est, quod gratis admisso, quod delictum fuerit commissum, & probatum, Frater N. tamen illud non commisit.

Tertium est, quod legitime non probatur, quod illud commiserit.

Quartum est, quod Acta processualia sunt omnino nulla, Indicia non probata, Testes inhabiles, contrarii, & nihil concludentes &c.

Quod ad primum &c. *Et hic debet Patronus formare argumenta ad probandum puncta proposita, & advertat Patronus præcepta quæ dedimus*, Par. p. Tit. Patronus num. 165. pag. 463., & seqq.

Et sciendum, quod non omnia prædicta puncta sunt proponenda, sed illa solum, quæ Patronus probare potest. Et advertat Patronus, ne mordaciter scribat, Iudici, Accusatori, sive Testibus insultando; sed Religiosa modestia, exponat ea tantum, quæ necessaria sunt ad Defensionem Clientis, & si excipere habet contra personas ex causa criminosa, & turpi, apponat clausulam protestativam, puta, quod taliter excipit citra animum injuriandi, offendendi, aut diffamandi, sed ad puram, & necessariam Defensionem sui Principalis &c. *Et crimen illorum simpliciter, imo diminute enunciet, & nullo modo exaggerative, & concludat sic.*

Ex hucusque ergo probatis concluditur, Fr. N. esse absolvendum ab observatione Judicii, quod a summa *P. P. V. V. A*dm. R. & RR. integritate, & clementia speratur. Ita &c. salvo &c.

Ego Fr. N. *Patronus*.

XXXVI. Forma præsentationis Defensionum.

*Præ*sentatæ fuerunt, & repositæ in Acta Defensiones Fratris N. Rei, quæ incipiunt, &c. & desinunt &c. *& ponatur tenor.* In quorum &c. Acta Die . . . &c.

Ego N. Actuarius.

XXXVII. Forma compositionis petendæ a Reo cum Fisco.

Plura diximus de Compositione Rei cum Fisco, & de conditionibus, & forma Requisitis ad eam faciendam, Par. p. Tit. Sententia num. 123. pag. 500. *Illis ergo suppositis, si Patronus judicat expediens petere compositionem, potest uti forma sequenti.*

Coram *A.*R.P. Ministro Provinciali comparet Fr. N. Reus prætensus de &c. *Et hic exprimatur Delictum de quo facta est Inquisitio*; & dicit, quod de delicto, super quo a Curia hucusque molestatur, est totaliter innocens, nec contra ipsum possunt militare ulla indicia, quæ vera sint; & licet nonnulla adessent, quæ viderentur verisimilia, & sufficientia ad Torturam, ipse suæ innocentiæ innixus, omnia tormenta mundi potius sustineret, quam confiteri, se tali crimine deliquisse, cum læsione veritatis, & propriæ fa-

me.. Tamen quia recogitat, se ad Religionem venisse, non ut litigaret, sed ut Superioribus obediret, & in exercitiis poenitentiæ, & mortificationis animam suam ab imperfectionibus, & peccatis, contra Deum commissis, purgaret; vidensque, quod Actus isti processuales, qui facti sunt, & fieri adhuc debent, nimis suam Religiosam pacem, & quietem interturbant, ad talem molestiam redimendam, & ad exercitium humilitatis, patientiæ & mortificationis, paratum se exhibet, omnem poenitentiam subire, quæ sibi paterne dabitur; cum hac tamen conditione, quod processus sepelliatur, & Causæ huiusmodi perpetuum silentium imponatur. Qua propter rogat, & enixe precatur A. R. P, ut dignetur pro sua benignitate, & clementia, hujusmodi exhibitionem acceptare, cum apposita inseparabiliter conditione, & non aliter, & votis petentis annuere. Quod totum &c. Dat. Die ...... &c.

Ego Fr. N. peto, ut supra.

Præsentata, & in Actis posita fuit, A. R. P. mandante, suprascripta supplicatio. In quorum &c. Acta sunt hæc Die ....

Ego N. Actuarius.

XXXVIII. Forma Recusationis alicujus de Diffinitorio, ne interveniat in judicio.

Diximus Par. p. Tit. Canones *num.* 6. pag. 59. & inde, *quod Diffinitores possunt recusari ex causa, tanquam suspecti. Casu ergo, quo Reus habeat legitimam suspicionem de aliquo, vel aliquibus, potest ipsum recusare in forma sequenti.*

Comparet coram Adm. R. P. Ministro Provinciali Fr. N. Reus imputatus de &c. & hic exprimatur crimen, de quo fuerit inquisitus; & dicit, quod personæ R. R. P. P. N. & N. sunt sibi suspectissimæ, & ut tales eas iurat, ex eo quod &c. *& hic apponatur causa recusationis*; quam causam probare se offert, & producit in Testes, P. P. F. F. N. N. & N. Quapropter non animo calumniandi, sed solum propriam indemnitatem procurandi, ipsos, ut præfertur, recusat in Iudices; & vult, quod nullo modo admittantur in Diffinitorio ad judicandum in Causa sua; protestando de nullitate Actuum, si aliter fiat, & appellat ex nunc pro tunc, & petit apostolos instanter, instantius, & instantissime. Acta sunt hæc Die ..... &c.

Ego Fr. N. recuso, & appello, ut supra.

Præsentata fuit, & acceptata, si, & in quantum, & ad mandatum A. R. P. recepta in Actis suprascripta comparitio. In quorum &c.

Ego N. Minister.
Ego Fr. N. Actuarius.

ADNOTATIO.

XXXIX. *Advertendum, quod in recusatione alicujus de Diffinitorio, probatio causæ recusationis non fit a Recusante coram Arbitris, sicut fit, quando recusatur Provincialis; sed fieri debet coram eodem Provinciali, qui debet pronunciare, an constet de causa sufficienti recusationis, nec ne. Habita ergo, & recepta recusatione, ut supra, debet Provincialis procedere, ut sequitur.*

Consequenter A. R. P. Provincialis volens prout de jure procedere, decrevit examinare Testes a prædicto Fr. N. Recusante productos. Proinde vocare coram se fecit Fr. N. Testem, ut supra nominatum a Recusante, & ei dato juramento &c. prout juravit tact. &c. fuit interrogatus &c. *Porro interrogationes debent fieri juxta causam adductam a Recusante, puta Inimicitiam Recusati contra ipsum; sive Amicitiam ejusdem cum Notorio Inimico Recusantis, sive illius dictum extrajudiciale &c. de quibus omnibus dedimus Formam interrogandi supra* Sect. IV. num. XXXVIII. & XXXIX. *& tandem debet pronunciare, an constet, nec ne de Recusationis causa, & excludere, vel admittere Recusatum. Quod si causa recusationis sit evidens, puta, quod aliquis de Diffinitorio sit Consanguineus Actoris, potest Provincialis, nullis examinatis Testibus, sed tantum proposita notorietate causæ, ferre Decretum de excludendo Diffinitore.*

XL. Forma tenenda a Provincialibus pro excludendo uno, aut pluribus a Diffinitorio, & aliis subrogandis.

Diximus Par. p. Tit. Canones num. 70. pag. 83. *quod Provincialis inhærendo dispositioni Textus* cit. Tit. Canones §. XIII. *potest*, si causæ genus, & ratio suaserit, *ommissis aliquo, seu aliquibus de Diffinitorio, prolatos Patres Provinciæ adhibere pro consilio habendo in omnibus casibus criminalibus, in quibus Textus præcipit, requirendum esse a Provinciali consilium Diffinitorum; & quæ nam possint esse causæ ommissionis expendimus* Par. p. loc. cit. *pariterque, qui nam sint substituendi. Quia vero Diffinitores sunt Conjudices, & Consiliarii Provincialis, & adhibendi ab illo in judiciis, sub pœna nullitatis actuum, non debent excludi ab Officio judicandi, nisi causa illos excludendi sit legitima, & evidens; non vero mendicata, & probabilis tantum; hoc enim incongruum est, ut ex colorato, sive probabili motivo privetur Diffinitor jure certo judicandi, quod sibi convenit, & si talis exclusio ex quavis causa, & quoquomodo posset fieri a Provincialibus, multæ in Provinciis, & periculosæ orirentur contentiones. Causæ ergo legitimæ sunt illæ omnes, quæ sufficiant Reo in Recusando Iudice, sive aliis ad judicium necessariis, prout diximus*, cit. Tit. Canones numero 70. in fin. pag. 83. *Sed eum hoc debent esse evidentes, & notoriæ. Quod si tales sint, potest tuto Provincialis Diffinitorem, ut præfertur, ommittere. Quæ enim potest Reus proponere Iudici ad sui favorem, ne gravetur, hæc potest, & tenetur præstare Iudex ex Officio suo nobili ad favorem, sive Rei, sive Religionis, cui interest, ut Criminosi puniantur. Quemadmodum ergo causa Recusationis Iudicis adducta a Reo debet esse probata per Testes, aut evidens ex se, nec sufficit eam esse probabilem; ita etiam Provincialis oportet, quod ad excludendum Diffinitorem habeat causam evidentem, aut notoriam; & super ea interlocutorie pronunciet, proponendo in Decreto notorietatem illius, ut in Notoriis fit. Casu ergo, quod aliquis Diffinitor sit Consanguineus Actoris, sive Rei; aut sit notorius Inimicus, sive Amicus eorundem; aut notorie insufficiens ad consiliandum præ ignorantia in re criminali; tunc habet Provincialis causam legitimam, & evidentem, vel notoriam illum excludendi; & pro quocunque casu, in quo deberet congregari Diffinitorium, sive pro carcerando*

ad

ad custodiam, sive pro torquendo, sive pro sententiando Reo, potest illum omnittere, præmisso tamen Decreto, quod sequitur.

Consequenter cum A. R. P. Provincialis deberet congregare Diffinitorium, pro habendo consilio, an deberet prædictus Fr. N. Reus carcerari ad custodiam, *sive* torqueri: *sive* congregare Diffinitorium ad finaliter sententiandum; & advertisset, quod R. P. N. Diffinitor est Frater, *sive* Consobrinus Rei, *sive* Accusatoris, *sive* est notorius Inimicus, *sive* Amicus notorii Inimici Accusatoris, *sive* Rei; *sive* est notorie imperitus rerum criminalium, etiam post longum studium; decrevit, juxta sibi indulta a nostra Praxi Criminali, omittere dictum R. P. N. Diffinitorem; a quo, vel nullum, vel non integrum consilium posset habere. Vocatis ergo in sua camera A. R. R. P. P. N. & N., qui sunt ex dignioribus Provinciæ, ipsos consuluit, quemnam, loco præmemorati Diffinitoris, ad prædicta substituere bonum esset; & habita ab *ipsis* collatione, R. A. P. Provincialis decrevit substituere P. N. Theologum &c. Acta sunt hæc Die . . . Mense . . . Anno. . . &c.

Ego N. Provinciæ Pater.
Ego N. Provinciæ Pater.
Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

SECTIO SEPTIMA.

In qua agitur de Tortura Rei.

I. *Ante ferendum Decretum de Tortura Reo danda super Delicto principali, convocandum est Diffinitorium, & consideranda sunt Defensiones Rei, an tales sint, quæ vel nullo modo, vel solum in parte, aut totaliter destruant indicia, & probationes contra ipsum, & ad hoc legenda sunt, quæ diximus,* Par. p. Tit. Canones num. 72. Tit. Tortura. n. 133. pag. 388. & seqq. & Tit. Sententia n. 13. pag. 472. *Ubi locuti sumus de obligatione Diffinitorum circa bene intelligenda, per se ipsos, merita causæ; & quæ scripsimus* Tit. Tortur. a num. 58. p. 367. & inde, *ubi examinavimus causas, & indicia, ob quæ potest Reus torqueri. Præsentatis igitur a Patrino defensionibus, convocandum est Diffinitorium, & sibi ostendenda sunt omnia acta, & rationes, tam pro, quam contra Reum, & bene discutienda, & tandem resolvenda, ut ratio suaserit. Totum autem debet in Processu adnotari, ut sequitur.*

Consequenter A. R. P. Provincialis, inhærendo dispositioni Constitutionum Ordinis, in cameram suam convocavit R. R. P. P. Custodem, & Diffinitores, & per Me infrascriptum, sibi *lectis Actis* processualibus, & adductis per P. Fr. N. Patronum, in defensionem præmemorati Fr. N. Rei; ab *ipsis* petiit consilium; *An* in prædicta Causa esset locus Torturæ, & an leviter, vel graviter, vel acriter esset Reus torquendus. Qui mature consideratis omnibus concluserunt &c. *Et hic apponatur tenor conclusionis in Diffinitorio stabilitæ.* Acta sunt hæc Die, & loco &c.

Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Custos.
Ita est Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

II. *Recolenda hic sunt, quæ scripsimus* Par. p. Tit Tortura nu. 20. pag. 358. & seqq. *ubi demonstravimus, non teneri Judicem ad petendum consilium a Diffinitorio super specie Torturæ dandæ; neque super specificata duratione Torturæ, eo quia hæc aut a lege sunt, (apud Nos,) determinata; vel sunt ipsi Judici arbitraria. Praxis ergo esse debet, quod lectis pro, & contra Reum, & ab unoquoque de Diffinitorio consideratis, adhibito studio, & diligentia, simul conferant super meritis Causæ. Mox Provincialis ipse proponat;* Num sit locus Torturæ, nec ne? *Et per calculos albos, & nigros requiratur eorum sententia; & calculi albi significent non esse Reum torquendum, nigri autem viceversa. Hoc enim modo magis salvatur libertas Consulentium. Et debet adverti, quod Provincialis, non debet calculum suum, tali casu, conferre, quia ipse petit consilium ab aliis, & consilium exprimitur per calculos; proinde non potest calculum consultivum ipse conferre, nullus enim sibi consilium dat. Et paribus existentibus calculis albis, & nigris non est Reus torquendus, quia tenetur Judex, inclinare ad favorem Rei. Quod si calculi nigri vincant, & ideo consilium sit, quod Reus torqueatur; Provincialis proponat:* An sit torquendus leviter, vel graviter? *Et pariter dandi sunt calculi; & albi significabunt torquendum leviter, nigri vero graviter. Et si adhuc nigri vincant, Provincialis proponere debet,* An sit torquendus graviter, vel acriter, *hoc est* gravissime. *Et simili modo resolvendum erit consilium per calculos.*

ADNOTATIO II.

III. *Advertendum secundo, quod ex rationabili causa, (ut habet Textus,* Tit Tortura §. III. *Et Nos ibi explicavimus* n. 24. p. 359. & Tit. Canones num. 70.) *potest Provincialis omittere petitionem consilii a Diffinitorio, & loco ipsius adhibere Patres probos, & peritos; & quænam causæ ad hoc requirantur, & sufficiant, diximus locis citatis. Casu ergo, quod difficile esset Diffinitorium congregare, & causa deberet cito expediri, potest Provincialis consilium petere a Patribus probis, & peritis; & est advertendum, quod debet in Processu registrari causa, quare loco Diffinitorum, alii Patres sint adhibiti ad consilium, & factum potest describi, ut sequitur.*

Consequenter volens A. R. P. ad ulteriora procedere, statuerat, juxta dispositionem Statutorum, convocare Patres Diffinitorii ad petendum ab iis consilium, ante constitutionem Rei in examine rigo-

roso; sed quia consideravit, incommodum esse ratione distantiæ, sive pluviarum incessantium, sive temporis hyemalis &c. omnes Patres de Diffinitorio congregare, & nimis in longum protraheretur Causæ hujus expeditio, decrevit (juxta indulgentiam sibi factam a Praxi Ordinis) in locum Diffinitorum distantium, alios Patres probos, & peritos substituere Vocare ergo fecit in cameram suam Patrem N. Custodem, sive Diffinitorem, P. N. Exprovincialem, P.N.Guardianum, &P.P. N. & N.Theologos &c. & per Me infrascriptũ sibi *lectis Actis &c.*, ut supra n, I.

ADNOTATIO III.

IV. *Potest dari casus, quod ratione ætatis, aut Dignitatis, aut valetudinis Rei, ipse non possit, nec debeat torqueri, ut diximus*, Par. p. Tit. Tortura, n. 110, p. 382. & seqq. *vel potest Reus esse viribus validus, ita ut melius sit dare pœnam extraordinariam, quam inutiliter torquere, ut probavimus fieri posse, citato* Tit. Tortura n. 128. pag. 336. & seqq. *Tali ergo casu, debet adnotari in processu, quod* Diffinitores, *sive* Patres adhibiti ad habendum consilium, super Tortura danda nec ne, considerantes Reum non posse torqueri ratione ætatis, dignitatis, aut infirmitatis; *sive* conjectantes, quod per Torturam nihil proficietur, quia Reus est validus viribus, & constans corde, & Torturam pro nihilo habebit; consuluerunt non esse torquendum, sed condemnandum ad pœnam extraordinariam &c.

V. Forma Decreti faciendi ante Torturam.

Consequenter volens A.R. P. adhærendo voti Diffinitorii, *sive Patrum* &c. de quo supra, decrevit supradictum Fr. N. Reum in rigoroso examine constituere, ipsumque torquere; quapropter vocare illum fecit coram se, & ei dato juramento de veritate dicenda, prout juravit tact. &c. A. R. P. ita ipsum charitative monuit: Quamquam ex indiciis, & Testium probationibus certum apud Nos, & indubitatum sit, quod tu commisisti tale crimen &c. *Et hic apponatur crimen summarie &c.* tamen decrevimus hoc scire ex proprio ore tuo. Da ergo gloriam Deo, & veritatem confitere. Quomodo se habuit factum, ob quod constitutus es? Respondit &c.

Hic advertendum est, quod minutim adnotanda sunt omnia dicta, motus, gestus, suspiria, lacrymæ ejalatus, &c. ipsius Rei.

Replicatum ei fuit. Ex quo obstinatus, & durus manes in deneganda veritate, iterum monemus te, ut ab obstinatione recedas, & veritatem sponte fatearis; aliter cogeris per tormenta illam aperire. Respondit &c.

Iterum fuit ei dictum; Quamvis factum neges, a te peto causam facti, de quo processatus es, A quo motus fuisti frangere ostium Sacristiæ, & furari &c. arrepto fuste de nocte percutere Fratrem N. componere, & affigere Libellum famosum &c. *Et hic sibi objiciantur circumstantiæ criminis, & omnia indicia.*

Videns autem A. R. P. obstinationem ipsius Fratris N. Rei, cum alio modo, quam per eius confessionem, non potest heberi veritas criminis prædicti, decrevit, ut ipse Reus in domo disciplinæ arctaretur per jejunia, & disciplinas juxta sanctiones Ordinis per tempus bene visum ipsi A. R, P. *sive* flagellaretur nudatus, manibus ante pectus ligatis; *sive* fibilis torqueretur; *sive* taxillis adhibitis ad fatendam veritatem adigeretur, &c, sibi reservando jus, & arbitrium toties, quoties opportunum judicaverit, illum torquendi, & genus Torturæ variandi; & protestando hanc Torturam inferri absque præjudicio confessatorum, & ad solum finem habendi super cæteris veritatem; & tale Decretum fuit per Me Actuarium in facie ipsius Rei lectum, & sibi intimatum. Acta sunt hæc Die, , . . . &c,

Ego N, Minister Provincialis,

Ego N. Actuarius &c.

VI. Forma torquendi per Arctationem simplicem.

Demonstravimus Par. p. Tit. Tortura numero 13. pag. 356. & seqq. *Arctationem, ex dispositione Statutorum Ordinis, non importare, nisi jejunium in pane, & aqua, & disciplinam in publico Refectorio per integrum Psalm.* Miserere, *ter in hebdomada. Hoc autem levissimum genus torturæ corporalis est. Casu ergo, quod talis Tortura judicetur adhibenda, in Decreto supradicto debet poni, quod Iudex decrevit, quod Reus arctetur* per jejunia, disciplinas juxta sanctiones Ordinis ter in hebdomada &c. *Ex post adnotari in Processu sic.*

In cujus decreti executionem prædictus Fr. N. Reus fuit vocatus ad culpam in publica Fratrum Communitate, & refectione ab eodem A. R. P. Ministro; sibique injunctum, ut in publico Refectorio se disciplinaret, recitando, prout de more, Psalmum *Miserere*; qui præfatus Fr. N. prompte obedivit, & absoluto prædicto Psalmo, jussus fuit, genuflexus manducare solum panem, & aquam bibere; hocque servare secunda, quarta, & sexta feria cujuslibet hebdomadæ, donec ipse A. R. P. aliter decerneret. Acta sunt hæc Die . . . . . . &c.

Ego N, Actuarius.

VII. Forma torquendi per Arctationem qualificatam.

Iuxta dicta numero superiori regulandum est Decretum Arctationis qualificatæ, mutatis tamen mutandis, & dici debet, quod Iudex decrevit, quod Reus recludatur in domo disciplinæ, & ibi arctetur per jejunia, & disciplinas juxta sanctiones Ordinis ter in hebdomada &c. *Ex post recenseri debet executio illius Decreti in processu, ut sequitur.*

In cujus Decreti executionem prædictus Fr. N. Reus fuit in carcerem conjectus, non quidem formalem, cum privatione chordæ, & caputii, sed tanquam in domo disciplinæ. Mox vocatus ad culpam in publica fratrum Communitate &c. ut supra n. VI.

ADNOTATIO I.

VIII. *Advertendum primo, quod pendente duratione Arctationis, Iudex debet Reum constituere, & examinare non semel, sed bis, & etiam ter. Non sufficit enim quod Reus maneat carceratus per tempus Iudici bene visum, & illo completo, denuo examinetur, & persistendo in negativa dimittatur, ut pene communiter fit; sed debet constitui, moneri*

inter-

interrogari, & terreri per comminationem longæ carcerationis, hoc enim modo, forte disponetur ad confitendum. Si enim Rei, constituti in aliis generibus Torturæ, ut funis, taxillorum &c. in actu Torturæ interrogantur, & quoties sibi Tortura replicatur; hoc idem præstari debet in Arctatione, quæ, & ipsa species Torturæ est. Praxis ergo talis debet registrari in Processu, ut sequitur.

Cum a carceratione Fratris N. Rei transijssent octo dies, A.R.P. Minister illum carcere eductum coram se statuere fecit; & sibi dato juramento de veritate dicenda, prout juravit tact. &c. fuit paterne, & charitative monitus, ut dimissa obstinatione non confitendi veritatem, ipsam tandem aperiret; proinde fuit interrogatus, quomodo &c. *Et hic interrogetur de Delicto &c.* Respondit &c.

Fuit ei dictum, vide, miser, quomodo affligeris, sequendo Diabolum patrem mendacii; ex periurio enim, quo negas veritatem, animam tuam illius tyrannidi subdis; & eodem tempore in corpore cruciaberis, non enim a tortura Arctationis cessabitur, donec veritatem fatearis. Libera ergo animam, & corpus tuum a tanto incommodo, & veritatem confitere. Dicas ob quam causam fecisti hoc, & hoc, &c. Respondit &c.

Fuit replicatum, si de temporali corporis cruciatu, non curas, & quomodo non tremis de periculo æterni cruciatus animæ in inferno, dum in periurio perseveras? Nonne in malo statu, in quo es, potest tibi repentina mors accidere in carcere? Nonne sic in peccato impœnitens, & damnatus decederes? Resipisce ergo miser, & veritatem confitendo libera animam tuam. Respondit &c.

Tunc videns A. R. P. se in illo operam perdere, jussit, ut ad carcerem reduceretur, & in Arctatione perseveraret donec &c. Acta sunt hæc Die ... Mense ... Anno &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO II.

IX. *Advertendum, quod cum Arctatia sit Tortura valde levis, & per quam raro Rei ad confitendum crimen adiguntur; sitque in Religione valde usitata; si gravitas criminis ea sit, quæ funem non requirat, requirit tamen corporale tormentum majus quam sit Arctatio, potest taliter qualificari, quod gravitati criminis proportionetur. Sunt quidem sibili, taxilli, & flagellatio, quæ sunt acriora tormenta, quam sit Arctatio, tamen in usu non sunt, saltem universaliter in Religione, & requirunt particularia instrumenta, & Tortorem expertum, qui intra claustra non de facili habetur. Potest ergo qualificari Arctatio per additionem vinculorum, & subtractionem alimentorum; ita, quod Reus catena circumdatus parieti alligetur, vel maneat compeditus in domo disciplinæ; vel nihil obsonii sibi detur, sed tantum panis, scutella pulmenti, & ciathum vini in illis diebus, in quibus jejunare non debet in pane, & aqua; hoc enim modo fiet, ut Arctatio talis, ad exigentiam delicti, validior evadat, ad extorquendam Confessionem.*

X. Forma dandi Torturam per flagellationem.

Non intelligimus hic flagellationem, quæ fit per manus ipsius Rei, & in Religione universa practicatur, sub nomine disciplinæ, *in culpis levibus, & etiam nonnullis gravibus; sed loquimur de illa, quæ fit per manus alterius, quæ tamen, ut alias diximus, in Provinciis Italiæ Occidentalibus in usu non est; sed ut audivi practicatur in nonnullis Provinciis Regni Neapolitani, & etiam ultra Montes. Pro hoc tormento decernendo advertendum est, quod Iudex debet apponere in decreto instrumentum, quo fieri debet flagellatio, puta, an funiculis simplicibus; an catenulis ferreis; an virgulis vimineis; an loris, seu habenis &c. & ultra hoc numerum ictuum, qui debent incuti, & in tria intervalla arbitrio Iudicis dividi. Porro decretum potest esse, ut sequitur.*

Videns autem A. R. P. obstinationem &c. *ut supra num.* 5. decrevit prædictum Fratrem N. Reum flagellari funiculis nodosis, *sive* catenulis ferreis, ibi infligendo centum validos ictus &c. *sive plures &c.* sibi reservando jus, & arbitrium &c. *ut supra n.* 5.

In cuius decreti executionem adductus fuit præfatus Fr. N. Reus in cameram, quæ est ante carcerem, & in qua tortura solita est exerceri, & jussit A. R. P. Fratri N. Custodi carceris, ut illum expoliaret, solis femoralibus relictis ad honestatem; manusque manicis ferreis inijceret. Dum autem expoliaretur, non cessavit A. R. P. illum monere charitativis verbis, ut veritatem facti aperiret; & ei dixit. Adhuc tempus habes, si vis, evadendi tormenta; dic ergo quomodo &c. Respondit &c.

Postquam autem fuit expoliatus, & manicatus, denuo A. R. P. monuit ipsum ut confiteretur; sed illo persistente in responsionibus jam datis, jussit ut flagellaretur valide, interponendo spatium dimidiæ *Ave Maria* inter unum, & alterum ictum; & accepta corona, ipsius calculis, numerum ictuum ipse A. R. P. notare incœpit. Et dum primus ictus ei datus fuisset, ipse Reus vociferando ait &c. *Et hic describantur omnia, quæ dicit, vel facit Reus &c.*

Tunc A. R. P. ita interrogavit, dicas quare fecisti tale delictum? Respondit &c. *Et ita subsequatur flagellatio, donec visum fuerit Iudici eam convenire; & concludatur.*

Videns autem A. R. P. illius obstinationem, & quod, ex vehementia doloris, ipse Reus quasi deliquium patiebatur, postquam triginta ictus sustinuisset, quorum nonnulli cutem ruperant, & sanguis effluebat, jussit, ut cessaretur pro tunc a flagellatione, denuo indueretur habitu ipse Reus, & vocato Infirmario, vulnera, ut suadet charitas, curarentur; animo tamen eandem torturam tempore congruo continuandi, prout magis judicaverit expedire. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

XI. Forma torquendi per sibilos.

Quid sint sibili diximus Par. I. Tit. Tortura num. 2. *Casu ergo, quod Iudex iudicet Reum esse Sibilis torquendum, decretum debet concipi, ut sequitur.*

Videns A. R. P. obstinationem &c. *ut sup. num.* 5. decretum tulit, quod prædictus Fr. N. Reus sibilis torqueretur, sibi reservando &c. *ut sup. loc. cit.*

In cuius decreti executionem adductus fuit &c. *ut sup. num.* 10.

Postquam autem fuit expoliatus, monuit denuo ipsum, ut delictum confiteretur, sed illo persistente

in

in negativi, jussit A. R. P. illum torturæ sibilorum supponi. Tum Fr. N. Custos carceris prædictus ambas Rei manus manicis ferreis constrinxit, ac inter indicem, & medium; medium, & anularem; atque annularem, & auricularem sibilos inseruit, eosque ab una parte funiculo alligavit, & dum hæc agerentur, non cessabat A. R. P. monere prædictum Reum, ut fateretur delictum; sed eo persistente in negativa, jussit ut sibili funiculo stricto, ex alia parte, ligarentur, & digiti intercepti præmerentur. Quo facto cœpit Reus vociferare &c. & describantur omnes ejus motus, voces &c.

Tunc A. R. P. interrogavit *ut supra num.* 10.

Videns autem A. R. P. ipsius obstinationem postquam stetisset in illo tormento per spatium unius *Credo*, jussit ut funiculi laxarentur, animo tamen illud tormentum, sive aliud opportunius adhibendi ad habendam veritatem, prout expediret; & reduci in carcerem fecit. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

XII. *Advertendum, quod tempus hujus torturæ non potest extendi ultra duo* Miserere; *hoc est sex minuta unius horæ; prout præscribitur in Textu* Tit. Tortura §. 2. *proinde Judex Deum timens, ne in re tam gravi justitiam lædat, & proximum offendat, debet habere vel horologium distinguens minuta, vel parvum horologium pulvereum, quod duo minuta horæ præcise metiatur, ne excedat; tempus enim duorum* Miserere *potest abbreviari, aut protendi ultra fas, si morosus, aut brevis nimis sit, qui illa recitat. Unde ad obediendum præcise legi, talis cautela est necessaria.*

ADNOTATIO II.

XIII. *Advertendum secundo, quod licet Textus* loc. sup. cit. *permittat torturam taxillorum, cujus variam acceptionem, juxta Curiarum differentem praxim dedimus,* Tit. Tortura num. 2. & seqq. *tamen practicari inter Regulares ægre potest, cum deficiant, nec de facili parari possint, instrumenta ad eam exercendam. Ideo ejus formam omittimus tradere, & qui eam scire vult adeat* Philippum Bictum Prax. 4. num. 126. & 127. fol. mihi 589. *qui eam tradit; nec tamen existimo, quod in sua Religione, tale genus Torturæ in usu sit. Unde pro gravioribus delictis sufficit Arctatio simplex, qualificata, flagellatio, & sibili, cujus formas dedimus.*

XIV. Forma dandi Torturam Funis.

Quia Tortura Funis non potest dari, nisi in atrocissimis, ut ordinat Textus Tit. Tortura §. 1. *Ne tale tormentum temere detur, non solum debet Provincialis audire, super hoc, votum Diffinitorii, sed ad cautius procedendum, debet etiam consulere Advocatum Sæcularem in rebus criminalibus, maxime peritum. Porro petitio talis consilii potest tum procedere, tum subsequi consilium datum a Diffinitorio, sed melius est, quod præcedat ad hoc, quod Diffinitores, ipsi etiam, melius per tale consilium instruantur. In casu ergo, ut præfertur, atrocissimo, ut homicidii, veneficii, abortus procurati secuto effectu, criminis innominabilis, furti magni, & sacrilegii &c. Reo existente negativo, priusquam inferatur Tortura Funis, debet præcedere Decretum de petendo consilio ab Advocato Sæculari, prout sequitur.*

Cum Patronus Rei, qui supra, omnia produxerit quæ producere voluit ad favorem, & defensam sui Principalis, volens A. R. P. ad ulteriora procedere in Causa, decrevit excribere totum Processum offensivum, & defensivum Domino V. I. Doctori N. ab eodemmet P. Ministro oretenus in Consultorem electo, & nunc in scriptis confirmato, eum rogando, ut dignetur ambos processus accurate perpendere, & suum votum, & consilium, in scriptis tradere; rogando ipsum enixe, ut pro amore Dei, & pro honore Religionis nostræ, & conservanda apud Sæculares fama Fr. N. velit custodire hoc negotium sub sigillo secreti naturalis, sub quo illud sibi committit; quod Dominus prædictus coram Me promisit. Quapropter cum effectu ambo processus prædicti fuere traditi supradicto Domino N. hac die &c. Mensis &c. In quorum &c.

Ego N. Actuarius.

Die &c. prædictus D. N. Consultor electus accessit ad A. R. P. Provincialem, & restituit sibi processus ambos, qui sibi fuere consignati, & tradidit votum super Causæ meritis, manu sua scriptum, & subsignatum, quod ad mandatum A. R. P. inter Acta recepi, & inserui signatum litera &c. sive numero &c. & incipit &c. & desinit &c. *& ponatur tenor.* In quorum &c.

Ego N. Actuarius.

Advertendum porro est, quod Consultor in prædicto voto debet tangere motiva facti, & juris, ob quæ taliter consulit; & etiam individuare durationem, & circumstantias Torturæ; & an sit semel danda, vel reiteranda; & tandem quomodo causa sit expedienda. Et post debet congregari Diffinitorium, & ab ipso etiam peti consilium, ut sequitur.

Consequenter P. Provincialis convocavit Diffinitorium, & produxit coram Patribus acta omnia pro, & contra Reum prædictum, simul cum præfato voto ejusdem D. Consultoris; Qui Patres bene consideratis motivis adductis per Dominum Consultorem decreverunt esse totaliter adhærendum dicto voto, *sive &c.* & ponatur resolutio Diffinitorum, & ab omnibus subscribatur, ut sup. num. 1.

ADNOTATIO I.

XV. *Advertendum, quod sicut probavimus* Par. I. Tit. Patronus num. 30. & 31. *si Consiliarius, seu Advocatus adhibitus in Consultorem dat consilium evidenter malum, & injustum, tum pro, tum contra Reum, potest Diffinitorium, sive etiam Provincialis decernere contrarium. Tamen in processu debent explicari motiva, propter quæ, relicto consilio dato, oppositum illius fuerit decretum.*

XVI. Consequenter volens *A.* R. P. adhærendo voto prædicti D. Consultoris, & Diffinitorii sui &c. *ut sup. num.* 5.

Videns autem *A.* R. P. obstinationem &c. *ut sup. num.* 5. decrevit ipsum torqueri facere per quadraginta minuta horæ; sibi reservando jus, & arbitrium &c. *ut sup. cit. num.* 5.

In

In cujus decreti executionem , constituto ipsu Reo ante Iudicem existentem in camera , quæ est ante carcerem , & in qua parata erant omnia ad torquendum necessaria , præsente etiam D. Consultore prædicto , ad mandatum *A.* R. P. præfatus Reus spoliatus , & nudatus fuit , relictis sibi tantum fœmoralibus ad honestatem , & per Ministrum Secularem expertum ad hoc specialiter vocatum , manibus post terga revinctis , ligatus fuit funi ; & antequam elevaretur protestatus est illi *A.* R. P. Minister , quod tormentum illud dare intendebat non super jam confessatis , sed ad habendam ab eo confessionem super delicto , quod negat ; & quod adhuc tempus habebat evadendi tormenta, si volebat aperire veritatem. Respondit &c.

Tunc jussit *A.* R. P. ipsum Fr. N. Reum in altum elevari , & sic elevatus fuit interrogatus . Quæ nam fuit causa quare &c. *Et hic objiciatur sibi delictum commissum* . Respondit &c. *Et scribi debent omnia verba , voces , suspiria , motus &c. quæ facit Reus* .

ADNOTATIO II.

XVII. *Advertendum est , circa Torturam funis , quod dari non debet , nisi jejunio corpore , vel saltem post septem horas a sumpto cibo , & facta digestione , & egestione , prout habet Textus* Tit. Tortura §. 7. *Pariterque curanda sunt ea , quæ scripsimus* Par. I. cit. Tit. Tortura num.82. & seqq. *circa adhibendum Medicum , & Chirurgum pro ijs , quæ possunt occurrere , ut infra dicemus* .

ADNOTATIO II.

XVIII. *Potest dari casus , quod Reus , qui torquendus est, patiatur defluxum intestinorum ad scrotum , & vulgo dicitur* ruptura , aut crepatura , *propter quam cingulum ferreum gestet ; potest etiam talem infirmitatem fingere . Si ergo postquam expoliatus est appareat taliter cinctus ; vel ipse Reus alleget se esse crepatum , seu ruptum , debet Iudex adhibere judicium Chirurgi , & factum describi , ut sequitur* .

Cum spoliatus esset habitu prædictus Fr. N. Reus, apparuit se habere cingulum ferreum , ex quo argui poterat esse ruptum, & ex consequenti non posse fune torqueri , citra periculum vitæ . Ad se autem informandum de veritate , an talis infirmitas esset realis, an potius ficta , jussit *A.* R. P. introduci D. N. Chirurgum , qui stabat extra prædictam cameram , & ad omnem bonum finem fuerat vocatus , ut posset providere in emergentibus , in tortura jam decreta; cui ingressu injunxit *A.* R. P. ut visitaret , juxta præcepta artis suæ , prædictum Fr. N. Reum , & cum juramento referret , an ipse revera esset ita ruptus , ut fune , citra periculum vitæ , torqueri non posset . Qui præfatus D. N. Chirurgus tactis partibus , & facta visitatione , & præstito juramento , tactis Sacris Scripturis , dixit &c. *Et hic describatur relatio ipsius ; & si retulerit non esse totaliter ruptum , & posse sine periculo torqueri , prosequatur ad Torturam , ut supra ; si vero dicat e contra , fiat decretum , ut sequitur* .

Quo audito A. R. P. decrevit prædictum Fr. N. Reum alio genere Torturæ cogere ad dicendam veritatem ; *sive* ad pœnam extraordinariam suo loco , & tempore condemnare ; & revestiri eum jussit , & ad carcerem reduci . Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Chirurgus .
Ego N. Consultor .
Ego N. Minister .
Fr. N. Actuarius .

ADNOTATIO IV.

XIX. *Potest dari casus , quod Reo elevato in tortura alvus subducatur , & necessitatem habeat corpus levandi ; & debet tunc Iudex illum deponere a tortura, & copiam sibi facere naturali necessitati subveniendi, describitur vero factum, ut sequitur* .

Cum esset prædictus Fr.N. Reus elevatus in altum cœpit clamare &c. & post dixit, deponite me de hoc tormento , necessitatem enim habeo levandi corpus . Tunc A. R. P. jussit , ut leviter deponeretur , & in carcerem reduceretur , ut naturali necessitati provideret ; prout factum fuit . Et cum hoc præstasset , fuit denuo ductus coram A. R. P. qui iterum illum monuit , ut veritatem fateretur ; Sed respondit &c. Videns proinde ipsum in negativa obstinatum , jussit A.R.P. ut denuo ligaretur & in altum elevaretur .

ADNOTATIO V.

XX. *Potest dari casus , quod Reus , vi tormenti adactus , instet deponi a Tortura , promittens fateri veritatem ; debet tunc deponi , & factum describi , ut sequitur* .

Cum prædictus Fr. N. Reus esset in tormentis , incœpit clamare : Non possum amplius sustinere , deponite me , & veritatem narrabo ; sed fuit ei dictum , ut inciperet confiteri , & tunc deponetur . Respondit . In hoc tormento loqui non possum ; deponite me , & totum factum narrabo .

Tunc attenta tali promissione , & ad prædictum tantum effectum , & non aliter , animo tamen Torturam continuandi si &c. A. R. P. mandavit leviter ipsum Fr. N. Reum de tortura deponi , & super scamno ligneo accommodari ; quo executo .

Dictum est ei , ut veritatem aperiat , juxta promissum .

Respondit &c.

Dictum est ei , ut servet promissionem factam in Tortura , & sinceram veritatem aperiat , alias denuo in Tortura elevabitur .

Respondit &c.

Videns proinde A. R. P. ejus obstinationem in neganda veritate , jussit in altum denuo elevari &c.

ADNOTATIO VI.

XXI. *Potest dari casus , quod Reus manens suspensus in Tortura exclamet , quod deponatur , promittendo confiteri veritatem ; mox depositus nolit eam fateri ; iterumque , & tertio elevatus , & ut præfertur depositus permanet in eadem negativa . Tali casu Iudex se regulare debet , ut dicemus infra tradendo formam ratificationis a Reo faciendæ , casu quo iste confessionem in Tortura factam nolit ratificare . Vide inferius* .

ADNOTATIO VII.

XXII. *Potest pariter dari casus , quod Reus deliquium verum patiatur , aut illud simulet . Veri deli-*

deliquii signa sunt, si vocem nullam, aut languidam formet; verba pronunciare non possit; ex ore spumam emittat; nimis pallidus fiat; nimis sudet &c. Tamen in deliquio aut vero, aut simulato, semper debet Reus deponi de Tortura: remedia idonea ad revocandum spiritum applicari, & Medicus adhiberi, qui iudicet de symptomate, potest autem totum describi, ut sequitur.

Cum Fr. N. Reus penderet a fune, & copiose sudaret, & vocem languidam emitteret, dicendo &c. A. R. P. jussit eum leviter deponi, & super scamnum aptari, aceto nares ejus fricari; & suffumigari sulphure, quia videbatur pati deliquium. Et vocare fecit D. N. Medicum, qui extra cameram erat, & eum rogavit videre, an secundum præcepta artis suæ Fr. N. vere pateretur deliquium; & medio juramento, suum iudicium interponeret. Qui diligenter pulsum, & pectus ipsius tangens, & omnia accidentia observans, præstito juramento per tactum Sac. Scripturæ dixit &c. *Et hic describatur relatio Medici. Si Medicus dicat illum vero deliquio esse affectum, subjungatur.*

Quo audito A. R. P. eum solvere fecit, & portare in carcerem, & jussit, ut sibi brachia reaptarentur, & vocatis Infirmariis, remedia opportuna applicarentur. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Consultor.
Ego N. Actuarius.

Si autem referat Medicus, deliquium esse simulatum, procedatur ad novam Torturam, imo ejusdem continuationem, & sic describatur.

Quo audito A. R. P. jussit illum, denuo in altum elevari &c.

ADNOTATIO VIII.

XXIII. *Potest dari casus, quod Reus constitutus in Tortura dormiat, vel tormentum spernat ridendo, jocando, Judici insultando, & ostendat nullum dolorem pati. Tali casu potest Judex uti cautelis, quas præscribit Textus* Tit. Tortura §. 7. *& Nos ibi explicuimus. Factum vero potest describi, prout sequitur*

Cum Fr. N. Reus esset in Tortura elevatus. Videns A. R. P. ipsum in Tortura dormire; *sive* ridere, & tormenta spernere; *sive* jocari, & Judici insultare &c. dubitans de aliqua operatione diabolica, jussit illum de tortura deponi, ac sub axillis, in ore, inter capillos, & aliis partibus corporis diligenter inquiri, an aliquid ibi occultaretur, quo stante Diabolus illi suffragaretur; item pilos ipsos totius corporis radi, & postea sic rasum, & aliis femoralibus indutum denuo ligari, & fune in altum elevari &c.

ADNOTATIO IX.

XXIV. *Advertendum, quod si in aliqua parte corporis reperiretur aliquod signum maleficii, sive sortilegii, Iudex non potest ullo modo ulterius procedere, sed debet levare manum a processu, & decernere, ut sequitur.*

Cum reperta esset quædam parva scriptura exarata characteribus incognitis, cum Cruce &c. quam habebat ipse Reus in tali parte &c. *Et hic describatur ubi inventa fuerit scriptura, puta inter digitos, vel sub planta pedis, subtus axillas, vel in femoralibus &c. sive sit aliquod aliud signum maleficii &c.* decrevit A. R. P. levare manum a processu, & totum factum denunciare Tribunali Fidei, nec ulterius progredi, donec a præfato Sacro Tribunali sibi facta fuerit copia. In quorum &c. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Consultor.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO X.

XXV. *Potest dari casus, quod Reus muniat se contra torturam non scriptura, seu alio signo materiali, sed verbis, quæ determinatis temporibus submurmurat, prout diximus* Tit. Tortura num. 88. *Tali casu debet Iudex uti cautela ibi data, & factum describi, ut sequitur.*

Cum Fr. N. Reus &c. ut sup. nu. 23. Cum autem denuo elevatus in altum; denuo dormiret, *sive* jocaretur &c. conjecit A. R. P. ipsum Reum se verbis superstitiosis potuisse munire contra torturam. Proinde jussit illum deponi, animo tamen continuandi torturam tempore, & modo congruo. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Consultor.
Ego N. Actuarius.

Anno..... Mense....... Die &c. A. R. P. vocare coram se fecit Fr. N. Custodem carceris, & illi injunxit, ut assumpto aliquo socio viribus potente, & valido, in carcerem, ex improviso, penetraret, & uno, & eodem contextu unus illorum Fratri N. Reo manus vincularet manicis ferreis; alius vero lignum ad hoc paratum ori ejus imponeret, ut frænum equo; itaut verba articulare non posset, & lignum illud, vitta ducta circa caput, ita alligaretur ut præfatus Reus non posset illud demere; & sic ligatum, & infrænatum duceret coram se in cameram tormentorum. Qui Præfatus Fr. N. Custos carceris sibi jussa perficiens, duxit eundem Reum, ut præfertur, manicatum, & infrænatum coram A. R. P. Ministro, existente eum D. N. Consultore, & Me infrascripto Actuario in camera tormentorum; & ad ejus mandatum spoliatus, ligatus, funi applicatus, & per quatuor digitos elevatus a terra fuit; & tunc jussit, ut sibi lignum eximeretur ex ore, ut posset respondere; mox altius elevatus, fuit interrogatus, Quam ob causam commisit &c.

Respondit &c.

ADNOTATIO XI.

XXVI. *Potest dari casus, quod neque adhibita diligentia supradicta proficiat, & Reus in tortura dormiat, jocetur &c. Tali casu necessarium est, uti alio tormento validiori, puta ignis, ut infra diximus, vel ad pœnam extraordinariam condemnare, & hoc ex decreto Iudicis, quod potest formari, ut sequitur.*

Anno..... Mense.... Die.. *ut supra n.* 25.

Cum autem elevatus in altum esset, ut præfertur & interrogatus nullum responsum dedisset; nec vocem dolentis emisisset; imo dormire cœpisset; & evidenter appareret, quod torturam funis nullo modo sentiret, decrevit A. R. P. ad investigandam a prædicto

dicto Reo veritatem alind tormentum validius, & efficacius sibi applicare tempore, & loco opportunis; *sive* ipsum in pœnam extraordinariam condemnare, & pro tunc jussit deponi, revestiri, & in carcerem reduci. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister.

Ego N. Consultor.
Ego N. Actuarius.

XXVII. Forma concludendi examen in Tortura funis.

Cum per spatium minutorum &c. F. N. prædictus stetisset in Tortura, ut præfertur, fuit jussum ab A. R. P. ut ipse deponeretur a tormento, & sic fuit supersessum, reservato tamen sibi jure illum eodem, sive alio tormento examinare, loco, & tempore opportunis, prout sibi visum fuerit magis expedire. Et indutus habitu, & reaccommodatis brachijs, fuit in carcerem denuo conjectus, Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Consultor.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO.

XXVIII. *Advertendum, quod, ut præscribitur in Textu* Tit. Tortura §. 8. *Iudex debet habere horologium pulvereum distinctum per quadrantes horæ, (& melius est, prout Nos adnotavimus ibi* num. 103. *quod habeat quatuor ampullas pulvereas, quarum una contineat horæ partem octavam, puta minuta septem cum dimidio; alia quartam; alia dimidiam; alia horam integram,) ut secure procedat in mensuranda tempore Torturæ. Et tale horologium non visum a Reo ita debet collocari, ut tamen ab aliis cerni possit, ob rationes ibi datas.*

XXIX. Forma Torquendi per Ignem.

Tortura Ignis, de qua fit mentio in Gloss. in l. Edictum ff. de Quæst. *antiquitus ita exercebatur. Reus compeditus, & manicatus, sedebat in plano cameræ tormentorum, nudatis pedibus; Mox plantæ pedum ungebantur lardo porcino; subinde patella ferrea plena prunis ardentibus approximabatur ad distantiam palmi unius, cum dimidio, sicque pedes exustulabantur, itaut intolerabilis causaretur dolor. Sed Tortura hæc, ut nimis barbara, & periculosa, antiquata est, nec Iudices Laici amplius ea utuntur teste* Ambrosino de Mod. form. proc. lib. 4. cap. 8. num. 9. *quem sequitur* Bict. Prax. 4. num. 120. *A fortiori ergo elongari debet a Iudicibus Regularibus, qui, ut alias diximus, debent esse mitiores in torquendo. Sed dato casu, quod essemus in casu plusquam atrocissimo, Reusque, violentis indiciis gravatus, funis tormentum sperneret, aut ipso non posset ex aliqua causa torqueri, & urgeret ratio habendi a Reo confessionem delicti, & Complicum, poterit Iudex Regularis uti tormento Ignis, validissimo quidem, sed innocuo, & securo, quē descripsimus* P. I. Tit. Tortura n. 5. *& potest in processu adnotari, ut sequitur.*

Consequenter, cum A. R. P. Minister expertus esset, quod prædictus Fr. N. Reus tormentum funis sperneret, etiam post adhibitam omnem diligentiam, ut illud pateretur, ut ex actis supra &c. *sive* quod quia est ruptus, non potest, sine periculo, illi dari tormentum funis &c. cumque delictum, de quo prædictus Reus est vehementer indiciatus, sit plusquam atrocissimum, & quod, sine Consociis in crimine, committi nequivit; ad habendam a prædicto F. N. Reo plenam veritatem tum criminis commissi, tum Complicum ejusdem, decrevit, prout præsenti decreto decernit, prædictum Reum torqueri facere per applicationem ovorum ferventium subtus axillas; protestando, talem torturam ab eo adhiberi ad ulteriorem veritatem habendam a Reo prædicto; & sine præjudicio confessatorum, & quorumcumque aliorum jurium Curiæ acquisitorum, de quibus intendit suo tempore, ad normam juris, præmemoratum Reum punire; & sibi reservato jure toties, quoties torquendi. Acta sunt hæc Die ..... Mense ...... Anno ...... &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

In cujus Decreti executionem A. R. P. sibi assistente D. N. Consultore supradicto, & Me Actuario, se contulit in cameram tormentorum, in qua, ad mandatum ejusdem A. R. P. parata prius erat patella ferrea plena carbonibus accensis, & super illa parva olla plena aqua bullienti, in qua erant quatuor ova ex longa ebullitione indurata. Mox adducere coram se fecit prædictum Fr. N. Reum, cui hinc inde, ad latera adstabant Fr. N. Custos carceris, & Fr. N. Laicus ad omnem bonum finem &c. illumque, post præstitum juramentum de veritate dicenda, paternis, & gravibus verbis monuit, ut veritatem commissi delicti, & Socios criminis sponte proderet, antequam cogeretur, eam per viam tormentorum pandere. Fuit ergo.

Interrogatus. Qua de causa, & cum quibus Socijs commiserit tam enorme delictum &c.

Respondit &c.

Et cum iterum monitus, & interrogatus in eadem negativa persisteret, ad mandatum A. R. P. fuit expoliatus, sibi relictis tantum fæmoralibus ad honestatem, & manicis ferreis vinctus; mox illi fuerunt rasi pili subtus axillas. Quo facto, iterum, & tertio monitus fuit, ut veritatem confiteretur antequam tormento applicaretur, sed illo persistente in negativa, jussit A. R. P. ut ova calentia ambabus axillis applicarentur. Tunc prædictus F. N. qui supra, singuli ovum ab olla bullienti extractum cochleari perforato posuerunt in linteolo ad hoc parato, ipsum ovum stringendo prædicto linteolo, & illius angulis reductis ad manum tenentium, ut possent illud applicare axillis prædicti Rei. Tum elevatis ambobus ipsius brachijs applicaverunt axillis singuli ovum suum, & brachijs depressis, & ad latera ipsius compressis, illum ova prædicta præmere compulerunt. Qui Reus cum sustinuisset per spatium dimidiæ Orationis *Ave Maria*, cœpit clamare &c. *Et describantur omnia ejus verba, gestus, motus &c. ut in tortura funis dictum fuit supra &c.*

Tunc fuit *interrogatus*. Quare, & cum quibus Sociis delictum præfatum commisisset?

Respondit &c.

Et cum per spatium unius *Credo* tale tormentum sustinuisset, jussit A. R. P. ut ova de subtus axillas removerentur, & in olla bullienti reponerentur, & alia duo ova, ut præfertur, existentia in olla prædicta

dicta axillis applicarentur &c. quibus applicatis fuit. *Interrogatus &c.*

Et cum per spatium duorum minutorum horæ præfatus Fr. N. Reus stetisset in prædicto tormento, A. R. P. pro tunc noluit, quod amplius torqueretur; reservandoque sibi jus prædictam, sive aliam, torturam, opportuno tempore, replicare, jussit, quod tollerentur ova, solveretur, revestiretur, in carcerem reduceretur, & si aliqua inflammatio causata fuisset subtus axillas, curaretur, prout factum fuit. Acta sunt hæc Die..... Mense..... Anno &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Consultor.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO.

XXX. *Advertendum, quod, cum suprascripta tortura sit insolita in Religione, & vehementissima, non debet Iudex noster ipsa uti, nisi delictum sit plusquam atrocissimum, ut præmissum est. Insuper debet super hoc consulere Diffinitorium, & etiam Consultorem Sæcularem. Amplius, debet ea uti in subsidium aliorum tormentorum, puta quando alia adhibita non proficiunt; sive quando alia adhiberi non possunt, ob aliquam causam. Præterea requiritur etiam, quod indicia sint urgentissima, ita ut nihil desit, nisi Rei confessio. Et tandem tormentum hoc non potest extendi ultra sex minuta unius horæ; quæ tamen in tria intervalla potest dividere Iudex sive uno, & eodem, sive diversis diebus, prout de torturis suis diximus* Par. I. Tit. Tortura numero 11. & 12.

XXXI. Forma replicandi Torturam.

Supposito, quod simus in casu repetendi torturam, Iuxta tradita Par. I. Tit. Tortura num. 84. & seqq. *ad quæ Lectorem remittimus; potest factum describi in processu, ut sequitur.*

Consequenter quia Fr. N. Reus, qui supra, fuit leviter tortus, & indicia contra ipsum sunt valde urgentia, *sive* urgentissima, & fuit depositus a tortura, animo reservato illam repetendi, prout supra &c. *A.* R. P. Minister, ut sufficienter torqueatur, decrevit, prout præsenti decreto decernit, illum, juxta consilium sibi datum a præmemorato D. N. Consultore, denuo torturæ subjicere, donec &c. Acta sunt hæc Die..... Mense...... *Anno* &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

In cujus decreti executionem, mandante eodem A. R. P. coram se, & supradicto D. N. Consultore, & Me infrascripto, in cameram supradictam tormentorum adductus fuit memoratus Fr. N. Reus, & illi dato juramento de veritate dicenda, quod præstitit tactis &c. & facta illi comminatione de illo iterum subjicendo torturæ, si veritatem negaverit, fuit interrogatus, & monitus de veritate dicenda, quam negare non debet cum in processu extent contra ipsum indicia ita vehementia. Quibus indiciis sibi singillatim objectis, cum ipse Reus in sua obstinatione persisteret, ad mandatum ejusdem A. R. P. fuit spoliatus &c. *Hic debet fieri descriptio tormenti, quod adhibetur, sive sit flagellatio, sive Sibili, sive Funis, sive Ignis, juxta formam cujuscumque torturæ supra datam* num. X. XI. XII. XIV. & *XXIX. respective, & examen concluditur sic.*

Et cum prædictus Fr. N. stetisset in tortura prædicta per spatium &c. *Et hic exprimatur tempus, per quod fuerit tortus, juxta qualitatem torturæ adhibitæ &c.* mandante eodem A. R. *P.* fuit ab ea sublevatus, aut depositus, & revestitus, fuit ad carcerem reductus,

Ego N. Minister.
Ego N. Consultor.
Ego N. Reus &c.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO

XXXII. Advertendum, quod ut diximus Par. I Tit. Tortura num. 84. & seqq. *Quando Reus non est complete tortus juxta valorem indiciorum, potest Iudex torturam repetere per tres vices; ita tamen, quod tria tempora, per quæ fuerit tortus, talia sint, quod simul copulata integrent illud tempus, quod arbitrio Iudicis proportionetur valori indiciorum. Sed si in secunda tortura completur tale tempus commensuratum valori indiciorum, non potest Iudex ulterius torquere Reum super delicto principali; licet possit super aliis, de quibus diximus* loco cit. num. 86. & 87

XXXIII. Forma torquendi super Complicibus.

Supposito, quod Reus fuerit convictus, aut confessus de delicto, non potest super eo ullo modo torqueri; si enim Iudex esset ita fatuus, ut torqueret super delicto principali, & Reus delictum negaret, non posset ad pœnam ordinariam condemnari: Potest tamen torqueri super Complicibus, & Sociis criminis, quando ex processu apparet, quod Socios habuit; aut quando verisimile est, quod Socios habuerit in delicto, quod non potuit sine Sociis consummari. Casu ergo, quod debeat dari tortura super Complicibus, potest teneri forma sequens.

Consequenter A. R. P. jussit, & consideratis iis, quæ constant in Actis contra F. N. Reum memoratum confessum *sive* convictum, & etiam depositionibus Testium dicentium, prædictum Fr. N. R. associatum fuisse a pluribus Sociis delicti, quod ipse fuit confessus; sive considerata qualitate criminis, quæ talis est, quod verisimile est, quod illud nequivit consummari sine pluribus Sociis, & veritas circa tales Socios, & Complices difficillime ab ijs, quam a prædicto Fr. N. haberi possit; ipseque Fr. N. Reus in suo examine nihil super talibus Complicibus, Auxiliatoribus, Fautoribus, Consiliariis, Mandantibus, aut quoquomodo partem habentibus in dicto delicto deponere voluit; audito voto D. Consultoris, & consilio, & assensu Patrum Diffinitorii, ut præfertur decrevit ipsum in rigoroso examine constituere; protestando, quod non intendit torquere ullo modo super delicto, de quo est convictus, *sive* confessus, sed pure, & simpliciter pro habenda veritate super Complicibus, & Sociis criminis; & non aliter nec ad alium finem; & de hoc solemniter, & expresse, & omni alio meliori modo protestatus fuit. Acta sunt hæc Die...... Mense...... Anno &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

In

In cujus Decreti executionem &c. *Hic debet describi tortura Arctationis qualificatæ, seu Flagellationis, vel Sibilorum, sive Funis, quæ judicabitur adhibenda a Judice in tali casu, & quia pro singulis data est forma supra, ipsam non repetimus.*

ADNOTATIO I.

XXXIV. *Advertendum, quod Reus, sic constitutus in tortura, non debet a Judice ullo modo interrogari de Delicto; nec quoad circumstantias; sed pure, & simpliciter super Complicibus, & Socijs criminis. Quod si Reus ex se, neget fecisse delictum, & dicat, quod ex consequenti Socios in crimine non habuit, Iudex debet ei dicere.* Non interrogo te super delicto, aut ejus circumstantijs, nec de his tibi datur tortura, quia de illis jam convictus, sive confessus es, nec illa a me revocantur in dubium, cum certus sim te illud commisisse; sed quæro quot, & qui fuerint Complices, Socij, Fautores &c. ideo dicas &c.

ADNOTATIO II.

XXXV. *Dedimus supra* Sect. 5. num. XX. *formam cogendi Reum nolentem respondere ullo modo Iudici; sive negantem responsum præcise; sive vacillantem, contrarium, vel inverisimilia deponentem; & ibi præscripsimus carcerem, & jejunia &c. Si autem daretur casus, quod nihil proficeret Iudex per talem formam, & necesse esset, ad expugnandam obstinationem Rei, uti acriori tortura Flagellationis, aut Funis, potest Iudex formam describendi factum sibi datam servare; sed in decreto apponere, quod cum nihil profecisset ex tali tortura, decrevit devenire ad Flagellationem, sive Funem, cujus executionis Formulas supra dedimus, ut suis singulis locis patet.*

XXXVI. Forma ratificationis confessionis extra Torturam.

Quia confessio Rei facta in tormentis ipsum non afficit, nisi sponte extra vincula, & cameram tormentorum, & cessato dolore Torturæ supportatæ, illam ratificet, prout diximus Par. I. Tit. Tortura n. 106. *damus formam, qua debet fieri, & est, ut sequitur.*

Anno ..... Mense ..... Die &c. coram A.R.P. Ministro Provinciali, & RR. PP. NN. Assistentibus ad hunc actum specialiter adhibitis, & Me infrascripto; Fr. N. Reus vinculis solutus, & extra locum tormentorum positus, vocatus fuit ad ratificandum ea, quæ deposuit in tortura sub Die &c. Mensis &c. prout supra in Actis; & ei præstito juramento de veritate dicenda, prout juravit tact. &c. per Me Actuarium clara & intelligibili voce, & ab ipso Reo bene audita, lecta fuit illi sua confessio. Qua audita fuit interrogatus.

An bene audierit, & intellexerit illud, quod ipse confessus est sub die &c?

Respondit &c.

Interrogatus. An sint vera ea, quæ tunc dixit, an ea ratificet, & an vere, & realiter ipse commiserit delictum, prout confessus est? *Respondit &c.*

Interrogatus. An libere, & sponte, & non ex metu ulterioris torturæ, delictum denuo confiteatur, & confessatum ratificet &c. *Respondit &c.*

Fuit ei dictum, ut sibi bene caveat, nec animam suam damnet periurio; & se ipsum gravet, confitendo delictum, quod non fecerit. *Respondit &c.*

Interrogatus. An confessioni factæ, ac ratificatæ velit aliquid addere, vel minuere? *Respondit &c.*

Tunc A. R. P. acceptatis his, & in quantum ejus depositionibus, & ratificatione, examen dimisit, & Reum ad carcerem reduci mandavit, & decrevit, quod Patrono suo daretur copia suæ confessionis, & constitutorum, assignando illi tempus trium dierum ad producenda, & allegandа jura, quare non debeat condemnari in pœnam ordinariam. In quorum &c.

Ego N. Minister.
Ego Fr. N. sui Assistens.
Ego Fr. N. Assistens.
Ego Fr. N. Reus &c affirmo ut supra.
Ego N. Actuarius.

Die ... Mense ... Anno &c. fuit per Me Actuarium consignata P. N. Patrono Fratris N. Rei copia authentica confessionis, & ratificationis sui Principalis, & intimatum decretum Judicis, ut termino tridui Defensiones presentaret; qui gratias egit, & terminum acceptavit, sibi reservato jure petendi legitimas dilationes, si opus fuerit. In quorum &c.

Ego Fr. N. Patronus.

Ego Fr. N. Actuarius.

ADNOTATIO.

XXXVII. *Potest dari casus, quod Reus in actu Ratificationis revocet confessionem; in hoc casu denuo torquendus est, vel condemnandus ad pœnam extraordinariam, juxta ea, quæ scripsimus* Par. I. Tit. Tortura num. 108. *Quod si judicetur torturam esse repetendam, Constitutum Rei descriptum numero superiori, debet ita terminari.*

Tunc videns A. R. P., quod Fr. N. Reus non solum non ratificavit ea, quæ deposuit die supracitata, sed contrarium asseveravit, dicendo se ita tunc fuisse confessum, quia vi tormentorum, & ad ea evadenda, fuit adactus; cæterum se esse de præfato delicto innocentem; decrevit ipsum ulteriori torturæ subiicere, protestando, se hoc facere, absque præjudicio acquisitorum Curiæ, quæ voluit in suo robore permanere; sed ad habendam ulteriorem veritatem, & purgandum novum indicium natum contra Reum prædictum, ex tali confessione in tormentis facta, & delendam maculam periurii commissi, & non aliter &c. In quorum &c. *Et subscribant Reus, Assistentes, Judex, & Actuarius.*

In cujus Decreti executionem &c. *Et hic debet describi Tortura, quæ adhibebitur, sive fuerit Arctatio qualificata, sive Flagellatio, Sibili, Funis &c* quarum formas suis locis supra dedimus.

XXXVIII. *Completa Tortura debet communicari Patrono copia examinis Rei facti in illa, & omnium actuum tunc factorum ad hoc, ut ille possit aliquid inde deducere in favorem sui Clientis, & Defensionibus factis ante Torturam addere. Hoc autem in processu adnotatur, ut sequitur.*

Consequenter A. R. P. Provincialis decrevit, consignandam esse copiam examinis præfati Fr. N. Rei, facti in *Tortura*, memorato Patri N. Patrono, ad hoc, quod si aliquod esset sibi dicendum in favorem sui Principalis, posset adducere, statuendo illi terminum trium dierum ad producenda omnia, quæ adducere intendit ad defensam supradicti, antequam

Sententia feratur. In cujus decreti executionem, copiam mihi jussam feci, & consignavi prædicto Patrono, cum assignatione termini prædicti, ad præsentandas integraliter Defensiones ante Sententiam; qui Patronus terminum illum acceptavit (reservato sibi jure petendi dilationem, si necessaria erit) & gratias egit. Acta sunt hæc die &c.

Ego Fr. N. Patronus.
Ego F. N. Actuarius.

XXXIX. *Si Patronus nihil addendum defensionibus factis, & præsentatis ante Torturam judicabit continuabitur processus, ut sequitur.*

Comparuit coram Me Actuario Pater N. patronus, qui supra, & dixit, se nihil habere dicendum ad favorem Fratris N. Rei, ultra ea, quæ adducit in Defensionibus jam præsentatis. Quapropter &c. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Patronus &c.
Ego N. Actuarius.

Si autem nova jura deduxerit ex Actis factis in Tortura Rei, illa præsentabit, ut sequitur,

XL. Forma præsentationis defensionum.

Comparuit coram Me infrascripto P. Fr. N. Patronus prædicti Fr. N. Rei, & præsentavit novas defensiones ad favorem sui principalis, quæ incipiunt &c. & desinunt &c. *& ponatur tenor &c.* & hic inferuntur signatæ &c.& petiit denuo audiri, casu quo pro parte Fisci fuerit responsum Defensionibus a se productis pro suo Principali; & instituit, quod præfatæ responsionis sibi tradatur copia, si scripta fuerit; & si oretenus fiat ab Advocato Fisci, citetur ipse ad illum audiendum, intendens replicare sive scripto, sive voce coram toto Diffinitorio adductis, seu adducendis contra suum Principalem, itaut ipse intendat esse ultimus ad dicendum, allegandum, & producendum rationes, & jura pro suo Principali; protestando de nullitate Sententiæ &c, appellando &c. si non fiat juxta ipsius petitionem, prout de jure &c. & ea spreta, procedatur ad ulteriora. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Patronus peto, insto, protestor, & appello, ut supra.
Ego N. Actuarius,

XLI. Forma deputandi Advocatum pro Fisco.

Præsentatis Defensionibus Patroni pro Reo, deputandus a Judice est Advocatus ad respondendum illis proparte Fisci; & circa hoc omnino sunt videnda, quæ scripsimus Par. I. Tit. Patronus num. 84. & seqq. & forma deputationis potest esse, ut sequitur.

Consequenter A. R. P. decrevit communicanda esse acta omnia hucusque facta P. Fr. N. Theologo a se deputato in Advocatum pro Fisco, ad respondendum juribus allegatis per P. Fr. N. Patronum, Eoque vocato, & sibi dato juramento de fideliter, & juxta vires, & pro veritate, & justitia sola, seclusa quavis mala passione, exercendo munere Advocati, seu Procuratoris Fiscalis, juravit, & promisit se omnia fideliter præstiturum. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Fiscalis.
Ego N. Actuarius.

XLII. Forma præsentandi Responsiones pro parte Fisci.

Anno .... Mense .... Die &c. præsentatæ fuerunt per P. Fr. Advocatum Fiscalem pro parte Fisci responsiones defensionibus productis pro Fr. N. Reo, prout in Actis &c. quæ responsiones incipiunt &c. & desinunt &c. *& ponatur tenor &c.* & hic inseruntur signatæ &c. & ad mandatum A. R. P. Ministri fuerunt communicatæ P. Fr. N. Patrono prædicti Fr. N. Rei. In quorum &c.

Ego N. Actuarius.

XLIII. Forma præsentandi replicationes pro parte Rei contra Responsiones Advocati Fiscalis.

Anno ... Mense ... Die &c. præsentatæ fuerunt a P. Fr. N. Patrono Fr. N. Rei replicationes contra adducta pro parte Fisci, a P. Fr. supradicto Advocato Fiscali, quæ replicationes incipiunt &c. & desinunt &c. *& ponatur tenor &c.* & hic inseruntur signatæ &c. In quorum &c.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

XLIV. *Advertendum, quod potest dari casus, quod Advocatus Fiscalis nolit respondere defensionibus scripto, sed oretenus coram toto Diffinitorio congregato. Tunc debet citari Patronus Rei, ut eodem tempore compareat etiam ipse coram Diffinitorio, & replicet ad favorem sui Principalis contra adducta per alium pro Fisco. Tamen melius semper fiet, si scripto fiant responsiones, & replicationes, tum ad vitandas contentiones, quæ nasci possunt inter Advocatum Fisci, & Patronum Rei, in propugnanda parte sua: tum quia melius capiuntur, & cum maiori maturitate a Judicibus, quæ scripta manent, quam quæ oretenus prolata saepius excidunt; tum quia commodum est Iudicibus certificari de veritate allegatorum per eos, quando scripta sunt, quod fieri nequit, si oretenus tantum sint producta.*

ADNOTATIO II.

XLV. *Advertendum secundo, quod si causa fiat per Accusationem, sive Exceptionem, præsentatis a Reo defensionibus, debet citari Accusator, sive Exceptor, ad hoc, quod ipse per se, vel per Advocatum suum respondeat contra Defensiones Rei, & ipsas impugnet, & omnia producat, quæ sibi superfunt contra Reum. Et advertendum, quod si Accusator, sive Exceptor novos Testes, aut nova instrumenta produxerit contra Reum, debet copia illorum tradi Reo, ut possit illis opponere exceptiones suas, & se defendere; itaut, ante Sententiam ultimo loco debeat a Iudicibus auscultari Reus, sive ejus Patronus.*

SE-

SECTIO OCTAVA.

In qua agitur de Sententia.

I. *Suppositis iis, quæ tradidimus de Sententia interlocutoria, & diffinitiva* Par. I. Tit. Sententia num. 2. *Cum Sententia interlocutoria vocanda sit potius decretum Judicis, quam Sententia, ut habet Textus loco citato; & supra per omnes Sectiones tradiderimus suis locis Formulas decretorum, quæ debent fieri a Judicibus, non est unde eas hic inutiliter repetamus. In hac ergo Sectione dantur solummodo Formulæ Sententiæ diffinitivæ, sive finalis, iuxta diversitatem omnium casuum, qui possunt accidere.*

II. Forma citandi Reum ad Sententiam.

Quia, ut diximus Par. I. Tit. Sententia, *ante prolationem Sententiæ debet citari Reus, & eius Patronus; præmittimus Formam citationis adnotandam in Processu, ut sequitur.*

Consequenter volens A. R. P. ad Sententiam finalem procedere, iussit, ut citarentur pro die &c. *& exprimatur dies, in qua proferenda determinabitur Sententia* ad illam audiendam Fr. N. Reus prædictus, & P. Fr. N. ipsius Patronus, qui ambo ad mandatum A. R. P. citati fuere oretenus a Fr. N. socio prædicti P. A. R. Provincialis, prout ipse retulit cum juramento. Acta sunt hæc &c.

Ego F. N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

III. *Advertendum, quod si Processus fuerit factus per viam Accusationis, citandus erit ad audiendam Sententiam etiam Accusator, quia habet interesse in Causa. Quod si Reus in suis Defensionibus, ita perfecte evacuaverit indicia, quod crimen non remaneat probatum, nec etiam semiplene, & veniat per hoc absolvendus tanquam non repertus culpabilis, sive ex capite innocentiæ, Accusator, utpote, quia non probavit, debet condemnari tanquam calumniator, & hoc in eadem Sententia, per quam Reus absolvitur, ut habetur in Textu* Tit. Sententia §. 2. *& ibi explicuimus* sub num. 8. *Sed quia ante condemnationem debet Accusator se defendere, ideo tali casu, ante citationem ad Sententiam, debet citari Accusator, & sibi assignari terminus defensorius. Si ergo Patres Diffinitorii, lustratis actis pro, & contra Reum, concluserint illum esse innocentem, & Accusatorem calumniasse illum, Judex illi terminum defensorium assignet, & factum describatur, ut sequitur.*

Consequenter cum A. R. P. omnia Acta Processus offensivi, & defensivi communicasset, prout de iure Patribus Diffinitorii, & ipsi, mature perpensis omnibus, fuissent in voto, Accusationem datam contra Fr. N. Reum prætensum a Fr. N. esse calumniosam, & proinde Accusatorem ipsum, ad præscriptum Constitutionum, esse condemnandum ad pœnam talionis; decrevit, prout de jure, assignare sibi terminum competentem, ad dicendum, quare non debeat ad pœnam prædictam condemnari. Vocare ergo fecit coram se prædictum Fr. N. Accusatorem, & assignavit illi tres dies ad allegandum, quare teneri non debeat de calumnia. Qui prædictus Fr. N. Accusator petiit sibi concedi in Patronum P. F. N. Theologum, reservato sibi jure petendi congruas dilationes termini sibi assignati, juxta opportunitatem; quod totum A. R. P. benigne indulsit. Acta sunt hæc Anno . . . Mense . . . Die &c.

Ego F. N. Accusator,

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO.

IV. *Advertendum; quod cum Accusator in casu supradicto mutetur in Reum; Patronus ipsius debet præstare ea omnia, quæ diximus de Patrono Rei, & Iudex tenetur concedere illi omnia, quæ Reo conceduntur, puta communicationem Actorum, dilationes, examen Testium ad sui defensam, admissionem Articulorum &c. Porro defensiones factæ a Patrono suo debent communicari Patrono Rei prætensi, & iste debet respondere illis, sicut diximus de Advocato Fiscali, quando proceditur per Inquisitionem. Et horum actuum formas non damus, cum satis pateat ex supra dictis quomodo sint describendæ.*

V. Forma generalis tenenda in ferenda Sententia.

Suppositis iis, quæ sunt consideranda a Iudice, ante ferendam Sententiam, de quibus abunde locuti fuimus Par. I. Tit. Sententia, quæst. I. per totam quæstionem, *ad quam Lectorem remittimus, damus modo formam, quæ generaliter in omni Sententia potest observari; clausulas vero particulares, juxta casuum exigentiam, dabimus infra. Generalis ergo forma est, ut sequitur.*

In nomine Individuæ Sanctissimæ Trinitatis, ac Beatissimæ Virg. Mariæ. Amen. Christi Iesu Sacrosancto nomine invocato. Nos Fr. N. Provinciæ N. Minister Provincialis, ac Judex Ordinarius, visis, ac diligenter consideratis omnibus, & singulis in Causa, & Causis coram Nobis actitatis de, & super &c. *Et hic apponatur titulus Delicti, super quo fuit factus processus.* De quo Fr. N. fuit diffamatus, *sive* denunciatus, *sive* accusatus; & mature consideratis Testium depositionibus contra prædictum Fr. N. super memorato crimine, ipsoque citato, & interrogato, & sufficienter audito in omnibus suis defensionibus, habitoque super hoc RR. PP. nostri Diffinitorij consilio, & assensu, Deum solum omnis justitiæ fontem, cujus locum tenemus, præ oculis habentes, ut de illius vultu nostrum judicium prodeat.

Christi Jesu Salvatoris nostri nomine repetito, & invocato, per hanc nostram diffinitivam Sententiam, quam in his scriptis ferimus, dicimus &c.

ADNOTATIO.

VI. *Advertendum, quod, ut ex Textu* Tit. Sententia §. 3. *probavimus, in Sententiis debet exprimi non solummodo delictum, sed etiam omnes aliæ circumstantiæ propter quas pæna ordinaria debet augeri,*

aut

aut minui; & ex eodem principio, si Sententia erit absolutoria, poni debet, quod Sententiatus vel nullatenus commisit delictum; vel non est inventus culpabilis, nec de jure punibilis de delicto; vel non est probatus culpabilis, aut punibilis, juxta diversos gradus Sententiæ absolutoriæ, de quibus diximus Par. I. Tit. Sententia num. 44. & seqq.

VII. Forma Sententiæ absolutoriæ in casu delicti non commissi.

In nomine Individuæ &c. *ut supra num.* V. Dicimus Fr. N. nullo modo commisisse delictum prædictum, de quo fuit inculpatus, & proinde ipsum tanquam innocentem ab omni observatione iudicii absolvimus. Ita hoc, & omni meliori modo &c. lata, lecta, & publicata fuit die &c. in Conventu &c. coram infrascriptis &c.

Ita pronunciavimus Nos qui supra pro Tribunali sedentes.

Fr. N. Minister Provincialis.
Ego F. N. Custos.
Ego F. N. Diffinitor.
Ego F. N. Diffinitor.
Ego F. N. Diffinitor.
Ego F. N. Diffinitor.
Ego N. Actuarius.

Eodem die A. R. P. Minister supradictus pronunciavit, prout in schedula tenoris suprascripti; & post vocalem eiusdem pronunciationem, dedit mihi in mandatis, ut eam redigerem in Actis, & unum vel plura, iuxta occasiones, conficerem instrumenta. Præsentibus PP. FF. N. N. Testibus ad præmissa specialiter rogatis, & adhibitis, & in fidem &c.

Ita est Fr. N. Minister Provincialis,
Ego Fr. N. sui præsens,
Ego Fr. N. sui Testis,
Fr. N. Actuarius.

VIII. Forma Sententiæ absolutoriæ pro Reo non invento culpabili, ubi indicia non fuerunt sufficentia ad Torturam.

In nomine Individuæ &c. *ut supra num. V.* Dicimus Fr. N. non fuisse repertum culpabilem, nec de iure punibilem, & proinde ipsum absolvimus ab observatione iudicii, ac quavis ulteriori instantia, & Causæ huic perpetuum silentium imponimus. Ita hoc, & omni meliori modo &c. lata, lecta, & publicata fuit die &c. loco &c. Ita pronunciamus &c. *ut supra num. VII.*

IX. Forma Sententiæ absolutoriæ quando Reus sufficienter purgavit indicia per Torturam.

In nomine Individuæ &c. *ut supra num. V.* Dicimus Fr. N. non fuisse probatum culpabilem, & ex consequenti de iure non esse punibilem, cum indicia contra ipsum relevantia, per Torturam convenienter adhibitam, complete purgaverit. Quapropter, rebus sic stantibus, ac novis non supervenientibus indiciis, ipsum, pro nunc, absolvimus ab observatione judicii. Ita hoc, & omni alio meliori modo &c. lata, lecta, & publicata fuit Die ... &c. loco &c.

Ita pronunciavimus &c. *ut supra num. VII.*

X. Forma Sententiæ absolutoriæ Rei, & Accusatoris.

In nomine Individuæ &c. *ut supra num. V.* Dicimus prædictum Fr. N. accusatum de supramemorato crimine nullo modo commisisse tale crimen; *sive* non fuisse repertum culpabilem; *sive* non fuisse probatum culpabilem. *Clausulæ supradictæ variari debent juxta casus: si enim Accusatus plene probet suam innocentiam, debet poni prima clausula; si destruxit indicia, ita ut non fuerint sufficientia ad Torturam, utendum est secunda; si vera purgavit indicia per Torturam, ponatur tertia clausula.* Proinde ipsum tanquam innocentem absolvimus ab observatione judicij; *sive* tanquam non repertum culpabilem, vel de jure punibilem absolvimus, & huic Causæ perpetuum silentium imponimus; *sive* rebus sic stantibus, & novis non supervenientibus indiciis absolvimus pro nunc ab observatione judicii. *Dicimus* pariter Fr. N. Accusatorem probasse concludenter, se non malo dolo, nec animo calumniandi prædictum Fratrem N. accusasse, cum de tali crimine esset publicam vocem, & famam, constare fecerit. *Sive exprimatur alia aliqua causa ex illis, ob quas Accusator non probans liberatur a pœna talionis, prout diximus Tit. Sententia num.* 9. Proindeetiam ipsum absolvimus ab omni observatione judicii; Ita hoc & omni alio meliori modo dicimus, & pronunciamus &c. lata, lecta, & publicata fuit Die ... &c. loco &c.

Ita pronunciavimus &c. *ut sup. num. VII.*

XI. Forma Sententiæ absolutoriæ Rei, & condemnatoriæ Accusatoris.

In nomine Individuæ &c. *ut supra num. X. & prosequatur usque ad illa verba* Dicimus pariter, *& subsequatur.*

Dicimus pariter Fratrem N. Accusatorem non probasse ullo modo, se non accusasse malo dolo, aut non ex animo calumniandi; imo probatum remanere, ex mera malitia, & ex animo nocendi prædictum Fratrem N. accusasse de delicto, quod ipse Accusator sciebat falsum esse. Proinde ipsum condemnamus ad pœnam talionis juxta Statuta. Et quia pariter constat, quod prædictus Fr. N. alias similiter calumniose accusavit alium Fratrem, pœnam prædictam talionis dicimus, esse augendam, & sic condemnamus eum in pœnam &c. *Et hic exprimi debet pœna, quæ juxta Statuta debita fuisset Accusato, si crimen plene fuisset probatum; & insuper augmentum talis pœnæ statutariæ, appositum ex causa consuetudinis in calumniando. Si vero in casu interveniat aliqua causa, ob quam pœna ordinaria sit temperanda, juxta dicta* Par. p. Titul. Patronus n. 83. pag. 448. & seqq. & num. 106. pag. 451. & seqq. *dicatur.* Et quia pariter Nobis constat, quod &c. *Et hic exprimatur causa diminutionis pœnæ.* Ideo de prædicta pœna talionis statutaria aliquid minuendum esse dicimus; & sic prædictum Fratrem Accusatorem condemnamus in pœnam &c. *Et hic exprimatur pœna.* Reservantes tamen Nobis Ministro Provinciali, de consilio, & assensu Diffinitorii nostri, jus, & arbitrium durationem talis pœnæ abbreviandi, prout cognoverimus in Domino salubriter expedire. Ita hoc & omni alio meliori modo dicimus, & pronunciamus &c. lata, lecta, fuit Die.... loco &c.

Ita pronunciavimus &c. *ut supra numero VII.*

XII. For-

XII. Forma Sententiæ condemnatoriæ contra Convictum plene per Testes.

In nomine Individuæ &c. *ut supra numero V.*

Dicimus Fratrem N. per Testes integros plene remanere convictum, quod nempe &c. *Et hic apponatur delictum cum omnibus suis qualitatibus, & circumstantiis.* Quapropter condemnamus ipsum in pœnas latas in nostris Constitutionibus; puta &c. *Et hic exprimatur per extensum pœna statutaria per Reum subeunda.* Ita hoc, & omni alio meliori modo, & forma dicimus, & pronunciamus &c. lata, lecta, & publicata fuit Die ... &c. loco &c.

Ita pronunciavimus &c. *ut supra numero VII.*

XIII. Forma Sententiæ condemnatoriæ, quando Reus est confessus Delictum.

In nomine Individuæ &c. *ut supra numero V.*

Dicimus, pronunciamus, & declaramus Fratrem N. commisisse &c. *ponatur hic per extensum delictum cum omnibus suis qualitatibus.* Prout ipse ore proprio, & spontanea voluntate confessus est. Proinde condemnamus ipsum ad pœnam tali delicto debitam juxta Ordinis Constitutiones, puta &c. *Et hic describatur pœna in Statutis taxata.* Ita hoc, & omni alio meliori modo, & forma dicimus, & pronunciamus &c. lata, lecta, & publicata fuit Die .... loco ... &c.

Ita pronunciavimus &c. *ut supra numero VII.*

ADNOTATIO

XIV. *Advertendum, quod formæ Sententiæ condemnatoriæ datæ* num. XI. & XII. *quadrant, & servandæ sunt, quod Reus commisit præcise delictum in suo genere perfectum; & nulla in casu interveniat qualitas, aut ex parte Delinquentis, aut ex parte delicti, propter quam augeri, aut minui debeat pœna Statuto taxata. Tali enim casu Judex, qui non est Princeps, tenetur pœnam præcisam a lege sancitam infligere, nec potest aliam aut ultra, aut citra, taxatam per Constitutiones, dare. Casu ergo, quod, ut frequentius accidit, interveniat aliqua circumstantia ex parte Rei, aut criminis, per quam pœna augenda, vel minuenda sit, adhiberi debet forma seq.*

XV. Forma Sententiæ condemnatoriæ, quando ob aliquam circumstantiam ordinaria pœna debet augeri, aut minui.

In nomine Individuæ &c. *ut supra numero V.*

Dicimus, pronunciamus, & declaramus Fr. N. esse convictum, *sive* confessum, *sive* convictum, & confessum de crimine, ob quod fuit processatus, nempe, quod &c. *Et hic describatur crimen &c.* proinde incidisse in pœnas latas in Nostris Constitutionibus contra hujusmodi delinquentes. Quia vero solitus est delinquere in hac specie delicti, de qua alias fuit pœnitentiatus; *sive exprimatur aliqua alia ex illis causis, ob quas ordinaria pœna meretur augeri, ut diximus* Tit. Sententia. num. 21. pag. 474. ideo statutariam pœnam sibi esse augendam declaramus. Proinde condemnamus illum ad pœnam &c. *Et hic describatur tenor pœnæ subeundæ &c. Si vero circumstantia meretur diminutionem, dicatur.* Quia vero sponte confessus est, & remisit se pietati Patrum Diffinitorii, & suis Defensionibus renunciavit, *sive alia causa diminutiva pœnæ apponatur &c.* ideo temperandum eum illo aliqualiter pœnæ statutariæ rigorem declaramus. Proinde condemnamus eum in pœnam &c. *Et hic pœna describatur. Reservantes* Nobis Ministro Provinciali, cum assensu, & consilio Diffinitorii Nostri jus, & arbitrium talis pœnæ diuturnitatem moderandi, prout judicaverimus pro tempore salubriter in Domino expedire. Ita hoc, & omni meliori modo &c. lata, lecta, & publicata fuit Die .... loco .... &c.

Ita pronunciavimus &c. *ut supra numero VII.*

XVI. Forma Sententiæ condemnatoriæ ad pœnam extraordinariam, delicto non plene probato.

Diximus Par. p. Tit. Tortura Quæst. 6. num. 128. Pag. 627. & inde *quod arbitrarium est Judici Reum non convictum, aut confessum torquere, vel in pœnam extraordinariam condemnare; pariter si crimen plene probatum non sit; aut non fuerit perfecte consummatum; aut si Reus tortus quidem est, non tamen juxta valorem indiciorum; & etiam in pluribus aliis casibus, de quibus in priori parte passim locuti sumus, debet Reus ad pœnam extraordinariam condemnari.*

Tali ergo casu Sententia condemnatoria debet esse ut sequitur.

In nomine Individuæ &c. *ut supra numero V.*

Dicimus, & declaramus Fratrem N. licet non confessum, nec plene convictum, nihilominus gravissime esse indiciatum, & repertum culpabilem de &c. & hic exscribatur crimen, juxta indicia, & probationes in processu existentes &c. proinde esse vere de jure punibilem, & aliquam pœnam, nostro arbitrio subeundam, sibi esse infligendam. Quapropter condemnamus illum in pœnam &c. & hic pœna describatur. Reservantes Nobis Ministro &c. *ut supra num. XV.*

XVII. Forma Sententiæ ferendæ in Processu per viam Exceptionis.

In nomine Individuæ &c. *ut supra num. V.*

Dicimus probatum concludenter remanere a P. Fr. N. Exceptore impedimentum canonicum, propter quod institit; P. Fratrem N. repelli debere ab electione, *sive* a confirmatione in Officio Provincialis, *sive* Diffinitoris, *sive* Guardiani, nempe quod dictus P. Fr. N. contra quem proposita fuit Exceptio commisit &c. & hic exprimatur factum probatum, ad quod sequitur ineligibilitas ad Officia Ordinis; ob quod ad legum nostrarum præscriptum ipse P. Fr. N. redditur ineligibilis ad Prælaturas Ordinis; propterea declaramus non posse eligi ad Officia Provincialatus &c. & si eligatur; electionem esse ipso jure nullam; & sic Eligentes privari, pro hac vice, jure eligendi, ipso facto, debere, ad Sacrorum Canonum præscriptum, pronunciamus. Ita hoc, & omni alio meliori modo &c. lata, lecta, & publicata fuit Die ... loco &c.

Ita pronunciavimus &c. *ut supra numero VII.*

Si autem non probata remanet causa Exceptionis nec plene, nec semiplene, & Exceptio proposita est criminaliter juxta ea, quæ diximus Par. p. Tit. Exceptio §. 2. num. 6. pag. 288. & seqq. *pronunciari debet Sententia, & ut sequitur.*

Dicimus nullo modo nec plene, nec semiplene probatum remanere, P. Fr. N. commisisse delictum, ratione cujus fuit proposita Exceptio; nempe quod &c.

&c. *Et hic exprimatur delictum propositum ab Exceptore, contra Exceptum*. Quapropter dicimus, & declaramus prædictum P. Fr. N. nullo impedimento canonico detineri, quominus eligi possit, *sive* confirmari debeat, in Officio Provincialis &c. Dicimus pariter P. Fr. N. Exceptorem, quia exceptivam causam non probavit, ut de iure tenebatur, ad normam nostrarum Constitutionum, pœnæ Nobis arbitrariæ esse subiiciendum. Quapropter eum condemnamus ad pœnam &c. *Et hic exprimatur pœna infligenda*. Ita hoc & omni alio meliori modo &c. lata, lecta, & publicata fuit Die ... loco &c.

Ita pronunciavimus &c. *ut supra numero VII.*

Si autem probavit quidem Exceptor semiplene, sed Exceptus probationem in suis defensionibus evacuavit; & per hoc neque Exceptor sit puniendus, (sicut, nec punitur Accusator semiplene probans) debet Sententia formari, ut sequitur.

Dicimus nullo modo &c. *ut paulo supra*. Dicimus Pariter P. N. Exceptorem, quantum est ex se, semiplene probasse causam Exceptionis, quamvis ipsius probatio contrariis defensionibus fuerit expugnata. Proinde judicamus, & sententiamus, præfatum P. Fr. N. Exceptorem nulli pœnæ esse obnoxium, & a quacunque observatione judicii, ex hac causa, esse absolvendum, quemadmodum ipsum ut præfertur, absolutum sententiamus. Ita hoc & omni alio meliori modo &c. lata, lecta, & publicata fuit Die .... &c. loco &c.

Ita pronunciavimus &c. ut supra numero VII.

Si autem Exceptio fuerit proposita civiliter, & non probata, & proinde debeat Exceptus absolvi, nulla facienda est mentio de Exceptore non probante, eo quia nullam pœnam ex hoc subire deberet.

Sententia autem ferenda a Judice in casu Exceptionis contra Testes, Notarium, Peritum, & alios contra quos potest excepi, vel qui possunt recusari, interlocutoria est, & fertur ad modum Decreti, quo Judex decernit, constare, vel non, de causa asserta Exceptionis.

XVIII. Forma Sententiæ ferendæ ab Arbitris in casu Recusationis Iudicis.

Antequam feratur ab Arbitris Sententia super validitate Recusationis factæ a Reo, debet Judex audiri, ut probavimus. Par. p. Tit. Canones num. 122. pag. 108. *Et admitti ad opponendum contra probationes adductas a Recusante. Postquam igitur Arbitri examinaverint Testes, & alia instrumenta a Recusante producta, antequam Sententiam ferant, debent monere Judicem recusatum, ut si velit aliquid opponere contra Recusantem, ut repellatur a Recusatione, illud proponat. Potest autem factum describi, ut sequitur*

Consequenter R. R. P. P. Arbitri, qui supra; æquum esse censentes, audire, etiam A. R. P. Provincialem, ut si quid haberet opponendum contra probationes a prædicto Fr. N. Recusante factas, illud posset proponere, ordinarunt mihi Actuario, ut Acta, coram memoratis Arbitris hujusque gesta, ad memoratum P. Provincialem deferrem, & copiam illi facerem ea lustrandi; & nomine ipsorum Arbitrorum eidem significarem, quod si vellet contra probata per Recusantem aliquid adducere, quantocitius illud dignaretur producere, ut Causa posset breviter expediri. Quo mandato per Me expleto, & visis Actis, & accurate perlectis ab eodem A. R. P. Provinciali gratias egit. Acta sunt hæc Die .... Mense .... Anno .... &c. In Conventu &c.

Ego Fr. N. Actuarius.

Si visis actis Provincialis nihil volet opponere, & hoc significabit Actuario immediate post illorum lecturam, poterit iste suprascriptæ descriptioni addere Gratias egit, & dixit, nihil sibi occurrere opponendum contra Recusantem. *Et poterunt ad Sententiam Arbitri procedere. Si autem dixerit se responsurum, debet Provincialis scripto mandare contrarias rationes, quas habebit, & accito Actuario, eas illi tradere Arbitris præsentandas, & describi factum, ut sequitur*

Anno .... Mense .... Die .... &c. A. R. P. Provincialis vocare in cameram suam fecit Me infrascriptum, & mihi consignavit scripturam, in qua continentur oppositiones, quas ipse facit contra adducta a Fr. N. Recusante &c. & mihi jussit, ut P. P. Arbitris illam præsentarem; quod cum perfecissem prædicti P. P. Arbitri mandarunt mihi, ut eam inter Acta insererem, quod præstiti, signando eam littera &c. *vel* numero &c. & incipit &c. & desinit &c *& ponatur tenor*. In quorum &c.

ADNOTATIO

XIX. *Advertendum, quod si Provincialis in oppositione contra Recusantem proponat Articulum facti, ad cujus probationem assignet Testes, debent Arbitri illos citare, & examinare eo modo, & forma, quo examinantur Testes producti a Recusante, quæ cum sit data supra* Sectio IV. num. XL. *eam non ducimus hic esse superflue repetendam. Illis examinatis, & cæteris discussis fertur Sententia, ut sequitur.*

In nomine individuæ Sanctissimæ Trinitatis, ac Beatissimæ V. Mariæ. Jesu Christi Salvatoris sacrosancto nomine invocato, Nos Fr. Fr. N. & N. Arbitri juris electi, & respective a Partibus destinati ad sententiandum in Causa Recusationis in Judicem factam a Fr. N. Reo prætenso de persona A. R. P. N. Ministri Provincialis, examinatis Testibus, & probationibus hinc inde productis, & pluries auditis Partibus, pro, & contra informantibus, pleneque discussis Causæ meritis, Deum solum omnis justitiæ fontem præ oculis habentes.

Christi Jesu nomine repetito dicimus nullo modo nec plene, nec semiplene constare de causa assertæ Recusationis, puta, quod &c. *Et hic exprimatur causa, vel causæ adductæ pro fundamento legitimo Recusationis*. Proinde sententiamus prædictam Recusationem nullius esse valoris, & per eam nullo modo impediri auctoritatem ordinariam ejusmodi A. R. P., quominus Causam contra prædictum Fr. N. Recusantem incœptam, *sive* incipiendam prosequatur. *Ita* pronunciavimus Nos qui supra hac Die ... &c.

Ego N. Arbiter.
Ego N. Arbiter.
Ego N. Actuarius.

Si vero causa Recusationis fuerit probata, saltem semiplene, dici debet.

In nomine individuæ &c. *ut supra*.

Christi Jesu nomine repetito dicimus sufficienter constare de causa assertæ Recusationis, puta &c. Proinde sententiamus, prædictam Recusationem, utpote legitimam in jure, & facto sustineri; dicimusque prædictum A. R. P. Provincialem debere abstinere a

pro-

prosecutione, *sive* inceptione Causæ contra R. F.N. Recusantem; sed teneri eam ad Superiores reijcere, sive alium Judicem non suspectum, de consensu ejusdem P. Fr. N. Recusantis, ad Causam memoratam delegare. Ita pronunciavimus &c.

XX. Forma Sententiæ condemnatoriæ in casu Notorii.

In nomine individuæ Trinitatis &c. *ut supra n. V.*

Dicimus Notorium esse, quod Fr. N. est repertus culpabilis, & de jure punibilis, eo quia notorie commisit &c. *Et hic exprimatur delictum cum omnibus suis circumstantiis*. Quapropter ipsum esse ex hac causa in pœnam statutariam condemnandum judicamus. Quia vero solitus est in hoc crimine delinquere, cum de eo alias fuerit pœnitentiatus &c. Ideo ordinariam pœnam sibi augendam esse pronunciavimus. *sive* Quia vero ex animo indeliberato, fervore iracundiæ, & provocatus deliquit; ideo de poena ordinaria aliquid sibi esse minuendum judicamus. Quapropter illum condemnamus in pœnam &c. *Et hic exprimatur pæna, quæ, ut alias diximus, debet esse pure Statutaria, si crimen simpliciter commissum est; augeri autem, vel minui, juxta circumstantias, quæ occurrent in facto, sive in persona Delinquentis, & debent in Sententia exprimi*. Ita hæc, & omni alio meliori modo &c. lata, lecta, & publicata fuit Die . . . &c. loco &c.

Ita pronunciavimus &c. *ut sup. VII.*

XXI. Forma Sententiæ condemnatoriæ Rei convicti reperti in fragranti, sive sit confessus sive non.

In nomine individuæ &c. *ut supra numera V.*

Dicimus Fr. N. Reum repertum fuisse in fragranti delicto, puta &c. *Et hic describatur delictum, cum omnibus circumstantiis*; Proinde esse de jure punibilem ad formam Statutorum. Quapropter ipsum condemnamus ad pœnam &c. *Et exprimatur pæna; quæ si ultra statutariam debet augeri, vel minui, fiat, ut supra dictum est de Notorio num. XX.*

Ita pronunciavimus &c. *ut supra numero VII.*

XXII. Forma Sententiæ condemnatoriæ contra Reum contumacem, & absentem.

Ante quam feratur Sententia contra Reum fugitivum contumacem, & absentem, debet accusari contumacia, & denuo citari ad Sententiam audiendam; & quia citationes, quæ fiunt post affixionem Monitorii, (*quod dedimus* supra Sectio V. num. XI.) *& lapsum termini in eo assignati, sunt solemnitates juris, ad quas Regulares non tenentur, ideo omittuntur, sed accusatur contumacia, & fit citatio ad Sententiam, prout sequitur.*

Cum elapsi essent Dies assignati in Monitorio contra Fr. N. Reum affixo, & publicato, prout supra, in actis; & ad abundantem per alios octo dies A.R.P. Minister expectasset, nec unquam prædictus Fr. N. Reus comparuisset; declaravit idem A. R. P. memoratum Fr. N. incidisse in contumaciam, & tanquam contumacem contra eundem ad ulteriora procedere, decrevit. Quapropter ipsum citari per publicum Libellum, prout de jure, ordinavit; mandavitque formari, & publicari necessarium Libellum citationis. Acta sunt hæc Die . . .

Ego N. Minister.

Ego N. Actuarius.

Harum serie, citatur Fr. N. ex adverso Principalis, ut compareat coram Nobis in Conventu N., in camera nostra, in qua Tribunal creximus Die . . &c. Mensis . . . & Anni . . . . &c. ad videndum concludi in Causa contra ipsum actitata, & ad audiendum declarari se incidisse in pœnas in Monitorio contra eum in Actis registrato, & fulminato, contentas, & ad relaxandum, propter horum executionem, opportunum mandatum. Dat. Die . . . &c. loco &c.

Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

Die, & loco supradicto Fr. N. Socius A.R.P. Ministri, medio juramento, retulit mihi infrascripto, se, coram Testibus N. & N., affixisse duas copias supradictæ citationis authenticas ad valvas Refectorii, & ad parietem publici Dormitorii prope lampadem, ut omnibus paterent.

Ego N. Laicus.
Ego N. Testis.
Ego N. Testis.
Ego N. Actuarius.

In termino vero citationis Sententia ferenda est, ut sequitur.

In nomine Individuæ &c. *ut supra nu. V.* Visis, & diligenter consideratis omnibus, & singulis indiciis, & probationibus, coram Nobis factis, in processu fabricato contra Fr. N. diffamatum, *sive* denunciatum, *sive* accusatum de crimine, de quo in Actis. Considerato insuper, quod patrato delicto ipse Reus fugam arripuerit, & licet citatus a Nobis in debita forma, per nostrum Monitorium legitime publicatum, & sub poenis in eo contentis, non comparuerit in termino non solum ibi præfixo, sed etiam ad octiduum post dilato. Considerato pariter, quod delictum delicto accumulans, fugit a Religione, Apostata, ob quod fuit publice, & in forma consueta declaratus excommunicatus; Visis tandem omnibus videndis, ac consideratis, & insuper habito super his consilio, & assensu Dissinitorii nostri, Deum solum præ oculis habentes, ut de illius vultu nostrum iudicium prodeat.

Christi Iesu Salvatoris nomine repetito, per hanc nostram diffinitivam Sententiam, quam in his scriptis ferimus; dicimus, declaramus, & sententiamus Fratrem N. esse Reum &c. *Et hic exprimatur delictum &c.* de quo delicto sufficienter indiciatus in Actis, per ipsius fugam, & contumaciam censendus est confessus. Dicimus insuper ipsum in crimen Apostasiæ gravissimæ incidisse, & de his duobus delictis esse vere, ac realiter culpabilem, & de inre punibilem, & pœnas in citato Monitorio sibi comminatas incurrisse declaramus, & sententiamus. Quapropter commensurando poenas delictis, condemnamus ipsum in pœnam &c. *Et hic apponatur pæna criminibus proportionata*. Decernentes pœnam prædictam illum afficere post lapsum trium dierum a publicatione præsentis Sententię numerandorum, nisi intra ipsos comparuerit. Quibus elapsis, si in fortiis Religionis devenerit, & nullam legitimam can-

causam suæ absentiæ addaxerit, pœnam supradictam subire cogatur; cuius temperationem Nobis Ministro Provinciali, de Diffinitorii nostri consilio, & assensu reservamus. Ita hoc, & omni meliori modo &c. lata, lecta, & publicata fuit die &c.

Ita pronunciavimus &c, *ut supra num. VII.*

XXIII. Forma Sententiæ condemnatoriæ Rei, qui petijt, & obtinuit compositionem.

Nos Fr. N. Minister Provincialis &c. Attenta supplicatione nobis exhibita sub die &c, prout in Actis, per Fr. N. prætensum Reum in Causa, & Causis, de quibus supra in processu; ipsaque communicata Patribus Diffinitorii nostri, auditoque eorum consilio, & habito assensu; Vt Religionis, & ipsiusmet Supplicantis, quantum in Domino possumus, quieti, paci, bonoque prospiciamus, aliisque rationabilibus de causis eidem Diffinitorio nostro manifestatis, & approbatis, animum nostrum moventibus; prædicti Fr. N. supplicationibus inclinati, virtute præsentis Decreti, Compositionem quam per supradictam supplicationem dictus Fr. N. ex se, sponte, & in scriptis cum regulari nostra Curia expostulat, & offert, admittimus, & acceptamus. Ea tamen lege, ut &c. *Et hic exprimatur pœna, quæ decreta fuerit per Diffinitorium*, Et ita Causæ prædictæ finem imponimus, & perpetuum silentium indicimus; itaut super præmissis amplius non debeat, vel valeat molestari. Sic dicimus, acceptamus, & decernimus, & omni alio meliori modo. Dat. &c.

Subscribant Diffinitores &c.

Ita est Ego N. Provincialis &c.

Ego Fr. N. libere, ac sponte assentior supradictæ Compositioni, & accepto supradictum Decretum cum gratiarum actione. Et in fide manu mea subscribo.

Ego Fr. N. accepto ut supra.

Ego Fr. N. fui præsens.

Ego Fr. N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

SECTIO NONA.

In qua dantur Formæ Appellationis, & aliorum actuum post Sententiam.

I. *Diximus de Appellatione plura* Par. p. Tit. Canones num. 26. pag. 65. & seqq. *& qui vult ea videre, locum citatum consulat. Quo vero ad Formulas, juxta quas fieri debeat Appellatio, non magna est varietas; sed ad duas tantum reducuntur; puta ad Formulam Appellationis a Sententia interlocutoria, sive Decreto Iudicis, & appellandi a Diffinitiva, seu Sententia finali, & de his duabus damus hic Formulas necessarias.*

II. Forma Appellandi a Sententia interlocutoria.

Potest contingere multipliciter casus appellandi a Sententia interlocutoria; puta, quando Iudex pronunciavit de notorietate Delicti, ut diximus Par. p. Tit. Canones num. 60. pag. 79. *Et quando Reus appellat a Decreto Torturæ, ut habetur* Tit. Tortura num. 94. pag. 371. *Et a denegata exclusione Diffinitoris recusati, ut suspecti, a Diffinitorio; ut scripsimus*, Tit. Patronus num. 180. *pag.* 466. *Et a denegata admissione Articuli interrogatorii, seu defensorii, sive recusationis Iudicis sub prætextu, quod causa Recusationis sit frivola; & pluribus aliis casibus, de quibus in prima parte passim dictum fuit. Forma ergo universaliter servanda in omnibus prædictis, & similibus casibus incidentibus in Causa, est ut sequitur.*

Comparet coram A. R. P. N. Ministro Provinciali, *sive* Commissario Delegato, Frater N. & dicit, se esse gravatum per eundem A. R. P. in Decreto contra se facto, puta, quod constet de Notorietate criminis, de quo ipse Comparens imputatus fuit; *sive* Quod prædictus Comparens debeat subiici Torturæ; *sive* Quod non constet de causa legitima, ob quam excludi debeat a Diffinitorio P. N. Diffinitor a se recusatus; *sive* Quod non sit admittendus Articulus a se, & a Patrono suo propositus; *sive* Quod reiicienda sit Recusatio de ipso A. R. P. ut Iudice tanquam frivola. *Aut exprimatur tenor Decreti a Iudice facti, quo Reus se gravatum sentiat iuxta casuum exigentiam.* Qu ia &c. *& hic debet assignari causa gravaminis*, puta, quia Testes, per quos probata est Notorietas, sunt eius Inimici, periuri, inhabiles &c. *sive*, quia rationes adductæ a suo Patrono, ut non torqueatur, sunt validæ, & subsistentes: *sive* quia constat de legitima causa exclusionis a Diffinitorio &c. *& subsequatur.*

Ideo cum omni humilitate & reverentia, non animo protelandi iudicium, sed se eximendi a gravamine, appellat super prædicto Decreto, & vult, & instat, ipsum rescindi, aliter provocat ad Superiorem Generalem, Eminentissimum Protectorem, & ad Apostolicam Sedem; & petit sibi responderi de appostolis instanter, instantius, & instantissime. Dat. &c

Ego Fr. N. appello, ut supra.

Præsentata, & ad mandatum A. R. P. Ministri in Actis recepta, & non admissa, nisi prout erit de iure, fuit supradicta appellatio hac Die... &c. Anni.. &c. in loco &c.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO I.

III *Advertendum, quod suprascriptum Decretum fertur casu, quo Iudex velit deserere appellationi, & dimittere Appellantem ad Superiorem. Sed si velit illam, tanquam frivolam, reiicere debet subiungi, ut sequitur.*

Considerata ab A. R. P. causa Appellationis producta a supradicto Recusante, invenit eam in iure, & facto insubsistentem, proinde eam reiecit tanquam fri-

frivolam, & nullius valoris, & decrevit, ea non obstante, ad ulteriora procedere. Quod Decretum cum fuisset per me intimatum Parti, illi acquievit. Dat. &c

Ego N. Actuarius.

Si vero Recusans tali Decreto, non acquiescat, & denuo appellet, scribi debet.

Quod Decretum cum fuisset per Me intimatum Parti, denuo a præsenti Decreto appellavit; & denuo institit prædictam Appellationem admitti, & iterum, atque iterum petiit apostolos instanter, instantius, & instantissime. Dat. &c.

Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO II.

IV. *Advertendum, quod bonum est Appellationem supradictam proponere coram Judice: tamen, si fiat coram Actuario Causæ sufficit. Quia vero posset sive Judex, sive Actuarius illam dissimulare, & inter Acta processualia non recipere, optimum est, quod si reus dubitat de integritate Judicis, sive Actuarii; aut si non potest haberi præsentia Judicis; vel si timetur; vel si absens est, optimum inquam est, vel adhibere Testes, quando præsentatur Appellatio, qui subscribant, & fidem faciant de tali præsentatione, sicut diximus de præsentatione Libelli recusatorii Judicis,* Sectione P. num. XVII., *vel proponere Appellationem coram honestis Viris, prout adnotavimus* ibid. num. XIX. *vel eam facere per edictum, ut diximus de Recusatione* loc. cit. num. XXI. *Ne ergo Lector, non multum versatus hæreat in facti contingentia, circa modum; Formulas sequentes damus.*

V. Forma Appellationis ab interlocutoria coram honestis Viris.

Cum gravatum Me sentiam ex Decreto facto ab A. R. P. Ministro Provinciali, quo decrevit, non constare de inimicitia inter Me, & R. P. N. Diffinitorem a Me Recusatum, ne admitteretur cum aliis ad sententiandum in causa contra Me; *sive* decrevit Me subjicere Torturæ Artationis; *sive &c. & debet exprimi tenor Decreti, super quo appellatur.* Ex eo quod rationes pro parte mea adductæ, plene, & ad abundantem probent contrarium, imo destruant opposita fundamenta; Cumque ob timorem reverentialem; *sive* ob absentiam ipsius A. R. P. Ministri, nequeam ipsum præsentaliter adire; cogor R. R. P. P. N. & N. coram Vobis, tanquam coram spectabilibus, & honestis Religiosis, Appellationem meam proponere. *Ipsam* ergo coram Vobis produco hic manu mea exaratam, & a Testibus præsentibus subsignatam, rogoque Vos, (ultra obligationem ad quam de jure tenemini,) ut eam præfato A. R. P. Provinciali judicialiter præsentetis, & recipi ab ipso inter acta curetis.

Comparet coram A. R. P. Ministro &c. *ut sup. n. II.*

Præsentata fuit suprascripta Appellatio R. R. Patribus N. & N. Die . . . Mense . . . Anno . . . loco &c.

Ego N. Appello, & peto ut supra.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui præsens.

VI. Forma appellandi ab interlocutoria per modum Edicti.

Ex quibus causis proponi possit recusatio per modum Edicti, ut diximus Sectio. p. num. XXI. *potest similiter proponi Appellatio, quæ fiet, ut sequitur.*

Notum sit pateatque omnibus præsentes inspecturis, quod cum in Causa, quæ contra Me agitatur, coram A. R. P. Ministro Provinciali, ipsemet A. R. P. decreverit Me esse Artationi subiiciendum, *sive &c. & hic exprimatur tenor Decreti, super quo interponenda erit Appellatio juxta casuum exigentiam.* Tali Decreto Me intolerabiliter gravatum sentio. Quapropter cogor ad evadendum gravamen, & non alias, nec aliter, beneficio Appellationis uti, reservata tamen in cæteris erga eundemmet A. R. P. debita reverentia. Quia vero timore reverentiali impeditus, ejus præsentiam adire non audeo; nec mihi licuit reperire occasionem opportunam virorum Religiosorum, coram quibus, tanquam coram honestis Viris, Appellationem infrascriptam publicarem, ut indemnitati meæ consulerem, coactus sum Appellationem infrascriptam publicare per affixionem ad valvas Refectorii, & ad parietem Dormitorii, tanquam locis cuivis patentibus, ut ejusdem Appellationis notitia ad aures prædicti A. R. P. perveniat, sicque affixa, & publicata ita valeat, ac si coram ipso, & ad ejus Tribunal producta fuisset.

Comparet coram A. R. P. Ministro *ut supra, n. II.*

Publicata fuit suprascripta appellatio per affixionem ad valvas Refectorii, & ad parietem Dormitorii prope lampadem in Conventu N. *Die* . . . Mense . . . Anno . . . &c.

Ego N. Appello, & peto, ut sup.

VII. Forma appellationis a Sententia Diffinitiva.

In Appellatione a Sententia Diffinitiva nulla necessario, de jure communi, assignanda est causa Appellationis, sed sufficit simpliciter appellare, & apostolos petere. Unde illi Religiosi tantum, qui in suis Constitutionibus prohibentur appellare, prout sunt Prædicatores, tenentur in Appellatione a Diffinitiva causam exprimere, ut appellatio subsistat, prout docet Passerinus Prax. cap. 10. num. 218. *Nos autem, qui circa hoc jure Canonico communi utimur, ad expressionem talis causæ non tenemur. Unde prolata Sententia, si Reus dicit, Appello, & peto apostolos, Actuarius debet Appellationem registrare, ut sequitur.*

Cum lecta, & intimata fuisset, ut præfertur, præfata Sententia prædicto Fr. N. Reo, ipse appellavit, & apostolos petiit; cui A. R. P. respondit se præstiturum ea, quæ de jure esse, judicabit. Acta sunt hæc Die . . . &c.

Ego Fr. N. appello, & peto Apostolos.

Ego N. Actuarius.

Quia vero, prout diximus Par. p. Tit. Canones num. 32. p. 68. & Tit. Sententia num. 40. pag. 478. *Potest Appellatio interponi intra decem dies post intimationem Sententiæ; casu quo Reus non appellet immediate post Sententiam latam, sed post aliquos dies (intra terminum tamen assignatum,) potest Actuarius Appellationem excipere, prout sequitur.*

Anno ... Mense ... Die ... loco &c. comparuit coram A. R. P. Ministro Fr. N. qui supra, qui appellavit a Sententia contra ipsum publicata sub die &c.

prout in Actis, & apostolos petiit. Cui A. R. P. respondit se præstiturum, quæ de jure esse debita judicabit. In quorum &c.

Ego Fr. N. appello.
Ego N. Actuarius.

Potest etiam Reus ipse scripto præsentare Libellum Appellationis, ut sequitur.

Anno... Mense... Die... loco &c. Comparet coram A.R.P. Ministro & Testibus infrascriptis Fr.N., & dicit se esse enormiter gravatum per Sententiam contra eum latam sub die &c. proinde ab ea appellat & petit apostolos instanter, instantius, & instantissime. In quorum &c.

Ego Fr. N. appello, ut supra.
Ego N. Testis.
Ego N. Testis.

Præsentata fuit supradicta appellatio, & si, & in quantum admissa fuit, & in Actis recepta, ad mandatum A. R. P. qui respondit, se, prout erit de jure, præstiturum. In quorum &c. Dat. &c.

Ego N. Actuarius.

VIII. Forma concedendi apostolos.

Quid nam sint, & quotuplices apostoli diximus abunde Par. p. Tit. Canones a num. 35. pag. 69. & seqq. *& ibi potest Lector bene observare quæ diximus. Quantum vero attinet ad casus, & formas, illos concedendi, sciendum, quod interposita Appellatione, petendi sunt apostoli, ut dictum est supra, in formulis Appellationis. Quia vero Appellatio potest interponi super Decreto interlocutorio, sive super Sententia Diffinitiva; etiam apostoli in ipsis petiti possunt diversificari, & diverso modo concedi; puta potest Judex dare refutatorios, aut reverentiales, aut dimissorios, & horum omnium formam damus. Demus ergo casum, quod Reus appellaverit super Decreto interlocutorio Judicis, per quod Judex pronunciaverit, se rejicere tanquam frivolam recusationem a Reo factam de persona sua, ut sibi suspecta; sive* Accusatorem, aut Testem, contra quos excepit Reus, esse integros; *sive* non examinandum esse Testem a Reo pro se productum; *sive* non admittendum esse Articulum interrogatorium, seu probatorium a Patrono præsentatum; *sive* admittendum ad consiliandum, sive sententiandum in Diffinitorio, Diffinitorem a Reo recusatum, ut sibi suspectum; *sive* Reum esse Arctationi, vel alteri Torturæ subjiciendum; *in summa in quovis casu, in quo sustinetur Appellatio ab interlocutoria; interposita Appellatione, & petitis apostolis, non potest Judex illos denegare, ut diximus loco citato, sed concedere debet saltem Apostolos refutatorios; & qui nam sint hi, & quid operentur videndum est cit.* Tit. Canones num. 40, pag. 71. *Forma ipsorum est, ut sequitur.*

IX. Forma concedendi apostolos refutatorios.

Cum Fr. N. appellaverit sub die &c. coram Nobis super Decreto a Nobis prolato sub die &c. prout in Actis; & Causam Appellationis produxerit, prout latius in citatis Actis continetur; talem Appellationem, & ejus causam, utpote nullius valoris rejicimus, & rejiciendam judicavimus, prout de facto eam iterum reijcimus. *Verumquia* denuo a Decreto rejectionis appellavit, & apostolos petiit, ipsos, prout de jure, ejus Appellationis causam refutantes, concedimus, & Causam super hoc Articulo incidenti ad Reverendissimum P. Generalem, & successivè ad alios, prout de jure, ablegamus, & remittimus. Intendendo, quod per hoc, talem Reum a nostra jurisdictione minime dimittimus, sed ipsius Causam, ut de jure, prosequi, ac diffinire, velle pronunciamus. Dat. &c.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

ADNOTATIO.

X. *Advertendum, quod quoties Judex potest rejicere Appellationem, ut Notoriè frivolam, ex eo, quod ejus causa est Notoriè frivola, & nulla tum in jure, tum in facto, non tenetur Judex concedere apostolos, neque refutatorios. Sed si Reus denuo appellet a tali Decreto, per quod pronunciatur; constare* de Notorietate nullitatis causæ, & appellationis, *non potest Judex denegare Apostolos refutatorios, ut diximus citat.* Tit. Canones num. 42. pag. 72.

XI. Forma apostolorum reverentialium

Cum Fr.N. &c. *ut sup. num. IX. usque ad illa verba*, Verumquia.

Verum quia denuo a Decreto rejectionis appellavit, & apostolos petiit, quamvis hæc nova appellatio Nobis frivola fuerit visa, tamen ob nostram reverentiam erga Reverendissimum P. Generalem, & alios, ad quos appellavit, prædictæ Appellationi duximus deferendum, & de facto detulimus, & petitos apostolos reverentiales harum serie concedimus. Dat. &c.

Ego N. Minister &c.
Ego N. Actuarius.

XII. Forma apostolorum dimissorialium.

Quamvis apostoli dimissoriales dari possint, etiam supposita Appellatione ab interlocutoria, tamen communiter non dantur nisi a Diffinitiva. Eorum forma potest esse, ut sequitur.

Cum in Causa Furti, *sive* homicidii &c. *sive exprimatur aliud Delictum, super quo fuerit Processus fabricatus*, de quo diffamatus, *sive* denunciatus, *sive* accusatus Fr. N. Sententiam Diffinitivam tulerimus; & a nostra Sententia prædictus F. N. appellaverit, & provocaverit ad Reverendissimum P. Generalem, & successive ad Eminentissimum Protectorem, & ad Apostolicam Sedem; Nos appellationi hujusmodi, ut par est, deferentes, ipsum Appellantem a Nostro judicio dimittimus, & ejus Causam, cum copia Actorum sigillata, ad prædictum Reverendissimum P. Generalem, remittimus. In quorum &c. Dat. &c.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO.

XIII. *Advertendum, quod, adnotata in Proces-* *su*

su conceſſione apoſtolorum; copia Actorum omnium authenticato, & ſigillata conſignari debet Reo; & ſi Reus petere debebit præſentiam Patris Generalis, prout regulariter ſit, in Appellatione a diffinitiva, debet Provincialis Reo tradere Literas obedientiales, quas poſſit in itinere Superioribus localibus oſtendere. Si autem Pater Generalis delegaverit Commiſſarios in partibus, qui videant merita Appellationis, ſive ab interlocutoria, ſive a Diffinitiva, & Commiſſarii ſint intra Provinciam Rei, ſufficit illi tradere copiam Actorum ſigillatam, ut dictum eſt. Si vero extra propriam Provinciam Reus debet eos adire, tradendæ illi ſunt Literæ obedientiales tenoris ſequentis.

XIV. Forma Literarum obedientialium Reo cum copia Actorum tradendarum.

Cum in Cauſa coram Nobis actitata contra te Fratrem N. hujus Noſtræ Provinciæ Sententiam Diffinitivam protulerimus; & ab ea appellaveris provocando ad Tribunal Reverendiſſimi P. N. Miniſtri Generalis, Nos appellationi tuæ deferentes, prout de jure, Te, cum copia actorum tibi tradita, ad eundem Reverendiſſimum P. ablegamus ſive ad R.R. P. P. N. & N. Provinciæ N. Commiſſarios ab eodem Reverendiſſimo P. in hac Cauſa deputatos ablegamus. Quapropter has Teſtimoniales noſtras, quæ vires habeant validæ obedientiæ, fieri juſſimus, charitati Superiorum, apud quos hoſpes diverteris, Te plurimum in Domino commendamus. Dat. &c.

Ego N. Miniſter Provincialis.
Sigillentur.
De mandato A. R. P.
Ego N. Actuarius.

XV. Formam concedendi apoſtolos teſtimoniales.

XV. *Dantur frequentiſſimi caſus, quod Judex non multum verſatus in re criminali, & fretus potentia ſuperioritatis, nolit ullo modo deferre Appellationi legitimæ, ſive ab interlocutoria, ſive a Diffinitiva, & ex conſequenti deneget apoſtolos, & per vim velit, quod Reus ſuccumbat Torturæ Arctationis, ſive pœnæ inflictæ per diffinitivam; & ad hoc monitoria intimet Reo in publica Communitate Fratrum, comminando, quod, elapſo termino peremptorio, detrudetur in carceres. Tali caſu poteſt Reus petere apoſtolos teſtimoniales, hac ſervata cautela.*

Quando Judex, (ut communiter fit, licet non legitime) vocat Reum, ut jejunia, flagellationes, vel Arctationem, ſive aliam pœnam latam per Interlocutoriam, vel Diffinitivam ſubeat, & hoc, ſub formali præcepto Obedientiæ, illi intimat, proteſtando, quod niſi paruerit, carcerabitur, ſeu declarabitur excommunicatus; Reus genuflexus humili geſtu, & voce illi reſpondeat. R. A. P. non ut veſtra mandata ſpernam, ſed ut meæ indemnitati conſulam, cogor a veſtra ordinatione, Sententia, & Decreto appellare. Appellavi ad Reverendiſſimum P. Generalem, & ſucceſſive uſque ad Apoſtolicam Sedem, & iterum peto, & voco in Teſtes hujus meæ Appellationis P. P. F. F. N. & N. *His dictis ſurgat, & petat locum ſuum. Facta autem ſecunda intimatione, & præcepto a Provinciali, ut ſupra, reſpondeat pari modo, ut ſupra. Tum petat Patres illos, quos vocavit in Teſtes, & ab illis petat apoſtolos teſtimoniales, quos ſuadente juſtitia, & charitate, concedere tenentur in forma ſequenti.*

Fr. N. Theologus &c. & Fr. N. Concionator &c. Provinciæ N. &c.

Tenore præſentium omnibus, & ſingulis has literas inſpecturis, pariter, & lecturis fidem facimus, & cum iuramento teſtamur, qualiter Fr. N. Provinciæ hujus noſtræ N. coram Nobis, & tota Communitate Fratrum Conventus N. congregata in Refectorio publico, intra terminum a iure Statutum ſub die &c. & die ſequenti, non ſemel tantum, ſed iterum, & tertio, & pluries appellavit a Decreto contra ſe interlocutorie prolato, *ſive* a Sententia contra ipſum Diffinitive lata, ab A. R. P. N. Miniſtro Provinciali; & ab eo repetitis vicibus inſtanter, inſtantius, & inſtantiſſime petiit, ut ſibi reſponderetur de apoſtolis ad ſuam Appellationem proſequendam: *Qui tamen* ab eodem P. Miniſtro fuere denegati. In quorum fidem &c.

Sive Qui tamen, procraſtinante, & differente eodem A. R. P. Miniſtro, eidem dati non fuere; quæ procraſtinatio cum minus canonica Nobis viſa fuerit, ne juſtitia impediatur, rogati obnixe ab eodem Fr. N. hos eidem apoſtolos teſtimoniales conceſſimus. In quorum &c.

Sive Qui A. R. P. Miniſter eum de tali Appellatione ſe gravatum, & offenſum oſtenderet, & replicatis præceptis formalibus, ipſum Fratrem N. urgeret ad obediendum *Decreto*, *ſive* Sententiæ per eum latæ; minando, quod, facto præcepto peremptorio, ille per vim cogeretur ad parendum, timens periculum injuſtæ carcerationis, idem Frater de tali injuſtitia coram Nobis conqueſtus fuit; & a Nobis bis, terve, inſtantiſſime petiit, ut ſuper prædictis apoſtolos teſtimoniales concederemus. Quod conſiderantes æquitati, rationi, & charitati congruere, maxime cum ſolitus ſit prædictus Pater Provincialis comminationes exequi, proximi indemnitati conſulentes, hos teſtimoniales apoſtolos libenter concedimus. Dat. &c.

Ego N. Theologus.
Ego N. Concionator.

ADNOTATIO

XVI. *Advertendum, quod ſi Reus non reperiret duos Patres graves, qui vellent tales apoſtolos concedere, ſufficeret unus, & tunc deberet ab aliis duobus Teſtibus ſcriptum confirmari, ut perfecte probaret. Pariter neceſſarium eſt, quod ſcriptura talium apoſtolorum roboretur, aut manu Notarii publici, aut ſigillo Conventus, & ſubſignatione Guardiani. Et quia forte Guardiani &c. ne incurrant malevolentiam Provincialis, hoc facere non audebunt, Patres illi, qui concedunt apoſtolos, poſſunt ſibi oſtendere proprias ſubſcriptiones ſolas rogando, ut eas authenticet; dicendo, non eſſe opus, nec convenire ob bonum finem, ut contenta in ſcriptura ipſe ſciat. Porro Guardianus poteſt ſubſcriptiones eorum authenticare, ut ſequitur.*

Supraſcriptas ſubſignationes eſſe factas manu, & characteribus RR. PP. N. & N. ipſoſque eſſe tales, quales ſe faciunt, atteſtor, hac Die &c.

Locus ✠ ſigilli.

Ego F. N. Guardianus Conventus N.

Habitis autem talibus apoſtolis, Reus adeat recta via Superiorem Cauſæ.

XVII. For-

XVII. Forma tenenda a Judice ad quem in revisione Causæ.

Videnda ad hec omnino sunt, quæ scripsimus Tit. Sententia Quest. final. *per totam quæstionem. Quia vero Appellationis Judex potest esse super Appellatione ab interlocutoria, aut a diffinitiva; pariterque fieri Appellatio a Judice Delegato, & ab Ordinario: de omnibus casibus forma procedendi tradi debet. Sit ergo primo Appellatio ab interlocutoria prolata a Judice Delegato: tali casu Judex Appellationis erit Ordinarius, qui delegavit, sive fuerit Provincialis, sive Generalis. Sed quia Generales, ut plurimum committunt hujusmodi Appellationes in partibus, & infra loquemur de forma tenenda ab hujusmodi Judicibus Commissariis; trademus pro nunc formam, secundum quam se geret Provincialis super Appellatione interposita ab interlocutoria, prolata a suo Delegato, & est, ut sequitur.*

In nomine *Domini*. Cum comparuisset coram A. R. P. Ministro Provinciali Fr. N. sive P. F. N. Patronus Fratris N. Rei prætensi, & exposuisset se appellasse a *Decreto* interlocutorio, interposito a *P.* F. N. *Delegato* ab eodem A. R. P. Ministro super &c. *Et hic exprimatur Decretum, super quo fuerit appellatum*; & præfatus F. N. appellans instititisset, ut admitteretur ad probandam coram eodem A. R. *P.* causam, & causas prædictæ *Appellationis* a se productas, idem *A.* R. *P.* volens, prout de jure, procedere, vocato me coram infrascriptis Testibus, mihique dato juramento fidelitatis; Notarium creavit, ad effectum &c. *Acta* sunt hæc Die... Mense... *Anno*... loco &c.

Ego N. Minister.
Ego *N.* fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. *Actuarius*.

Consequenter idem A. R. *P.* visis causis *Appellationis*, productis a prædicto Fr.N. appellante, pronunciavit, eas de jure esse legitimas; & ad videndum, an subsistant in facto, de ejusdem mandato, vocatus fuit *Fr.* N. *Appellans*, qui supra, coram eodem *A.* R. P., & se paratum dixit probare causas expressas il Libello *Appellationis* in *Actis* existentes, & Testes super primo Articulo produxit F.F. N. & N. super secundo Fratres N. & N. &c. *Et sic deinceps assignet Testes, seu producat literas, scripturas, sive alia documenta, per quæ causæ ab ipso adductæ probentur; & omnia in processu adnotentur*. Quæ omnia ab A.R. P. fuere recepta, & admissa si, & in quantum, & decrevit ad ulteriora, prout de jure procedere. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister.
Ego N. *Actuarius*.

Debet expost Provincialis formiter examinare Testes productos ab Appellante, juxta formam traditam sup. Sect. IV. num. XXXIX. *iisque examinantis, debet citare Appellantem ad dicendum, si aliud habeat producendum pro se; potest autem totum describi, ut sequitur*.

Examinatis supradictis Testibus a præfato F. N. Appellante productis A. R. P. Minister vocare fecit coram se memoratum Fr. N. *Appellantem*, & jussit illi, ut si aliud haberet ducendum ad probandas causas adductas *Appellationis* a se interpositæ, illas produceret. Qui respondit, se nihil aliud habere deducendum. Et ita dimissus est; decrevitque A.R.P. requirere consilium Patrum Diffinitorii, & pronunciare, opportuno tempore, super validitate causarum prædictæ Appellationis. *Acta* sunt hæc &c.

Ego N. Minister &c.
Ego N. affirmo, ut supra.
Ego N. Actuarius.

XVIII. Forma Sententiæ pronunciandæ super validitate Appellationis ab interlocutoria.

In nomine Domini Amen. Visa *Appellatione* interposita a *Fr.* N. Reo prætenso super Sententia interlocutoria, lata per P. F. N. nostrum Judicem Delegatum sub. Die &c. Mensis &c. *Anni* &c. Visisque causis prædictæ Appellationis a memorato Reo prætenso propositis; Visisque & mature ponderatis depositionibus Testium, & aliis instrumentis ab Appellante productis, per hanc nostram Sententiam, quam de Diffinitorum nostrorum consilio, & assensu ferimus, DECLARAMVS, & dicimus male fuisse a memorato Judice interlocutum & bene appellatum. Quapropter causam a prædicto *Delegato* ad nostrum Ordinarium Tribunal avocamus. Dat. &c.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Custos.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. *Diffinitor*.
Ego N. Actuarius.

Quod si judicata fuerit Appellatio insubsistens, debet dici.

Declaramus, & dicimus bene fuisse a memorato Judice interlocutum, male a prædicto Fr. N. appellatum. Quapropter, non obstante prædicta Appellatione, debere prædictum Judicem in Causa procedere, juxta sibi a Nobis datam commissionem decernimus, & pronunciamus. Dat &c.

Debet Autem Processus factus a Judice ad quem, *simul cum Sententia, mitti ad Judicem* a quo *appellatum fuit, & totum inseri inter Acta, si Appellatio fuerit judicata insubsistens. Si vero Sententia fuerit ad favorem Appellantis, Causa debet terminari a Judice* ad quem, *juxta exigentiam, & formulas procedendi supra traditas*.

ADNOTATIO I.

XIX. *Advertendum, quod si causæ* Appellationis *ab interlocutoria pendeant, non a prolatione Testium sed a puncto juris, Reus appellans debet producere fundamenta legalia, ob quæ ipse appellavit; nec enim tunc examinandi sunt Testes ad probandum factum; sed tantum perpendenda jura, an per ea probetur justitia causarum* Appellationis. *Quod si Reus* Appellans *sit idiota, & petat a Judice* ad quem *Patronum doctum, ut sua jura formiter deducat; debet iste sibi indulgeri*.

ADNOTATIO II.

XX. *Advertendum secundo, quod quæ dicta sunt de probandis causis* Appellationis, *debent pari*

modo

modo servari in probandis causis Recusationis Judicis Delegati; tali enim casu, causæ non essent probandæ coram Arbitris, sed coram Ordinario Delegante, ut alias diximus. Licet melius sit, quod Ordinarius alium non suspectum deleget, quam quod perdatur tempus in probandis causis Recusationis; quæ licet semipleue tantum probentur, & dubiæ remaneant, nihil minus removent Judicem a prosecutione Causæ.

XXI. Forma tenenda a Iudicibus Delegatis a P. Generali ad cognoscendum de causis Appellationis ab interlocutoria.

Videnda sunt, quæ scripsimus Par. I. Tit Sententia num. 147. & seqq. *& incipiendus Processus, prout sequitur*,

In nomine Domini, Ameo. Cum a Reverendissimo P. N. Ministro Generali missæ fuerint ad infrascriptos Patres literæ teuoris sequentis &c, *& registrentur per extensum literæ Commissionales*, RR. PP. N. & N. commissionem sibi demandatam, ut par est exequi volentes, coram se congregatos in camera &c. ubi suum Tribunal erexerunt, vocare fecerunt Me F. N. & in præsentia PP. FF. N. & N. Testium ad hoc specialiter vocatorum, & adhibitorum, a me juramentum fidelitatis exegerunt, quod præstiti, tacto pectore more Sacer lotum; & Notarium crearunt ad effectum, ut sibi pro Actuario in Causa, ut præfertur ipsis demandata, inservirem Acta sunt hæc &c.

Ego Fr. N. Delegatus
Ego Fr. N. Delegatus.
Ego F. N. fui Testis.
Ego F. N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

Consequenter vocatus fuit coram prædictis, Fr. N. qui Appellationem interposuit ad prædictum Reverendissimum P. Generalem, & illi jussum, ut Acta sibi consignata a Iudice, a quo appellavit, produceret. Qui exhibuit involucrum quoddam clausum, & sigillatum sigillo minori Provinciæ N. & dixit inibi contineri Acta omnia processualia sibi consignata a Judice *a quo*. Quibus habitis, pro tunc fuit dimissus. Aperto autem prædicto involucro, & lectis per Me infrascriptum prædictis RR. PP. Commissariis; communicato inter se consilio, & pluribus hic inde propositis, maturatis, & discussis, TANDEM unanimi consensu pronunciaverunt, causas Appellationis a prædicto interpositas, esse de jure legitimas, & decreverunt, esse ab ipsis ulterius procedendum, prout & procedere determinarunt ad videndum super justitia earundem causarum in facto. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Commissarius,
Ego Fr. N. Commiss.

ADNOTATIO

XXII. *Advertendum, quod si Commissarii advertenrint causas Appellationis de jure non subsistere, debent absque ulteriori inquisitione, Acta denuo sigillare, & Causam remittere ad Judicem, a quo fuit appellatum; nisi hic appellationem, quæ de jure non debebat admitti, admisisset; tali enim casu, quantumvis Judices ad quos declararent, causas Appellationis de jure non subsistere, nil minus Causa non revertetur ad Judicem a quo, & hoc in pœnam suæ negligentiæ, sive ignorantiæ, cum detulerit Appellationi, cui de jure deferre non debuit, ut diximus* Par. I. Tit. Sententia num. 148. *Debet autem describi totum, ut sequitur.*

Consequenter vocatus fuit coram prædictis Fr. N. &c. *ut num. superio. i &c.* Tandem unanimi consensu pronunciaverunt, causas prædictæ Appellationis propositas a memorato Fr. N. Appellante, non esse de jure legitimas, neque admittendas, sicut & eas non admisit Judex *a quo*, cum eidem Appellanti apostolos refutatorios concesserit. Proinde decreverunt remittere Appellantem, cum Actis transmissis sigillatis, ad prædictum Iudicem, ut Causam incœptam terminet; prout præsenti Decreto remittunt. Acta sunt hæc die &c.

Ego N. Commissarius.
Ego N. Commissarius.
Ego N. Actuarius.

XXIII. Forma prosequendi cognitionem causarum Appellationis ab interlocutoria.

Vocatus fuit coram RR. PP. Commissariis, qui supra, idem Fr. Appellans, jussumque illi fuit, ut produceret jura, Testes, Scripturas, sive alia documenta, quibus probare possit, causas a se interpositas Appellationis in facto subsistere. Qui &c. *Hic describi debet totum, quod Appellans exponet; potest enim dicere, quod gravamen super quo appellavit apparet ex ventre processus; vel producere Testes ad probandum aliquod factum, ex quo resultat gravamen, vel proponere jura, literas, sive alia documenta ad probandum intentum suum; & omnia hæc debent exacte in processu describi.*

ADNOTATIO.

XXIV. *Potest etiam dari casus, quod Reus inveniat, sive suspicetur, Acta transmissa esse vitiata, ex eo quod non invenitur in iis aliquod expressum faciens ad sui favorem, quod tamen factum fuit, & in Actis originalibus reperitur. Tali casu, ad instantiam ejusdem Rei, debent Commissarii scribere ad Iudicem a quo, & mittere ad eum Acta sigillata, quæ ipse tradidit Appellanti, ordinando, quod Acta illa collationare faciat cum originali, citata parte, (puta aliquo ex Amicis, seu confidentibus nominatis ab Appellante) & assistente collationi ipsi. Potest vero factum describi, ut sequitur.*

Comparuit coram RR. PP. Commissariis Fr. N. qui appellavit, ut supra in Actis; & dixit, quod cum intellexerit, inter Acta transmissa non contineri, quod &c. *Et hic describatur factum, sive aliud, quod omissum fuerit*, quod tamen pro certo habet, contineri in Actis originalibus; suspicatur proinde, Acta prædicta, ad sui gravamen, fuisse transmissa manca, decurtata, & adulterata. Instat proinde, quod Actis ita transmissis nulla fides adhibeatur, donec ipsa collationata sint, citata Parte, puta P. Fr. N. sive P. Fr. N. quos ipse Comparens eligit, & nominat in Procuratores suos conjunctim, seu divisim, ut nomine ipsiusmet Comparentis, collationi faciendæ personaliter interveniant. Reservato sibi jure, quando opportunum erit, si Acta ipsa invenientur viciata, agendi contra eos, quorum malitia, seu dolo, fuerint adulterata. Qui RR. PP. Commissarii re-

responderunt se esse præstituros, quæ de jure competere judicabunt. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Commissarius.
Ego N. Commissarius.
Ego N. Actuarius.

Consideratis a RR. PP. Commissariis supradicta petitione facta a Fr. N. Appellante, & ab ipsis judicata legitima, annuendum esse petitis decreverunt. Vnde ad ipsorum mandatum scriptæ, & directæ fuerunt ad A. R. P. Ministrum Provinciæ N. literæ tenoris sequentis.

A. R. P. Remittimus ad P. V. acta, quæ a Nobis fuere transmissa per Fratrem N. qui appellavit a Sententia interlocutoria per vos lata in Causa, quæ coram Vobis actitatur, contra memoratum FratremN. Nam licet per Actuarium vestrum fuerint subsignata, & authenticata, apposito sigillo Officii vestri, tamen contra illa exceptum coram Nobis est a prædicto Appellante, qui asserit, se suspecta habere talia Acta, tanquam non fideliter collationata, & non integraliter transumpta. Quapropter auctoritate Reverendissimi P. Generalis Nobis delegata, Vobis injungimus, ut Acta prædicta ad Nos transmissa fideliter collationare faciatis, citatis prius PP. FF. N. & N. electis a prædicto F. N. in Procuratores suos ad hoc, ut ambo, sive quilibet ex ipsis collationi faciendæ interveniat, & illi subscribat. Confidimus autem P.V.A.R. esse, (ut injungimus, & de jure est,) fideliter præstituram, & Acta prædicta, ut præfertur, ad Nos sigillata transmissuram. Valeatis Dat. &c.

Ego N. Commissarius Delegatus.
Ego N. Commissarius Delegatus.
Ego N. Actuarius.

XXV. Forma tenendi a Ministro Provinciali post receptum mandatum suprascriptum.

Cum A.R.P.Minister Provincialis recepisset mandatum sibi factum a RR. PP. Commissariis Delegatis a Reverendissimo P. Ministro Generali in causa Appellationis interpositæ a Fr. N. Reo prætenso, prout in actis &c. volens, ut par est, illud exequi, vocare coram se fecit PP. FF. N. & N. & ipsis significavit se esse nominatos a prædicto Fr. N. in Procuratores suos, ut conjunctim ambo, sive unus ex illis assisterent collationi Actorum transmissorum faciendæ cum originali. Qui Patres prædicti nominationi prædictæ de se factæ consenserunt, & ad mandatum A. R. P. juraront, se fideliter præstituros munus suum, & collationi prædictæ faciendæ interventuros. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Procurator.
Ego N. Procurator.
Ego N. Actuarius.

Facta autem collatione cum interventu unius, seu amborum Procuratorum, in calce eorundem Actorum describi debet, prout sequitur.

Præsens copia extracta fuit ab Actis originalibus, & de verbo ad verbum fideliter cum illis collationata, citatis, & intervenientibus collationi prædictæ PP. FF. N. & N. Procuratoribus Fratris N. prout supra. In quorum &c. Dat. die &c.

Ego N. Procurator.
Ego N. Procurator.
Ego F. N. Actuarius.

Exinde debet in præsentia eorundem Procuratorum sigillari, & illis consignari, ut transmittant ad Commissarios; ne forte, facta collatione, Actuarius mutaret aliqua folia, & denuo acta vitiaret. Sed melius fiet, si in calce cujuslibet folii collationati, Procuratores se subscribant, hoc enim pacto non poterunt mutari folia; & tunc non est necesse, quod Acta coram Procuratoribus sigillentur, neque illis consignentur.

ADNOTATIO I.

XXVI. *Advertendum, quod si notabilis aliqua alteratio in præjudicium Appellantis fuerit inventa, debet adnotari ab Actis primo transmissis; ut possit detegi vitiatio actuum, & convinci Vitiator, si intervenerit malitia, & dolus. Debet vero factum describi, ut sequitur, & circa hoc Procuratores sint valde attenti.*

Facta collatione Actuum, inventa sunt vitia sequentia.

Primo. Fol. &c. copiæ, linea &c. habetur sic, & sic &c. in originali vero fol. &c. habetur sic, & sic &c.

Secundo. Fol. &c. copiæ, linea &c. habetur sic &c. in originali vero fol. &c. habetur sic &c.

Tertio. Fol. &c. copiæ, post lineam &c. sequitur sic &c. in originali autem fol. &c. sequitur sic &c. unde omissum fuit in copia hoc, & hoc &c. In quorum &c.

Ego N. Procurator.
Ego N. Procurator.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO II.

XXVII. *Si evidenter constiterit de dolosa vitiatione Actuum primo transmissorum in præjudicium Appellantis, poterit ipse agere contra Actuarium, utpote corruptorem præsumptum; actio autem debet intentari coram Ministro Generali; hoc tamen erit postquam Causa principalis fuerit totaliter terminata.*

XXVIII. Forma terminandi cognitionem Causarum Appellationis.

Præsentatis Actis, ut supra dictum fuit, sive ea fuerint a principio integra, sive fuerint denuo, ut præfertur, collationata, & ad Commissarios transmissa, debent Commissarii examinare merita causarum Appellationis, ponderando jura, rationes, scripturas, & alia documenta per Appellantem producta. Quod si necessariam fuerit Testes examinare super Articulis ab Appellante propositis, Commissarii debent eos examinare, servando formulas datas Sect. 4. n. XXXIX. & seqq. Et tandem debent citare Appellantem ad hoc, quod si aliud habeat adducendum, pro sustinenda sua Appellatione, illud adducat, & forma talis citationis data est supra n. 17. vers. Examinatis. His omnibus peractis devenire debent ad Sententiam, ut sequitur.

XXIX. Forma Sententiæ dandæ a Commissariis super Appellatione interposita ab interlocutoria.

In

In nomine Domini. Amen. In Causa Appellationis interpositæ a P. Fr. N. super decreto interlocutorio lato per A. R. P. N. Ministrum Provincialem Provinciæ N. prout latius in Actis continetur. Visis causis per prædictum P.Fr. N. Appellantem productis. Visis, & mature ponderatis depositionibus Testium, rationibus, scripturis, & aliis documentis a memorato Appellante productis. Visis pariter, & bene discussis Actis processualibus. Visis tandem omnibus videndis, ac consideratis considerandis, Nos Iudices Commissarii, a Reverendissimo P. N. Ministro Generali in hac Causa deputati, Christi nomine invocato, Deumque præ oculis habentes, ut de illius vultu nostrum judicium procedat, per hanc nostram Sententiam, quam in his scriptis ferimus.

Dicimus Appellationem interpositam in jure, & facto esse legitimam, & præmemoratum P. Provincialem male esse interlocutum. Quapropter Sententiam illius interlocutoriam circumscribimus, & revocamus; Causamque principalem ad Nos ex integro avocamus; inhibemusque prædicto P. Ministro Provinciali, ne amplius in memorata Causa se immisceat. Ita pronunciamus, & sententiamus hac die &c.

Ego N. Commissarius.
Ego N. Commissarius.
Ego N. Actuarius.

Si vero Appellatio non sustineatur scribi debet, ut sequitur.

Dicimus Appellationem interpositam non sustineri, & bene a præfato A.R.P. Provinciali esse interlocutum, & male ab Appellante fuisse appellatum; proinde Causam, prout de jure terminandam, ad eundem P. Provincialem remittimus. Ita pronunciamus &c.

ADNOTATIO I.

XXX. *Advertendum, quod, sicut probavimus* Tit Canones num. 122. & seqq. *si Causa Appellationis, seu Recusationis sit Judici turpis, sive Judex procedat, ex Officio, ipse debet audiri a Iudice a quo; & proinde si ipse instet, & impugnet probationes factas ab Appellante, pro sustinenda Appellatione, debet a Commissariis admitti, ut de Arbitris dictum fuit supra* Sect.8. nu.XVIII. *Tali ergo casu, in processu adnotari debent Acta omnia, quæ mittentur scripta a Iudice a quo, pro invalidanda Appellatione, & etiam in Sententia Commissariorum debet adnotari; quod ponderata sint ea, quæ producta fuerunt a Iudice a quo, pro annullanda Appellatione.*

ADNOTATIO II.

XXXI. *Advertendum secundo, quod si Causa Appellationis sustinebitur, Commissarii debent cognoscere de Causa principali, quæ ad illos remanet, ex tali titulo devoluta. Unde tenentur Causam continuare usque ad Sententiam diffinitivam exclusive, sive inclusive, juxta tenorem Delegationis sibi commissæ. Continuationis autem processus, formam non damus, quia illa est servanda, quam, juxta casuum exigentiam, in superioribus dedimus.*

XXXII. Forma voti Consultorum, quando Generalis committit revisionem Processus in casu Appellationis a Sententia Diffinitiva.

Contingit aliquando, & ut in pluribus, quod in casu Appellationis a Diffinitiva, Generales gravioribus curis distracti, nequeunt per se lustrare processus, ideo committunt aliquibus viris doctis revisionem Causæ, ordinantque illis, ut referant cum voto. Pariter potest dari casus, quod etiam in casu Appellationis ab interlocutoria, Generalis remittat Causam ad aliquos Commissarios in partibus, prout supra dictum est, reservato sibi jure pronunciandi super meritis Appellationis. Talibus in casibus Consultores, sive Delegati bene advertant, quæ scripsimus Tit. Sententia num. penult. & num. finali, *& relationem cum voto suo debent formare, ut sequitur.*

Reverendissime Pater.

De mandato Reverendissimæ P.V. Nos infrascripti vidimus, & examinavimus acta processualia in Causa actitata coram Ministro Provinciali Provinciæ N. contra Fratrem N. diffamatum, *sive* denunciatum, *sive* accusatum de &c. *Et hic apponatur titulus processus fabricati, sive delicti, super quo factu fuit inquisitio.* Vidimus pariter processum defensivum, jura deducta, & omnia alia proposita a P. N. Patrono, ad tutelam, & excusationem præfati Fr. N. Appellantis. Vidimus insuper responsionem ad prædicta, datam a P. F.N. pro parte Fisci; & replicationem e contra factam in favorem prædicti Appellantis a præmemorato P.Fr.N. Patrono. Vidimus tandem Sententiam latam per Diffinitorium prædictæ Provinciæ, & Appellationem super illa interpositam ad Reverendissimam P.V. Mature autem, & ad normam juris, juxta nostri ingenioli tenuitatem hinc inde omnia consuluimus, & ponderavimus, & invenimus, quod &c. *Hic autem debent fideliter recenseri, quæ, deductis exceptionibus, & omnibus in contrarium facientibus, remanent seu plene, seu semiplene, seu præsumtive de iure probata; sive spectent delictum pro, vel contra Reum; seu modum procedendi legitimum, vel non, pro, vel contra Iudicem; seu gravitatem Sententiæ congruentem, vel non, delicto, juxta Constitutiones &c.* Quapropter sumus in voto, quod &c. *& hic, juxta causarum varietatem, debet exprimi, vel quod Reus sit absolvendus* simpliciter, *aut cum clausula* rebus sic stantibus; *vel quod* Sententia ut nimis gravis moderetur, *vel circa speciem, vel circa extensionem, seu durationem pœnæ; vel quod eadem Sententia plene sustineatur, & Reus male, & temerarie appellaverit; & ideo ad normam Statutorum Ordinis pœna sit illi duplicanda.* Ita salvo &c. sentimus hac Die &c.

Ego N. Consultor.
Ego N. Consultor.

XXXIII. Forma Sententiæ dandæ a Ministro Generali in casu Appellationis a Diffinitiva

In nomine Individuæ Trinitatis, ac Beatissimæ Virg. Mariæ. Amen. Christi Iesu Sacrosancto nomine invocato Nos F. N. totius Ordinis Minorum Minister Generalis, ac Iudex Ordinarius, visis, & diligenter consideratis omnibus, & singulis actitatis in Causa, & Causis discussis coram P. N. Ministro Provinciali Provinciæ N. contra Fr.N. diffamatum, *sive* denunciatum, *sive* accusatum, de &c. *& hic exprimatur delictum, de quo facta fuit inquisitio.* Visis item omnibus productis in jure, & facto ad favorem prædicti Fr. N. Visa pariter Sententia Diffi-

ultiva contra eundem prolata per Diffinitorium memorate Provinciæ N, Visa tandem Appellatione ad Nos interposita, ipsiusque causis, juribus, & probationibus coram Nobis productis ad ipsam sustinendam consideratis, & mature pensatis, & plene discussis totius Causæ meritis, auditoque consilio Patrum Consultorum de mandato nostro ad hoc deputatorum, Visis tandem omnibus videndis, & considératis considerandis, per hanc nostram Diffinitivam Sententiam, quam de consilio prædictorum in his scriptis ferimus.

Christi Iesu Sacrosancto nomine repetito, ut de ipsius vultu nostrum judicium prodeat, Nos Fr. N. Minister Generalis &c.

Dicimus &c. *Et hic ponatur tenor Sententiæ absolutoriæ, seu condemnatoriæ, juxta casuum varietatem.*

Ita pronunciamus Nos, qui supra, pro Tribunali sedentes hac Die &c.

Ego N. Minister Generalis.
Ego F. N. Secretarius Generalis,
Ego F. N. fui Testis,
Ego F. N. fui Testis,

SECTIO DECIMA.

In qua pro singulis casibus recapitulantur Formulæ tenendæ in construendis Processibus.

I. ANtequam peculiares, ac specificæ Formæ procedendi recapitulentur, juxta tradita in Sectionibus præcedentibus, necessarium est recapitulare quædam generalia, quæ occurrere possunt in omni forma, & modo procedendi. Si enim diversitatem casuum, juxta quos possunt talia generalia accidere, vellemus in omni, & singula recapitulatione recensere, fierent inutiles repetitiones, Ideo antecedenter, & separatim eam damus.

II. Recusatio Iudicis, & aliorum intervenientium judicio.

Recusatio Iudicis, quæ potest fieri ante Visitationem generalem judicialem, habetur *Sect. 1. nu. XVI.*

Si autem inceptus sit Processus, recusatio proponenda est, juxta formam datam *Sect. 1. num. XXIII.*

Si Reus non potest habere præsentiam Iudicis, vel ipsum adire ex metu reverentiali, potest Recusationem proponere coram honestis viris, juxta formam datam *Sect. 1. num. XIX*

Si non invenit Testes, qui velint assistere, potest publicare Recusationem per modum edicti, cujus forma data est *Sect. 1. num. XX.*

Iudex autem recusatus, audita recusatione, debet interponere decretum, juxta diversitatem modorum, quibus fuerit proposita Recusatio; & forma Decreti habetur *Sect. 1. num. XXII.*

Si recusandus sit Notarius, Peritus, Consiliarius &c. talis Recusationis forma habetur *Sect. 1. n. XXV.*

Si recusandus sit aliquis de Diffinitorio, forma traditur *Sect. 6. num. XXXVIII. & XXXIX.*

III. Probatio Corporis Delicti.

Si Corpus Delicti reliquit vestigium post se, sed tamen disparuit ante adventum Iudicis; vel si delictum de sui natura nullum vestigium reliquit, Corpus Delicti probatur per Testes, & forma habetur *Sect. 4. num. XI.*

Si manet vestigium delicti, quod evidenter ex se apparet, probatur per Visitationem Iudicis, cujus forma traditur *Sect. 3. num. I.*

Mox examinantur Testes, qui interfuerunt Visitationi, juxta formam datam *Sect. 3. num. IX.*

Si malitia delicti non est ex se evidens, sed debent adhiberi Periti ad judicandum de illa, præmitti debet Decretum de adhibendis Peritis, & ejus forma habetur *Sect. 3. n. V. vers. Cum A. R. P. visitasset &c.*

Si Periti adhibendi sunt Sæculares, petenda est licentia ab eorum Iudice, juxta formam datam eadem *Sect. 3. num. V. vers. Illustrissime.*

Mox examinandi sunt; secundum formam datam *Sect. 3. num. IV. & V.*

Si agatur de vulneribus, quæ a Iudice, ratione periculi, visitari non possunt, examinandus est Chirurgus, & forma traditur *Sect. 3. num. VII.* Et postea examinandus est Vulneratus, & forma habetur *Sect. 3. num. VIII.*

Si agatur de veneno, examinandi sunt Medici, cujus forma habetur citat. *Sect. 3. num. VI.*

Si agatur de defloratione, examinandæ sunt Obstetrices, & forma traditur *Sect. 3. num. X.*

Si agatur de furto, Corpus Delicti probatur, juxta formam datam *Sect. 3. num. XI.*

Si agatur de falsificatione Scripturæ, Monetæ &c. probatur Corpus Delicti, secundum formam, quæ habetur *Sect. 3. num. XIII.*

Si agatur de Libello famoso, probatur per Testes, qui viderunt ipsum affixum, & forma datur *Sect. 4. n. XI.*

Si Corpus Delicti est extra jurisdictionem Judicis Regularis, & manet jam probatum coram Judice Sæculari, ejus descriptio, & probatio desumitur a processu facto per Judicem Sæcularem, & inseritur in processu Regulari; & forma datur *Sect. 3. num. XIV.*

Si vero non est probatum in alio Tribunali, servanda est forma, quæ traditur *Sect. 3. num. XVI.*

IV. Examen Testium.

Ante examen Testium consideranda sunt, quæ scripsimus *Sect. 4. a num. I. ad IX.* circa generalia, quæ servanda sunt in examine Testium. Examen Testium describitur initiative juxta formam traditam *Sect. 4. num. X.* Et concluditur secundum formam datam citata *Sect. 4. num. VIII.*

Si ex aliqua causa examen non potest uno contextu compleri, interrumpitur, & ex post continuatur, juxta formas traditas eadem *Sect. 4. n. XVII. & XVIII.*

Si Testis simpliciter vocatus ad examen non vult comparere, debet citari judicialiter, & formæ habentur

bentur *Sect.4 num. XLVIII. & seqq.*

Si Testis a parte productus est omnino inhabilis, potest ante examen contra ipsum proponi exceptio ne examinetur; & forma ad hoc datur *Sect.4.n LXVI.*

Et quomodo se gerere debeat Judex, sibi proposita exceptione, habetur forma, eadem *Sect.4. num. LXIX. & seqq.*

Si delictum probandum est per Testes, servetur forma data *Sect. 4. num. XI.*

Si delictum est manifestum, & ignotus Delinquens in casu homicidii, seu vulnerationis, vel percussionis, traditur forma *Sect.4. num. XX.* In causa furti datur forma, citata *Sect.4. num. XXI.*

In causa Libelli famosi, traditur forma *Sect. 4. num. XXII.*

Si delictum est notorium, & Delinquens extrajudicialiter scitur, sive indiciatus est, in Causa vulnerationis servatur forma data *Sect.4.num.XXV*

In causa furti traditur forma, eadē *Sect.4.n.XXVII.*

In Causa Libelli famosi habetur forma, citata *Sect.4. num. XXVIII.*

Et pro recognitione illius scripturæ per comparationem literarum, observatur forma descripta, supradicta *Sect.4. num. XXIX. & seqq.*

In Causa suspecti consortii habetur forma, eadem *Sect.4. num. XXXI.*

In Causa lapsus carnis consummati, traditur forma *Sect.4. num. XXXII.*

In Causa copulæ carnalis attentatæ videatur forma data, eadem *Sect.4.num. XXXIII.*

In Causa conspirationis in Superiorem servetur forma, quæ posita est *Sect.4.num XXXIV.*

In Causa Apostasiæ habetur forma, eadem *Sect. 4. num. XXXVI.*

Si Delictum, & Delinquens est notorius, observatur forma descripta, supradict. *Sect.4.num.XLIII.*

Si Testes examinandi sunt super indiciis de inimicitia, traditur forma *Sect. 4. num. XXXVII. & XXXVIII.*

Si de amicitia, & familiaritate habetur forma, eadem *Sect.4. num. XXXIX.*

Si de confessione extrajudiciali extat forma *Sect.4. num. XXXV.*

Si examinandi sunt Testes præsentati a Parte, teneatur forma tradita *Sect.4. num. XL.*

Si Testis est pertinax, seu irreverenter se gerit coram Judice, punitur ad formam datam *Sect.4.n.LIV.*

Si negat scire delictum, cui constat interfuisse, torquetur juxta formam datam *Sect.4. num. LVI.*

Si aliud dicit cum juramento, & aliud sine juramento, torquetur, & habetur forma, eadem *Sect. 4. num. LVII.*

Si est varius, vacillans &c. torquetur juxta formam traditam *Sect.IV.num.LX.*

Si cum varietate adest suspicio subornationis, torquetur juxta formam datam citata *Sect.4. n. LXII.*

Si Testis torquendus non est Subditus Judicis Regularis servanda est forma data *Sect.4.num. LXIV.*

Si Testis inhabilis torquendus est ad purgandam infamiam, servetur forma descripta supra *Sect. 4. num. LXV.*

V. Rei constitutio, & examen.

Si reus est de fuga suspectus, debet carcerari ad custodiam, & formam dedimus *Sect. 5. num. II.*

Si Reus est absens, citandus est per literas, & forma habetur *Sect. 5. num. IX.*

Si Reus est fugitivus, citatur per Monitorium, cujus forma datur *Sect. 5. num. X. & XI.*

Et si revertatur a fuga, servatur forma data *Sect. 5 num. XII.*

Si Reus citatus, vult ex legitima causa, recusare Judicem, debet servare formā datam *Sect. 5 .n.XIV.*

Pro primo constituto servatur forma data *Sect. 5. num. XV.*

Pro secundo habetur formam tradita *Sect. 5. nu. XVIII.*

Pro ultimo constituto tenenda est forma descripta *Sect. V. num. XIX.*

Si Reus non vult respondere absolute, aut non præcise; vel est vacillans; vel est inter contradictoria, non concordabilia, cogitur per torturam, & in tortura examinatur juxta formam datam *Sect.5. n.XX. & seqq.*

Si Reus confrontandus est cum Testibus, servabitur forma tradita *Sect. 5. num. XXV.*

Si confrontandus cum Socio criminis tenetur forma præscripta *Sect. 5. num. XXVI*

Si recognoscendus est a Testibus, observetur forma data *Sect. 5. num. XXIX.*

Si Reus negat se esse eum, qui fuit alias condemnatus in contumacia, fit recognitio juxta formam datam *Sect. 5.num. XXX.*

Si Reus delinquit coram Judice, punitur juxta formam datam *Sect. 5. num. XXXII.*

Si delictum est notorium Reus examinatur, ut habetur *Sect. 5. num. XXXIV.*

Si Reus repertus est in fragranti delicto, examinatur juxta formam datam *Sect. 5. num. XXXVI.*

VI. Defensiones.

Decreta a Judice concessione Defensionum, si Reus illis renunciet, teneat formam traditam *Sect. 6.n. II.*

Si acceptat terminum defensorium, & Patronum eligit, teneat formam datam *Sect. 6. num. III.*

Si Patronus electus renuat acceptare munus, compellatur juxta formam datam *Sect. 6. num. VII.*

Si Reus vult sibi ipsi formare Defensiones, & sit carceratus, concedi debet illi Procurator, & forma datur *Sect. 6. num. IX.*

Si petitur a Patrono, seu Procuratore, prorogatio termini, sive aliud ad Defensiones necessarium, teneantur formæ datæ *Sect. 6. num. XI. & XV.*

Si proponantur Articuli interrogatorii Judici a Patrono, servetur forma data *Sect. 6. num. XVIII.*

Et Judex Articulos corrigat, secundum formam datam *Sect. 6. num. XX.*

Si Testes sint repetendi; hoc fiat juxta formam, quæ habetur *Sect. 6. num. XXI. & seqq.*

Si petitur a Judice fabricatio processus defensivi proponantur Articuli secundum formam traditam *Sect. 6. num. XXVI.*

Citetur a Judice Patronus ad producendos Testes, & forma traditur *Sect. 6. num. XXX.*

Si aliquis Testis renuerit examinari, Patronus instet, ut compellatur ad ferendum testimonium, & forma traditur *Sect. 6. num. XXXI.*

Si Judex in examine Testium aliquo modo deficiat, & Patronus ipsum, ut suspectum vult recusare, servet formam datam *Sect. 6. num XXXII.*

Si Judex aliquid faciendū favore Rei omiserit, Patronus petat reparationem, juxta formam datam *Sect. 6. num. XXXIII.*

Defensiones fiant, & præsententur secundum formam datam *Sect. 6. num. XXXV. & seqq.*

Si loco Defensionum Reus vult se componere cum Fisco, petat Compositionem, cujus forma datur *Sect. 6. num. XXXVII.*

Si Reus habet suspectos aliquos de Diffinitorio, potest ipsos recusare; & forma traditur *Sect. 6. num. XXXVIII. & XXXIX.* Aut si Provincialis vult excludere Diffinitorem *ibidem num. XL.*

Si reus in Tortura confessus est, petitur, & datur copia Actorum; fiunt, & præsentantur defensiones, juxta formam datam *Sect. 7. num. XXXVIII.*

Fiunt responsiones pro parte Fisci, & replicationes pro parte Rei, & forma tradita est *Sect. 7. num. XLI. & seqq.*

VII. Tortura.

Ante Decretum de Tortura inferenda, convocari debet Diffinitorium, & forma traditur *Sect. 7. n. I. & II*

Si ex legitima causa, adhibendi ad consilium sint Patres alii periti, servanda est forma data *Sect. 7. n. III*

Ante executionem Torturæ præmittitur Decretum, cujus forma descripta est *Sectio. VII. num. V.*

Si Tortura inferatur per Arctationem simplicem, servetur forma tradita, *Sectio. VII. num. VI.*

Si per qualificatam, teneatur forma tradita, *Sect. VII. num. VII.*

Si per flagellationem, fiat ut præscribitur *Sect. VII num. X.*

Si per sibilos, observetur forma præscripta *Sectio. VII. num. XI.*

Si per funem, habetur Forma *Sectio. VII. n. XIV. & seqq.*

Si per ignem, traditur Forma *Sectio. VII. n. XXIX & seqq.*

Si Tortura sit replicanda, habetur Forma *Sectio. VII. num. XXXI.*

Si danda sit Tortura super Complicibus, servetur Forma data, *Sectio. VII. num. XXXIII.*

Post Torturam si Reus confessus est crimen, debet ratificari confessio juxta Formam traditam *Sectio. VII. num. XXXVI.*

Traditur copia actorum Patrono, *Sectio. VII. num. XXXVIII.*

Novæ defensiones præsentantur *Sectio. VII. n. XL.*

Illis respondetur pro parte Fisci post assignationem Advocati Fiscalis juxta Formam datam *Sect. VII, num. XLI & XLII.*

Replicatur contra pro parte Rei *Sect. VII. n. XLIII.*

VIII. Sententia.

Generalis Forma Sententiæ ferendæ traditur *Sectio. VII. num. V.*

Si est Sententia absolutoria ob Delictum non commissum, servatur Forma tradita, *Sectio. VIII. n. VII.*

Si est absolutoria *Rei* non inventi culpabilis, quia indicia non sufficerunt ad Torturam, fiat, ut dicitur *Sectio. VIII. num. VIII.*

Si est absolutoria ob indicia sufficienter purgata per Torturam, habetur Forma. *Sectio. VIII. num. IX.*

Si est absolutoria Rei, & Accusatoris, servatur Forma data *Sect. VIII. num. X.*

Si est absolutoria Rei, & condemnatoria Accusatoris, fertur secundum Formam datam *Sectio. VII. n. XI.*

Si est condemnatoria contra Reum convictum per Testes, traditur Forma. *Sectio. VIII. num. XII.*

Si est condemnatoria Rei confessi, fertur juxta Formam traditam. *Sectio. VIII. numero XIII.*

Si poena danda sit citra, vel ultra Statutarium, observatur Forma expressa *Sectio. VIII. num. XV.*

Si pœna extraordinaria sit danda ob delictum non plene probatum, Sententia condemnatoria erit secundum Formam expressam. *Sectio. VIII. num. XVI.*

Si Delictum fuerit Notorium, Sententia condemnatoria fertur juxta Formam datam *Sect. VIII. n. XX.*

Si Reus deprehensus est in fragranti, datur Sententia juxta Formam descriptam *Sect. VIII. n. XXI.*

Si Sententia pronuncietur contra Reum contumacem, & absentem, observetur Forma tradita. *Sectio. VIII. num. XXII.*

Si Reus petierit, & obtinuerit compositionem cum Fisco, Sententia dabitur secundum Formam datam. *Sectio. VIII. num. XXIII.*

IX. Appellatio.

Appellatio ab interlocutoria interponitur, ut præscribitur *Sectio. IX. num. II.*

Si non potest interponi coram Judice, fiat coram honestis Viris, & forma traditur *Sectio. IX. n. V.*

Vel fiat per modum edicti juxta Formam datam. *Sectio. IX. num. VI.*

Appellatio a Sententia diffinitiva fit secundum Formam traditam. *Sectio. IX. num. VII.*

Apostoli refutatorii concedendi sunt ad formam expressam *Sectio. IX. num. IX.*

Reverentiales autem juxta Formam traditam. *Sectio. IX. num. XI.*

Dimissoriales vero, secundum Formam datam. *Sectio. IX. num. XII.*

Testimoniales tandem traduntur ad Formam datam. *Sectio. IX. num. XV.*

X. Processus per viam Inquisitionis Generalis, sive Visitationis Judicialis.

1. Præmittitur Visitatio judicialis. *Sectio. p. n. XII*
2. Si Visitatio fiat a Commissario Delegato. *Sectio. p. num. XIII. & XIV.*
3. Si Judex Recusetur ante Inceptam Visitationem. *Sectio. X. num. 2.*
4. Incipitur Inquisitio specialis *Sectio. II n. II.*
5. Probatur Corpus Delicti. *Sectio. X num. III.*
6. Si non probatum concludenter remanet Corpus Delicti, & terminatur processus. *Sectio. III. num. XVII.*
7. Si probatum plene est Corpus Delicti fit Decretum *Sectio. III. num. XVII.*
8. Examinantur Testes. *Sectio. X. num. IV.*
9. Fit Decretum de Reo constituendo. *S. V. n. VII.*
10. Carceratur Reus de fuga suspectus. *Se. V. n. II.*
11. Constituitur Reus. *Sectio. X. num. V.*
12. Conceduntur, fiunt, & præsentantur Defensiones. *Sectio. X. num. VI.*
13. Decernitur, & exequitur Tortura. *Sectio. X. num. VII.*
14. Fertur Sententia. *Sectio. X. num. VIII.*

XI. Processus per viam Inquisitionis specialis ex Fama, sive Clamorosa insinuatione præcedente.

1. Processus incipitur. *Sectio. II. num. VII.*

2. Pro-

2. Probatur Fama. *Sectio.II. num.VII.*
3. Fertur Decretum de Fama probata, nec ne. *Sectio. II. num. VII. & X.*
4. Probatur Corpus Delicti. *Sectio.X. num. III.*
5. Fit Decretum. *Sectio.III. num. XVII.*
6. Examinantur Testes. *Sectio.X. num. IV.*
7. Fit Decretum de Reo constituendo. *Sectio.V. num. VII.*
8. Carceratur Reus de fuga suspectus *Sect.V.n.II.*
9. Constituitur Reus. *Sectio.X. num. V.*
10. Conceduntur, fiunt, & præsentantur Defensiones. *Sectio.X. num. VI.*
11. Decernitur, & exequitur Tortura *Sectio.X. num. VII.*
12. Fertur Sententia. *Sectio. X. num. VIII.*

XII. *Processus per viam Inquisitionis mixtæ.*

1. Processus incipitur. *Sect. II. num. XI.*
2. Probatur Corpus Delicti. *Sectio.X. num.III.*

Prosequitur Processus juxta dicta de Inquisitione speciali numero præcedenti.

XIII. *Processus per viam Denunciationis.*

1. Præmittitur denunciatio, quæ si est oretenus, forma habetur. *Sectio.II. num.XII.*

Si per Libellum, aut per literas, fit ut habetur. *Sectio. II. num. XIV.*

Si Denunciator ignorat Delinquentem, servatur Forma data, *Sectio.II. num. XVIII.*

Si denunciatio detur civiliter, habetur Forma, *Sectio.III. num. XIX.*

2. Incipitur processus. *Sectio. II. num. XII.*
3. Si Denunciatio fit contra Prælatos, aut insignes personas, debet converti in Accusationem. *Sectio.II. num. XV.*
4. Continuatur processus per examen Denunciantis. *Sectio.II. num. XVII.*
5. Probatur Corpus Delicti *Sectio.X. num. III.*
6. Fertur Decretum. *Sectio.III. num. XVII.*
7. Examinantur Testes. *Sectio.X. num. IV.*
8. Fertur Decretum de Reo constituendo. *Sectio. V. num. VII.*
9. Carceratur Reus de fuga suspectus. *Sect.V.n.II.*
10. Constituitur Reus. *Sectio.X. num. V.*
11. Conceduntur, fiunt, & præsentantur Defensiones. *Sectio.X. num. VI.*
12. Decernitur, & exequitur Tortura, *Sect.X. num. VII.*
13. Fertur Sententia, *Sectio.X. num. VIII.*

XIV. *Processus per viam Querelæ.*

1. Præmittitur querela; cujus Forma datur. *Sectio. II. num. XX.*
2. Processus incipitur, & terminatur, ut fit per viam Denunciationis.

XV. *Processus per viam Accusationis.*

1. Præmittitur Accusatio, cujus Forma datur. *Sectio.II. num. XXII.*

Et in præsentatione ejus, si opus erit, servatur cautela data, *Sectio. II. num. XXIII*

2. Initiatur Processus. *Sectio.II. num. XXI.*
3. Si Accusator cognoscitur a Judice, ut Religiosus zelans, acceptetur Accusatio; sin minus, examinentur Testes super qualitate Famæ Accusatoris. *Sectio.II. num. XXV.*
4. Citatur Accusator ad producendos Testes. *Sectio.IV. num. XL.*
5. Probatur Corpus Delicti. *Sectio X.num. III.*
6. Fit Decretum. *Sectio.III. num. XVII*
7. Examinantur Testes. *Sectio.X. num. IV.*
8. Fertur Decretum de Reo constituendo. *Sectio.V. num. VII.*
9. Carceratur Reus de fuga suspectus. *Sect. V. num. II.*
10. Constituitur Reus. *Sectio.X. num. V.*
11. Conceduntur, fiunt, & præsentantur Defensiones. *Sectio. X. num VI.*
12. Citatur Accusator ad opponendum contra Defensiones a Reo factas. *Sectio.VII. n. XLIV.*
13. Communicantur Patrono Rei oppositiones factæ ab Accusatore *ibid.*
14. Replicatur a Patrono contra oppositiones Accusatoris, *Sectio.VII. num. XLIII.*
15. Decernitur, & exequitur Tortura. *Sect.X. num. VII.*
16. Citatur Accusator ad producenda omnia, quæ habet contra Reum *Sectio.VIII. num. III.*
17. Sententiatur. *Sectio.X. num. VIII.*

XVI. *Processus per viam Exceptionis Civilis.*

1. Præmittitur Libellus Exceptorius; si est contra Eligendum, ne eligatur. *Sect.II.n.XXVIII.*

Si est contra Electum ne confirmetur, habetur. *Sectio. II. num. XXXII.*

2. Incipitur Processus. *Sectio.II. num.XXVII.*
3. Examinantur Testes ab Exceptore producti. *Sectio.IV. num. XL.*
4. Fit Decretum de Reo constituendo, *Sectio.V. num. VII.*
5. Examinatur Reus *Sectio.X. num. IV.*
6. Conceduntur, fiunt, & præsentantur Defensiones. *Sectio.X. num VI.*
7. Citatur Exceptor ad contradicendum Defensionibus. *Sectio.VII. num.XLIV.* ut fit in Accusatione.
8. Replicatur ab Excepto oppositionibus Exceptoris. *Sectio.VIII. num.XLIII.* ut fit in Accusatione.
9. Fertur Sententia. *Sectio.VIII. num. XVII.*

XVII. *Processus per viam Exceptionis criminalis.*

1. Præmittitur Libellus Exceptorius. *Sectio.II. num XXX.*
2. Initiatur Processus, & prosequitur, ut fit in Accusatione.
3. Fertur Sententia. *Sectio.VIII. num. XVII.*

XVIII. *Processus ex Officio præcedentibus indiciis in Processu Exceptivo.*

1. Initiatur Processus. *Sectio.II. num. XXXIV.*
2. Probatur Corpus Delicti. *Sectio.X. num. III.*
3. Fertur Decretum post probationem Corporis Delicti. *Sectio.III. num. XVII.*
4. Examinantur Testes. *Sectio. X. num. IV.*
5. Fit Decretum de Reo constituendo. *Sect. V. num. VII.*

6. Car-

6. Carceratur Reus, si est de fuga suspectus. *Sectio. V. num. II.*
7. Constituitur Reus. *Sectio X. num. V.*
8. Conceduntur, fiunt, & præsentantur Defensiones. *Sectio. X. num. VI.*
9. Decernitur, & exequitur Tortura. *Sectio. X. num. VII.*
10. Sententia fertur. *Sectio. VIII. num. XVII.*

XIX. *Processus per viam Notorii.*

1. Initiatur Processus. *Sectio. II. num. XXXVI.*
2. Probatur Corpus Delicti. *Sectio. X. num. III.*
3. Fertur Decretum. *Sectio. III. num. XVII.*
4. Examinantur Testes. *Sectio. IV. n. XLIII.*
5. Pronunciatur constare de notorietate. *Sectio. IV. num. XLIV.*
6. Carceratur Reus, si est de fuga suspectus. *Sectio V. num. II.*
7. Fit Decretum constituendi Reum. *Sectio. V. num. VII.*
8. Reus examinatur. *Sectio V. num. XXXIV.*
9. Conceduntur, fiunt, & præsentantur Defensiones. *Sectio X. num. VI.*
1. Sententiatur. *Sectio VII. num. XX.*

XX. *Processus contra deprehensum in flagranti crimine.*

1. Initiatur Processus. *Sectio. II. n. XXXVIII.*
2. Si Delinquens captus, & adductus fuerit coram Judice, examinentur illi qui adduxerunt. *Sectio. num. XXXVIII.*
3. Si deprehensus est a Superiore. *Sectio II. num. XXXVIII.*
4. Examinantur Testes. *Sectio. II. n. XXXVIII.*
5. Visitatur Corpus Delicti. *Sectio. X. num. III.*
6. Carceratur Reus, si est de fuga suspectus, *Sectio. V. num. II.*
7. Examinatur Reus. *Sectio V. num. XXXVI.*
8. Conceditur illi Patronus, & Defensiones. *Sectio VI. num. I. & sequent.*
9. Sententiatur. *Sectio. VIII. num. XX.*

XXI. *Processus contra Fratres Conventus, qui rebellarunt ab obedientia Provincialis.*

1. Initiatur Processus, & præmittitur Monitorium. *Sectio. II. num. XXXIX.*
2. Fertur, & publicatur contra Fratres Excommunicatio, & affiguntur Cedulones. *ibid.*
3. Invocatur auxilium brachii sæcularis, *ibid.*
4. Carcerantur Rebelles. *ibid.*
5. Prosequitur Processus, ut supra in Delicto Notorio.

XXII. *Processus faciendus a Visitatore, si non reciperetur contumaciter a Fratribus alicujus Conventus.*

1. Initiatur Processus. *Sectio. II. num. XL.*
2. Præmittitur Monitorium. *ibid.*
3. Prosequuntur omnia Acta, ut dictum est de Fratribus Conventus rebellis Provinciali *ibid.*

XXIII. *Processus faciendus ab Arbitris in causa Recusantis Judicem.*

1. Initiatur Processus. *Sectio. II. num. XLI.*
2. Citatur Recusans ad producendos Testes. *Sectio. IV. num. XL.*
3. Examinantur Testes producti. *Sectio. IV. num. XL.*
4. Citetur Judex recusatus, si est Ordinarius ad opponendum contra probationes factas a Recusante. *Sectio. VIII. num. XVIII.*
5. Sententia fertur. *Sectio VIII. numero XIX.*

XXIV. *Processus quivis, qui fiunt a Delegatis.*

1. Initiatur Processus. *Sectio. II. num. XLIV.*
2. Inseruntur literæ patentes. *Sect. II. n. XLIV.*
3. Proceditur, ut in Superioribus juxta exigentiam Causæ.

XXV. *Processus faciendus a Delegato, cui ampliata est jurisdictio.*

1. Initiatur Processus. *Sectio II. num. XLVIII.*
2. Proceditur, ut in Superioribus, ad Causæ exigentiam.

XXVI. *Processus faciendus a Judice Ordinario ex Officio super Delicto cognito incidenter in alio judicio.*

1. Initiatur Processus. *Sectio. II. num. XXXVII.*
2. Proceditur, ut in Processu ex indiciis emergentibus ex Processu Exceptivo, *ut supra num. XVIII.*

SECTIO UNDECIMA.

In qua miscellaneæ Formulæ traduntur circa agenda a Superioribus Provincialibus, & Localibus.

I. Forma Processus faciendi a Provinciali pro Expulsione Incorrigibilis ab Ordine.

In nomine Domini Amen. Cum A. R. P. N. Minister Provincialis &c. adverterit inter suos Subditos connumerari Fratrem N. dyscolum, scandalosum, & plurimis vitiis deditum, qui multa gravia delicta commisit, de quibus, licet punitus fuerit, ad nostrarum legum normam, nunquam tamen resipuit; imo incorrigibilem *de jure* se prodidit; & eum ex sua conversatione non modica oriatur inter Religiosos conturbatio, & Sæculares plurimi ex sua mala vita scandalizentur, imo maximum periculum immineat, ne malo suo exemplo plurimos perdat, & in viam perditionis trahat; cumque omnes paternas exhortationes expertus fuerit,

rit, fuisse, & esse inutiles, ad ipsum reducendum ad bonam frugem, decrevit, iuxta Sac. Congr. Decretum, & Ordinis Constitutiones, hoc membrum putre resecare, ne malignitate sua totum corpus Religionis inficiat. Accito igitur Me infrascripto Secretario, quem Notarium creavit in solita forma coram Testibus infra notatis, decrevit Diffinitorium congregare ad effectum habendi consilium, & assensum, prædictum Fratrem N. incarcerandi, & omnia alia prout de jure peragendi. Acta sunt hæc Die ... &c. In Conventu &c.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego Fr. N. Actuarius.

II. Consequenter Anno ..... Mense ..... & Die ..., in prædicto Conventu N. N. in cameram, in qua solet congregari Diffinitorium, ab eodem Admodum R. P. convocati fuerunt R. P. Custos, & RR. PP. NN. & N. Diffinitores, & præmissa, ut moris est, Spiritus Sancti invocatione, portari coram illis fecit librum ex Archivio Provinciæ extractum, in quo adnotata sunt, iuxta Ordinis Constitutiones, copiæ Sententiarum, pœnitentiarum notabilium, & Monitionum Canonicarum. Et ipso coram omnibus aperto, legi per Me Actuarium fecit Sententiam olim prolatam contra supradictum Fratrem N., *sive* notabilem pœnitentiam datam eidem Fratri N.; quæ registrata est in prædicto libro folio &c. & est tenoris sequentis *Et scribatur tenor per extensum*.

Similiter aliam Sententiam, *sive* memoriam notabilis pœnitentiæ eidem similiter inflictam, notatam in eodem libro, folio &c. *Et ponatur eius tenor*.

Pariter aliam Sententiam, *sive* memoriam pœnitentiæ notabilis præfato Fr. N. incussam, descriptam in memorato lib. folio &c., quæ ita se habet. *Et scribatur itidem tenor illius*.

Quas quidem Sententias, & memorias, omnes Patres Diffinitorii oculariter inspexerunt authenticas in eodem libro. Subiunxit postea idem A. R. P. Provincialis, prædictum Fratrem N. minime post tales pœnitentias fuisse correptum, imo a pluribus Religiosis cordatis, gravibus, non malevolis, sed omni fide dignis, qui secum de familia commorati sunt, accepisse, illum esse Fratribus molestum, scandalosum, tumultuosum, crapulæ, & vino deditum, a Choro alienum, orationis mentalis inimicum, mordacem, murmuratorem, susurronem, & pessimæ conscientiæ; Unde proposuit idem A. R.P. Provincialis Patribus Diffinitorii prædictis; An ipse Fr. N. debeat incarcerari per annum juxta Sac. Congregationis Decretum ad hoc, ut a diutino carcere ad emendationem reducatur, vel eius incorrigibilitas plene probetur? Qui R. R. P. P. mature ponderatis omnibus, & bene informati de mala illius conversatione, consilium, & assensum dederunt, ut carceri formali per annum manciparetur. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Custos.
Ita est ego N. Secretarius.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO

III. *Advertendum, quod potest dari casus, quod aliquis fuerit notabiliter pænitentiatus, & quod, præ incuria Secretarii, in libro Provinciæ talis pænitentia non fuerit adnotata. Tali casu debet Provincialis examinare duos, aut tres Testes super Notorietate talis pænitentiæ, & potest servari forma, quæ sequitur.*

Consequenter volens A. R. P. Provincialis ante convocationem Diffinitorii facere constare in actis de notabilibus pœnitentiis inutiliter inflictis præfato Fratri N., licet hoc sit publicum, & Notorium, decrevit super hoc congruos Testes, ex Officio assumptos, examinare. Proinde vocare coram se fecit P.Fr.N. Sacerdotem ætatis annorum &c. Religionis vero &c. & ipsi dato juramento &c. prout juravit &c. fuit:

Interrogatus. An, & a quo tempore cognoscat Fratrem N.?

An fuerit secum de familia?

Cujus vitæ, & famæ sit prædictus Fr. N.?

Quomodo hoc sciat?

An fecerit aliquod, seu aliqua delicta, ob quæ fuerit notabiliter pœnitentiatus?

Dicat quænam fuerint, ubi quando, & quoties commissa?

Quas pœnitentias, ubi, quando, & quoties ob hæc subierit?

De causa scientiæ?

An hoc communiter in Provincia sit Notorium?

De causa scientiæ?

An post tales pœnitentias emendationem præ se tulerit?

Quomodo hoc sciat?

An amore, vel odio deposuerit?

Quibus habitis, & si, & in quantum acceptatis, lecto sibi suo examine &c. dimissus est &c. Acta sunt hæc *Die* ... &c. loco &c.

Ego N. Affirmo, ut sup.
Ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Sub eadem Formula examinet alios duos, aut plures Testes, & melius est, quod sint Sacerdotes graves, de quorum dictis non possit ambigi ad plene, & superplene probandam notorietatem. In descriptione vero convocationis Diffinitorii, loco ejus, quod supra num. II. *dicitur*, *quod* portare coram se fecit librum ex Archivio &c. *Dicatur*, quod Provincialis statuerit coram Diffinitorio depositiones Testium, ex quibus probatum remanet, dictum Fratrem N. fuisse ter notabiliter, & publice pœnitentiatum; sed minime correctum &c.

IV. Anno ... igitur Mense ... *Die* ... &c. idemmet A. R. P. Provincialis vocari coram se in publica Fratrum Communitate fecit prædictum Fratrem N., ipsoque genuflexo, ad eum habuit paternum, & gravem sermonem, in quo exprobavit illi repetita delicta, puta quod tali tempore, & loco &c. commisit tale scandalum &c. *& recenseantur delicta trina, seu plura, ob quæ fuit pænitentiatus notabiliter, seu juridice*. Et quod nihilominus per pœnitentias nihilo melioratus est; imo novos adjecit defectus, & scandala, puta &c. *& hic describantur mali illius mores, vita relaxata &c.* proinde, cum Diffinitorii consilio, & assensu, decernit carcerandum formaliter, juxta Ordinis Statuta, per annum,

ut,

ut, per hanc pœnitentiam, a mala vita resipiscat. Protestando ex nomine suo, & totius Religionis, quod si post hanc pœnitentiam in sua perversitate, & malitia permanserit, tanquam incorrigibilis, juxta Sac. Canones, & Apostolica Decreta, a Religione expelletur. Hortatus est tandem, & ipsum obsecravit per viscera D. N. I. C. ut de sua salute recogitaret, & ex corde pœniteret. Et omnibus Fratribus meritum S. Obedientiæ dedit, si specialem orationem facerent pro conversione ipsius, ne ex ipsius incorrigibilitate cogeretur, ad ipsum ejiciendum de gremio Religionis. In cujus decreti executionem carceribus mancipatus est. Acta sunt hæc Anno ... &c. præsentibus infrascriptis Testibus ad hæc specialiter rogatis.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. fui Testis.
Ego Fr. N. fui Testis.
Ego F. N. Actuarius.

ANDOTATIO.

V. *Advertendum, quod si Reus forte adhuc sit in carcere in pœnam tertii Delicti commissi, ut diximus* Par. p. Tit. Pœnarum num. 35. pag. 150. *post quem potest decerni carcer ad probationem incorrigibilitatis, debet hoc in Processu adnotari; sicut etiam omnia alia, quæ contingere poterunt in carceratione, prout docuimus dicta* Par. pr. Tit. Pœnarum n. 144. *Vide ibi.*

VI. Consequenter Anno ... Mense ... Die ... &c. instante fine anni carcerationis prædicti Fratris N. prout supra, volens prædictus A. R. P. Provincialis experiri, an per talem carcerationem prædictus Fr. N. ad emendationem sit mutatus, vocari coram se fecit P. N. Ex Ministrum, Ex Custodem, seu Guardianum, & P. Lectorem Theologum &c. Et ipsis injunxit, ut se conferrent ad carcerem, ubi prædictus Fr. N. est detentus, & ipsius mentem diligenter explorarent, an amodo velit præcepta Dei, & Regulæ, ac Ordinis Constitutiones servare; a malis moribus, in quibus antea versatus est, se corrigere; & tandem exemplariter, & religiose vivere; Et fideliter referrent omnia, quæ ex tali colloquio sequerentur. Qui prædicti Patres promiserunt, se omnia diligenter, & fideliter præstituros. Acta sunt hæc &c.

Ego N. Minister *Provincialis.*
Ego N. Actuarius.

VII. Eodem Anno ... Mense ... & Die ... & loco, quo supra, coram prædicto P. A. R. Ministro Provinciali, & Me infrascripto, prædicti P. P. N. & N. comparuerunt, & sub juramento, quod exhibuerunt, tacto pectore, more Sacerdotali, retulerunt, se associatos a P. P. F. F. N. & N. Testibus ad hoc a se specialiter rogatis, & adhibitis, ut interessent colloquio habendo cum prædicto Fratre N. Carcerato, & omnia audirent, adivisse carcerem, & intra admissi a Custode carceris, simul cum præfatis Testibus, interrogaverunt eum, an vellet amodo, ut bonus Religiosus vivere, suam vitam in melius mutare &c. Qui præfatus Fr. N. respondit &c. *Et hic describantur ea omnia, quæ ipse carceratus dixerit, aut fecerit &c.* Et hæc omnia Testes infrascripti, medio juramento, quod præstiterunt, confirmarunt, prout suprascriptum est accidisse in eorum præsentia. In quorum &c.

Ego Fr. N. *Deputatus* affirmo.
Ego Fr. N. *Deputatus* affirmo.
Ego Fr. N. sui Testis.
Ego Fr. N. sui Testis.
Ego N. Minister.
Ego N. Actuarius.

VIII. *Si prout adnotavimus* Par. pr. Tit. Pœnarum num. 149. pag. 292. *carceratus humilitatem, & emendationis propositum ostenderit, debet processus ita prosequi.*

Anno ... Mense ... & Die ... Cum completus esset annus carcerationis prædicti Fr. N. ad normam Decreti Sac. Congregationis, & ad juratam relationem supradictorum Patrum N. & N. ipse Reus signa pœnitudinis, & conversionis dederit, prout supra dictum est, A. R. P. Provincialis convocato Diffinitorio in cameram solitam, per Me Actuarium legi fecit totum Processum; quo lecto, ab ipsis consilium petiit, quid sibi videretur in hoc casu agendum? Qui Patres maturo consideratis omnibus, & attentis signis emendationis promissæ a Reo datis, & quod Deus de lapidibus suscitare potest filios *Abrahæ*, & quod nullius, dum vivit, desperanda est correctio, in eam iverunt sententiam, ut e carcere educeretur; coram Diffinitorio graviter admoneretur, & (præmissa protestatione, quod si pacifice, & religiose cum aliis Fratribus non vixerit; vel aliud scandalum grave commiserit, habebitur pro incorrigibili de jure, & irremissibiliter ad perpetuum carcerem, seu ad triremes damnabitur, juxta Ordinis Statuta, vel ad placitum Reverendissimi Patris Generalis ab Ordine expelletur) a carcere liberaretur. Tunc P. Provincialis immediate adduci coram omnibus prædictis fecit prædictum Fratrem N. ad quem genuflexum, & humiliter veniam petentem, & emendationem promittentem, gravem sermonem habuit, & advocatis ad hoc specialiter Testibus, qui fuerunt P. P. F. F. N. & N. protestatus est, ut supra. Qui Reus denuo emendationem promittens, protestationem sibi factam acceptavit, & sic pro tunc dimissus est. Acta sunt hæc &c.

Ego Fr. N. promitto, & accepto, ut supra.
Ego Fr. N. sui Testis.
Ego Fr. N. sui Testis.
Ego Fr. N. Diffinitor.
Ego Fr. N. Diffinitor.
Ego Fr. N. Diffinitor.
Ego Fr. N. Diffinitor.
Ego Fr. N. Custos.
Ita est Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

IX. *Si vero Reus interrogatus in carcere a Patribus missis a Provinciali ad explorandam ipsius voluntatem, (ut supradictum est) nulla signa dederit emendationis, aut ambigua, prout diximus.* Par. p. Tit. Pœnarum num. 152. pag. 308. *& hoc referant dicti Patres Provinciali, sub juramento, ut præfertur, debet congregari Diffinitorium, & totum proponi, & describi, prout sequitur.*

Anno ... Mense ... Die ... &c. cum completus esset annus carcerationis prædicti Fratris N. & ad juratam depositionem Patrum, ut supra missorum ad explorandam voluntatem memorati Fratris N. carcerati intellexerit ipsum ambigua, *sive* nulla signa conversionis dedisse, ut patet ex ipsorum relatione in Actis supra exstante, convocavit Diffinitorium, & totum Processum per me Actuarium legi fecit, & ab ipsis Pa-

Patribus Diffinitorii petiit consilium in hoc casu. Qui mature consideratis omnibus, censuerunt esse ad ulteriora procedendum in ordine ad expulsionem juxta Ordinis Constitutiones. Acta sunt hæc Die ... &c. in Conventu &c.

Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Custos.
Ita est Ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

X. *Potest etiam dari casus, quod Reus postquam exivit a carcere, & nondum expleto triennio (post quod diximus* Par. p. Tit. Pœnarum nu. 150. & 151. pag. 192. *processum ad expulsionem esse comburendum) novum grave scandalum committat. Potest pariter dari casus, quod nullum tale committat, sed ut prius relaxate vivat, orationem, & Chorum fugiat, turpia loquatur, serat discordias; familiam conturbet, & ab ejus consortio fugiant cæteri Fratres. In his duobus casibus, (qui frequentius accidunt) potest deveniri ad expulsionem. De primo patet, cum enim noviter deliquerit, & intra tempus requisitum ad ostendendum factis realem morum emendationem; liquet, quod ipse de facto se prodit incorrigibilem. De secundo pariter evidens res est; quia, ut demonstravimus*, Par. p. Tit. Pœnarum num. 25. pag. 150. *non est necessarium quod Expellendus post triplex crimen commissum, novum addat; sed sufficit, quod irreligiose vivendo demonstret, se minime fuisse correctum, ut probavimus loc. cit.* num. 37.

XI. In primo ergo casu Provincialis debet instruere Processum ex Fama, Denunciatione, sive Accusatione juxta Formam, præscriptam in Sectionibus præcedentibus, & probato semiplene delicto, debet Reus assecurari in carcere, examinari, sibi assignari Patronus, & *omnia perfici usque ad Sententiam diffinitivam exclusive; hæc enim debet dari a Generali, est enim Sententia expulsionis, aut perpetui carceris, aut Triremium, quæ Reo datur ob incorrigibilitatem demonstratam hoc novo delicto.*

XII. In secundo autem casu instituenda est Inquisitio mixta, puta generalis quo ad delicta, specialis vero quo ad personam. Hæc autem potest institui, aut ex fama præcedente, aut ex Denunciatione, sive Accusatione; sed compendiosius fiet, si occasione Visitationis generalis Conventus, ipsa instituatur, ut sequitur.

XIII. In nomine Domini, Amen. Cum A.R.P.N. Minister provincialis degens in Conventu N. a pluribus Religiosis gravibus, & fide dignis extrajudicialiter audierit Fratrem N., (qui per annum integrum juxta Ordinis Constitutiones probatus est in carcere formali, in ordine ad expulsionem) non mutasse in melius mores suos, juxta id quod in carcere existens promiserat, prout apparet ex Processu in specie fabricato, qui asservatur in Archivio Provinciæ; imo in vita antiqua perseverare irreligiose vivendo, decrevit inquirere veritatem per ordinariam juris viam. Quapropter in præsentia N. & N. Testium in cameram suam vocatu Me infrascripto, per exhibitionem juramenti fidelitatis, quod præstiti tacto pectore &c. Me Notarium creavit, ad effectum, ut illi inservirem pro legitimo Actuario in fabricando processu. Acta sunt hæc Anno... Mense ... Die &c.

De Ameno Form. Crim. Par. II.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

Consequenter vocatus fuit Fr. N. &c. ætatis annorum &c. Religionis &c. Testis ex officio assumptus, cui dato juramento de veritate dicenda, prout juravit &c. fuit.

Interrogatus In quo Conventu, in quo Officio, & a quo tempore habitet?

An cognoscat, & a quo tempore Fratrem N. commorantem de familia in eodem Conventu?

An viderit dictum Fratrem N. composite, & Religiose vixisse, Chorum, Orationem, & alia boni Religiosi munia præstitisse; convixisse pacifice cum aliis Fratribus; honeste cum omnibus, & maxime Sæcularibus, locutum fuisse?

Quomodo hoc sciat?

Quisnam alius sciat, quæ ipse Testis deposuit?

An Amore, vel odio deposuerit?

Et concludatur?

Quibus habitis, et si, & in quantum acceptatis, dimissus est, lecta sibi prius sua depositione, cui se subscripsit. Acta sunt hæc die &c.

Ego Fr. N. deposui, ut supra.
Ego F. N. Minister.
Ego F. N. Actuarius.

Juxta ergo præscripta interrogatoria omnes Fratres illius Conventus sunt examinandi, & postquam duo, vel tres examinati sunt, & concludunter probata mala vita illius Fratris, potest Provincialis ipsum in custodia assecurare, & interim cæteros Testes examinare.

ADNOTATIO I.

XIV. *Advertendum primo, quod si aliquis Testis, qui interfuit alicui facto concernenti probationem vitæ immorigeratæ Expellendi, fuerit in alio Conventu, debet iste pariter examinari, ut plene probetur factum, per quod cumulantur cætero indicia incorrigibilitatis.*

ADNOTATIO II.

XV. Advertendum secundo, quod cum hic agatur de probanda tantummodo mala vita Expellendi, facta illa, quæ non essent alias materia inquisitionis criminalis, sufficiunt in hoc casu ad probandam incorrigibilitatem; proinde bene probanda sunt omnia illa, ut negligentia ad Chorum, fuga ab oratione mentali, crapula, comessationes, murmurationes, discursus inhonesti, verba obscæna, conversatio affectata cum mulieribus, & hujusmodi, quæ probant malam conscientiam, ac vitam relaxatam.

ADNOTATIO III.

XVI. Advertendum tertio, quod Judex debet esse valde cautus in examinando, & nullo modo debet quærere de crimine, aut defectibus Eijciendi, nec in particulari, ne videatur suggestive Testes interrogare, sed debet quærere, Num *Eijciendus bene vixerit? prout supra diximus in Schemate interrogationis Testium. Quia vero semper inter alios Testes*

reperietur aliquis Amicus, Partialis, seu Factionarius Eijciendi, qui interrogatus de ejus vita respondebit, illum esse optimum Religiosum, & exemplarissime vivere, licet sit totum oppositum; ideo ne cum læsione Religionis, & veritatis, ejus testimonium labefactet dicta aliorum, optimum erit, quod Judex quærat ab aliis examinatis. An Testis ille taliter deponens sit Amicus Eijciendi, ac ejus intimus &c. An ejus defensionem contra alios Fratres se conquerentes de illo susceperit? *Et alia quærat, per quæ ex ventre processus appareat probata illius partialitas cū Reo, & sic fides ipsius testimonio dematur.*

XVII. *His peractis debet Reus constitui, eo modo, quo diximus* Sect. 5. per totam, *examinari, ipsi trodi copia Actorum, assignari Patronus, & fieri defensiones juxta formas, quæ supra traditæ sunt pro cæteris processibus, quas hic non repetimus, quia superfluas judicamus.*

XVIII. *Sic compilato processu, & defensionibus debet processus mitti ad Generalem, qui si distat a Provincia minus quam per tres dietas, prout diximus* Par. I. Tit. Pænarum 152. *debet adiri a sex Patribus deputatis in Capitulo ad expulsionem Incorrigibilium, & debent oretenus dare votum suum pro expulsione; & potest continuari processus, ut sequitur.*

Consequenter A. R. P. Provincialis advertens, quod Reverendissimus P. Generalis, ad quem spectat, juxta Sac. Congregationis Decretum, proferre Sententiam diffinitivam, non distat a Provinciæ confinio ultra tres dietas, decrevit pro suo munere, omnium hucusque Actorum transumpta authentica, clausa, & sigillo Provinciæ munita, per idoneam personam ad ipsum fideliter mittere, & insuper commonefacere RR. PP. N. N. N. N. N. N. Judices deputatos, & electos in Capitulo ad expulsionem Incorrigibilium, ad quos opportunas literas obedientiales dabit, ut quantocitius iter arripiant ad eundem Reverendissimum Patrem, ea, quæ sunt sui muneris, præstaturi. Et mihi jussit, Acta processualia omnia sigillare, & literas obedientiales formare. Acta sunt hæc Anno &c.

Ita est ego N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Sigillato ergo, ut debet Processu, de foris debet scribi Titulus hoc modo. Processus criminalis contra Fr. N. Laicum Provinciæ N. in ordine ad expulsionem a Religione.

Ad Reverendissimum Patrem N. Ministrum Generalem totius Ordinis Fratrum Minorum.

XIX. *Si vero Generalis abest ultra tres dietas, debet Provincialis vocare sex Patres supradictos, ut votum suum forment, ut possit simul cum processu ad Generalem transmitti; & processus continuabitur, ut sequitur.*

Consequenter advertens A.R.P. Provincialis, Reverendissimum P. Ministrum Generalem abesse a confiniis Provinciæ ultra tres dietas, decrevit convocare sex Patres in Capitulo Provinciali deputatos ad expulsionem Incorrigibilium, ad hoc, quod ipsi juxta indultum Sac. Congregationis vota sua super hac causa pendente transmittant ad eundem Reverendiss. Patrem. Vocare ergo curam se fecit RR. PP. N. N. N. N. N. & N. ut præfertur deputatos, & per Me Actuarium copiam authenticam omnium Actorum illis consignare fecit, ut possent super Causa prædicta inter se conferre, & vota, ut de jure debent, ad memoratum Reverendissimum Patrem transmittere. Qui præfati RR. PP. prædictam copiam receperunt, & promiserunt se quantocius munus suum esse præstaturos. Acta sunt hæc Die &c.

Ego N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Actuarius.

XX. *Mature, accurate, & cum charitate, omnique passione humana seposita, consideratis actis; & inter se collatis sententiis, & etiam exquisito consilio secreto, in punctis arduis ab aliquo Canonista exercitato in materia Regulari, ac Deum timente, debent Patres supradicti, si in unam coeant Sententiam unicum votum (prout diximus* Par. I Tit. Pœnarum num. 152.) *formare, & illud propria subscriptione & signis munire. Votum porro potest esse, ut sequitur.*

Reverendissime Pater.

XXI. In causa actitata coram P. Ministro Provinciali N. de consilio, & assensu Diffinitorii contra Fratrem N. memoratæ Provinciæ ad effectum ipsum expellendi ab Ordine, tanquam perniciosum, & incorrigibilem Nos infrascripti Judices, juxta dispositionem Decreti Sac. Congregationis electi in Capitulo Provinciali ad ferendum votum in casibus expulsionis ab ordine, vidimus diligentissime, & mature perpendimus Acta omnia processualia, tam contra, quam pro Reo. Perspeximus autem, quod &c *Et hic nervose, & succinte tangantur puncta delictorum, probationum, jurium adductorum per Patronum, & maxime relevantia pro, vel contra Reum, & citentur textus Canonici, aut Civiles, sive Constitutiones Apostolicæ, vel Statuta Ordinis, aut Classicorum Doctorum sententiæ, quæ faciunt ad singula puncta.* Quapropter invocato Spiritus Sancti auxilio, adhibito studio, & consideratione, collatis inter Nos sententiis, & consultis viris doctis, ac piis sumus in voto, attentis supra notatis, quod &c. *Et hic describatur votum, sive ad expulsionem, sive non* Salvo semper meliori consilio P. V. Reverendissimæ, ad quod &c. Dat. &c. Die &c. in Conventu &c. & & subsignetur ab omnibus.

Quod si in diversas abeunt sententias, illi, qui in unam partem inclinant, possunt comune votum formare, cæteri autem suum, ad instar tamen schematis præcedentis. Bonum tamen esset, quod hujusmodi voti duo fierent exemplaria ab iisdem Patribus subsignati, quorū unum conservaretur in Archivio simul cum Actis originalibus, ne aliquo inopinato eventu in transmissione ad Generalem deperiret; aliud vero cum copia Actorum, ut præfertur, transmitteretur.

XXII. *Formato autem voto, ut dictum est, debent sex Patres supradicti uniti restituere Ministro Provinciali copiam Actorum, simul cum eorum voto, processus sigillari, ut sequitur.*

Anno... Die &c. Comparuerunt coram A. R. P. Ministro Provinciali supradicti sex Patres, qui restituta ipsi copia Actorum, præsentarunt duo authographa voti ab ipsis formati super Causa prædicta, ad effectum conservandi alterum istorum cum Actis originalibus, aliud vero transmittendi, cum copia ad Reverendissimum P. Generalem. Qui P. Minister Provincialis cum gratiarum actione illa recepit, & jussit mihi, ut insererem illa respective in originali, ac copia actorum, quod præstiti. Votum porro incipit

cipit &c. & desinit &c. *& ponatur tenor*, & hic inseritur signatum litera &c. *sive* numero &c. Et tandem idem A. R. P. decrevit omnia quam primum ad Reverendissimum P. Generalem mittere, proinde mihi mandavit, ut Processum cum voto prædicto sigillarem. In quorum &c.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Et sigillato Processu, apponatur titulus sicut paulo supra dictum est.

XXIII. *Tandem Generalis viso processu, & voto Patrum, si judicaverit esse expellendum, potest procedere ad Sententiam expulsionis, prout sequitur.*

Christi nomine invocato. Nos F. N. Totius Ordinis Minorum Minister Generalis; Viso processu fabricato a P. N. Ministro Provinciæ nostræ N. contra Fratrem N. ejusdem Ordinis, & Provinciæ Laicum, *seu* Clericum &c. in ordine ad eum expellendum ab Ordine tanquam incorrigibilem; Visa, & considerata forma, secundum quam processum est in hac Causa, in qua servata sunt omnia præscripta a Sac. Congregatione circa annuam carcerationem in jejunio, & pœnitentia; Visis defensionibus propositis a P. Fr. N. Patrono memorati *Fr.* N. Rei ad ipsius favorem; Viso voto Patrum N. N. N. N. N. & N. deputatorum in Capitulo supradictæ Provinciæ ad Causas Incorrigibilium examinandas, juxta Decretum Sac. Congregationis. Visis tandem omnibus videndis; & consideratis considerandis; Nos Fr. N. Minister Generalis, qui supra, Deum solum præ oculis habentes, ut de illius vultu nostrum judicium prodeat, per hanc nostram diffinitivam Sententiam, quam in his scriptis ferimus, Christi nomine repetito, pronunciamus, declaramus, & sententiamus dictum Fr. N. esse vere incorrigibilem, & ut talem esse ab Ordine nostro ejiciendum; ideoque illum per hanc nostram diffinitivam Sententiam a memorato Ordine nostro ejicimus, & ejectum esse declaramus; admonentes eundem nullatenus liberum a votis in professione facta *inter nos emissis remanere*; Et extra Religionem nostram degentem, esse perpetuo suspensum ab exercitio Ordinum suorum; & subditum Ordinario loci, in quo habitare ipsum contigerit, facultate relaxandi, aut moderandi dictam Suspensionem, per Decretum prædictæ Sac. Congregationis memorato Ordinario, penitus interdicta; & quandiu, vita in melius mutata, pœnitens vere ad Religionem, & obedientiam non redierit, in habitu, & tonsura Clerici Sæcularis incedat.

Lata, lecta, & publicata fuit Romæ in Conventu &c. die &c. præsentibus N. & N. Testibus ad hæc specialiter rogatis.

Ego N. Minister Generalis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Secretarius Generalis.

Quod si Ejiciendus sit Laicus, sive Clericus nullo Ordine insignitus, post illa verba, inter nos emissis remanere. *Subjungatur.*

Et ut habitu nostræ Religionis nullo modo, & tempore utatur sub pœna falsi, & aliis latis contra eos, qui, cum Laici sint, habitum alicujus Religionis assumunt. Injungentes ei, ut statim ac e carcere liberatus erit, Diœcesano, sive Ordinario suo se præsentet, & ejus jurisdictioni, & obedientiæ se subjiciat, ut in memorato decreto Sac. Congregationis mandatur. Lata, lecta &c. ut supra &c.

XXIV. *Transmissa Sententia a Generali ad Provincialem, debet Reo in carceribus existenti intimari, & post decem dies, (si non appellaverit) debet educi, & secularizari, prout diximus* Par. I. Tit. Pœnarum num. 153. *Si vero appellaverit, debet detineri in carcere, usque ad diffinitivam Judicis ad quem. Si autem fugerit a carcere, et si Apostata, debet Sententia Generalis publicari coram tota Communitate, & affigi ad valvas Refectorii.*

XXV. *Potest autem dari casus, quod patrato tertio gravi delicto Reus fugerit Apostata; sive in carcere existens fugam arripuerit; vel non completo integro anno carcerationis, pro experientia incorrigibilitatis, similiter apostataverit; in his casibus non potest servari forma superius præscripta. Si ergo Reus post tertium delictum, aut e carcere ubi pro tertio delicto detinebatur ad custodiam, sive ad pœnam, aufugerit, processus ad expulsionem incipietur, ut sequitur.*

XXVI. In nomine Domini. Amen. Cum e carcere Conventus nostri N. fugam arripuerit Frater N. qui ibi detinebatur ad custodiam, *sive* ad pœnam delicti a se commissi in Conventu N., prout latius continetur in processu, super hoc fabricato, ad quem &c. A. R. P. N. Minister Provincialis &c. considerans, quod prædictus Frater N. replicatis suis scandalis, & delictis perniciosus est Religioni, quam male vivendo conturbat, & maculat, duxit, sui muneris esse, hoc membrum putre, quod cætera potest inficere, esse resecandum, & ejiciendum ab Ordine, tanquam incorrigibilem. Ideo coram infrascriptis Testibus me Secretarium suum in suam cameram vocare fecit, & mihi dato fidelitatis juramento, quod præstiti, tacto pectore more Sacerdotum, Me Notarium creavit, ut sibi pro Actuario inservirem in actis faciendis ad expulsionem prædicti Fratris N. legaliter decernendam. Acta sunt hæc Anno ... Mense ... Die &c. in Conventu &c.

Ego Fr. N. Minister.
Ego Fr. N. fui Testis.
Ego Fr. N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

ADNOTATIO.

XXVII. *Advertendum, quod ante quam deveniatur, ad inceptionem processus ad expulsionem, oportet, quod terminatus sit processus pro tertio delicto, & sententia lata abierit in judicatum, per lapsum decem dierum, ex quo probata fuit. Etenim ad hoc, quod quis dicatur de jure incorrigibilis oportet, quod de tribus delictis fuerit punitus; si vero non fuisse prolata sententia super tertio delicto, non posset dici Reus ter punitus, & ita non posset ad normam Decreti Sacræ Congregationis declarari formaliter incorrigibilis.*

XXVIII. Consequenter Anno &c. *ut sup. num.* 2. *usque ad illa verba*; Quas quidem Sententias &c. *& sequatur.*

Pariter statuit coram ipsis processum fabricatum contra eundem Fratrem N. super delicto &c. *& hic ponatur delictum, de quo fuit processatus*, ob quod (cum fugam a Religione arripuerit) fuit in contumacia condemnatus ad &c. *& hic exprimatur pœna contenta in Sententia*. Quibus stantibus idem A. R. P. Provincialis proposuit prædictis Patribus Diffinito-

rii, An debeat institui Processus ad expulsionem ab Ordine prædicti Fratris N., & expediat petere a Sac. Congregatione dispensationem, ita ut possit deveniri ad Sententiam expulsionis absque eo, quod prædictus Fr. N. fugitivus probetur incorrigibilis per annuam carcerationem? Qui RR. PP. mature consideratis omnibus, consilium, & assensum dederunt, quod instrueretur processus, &, ut præfertur, peteretur nomine Provinciæ dispensatio. Acta sunt hæc &c. & subscribatur ab omnibus.

ADNOTATIO.

XXIX. *Advertendum, quod sobrie intelligendum est, quod docuimus* Par. I. Tit. Pœnarum num. 38. *circa continuationem moralem trium delictorum, quæ necessaria præcedere debent expulsionem. Potest enim dari, quod aliquis punitus de delicto per unum, aut alterum mensem, donec recens est memoria inflictæ pœnitentiæ, composite vivat; ex post redeat ad vomitum libertinam vitam ducendo, licet aliud grave scandalum, notabile, aut enorme non committat, nisi post duos, vel tres annos. Etenim diximus quidem triennium transactum inter unum, & aliud grave delictum interrumpere moralem continuationem delictorum necessariam ad incorrigibilitatem; sed debet intelligi, quod in triennio intermedio Religiosus semper, aut pro majori parte ostenderit mores in melius formatos, ac primo habebat. Sed si conversatio ipsius mutata per unum, aut alterum mensem, redierit ad primævos mores, vivendo relaxate, ut prius; dico quod si novum grave delictum committat, licet ultra triennium a delicto præcedenti, delicta habent moralem continuationem sufficientem ad expulsionem. Etenim illud parvum tempus, in quo bene vixit pro nihilo reputatur in comparatione illius, per quod vixit relaxate; imo ostenditur, quod mutatio morum pro illo tempore non fuit effectus pœnitentiæ prodeuntis a voluntate contrita de antiquis malefactis, sed potius naturalis alicujus timoris novæ pœnæ subeundæ, quo evanescente, voluntas malo assueta rediit ad vitam pristinam, quam nunquam radicitus, & ex corde detestata est; & ex consequenti non potest dici ille de primo, & antiquo delicto vere correctus, sed permansisse in antiqua malitia usque ad consummationem alterius delicti, etiam per triennium interjectum inter unum, & aliud. Quia vero duratio talis malitiæ per continuationem malorum morum necessario probanda est, ut recte procedatur in expulsione, ideo debet super hac Provincialis Testes examinare, prout sequitur.*

XXX. Consequenter A. R. P. Provincialis considerans, quod inter unum, & aliud, & tertium delictum commissum a prædicto Fr. N. multum temporis mediavit, in quo nescit an prædictus Fr. N. bene, & morigerate vixerit, itaut si ex post deliquit, hoc fuerit ex humana fragilitate, & non ex nunquam mutata perversa voluntate, an vero e contra, decrevit super hoc necessarias informationes sumere. Vocare ergo coram se fecit P. Fratrem N. Sacerdotem &c. ætatis annorum &c. Religionis vero &c. Testem ex officio assumptum, cui dato juramento &c. prout juravit tact. &c. fuit.

Interrogatus. An sciat causam suæ Vocationis?

De anno tali &c. sub Provincialatu A. R. P. N. in quo Conventu ipse examinatus mansit de familia?

Per quodnam tempus, & in quo officio ibi mansit?

Quisnam erat Guardianus, & qui Fratres de Familia ibi habitabant?

An Fr. N. quem dixit ibi esse de Familia, eo toto tempore Religiose vixerit, frequentando Chorum, Orationem, & alia exercitia Religiosa; fugiendo Sæculares; pacifice conversando cum Fratribus; neminem provocando &c.?

De causa scientiæ?

An ob prædictam malam vitam fuerit correctus, & paterne pœnitentiatus a Guardiano, aut Provinciali in Visitatione?

An audierit bonos, & graves Religiosos conqueri de vita relaxata talis Fratris?

Quosnam, quoties, quando, ubi, & qua occasione audierit?

Cujus famæ sit ille Fr.?

Quomodo hoc sciat?

An hoc sit publicum, & notorium in Provincia?

An sit ejus Amicus, vel Inimicus?

Et concludatur examen sic.

Quibus habitis, &c., & in quantum receptis, lecto prius suo examine, cui subscripsit, dimissus est, Acta sunt hæc &c.

Ego Fr. N. deposui, ut supra.
Ego Fr. N. Minister.
Ego N. Actuarius.

XXXI. *Sub hac forma examinandi sunt omnes Testes, & advertendum est, quod melius fiet, si Testes erunt Sacerdotes senes, & viri graves; & optimum esset, quod examinarentur illi, qui erant Guardiani, Vicarii, & Discreti Conventuum, in quibus moratus est Reus temporibus illis, de quibus inquiritur. Quod si aliquis partialis, aut Factionarius Rei deponat eum bene tunc, & Religiose vixisse, servetur cautela, quam tradidimus supra* num. XVI. *in casu simili*.

XXXII. *Examinatis Testibus omnibus, bene fiet, si ad abundantem, & ex officio, Provincialis deputet Reo Patronum, ne videatur condemnatus absque eo, quod fuerit defensus. Et processus ita continuabitur*.

Cum completæ fuissent informationes sumptæ contra Fratrem N. qui supra, decrevit A.R.P. Provincialis ex officio deputare Religiosum doctum, & gravem, qui tanquam Patronus Rei præfati produceret ad sui defensam omne id, quod juri consonum putaverit ad illius favorem allegandum. Quapropter vocare coram se fecit R.P. Theologum &c. cui injunxit munus Patroni suscipere, & Defensiones formare pro memorato Fratre N. Qui P. N. prompte obediens munus acceptavit, & ad mandatum ejusdem A. R. P. juramentum exhibuit, tacto pectore, de exercendo officio Patroni omni diligentia, fidelitate, & integritate, juxta proprias vires, & Causæ justitiam. Tandem mihi jussit, ut copiam facerem prædicto Patrono lustrandi Processum toties, quoties sibi erit necessarium; & illi assignavit quindecim dies, intra quos teneretur Defensiones præsentare; quem terminum ipse acceptavit reservato sibi jure petendi novas dilationes, si necessarias habebit. Acta sunt hæc Die., Mense ... Anno &c.

Ego F. N. Minister Provincialis.
Ego Fr. N. Patronus Deputatus.
Ego N. Actuarius.

XXXIII. *Patronus autem, si opportunum judicaverit, poterit formare Articulos interrogatorios, sive defensorios, petere a Provinciali fabricationem processus defensivi, excipere contra personas, & dicta*

Te-

Testium, & omnia facere ad favorem Rei, quæ diximus de Patrono Sect. 6. num. IV. & seqq. *Fabricatis vero, ac præsentatis Defensionibus, debet Provincialis deputare Advocatum Fisci, qui respondeat Defensionibus; & responsiones sunt communicandæ Patrono, ut contra eas replicet, prout docuimus citata* Sect. 5. num. XLI. & seqq.

XXXIV. *Completis Actis, contra, & pro Reo, debet formari Memoriale, simul cum Summario processus, & omnia subsignari a Patribus Diffinitorii, & munita sigillo minori Provinciæ transmitti ad Sacram Congregationem; formula autem Memorialis poterit esse, ut sequitur.*

Eminentiss. & Reverendiss. D.D.

Minister Provincialis, Custos Vocalis, Diffinitores Provinciæ N. Ordinis Minorum &c. EE. VV. obsequentissimi filii repræsentant; in sua Provincia reperiri Fratrem N. Laicum &c. qui plura, & replicata scandala, (de quibus, licet punitus, non tamen correctus est,) committendo plurimum Provinciam conturbavit, & Religionem totam inquietavit, ut potest EE. VV. patere, ex lectura Summarii processus, quod hic adnexum datur. Cum autem vellent Superiores, ad normam Decreti hujus Sacræ Congregationis, prædicti Rei incorrigibilitatem experiri, per annuam ipsius carcerationem; ipse fugam arripuit, & a Religione apostatavit; & nescitur ubi locorum reperiatur. Quapropter, ut ab ulteriori molestia, quam ab ipsius scandalis pati potest, Religio liberetur,

Supplicant omnes paternam benignitatem EE. VV. quatenus dignetur dispensare, super annua carceratione, indulgentes, ut servatis omnibus aliis in memorato Decreto præscriptis, possit, contra eundem Reum ferri Sententia expulsionis, quantumvis ille non fuerit per talem carcerationem probatus incorrigibilis. Quod totum &c. *& subsignetur Memoriale ab omnibus,*

XXXV. Summarium processus contra Fratrem N. Laicum professum Ord. Min. &c. Provinciæ &c.

Frater N. indutus habitu Religionis de Anno &c. Die &c. in Conventu &c. rite professionem emisit Anno.... Die &c. in Conventu &c..

Anno...., Mense... Die &c. commisit &c. *& hic describatur summarie delictum cum omnibus circumstantiis*; & de tali delicto fuit processatus, & sententiatus; *sive* notabiliter pœnitentiatus pœnitentia &c. *& hic exprimatur pœna sibi inflicta pro tali delicto*. Proc. fol. &c.

Ex post, licet per paucos dies, specimen mutationis vitæ dederit, tamen vitam, ut prius relaxatam vixit. Process. fol. &c.

Anno.... Mense.... Die..... &c. aliud delictum commisit &c. *& describatur sicut sup. dictum est*

Ex post quamvis per unum, vel per alterum Mensem, specimen emendationis dederit, ad vomitum rediit &c. Proces. fol. &c.

Anno tandem, Mense... Die &c. aliud delictum patravit, puta &c. *& describatur, ut prius;* & fugam arripuit &c. Process. fol. &c.

Testes examinati viri graves, & Religiosi omni exceptione maiores sunt, puta Pater N. Exprovincialis, *sive* Ex diffinitor. Pater N. olim Guardianus. Pater N. olim Vicarius. Pater N. olim Discretus &c. & sic deinceps, & supradicti examinati deponunt de mala vita prædicti Fratris N. Process, fol. &c. & fol. &c. respective.

Fr. N. Diffinitor.
Fr. N. Diffinitor.
Fr. N. Diffinitor.
Fr. N. Diffinitor.
Fr. N. Custos.
Ita est Fr. N. Minister,

Ego Fr. N. Actuarius,

✠ Sigilli locus.

XXXVII. *Habito favorabili rescripto, Provincialis copiam Actorum, simul cum Memoriali decretata, sigillatam, ut supra dictum fuit, transmittat; moneat Patres deputatos ad expulsionem, & det illi obedientiam, ut vadant ad Generalem, si non abest ultra tres dietas, ut diximus supra* num. XVIII. *Si longius abest, conveniet Patres ad formandum votum suum, ut diximus supra* num. XIX. *Formetur votum, ut dictum est* num. XXI. *Et Generalis ferat Sententiam, juxta formam datam* num. XXIII. *excepta, quod debet in ea fieri mentio de dispensatione obtenta circa annuam carcerationem.*

XXXVIII. *Si autem Processus in ordine ad expulsionem inceptus est, & Reus carceratus ad probationem incorrigibilitatis, & ante annum completum fugiat e carcere; debet formari Memoriale ad Sacram Congregationem, ut supra* num. XXXIV. *Et in eo debet exprimi*, quod Reus jam erat carceratus, & fugit, & supplicetur proinde, ut dispensetur super residuo temporis, quod debeatur pro complemento annuæ carcerationis; *Et tandem cætera terminentur, ut supra dictum fuit* a n. XXI. ad XXV

XXXIX. *Quia ex Decreto sæpe citato Sacræ Congregationis debet Superior Regularis insinuare Ordinario loci, sive Patriæ, Rei Expulsionem, ad hoc ut Ordinarius amodo illum, tanquam suum Subditum agnoscat, ut diximus* Par. I. Titul. Pœnarum num. 157. & 158. *Et hoc inscriptis, ne aliquid huic nostro Opusculo desit ad informationem inexpertorum, damus formulam prædictæ insinuationis, quæ poterit fieri, ut sequitur.*

Illustrissime, & Reverendissime Domine,

XL. *Frater* N. Minister Provincialis Provinciæ N. Ordinis Minorum &c. significat Illustrissimæ; & Reverendissimæ D. V., sicuti Fr. N. de N. &c. Sacerdos, *sive* Clericus Subdiaconus &c. *sive* Laicus Conversus, professus in Religione sua, qui in sæculo antea vocabatur N. filius N. de N. de loco, *seu* Parochia N., servato adamussim Sacræ Congregationis Decreto a Religione prædicta fuit expulsus, ut patet ex Sententia pronunciata a Reverendissimo P. Ministro Generali Totius Ordinis Minorum, cujus originale servatur in Archivio prædictæ Provinciæ, situato in Conventu N. & est tenoris sequentis. *Et hic per extensum ponatur transumptum Sententiæ*. In cujus Sententiæ executionem prædictus Fr. N in sæculo vocatus N. de N., coram Fratribus Conventus N., capitulariter per sonum campanulæ congregatis, fuit expoliatus habitu nostræ Religionis, & ita ab eadem expulsus, ejectus, & separatus, & indutus habitu sæculari sibi conveniente, & resignatus sub

sub totali dominio, & jurisdictione Illustrissimæ, & Reverendissimæ Dominationis Vestræ ad præscriptum Sacrorum Canonum. Quapropter harum serie prædictam expulsionem idem Minister Provincialis, qui supra, ut tenetur, Illustrissimæ, & Reverendissimæ Dominationi Vestræ significat, & insinuat, ut amodo prædictum Expulsum sibi immediate, & foro suo subjectum, agnoscat, & recipiat, moneat, corrigat, & puniat. In quorum fidem has fieri curavit, quas propria subscriptione, & majori sigillo prædictæ Provinciæ munivit, & Episcopali Cancellario consignari mandavit. Dat. hac die &c. in Conventu &c.

Ego Fr. N. Minister Provincialis.

Loco ✠ Sigilli.

Ego F. N. Secret. Provinciæ.

ADNOTATIO.

XLI. *Advertendum, quod ad omnem bonum finem expedit, quod prædictæ insinuationi duo formentur exemplaria, unum quidem præsentandum a Secretario Provinciæ coram Testibus Cancellario Episcopali, sive Ordinarii, si ille non fuerit Episcopus; existenti ad bancum suum; aliud vero conservandum in Archivio Provinciæ, cum relatione ad calcem ipsius in forma sequenti*

In executionem mandati mihi facti ab A. R. P. Ministro Provinciali N. Ego infrascriptus Die &c. & in præsentia N. & N. Testium ad hoc specialiter adhibitorum, & rogatorum, consignavi originale in omnibus, & per omnia concordans suprascriptæ insinuationi Domino N. de N. Cancellario Illustrissimi, & Reverendissimi D. Episcopi N., existenti ad bancum suum solitum in Cancellaria Episcopali. In quorum &c.

Ego Fr. N. Secretarius Provinciæ, & Actuarius.

Ego N. de N. fui præsens.
Ego N. de N. fui Testis.

XLII. *Tandem debent dari taliter Expulso Testimoniales suæ expulsionis ad effectum eorum, quæ scripsimus Par. p. Tit. Pœnarum num. 161. pag. 195 Talium testimonialium autem formula est, ut sequitur*

Frater N. Ord. Minorum &c. Provinciæ vero N. Minister Provincialis, & Servus omnibus præsentes lecturis, visuris, sive audituris salutem in Domino.

Noveritis, qualiter justis de causis animum Reverendissimi P. N. Ordinis nostri Ministri Generalis moventibus, ipse Reverendissimus Pater visis, & mature perpensis iis, quæ probata fuerunt in processu, condito per Nos Anno Domini &c. a Die &c. Mensis &c. contra Fratrem N. Sacerdotem, Clericum, *sive* Laicum in Ordine nostro Professum, in Sæculo nominatum N. de N. de Civitate, vel loco &c. cum consilio, & voto Patrum ad quos spectabat, Sententiam expulsionis a b sodem Ordine Nostro promulit contra præfatum Fr. N. antea vocatum N. de N. In cujus executionem maximo animi nostri mærore, & necessitate compulsi, omnibus de jure requisitis servatis, & peractis, prædictum Fr. N. ut præfertur in Sæculo vocatum N. de N., a nostra Religione expulimus; & ipsum, N. sic expulsum, dimissum, & resignatum sub jurisdictione, & Foro Illustrissimi, & Reverendissimi D. D. Episcopi, *sive* Ordinarii N. his literis declaramus. In quorum fidem has fieri jussimus, quas nostra subscriptione, & majori sigillo Officii nostri munivimus. Dat. &c.

Ego N. Minister Provincialis.

loco ✠ sigilli.

Ego N. Secretarius Provinciæ.

XLIII. Forma Monitorij ferendi a Ministro Provinciali pro detegendo furto, Fure, & Complicibus.

Videnda sunt omnino ea, quæ circa hanc materiam scripsimus Par. p. Tit. Pœnarum a num. 173. pag. 159. & inde. Et advertendum, quod Provincialis ante publicationem talis Monitorii debet instituere Processum in solita Forma, & declarare omni via ordinaria ventum fuisse indicia Delinquentis, & nihil potuisse invenire, nec proximum, nec remotum. Etenim Excommunicatio, quæ in talibus casibus, post Monitorium fertur, est in subsidium justitiæ, adinventum ad remedium defectus aliarum probationum. Forma vero erit, ut sequitur.

Frater N. Minister Provincialis &c. omnibus suis Subditis Sacerdotibus, Clericis, Laicis, & Tertiariis in præfata Provincia existentibus; salutem, & mandatorum nostrorum obedientiam.

Noveritis, quod a filio, sive filiis iniquitatis, timore divini judicii postposito, execrabile, & detestandum delictum fuit commissum in Conventu nostro N. Mense... & Die... &c. seu alio veriori tempore. Fuit enim &c. *Et hic breviter recitetur Furtum factum, enarrando res furto sublatas, & periculum imminentis scandali in maximum detrimentum Religionis, si notitia delicti ad aures sæcularium perveniret*. Nos pro Nostri Officii munere, juridicam inquisitionem instituimus, & per ordinaria justitiæ media processimus, ad habendam notitiam Furis, & Complicum, & ubi repositæ sint Res furatæ; sed in cassum abiit diligentia nostra, & inutilia prorsus experti sumus omnia media adhibita ad habendum indicium proximum, aut remotum de prænarratis. Quapropter ad urgentiora remedia nos convertere cogit magnitudo facinoris, & Religionis imminens detrimentum. Harum ergo serie, & authoritate Officii nostri, omnibus, & singulis vestrum præcipimus in virtute Spiritus Sancti, & sub interminatione divini judicii, ut si vobis, aut Fur principalis, aut aliquis, vel aliqui, qui fuerint Complices in enarrato delicto, adjuvando, consulendo, mandando, suadendo, transportando, occultando, retinendo, aut quovis alio modo cooperando; aut sciatis in quo loco sint, vel fuerint depositæ post Furtum factum Res furatæ in toto, vel in parte; aut sciatis aliquem, seu aliquos, qui de prædictis omnibus, vel aliquo, de visu, vel audito sint informati, termino dierum quindecim a publicatione istorum, vobis intimata (quorum quinque pro primo; quinque secundo; & alii quinque pro tertio, & peremptorio termino & monitione canonica assignamus) debeatis coram Nobis personaliter, seu per literas comparere; & judicialiter revelare omne, & totum illud, quod circa prædicta erit vobis cognitum. Quod si, ut præfertur, non comparueritis, & revelaveritis, sciatis, Nos contra vos inobedientes, & contumaces Sententiam anathematis, & maledictionis æternæ esse solem-

solemuiter fulminaturos. Volumus autem has nostras in singulis Conventibus nostræ præfatæ Provinciæ in plena Featrum Communitate legi, & publicari, & earum exemplar affigi in loco Conventus publico, ne aliquis vestrum ignorantiam præuarratorum prætendere valeat. Dat.&c.

Ego N. Minister Provincialis.

Ego N. *Actuarius*.

XLIV. *Copia suprascripti Monitorii translata in linguam vernaculam debet dirigi ad Superiores singulorum Conventuum Provinciæ, & ab illis legi omnibus Fratribus capitulariter congregatis, ex post affigi ad valvas Refectorii intrinsecus, ut legi possit a Fratribus, & non Secularibus. Expiratis vero quindecim diebus post publicationem, & ad abundantiam aliis tribus, si nullus comparuerit ad dandum notitiam contentorum in Monitorio, potest Provincialis procedere ad fulminandum solemniter anathema in Forma sequenti.*

XLV. Forma fulminandi anathema solemniter, qua uti possunt Provinciales.

Post Matutinum congregatis Fratribus omnibus in Ecclesia, Provincialis indutus amictu, stola, & pluviali violaceo, præcedentibus sibi duodecim Sacerdotibus, qui sint e Senioribus, a Sacristia procedat ad Altare; & facta adoratione, & brevi oratione surgat & posita cathedra in cornu Evangelii sedeat. Tum Provinciali, & singulis duodecim Sacerdotum, qui ipsum sunt comitati, detur candela accensa, & Sacerdotes hinc, & inde in lineas, sive alas duas ordinati stantes, assistant Provinciali sedenti. Tum Secretarius stans in cornu Epistolæ conversus ad Fratres alta voce, tono gravi, & emphatico legat Sententiam anathematis, (quam consulo publicari in lingua vernacula, ut etiam a simplicibus intelligatur,) quæ erit ut sequitur.

XLVI. Frater N. Provincialis &c. Cum suadente Diabolo omnium malorum authore, filii iniquitatis, & perditionis, in Conventu nostro N. furati sint &c. *Et hic exprimantur Res furatæ*. Nos ad effectum revelationis tanti delicti, & Delinquentium primo, secundo, & tertio, cum debitis temporum intervallis omnes, & singulos vestrum monuimus, ut si quis habeat notitiam, scientiam, sive indicium de eo, qui prædicta furatus est; aut ejus quoquomodo Complicum; aut ubi repositæ sint, aut fuerint res furatæ; aut de aliquo, vel aliquibus, qui de prædictis sint in toto, aut in parte informati, sub interminatione maledictionis æternæ Nobis judicialiter revelare deberet. Veruntamen Diabolo illius, vel illorum corda occupante, contemptis monitionibus nostris, nullus comparuit, qui de prædictis Curiam nostram informaret.

Id circo omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nec non Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, Seraphici Patris nostri Francisci, & omnium Sanctorum, auctoritate, atque a Deo nobis concessa ligandi, atque solvendi potestate, Furem prædictarum rerum cum Complicibus suis, & eos qui aliquo modo de prædictis informati, juxta supradicta, nobis non revelaverunt excommunicamus; bonis omnibus Christianis communibus privamus, atque ab omnium Christianorum societate, & Sanctæ Matris Ecclesiæ liminibus in Cœlo, & in Terra excludimus, & separamus, & taliter excommunicatos, & anathematizatos esse decernimus, volumus, & declaramus; cumque Diabolo, Angelis ejus Apostatis, atque omnibus reprobis damnatos pariter judicamus. Propterea, (*hic vox elevetur, & majori emphasi, & pausa inter unam, & aliam mal dictionem*) Maledicti sint domi & extra. Maledicti in Civitate, & in agro. Maledicti vigilando, & dormiendo. Maledicti manducando, & bibendo. Maledicti ambulando & sedendo. Maledicta sit caro, & ossa eorum, & a planta pedis, usque ad verticem, non habeant sanitatem. Veniat super illos maledictio hominis, quam per Moysen in lege Filiis iniquitatis Dominus Deus promisit. Deleantur nomina eorum de Libro viventium, & cum justis non scribantur, sed cum damnatis in æternum computentur. Sit hæreditas eorum in Inferno cum Cain Fratricida; cum Datan & Abiron, & Core, quos viventes deglutivit ignis Inferni; cum Anania, & Saphira; cum Simone Mago, cum Iuda proditore, & cum omnibus damnatis, qui bibent in æternum vasa iræ, & furoris Iustitiæ Dei viventis. Pereant in die Iudicii, & nisi Furtum restituant, & Furem, & Complices revelent, contra eos Dominus noster Iesus Christus formidabilem illam Sententiam fulminet, Ite maledicti in ignem æternum

XLVII. *Tum Provincialis, & omnes Sacerdotes alta voce clament*, Fiat, Fiat Fiat; *& eodem tempore projiciantur candelæ in terram, & Sacerdotes adstantes eas pedibus conculcent. Vidi in aliquibus locis, post prolatam Sententiam anathematis, projectis in terram candelis, & pessumdatis illis, ab Excommunicante projectos tres lapides in terram contra easdem candelas, in signum maledictionis a tribus personis Divinis confirmatæ. Hæc praxis magnum Populo incutiebat terrorem, & posset etiam practicari, cum nihil contrarium huic inveniatur. Pariter dum Provincialis, & Sacerdotes clamant* Fiat, Fiat &c. *debent campanulæ Ecclesiæ, Chori, & Refectorii pulsari, non tamen in signum lætitiæ, & ut fit in Sabbato Sancto ad* Gloria, & in excelsis, *sed ad ostendendum mærorem, & frequentibus ictibus, ut fit, quando pulsatur ad convocandum Capitulum. Sententia prædicta anathematis debet affigi in Refectorio, & publicari, & affigi in omnibus Conventibus, ut de Monitorio factum fuit, & absque dubio, si furtum fuerit commissum a Fratribus detegetur, ut multoties accidisse, audivi.*

XLVIII. Forma tenenda a Superiore locali in describendo Corpore Delicti.

Quando obligentur Superiores locales ad describendum Corpus Delicti, dictum fuit Par. p. Tit. Delictorum num. 14. pag. 119. *Videantur ibi dicta. Circa descriptionem autem, advertendum, est quod Prælatus localis debet solum describere illa, quæ sensui patent, nec tenetur, nec debet adhibere judicium Peritorum circa Corpus Delicti; quia ad eum non spectat facere constare de alia qualitate, & circumstantia, in qua formalitas Delicti consistit, eo quia ipse Judex non est; sed in hoc casu simplex Testis, qui Testificari tenetur, & potest de iis solis, quæ cadunt sub sensu; & si scripto mandat ea quæ vidit, hoc est solum ad obsequendum legi nostræ municipali, quæ hoc statuit in subsidium justitiæ, ne ex lapsu temporis, deficiant circumstantiæ, quæ possunt Judici persuadere Delictum fuisse sic, vel sic commissum, & non raro ex his etiam de Delinquente cognitionem habere. Dato ergo casu, quod aliquis fuerit percussus, aut vulneratus (sive Frater, sive Secularis fuerit)*

ob

ab alio Fratre, sive inveniatur Cadaver occisi, aut mortui sine vulneribus intra claustra, &c. Provincialis vero tam longe absit, ut verisimiliter non poterit venire antequam circumstantiæ Corporis Delicti fuerint notabiliter mutatæ, debet Superior localis Corpus Delicti describere, ut sequitur.

XLIX. Cum audivisset Fr. N. Guardianus Conventus N., inventum fuisse in sua Cella, *sive* in Claustro, Horto, Sylva &c. Conventus, cadaver olim Fratris N., *vel* Fra N. fuisse vulneratum, aut percussum & in lecto decumbere &c. & P. A.R. Provincialis longè distet; & licet commonefactus per nuncium expressum difficulter possit venire antequam Corpus tradatur sepulturæ; *sive* antequam vulnera, aut signa percussionis *notabiliter* alterentur, decrevit ad præscriptum nostræ Practicæ criminalis venire ad descriptionem Corporis Delicti consignandam memorato Patri Provinciali. Assumptis ergo in Testes Patribus FF. N., & N. Sacerdotibus suæ familiæ, accessit ubi erat Cadaver prædictum, quod erat in sua camera; *sive* in Claustro, Horto &c. & ipse Guardianus cum prædictis Testibus, & aliis Fratribus vidit, quod prædictum Cadaver indutum tali habitu &c. cum chorda, caputio, fœmoralibus &c. & iacebat in tali, & tali positura &c. habebat oculos semiclausos, os apertum &c. pedem, crus, brachium *nudatum* &c. spumam ad os &c. faciem lividam &c. sanguinolentam &c. & postquam fuit ad mandatum prædicti P. Guardiani spoliatum, inventum est in tali parte Corporis &c. signum nigrum, vel rubrum &c. figuræ rotundæ, vel oblongæ, &c. tantæ latitudinis &c. & videbatur fuisse facta a percussione, sive casu &c. *sive* inventum est vulnus, aut vulnera in tali, seu tali parte Corporis &c. & videbantur facta punctim, aut cæsim, & tale erat talis latitudinis, longitudinis &c. & circa Cadaver in terra erat copia sanguinis &c. aut materiæ alterius, quæ fluxerat ab ore &c. & inventus est culter, stilus, pugio &c. & videbatur fuisse ibi relictus a percussore &c. & culter erat acutus, affilatus, aspersus sanguine, & habebat capulum (vulgo manicum) osseum album &c. & erat tantæ longitudinis &c. quem Pater Guardianus iussit reponi in capsula, seu armariolo sito in eadem camera, ubi iacebat Cadaver, ad effectum præsentandi illum cum cæteris rebus Patri Provinciali &c.

L. Et *ita debent exactissime omnia accidentia adnotari, tum circa Cadaver, tum circa Cellam; ut si inventus esset occisus Frater gladio, & ostium Cameræ erat intrinsecus clausum, sed reperta est fenestra aperta, cum aliquo vestigio, ex quo possit conijci, quod percussor ingressus est per fenestram &c. nec possumus circa hoc omnium accidentium descriptionem dare, quia possunt in infinitum variari, sed relinquitur prudentiæ, & sagacitati Superiorum, juxta schema suprascriptum omnia accidentia, & circumstantias, quæ possunt indiciare delictum, & delinquentem, adnotare; & concludatur.*

LI. Quæ omnia suprascripta, prout recensita sunt, fuerunt à Nobis visa proprijs oculis, & bene obseruata. Et ad mandatum Patris Guardiani fuit, facta visitatione, Cadauer extractum à prædicta Cella, quæ est sita *in* Dormitorio &c. versus Orientem &c. & est quarta &c. cui titulus est Sanctus &c. ad effectum tradendi illud sepulturæ &c. & ex post, clausa fenestra, & ostio cameræ prædictæ, fuit sigillata, nil tacto eorum, quæ ibi erant, ad effectum ipsam resignandi Visitationi P. Provincialis. *In* quorum &c. Dat. Die &c. *In* Conventu &c.

Ego Fr. N. Guardianus.
Ego Fr. fui Testis.
Ego Fr. N. fui Testis.

LII. *Pariter si aliquis fuit percussus lapide, ligno, pugnis in facie &c. & in facie, manu, brachio &c. essent livores, scarificationes factæ unguibus, contusiones &c. debent omnia describi, quia talia possunt evanescere, ante quam veniat Provincialis. Si vero essent vulnera, quæ curarentur a Chirurgo, qui potest postea examinari a Provinciali ipso, & ita constare facere de corpore delicti, non est necessarium, quod Guardianus illa describat. Siquidem descriptio a Guardiano facienda, necessario tunc solum est, quando signa maleficii in totum, aut partem deficere possunt ante adventum Judicis, qui egre tunc de corpore, & qualitatibus delicti posset facere constare*

ADNOTATIO I.

LIII. *Advertendum, quod, ut diximus* Par. p. Tit. Corpus, num. 24. pag. 254. *Si esset aliquis Frater mortaliter vulneratus, & judicio Chirurgi periculum est, quod moreretur ante adventum Provincialis, sive Commissarii, Superior localis deberet illum visitare, & describere statum Vulnerati, & omnia ejus vulnera adnotare, & ex post examinare vulneratum ipsum iuxta formam datam* Sect. III. num. VIII. *Et debet Superior simpliciter excipere ejus examen; nullo modo autem potest (aliis mediis, ultra præceptum Obedientiæ) cogere ipsum ad revelandum Percussorem, si non vult revelare. Et si vulneratus non potest subscribere depositioni a se factæ, loco ipsis, subscribant duo Testes, qui fuerint præsentes lecturæ depositionis, actæ in faciem ipsius vulnerati.*

ADNOTATIO II.

LIV. *Advertendum, quod licet exemplum dederimus de Guardiano; tamen intelligendum hoc est de omni Superiore locali, sive Prælatus sit, utpote Præses, seu Vicarius in capite; sive non Prælatus, ut est Vicarius Conventus, sive alius, qui dirigit Conventum, ut Delegatus a Guardiano in ejus absentia a Conventu per paucos dies; isti enim debent, ut supra dictum est facere descriptionem Corporis Delicti, si Guardianus illo, aut sequenti, ad plus, die non speratur reversurus; militat enim semper eadem ratio prædictæ descriptionis faciendæ, puta ne pereant totaliter, aut partialiter indicia maleficii.*

ADNOTATIO III.

LV. *Advertendum tertio, quod Guardianus non potest, nec debet in casu inventi Cadaveris, ut diximus supra, visitare cellam, neque res, quæ in ea sunt, ut ex illis eliciat indicia delicti; quia hoc reservatur Judici, & tales res, quæ possunt subministrare indicium, non pereunt ex lapsu temporis. Proinde debet armaria, capsulas, & omnia, coram Testibus sigillare, fenestram claudere, & ostium pariter clausum sigillare, & clavem alteri ex Discretis consignare, ut sic possit de sua integritate docere coram Provinciali, cujus est, Cellam, & res visitare, ab illis indicia venari, & spolium defuncti, ad normam Statutorum dispensare.*

LVI. Forma carcerandi Reum notorium, seu vehementer suspectum de crimine enormi, quam debent servare Guardiani.

Videnda sunt, quæ diximus Par. p. Tit. Delictorum

rum num. 10. pag. 117. & seqq. *Et bene observanda, quia faciunt ad hoc punctum. Dato ergo casu, quod aliquis Frater fuerit occisus, aut lethaliter vulneratus, & sciatur homicida, aut percussor, qui vi suis est; vel vehementia adsint indicia, sive præsumptiones de eo, qui ratione gravitatis criminis sit de fuga suspectus; vel si Frater paratus est apostatare, vel aliud grave, & scandalosum crimen committere, nisi impediatur, & non est alia via impediendi, nisi carceretur; tenetur Guardianus Reum prædictis in casibus assecurare in carcere, ut disponit Textus cit. Tit. Delictorum §. V. & Nos ibi explicuimus. Debet ergo Guardianus primo consilium petere a Discretis, & factum breviter describere, ut sequitur.*

LVII. Cum repertum fuisset cadaver quondam Fratris N. pluribus vulneribus confossum &c. ut apparet ex facta Visitatione &c. *sive* Cum repertus fuerit vulneratus Frater N. &c. prout ex Visitatione de eo facta apparet &c. & de tali maleficio Fr. N. sit vehementissime suspectus, sive notorie Reus &c. *sive* Cum P. N. Guardianus accepisset &c. Fratrem N. rixatum fuisse contra Fratrem N. & illum arma parasse ad alium occidendum, mutilandum, seu percutiendum; & omni alia media tentasset, sed inutiliter, ad impediendum tantum malum; dum ille in suo perverso animo obfirmatus, velit omnimode suum malum propositum exequi, aut a Religione apostatare; decrevit ad normam Constitutionum Ordinis requirere consilium Discretorum Conventus ad effectum assecurandi in carcere prædictum Reum, cum non possit in tempore haberi præsentia Patris Provincialis. Proinde vocatis in suam cameram Patribus N. Vicario, N. & N. Discretis prædicti Conventus, illis proposuit, an deberet prædictus Fr. N., qui, ut præfertur, occidit, vulneravit &c. *vel* de quo adest communis, & vehemens suspicio, quod occiderit, vulneraverit &c. *vel* qui vult percutere, vel apostatare &c. in carcere ad custodiam detrudi. Qui P. P. prædicti, considerato mature casu, dederunt consilium, quod carceraretur. Et præfato consilio adhærendo, prædictus P. Guardianus decrevit curare, ut carceri Conventus, ut præfertur, ad custodiam, demandaretur. In quorum &c. Dat. Die ... in Conventu &c.

Ego N. Discretus ita consului.
Ego N. Discretus affirmo, ut sup.
Ego N. Vicarius Conventus N. affirmo.
Ego Fr. N. Guardianus.

ADNOTATIO I.

LVIII. *Advertendum, quod, ut probavimus* Par. pr. Tit. Delictorum. num. 13. p. 118. *Non solum Guardiani, & alii Prælati locales possunt, & debent, in casibus, ut præfertur, incarcerare, sed etiam alii, qui Prælati non sunt, licigunt tamen Conventum in fortuita absentia Prælati localis, idem præstare, & possunt, & tenentur, ob rationes, quas ibi dedimus. Debent ergo etiam ipsi petere a Discretis consilium, & adnotare causam, quare ad talem carcerationem devenerint, para quia periculum erat in mora. Et licet scriptura pro tali carceratione, de rigore, necessaria non sit, optimum tamen est, quod taliter Carcerans describat factum, ut docere possit de consilio petito, & sibi dato, & quod legaliter processit. Quod si Discreti discordent inter se; aut manifeste, ut Reo faveant, nolint consulere carcerationem, poterit nihilominus Superior carcerare, ut diximus cit. tit.* Delictor. n. 11. pag. 118. circ. med. *Vide ibi rationes.*

ADNNTATIO II.

LIX. *Advertendum secundo, quod non potest Prælatus localis sic, ad sui libitum carcerare, etiam ad custodiam, nisi indicia sint vehementia de Delicto, & timor fugæ Rei sit legitimus, & fundatus. Insuper tenetur statim per Nuncium expressum commonere Provincialem de Delicto commisso, seu inevitabiliter committendo, & carceratione Rei indiciati, sive Notorii, ita enim præscribitur in* Textu cit. Tit. Delictorum §. V.

LX. Forma carcerandi, & absolvendi Apostatam, servanda a Superiore locali.

Quia ex præscripto Constitutionum tum Ordinis, tum Reformationis tenentur Prælati locales quivis, & in eorum absentia Superiores, qui dirigunt Conventum, Apostatas, ad Conventum eorum divertentes, carcerare per triduum, & post solemniter absolvere, & absolutos ad propriam Provinciam dimittere, damus Formam horum omnium præstandorum.

LXI. *Si ergo venit Janitor ad Superiorem, & ipsum moneat; ad januam esse Fratrem absque obedientia, qui petit hospitari, sive prandere, & iter prosequi; Superior ipsum admitti jubeat, & Religioso more sibi ablui pedes per Fratres curet, & cibo recreet. Post quam comederit, Superior associatus a quatuor, vel sex Fratribus validioribus ingrediatur Refectorium, cujus valvas claudere post se faciat. Mox interroget Fratrem, & jubeat, ut literas suas Obedientiales ostendat; si Frater dicat nullas habere, jam se declarat Apostatam; & ideo tunc Superior jubeat Fratribus, ut ipsum in carcerem conjiciant, sibi ablata chorda, & caputio. Post triduum completum solemniter absolvat, ut infra dicemus.*

LXII. *Si vero Frater dicat se literas Obedientiales in itinere amisisse ex naufragio, aut quia sportula, sive sacculus, in quo detinebantur, fuit sibi surreptu; & Frater habet Socium, & ex aspectu apparet Religiosus gravis, & compositæ vitæ, & secura fronte, & verisimili narrativa, dicit quomodo fuerit obedientialium literarum amissio; potest Superior illi rationabiliter credere, & in suo Conventu retinere, donec Advena possit scribere ad Superiores, & legitimas novas literas recipere.*

LXIII. *Si vero Frater est solus, inverisimilem narrativam de amissione literarum obedientialium recitet; & ex aspectu conjiciatur vagabundus; & interrogatus apud quem Conventum ultimo hospitatus sit, respondet, se postremo fuisse in Conventu valde distanti, ex post semper fuisse hospitatum apud Sæculares, & vitasse Conventus viciniores, ad quos debebat divertere, apparent indicia, ipsum esse Apostatam, proinde potest Superior illum carcerare formaliter, ut supra dictum est.*

LXIV. *Si autem dicat, se fuisse in ultimo Conventu proximiori, & ibi ostendisse Superiori literas legitimas, quas amisit in itinere, & aspectus suadeat, quod vera dicat, potest Superior ipsum detinere, & mittere literas ad Superiorem illius Conventus, ad hoc quod mittat literas authenticatas sigillo Conventus, in quibus testetur, quod Frater ille N. accessit ad Conventum cum legitimis literis Obedientialibus. Et talibus Obedientialibus ipse Frater po-*

test ei ad prosequendum suum iter. Quod si iste fingat se non posse expectare, quia habet Sæculares comites itineris; vel dicens se velle expectare reditum nuncii missi, tamen meditatur discedere, signum est illum esse mentitum, & nullas habuisse Obedientiales, cum velit, absque necessariis testimonialibus iter prosequi. Potest proinde, & debet formaliter carcerari

LXV. *Si vero Janitor refert ad Guardianum literas sibi datas ab Advena, quæ sint falsificatæ, debet Guardianus literas quidem restituere, & in Conventum recipere; & postquam fuerit cibo refíciatus, Guardianus associatus a Fratribus, debet Advenam interrogare de literis Obedientialibus, & post quam illas produxerit, debet Guardianus dicere, illas esse falsificatas, & ut supra dictum est, illum carceri demandare. Hoc autem fit, ut Apostata coram Testibus literas producat, ne possit negare, tales literas falsas suas, non esse, ut facere posset, si absque Testibus Janitori, sive Guardiano consignasset. Evenit enim aliquando, quod quidam, falsificatis obedientialibus, discessit a Provincia. Mox reversus, & quæsitus a Provinciali, nemine præsente, ut sibi literas obedientiales ostenderet, illas protulit, quas Provincialis apud se retinuit. Ex post vocatus coram toto Diffinitorio, & eisdem literis sibi exhibitis interrogatus; An illæ essent suæ Obedientiales, quas Provinciali consignavit? Ille perfricta fronte, negavit, eas esse, quia erant evidenter falsificatæ; se autem Provinciali legitimas literas consignasse; nec potuit Provincialis contra eum procedere, cum deficerent legitimæ probationes de consignatione literarum.*

LXVI. *Si autem Apostata non venit ad Conventum, & manet apud Sæculares, aut in caupona, sive taberna, ut plerumque fit a talibus nebulonibus; Guardianus, quasi aliud agens, ipsum conveniat, non eum carpat, aut reprehendat, vel aliquid exprobret, sed hilari vultu ipsum invitet, dissimulans eum reputare Apostatam; & hoc modo ad Conventum perducat. Mox, postquam fuerit intra claustra, Officium suum strenue exequatur, & incarceret. Si tali modo placido, & minime tumultuoso nequit reducere, curet assecurari a Sæcularibus*, invocando auxilium brachii sui, de quo infra dicemus num. 86. sed hoc fiat, *minori strepitu, quam fieri possit; & noctu, ad vitandum scandalum, ad Conventum perducat. Et in hoc multus debet esse Guardianus, ut caute, & secretiori modo possibili, captura fiat, luctuosa enim accidentia accidisse ex imprudenti, & furioso aliquorum zelo, non semel audivi; ex quibus major detrimentum Religio passa est, ex scandalosa talium captura eo, quod ex ipsorum Apostasiis sibi poterat evenire.*

LXVII. Forma absolutionis ab Apostasia.

Completis tribus diebus carcerationis, educi, absque chorda, & caputio, debet Apostata, & tempore publicæ refectionis debet, nudatis humeris, se flagellare per integrum, Psalmum Miserere, cum Gloria Patri &c. *ex post ipso Apostata genuflexo in medio Refectorii, Superior, & omnes Fratres surgunt, & ille incipit*.

Kirie eleison, Christe eleison,
Kirie eleison.
Pater noster &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac servum tuum.
℟. Deus meus sperantem in te.
℣. Nihil proficiat inimicus in eo.
℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.
℣. Esto ei Domine turris fortitudinis.
℟. A facie inimici.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEUS, cui proprium est, misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, ut hunc famulum tuum, quem sententia excommunicationis constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum.
℟. Amen.

Mox sedet Superior, & cooperto capite dicit.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & Ego auctoritate ipsius, & facultate Statutorum Ordinis mihi commissa, absolvo Te a vinculo Excommunicationis, in quam incurristi propter Apostasiam a te commissam, & restituo Te communioni, & unitati Fidelium, & Sanctis Sacramentis Ecclesiæ. In nomine Patris, ✠ & Filii, & Spiritus Sancti; ✠ ℟. Amen.

Tunc induitur caputio, & chorda, & dimittitur.

ADNOTATIO.

LXVIII. *Advertendum, quod si Apostata aliud crimen diversum ab Apostasia commiserit, utpote furtum, Fornicationem, aut falsificationem literarum obedientialium &c. postquam absolutus est ab Apostasia, non debet dimitti; sed iterum carcerari ad custodiam, sibi relicta chorda, & caputio; & interim commoneri fieri Provincialis, ut veniat, aut mittat ad faciendam debitam inquisitionem. Insuper quando carceratur in ordine ad ipsum absolvendum, debet Guard. sportam, & sacculos ipsius, nec non, & habitum, & caputium coram Discretis, Conventus visitare, & omnia exacte describere, ut sequitur.*

Res repertæ apud Fratrem N. Provinciæ N. Apostatam.
In sporta, quæ erat clausa &c. inventa sunt.
Primo hoc, & hoc.
Secundo hoc vel illud &c. *& sic deinceps*
In sacculo lineo, aut laneo talis formæ &c.
Primo. Hoc, & hoc.
Secundo hoc, vel illud &c. *& omnia debent adnotari, præsertim si essent instrumenta maleficii, ut sigilla falsa; Scripturæ continentes delictum; Medicamenta venenosa: Pecunia &c. & pari modo describi omnia inventa in manicis, vel consuta in habitu, aut caputio. Mox debet descriptio talium rerum subscribi a Guardiano, & Discretis, & res inventæ bene custodiri ad effectum illas consignandi Provinciali, vel Delegato suo.*

LXIX. Forma literarum, quæ debent a Superiore locali concedi Apostatæ a se absoluto.

De-

Deberet quidem Superior in literis obedientialibus mentionem facere de absolutione ab Apostasia, data illas deferenti; sed quia hoc nimis esset probrosum, maxime si tales literæ viderentur ab aliis extra Religionem, magis congruit charitati fraternæ eas dare sub sequenti Forma.

Cum ad hunc nostrum Conventum N. Provinciæ N. hospes accesseris, & ad negotiorum tuorum exigentiam, congruenti tempore apud Nos manseris, & circa Te ea perfecerimus, quæ juxta Ordinis Constitutiones facienda erant; Harum serie, quæ loco legitimarum literarum obedientialium erunt tibi Fr. N. Provinciæ N. facultatem facimus, & injungimus, ut cum Socio tuo Fr. N. (*si illum habuerit*) *sive* Socio occurrente Te conferas recta via ad præfatam tuam Provinciam; & omnibus, apud quos Te hospitari contigerit, plurimum in Domino commendamus. Vale Dat. &c.

Fr. N. Guardianus Conventus N.
Provinciæ N.
locus ✠ sigilli.

LXX. Forma carcerandi Subditum inobedientem contumacem tenenda a Guardiano, seu alio Prælato locali,

Videnda sunt omnino, quæ scripsimus Par. p. Tit. Delictorum a num. 26. pag. 123 & seqq. *Dato, quod Subditus, jussus a Superiore sub formali præcepto Obedientiæ, ut aliquam pœnitentiam subeat, aut faciat aliquid, quod non est contra Animam suam, & Regulam nostram, renuat obedire, debet Superior petere consilium, & assensum Discretorum, antequam carceret. Ut vero possit docere de suo legitimo modo procedendi, debet factum describere, ut sequitur.*

LXXI. In nomine Domini. Amen. Cum P.F.N. Guardianus Conventus N. in prandio diei . . . Mensis. . . . Anni . . . . &c. in publica Fratrum Refectione, vocasset ad culpam Fratrem N., & illi objecisset, quod prædictus Fr. N. commiserat quosdam defectus, puta &c. *& hic describantur defectus, ob quos voluit pœnitentiare &c.* jussit illi, ut se pro talibus defectibus disciplinaret, & comederet genuflexus solum panem, & aquam. Sed nolente illo obedire, imo contra dispositionem Statutorum, & reverentiam Superiori debitam procaciter & temerarie, & alta voce respondente, quod &c. *& hic ponantur verba, quæ dixerit Subditus.* Pater Guardianus imposito sibi silentio, denuo illi jussit sub formali præcepto Obedientiæ, ut injunctã pœnitentiam perageret. Qui Frater N. denuo denegavit obedire, imo dixit &c. & fecit &c. *& hic describantur omnia dicta, & facta ab ipso Reo.* In quorũ &c.

Ego Fr. N. Guardianus.
Ego Fr. N. fui Testis.
Ego Fr. N. fui Testis.

LXXII. *Præmissa Superiori descriptione facti, convocet Guardianus Discretos, & consilium petat, & totum describatur, ut sequitur.*

Consequenter idem P. Guardianus, qui supra, vocare fecit in cameram suam P. Fr. N. Vicarium, & PP. Fr. Fr. N. & N. Discretos Conventus, & habito inter se colloquio de inobedientia patrata a prædicto Fr. N. ab ipsis petiit consilium, & assensum ad eum carcerandum. Qui præfati Discreti mature consideratis omnibus, consuluerunt, quod &c. *& hic describatur illud, quod a Discretis fuerit resolutum, concludatur:* Acta sunt hæc Die... Anno...&c.

Ego Fr. N. Discretus consului, ut supra.
Ego Fr. N. Discretus affirmo, ut supra.
Ego Fr. N. Vicarius Conven. confirmo &c.
Ita est Ego Fr. N. Guardianus.

LXXIII. *Si Guardianus sciat aliquos, vel aliquem ex Discretis non esse laturos consilium rectum, quia illi sunt notorie partiales, & Defensores Rei inobedientis, potest illum, aut illos omittere, & loco ipsorum alios substituere; ut probavimus citat.* Tit. Delictorum num. 27. pag. 124. *& factum describere, ut sequitur.*

Consequenter idem P. Guardianus, qui supra voluit, ad formam Constitutionum, consilium in hoc casu petere a Discretis Ordinariis Conventus, sed quia advertit, quod P. Fr. N. & P. Fr. N. Discreti sunt notorie partiales, & fautores prædicti Fratris N. inobedientis; & ideo non potest rationabiliter sperare illos, præoccupatos benevolentia erga prædictum Reum, esse daturos consilium legitimum, sanum, & rectum; ideo loco ipsorum duxit substituere PP. FF. N. & N., qui post prædictos sunt seniores in Conventu. Proinde illos fecit vocare in cameram suam, & habito inter se colloquio &c. *ut sup. num.* LXXI.

LXXIV. *Si Discreti consulant, quod Guardianus debeat prædictum Reum secundo, & tertio Canonice monere, antequam ad carcerationem deveniatur, debet Guardianus eorum consilio adhærere, & factum describere, ut sequitur.*

Consequenter idem P. N. Guardianus, qui supra inhærendo sibi dato consilio a prædictis Discretis, prout supra; in cœna ejusdem diei, in plena Fratrum Communitate vocavit prædictum Fratrem N., & ipsi secundo fecit formale præceptum, ut pœnitentiam sibi, ut supra, demandatam compleret. Qui Frater N. respondit &c. sive fecit &c. *Et hic describantur dicta, & facta Rei; si ivit, & genuflexus in medio Refectorii dixit &c. si noluit discedere a loco suo, in quo accumbebat ad mensam; si surrexit, & illum Superiori respondit; si demisso ante faciem caputio nihil respondit &c. & concludatur.* Acta sunt hæc die, loco, quo sup. In quorũ &c.

Ego N. Guardianus.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.

LXXV. *Potest dari casus, quod Reus non conveniat in Refectorio cum cæteris, & non possit Superior illi personaliter renovare præceptum. Tali casu debet mittere duos Fratres ad intimandum illi mandatum, qui coram tota Communitate debent jurati relationem facere; potest factum describi, ut seq.*

Consequenter idem P. Guardianus, qui supra, inhærendo consilio sibi dato a prædictis Discretis, ut supra; voluit renovare prædicto Fratri N. in cœna ejusdem diei formale præceptum jam factum, Sed cum prædictus Reus non venisset cum cæteris ad refectionem, P. Guardianus misit PP. FF. N. & N. Sacerdotes, quibus imposuit, ut perquirerent prædictum Fratrem N. diligenter; & illi invento, nomine suo, juberent, ut in Refectorium veniret, & intimarent secundum, & formale præceptum obe-

diendi. Qui præfati PP. FF. N. & N. abeuntes, postquam reversi sunt, retulerunt &c. *Hic debet describi tota relatio, quam ipsi facient &c. & concludi.* Acta sunt hæc &c. In quorum &c.

Ego N. Guardianus.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.

LXXVI. *Quia diversimode potest variari relatio prædictorum, juxta casuum varietatem, ideo ad pleniorem instructionem ipsam describimus.*

Si Reus vocatus promiserit venire in Refectorium, scribatur &c.

Retulerunt cum juramento, quod tacto pectore exhibuerunt &c. se invenisse prædictum Fratrem Reum &c. in sua Cella, sive Claustro, Horto &c. & sibi significato præcepto Superioris, sub forma sibi commissa, RESPONDISSE, *quod* ipse volebat venire in Refectorium; tamen volebat ire prius ad aliquam suam necessitatē, qua expleta, brevi venisset.

Si venerit renovetur illi præceptum, & describatur totum factum, ut supra num. LXXIIII.

Si autem post congruum tempus non venerit, & missos, ac mittentem deluserit, scribatur.

Sed cum P. Guardianus expectasset aliquantum ultra consuetum tempus cœnæ, & nunquam comparuisset, & rationabiliter conijceret illum nolle in Refectorium venire, ut responderat; noluit diutius remorari Communitatem, & voluit præceptum illi factum a prædictis Sacerdotibus a se missis nomine suo, valere pro secunda, & legitima canonica monitione Acta sunt hæc &c. & subscribatur ut supra &c.

LXXVII. *Si Reus dixerit.* Nolle venire, *scribatur*

Retulerunt cum juramento &c. *ut sup. n. LXXV. Respondisse*, se nolle venire ullo modo in Refectorium, & se nolle parere præcepto sibi facto, aut pœnitentiam injunctam adimplere; insuper dixisse &c. *& hic describantur alia, quæ dixerit, aut fecerit &c & concludatur.* Acta sunt hæc &c. *& subscribatur, ut supra.*

Si Reus non fuerit inventus, scribatur.

LXXVIII. Retulerunt, se quæsivisse prædictum Reum in sua camera, quam invenerunt clausam, & ex post lustrasse Ecclesiam, Chorum, Sacristiam, Claustra, Officinas Conventus, Hortum, & Sylvam, & magnis, & replicatis vocibus ipsum vocasse, sed non fuisse ab illo responsum; proinde conijcientes illum esse clausum in camera, & nolle responsum dare, ad cameram suam reversi sunt, & voce alta, quæ bene potuit ab illo audiri, & percipi, intimarunt sibi, nomine Patris Guardiani, præceptum factum. Acta sunt hæc &c. & subscribatur ut supra &c.

LXXIX. *In casu supradicto, quod Reus non inveniatur, debet Guardianus associatus a Discretis ire ad cameram Rei, & ipsum vocare, & si non respondeat, debet aperiri per vim facere ostium cameræ. Et si Reus in camera non fuerit inventus, debet facere illum perquiri diligenter in omnibus locis, etiam abditis Conventus; & si minime fuerit inventus, convocato per sonum campanulæ Capitulo, debet ipsum declarare, & denunciare Apostatam; tali enim casu, legitime præsumitur, illum fugisse a Conventu; & dato casu, quod ipse latuisset in Conventu, suum esset probare, se minime fuisse Apostatam.*

LXXX. *Facto secundo præcepto, fiat tertium peremptorium; Et describatur, ut sequitur.*

Consequenter idem P. Guardianus, qui supra, in plena Fratrum Communitate congregata ad prandium Diei ... Mensis ... *Anni* &c. vocavit prædictum Fratrem N., & ipsi fecit tertium formale præceptum de adimplenda sibi injuncta pœnitentia. Qui Fr. N. respondit &c. *ut supra.* num. LXXIII. *& subsequatur.*

Videns autem P. Guardianus prædictus ipsius obstinationem, pronunciavit illum esse contumacem, & proinde mandavit carcerari formaliter, sibi detracta chorda, & caputio; quod mandatum fuit adimpletum hac *Die* &c. In quorum &c.

Ego *Fr.* N. Guardianus.
Ego N. Testis,
Ego N. Testis.

Et statim debet Guardianus commonere Provincialem, & ad eum transmittere Acta, ut videat, se legitime processisse.

LXXXI. Quia circa carcerationem Inobedientis multa, & varia accidentia possunt occurrere, quæ possunt difficultatem ingerere Superiori Locali; ideo nonnullos casus recensebimus, quæ facient ad dilucidandam hanc materiam, quæ frequenter usu venit.

Si Subditus, cui Guardianus injungit pænitentiam respondeat, se non renuere, facere pænitentiam ob inobedientiam, sed quia non commisit illud delictum, quod sibi obijcit Superior; & se paratum esse pænitentiam facere, gratia mortificationis, non vero ob delictum commissum; Guardianus debet se gerere, ut diximus Par. I. Tit. Delictorum numer 31.

LXXXII. *Si Subditus dicat, se pænitentiam renuere; quia Superior excedit modum in correctione & proinde ad Provincialem appellet; Superior se regat, ut demonstravimus* cit par. I. Tit Delictorum num. 32.

LXXXIII. *Si Subditus post contumaciam præstitam ante, vel post trinam monitionem (dum Guardianus cum Discretis consulit, de illo carcerando, nec ne) in se revertitur, culpam agnoscit, & se ad pænam subeundam offert, Guardianus se gerat, ut docuimus dicto* Titul. Delictorum num. 33.

LXXXIV. *Si Discreti agnoscant quidem contumaciam Subditi, ob quam deberet incarcerari, sed judicent, quod si tentabitur carceratio, Reus validus viribus, vel armatus se defendet, percutiet, aut vulnerabit tentantes eum apprehendere, ex quo majus scandalum sequetur; vel Fratres, non æquo in Guardianum animo, jussi, ut illum apprehendant, & per vim ducant in carcerem, non obedient, prætendentes timorem de illo, aut dicentes, se non esse satellites; & hoc modo Guardianus ponet in periculo auctoritatem suam; ideo consulant, quod potius faciat canonicas monitiones, & ex post illum excommunicet, debet Guardianus sequi consilium illorum, & servare formam, quam dabimus infra* num. XCV.

LXXXV. *Si Superior juberet Fratribus, ut contumaciter inobedientem, ut præfertur, apprehenderent, & nollent obedire, & essemus in casu atrocissimo, deberet Guardianus implorare brachium Sæculare, ut sequitur.*

LXXXVI. Forma tenenda a Superiore *Lo*cali pro implorando auxilio brachij Sæcularis

Videnda pro hoc sunt ea, quæ scripsimus Par. I Tit. Delictorum num. 35. & seqq. *Multiplices possunt esse casus, in quibus egeat Superior Localis brachia-*

chii Sacularis; utpote si esset Apostata armatus, aut associatus militibus, seu comitibus armatis vagans extra Conventum: aut si esset Frater paratus ad apostatandum, & se conjugiendum latronibus; aut armatus tentaret occidere, aut mutilare alium Fratrem; aut occidisset alium Fratrem, & vellet fugere armatus &c. & similes casus, in quibus maximum scandalum sequi deberet, si non impediretur, & periculum esset in mora. Talibus casibus, ut Guardianus caute, & mature procedat, debet consiliari cum Discretis, & breviter scripto mandare factum, ut sequitur.

LXXXVII. Cum P. F. N. Guardianus Conventus N. Provinciæ N. AVDIVISSET, quendam Fratrem Apostatam vagari per Terras quæstuationis sui Conventus, &, cum publico scandalo, ipsum denarios quæstuare, & in cauponis, & tabernis cum Meretricibus pecuniam expendere, & tentasset placidis verbis per se, & alios ad Conventum reducere, ipse tamen noluit ad Religionem redire.

Sive audisset a fide dignis Fratrem N. Laicum habitus sæculares, & arma sibi parasse, & velle Apostatare, post occasum Solis, & cum bannitis copulari; *vel* velle fugere cum quadam Muliere a se seducta, ex quo maximum detrimentum passura est Religio.

Sive audivisset Fratrem N. rixatum esse contra Fratrem N. & furore indomito percitum, velle quoquomodo ipsum occidere, mutilare, vel vulnerare, nec prædictus Frater quamvis rogatus, & monitos, ut a meditato facinore abstineat, tamen obstinatus, & durus in perversa voluntate perseverare.

Sive occidisse Fratrem N. pluribus videntibus, & ipse homicida armatus velit fugere a Conventu.

Nec Fratres hujus Conventus audeant prædictum Apostatam, *sive* homicidam carcerare, quia ille habet socios, a quibus defenditur, *sive* habet arma parata, & est viribus validus, & ideo timeant; Idcirco P. Guardianus prædictus ad removendum, vel impediendum tam grave scandalum, vocavit in cameram suam P. F. N. ejusdem Conventus Vicarium, & PP. FF. N. & N. Discretos, & illis proposuit: An deberet invocari auxilium brachij sæcularis? Qui bene, & mature considerata facti importantia, & gravitate scandali secuturi, quod majus esset, quam captura illius, facta per manus laicorum, concluserunt esse invocandum brachium sæculare. Acta fuere hæc Die ... Mense ... Anno &c. In quorum &c.

Ego N. Discretus.
Ego N. Discretus.
Ego N. Vicarius.
Ita est Ego N. Guardianus.

ADNOTATIO.

LXXXVIII. *Advertendum, quod, uti scripsimus* citat. Titul. Delictor num. 38. paulo ante finem. *Si in loco Conventus adest Dominus Conservator privilegiorum, ipse prius debet adiri; & ab eo debet petere Guardianus, ut a manifesta injuria, quæ a tali scandaloso fit, aut facienda est, Religionem liberet: & munus Conservatoris est implorare brachium sæculare, & capturam perficere. Si Conservator non adest in loco, sed habetur Curia Ecclesiastica habens familiam armatam, debet adiri Episcopus, sive Vicarius Generalis. Si autem nec Curia Ecclesiastica habetur, adiri debet Curia Laica, nempe Potestas loci. Si ergo capiendus sit Apostata extra Conventum, factum debet describi, ut sequitur.*

LXXXIX. Consequenter P. Guardianus, qui supra adhærendo consilio sibi per memoratos *Discretos* dato, adivit D. Prætorem, sive Potestatem loci, ubi reperiebatur supradictus Apostata, & sibi aperto statu negotii, petiit ab eo, ut manus auxiliatrices concederet, & memoratum Apostatam capi faceret per Milites Curiæ suæ; protestando tamen, quod nullo modo volebat, quod Milites in illius captura illum ullo modo vulnerarent, percuterent, aut male tractarent, nisi in casu propriæ, & inculpatæ defensionis, & ad puram necessitatem capturæ, & assecurationis prædicti Apostatæ. Insuper protestatus est, quod per talem capturam, ipse nullam acquiret facultatem, potestatem, jus, aut jurisdictionem in persona, & rebus, quas habet memoratus Apostata, sed solummodo auctoritatem capiendi illum nomine Religionis. Et proinde postquam captus erit, ducetur ad Conventum, & consignabitur in carcere Conventus, & non detinebitur in manibus laicorum, nisi per tempus præscriptum ab ipsomet Guardiano; protestando, se petere brachium sæculare cum talibus expressis conditionibus, & non alias, aliter, nec alio modo; & si contra prædicta attentare voluerit ipse *D.* Potestas, esse ipso facto, incursurum Excommunicationes latas contra injicientes manus violentas in Clericum, & violantes immunitatem Ecclesiasticam. QVI D. POTESTAS promisit se curaturum omnia, quæ sibi petita fuerunt, & cum conditionibus sibi expressis per memoratum P. Guardianum, ut supra. Acta fuerunt hæc Die ... Mense ... Anno ... in loco &c. In quorum &c.

Ego Fr. N. Guardianus.
Ego N. Testis.
Ego N. Testis.

ADNOTATIO.

XC. *Plura advertere debet Guardianus in hac contingentia, ut omnia recte fiant. Primo debet parare cameram tutam, si non habet carcerem securum in Conventu, ut statim, ac captus erit Apostata, assecuretur etiam vinculis, si ostium cameræ non est satis tutum. Secundo, quando alloquitur Potestatem, ut supra descriptum est, oportet, quod habeat præsentes duos Fratres, qui omnia audiant, & tanquam Testes possint subscribere; & forte melius esset, quod adesset etiam Notarius, qui esset rogatus de protestationibus, quas facit Guardianus; sed si Notarius non possit haberi, aut Potestas non vult tolerare, aut gratum non haberet, quod Notarius rogaretur, sufficiunt duo Testes. Tertio, si commode potest fieri captura de nocte, melius est, quam si fiat de die, ut vitetur scandalum. Quarto, si de necessitate fiet de die, non statim, ac captus est, publice, & cum tumultu populi ducatur ad Conventum, sed custodiatur in aliqua domo, donec veniant tenebræ, & tunc ducatur. Quinto, & ultimo non debet ire Guardianus, nec mittere alios Fratres, ut interveniant in actu capturæ, hoc enim indecorum est, & periculosa aliquando accidentia evenerunt ex imprudentiis aliquorum. Ideo melius longe est, ut vadant soli Satellites.*

XCI. *Si vero assecurandus sit, ut supra dictum fuit, Frater, qui vult Apostatare, aut alium occidere &c. debet alio modo describi factum, puta ut sequitur.*

Consequenter P. Guardianus, qui supra, adhærendo consilio sibi per memoratos Discretos dato, adiit D. Potestatem loci &c. & illi aperuit statum Causæ,

&

& ostendit suprascriptum consilium sibi datum a Discretis, & expressit necessitatem habendi auxilium brachii secularis, ad impedienda mala, quæ possunt evenire. Petiit proinde, ut in sero dignaretur ipse venire, aut mittere Locumtenentem suum cum familia armata ad prædictum Fratrem, qui non potest alio modo assecurari; & quod necessaria erat præsentia prædicti D. Potestatis, sive ejus Locumtenentis, ad continendos in officio Satellites, & forte ex ipsius sola præsentia disponeretur prædictus Frater ad intrandum carcerem. Et tandem rogavit prædictum D. Potestatem, ut pro honore Religionis conservando, sub gravibus pœnis obligaret Familiares suos ad silentium, & secretum, ne captura talis Fratris, cum detrimento famæ Religionis, & scandalo Sæcularium, divulgaretur in populo. QVI DOMINUS POTESTAS benigne promisit, se facturum ea, quæ sibi petita fuerunt a memorato Guardiano, & cum circumstantiis sibi expressis. Acta sunt hæc Die .. Mense .. Anno &c. in loco &c. In quorum &c.

Ego Fr. N. Guardianus.
Ego Fr. N. fui Testis.
Ego Fr. N. fui Testis.

ADNOTATIO I.

XCII. *Advertendum, quod bonum est monere Potestatem, quod non veniat cum turma Satellitum, neque omnes Satellites simul ad Conventum mittat; si enim talem apparatum venire ad Conventum viderent Sæculares, tanquam de re insolita, vulgaretur rumor de hoc in populo, concurrerent multi ex curiositate ad Conventum, & publicaretur factum, adjunctis multis mendaciis, ut solet, cum detrimento Religionis. Melius ergo fiet, si advesperascente die per diversas partes mittat Satellites ad Conventum, & non vadant nisi duo, aut tres simul, & introducantur secreto per Janitorem in Conventum, & maneant occultati in aliqua camera Fratribus cæteris incognita (maxime si capiendus habet in Conventu Factionarios) & postquam venerit D. Potestas cum suis solis famulis ad Conventum, tunc appareat stipatus familia armata, & fiat captura. Bonum etiam erit, si Capiendus multos habet Factionarios, quod isti sequestrentur in Cella a Superiore sub pœna Excommunicationis ipso facto. Item bonum est, quod D. Potestas adeat Capiendum, & ipsum hortetur, ut voluntarie vadat in carcerem, antequam cogatur vi armata capi; forte enim ipsius auctoritate movebitur, & res fiet cum minori periculo, & strepitu.*

ADNOTATIO II.

XCIII. *Advertendum secundo, quod carceratio in casu supradicto cum sit ad custodiam, & non ad pœnam, non debet esse formalis, puta priviendo Carceratum chorda, & spatio. Insuper bonum est, quod Guardianus describat omnia accidentia, quæ evenient in captura, & carceratione; puta si Capiendus erat clausus in sua camera, & noluit aperire. Si necesse fuit prosternere ostium cameræ. Si erat armatus, & quibus armis. Si restitit Militibus, percussit, vulneravit, vociferatus est, injuriavit capientes, aut Guardianum. Si tentavit fugere per fenestras &c. In summa debent adnotari omnia ea, quæ aggravant reatum ipsius Carcerandi, ad hoc, quod Provinciali transmittantur, simul cum cæteris Actis, quæ mitti per Nuncium expressum debent statim post capturam.*

XCIV. *Si autem in Conventu carcer tutus non est, eo quia nulla cella habet fenestram cum clathris, sive cancellis ferreis, aut ligneis, & Carceratus habet amicos, seu Factionarios in Conventu, vel extra, qui ipsum vel vi eripient, vel ad fugam adjuvabunt, & necessarium sit, ipsum assecurare in carcere publico, & hoc judicetur necessarium etiam a Discretis, debet Guardianus tenere formam sequentem. Præmissa formula data supra nu.* LXXXVIII. *pro capiendo Apostata, sive alio data num.* XC. *juxta casuum varietatem, usque ad verba* Qui Dominus Potestas &c. *subjungatur.*

Insuper, quia in Conventu carcer tutus non est, idem P. Guardianus institit apud eundem Dominum Potestatem, ut postquam ille Frater captus fuerit, asservetur in carcere suo, non quidem publico, sed secreto, & cum omni cautela possibili, ut vitentur scandala Sæcularium. Protestando, quod ille debebit manere tanquam depositus in illo carcere nomine Religionis, & non aliter &c. & quod per hoc nullum jus habebit ipse Dominus Potestas transferendi, liberandi, aut retinendi dictum Fratrem, ultra voluntatem Superiorum Religionis; sed ad eorum voluntatem ipsum illis consignabit, & relaxabit &c. QVI DOMINVS POTESTAS &c.

XCV. Forma tenenda a Superiore Locali pro carcerando Subdito inobediente Contumaci.

Non est differentia aliqua in carcerando Contumacem in recusanda pœnitentia imposita, ac Contumacem in non obediendo præcepto sibi facto per Superiorem. Differentia sola est in causa, seu modo inobedientiæ. Proinde tenenda est eadem forma; puta describenda præceptum a Superiore factum; resistentiam Subditi; consilium Discretorum; Canonicas monitiones, & cætera, ut supra descripta.

XCVI. Forma tenenda a Superiore Locali in Excommunicando inobediente Contumaci.

Diximus supra num. LXXXIII. *quod si in casu inobedientiæ Contumacis in non exequenda pœnitentia sibi injuncta, Discreti dent consilium, quod Subditus taliter inobediens non carceretur, sed post congruas Canonicas monitiones excommunicetur, Guardianus debet abstinere a carceratione, sed prosequi Excommunicationem. Tamen advertendum est, quod non est necessarium, quod Superior petat consilium a Discretis, si vult procedere contra Subditum inobedientem per Censuras; siquidem authoritas Guardiani ex dispositione Constitutionum Ordinis alligata est consilio Discretorum præcise pro incarceratione Contumacis, non autem pro ferendis Censuris; siquidem circa istas ferendas, ejus auctoritas non est limitata per leges nostras.*

Quoquomodo ergo Subditus se ostendat inobedientem sive in non exequendo præcepto Superioris sibi formaliter facto, sive in non adimplenda pœnitentia sibi injuncta, si Guardianus vult procedere per Censuras Excommunicationis, Suspensionis, sive Interdicti, debet tenere formam sequentem; & videantur ad hoc, ea quæ scripsimus Par. I. Tit. Pœnarum n. 162. & seqq.

XCVII. *Si Subditus renuit pœnitentiam impositam, aut non vult obedire præcepto formali sibi facto, Guardianus debet ipsum vocare coram Fratribus congregatis Capitulariter, sive in Refectorio tempore communis refectionis, & sibi objicere suam inobedientiam in exequenda pœnitentia, seu mandato sibi formaliter facto. Debet monere ipsum charitative, ut a tali inobedien-*

bedientia recedat, & saluti animæ suæ consulat. Debet illi comminari Censuram, quam vult contra ipsum ferre, nisi resipiscat. Et tandem debet assignare illi tres terminos, intra quos, nisi obediat, declarabitur illigatus Censura. Et licet non sit necessarium tales Monitiones præstare scripto; tamen bonum est, quod Guardianus omnia scriptis mandet, ut possit apud Superiores docere de legitimo modo procedendi, quem tenuit, & potest describere factum, ut sequitur.

XCVIII. In nomine Domini. Amen. Cum P. Fr. N. Guardianus Conventus N. Provinciæ N. imposuisset Fratri N. Laico, Clerico &c. Subdito suo, ut pro defectu tali &c. *& hic exprimatur defectus* commissus a prædicto Fr. N. ipse se disciplinaret, & jeiunaret in pane, & aqua; *sive* ut faceret hoc, vel illud &c. *Et hic exprimatur præceptum factum a Guardiano*, & ipse F. N. noluerit obedire præcepto sibi simpliciter facto. PATER GUARDIANUS, qui supra coram Fratribus Capitulariter congregatis in Refectorio, vocavit supradictum Fratrem N., eumque paternis, & charitativis verbis monuit, ut saluti animæ suæ prospiciens, sibi injuncto mandato obediret. Sed renuente illo exequi obedientiam, idem P. Guardianus jussit illi sub formali præcepto Sanctæ Obedientiæ, ut sibi demandatam pœnitentiam, *sive* præceptum exequeretur; & assignavit illi tres dies incipiendos tunc, (quorum primus pro prima, secundus pro secunda, & tertius pro tertia canonica, & peremptoria monitione esset) intra quos, si non paruerit, declarabitur incidisse in Excommunicationem prædicto P. Guardiano reservatam. Acta sunt hæc Die. Mense. Anno. &c. in Conventu &c. In quorum &c.

Ego Fr. N. Guardianus.
Ego Fr. N. Discretus fui Testis.
Ego Fr. N. Sacerdos &c. fui Testis.

XCIX. *Si forte Subditus prævidens Guardianum sibi velle tale præceptum formale coram Fratrum Communitate facere, non venit in Refectorium; & de mandato Superioris quæsitus a Fratribus, venire renuit; aut in Conventu latitat; Monitorium faciendum est in scriptis, & factum describi, ut sequitur.*

In nomine Domini &c. *ut supra num. XCVII. usque ad illa verba* P. GUARDIANUS QUI SUPRA &c. *& subsequatur*. Pater Guardianus, qui supra, cœteris Fratribus in Refectorio, *sive* Capitulariter congregatis existentibus, advertit prædictum Fratrem N. non adesse. Proinde jussit PP. FF. N. & N. Sacerdoribus, ut illum requirerent; & illi invento, significarent nomine ipsiusmet Guardiani, ut statim in Refectorium se conferret. Qui prædicti Sacerdotes euntes, & postea reversi retulerunt &c. *Et hic ponitur per extensum eorum relatio; & si ipse venerit, Guardianus moneat, & assignet terminos Canonicos &c. & factum describatur, ut supra* num. XCVII. *Si vero referent, se illum invenisse, & eum respondisse, quod* nolebat in Refectorio venire &c. *sive referent, quod eum non invenerunt, facta omni diligentia; Post descriptam relationem a prædictis Sacerdotibus factam subsequatur.* Visa porro ab eodem Guardiano ejus inobedientia, & quod maliriose latet, ne personaliter possit moneri, decrevit monere in scriptis, juxta Canonica instituta, proinde publice legi, & affigi ad ostium cameræ prædicti Fratris N. & ad valvas Refectorii interius (ne posset ab eodem Fratre N. prætendi ignorantia) fecit Monitorium tenoris sequentis.

C. Tibi Fratri N. Sacerdoti &c. intimamus, & in his scriptis monemus, quatenus intra tres dies a die datæ præsentium, computandos, quorum primum pro prima, secundum pro secunda, & tertium pro tertia, & peremptoria Canonica Monitione assignamus; coram Nobis compareas, & mandatis nostris, ut de jure teneris, obedias. Quod si in tempore supradicto non comparueris, noveris Nos esse contra te relaxaturos Sententiam Excommunicationis. Et volumus præsens Monitorium publicatum, & cameræ tuæ habitationis affixum ita te arctare, ac si Tibi personaliter fuisset intimatum. Dat. Die ... Mense ... Anno ... In Conventu &c. In quorum &c.

Ego N. Guardianus.
Ego N. Discretus fui Testis.
Ego N. Discretus fui Testis.

ADNOTATIO.

CI. *Advertendum, quod si Frater inobediens est Laicus, melius est, quod Monitorium fiat lingua vernacula, ne possit allegare ignorantiam. Pariter, si Sacerdos est, & vir gravis, & aliqualiter ejus dignitati esset deferendum, melius est, quod comminetur Censura suspensionis a Divinis, sive Interdicti, non vero Excommunicationis. Tandem si ille compareret, & appellaret (a præcepto facto, aut a pœnitentia injuncta, & consequenter a Censura ferenda) ad Provincialem, & non esset Appellatio notorie frivola, Guardianus non potest ultra procedere. Sed debet commonere Provincialem, & factum describere, ut sequitur.*

CII. Anno ... Die ... Mense ... loco &c. comparuit coram P. N. Guardiano, qui supra, Frater N. de quo supra, & dixit se appellare a præcepto sibi facto per eundem P. Guardianum ad A. R. P. Provincialem, quia &c. *& hic describatur causa Appellationis adducta*; & consequenter etiam a comminatione Censuræ. Cui appellationi prædictus P. Guardianus non detulit, nisi si, & in quantum erit de jure, & decrevit interea commonere de hoc A. R. P. Provincialem. In quorum &c.

Ego N. Guardianus.
Ego N. Testis.
Ego N. Testis.

ADNOTATIO

CIII. *Advertendum, quod Provincialis cum Diffinitorio, examinata causa Appellationis, si invenerit eam non subsistere de jure, debet remittere Appellantem ad Superiorem localem, & nullo modo debet ipse se ingerere in Causa illa, quæ est de Foro, & jurisdictione Guardiani, cujus auctoritas redderetur cæteris Subditis contemptibilis, si ipse non posset effective illos compellere per Censuras ad obediendum.*

CIV. *Elapso termino assignato in Monitorio, & ad abundantem, expectata adhuc alia die, si Subditus non revertitur ad cor, & obediat; Guardianus scribat Sententiam Excommunicationis, sive alterius Censuræ comminatæ, & subscriptione propria, & sigillo Conventus muniat, & in plena Communitate Fratrum legat, & valvis Refectorii affigat; & si Frater Excommunicatus erit præsens, expellatur a Refectorio. Tenor vero Sententiæ erit, ut sequitur.*

CV. Sacrosancto Iesu Christi nomine invocato, Nos Frater N. Guardianus Conventus N. Ordinis Minorum, auctoritate D. N. I. C. Sanctorum Apostolo-

stolorum Petri & Pauli, & Seraphici P. N. Francisci per Ordinis Constitutiones Nobis concessa: Te Fratrem N. excommunicamus, & a fidelium communione, ac Sacramentorum participatione separamus, & removemus, & harum tenore Te, ut præfertur, excommunicatum, separatum, & remotum, & ideo ab omnibus Christi fidelibus vitandum, declaramus, & denunciamus, quia per congrua intervalla, a Nobis canonice monitus, legitimis mandatis Nostris contumaciter obedire contempsisti. Volumus autem Te prædicta Censura, a qua nullus Nobis inferior, citra mortis periculum poterit absolvere, manere illaqueatum, donec, præstita Nobis Obedientia, & satisfactione, absolutionem merearis. Dat. &c.

Fr. N. Guardianus.

locus ✠ sigilli.

CVI. Forma absolvendi Subditum Excommunicatum Denunciatum, ut supra.

Eadem prorsus est Forma, quam tradimus supra num. LXVI. *pro absolvendis Apostatis; solummodo debent variari verba in fine absolutionis. & dici.* Absolvo te a vinculo Excommunicationis, quam incurristi propter contumacem inobedientiam, mihi præstitam, & restituo Te &c. *Et debet Subditus ante absolutionem adimplevisse mandatum Superioris, mox publice in Fratrum Communitate, agnita culpa sua, absolutionem humiliter petere.*

CVII. Forma, qua uti debet Superior localis in ferenda Excommunicatione per modum Ordinationis.

Quia Superior localis pro bono regimine sui Conventus potest Excommunicationem ferre per modum ordinationis, quæ habet vim, ipsius tantum Officia durante; damus Formam, quam tenere debet; & videnda sunt ad hoc ea, quæ scripsimus Par. pr. Tit. Pœnarum a numer. 163. pag. 197. & seqq. *Ex dispositione ergo Statutorum Ordinis, quæ recensemus* loc. cit. num. 165. *debet ordinationem ipsam, in qua fertur Excommunicatio, scriptis mandare, & publice intimare, & affigere in loco commodo, in quo ab omnibus Fratribus possit videri, non vero a Sæcularibus, ut vitetur scandalum, seu admiratio; & ordinatio, cum Excommunicatione alia modo lata, nullius est valoris. Poterit ergo scriptis mandari, ut sequitur.*

Frater N. Guardianus Conventus N. &c.

CVIII. Harum serie sub formali præcepto Sanctæ Obedientiæ, in virtute Spiritus Sancti, & sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda, a qua nullus Nobis inferior absolvere poterit, prohibemus omnibus, & singulis Subditis nostris Sacerdotibus, Clericis, & Laicis, qui pro tempore, & durante nostro Officio in hoc Conventu N. commorabuntur de Familia, ne &c. *Et hic debet exprimi prohibitio juxta casuum exigentiam, & subsequatur.* Et ut ad omnes, & singulos notitia hujus nostræ prohibitionis perveniat, & a nemine ignorantia prætendi possit, volumus, præsentes, post quam fuerint Fratribus capitulariter congregatis publicatæ, affigi, & affixas manere ad valvas interiores Refectorii, nec ab aliquo inde amoveri sub simili pœna Excommunicationis, ut ab omnibus commode legi possint. Datæ, & publicatæ fuerunt in publica Fratrum refectione hac Die ... &c.

Ego Fr. N. Guardianus.

ADNOTATIO.

CIX. *Advertendum, quod, ut diximus* Par. p. Tit. Pœnarum num. 197. pag. 314. *talis Censura Excommunicationis per modum ordinationis, ut præfertur, ferri non potest nisi pro re valde gravi, vel in se vel respective ad grave inconveniens, quod ex re prohibita probabiliter sequi potest, nec temere, aut ex levi causa gladio Excommunicationis, quæ non potest ferri, nisi ob culpam mortalem, uti debet Prælatus, ne ex usu vilescat, & contemnatur. Insuper advertendum est, quod ordinatio debet scriptis mandari, & publicari lingua vernacula, ut intelligi ab omnibus faciliter possit, ne ullus valeat allegare ignorantiam. Tandem advertendum, quod ut probavimus,* citat. Tit. Pœnarum num. 167. pag. 197. *casu quo aliquis contravenit ordinationi, licet ille maneat ipso facto pro foro animæ Excommunicatus, non potest tamen a Guardiano ferri Sententia declaratoria Excommunicationis incursæ, sed hoc reservatur Provinciali quem commonere debet Guardianus.*

CX. Forma ferendæ Excommunicationis solemnis, sive Anathematis pro restitutione Furti, tenenda a Superiore locali, quando maximum periculum est in mora.

De hoc casu locuti sumus ex instituto, par. p. Tit. Pœnarum a num. 175. pag. 200. & seqq. *& videantur, quæ ibi scripsimus. Casu quo igitur secutum sit Furtum, quod supponitur factum a Fure domestico, & nisi restituatur maximum scandalum, cum detrimento Religionis sequetur, nec suppetat tempus habendi præsentiam Provincialis, ad quem de jure spectat; ante ferendum anathema contra Furem, debet confici, publicari, & affigi Monitorium tenoris sequentis.*

Fr. N. Guardianus Conventus N.

CXI. Cum a filio, sive filiis iniquitatis, Diabolo instigante, commissum fuerit Furtum, quo a tali loco &c. tali tempore &c. ablata est talis res &c. *& hic exprimatur locus, tempus, & res furatæ;* & maximum scandalum in damnum, & detrimentum Religionis, & maxima Fratrum conturbatio, ex tali Furto, inevitabiliter secutura sit, nisi quantocyus Furtum restituatur; harum serie, in virtute Spiritus Sancti, sub interminatione maledictionis æternæ mandamus talium rerum Furi, & ejus Complicibus, ut statim restituant Furtum. Quod si non fecerint intra spatium trium dierum, *sive* viginti quatuor horarum (*si tempus non suppetit*) quorum unum pro prima, unum pro secunda, & aliud pro tertia, & ultima peremptoria canonica monitione assignamus (*sive* quarum octo pro prima, octo pro secunda, & octo pro tertia, & ultima &c.) contra illos Sententia anathematis irremissibiliter fulminabitur. Dat. &c

Ego N. Guardianus &c.

ADNOTATIO.

CXII. *Advertendum, quod suprascriptum Monitorium debet extendi in lingua vernacula, ut ab omni-*

omnibus possit intelligi; & debet publicari in plena Fratrum Communitate, & in valvis Refectorii interius affigi. Elapso autem termino assignato, devenire debet ad fulminationem anathematis in forma sequenti

CXIII. *Convocatis capitulariter Fratribus in Refectorio, &, ad ingerendum majorem horrorem, fenestris clausis, Guardianus indutus amictu, stola, & pluviali violaceo medius inter Vicarium, & antiquiorem Discretum ingrediatur Refectorium, portans (sicut & alii duo) candelam accensam. Progressus usque ad caput Refectorii sedeat super cathedra ibi ad hoc parata, & prædicti Sacerdotes illi hinc inde stantes assistant. Tum alta voce, & emphatica, ab aliquo Sacerdote, sive Clerico legi jubeat Sententiam anathematis sequentis.*

CXIV. Cum suadente Diabolo omnium malorum authore filius, sive filii iniquitatis, & perditionis, in hoc nostro Conventu furati sint &c. *& hic exprimatur res Furto sublata*. Nos Frater N. ejusdem Conventus Guardianus ad effectum, ut furtum restitueretur, primo, secundo, & tertio assignatis debitis temporis intervallis, monuimus Furem, & Complices sub interminatione maledictionis æternæ; veruntamen eodem Diabolo eorumdem corda possidente, contemptis monitionibus nostris, nullo modo comparuit res restituta.

Idcirco omnipotentis Dei Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nec non Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli, Seraphici P.N. Francisci, & omnium Sanctorum auctoritate atque Nobis a *Deo* concessa ligandi, atque solvendi potestate Furem, & Complices prædictarum rerum &c. excommunicamus, bonis omnibus Christianis communibus privamus, atque ab omnium Christianorum societate, & sanctæ Matris Ecclesiæ liminibus in Coelo, & in Terra excludimus, & separamus, & taliter excommunicatos, & anathematizatos esse decernimus, volumus, & declaramus; cumque Diabolo, & Angelis ejus Apostatis, atque omnibus reprobis damnatos pariter judicamus. Propterea, (*hic vox elevetur, & majori emphasi, & pausa inter unam, & aliam maledictionem.*) Maledicti sint domi, & extra. Maledicti in Civitate, & in agro. Maledicti vigilando, & dormiendo. Maledicti manducando, & bibendo. Maledicti ambulando, & sedendo. Maledicta sit caro, & ossa eorum, & a planta pedis, usque ad verticem non habeant sanitatem. Veniat super illos maledictio hominis, quam per Moysen *in* lege Filiis iniquitatis *Dominus Deus* promisit. Deleantur nomina eorum de Libro viventium, & cum justis non scribantur, sed cum damnatis in æternum computentur. Sit hæreditas eorum in Inferno cum Cain Fratricida; cum Datan, & Abiron, & Core quos viventes deglutivit ignis Inferni; cum Anania, & Saphira; cum Simone Mago, cum Juda proditore, & cum omnibus damnatis, qui habent in æternum vasa iræ, & furoris Justitiæ *Dei* viventis. Pereant in die Judicii, & nisi Furtum restituant, & Furem, & Complices revelent, contra eos *Dominus* noster Jesus Christus formidabilem illam Sententiam fulminet: Ite maledicti in ignem æternum.

Tum Guardianus, & alii duo Sacerdotes clament Fiat, Fiat, Fiat *& projeiciant candelas in terram, quas pedibus conculcent, & contra eas aliquos lapides mittant, juxta illud, quod scripsimus supra n.* XLVII *loquendo de Forma servanda a Provinciali in fulminando solemni anathemate. Et advertendum, quod prout ibi diximus, bonum est, quod prædicta Sententia proferatur lingua vernacula, ut ab omnibus bene intelligi, & percipi possit.*

Formula Absolutionis dandæ a Prælatis Regularibus in fine Visitationis.

Completo sermone, quem Regularis Visitator facere consuescit in fine visitationis, omnes Fratres in medio Capit. genua flectant, ac devote recitent, *Confiteor Deo Omnipotenti &c.*

Quo finito. Visitator suo loco surgat & dicat; *Misereatur vestri &c.*

„ Si tenemini aliquo vinculo excommunicationis
„ majoris vel minoris, suspensionis, vel inter-
„ dicti, in quantum se extendunt gratiæ & pri-
„ vilegia Ordini nostro indulta, mihi commissa,
„ & vobis concessa; Absolvo vos, & restituo
„ vos Sacramentis Ecclesiæ, communioni & uni-
„ tati fidelium, In Nomine Patris, & Filii, &
„ Spiritus Sancti.
„ Item eadem auctoritate dispenso vobiscum super
„ irregularitatibus, inhabilitationibus, aliisque
„ pœnis Ecclesiasticis, si quas contraxistis, in
„ quantum possum & valeo. Aboleo etiam a vo-
„ bis omnem maculam infamiæ undecumque
„ contractæ, & habilito vos, & restituo exe-
„ cutioni Ordinum, & officiorum vestrorum, nec
„ non ad omnes actus legitimos tum Ordinis,
„ tum jurisdictionis, ac Religionis nostræ bene-
„ ficia, prout nostra se extendit auctoritas. De-
„ mum eadem auctoritate absolvo vos ab omni
„ transgressione Regulæ, Constitutionum, Or-
„ dinationum & admonitionum Majorum vestro-
„ rum; ab omnibus pœnitentiis oblitis, seu
„ etiam neglectis, & ab omnibus peccatis vestris;
„ de illis concedendo vobis indulgentiam plena-
„ riam juxta formam S. Romanæ Ecclesiæ con-
„ suetam. In Nomine Patris & Filii & Spiritus
„ Sancti Amen.
„ Ite in pace, nolite amplius peccare, & orate
„ Deum pro me.

ADNOTATIO.

Absolutionis hujus in Religiosis Ordinibus adeo celebris, non est cur dotes hic referam, amplitudinem, ac privilegia. Id unum tantum ad rem nostram annotasse sufficiat, absolutionem hanc a Prælatis Regularibus in fine visitationis Religiosis subditis impertiri solitam, multum iisdem prodesse in *foro interno*, non solum pro censuris & irregularitatibus dubiis, oblitis, atque ignoranter incursis, de quibus non est dubitandi locus; verum etiam pro censuris, & irregularitatibus certis, dummodo tamen *occultæ* sint. Verba enim illa *absolvo vos, restituo vos, dispenso vobiscum*, pie sane videntur favorabiliter amplianda ad ea omnia, ad quæ se se extendit Prælatorum potestas, quam quidem extendi ad casus etiam certus, *occultos* tamen, satis probabiliter docent Auctores. *Vide Dubitat 15. secti 5. n.* 82 Dixi in *foro interno*, & quatenus censuræ, ac pœnæ *occultæ* sint: nam in *foro externo & contentioso* nihil valet prorsus; in criminibus scilicet, seu pœnis ad dictum forum deductis, aut publice deducendis ibi-

(ibidem *num.* 83.) Quia tamen præter dictam absolutionem solent etiam Regulares Prælati Religiosis sibi subditis Indulgentiam plenariam ultimo impartire, ex concessione *Leonis X.* pro Fratribus Minoribus; & *Gregorii XIII.* pro Visitatoribus Societatis Jesu, ut scribunt *Lantusca* in Theat. Regul. tit: *Commissarius*, & *Em. Roderic.* tom. 2. *qq. regular.* q. 86. *art.* 2; idcirco eos monere debent pro consecutione indulgentiæ ejusmodi.

Generales Decretorum formulæ, quæ a Visitatoribus fieri aliquando contingunt.

Accidit namque, ac sæpe quidem, ut in visitatione Ecclesiarum & Monasteriorum aliqua invenias Visitator, aut sacris usibus minus apta, aut Religiosis domibus minus certe commoda; quorum reparationem, si officio suo fungi velit, negligere haudquaquam potest. Damus itaque hoc ultimo loco generales formulas *Decreta* faciendi pro eorumdem restauratione. Et primum quidem,

Pro renovatione Tabernaculi Sanctissimi Sacramenti Altaris, seu Sacræ Pyxidis.

In Visitatione Ecclesiæ S. N. Ven. Monasterii N. inter alia Visitavimus Sanctissimum Altaris Sacramentum: invenimus autem vestem interiorem *Tabernaculi* laceram omnino esse, *seu* mucorem ex vetustate contraxisse: *vel Sacram Pyxidem* intus non bene inauratam. Quamobrem ut *Tabernaculum* vestiatur intus serico panno: *vel ut sacra Pyxis* iterum inauretur, sub pœnis &c. mandamus &c.

N. N. Visitator.

Pro reparatione alicujus Sacelli seu Altaris

In Visitatione Ecclesiæ S. N. Ven. Conventus N. inter cætera visitavimus *Sacella* & *Altaria*; invenimus autem *Sacellum* N. ruinam prope minitari; *Altaris* item *lintea* omnino lacera, sordidave; *Crucem* etiam, & *Candelabra* vetustate jam consumpta. Quare ut *Sacellum* reparetur; *Altaris* vero ornamenta amoveantur, purgentur, renoventur, sub pœnis &c. ordinamus &c.

N. N. Visitator.

Pro suspensione, aut renovatione Vestium, seu Vasorum Sacrorum.

In Visitatione Ven. Monasterii N. inter alia visitavimus *Sacrarium* cum *Vestibus* & *Vasis Sacris*: invenimus autem *unam* aut *plures Planetas* omnino laceras: quas suspendimus: *Corporalia* itidem, *Purificatoria* (*& si quæ sint alia*) immunda prorsus, longoque usu detrita, quæ laceravimus: *Calices* demum (*exprimatur numerus*) cum *Patenis* totidem, non bene inauratos, quos denuo inaurari mandavimus,

N. N Visitator,

Pro restauratione, majorique cura Bibliothecæ.

In Visitatione Ven. Conventus N. inter alia visitavimus *Bibliothecam*: invenimus porro magnam librorum copiã blattis tineisque abrosam. Quamobrem ut libri restaurentur, majorique cura serventur in posterum, mandamus, ut aliquis semper *Bibliothecæ* curandæ præpositus sit, qui virtute, probitate, librorumque peritia polleat.

N. N. Visitator.

Ad hunc modum, si quæ alia *Decreta* fieri contingant, condi poterunt. Sed hæc satis multa, vel plura potius, quam necesse fuit.

FINIS.

INDEX

INDEX RERUM,

Quæ in hoc Formulario continentur.

A

Absolutio generalis, quomodo danda in Visitatione paterna. *Sect. I. num. III. pag.* 1. Ipsius effectus. *ibi. num. IV. pag.* 2.

Absolutio danda à Visitatore in fine Visitationis. *Sect.* XI. *pag.* 121. Quas censuras, & irregularitates solvat. *ibi. in adnot.*

Ab Excommunicatione quomodo danda Reo. *Sect. V. nu. XV. pag.* 54. Quomodo danda a Guardiano. *Sect. XI. num. VI pag.* 110.

Absolutio, quomodo dande Testi censurato, qui resipuit, post contumaciam. *Sect. IV. num. LIII. pag.* 46.

Absolutio Apostatæ. Vide *Apostata*.

Accusatio, quomodo proponenda. *Sect. II. num. XXII. p.* 15. Si detur per literas, quid agendum a Judice. *ibi. num. XXIII. pag.* 15.

In ille præsentanda, quæ cautela sit adhibenda. *Sect. II. num. XXIV. & seqq. pag.* 15. Si Accusatus est Prælatus, & Accusator non notus Judici, quid ab isto sit præstandum. *ibi. num. XXV. pag.* 15.

Accusator, quomodo repellendus eb accusatione. *Sect. IV. num. LXVI. & seqq. pag.* 49. Quomodo citandus post defensiones Rei. *Sect. VII. num. XLV. pag.* 84. Quomodo citandus ante Sententiam. *Sect. VIII. num. III. pag.* 85.

Actuarius. Vide *Notarius*.

Advocatus Fiscalis, quomodo deputandus a Judice. *Sect. VII. num. XLI. pag* 84. Quomodo pro parte Fisci respondere debeat Patrono. *ibi. n. XLII. & XLIII. pag.* 84.

Altarium instauratio e Visitatore decernenda. *Sect.* XI. *p.* 121.

Anathema. Vide *Excommunicatio*.

Apostata, quomodo carcerandus, & absolvandus. *Sect. XI. num. LX & seqq. pag.* 113.

Apostoli Refutatorii, quomodo formandi. *Sect. IX. num. IX. pag.* 92.

Apostoli dimissoriales quomodo formentur. *Sect. IX. num.* 12. *pag.* 92.

Apostoli reverentiales, quomodo concedendi. *Sect. IX. n. XI. pag.* 91.

Apostoli testimoniales, quomodo concedantur. *Sect. IX. num. XV. pag.* 93.

Appellatio ab interlocutoria, quomodo interponenda. *Sect. IX. num. II. pag.* 90. Coram honestis viris, quomodo proponatur. *Sect. IX. num. VI. pag.* 91.

Appellatio e diffinitiva, quomodo interponenda. *Sect. IX. num. VII. pag.* 91.

Appellatio, quomodo facienda a Patrono. *Sect. VI. num. XXXII. pag.* 71. *&* 72.

Appellatio, quomodo facienda a Censure commonita. *Sect. XI. num. CII. pag.* 129.

Appellationis formæ omnes recapitulantur. *Sect. X. nu. IX. pag.* 100.

Arbitri, quomodo eligendi. *Sect. I. num. XXII. pag.* 7. Quomodo procedere debeant in formando processu. *Sect. II. num. XLI. & seqq. pag.* 21. Quomodo debeant examinare Testes. *Sect. IV. num. XLI. pag.* 43. Quomodo debeant excitare Judicem recusatum ad contradicendum Recusanti. *Sect. VIII. num. XVIII. pag.* 88. Quomodo debeant sententiare. *Sect.* VIII. *num.* XIX. *pag.* 88.

Arctatio simplex, quomodo infligenda. *Sect.* VII. *num.* VI. *pag.* 76. Qualificata quomodo danda. *ibi. num.* VII. *pag* 76.

Articuli interrogatorii, quomodo formandi. *Sect.* VI. *num.* XIX. *pag.* 68. Quomodo præsentandi. *ibi. num.* XVIII. *pag.* 68. Quomodo corrigendi. *ibi. num.* XX. *pag.* 69.

Articuli probatorii ad defensam, quomodo formandi a Patrono. *Sect.* VI. *num.* XXVI. *& seqq. pag.* 70. Quomodo corrigendi a Judice. *ibi. num.* XXIX. *pag.* 71.

B

Bibliothecarum Monasteriorum reparatio quomodo a Visitatore decernenda. *Sect.* XI. *pag.* 122.

Brachium Sæculare, quomodo invocandum a Provinciali. *Sect. II. num.* XXXIX. *pag.* 19. A Visitatore. *Sect.* II. *num.* XL. *pag.* 21. A Guardiano. *Sect.* XI. *nu.* LXXXVI. *pag.* 116.

C

Carceratio suspecti de fuga, quomodo decernenda. *Sect.* V. *num.* II. *& seqq. pag.* 52. Expellendi ab Ordine, quomodo fiat. *Sect.* XI. *num.* IV. *pag.* 103. Rei suspecti, aut vehementer indiciati, quomodo facienda a Guardiano. *Sect.* XI. *num.* LVI. *pag.* 112. Subditi inobedientis, & contumacis, quomodo exequenda a Guardiano. *Sect.* XI. *num.* LXX. *pag.* 115.

Censuras solvit Visitator. *Sect.* XI. *p.* 121.

Chirurgus quando, & quomodo examinandus. *Sect.* III. *nu.* VII. *pag.* 26. Quomodo examinandus, si qui torqueri fune debet, dicat se esse crepatum. *Sect.* VII. *num.* XVIII. *pag.* 79.

Citatio juridica Testium. quomodo facienda. *Sect.* IV. *num.* XLVIII. *pag.* 44.

Citatio Rei absentis, quomodo fiat. *Sect.* V. *nu.* IX. *pag.* 53. Rei fugitivi, quomodo facienda. *ibi. num.* X. *pag.* 53.

Citare, *Citatio*. Vide *Reus*. *Accusator*. *Exceptor*. *Patronus*, *Testes*.

Clamorosa insinuatio, quomodo, & quando ad procedendum per inquisitionem specialem. *Sect.* II. *num.* IX. *pag.* 12.

Clamorosa insinuatio. Vide *Fama*.

Commissarius Visitator, quomodo procedet in Visitatione. *Sect.* I. *num.* VII. *pag.* 3. Quomodo possit deputare aliquem ad visitandos nonnullos Conventus. *ibi. num.* VIII. *&* X. *pag.* 3. Potest recusari in Visitatione judiciali, & quomodo. *Sect.* I. *num* XV. *pag.* 5. Quomodo procedere debeat, si Fratres nollent eum recipere. *Sect.* II. *num.* XL. *pag.* 21.

Sermonem habere solet post visitationem. *Sect.* XI. *p.* 121. Absolutionem dat. *ibid.* Vide *Absolutio*. Indulgentiam impertitur. *Sect.* XI. *pag.* 122. Quæ decreta facere possit quoad Tabernaculum SS. Sacramenti, Vasa Sacra, Vestes sacras, Sacella, Altaria, & Bibliothecas. *ibi.*

Commissarius Delegatus, quomodo se gerere debeat in formandis processibus. *Sect.* II. *num.* XLIV. *& seqq. pag.* 22. Delegatus ad causam particularem quomodo, petita ampliatione jurisdictionis, procedere debeat. *Sect.* II. *num.* XLVIII. *pag.* 23. Delegatus ad examen Testium quomodo procedet. *Sect.* IV. *num.* LXXVI. *& seqq. pag.* 51.

Commissarius. Vide *Litera*.

Compositio Rei cum Fisco quomodo petenda. *Sect.* VI. *num.* XXXVII. *pag.* 73.

Confessio Rei facta in tormentis, quomodo, ubi, & quando ratificanda. *Sect.* VII. *num.* XXXVI. *pag.* 83. Si revocetur a Reo, quomodo se gerat Judex. *ibi. num.* XXXVII. *pag.* 83.

Confrontatio Rei cum Testibus, quomodo facienda. *Sect.* V. *num.* XXV. *pag.* 61. Cum Socio criminis quomodo fiat. *ibi. num.* XXVI. *& seqq. pag.* 61.

Consiliarius, quomodo recusandus a Reo. *Sect.* I. *num.* XXV. *pag.* 9.

Consilium, quomodo petendum per Provincialem a Definitorio ante Torturam Rei. *Sect.* VII. *num.* I. *& seqq. pag.* 75. Et ante carcerationem Expellendi ab Ordine. *Sect.* XI. *num.* II. *pag.* 103. Quomodo petendum per Judicem a Patribus Peritis ad cogendum Reum. *Sect.* V. *num.* XX. *pag.* 58. Quomodo petendum per Guardia-

num a Discretis pro carcerando ad custodiam Reum notorium, seu vehementer suspectum. *Sect.* XI. *n.*LVII. *pag.* 113. Aut pro carcerando inobediente. *Sect.* XI. *num.* LXXII. *& seqq. pag.* 115. Aut pro Invocando brachio sæculari, *Sect.* XI. *num.* LXXXVII. *pag.* 117.

Consultores deputati a Generali, quomodo debent ferre votum suum in revisione Causæ. *Sect.* IX. *num.* XXXII. *pag.* 97.

Contumax. Vide *Reus*. Vide *Testis*. Vide *Subditus*.

Copia Actorum, quomodo petenda a Patrono. *Sect.* VI. *num.* XI. *pag.* 67. Quomodo consignanda. *Sect.* VI. *num.* XVI. *pag.* 68. Quomodo authenticanda *ibi. num.* XVII. *pag.* 68. Si timeatur vitiata, quomodo petenda a Reo, & concedenda a Judice, & quomodo facienda nova collatio cum originali. *Sect.* IX. *num* XXIV. *& seqq. pag.* 91.

Copia examinis Testium repetitorum, quomodo petenda a Patrono, & decernenda a Judice. *Sect.* VI. *num.* XXI. *pag.* 69.

Corpus Delicti, quomodo visitandum. *Sect.* III. *num.* I. *& seqq. pag.* 24.

Corpus Delicti, quomodo probandum per Testes. *Sect.* IV. *num.* XI. *pag.* 31. Quomodo probandum in casu defloratonis. *Sect.* III. *num.* X. *pag.* 27. In casu furti. *Sect.* III. *num.* XI. *pag.* 27. In casu scripturæ falsificatæ, monetæ adulteratæ, armorum prohibitorum, mixturæ venenatæ. *Sect.* III. *num.* XIII. *pag.* 28. In casu, quod ipsum sit extra jurisdictionem Judicis Regularis aut de eo amplius non appareat. *Sect.* III. *num.* XIV. *pag.* 28. Ejus probatio recapitulatur. *Sect.* X. *num.* III. *pag.* 98. Quomodo describendum a Superiore Locali. *Sect.* XI. *num.* XLVIII. *pag.* 111.

D

D*Ecretum Judicis* super ejus recusatione in Visitatione judiciali. *Sect.* I. *num.* XXII. *pag.* 7. Super Fama non probata. *Sect.* II. *num.* X. *pag.* 12. Supre Visitatione Corporis Delicti. *Sect.* II. *num.* LI. *pag.* 24. *&* *Sect.* III. *num.* XVII. *pag.* 29. Post exceptionem sibi propositam contra Accusatorem. *Sect.* IV. *num.* LXIX. *& seqq. pag.* 50. De Reo carcerando *Sect.* V. *num.* II. *p.* 52. De Reo constituendo. *Sect.* V. *num.* VII. *pag.* 53. De concedendis Reo defensionibus. *Sect.* VI. *num.* I. *p.* 65. De prorogando termino defensorio. *Sect.* VI. *num.* XIII. *&* XIV. *p.* 67. De corrigendis Articulis interrogatoriis. *Sect.* VI. *num.* XX. *p.* 69. Post sibi propositam recusationem, vel appellationem a Patrono. *Sect.* VI. *num.* XXXII. *p.* 71. Post appellationem a denegatione termini defensorii. *Sect.* VI. *num.* XIV. *p.* 67. Post petitionem sibi factam a Patrono ut reparet omissa in examine Testium ad defensionem. *Sect.* VI. *n.* XXXIII. *p.* 71. Post sibi propositam recusationem alicujus de corpore Definitorii. *Sect.* VI. *num.* XXXIX. *p.* 74. Ante Torturam. *Sect.* VII. *num.* V. *p.* 76. De ostendendo processu Advocato Sæculari ante Torturam Fidei. *Sect.* VII. *num.* XIV. *p.* 78. De danda Patrono copia examinis Rei in Tortura. *Sect.* VII. *num.* XXXVIII. *p.* 83. De Advocato Fiscali deputando, *Sect.* VII. *num.* XLI. *p.* 84. De citando Accusatore ante Sententiam. *Sect.* VIII. *num.* III. *p.* 75. Quando non defert Appellationi ab interlocutoria. *Sect.* IX. *num.* II. *p.* 90. Quando illi defert. *ibi. num.* III. *p.* 90. De congregando Definitorio in ordine ad expulsionem. *Sect.* XI. *num.* I. *p.* 101. De examinandis Testibus ad probationem trium delictorum Expellendi ab ordine. *Sect.* XI. *num.* III. *p.* 103. De illo carcerando. *ibi. num.* IV. *p.* 103. De mittendo processu Expulsionis ad Generalem. *Sect.* XI. *nu.* XVIII. *p.* 106. De deputando Patrono pro defensione Apostatæ ad expulsionem. *Sect.* XI. *num.* XXXII. *p.* 108.

De Tabernaculo SS. Sacramenti, Vasis, Vestibusque sacris, Bibliotheca, Sacellis, & Altaribus reparandis. *Sect.* XI. *pag.* 122.

Decretum S. Inquisitionis legendum in omni Visitatione *Sect.* I. *num.* V. *pag.* 2.

Delegatus. Vide *Judex*. Vide *Commissarius*.

Denuncians quomodo, & quando examinandus. *Sect.* II. *num.* XVII. *pag.* 13.

Denunciatio quomodo fiat oretenus. *Sect.* II. *num.* XIII. *pag.* 12. Quomodo per Libellum, vel per literas. *Sect.* II. *num.* XIV. *pag.* 13. Quomodo fiat cum Denuncians ignorat Delinquentem. *Sect.* II. *num.* XVIII. *pag.* 14. Quomodo detur civiliter. *Sect.* II. *num.* XIX. *pag.* 14.

Defensiones, quomodo concedendæ in crimine notorio. *Sect.* V. *num.* XXXV. *pag.* 64. Vel Reo reperto in fragranti crimine. *Sect.* V. *num.* XXXVI. *pag.* 65.

Defensiones, quomodo concedendæ, exhibendæ, receptandæ, renunciandæ, formandæ, præsentandæ, *Sect.* VI. *per totum pag.* 65. *& seqq.*

Defensiones. Vide *Patronus*.

Diffinitorium, quomodo congregandum pro habendo consilio ad torturam. *Sect.* VII. *num.* I. *& seqq. pag.* 75.

Diffinitor, quomodo excludendus a Diffinitorio. *Sect.* VI. *num.* XL. *pag.* 74.

Dilatio. Vide *Prorogatio*.

E

E*Xamen Testium*, quomodo inchoandum. *Sect.* IV. *num.* X. *pag.* 31. Quomodo Interrumpendum. *ibi. n.* XVII. *pag.* 31. Quomodo continuandum. *Sect.* IV. *num.* XVIII. *p.* 31. Quomodo concludendum. *ibi. num.* XIII. *p.* 32.

Examen Testium, quomodo faciendum in casu, quod delictum sit probandum per Testes. *Sect.* IV. *num.* XI. *pag.* 31. In casu Vulnerati, aut occisi ignorato Delinquente. *Sect.* IV. *num.* XX. *pag.* 33. In casu Furti manifesti ignoto Fure. *ibi. num.* XXI. *pag.* 34. In casu Libelli famosi. *Sect.* IV. *num.* XXII. *pag.* 34.

Examen Testium, quomodo faciendum in casu delicti notorii & Delinquentis extrajudicialiter, sciti. *Sect.* IV. *num.* XXV. *pag.* 36. In casu Furti manifesti. *Sect.* IV. *num.* XXVII. *pag.* 37. In casu Libelli famosi publicati, indiciato Delinquente. *ibi. num.* XXVIII. *pag.* 37. In casu suspecti consortii. *Sect.* IV. *num.* XXXI. *pag.* 40. In casu lapsus carnis consummati. *Sect.* IV. *num.* XXXII. *p.* 40. In casu conspirationis in Superiorem. *Sect.* IV. *num.* XXXIV. *pag.* 41. In casu copulæ attentatæ. *ibi. num.* XXXIII. *pag.* 41. In casu Apostasiæ. *ibi. num.* XXXVI. *pag.* 41. In casu Confessionis extrajudicialis. *Sect.* IV. *num.* XXXV. *pag.* 41.

Examinis Testium formæ omnes recapitulantur. *Sect.* X. *num.* IV. *pag.* 98.

Examen Rei, quomodo faciendum. *Sect.* V. *num.* XV. *& seqq. pag.* 54. Si Reus est in Arctatione quomodo fiat. *Sect.* VII. *num.* VIII. *pag.* 56. Factum in Tortura, quomodo communicetur Patrono. *Sect.* VII. *num.* XXXVIII. *pag.* 83.

Examen. Vide *Testes*. Vide *Reus*. Vide *Peritus*. Vide *Obstetrix*. Vide *Chirurgus*. Vide *Medicus*.

Exceptio civiliter, quomodo detur contra Eligendum. *Sect.* II. *num.* XXVIII. *pag.* 16. Criminaliter quomodo proponatur. *ibi. num.* XXX. *pag.* 16. Contra Electum, ne confirmetur, quomodo detur, *Sect.* II. *num.* XXXII. *pag.* 17.

Exceptio, contra Accusatorem, Testes, Notarium, Peritos, Consiliarium, quomodo proponatur. *Sect.* IV. *num.* LXVI. *& seqq. pag.* 49.

Exceptor, quomodo, & quando sit citandus, *Sect.* VII. *num.* XLIV. *pag.* 84.

Excommunicatio quomodo ferenda a Provinciali, *Sect.* XI. *num.* XLV. *pag.* 111. Quomodo ferenda a Guardiano. *Sect.* XI. *num.* XCVI. *pag.* 118. Quomodo ferenda a Judice contra Testes contumaces, *Sect.* IV. *n.* LI. *pag.* 45. Contra Fratres Rebelles. *Sect.* II. *num.* XXXIX. *pag.* 19. Per modum ordinationis. *Sect.* XI. *num.* CVII. *pag.* 120. Quomodo ferenda solemniter a Guardiano. *Sect.* XI. *num.* CX. *pag.* 120.

Expulsio ab Ordine, quomodo facienda. *Sect.* XI. *num.* II. *& seqq. pag.* 101.

F

F*Ama*, quomodo probetur, *Sect.* II. *num.* VII. *pag.* 11. Ipsa non probata, quomodo terminetur processus. *ibi. num.* X. *pag.* 12.

Fa-

Facultas. V. *Licentia*.
Fiscalis. V. *Advocatus*.
Flagellatio, quomodo infligenda. *Sect.* VII. *num.* X. *pag.* 77.
Fuga. Vide *Reus*.
Funis Tortura, quomodo danda, *Sect.* VII. *num.* XIV. & *seqq. pag.* 78.
Furtum, quomodo proberur, *Sect.* III. *num.* XI. *pag.* 27. Ad eum detegendom; quomodo procedet Provincialis, *Sect.* XI. *num.* XLIII. & *seqq. p.* 110.

G

G*Eneralis*, quomodo fententiare debere In diffinitive, *Sect.* IX. *num.* XXXII. *pag.* 97. Quomodo proferre debeat Sententiam Expulsionis ab Ordine. *Sect.* XI. *num.* XXIII. *pag.* 107.
Guardianus, quamodo debeat carcerare, & absolvere Apostatam, *Sect.* XI. *num.* LX. & *seqq. p.* 113. Carcerare inobedientem contumacem, *Sect.* XI. *num.* LXX. *p.* 115. Excommunicare Subditum Rebellem. *Ibi. num.* XCVI. & *seqq. p.* 118. Fulminare Anathema pro furto, *Sect.* XI. *n.* CX. *p.* 120. Quomodo describere corpus delicti, *Sect.* XI. *n.* XLVIII. *p.* 111. Quomodo debet carcerare Reum notorium, aut vahementer suspectum, *Sect.* XI. *n.* LVI. *p.* 112. Concedere literas obedientiales Apostatæ absoluto, *Sect.* XI. *num.* LXIX. *p.* 114. Invocare brachium Sæculare, *ibi. num.* LXXXVI. *p.* 116.

I

I*Gnis torturæ*, qoomodo infligenda, *Sect.* VII. *num.* XXIX. *pag.* 81.
Impunitas, quomodo concedenda, *Sect.* IV. *num.* XXIV. *p.* 36.
Incorrigibilis, Vide *Expulsio*.
Indulgentiam plenariam quibus concedere possint Visitatores Ordinis Minorum, & Societatis Jesu. *Sect.* XI. *p.* 122.
Inobediens, Vide *Subditus*.
Inquisitio Generalis paterna, qoomodo facienda, *Sect.* I. *n.* II. *pag.* 2. Vide *Visitatio*.
Inquisitio generalis juridica, quomodo instituenda, *Sect.* I. *num.* XII. *p.* 4.
Inquisitio specialis, quomodo initiende amergentibus Indiciis a Visitatione judiciali, *Sect.* II. *num.* II. *p.* 10. Quomodo instituenda ex famæ præcedente, *Sect.* II. *num.* XII. *p.* 12.
Inquisitio mixta, quomodo instituenda, *Sect.* II. *num.* XI. *p.* 12.
Inquisitio. Vida *Processus*.
Irregularitatem quomodo folvat Visitator. *Sect.* XI. *p.* 121.
Judex recusatus in Visitatione judiciali, quomodo se gerere debeat, *Sect.* I. *num.* XXII. *p.* 7. quomodo excitandus ad opponandum contra Recusantem, *Sect.* VIII. *num.* XVIII. *p.* 88.
Judex, quomodo procedet in recipienda denunciatione. *Sect.* II. *num.* XV. & XVI. *p.* 13. in accusationa coram se proposita, *ibi. num.* XXI. & *seqq. p.* 15. in exceptione contra Eligendum sibi præsentata, *Sect.* II. *num.* XXX. & *seqq. p.* 16. in exceptione contra Accusatorem, Testes, Peritum &c. *Sect.* IV. *num.* LXIX. & *seqq. p.* 50.
Judices delegati a Generali, ad cognoscendum super validitate Appellationis, quomodo procedent, *Sect.* IX. *num.* XXI. & *seqq. p.* 95.
Judex. Vida *Recusatio*; Vide *Corpus delicti*, Vide *Commissarius*.
Juramentum, quomodo præstandom a Patrono post acceptatum munus, *Sect.* VI. *num.* IV. *p.* 66.

L

L*ibellus*, Vide *Denunciatio*, Vide *Accusatio*, Vide *Exceptio*.
Licentia examinandi Peritos Seculares, quomodo petenda, *Sect.* III. *num.* V. *p.* 25. Lustrandi acta judicialia alterius Tribunalis, quomodo requirenda, *Sect.* III. *num.* XIV. & XVI. *p.* 28. & 29.
Literæ Obedientiales, quomodo tradendæ Reo post appellationem, *Sect.* IX. *num.* XIV. *p.* 93. Quomodo dandæ Apostatæ absoluto, *Sect.* XI. *num.* LXIX. *pag.* 114.
Litera. Vide *Patentes*.
Literæ Provincialis ad Episcopum, qoibus insinuet expulsionem alicujus ab Ordine, quomodo formandæ, *Sect.* XI. *num.* XL. *pag.* 109.
Literæ testimaniales, dandæ expulso quomodo formandæ, *Sect.* XI. *num.* XLII. *pag.* 110.
Literæ remissoriales, quomodo formandæ, *Sect.* IV. *num.* LXXIII. *pag.* 50. Quo modo exequendæ. *ibi. num.* LXXV. *pag.* 51.
Literæ Commissionales, quomodo formandæ, & exequandæ. *Sect.* IV. *num.* LXXVII. & LXXVIII. *pag.* 52.

M

M*Edicus*, quomodo, & quando examinandus. *Sect.* III. *num.* V. *pag.* 25. quomodo adhibeatur, ut assistat torturæ fonia. *Sect.* II. *num.* XXII. *pag.* 15.
Memoriale ad Sac. Congreg. pro dispensande anneli carceratione Incorrigibilis ad expulsionem, quomodo formandum, *Sect.* XI. *num.* XXXIV. *pag.* 109.
Monitorium, quomodo formetur contra Fratres unius Conventus rebelles Provinciali, *Sect.* II. *num.* XXXIX. *pag.* 19. Quomodo a Provinciali intimetur, *ibi. num.* XXXIX. Quomodo formetur, & initimetur contra Fratres non acceptantes Visitatorem, *Sect.* II. *num.* XL. *pag.* 21. Quomodo faciendum pro concedenda impunitate, *Sect.* IV. *nu.* XXIV. *pag.* 36. Quomodo formandum pro detegendo Furto, Fure, & Complicibus, *Sect.* XI. *n.* XLIII. *pag.* 110. Quomodo publicandum pro restitutione Furti, *Sect.* XI. *num.* CXI. *pag.* 120.

N

N*Otarius*, Quomodo recusandus a Reo, *Sect.* I. *n.* XXV. *p.* 9. Quomodo creandus pro omni actu judiciali, *Sect.* II. *num.* III. *p.* 10. Illo Impedito, quomodo substituendus alius, *Sect.* II. *num.* IV. *p.* 10.
Notorium. Vide *Processus*.

O

O*Bstetrices*, quomodo, & quando sint examinandæ, *Sect.* III. *num.* X. *p.* 27.

P

P*Atentes*, qoomodo formantur a Visitatore deleganta Secretarium suum ad visitationem aliquorum Conventuum, *Sect.* I. *num.* IX. *pag.* 3. Quomodo formandæ a Provinciali delegante aliquem ad Visitationem paternam, *Sect.* I. *num.* XI. *pag.* 4. Quomodo formandæ a Provinciali committente alicui Visitationem judicialem, *Sect.* I. *num.* XIII. *pag.* 5. Quomodo faciandæ pro delegatione alicujus ad formandam inquisitionem generalem. *Sect.* II. *num.* XLV. *pag.* 22. Quomodo fiant pro committenda inquisitione speciali, *Sect.* II. *num.* XLVI. *pag.* 23.
Patentes. Vide *Literæ*.
Patronus, quomodo eligendus a Reo, & concedendus a Judica, *Sect.* VI. *num.* III. & *seqq. pag.* 66. Quomodo compellendus a Judiee ad acceptandum munus, *Sect.* VI *num.* VII. *pag.* 66. Quomodo jurare debeat acceptato officio, *Sect.* VI. *num.* IV. *pag.* 66. Quomodo, & quando concedendus Accusatori, qui non probavit, *Sect.* VIII. *num.* IV. *pag.* 85. Quomodo deputandus, ex officio pro defensione Expellendi, qui est absens, *Sect.* XI. *num.* XXXII. *pag.* 108.
Patronus, quomodo petat a Judice ne Testibus repetendis primum eorum examen prælegatur, *Sect.* VI. *num.* XXIII. *pag.* 70. Quomodo petat copiam examinis Testium repetitorum, *ibi. num.* XXV. *pag.* 70. Quo-

quo-

modo petet fabricationem Processus defensivi, *Sect.* VI. *num.* XXVI. *pag.* 70. Quomodo petat a Judice, ut cogat Testem nolantem examinari ad defensam, *Sect.* VI. *num.* XXXI. *pag.* 72. Quomodo petat ut Judex reparet omissa a se in repetitione, aut examine Testium ad defensam. *Sect.* VI. *num.* XXXIII. *pag.* 72.

Patronus, quomodo citandus ad producendos Testes pro Processu defensivo. *Sect.* VI. *num.* XXX. *pag.* 71. Quomodo debet recusare Judicem, vel ab eo appellare. *Sect.* VI. *num.* XXXII. *pag.* 72. Quid facere debeat Reo examinato in tortura. *Sect.* VII. *num.* XXXIII. *& seqq.* *pag.* 81. Quomodo debeat replicare contra Advocatum Fiscalem. *Sect.* VII. *num.* XLIII. *pag.* 84.

Peritus, Quomodo recusandus a Reo, *Sect.* I. *n.* XXXV. *pag.* 9. Quomodo examinandus, *Sect.* III. *num.* IV. *pag.* 25. Quomodo examinandus in casu furti, *Sect.* III. *num.* XI. *pag.* 27.

Peritus. Vide *Scriptura*.

Probatio. Vide *Corpus delicti*.

Processus per viam inquisitionis generalis. Vide *Visitatio*.

Processus per viam inquisitionis specialis emergentibus indiciis ex visitatione judiciali, *Sect.* II. *num.* II. *pag.* 10. Ex fama præcedente, *ibi. num.* VII. *pag.* 12. Recapitulatur. *Sect.* X. *num.* X. & XI. *pag.* 100.

Processus, per viam inquisitionis mixtæ. *Sect.* II. *num.* XI. *p.* 12. Recapitulatur, *Sect.* X. *n.* XII. *pag.* 101.

Processus, per viam Denunciationis. *Sect.* II. *num.* XII. *p.* 12. Recapitulatur, *Sect.* X. *num.* XIII. *pag.* 101.

Processus, per viam Accusationis, *Sect.* II. *num.* XXI. *p.* 15. Recapitulatur, *Sect.* X. *num.* XV. *pag.* 101.

Processus, per viam exceptionis, *Sect.* II. *num.* XXVII. *p.* 15. Recapitulatur, *Sect.* X. *num.* XVI. *&* XVII. *p.* 101.

Processus, ex indiciis probatis in Processu exceptivo, *Sect.* II. *num.* XXXIV. *pag.* 17. Recapitulatur. *Sect.* X. *n.* XVIII. *pag.* 108.

Processus, per viam Notorii, *Sect.* II. *num.* XXXVI. *p.* 17. Recapitulatur. *Sect.* X. *num.* XIX. *pag.* 102.

Processus, super delicto incidenter cognito in alio judicio, *Sect.* II. *num.* XXXVII. *pag.* 18.

Processus, contra deprehensum in fraganti delicto, *Sect.* II. *num.* XXXVIII. *pag.* 18. Recapitulatur, *Sect.* X. *n.* XX. *pag.* 102.

Processus, contra Conventum, qui rebellavit ab Obedientia Provincialis. *Sect.* II. *num.* XXXIX. *pag.* 19. Recapitulatur, *Sect.* X. *num.* XXI. *pag.* 102.

Processus, contra Fratres nolentes recipere Visitatorem destinatum a Generali. *Sect.* II. *num.* XL. *pag.* 21. Recapitulatur. *Sect.* X. *num.* XXII. *pag.* 102.

Processus, fabricandus a Commissario delegato a Generali, aut Provinciali, *Sect.* II. *num.* XLIV. *pag.* 22. Recapitulatur, *Sect.* X. *num.* XXIV. *pag.* 102.

Processus faciendus a Delegato post sibi ampliatam jurisdictionem, *Sect.* II. *num.* XLVIII. *pag.* 23.

Processus fabricandus ab arbitris in casu recusationis Judicis Ordinarii. *Sect.* II. *num.* XLI. *pag.* 21. Recapitulatur, *Sect.* X. *num.* XXIII. *pag.* 102.

Processus ad instantiam Episcopi, qui transmisit acta a se facta contra Regularem. *Sect.* II. *num.* XLIX. *pag.* 23.

Processus in ordine ad expulsionem incorrigibilis a Religione, *Sect.* XI. *num.* II. *& seqq. pag.* 103.

Processus defensivus, quomodo petatur, & fiat, *Sect.* VI. *num.* XXVI. *& seqq. p.* 70.

Processuum formæ recapitulantur singillatim, *Sect.* X. *per totam pag.* 98. *& seqq.*

Processus ex officio quando quis fuerit carceratus per annum ad expulsionem, & post promissam morum emendationem scandalose vivit, *Sect.* XI. *n.* XIII. *& seqq. p.* 105.

Procurator, quomodo, & quando concedendus Reo petenti, *Sect.* VI. *num.* IX. *&* X. *pag.* 67.

Procuratores destinati a Reo ad assistendum collationi copiæ actorum cum originali, quid facere debeant, *Sect.* IX. *num.* XXV. *& seqq. pag.* 96.

Prorogatio termini defensorii, quomodo petenda a Patrono, decernenda a Judice, & quæ circa hoc sint observanda, *Sect.* VI. *num.* XI. XII. XIII. *&* XIV. *pag.* 67. *& seqq.*

Provincialis, quæ curare debeat in Visitatione judiciali. *Sect.* I. *num.* XII. *p.* 4.

Provincialis. Vide *Judices*.

Q

Querela, quomodo danda. *Sect.* II. *n.* XX. *p.* 14.

R

Ratificatio confessionis a Reo, quomodo facienda, *Sect.* VII. *n.* XXXVI. *p.* 80.

Rebellis. Vide *Subditus*. Vide *Monitorium*. Vide *Processus contra Conventum*.

Recognitio Rei a Testibus, quomodo facienda, *Sect.* V. *num.* XXIX. *p.* 62.

Recognitio ejus, qui negat se esse illum, qui condemnatus fuit in contumacia. *Sect.* V. *n.* XXX. *p.* 63.

Recusans Judicem, quid cavere debeat, *Sect.* I. *n.* XVII. *p.* 6.

Recusatio Judicis Ordinarii, sive Commissarii in Visitatione judiciali, quomodo facienda, *Sect.* I. *n.* XVI. *pag.* 5. Quomodo fiat coram honestis Viris, *Sect.* I. *n.* XIX. *p.* 6. Per modum edicti, quomodo formetur. *Sect.* I. *n.* XXI. *p.* 7. Incœpto, processu quomodo facienda, *Sect.* I. *n.* XXIII. *p.* 8.

Recusatio Commissarii Delegati, quomodo proponatur, *Sect.* II. *n.* XLVII. *p.* 23.

Recusatio Judicis, quomodo, & quando facienda a Patrono, *Sect.* VI. *n.* XXXII. *p.* 72.

Recusatio alicujus de Definitorio, quomodo proponenda, *Sect.* VI. *n.* XXXVIII. *p.* 74.

Recusatio Notarii, *Periti*, *&c.* quomodo facienda, *Sect.* I. *n.* XXV. *p.* 9.

Remissoriales. Vide *Literæ*.

Renuntiatio defensionum, quomodo facienda, *Sect.* VI. *n.* II. *pag.* 65.

Repetitio Testium, quomodo petenda, *Sect.* VI. *num.* XIX. *p.* 68. Quomodo facienda, *Sect.* VI. *n.* XXI. *& seqq.* *p.* 69.

Repetitio. Vide *Testis*.

Reus, quomodo recusare debeat Judicem in Visitatione judiciali. *Sect.* I. *n.* XVI. *& seqq. p.* 5. Quomodo recusare eundem debeat incœpto processu, *Sect.* I. *n.* XXIII. *p.* 8. Quomodo debeat recusare Peritum, Notarium, Consiliarium &c. *Sect.* I. *n.* XXIV. *&* XXV. *p.* 9. Quomodo debeat recusare Commissarium Delegatum. *Sect.* II. *n.* XLVII. *p.* 23. Quomodo possit recusare aliquem de Definitorio, *Sect.* VI. *n.* XXXVIII. *p.* 74.

Reus, quomodo, & quando excipere possit de fama non probata, *Sect.* II. *n.* VIII. *p.* 11.

Reus, quomodo carcerandus, constituendus, & examinandus, *Sect.* V. *n.* I. II. *& seqq. p.* 52.

Reus, quomodo cogendus si nolit respondere, aut non præcise, aut vacillet, variet &c. *Sect.* V. *n.* XX. *p.* 59.

Reus, *quomodo examinetur* in primo, secundo, & tertio constituto, *Sect.* V. *n.* XV. XVIII. *&* XIX. *p.* 54. *& seqq.* Vel dum torquetur super varietate, aut pertinacia. *Sect.* V. *n.* XXII. *p.* 60. Quomodo examinetur in delicto Notorio, *Sect.* V. *n.* XXXIV. *p.* 64. Vel quando repertus est in fragantia delicto. *Sect.* V. *n.* XXXVI. *p.* 65.

Reus, quomodo citetur, si est fugitivus, *Sect.* V. *num.* X. *p.* 53. Quomodo citandus ad Sententiam. *Sect.* VIII. *n.* II. *p.* 85.

Reus, quomodo confrontandus cum Testibus, *Sect.* V. *num.* XXV. *p.* 64. Quomodo confrontandus cum Socio criminis. *Sect.* V. *n.* XXVI. *& seqq. p.* 61.

Reus, quomodo recognoscendus a Testibus, *Sect.* V. *n.* XXIX. *p.* 62.

Reus, quomodo puniendus, si delinquat coram Judice. *Sect.* V. *num.* XXXII. *&* XXXIII. *p.* 63. *&* 64.

Reus quomodo absolvendus ab excommunicatione. *Sect.* V. *num.* XV. *pag.* 54.

Reus, quomodo torquendus, *Sect.* VII. *per totam p.* 75. *& seqq.*

Reus confessus in Tortura, quomodo debeat ratificare confessionem, *Sect.* VII. *num.* XXXVI. *p.* 83.

Reus. Vide *Compositio*. Vide *Tortura*, Vide *Sententia*.

Se-

S

S Acellorum reparatio quamodo a Visitatore decernenda. Sect. XI. pag. 122.
Scriptura, quomodo recognoscenda. Sect. IV. n. XXVIII. pag. 37. & num. XXX. pag. 38.
Sibili, quomodo adhibendi ad Torturam, Sect. VII. num. XI. & seqq. pag. 77.
Sententia diffinitiva, quomodo ferenda, Sect. VIII. num. II. & seqq. pag. 85. Ejus forma generalis tenenda. Sect. VIII. num. V. pag. 85. In ea, quæ sint exprimenda, Sect. VIII. num. VI. pag. 85. Quomodo danda a Ministro Generali. Sect. IX. num. XXXIII. pag. 97.
Sententia absolutoria in casu delicti non commissi, Sect. VIII. num. VII. pag. 86. In casu quod Reus non sit inventus culpabilis. Sect. VIII. num. VIII. pag. 86. In casu, quo Reus purgavit indicia per Torturam, Sect. VIII. num. IX. pag. 86. Absolutoria Rei, & Accusatoria, Sect. VIII. num. X. pag. 86. Absolutoria Rei, & condemnatoria Accusatoris. Sect. VIII. num. XI. pag. 86.
Sententia condemnatoria Rei convicti per Testes, Sect. VIII. num. XII. pag. 87. Rei confessi, Sect. VIII. num. XIII. pag. 87. Rei reperti in fragranti, Sect. VIII. n. XXI. pag. 89. Rei contumacis, & absentis, Sect. VIII. num. XXII. pag. 89. Rei, qui petiit compositionem, Sect. VIII. n. XXIII. pag. 90.
Sententia condemnatoria in casu augendæ, aut minuendæ pœnæ ordinariæ Sect. VIII. num. XV. p. 87. Condemnatoriæ ad pœnam extraordinariam, Sect. VIII. num. XVI. p. 87. In casu Notorii, Sect. VIII num. XX. p. 89.
Sententia ferenda ab Arbitris, Sect. VIII. num. XVIII. & seqq p. 88.
Sententia ferenda in processu Exceptivo. Sect. VIII. num. XVII. p. 87.
Sententia super Appellatione ab interlocutoria, quomodo ferenda a Ministro Provinciali, Sect. IX. num. XVIII. p. 94. Quomodo ferenda a Commissariis, Sect. IX. num. XXIX. p. 96.
Sententia ad expulsionem, quomodo ferenda, Sect. XI. num. XXIII. p. 107.
Sententiarum formæ omnes recapitulantur, Sect. X. num. VIII. pag. 100.
Superior Localis. Vide Guardianus.
Subditus inobediens. Contumaciter, & Rebellis, quomodo monendus, & carcerandus, Sect. XI. num. LXX. & seqq. pag. 115. Quomodo excommunicandus. Sect. XI. num. CX. p. 120.

T


T Abernaculi SS. Sacramenti Instauratio quomodo a Visitatore decernenda. Sect. XI. p. 122.
Testes, quomodo citandi juridicè, quando sunt absentes, Sect. IV. num. XLVIII. p. 44. Quomodo citandi judicialiter, dum sunt in Conventu. Sect. IV. num. XLIX. p. 45.
Testes, quomodo vocandi per literas, Sect. IV. num. YLVI. p. 44.
Testes, quomodo cogendi per Censuras, si sunt Contumaces, Sect. IV. num. LI. p. 45. Quomodo absolvendi, si postea resipiscant, Sect. IV. num. LIII. p. 46. Quomodo cogendi a Judice ad instantiam Patroni, Sect. VI. n. XXXI. p. 71.
Testes, quomodo puniendi, si delinquant irreverenter coram Judice, Sect. IV. num. LIV. p. 46.
Testes, quomodo torquendi, si negant scire factum, cui constat fuisse præsentes. Sect. IV. num. LVI. p. 46. Si aliud deponunt cum juramento, aliud dicunt sine juramento. Sect. IV. num. LVII. p. 47. Si sint varij, vacillantes &c. Sect. IV. num. LX. p. 47. Si sint varij cum suspicione subornationis, Sect. IV. num. LXIII. p. 48. Si sunt inhabiles. Sect. IV. num. LXV. p. 49. Quomodo torquendi, aut cogendi, si non sunt Subditi Judicis Regularis. Sect. IV. num. LXIV. p. 48. Vide Tortura.
Testes inhabiles, quomodo repellantur, a ferendo Testimonio. Sect. IV. num. LXVI. & LXVII p. 49. Quomodo torquendi, Sect. IV. num. LXV. p. 4e.
Testes, quomodo examinandi de nota manu Scriptoris. Sect. IV. num. XXIX. p. 38. Et de inimicitia ad probandum Delinquentem. Sect. IV. num. XXXVII. p. 42. Et de inimicitia ad excipiendum contra aliquem. Sect. IV. num. XXXVIII. p. 42. Et de Amicitia, Familiaritate, Factione &c. Sect. IV. num. XXXIX. p. 42. Et de moribus, & conversatione expellendi ab Ordine, Sect. XI. num. XIII. p. 105. Et de pœnitentiis ab eodem factis, Sect. XI. num. III. p. 102. Et quando sunt adhibiti ad Visitationem Corporis Delicti. Sect. III. num. IX. p. 26. Et de moribus illius, qui ter deliquit. Sect. XI. num. XXX. p. 108. Et quando præsentantur ab Accusatore, Exceptore &c. Sect. IV. num. XL. p. 43. Et quando delictum est notorium, Sect. IV. num. XLIII. p. 43. Et quando sunt reversi a pertinacia, Sect. IV. num. LV. p. 56. Vide Examen Testium.
Testes, quomodo repetantur, Sect. VI. num. XIX - XXI. & seqq. p. 68. & seqq. Vide Repetitio.
Tortura, quomodo danda Reo, Sect. VII. per totam, p. 75. & seqq.
Tortura Arctationis simplicis, Sect. VII. num. VI. p. 76. Arctationis qualificatæ, Sect. VII. num. VII. p. 76. Flagellationis, Sect. VII. num. X. p. 77. Sibilorum. Sect. VII. num. XI. p. 77. Funis. Sect. VII. num. XIV. & seqq. pag. 78. Ignis, Sect. VII. num. XXIX. p. 81.
Tortura, quomodo replicanda, Sect. VII. num. XXXI. & XXXII. pag. 82.
Tortura. Vide Testes, quomodo torquendi.
Tortura super Complicibus, quomodo danda, Sect. VII. num. XXXIII p. 82.
Torturæ omnes formæ recapitulantur. Sect. X. num. VII. pag. 100.
Tortus Fune, quid agendum, si vult levare Corpus. Sect. VII. num. XIX. pag. 79. Si suspensus promiserit dicere veritatem, Sect. VII. num. XX. & XXI. p. 79. Si dormiat in Tortura, Sect. VII. num. XXIII. & seqq. pag. 80.

V

V Asorum sacrorum suspensio, & instauratio quomodo a Visitatore decernenda. Sect. XI. p. 122.
Vestium sacratum suspensio, & renovatio quomodo a Visitatore statuenda. Sect. XI. p. 122.
Visitatio generalis paterna, quomodo fiat a Provinciali, Sect. I. num. II. pag. 1. Quomodo fiat a Commissario Visitatore destinato a Generali. Sect. I. num. VI. p. 2. Quomodo fiat a Delegato Provincialis, sive Visitatoris missi a Generali. Sect. I. num. VIII. & X. pag. 3.
Visitatio generalis judicialis, quomodo facienda a Ministro Provinciali. Sect. I. num. XII. pag. 4. Quomodo facienda a Delegato, a Provinciali, vel Generali. Sect. I. num. XIII. & XIV. pag. 5.
Visitatio Corporis delicti, quomodo facienda. Sect. III. n. II. & seqq pag. 25.
Visitator quivis in actu Visitationis debet legi facere Decretum S. Inquisitionis. Sect I. num. V. p. 2.
Visitator. Vide Commissarius Visitator.
Venena interfecisse, si teneatur aliquis, quomodo Judex adhibebit Medicos. Sect. III. num. V. pag. 25.
Votum Consultoris requirendum, & dandum, quomodo ante Torturam funis. Sect. VII. num. XIV. pag. 78.
Votum Judicum deputatorum ad expulsionem incorrigibilis, quomodo detur. Sect. XI. nu. XXI. p. 106.
Votum Consultorum deputatorum a Generali super revisione Causæ Appellationis, quomodo fiat. Sect. IX. num. XXXI. p. 97.
Vulneratus quomodo visitandus a Judice. Sect. III. num II. & seqq. pag. 21. Quomodo, & quando examinandus. Sect. III. num. VIII. pag. 26.

Jesu Christo Domino, ac Immaculatæ ipsius Matri
Laus, Honor, & Gloria.

DE IN-



DE INCORRIGIBILIUM EXPULSIONE

AB ORDINIBUS REGULARIBUS

TRACTATUS ABSOLUTISSIMUS IN TRES PARTES DIVISUS

IN QUARUM PRIMA,
De expellendis ab Ordinibus juxta Canones antiquos, & Decreta Sacræ Congregationis Concilii agitur.


IN SECUNDA
Praxis expeditissima pro constructione processus habetur.

IN TERTIA
De Expulsorum statu materia diffuse discutitur.

JUDICIBUS, ET ADVOCATIS ECCLESIASTICIS
OPUS UTILE
PRÆLATIS REGULARIBUS, TUM PROVINCIALIBUS
TUM GENERALIBUS
OMNINO NECESSARIUM.

AUCTORE
P. LUDOVICO MARIA SINISTRARI
DE AMENO
ORDINIS S. FRANCISCI REF. PROV. MEDIOLANENSIS.

OPUS POSTHUMUM.



ROMÆ, MDCCLIV.
In Domo CAROLI GIANNINI Librorum SANCTITATIS SUÆ Provisoris.
In Platea Capranicensi.

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.



DE INCORRIGIBILIUM EXPULSIONE

AB ORDINIBUS REGULARIBUS.



SIMPLICEM Praxim expellendi Religiosos incorrigibiles a propriis Ordinibus tradere decreveram, quando in mentem meam subiit monitum S. *Petri Apostoli*, *cap. 3. vers. 15.* qui ad Fidelium instructionem scripsit, ut essent *parati semper ad satisfactionem, omni poscenti rationem de ea, quæ in eis est, spe.* Ex qua doctrina habemus, necessarium esse ei, qui aliquid operatur, paratum esse debere rationem reddere suæ operationis, si illam justam, ac rectam probare vult. Si enim aliquis in operando recta ratione non dirigitur, rectitudinem operi suo nequit tribuere; & si opus rectum ostendere intendit, necesse est, ut demonstret ejus rectitudinem per rationem, qua operatus est. Superioribus igitur Regularibus sufficiens non erat tradere nudam Praxim, juxta quam Subditos incorrigibiles debent ab Ordine expellere; sed necessarium est etiam Theoriam ejusdem materiæ tradere, in qua iidem instruerentur de ratione, quæ Praxim eandem dirigere debet, ut hæc recta evadat, & possint Superiores rationem reddere de omnibus formis, quas observare in eadem Praxi continget. Quia vero prima, & unica faciendorum ratio est aut naturalis, aut divina, aut humana lex, quam ex *Chrysippo Marcianus text. in l. 2. in fin. ff. de leg.* vocat *præceptricem faciendorum*; imo *lex est omne, quod ratione consistit*, ut ait Canon, *in cap. 5. consuetudo. 1. dist.* sequitur, quod lex est illa ratio, quam operans allegare debet in probando, rectam esse operationem suam. Unde, si quis demonstrat, se fuisse operatum conformiter ad legem, recta erit pronuntianda operatio; verum ex adverso dicenda erit perversa, & mala, si a lege invenietur difformis; & ideo dicebat *Apostolus*, *ad Roman. cap. 7. vers. 7. peccatum non cognovi, nisi per legem*. Ut igitur Prælati ostendere valeant, se recte operari in Incorrigibilium expulsione, instruendi sunt de legibus, quæ circa talem expulsionem latæ sunt, & quas e corpore juris communis erutas trademus, additis novis Apostolicis Decretis, ac Sacræ Congregationis Concilii rescriptis. E jure communi sic habetur.

SUMMARIUM.

1 *Monachus, vel Monialis, illicitis complexibus Filios procreantes, a Monasterio sunt eliminandi, & in Ergastulis includendi.*

3 *Velata, impudice habens prolem, omnino separanda, ut non habitet sub eodem tecto cum reliquis Virginibus.*

4 *Clericus, Ordine quolibet insignitus, de Delictis convictus, deponitur: si non resipiscit, excommunicatur, deinde anathematizatur, postremo traditur brachio Sæculari.*

5 *Canonicus Regularis, renuens subesse Priori, primo debite excommunicatur; deinde, crescente contumacia, de Fratrum consortio penitus excluditur.*

6 *Monachi, sæculariter viventes, primo ad servandam Regulam (postposita appellatione) compellantur. Si contumaciter resistunt, ejiciantur, & in eorum locum alii sufficiantur.*

7 *Superiores jubentur Fugitivos, & Ejectos de Ordine annuatim requirere, & ad receptionem ipsorum compelli per Ordinarios.*

8 *Monachus lineis camisiis non utatur. Quod, si proprietarius, monitione præmissa, de Monasterio expellatur, nec recipiatur, nisi emendatus.*

9 *Monachus contumax, percellendus, & ejiciendus ab Ovili, ne Oves inficiat.*

10 *Clericus, si incorrigibilis nequeat in Monasteriis custodiri ad pœnitentiam, sub arcta custodia detinendus.*

11 *Clericus, si tertio monitus contemnat emendari, privandus Foro Ecclesiastico.*

12 *Ejecti, & Fugitivi annuatim requirendi sunt, atque censuris cogendi sunt Superiores ad illorum receptionem, & ejecti ad reditum.*

Causa 27. quæst. 1. cap. 11.

2 IMpudicas, detestabilesque personas Monachorum, quæ abiecto proposito sanctitatis, illicita, atque sacrilega contagione se miscuerunt, & in abruptum conscientiæ desperatione perductæ, illicitis complexibus filios publice procreaverunt, a Monasteriorum cœtu, Ecclesiarumque Conventibus eliminandas esse mandamus: quatenus retrusæ in suis Ergastulis, tantum facinus lamentatione continua deflentes, purificatorio possint igne pœnitudinis decoqui, ut eis, vel ad mortem, solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit subveniri.

Causa

Cauſa 27. quæſt. 1. cap. 17. Si quis ſacro.

3 VElatæ, & Deo conſecratæ, ſi, abjecto propoſito ſanctitatis, clanculo ſacrilega ſe contagione miſcuerint, & illicitis complexibus publice, & libere filios procreaverint, has impudicas, deteſtabileſque perſonas a Monaſteriorum cœtu, Eccleſiarumque Conventibus eliminandas eſſe, judicatum eſt: quatenus, retruſæ Ergaſtulis, tantum facinus continua lamentatione defleant. Unde & verbo Domini, & canonica auctoritate in hac Sancta Synodo præcipimus, ut omnino ſeparentur; & juramento colligentur, ut ulterius non ſub uno cohabitent tecto.

Decretal. lib. 2. tit. 1. cap. 10. de Judic.

4 CUM non ab homine: *& infra*. A nobis fuit ex parte tua quæſitum, utrum liceat Regi, vel alicui ſæculari perſonæ judicare Clericos cujuſcunque Ordinis ſive in furto, ſive in homicidio, vel perjurio, ſeu quibuſcunque fuerint criminibus deprehenſi. Conſultationi tuæ taliter reſpondemus; quod, ſi Clericus in quocunque Ordine conſtitutus, in furto, vel homicidio, vel perjurio, ſive alio crimine fuerit deprehenſus, legitime atque convictus, ab Eccleſiaſtico Judice deponendus eſt. Qui, ſi depoſitus, incorrigibilis fuerit, excommunicari debet; deinde, contumacia creſcente, anathematis mucrone feriri; poſtmodum vero, ſi in profundum malorum veniens contempſerit, cum Eccleſia non habeat ultra quid faciat, ne poſſit eſſe ultra perditio plurimorum, per Sæcularem comprimendus eſt poteſtatem; ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna inferatur

Decretal. lib. 1. tit. 33. cap. 10. de Major. & Obed.

5 CUM in Eccleſiis Sancti Victoris, & Sancti Joannis de Monte &c. *& infra*. Nos igitur ad reformationem earundem Eccleſiarum, diligenti ſollicitudine intendentes, univerſis Canonicis dedimus in mandatis, ut Priori ſuo in his, quæ ad eundem pertinent, obedirent. Cumque omnes (quatuor dumtaxat exceptis) ſe obedire velle concorditer reſpondiſſent, prædicti quatuor contra Priorem ſe in ſuperbiam erigentes, licet, de obedientia, Priori ſuo præſtanda, juramentum præſtitiſſent corporaliter; tamen exhibiti juramenti immemores ſuo Priori per omnia reſtiterunt: & cum pro contumacia ſua nequiviſſent ad debitam obedientiam revocari, dictus Prior in eos ſententiam excommunicationis promulgavit. Cum igitur præfati Canonici ad Apoſtolicam Sedem acceſſiſſent, per ſcripturas authenticas, ex multorum teſtimonio Prælatorum effecti de ipſorum contumacia certiores, recepto ſecundum formam Eccleſiæ ab eiſdem corporaliter juramento, ipſis fecimus beneficium abſolutionis impendi, præcipientes eis ſub debito juramenti, ut ad ſuum Clauſtrum, de quo exierunt, redeuntes, Priori ſuo ſecundum Deum devote, ac humiliter obedirent. Ideoque mandamus, quatenus præfatos Canonicos, ut ad Prioris ſui obedientiam revertantur, per cenſuram Eccleſiaſticam compellatis: & ne de ſua poſſint contumacia, vel malitia gloriari, cogatis eos, (ſi videritis expedire) ut juramentum, quod de parendo mandatis Prioris pro abſolutionis beneficio impetrando ſuperbe negaverunt, humiliter præſtare procurent: alioquin eos de Fratrum conſortio penitus excludatis.

Decretal. lib. 3. tit. 50. ne Cler. vel Monach. cap. 7.

6 RElatum eſt, quod Monachi de N. ſeculariter vivunt, & alios exemplo ſuo corrumpunt. Ideoque mandamus, quatenus eos ad obſervandam Regulam, appellatione remota, compellatis. Vel, ſi tibi reſtiterint auſu temerario, eis ejectis, Fratres alterius Ordinis (ſi non poteſt præſcriptum Monaſterium in ſuo Ordine reformari) in illud inducas, ut labores impiorum juſti edant, & illi tandem, rubore confuſi, ad ſui Ordinis obſervantiam revertantur

Decretal. lib. 3. tit. 32. de Regular. cap. final.

7 NE Religioſi viri, vagandi occaſionem habentes, ſalutis propriæ detrimentum incurrant, & ſanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur, Statuimus, ut Præſidentes, Capitulis celebrandis ſecundum ſtatutum Concilii generalis, ſeu Patres Abbates, ſeu Priores, Fugitivos ſuos, & Ejectos de Ordine ſuo, requirant ſollicite annuatim. Qui, ſi in Monaſteriis ſuis recipi poſſunt ſecundum ordinem regularem, Abbates, ſeu Priores, eorum monitione prævia, per cenſuram Eccleſiaſticam compellantur ad receptionē ipſorū, ſalva Ordinis diſciplina.

Decretal. lib. 3. tit. 35. de ſtat. Monach. cap. 6.

8 CUM ad Monaſterium Sublacenſe: *& infra*. Firmiter inhibuimus, ne quis de cætero Monachorum, lineis camiſiis uteretur: *& infra*. Prohibemus quoque diſtricte in virtute obedientiæ ſub obteſtatione Divini Judicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat; ſed, ſi quis aliquid habeat proprii, totum incontinenti reſignet. Si vero poſt hoc, proprietatem aliquam fuerit deprehenſus habere: regulari monitione præmiſſa, de Monaſterio expellatur; nec recipiatur ulterius, niſi pœniteat ſecundum monaſticam diſciplinam &c.

Decretal. lib. 3. tit. 35. de ſtat. Monach. cap. final.

9 EA, quæ pro Religionis honeſtate &c. *& infra*. Ipſi etiam Viſitatores, Monachos, quos contumaces invenerint, & rebelles, juxta modum culpæ, vice noſtra, regulari cenſura percellant, abſque perſonarum delectu, non parcendo rebellibus ob ſuam pertinaciam, vel potentiam amicorum, qui non ovē morbidā eijciāt ab ovili, ne inficiat oves ſanas &c.

Decretal. lib. 5. tit. 39. de Sent. Excom. cap. 35.

10 UT famæ tuæ &c. *& infra*. Sane conſuluiſti nos, utrum Clerici, graviter excedentes, qui non poſſunt Monaſteriis ad agendam pœnitentiam deputari, quoniam, cum non pœniteant de commiſſis, opportunitate fugiendi captata, carcerem fugerent Clauſtri, & prioribus ſe ſceleribus ſceleſtiora immiſcerent, a Te, vel aliis Prælatis ſuis arctæ poſſint cuſtodiæ mancipari: *& infra*. Reſpondemus, quod, cum Prælati exceſſus corrigere debeant Subditorum, & publicæ utilitatis interſit, ne crimina remaneant impunita, & per impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerint, nequiores: non ſolum poſſunt, ſed debent etiam Clericos, poſtquam fuerint de crimine canonice condemnati, ſub arcta cuſtodia detineri; qui, cum ſint incorrigibiles, nec in Monaſteriis valeant cuſtodiri, ad ſimilia, vel pejora facile laberentur &c.

De-

Decretal. lib. 5. tit. 39. de Sent. Excom. cap. 43.

11 CONtingit interdum &c. *& infra*. Sane, sicut accepimus, insinuante Comite Flandren., in Dioecesi tua quidam existunt, qui nec in modo tonsuræ, nec in vestimentorum forma, nec in qualitate negotiorum de Clericatu quidquam ostendunt, ad poenæ subterfugium se Clericos exhibentes. Cum enim super excessibus, quos sæculari luxu committunt, ad publica judicia pertrahuntur, circumcisis crinibus, ut possint circumvenire vindictam, se pro Clericis representant, Clericalis fori privilegium labiis allegantes, qui factis paulo ante negaverant Clericatum: *& infra*. Verum, quia privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate: ac frustra legis auxilium invocat, qui committit in legem: volumus, & mandamus, ut tales, si tertio a Te commoniti, seipsos contempserint emendare, illius efficiantur Immunitatis extorres, quæ pro Clericorum tutela, & laicorum violentia coercenda dignoscitur instituta.

Decretal. lib. 3. cap. 24. de Regularibus.

12 NE Religiosi, vagandi occasionem habentes, salutis propriæ detrimentum incurrant, & sanguis eorum de Prælatorum manibus requiratur: Statuimus, ut Præsidentes, Capitulis celebrandis, secundum statutum Concilii Generalis, seu Patres Abbates, seu Priores, Fugitivos suos, & Ejectos de Ordine suo, requirant sollicite annuatim. Qui, si in Monasteriis suis recipi possunt secundum ordinem regularem, Abbates, seu Priores eorum, monitione prævia, per censuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem ipsorum, salva Ordinis disciplina. Quod, si hoc regularis ordo non patitur, auctoritate nostra provideant, ut apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis Religiosis Domibus ejusdem Ordinis, ad agendum ibi poenitentiam, talibus vitæ necessaria ministrentur. Si vero hujusmodi Fugitivos, vel Ejectos inobedientes invenerint, eos excommunicent, & tamdiu faciant ab Ecclesiarum Prælatis excommunicatos publice nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur.

Decreta Sacræ Congregationis Concilii De Regularibus Apostatis, & Ejectis.

S U M M A R I U M.

13 *Innovatio Constitutionis Clementis VIII., ad Regularium reformationem.*
14 *Exemptio Regularium, quoad approbationem ab Ordinariis, pro eorum receptione ad Habitum.*
15 *Nullus licentiandus ad aliam Religionem strictiorem, nisi constet, illam Religionem eum velle recipere, & tunc ad eam recta se transferat via.*
16 *Fugitivi, & Apostatæ per Ordinarios capi possunt, & carcerari, ut consignentur Superioribus, ad punitionem.*
Idem præstare possunt Superiores Regulares per se, vel per alios.
17 *Absolutio a pœnis, per apostasiam contractis, datur sponte redeunti, intra terminum, ibidem præscriptum.*
18 *Incorrigibilis nullus vere talis, nisi ultra requisita a jure communi, sit probatus in carceribus jejunio, & pœnitentia.*
Unicuique Religioni privatos habere carceres conceditur ad torturam Incorrigibilium.
Lapso probationis tempore, si non resipiscit, expellitur.
Expulsio a solo Generali, de consilio, & assensu sex Patrum, ad hoc a Comitiis generalibus lectorum facienda.
Processus expulsionis institui potest juxta stylum, & Constitutiones cujusque Religionis.
Causæ expulsionis integre probari debent, ad præscriptum Sacrorum Canonum.
19 *Expulsus, in habitu clericali debet incedere, & Ordinario loci subesse.*
Sententia expulsionis Ordinario debet notificari.
20 *Expulsio non nisi pro extremo remedio adhibenda.*
21 *Expulso non concedantur litteræ testimoniales ad S. Sedem, nec jubeatur aliam ingredi Religionem.*
22 *Expulsi sunt perpetuo suspensi ab exercitio Ordinũ, nec super hoc dispensari queunt ab Ordinariis*
23 *Expulsi, iterum recipiendi, si litteras testimoniales resipiscentiæ, ab Ordinariis obtentas, deferant.*
24 *Præsens Constitutio jungenda Decretis Clementis VIII., & cum eisdem legenda in publica Mensa, bis in anno.*
25 *Pœna Contravenientibus hisce dispositionibus.*
Facultas relaxandi, aut moderandi talem pœnam, Sedi Apostolicæ reservatur, sub nullitate attentati.
26 *Robur præsentis Constitutionis.*

SAcra Congregatio Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, Regularium Ejectorum, & Fugitivorum statui consulere, illorumque scandala submovere, & succrescentem numerum frangere, operæ pretium existimans, auditis Religionum Superioribus, reque diligentissime perpensa, communicato etiam consilio cum *S. D. N. Urbano VIII.*, atque ex peculiari Sanctitatis suæ facultate, infrascripta Decreta edidit.

§. I.

13 Ac primo, ut infecta semina, a quibus pravi ejusmodi fructus potissimum prodeunt, deinceps, ne serantur in Vinea Domini, censuit esse innovandas, & Sanctissimi auctoritate innovat Constitutiones, & Decreta generalia Sanctæ memoriæ *Clementis VIII.* ad Regularium reformationem, ac Novitiorum receptionem, professionem, atque institutionem spectantia; districteque præcipit Generalibus, atque aliis omnibus Ordinum Superioribus, ut illa exacte observent, atque, ut observentur efficiant, sub pœnis statutis in iisdem Constitutionibus.

§. II.

14 A quibus tamen excipiendum censuit caput illud, quo decernitur, ut in Conventibus, seu Monasteriis, ad Novitios recipiendos hactenus designatis, & approbatis, seu in posterum designandis, & approbandis, Novitii ad habitum nullatenus recipi possint, nisi prius a Congregatione Reformationis Apostolicæ, vel a propriis locorum Ordinariis expresse, & nominatim approbati fuerint. A cujus quidem Decreti observatione Sacra Congregatio, justis de causis, censuit, Regulares esse absolvendos, prout

ut [au]ctoritate Sanctissimi Domini Nostri absolvit, atque eximit.

§. III.

15 Deinde, ut apostatandi opportunitas Regularibus praeripiatur, statuit, ut de caetero nullus permittatur ad arctionem Religionem transire, nisi prius Superiori legitime constiterit, eam Religionem paratam esse, illum recipere, qui licentiam petit, tumque Regularis recta se transferat ad arctionem. Quod, ut reipsa adimpleatur, idem Superior omni studio, & diligentia invigilet.

§. IV.

16 Rursus statuit, ut Fugitivi, & Apostatae, sive habitum Regularem deserant, sive non, possint, ac debeant ab Episcopo loci, ubi moram trahunt, in carceres conjici, ac Superioribus Regularibus consignari, secundum Regularia instituta puniendi; utque ipsi quoque Superiores teneantur, eos perquirere, ad Religionem reducere, atque efficere, ut apprehendantur, salva tamen in omnibus facultate, Ordinariis locorum attributa *Decreto Concilii cap. 3. sess. 6.*

§. V.

17 Quod, si Apostatae hujusmodi citra Montes infra quatuor, ultra Montes vero infra sex menses, a praesentis Decreti publicatione inchoandos, sua sponte ad suam quisque Religionem redierit, tum poenarum omnium, ipsis per Apostasiam inflictarum, aut infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur. Ita tamen, ut debeant absolutionem a Superiore humiliter petere, & coram eo culpam fateri, atque emendationem polliceri. Superior vero e contra benigne illos teneatur ab hujusmodi poenis absolvere, & paterna charitate complecti.

§. VI.

18 Ad haec, ut in posterum a Religionibus nullus legitime professus ejici possit, nisi sit vere incorrigibilis; vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quae ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur, sublatis hac in parte Statutis, & Constitutionibus cujuscunque Religionis, & Ordinis, etiam a Sede Apostolica approbatis, & confirmatis: verum etiam unius anni spatio in jejunio, & poenitentia probetur in carceribus; proindeque unaquaeque Religio privatos habeat carceres in qualibet saltem Provincia. Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pervicacia perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbidum, ac membrum putre ejici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantum, de consilio, & assensu sex Patrum, ex gravioribus Religionis, eligendis in singulis Capitulis, & Congregationibus Generalibus; numque nonnisi instructo secundum eorum stylum, & Constitutiones processu, & plene probatis causis expulsionis ad Sacrorum Canonum praescriptum. Interea tamen usque ad primum Generale Capitulum, seu Congregationem, proxime celebrandam, si quempiam ex justis, & necessariis causis expellere oportebit, ejectio fieri possit a Generali cum consilio, & assensu sex Patrum, ut supra, quos idemmet Generalis eligere debeat intra quatuor menses, a praesentis Decreti publicatione, servata tamen in reliquis forma, superius praescripta.

§. VII.

19 Sic vero Ejecti, quandiu non redierint ad Religionem, in habitu Clericali incedant, atque Ordinarii loci jurisdictioni, & obedientiae subsint: Proindeque Generalis illico expulsionis Sententiam eidem Ordinario notificare teneatur.

§. VIII.

20 Caeterum Sacra Congregatio Religionum Superiores serio admonet, ac per Iesu Christi viscera obtestatur, ut memores paternae charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas Fratrum suorum, sero in profundum malorum delapsas; antequam gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idque eo magis, quod Subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui Officii immemorum Praelatorum regimine peribunt, Dominus noster Jesus Christus in Supremo Dei Judicio de eorundem Praelatorum manibus sit requisiturus.

§. IX.

21 Praeterea statuit, ut iidem Superiores nemini ex Religiosis expulsis litteras testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam reijcientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.

§. X.

22 Item, ut Ejecti, extra Religionem degentes, sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum, sublata Ordinariis locorum facultate, dictam suspensionem relaxandi, atque moderandi.

§. XI.

23 Ac postremo censuit esse innovandam, & Suae Beatitudinis auctoritate innovat Constitutionem fel. record. Gregorii IX. relatam in *cap. final. Extra. de Regular.*, ac propterea declarat, eam Constitutionem in iis quoque vendicare sibi locum, servandamque esse, qui juste, definitiveque, ac juris ordine servato, expulsi fuerint, dummodo tamen in expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii, cujus conscientiam in his litteris concedendis, Sacra Congregatio serio oneravit.

§. XII.

24 Ne qua vero difficultas, in suprascriptis Decretis, & Ordinationibus exequendis, oriatur, Sacra Congregatio, Sanctissimo Domino Nostro annuente, atque approbante, universis Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Ministris, Praesidentibus, Abbatibus, Prioribus, Praepositis, Guardianis, Vicariis, & quibuscunque aliis Superioribus quorumcunque Ordinum, vel Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Collegiorum, Domorum, ac locorum Regularium, quorumcunque locorum existentium, injungit, serioque mandat, ut illa dili-

diligenter observent, atque observari procurent in omnibus Cœnobijs, ac Monasterijs, Collegijs, ac Domibus quorumcunque Monachorum, ac Regularium, ubique locorum existentibus; efficiantque, ut tam Decreta supradicta fel. recordat. Clementis VIII. quam præsentes Ordinationes in singulis hujusmodi locis, bis saltem in anno, in publica Mensa legantur.

§. XIII.

25 Si quis vero ipsorum adversus ea, quæ superius præscripta sunt, vel eorum aliquid quoquomodo facere, vel moliri præsumpserit, ipso facto pœnam incurrat privationis omnium Officiorum, quæ tunc obtinebit, vocisque activæ, ac passivæ, & perpetuæ inhabilitatis, ad illa in posterum obtinenda, pœnaque hujusmodi sit Sanctitati Suæ, ac Sedi Apostolicæ reservata, iisdem Superioribus, etiam Generalibus, & Provincialibus illam moderandi, seu relaxandi potestate, penitus interdicta: & nihilominus sit irritum, & inane, quidquid secus a quoquam actum extiterit.

§. XIV.

26 Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis in favorem quarumcunque personarum, atque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Congregationum, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, ac locorum Regularium quorumcunque nec non illorum etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, vel consuetudinibus, etiam immemorabilibus, exemptionibus quoque, indultis, ac privilegiis, etiam in corpore iuris clausis, aut ex causa, vel titulo oneroso, vel in limine fundationis concessis, etiam Mari magno, seu Bulla Aurea, aut alias nuncupatis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus Decretis, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, & iteratis vicibus approbatis, & innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, & formis, specialis, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, & observata, inserti forent, Præsentibus pro expressis habentes; quibus, quo ad ea, quæ supradictis quomodolibet adversantur, illis alias in suo robore permansuris, specialiter, & expresse, Sanctitatis Suæ auctoritate, derogat, cæterisque contrariis quibuscunque. *Dat. Romæ die 21. Septembr. 1624.*

Decreta Sacræ Congregationis Concilii die 9. Augusti 1625.

SUMMARIUM

27 *Electio Judicum in causa expulsionis, ex unaquaque Provincia fieri potest.*
Summarium processus cum voto eorum ad Generalem mitti debet, si ob distantiam nequeunt cum eo convenire.
Sententia Generalis quoad expulsionem, Voto Judicum debet esse conformis.
Provisio Judicum expulsionis, donec celebretur Capitulum Generale.

27 Sacra Congregatio Concilii, S.D. N. approbante, declaravit, sex Patres in singulis Capitulis, & Congregationibus Generalibus eligendos, de quorum consilio, & assensu, Generalis potest Regulares incorrigibiles a Religione eijcere, in unaquaque Provincia eligi posse, eosque, sic electos, si Generalis tam longe abfuerit, ut una convenire non possit, debere ad eundem transmittere summarium processus, una cum eorum voto, ut juxta illud Generalis possit ad sententiam expulsionis procedere. Interea tamen usque ad primum Generale Capitulum, vel Congregationem, proxime celebrandam, Sanctitas sua annuit, ut ejectio (servata in reliquis forma Decreti, hac de re editi) fieri possit a Generali, itidem cum consilio, & assensu sex Patrum, quos idemmet Generalis in qualibet Provincia infra quatuor menses elegerit.

Declarationes, & solutiones aliquorum dubiorum circa Incorrigibiles Sacræ Congregationis Concilii Tridentini.

SUMMARIUM

28 *Interpellatio Sacræ Congregationis Concilii pro declaratione propositorum dubiorum, circa observantiam superioris Decreti.*
Septem dubia proposita eidem Sacræ Congregationi, circa eandem materiam.
29 *Regularis incorrigibilis, e Religione eijci nequit, tempore carcerationis nondum expleto.*
Tempus carcerationis integrum esse debet, & continuum.
Facultas eijciendi incorrigibiles nequit per Generalem alteri delegari.
Electio Judicum expulsionis, ex unaquaque Provincia fieri potest.
Si electio de prædictis non fuerit facta in Capitulo, vel Congregatione Generali, in qualibet casu debet esse recursus ad Sacram Congregationem.
Processus fieri debet iuxta stylum, & constitutiones cuiusque Religionis.
Summarium illius authenticum debet transmitti ad singulos ex electis Judicibus.
Votum in causa per litteras mittere possunt.
Sententia debet ferri de voto maioris partis sex Patrum electorum.

Procurator Generalis Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, mediante intercessione Reverendissimi Cardinalis de Lugo Protectoris, supplicat pro sua, & aliorum Regularium instructione, per hanc Sacram Congregationem responderi ad infrascripta quæsita, super Decreto de Apostatis, & Ejectis, iussu Summi Pontificis, ex sententia eiusdem Sacræ Congregationis edito, anno 1624. & impresso in Bullario novo *Tom. 4 p. 267. vers. Ad hæc.* Pri-

Primo. An Regularis, constitutus in carceribus spatio unius anni, in ieiunio, & pœnitentia, ad finem ut tanquam incorrigibilis a Religione eijciatur, si e carceribus fugiat (dicto carcerationis anno, nundum expleto), & deinde sit captus, possit tunc, ut incorrigibilis eijci. An vero, quid aliud faciendum sit?

Secundo. An Regularis, pluribus interpolatis vicibus pro reiteratis delictis, in diversis temporibus commissis, in carceribus detentus, possit uno carcerationis anno, (ut supra interpolate expleto) tanquam incorrigibilis a Religione eijci, si post dictum annum carcerationis interpolatum, animo indurato, in sua pertinacia perseveraverit, iterum delinquat?

Tertio. An Generalis Ordinis possit delegare facultatem eijeiendi a Religione, Provincialibus pro eorum Provinciis, seu Commissariis, vel Vicariis Generalibus: Et an delegatio sit a Generali facienda in quolibet casu, an vero indefinite in omnibus casibus?

Quarto. An sex Patres, de quorum consilio, & assensu ejectio fieri debet, sint eligẽdi de tota Religione, an potius sufficiat ex qualibet Provĩcia, seu Regno?

Quinto. Quod, si a Religione hujusmodi sex Patres non fuerint electi in Capitulo, seu Congregatione Generali, quid faciendum sit usque ad primum Capitulum Generale?

Sexto. An sufficiat, ut Prælatus Conventualis, seu Provincialis conficiat processum, stylo Religionis servato, & illius Summarium transmittat Generali Ordinis, seu illius Delegato, qui adhibitis sex Patribus electis, quilibet eorum videat eundem Processum, & transmittat votum suum per litteras eidem Generali, seu Delegato?

Septimo. An Generalis, seu Delegatus possit ferre sententiam ejectionis a Religione, quando a tribus ex sex Patribus electis, seu ab illorum majori parte dicta sententia approbetur: An potius sit necessarium, ut omnes sex dent votum, ita ut ex defectu voti, etiam unius non possit sententia validè ferri?

29 Die 21. Junij 1653. Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, omnibus mature perpensis.

Ad primum. Respondit. Regulares delinquentes, uti incorrigibiles, a Religione eijci non posse, anno carcerationis non dum expleto.

Ad secundum. Respondit. Non sufficere annum carcerationis, interpolate expletum, sed requiri spatium unius anni continuum, & integrum.

Ad tertium. Respondit. Generalem Ordinis non posse delegare facultatem eijciendi a Religione Provincialibus per eorum Provincias, seu Commissariis, vel Vicariis Generalibus.

Ad quartum. Inhærendo declarationi, alias factæ die 9. Augusti 1625. a sanctæ memoriæ Urbano VIII. approbatæ. Respondit. Sex Patres eligi posse in unaquaque Provincia, seu Regno.

Ad quintum. Respondit. Recurrendum ad Sacram Congregationem in singulis casibus.

Ad sextum. Processus esse conficiendos juxta stylum, & consuetudines Religionis, & illorum transumptum authenticum esse transmittendum ad singulos ex sex Patribus electis, qui per litteras possunt votum dare.

Ad septimum. Sententiam ejectionis a Religione ferri debere, saltem de voto majoris partis sex Patrum electorum.

Decretum de Ejectis, & Eijciendis; Auctoritate Sanctissimi D. N. Innocentii PP. XII. Editum prima die Martii 1693.

SUMMARIUM.

30 *Instantia pro moderatione Decreti, editi a Sacra Congregatione Concilii sub Urbano VIII. de Apostatis, & Ejectis.*

31 *Standum est præfato Decreto, ubi præsenti non adversatur.*

Fugitivi, & Apostatæ annuatim per Superiores Regulares requirantur.

43 *Annus carcerationis ad probandam incorrigibilitatem præscriptus, ad semestre reducitur.*

33 *Facultas, data Provincialibus pro electione Judicum in casu expulsionis.*

Talis electio fieri debet in Capitulo, vel Congregatione, & per Generalem confirmari.

Potestas illorum in cognitione, & definitione causæ incorrigibilitatis, accedente consensu, & approbatione Generalis.

34 *Processus pro expulsione formari debet juxta leges, & stylum cujusque Ordinis, donec aliter decernatur.*

35 *Mandatum de jungendo hoc Decretum cum reliquis Clem., & Urbani VIII. de Apost. & Eject., & quod cum illis bis in anno legantur, & ad unguem observentur, sub pœnis in illis contentis.*

30 INstantibus Procuratoribus Generalibus Religiosorum Ordinum pro moderatione Decretorum de Apostatis, & Ejectis, editorum a Sacra Congregatione Concilii, & a sanctæ memoriæ Urbano PP. VIII. anno 1624. confirmatorum, ut facilior modus Incorrigibiles eijciendi præscribatur. Sacra Congregatio a Sanctissimo D. N. Innocentio PP. XII. super præmissis particulariter deputata Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Carpinei, Casanatæ, Mariscotti, de Norfolcia, de Lauræa, de Aguirre, & Colloredi, perpensis eorundem Procuratorum Generalium votis, ne consortio morbidarum pecudum cæteræ corrumpantur, & remedia hucusque ad sanitatem oblata male affectis officiant magis, quam prosint, maturo examine, zelo Regolaris disciplinæ conservandæ, censuit, statuit, & & auctoritate Sanctissimi D. N. sibi specialiter attributa, hæc in posterum servanda decrevit.

§. I.

31 Quod firmis, ac in suo robore semper manentibus prædictis Decretis de Apostatis, etiam secundum eam partem, ubi agitur de Ejectis, & Eijciendis, tanquam Sacris Canonibus, & communiori Sanctorum Patrum menti conformibus quoad Ejectos eadem serventur, quæ in alio simili Decreto, hac præsenti die emanato, de Apostatis, & Fugitivis statuta sunt, & indulta. Quodque ad præscriptam legem sanctæ memoriæ Gregorii IX. in *cap. final. de Regular.* annuatim Fugitivi requirantur, & respective cogantur ad Claustra reverti.

§. II.

§. II.

32 Quod annus integer, qui in prædictis Decretis anni 1624. præscribitur in pœnitentia, & jejunio ad ejiciendos incorrigibiles, ad sex tantum menses cōtinuos in posterū coarctetur, & restringatur

§. III.

33 Quod facultas Generalibus Ordinum de consilio, & assensu sex ex gravioribus Religiosis in singulis Capitulis, & Congregationibus Generalibus, ad Causas Ejiciendorum eligendis, attributa, extendatur etiam ad quoscunque Provinciales, qui, electis pariter in Congregationibus Provincialibus sex gravibus ex propria Provincia Religiosis, a Generali confirmandis, de illorum consilio, & assensu Causas hujusmodi cognoscant, & ad effectum ejiciendi Incorrigibiles suæ Provinciæ, & ejectionem pronunciandi, accedente approbatione Generalis, definiant: salva semper Sanctæ Sedis, & Sacræ Congregationis Concilii, in casu recursus, & appellationis, auctoritate.

§. IV.

34 Quod in posterum processus conficiantur juxta Regulas, Constitutiones, Ordinationes, & stylum cujusque Ordinis & Religionis, donec aliter fuerit a Sacra Congregatione provisum.

§. V.

35 At quia nimia sine delectu facilitas recipiendi quoscunque, Religionis ingressum petentes, & a Religione forsan alienos, duram satis tractu temporis necessitatem parit, eosdem e Claustris ejiciendi, ne hujusmodi semina, quæ a principio ad fructum faciendum cadunt in terram bonam, paulatim contaminata inordinatis moribus usque ad incorrigibilitatem succrescant in paleas; eadem Sacra Congregatio, annuente Sanctissimo D. N. sub interminatione Divini Judicii, nec non privationis vocis activæ, & passivæ, ac Dignitatum, & Officiorum obtentorum, cum inhabilitate ad ea, in posterum obtinenda, quibuscunque prædictorum Ordinum Superioribus districte præcipit, & mandat, omnia, & singula Decreta sanctæ memoriæ Clementis VIII. registrata post Decretum sanctæ memoriæ Urbani VIII. de Apostatis, & Ejectis incipien. *Regularis. Sanctissimus*, & *Nullus*, una cum subsequentibus Decretis, Provisionibus, Ordinationibus, bis in anno legi, eadem ad unguem servari, pœnas, in eisdem contentas, innovari, & Capitibus Ordinum intimari, ne hujusmodi Decretorum transgressores, qui in lege gloriantur, per prævaricationem legis Deum inhonorent; & ne militiæ Christi adscripti tam de facili fiant desertores, & profugi. Datum Romæ die 24. Julii 1694. G. Card. Mariscottus Pro-Præfectus. N. Pallavicinus Sacr. Congr. Concil. Secret. Die 30. Julii 1694. supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad valvas Curiæ, in Acie Campi Floræ, ac aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Sebastianum Vasellum SS.D.N. Papæ Cursorem. Pro D.Mag.Curs.Gregorius Staggius Apost. Curs.

36 Hucusque tradita jura sunt; quæ faciunt ad plenam directionem Praxis pro expulsione Incorrigibilium Religiosorum a propriis Ordinibus. Sed quia, ut habet textus *in l. Neque leges 10. ff. de leg. & in l. Non possunt. 12. eod. tit.* iura de omnibus casibus particularibus dari non possunt, sed horum resolutio versanda est a legibus universalibus, & Doctorum sententiis; ideo pro theoria casuum, ad expulsionem spectantium, & etiam pro variis praxibus juxta varietatem causarum, subsequentes Quæstiunculas subnectimus, ad ornatum, & explicationem iurium, supra datorum.

QUÆSTIO I.

Quid sit expulsio Regularis ab Ordine?

SUMMARIUM.

37 *Expulsionis ab Ordine Regulari Definitio.*
Expulsio ab Ordine æquiparatur Excommunicationi
38 *Sententia expulsionis nequit esse ad tempus.*
Expulsus legitime, nequit cogi ad reditum intra Claustra, nec debet admitti, nisi correctus sit.
39 *Expulsio prædicatur de legitime Professis, non de Novitiis.*
Novitii non sunt in Ordine tanquam ejus membra, nisi per professionem.
40 *Expulsio nequit fieri, nisi per viam judicialem.*
Reus debet primo audiri, & defendi, antequam contra eum sententia expulsionis proferatur.
41 *Ob solam incorrigibilitatem pronuntiari potest sententia expulsionis.*
Ob corporalem infirmitatem insanabilem, non fit expulsio valide professi.
Expulsio, & dimissio de diversis prædicantur.

37 Respondeo, quod est *separatio perpetua Religiosi professi a suo Ordine, facta auctoritate Judicis, causa illius incorrigibilitatis in mala vita.* Dicitur autem primo, quod est *separatio*, siquidem expulsio ab Ordine juxta *D. Thomam Quolib. 12. art. 47.* comparatur excommunicationi, nam, ut alibi, *Prax. crim. illustr. par. 1. tit. Pœnarum num. 24.* dicebam, sicut excommunicatio est maximum spiritualium pœnarum, & est cum magna sobrietate adhibenda, & non fertur nisi in criminosos contumaces, ita pariter expulsio ad sensum *Donat. Prax. rer. Regular. tom. 1. par. 2. tract. 4. q. 3.* Porro excommunicatio ab *Hostiensi, & Goffredo apud Abbat. in rubr. de Excom.* vocatur *separatio* a communione Fidelium, consequens ergo est, quod etiam tali nomine, quod refert rationem generis, censeatur *expulsio*.

38 Dicitur secundo, *perpetua*, & hoc intelligendum est ex parte sententiæ, prolatæ a Judice: Siquidem, ut optime docet *Pasqualigus, ad Lauret. de Franc. num. 1064.* non potest Judex Regularis proferre sententiam expulsionis, duraturæ ad tempus, quemadmodum potest damnare ad carceres per tale, aut tale tempus, quo expleto, damnatus liberatur. Ratio est, quam tangit *Leander a Murcia, in Regul. Minor. cap. 16. in fin. vers. En quanto.* quia aut ejectus non est vere incorrigibilis; aut vere est talis. Si primum, ipse nequit expelli, ut habet Decretum Sacræ Congregationis, datum supra *n. 8.* quod requirit, quod expellendus sit *vere incorrigibilis*. Si secundum, debet ejici per sententiam diffi-

nitivam, quæ, cum sit absoluta, facit, quod ex parte ipsius, sententia sit perpetua; nam, ut inferius dicemus, Superior nec potest cogere expulsum legitime ad reditum intra Claustra; nec debet illum admittere, nisi correctus sit; unde sequitur, quod sententia expulsionis alicujus vere incorrigibilis est ex sui parte perpetua; nec expulsio ex parte expulsi possit esse temporalis, nisi ipse per vitæ suæ correctionem eam talem reddat.

39 Dicitur tertio, *Religiosi professi*, quod accipi debet de professione rite, & valide emissa; siquidem factum contra jus habetur pro non facto, *arg. l. Jubemus 14. §. 1. in fin. C. de Sacr. Eccl. cap. Quæ contra 64. de Reg. in 6.* Et paria sunt, quid non fuisse, vel nulliter factum, *arg. l. Quotiens. 6. ff. Qui sa isd. cog.* Unde sequitur, quod professio invalida habeatur pro non facta; & ille, qui invalidam professionem emisit, quantumvis inter Professos degat, tamen re vera tanquam Novitius censendus est, Novitii autem, si habitu Religionis privantur, & ad Sæculum remittuntur, non dicuntur expelli, aut eijci ab Ordine, sed dimitti. Ratio est, quia, sicut quis nequit expelli, aut eijci a loco, nisi prius sit in eo loco, a quo dicitur expelli, aut eijci; ita pariter non potest dici, quod expellatur, aut ejiciatur ab Ordine quis, nisi prius sit in Ordine, a quo expellitur. Novitii autem, quamvis degant intra Claustra, non tamen adhuc dicuntur esse in Ordine, nisi tantum initiative; nec censentur esse in Ordine, tanquam ejus membra, nisi per professionem.

40 Dicitur, *facta auctoritate Judicis*. Nam, ut habet Decretum Sacræ Congregationis, datum supra *num. 18.*, nequit fieri expulsio, nisi *instructo juxta Religionis stylum processu, & plene probatis causis expulsionis*. Unde deducitur, quod expulsio non potest fieri a Superiore, procedente ad punitionem criminum in foro paterno; sed per viam judicialem, instituto nempe processu; probatis plene delictis, quæ dent causam expulsioni; audito in suis defensionibus Reo expellendo, & probata sententia, quæ transierit in rem judicatam.

41 Dicitur tandem, *causa illius incorrigibilitatis*; nam ex Decreto supra citato, nullus a Religione expelli potest, *nisi sit vere incorrigibilis*. Ubi advertenda est dictio *nisi*, quæ excludit omnes alios casus præter expressum, *arg. cap. Si duo 6. de Procurat. lib. 6.* Et cum oratio negativa præcedat, innuit, quod quivis alius casus expulsionis dari non potest, præter incorrigibilitatem. Unde Religiosus, valide professus, neque ob corporalem ægritudinem insanabilem; neque ad sublevandam Parentum inopiam, eorundem instantia apud Superiorem &c, potest a Religione expelli. Sed, si legitima militet causa, ob quam professus potest ab Ordine exire, ut, si exeat, vel transeat ad Religionem arctiorem; aut promoveatur ad Episcopatum, non dicitur ille expelli, aut eijci, sed dimitti, (ut de non legitime professo supra dictum est) & pure simpliciterque sequatur expulsio ex causa solius incorrigibilitatis. Unde sequitur, quod sententia expulsionis, saltem in foro externo, semper fertur in invitum; non sic vero dimissio: licet aliquando expulsi ipsi ejectionem propriam libenter amplectantur, & interne procurent, per proditam ex instituto incorrigibilitatem.

QUÆSTIO II.

Favore cujus fiat expulsio ab Ordine?

SUMMARIUM.

42 *Expulsio utilis Religioni, & Expulso.*
Bonum publicum cuilibet privato præferendum.
Expulsus magis securus in Sæculo, dum non corrigitur, quam in Religione.

24 RESpondeo, quod expulsio introducta est tum favore Religionis, tum favore Rei expulsi. Favore quidem Religionis, quia de jure naturæ est, quod membrum putridum, quod in toto corpore potest propagare putredinem, abscindatur, ne corpus totum inficiatur, & pereat. Et hæc est ratio, ob quam *D. Thomas Quolib. 12. q. ult.* statuit, Monasterio jus inesse expellendi Incorrigibilem, dum tale jus denegatur a *Cardinali in Clementina, Ne in agro § Quia vero. de Stat. Monach.* Et ante *D. Thomam* expressit *D. Benedictus in sua Regula Monach. cap. 29.* dum ait, *Monachum, qui sæpe admonitus, se se non emendaverit, ferro abscissionis eijciendum, ne una ovis morbida totum gregem contaminet.* Quam rationem tangit etiam Sacra Congregatio in suo Decreto, dato supra *num. 18.* per hæc verba. *Ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, & membrum putre eiici tandem possit.* Favor igitur Religionis est, ut membrum, sibi nocivum, possit a se separare; Et favor hic principalior est, cum bonum publicum cuicunque privato præferatur, *arg. Sa. cap. 11. vers. 50.* Favor pariter est Expulsi, siquidem eadem Sacra Congregatio in supracitato Decreto, relato supra *num. 20.* expulsionem Incorrigibilis vocat *gravissimum, & extremum remedium*, & sicut remedia adinventa sunt favore ægrotantis, ita expulsio introducta est, ut ex ea Expulsus, rubore suffundatur, ut notavit *Pasqualigus ad Laure. de Franc. n. 1058.* & a mala vita resipiscat. Favor pariter est ejectio aliquibus Expulsis, quibus, ut alias dicam, molesta est vita claustralis, & occasio suæ perditionis & non ex sua culpa; unde, si ab ea eijciantur, recuperant libertatem, & in statu, sibi magis securo, constituuntur.

QUÆSTIO III.

An expediat Religionibus Incorrigibiles expellere?

SUMMARIUM.

43 *Expedientius, si Religioni Incorrigibiles expellere, quam eos in Carceribus detinere.*
Expulsionis ratio temporalis, & spiritualis.
44 *Quando non expediat expulsio.*

43 RESpondeo, quod, generaliter loquendo, magis expedit Religionibus Incorrigibiles expellere, quam illos in carceribus perpetuis, & in ergastulis intra Claustra detinere. Ratio est duplex tum temporalis, tum spiritualis. Temporalia quidem est damnum Conventus, cui necesse est absque ulla utilitate manutenere carceratum, ac eum de victu, ac vestitu providere. Et ut habet *Sanchez Moral.*

ral. lib. 6. cap. 9., commode non possint omnes Incorrigibiles in carceribus detineri, nam nimis grave Religionis onus esset. Spiritualis autem, quia, quantumvis tales Incorrigibiles sint ab aliis Religiosis separati, nihilominus depravant in privatis colloquiis alios, se visitantes, maxime juvenes, aut narrando eorum male facta, præsertim in delictis carnalibus; aut docendo stratagemata delinquendi, ac eludendi Superiorum disciplinam; aut aliquos instruendo ad conspirandum contra Prælatos, in eorum ruinam; aut invocando eorum auxilium apud Sæculares potentes, ut operam suam impendant ad se liberandum a carceribus, & hujusmodi modis, quibus perditi tales homines Religiosam Rempublicam pervertunt, ac conturbant.

44 Sed in aliquo casu particulari aliter est dicendum. Nam, ut bene monet *Umbertus* super Regula *S. Augustini*, *cap. 99. apud Passerin. de stat. hom. tom. 3. qu. 189. art. 8. num. 569. in fin.* non expedit expellere ab Ordine Incorrigibilem, si sit periculum, quod Ejectus desæviat in res Monasterii, eas comburendo, aut destruendo; vel in personas, eas occidendo, aut vulnerando; vel, si credatur, quod ad peccata multos inducet, ut Sodomitæ, vel Heretici; addo ego, si occultas Religionis plagas deteget, & bonum ipsius nomen in populo maculet; aut multa falsa divulget, (ut mos talium est) per quæ male audiatur Religio apud Sæculares. Non expedit ergo tales expellere, sed postposito incommodo temporali, debet Religio carceratos perpetuo detinere; & ad præcavenda spiritualia mala, quæ supra retulimus, debent Superiores prohibere, ne ad tales Carceratos visitandos vadant Religiosi juvenes, aut alii vitæ parum compositæ, ne per eorum colloquia totaliter perverti possint: sed admittatur tantum eorum Confessarius, aut Sacerdotes graves, senes, ac probatæ vitæ, qui suis exhortationibus valeant eos ad mutationem vitæ, & compunctionem perducere. Et hanc cautelam bene observent Superiores.

QUÆSTIO IV.

Quænam præcedere debent expulsionem?

SUMMARIUM.

45 *Quinque prærequisita ad expulsionem Incorrigibilis Textus confirmans supradicta.*

45 REspondeo, quod quinque requiruntur; Primum est recidivatio Expellendi in grave crimen. Secundum est monitio, seu pœnæ reiteratæ, Reo incussæ, ad ejus correctionem. Tertium est processus institutus juxta Ordinum Constitutiones, in ordine ad expulsionem. Quartum est formalis carceratio Expellendi, in jejunio, & pœnitentia. Et quintum, incorrigibilitas in eodem. Et hæc probantur ex Decreto Sacræ Congregationis Concilii, *in Decr. de Regul. Apost. §. 6.* sic sonante: *A Religionibus nullus legitime professus eijci possit, nisi sit vere incorrigibilis. Vere autem incorrigibilis minime censeatur, nisi non solum concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex juris communis dispositione requiruntur; verum etiam unius anni spatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus :: Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit :: eijci tandem*

possit. Annua autem carceratio redacta est ad sex menses per nuperrimum ejusdem Congregationis Decretum, quod tradidimus supra n. 32. De singulis porro supradictis per quæstiones sequentes disputabimus

QUÆSTIO V.

Cujus generis debent esse delicta, ut per ea fiat locus expulsioni?

SUMMARIUM.

46 *Delicta non dant locum expulsioni, nisi sint gravia.*
Pœna, ut sit justa, debet commensurari delicto.
47 *Gravitas delictorum a gravitate theologica, vel legali commensuratur.*
Quænam gravitas theologica, & quæ legalis.
48 *Gravitas legalis magis favet expulsioni, quam theologica, nisi obstet lex municipalis.*
Causa finalis expulsionis.
Expulsio fieri potest, etiam ad evvendum grave detrimentum temporale Religionis.
Delicta, quæ magis lædere possunt totum Ordinis corpus, censenda sunt graviora quoad expulsionem.
49 *Damnum temporale origo spirituali jacturæ.*
50 *Exempla delictorum, per quæ potest fieri expulsio.*
Delicta non tam gravia, seorsim sumpta, si coacerventur, fiunt gravia ad expulsionem.
51 *Expulsio cur inventa principaliter.*
Delicta impunita indicant Religionem, toto corpore destitutam.
52 *Clericus incorrigibilis in criminibus, pro quibus non imponitur pœna mortis, brachio sæculari traditur.*
Religiosus incorrigibilis in delictis etiam non atrocioribus potest expelli.
53 *Expositio circa traditionem brachio sæculari.*
Regularis incorrigibilis in delictis, Ordini valde nocivis, potest privari privilegio Fori Regularis, & expelli.
54 *Non est incongrua expulsio Rei incorrigibilis in delictis, etiamsi non sint atrociora.*
55 *Delicta Religiosorũ consideranda sunt dupliciter.*
Exempla hujus considerationis.
56 *Authoris sententia, pro amplianda expulsione.*
Declinatio a semita proprii Instituti, causa destructionis tot Religionum.
57 *Quæ fuerunt vitia, fiunt consuetudine mores.*
58 *Corpus politicum Ordinis, analogice se habet ad naturale.*
59 *Causæ, ob quas Ordines deficiunt a perfectione.*

46 REspondeo cum *Pasqualig. ad Laur. de Franc. num. 1059. Passerin. de stat. hom. tom. 3. quæst. 189 art. 8. num. 561., & seqq. Ant. a S.S. Direct. Regul. tract. 4. disput. 1. num. 128. Sanch. Decal. lib. 6. cap. 9. num. 4.* sententiam communem Doctorum esse, quod delicta, ob quæ potest expelli Incorrigibilis, debent esse delicta gravia, ut crimen proprietatis, furti, homicidii, & hujusmodi, & hoc deducunt argumento multorum Canonum. *Cap. cum. non ab homine. 10. de Judic. Cap. cum ad Monasterium 6. de stat. Monach. Cap. ut famæ. 35. de sent. excom.* Et fundamentum esse potest, quia poena, ut justa sit, debet proportionari deli-

cto: & cum expulsio ab Ordine sit gravis, imo gravissima pœna, requirit etiam, gravia delicta commissa fuisse.

47 Optime quidem dictum: sed difficultas non levis est, a quonam talis gravitas sit mensuranda, puta, au a gravitate theologica, an a legali. Gravitatem theologicam voco eam, quæ oritur a crimine, tanquam offensivo Dei, qui in tantum gravius offenditur, in quantum factum criminale opponitur graviori præcepto, quod respicit excellentius objectum. Proinde crimina contra præcepta primæ tabulæ, graviora sunt cæteris, quæ sunt contra alia præcepta Decalogi; quia illa habent pro objecto ipsum Deum, cætera autem respiciunt proximum. Gravitatem legalem voco eam, quæ mensuratur a gravitate pœnarum, quas leges humanæ sanxerunt pro nonnullis delictis, quæ licet non sint extreme offensiva Dei, tamen, quia valde conturbant Rempublicam, aut lædunt ius Principis, atroci vindicta puniuntur; ut patet de crimine falsæ monetæ, læsæ Majestatis, & hujusmodi.

48 Hoc supposito, dico, in ordine ad expulsionem, delictorum gravitatem esse mensurandam potius juxta seriem gravitatis legalis, quam theologicæ; dummodo municipali alicuius Religionis legi contrarium non caveatur. Ratio (& quidem evidentissima) deducitur ex supraciraro Sac. Congregationis Decreto, *num.* 18. ubi habetur: *ne contagione pestifera plurimos perdat, tanquam pecus morbida, & membrum putre eijci tandem possit*; quod concordat pluribus Canonibus, *in cap. final. junct. glos. in. V. Ovem morbidam de stat. Monach. cap. Resecandæ. 24. q. 3. cap. Sed illud. 45. dist.* in quibus habetur, quod causa finalis expulsionis est, ne Religiosi incorrigibiles, convivendo cum aliis, pervertant alios pravis exemplis malæ eorum vitæ. Ex hoc ergo habetur intentum, puta, quod consideratio indemnitatis, & communis boni totius Religionis causa est, quare permissa sit Incorrigibilium expulsio; unde deducere licet, quod in ordine ad hoc, graviora censeri debeant illa crimina, quæ magis lædere possunt totum Religionis corpus, si ad antevertendum tale damnum expulsio ordinatur.

49 Hic porro libet advertere, quod, quamvis in citato Decreto, & Canonibus videatur considerari damnum tantummodo spirituale Religionis, puta, ne ab Incorrigibilium exemplo, ac consortio cæteri Religiosi perventantur; tamen hoc non debet accipi limitate, & taxative, sed tantum demonstrative, & exemplariter. Siquidem non solum ad evitandum damnum spirituale, sed etiam omne aliud grave detrimentum temporale, fieri debet expulsio. Ratio est, quia moraliter impossibile est, quod temporale damnum aliquod detur, ad quod non sequatur etiam aliqua spiritualis jactura. Nam ob temporale Religionis damnum religiosa quies conturbatur, qua interrupta, etiam interrumpitur orationis exercitium, murmurationes vigent contra eos, qui causam damno dederunt; si isti ignorantur, multa fiunt judicia temeraria; contra eos oriuntur odia, simultates &c. Profecto furtum, factum de rebus aut communibus Monasterii, aut applicatis usui particularis Religiosi, damnum tantummodo temporale infert; sed quot damna spiritualia causat, præsertim quando fur ignoratur? Judicent, qui intra Claustra versantur.

50 Deduco ex hoc, quod omnia delicta, per quæ communitas Religiosa, ex trangressionibus, coacervatim sumptis, & ab eodem patratis, graviter damnificari potest spiritualiter, aut temporaliter, censenda sunt gravia, ita, ut inventus incorrigibilis in illis, potest expelli ab Ordine. Do plures casus, maxime practicabiles. Sit Frater inquietus, qui arrepta quavis, etiam sibi præstituta occasione, excandescat contra proximum; ei convicietur; injuriis provocet; famam ejus aut coram, aut clam proscindat; aut etiam percutiat. Sit Frater linguosus, qui, quæ ab uno audit, ad alium referat, sæpe sæpius in malum sensum detorta, & semper aucta, ob quod rixæ, odia, ac simultates oriantur; qui apud Sæculares divulgat, quæ intra Claustra accidunt, cum Religionis infamia: qui omnia, quæ videt, quæ in secreto audit, & etiam, quæ sub naturali sigillo, & aliquoties sacramentali excepit, nulla facta locorum, rerum, personarum discretione, solitus est effutire, ex quo inter Sæculares, aut Fratres natæ sunt discordiæ: qui dicacitatibus, murmurationibus, detractionibus, maxime contra Superiores, probosque Religiosos, Conventum perturbet. Sit Frater seditiosus, qui Familiam Conventus in partes scindat, causetque in Religione schismata, ob quæ tres, aut quatuor, ab eo seducti, conventiculas nocturnas faciunt, aliorum consortium aversantur; observant, carpuntque eorum facta, & quamvis indifferentia, in malam partem interpretantur; scripturiendo epistolas per Provinciam ad eorum amicos, aliorum famam deturpant; mandatis Superioris localis sub coloratis prætextibus obedire, & munera Conventus sub excusatione impotentiæ ex ficta ægritudine, subire recusant; in Superiorem, aut aliquem, seu aliquos, sibi invisos, conspirant, & articulos, aut notas componunt, quas uno labio ad Provincialem in visitatione deferunt; sive (quod pejus est, & frequentius accidit) per memorialia ad Superiores Generales, ad Protectorem, seu ad Sacram Congregationem, calumnijs plena, transmittunt; & etiam non raro apud Sæculares contra illos malignitatem propriam exercent, & spiritum avertionis instillant, ut illos aversentur. Sit Frater relaxatus, qui omnibus vitijs maculatus, ceu diabolica panthera, claustro, ceu cavea interclusus, vivat; ventri deditus, obsonia particularia, vinaque generosa, non contentus communi frugalitate, undequaque conquirat, & in propria cella, nocturno tempore, maxime diebus jeiuniorum alios ad comessationes invitet, ad quas propria symbola quisquis conferre tenetur; post quas aut murmurationibus, aut impudicis narrationibus, aut aleis, noctis horæ consumuntur: Sæcularibus negotijs applicatus, semper habet, ob quæ extra Conventum evagetur, & ad multam noctem reditum retardet; Chorum, orationem mentalem fugit; communi refectioni, ac aliis religiosis exercitijs non interest; si aliquando ad Chorum convenit, aut dormit, aut ridet, aut mussitat, ac alios ab attentione Officii Divini avertit; sedet, dum alii stant, indecenter, & incomposite in stallo sistitur; vadit, reditque ad locum, postquam per rimas ostii, aut cancellos, aut aulæo diducto, fœminas in Ecclesia existentes contemplatus est: latrunculus ex usu modo olera, modo fructus, modo flores communis viridarii, ut ad amicas sæculares transmittat, suffuratur; modo adulterina clavi a coquina, penu, cella vinaria esculenta, poculentaque surripit; modo uni librum, alteri sportulam, alteri manutergium, alteri sudariolum; mappulas in Ecclesia, candelas in Sacristia, quæque potest, ab aliorum Cellis aufert;

alienas

alienas literas invadit, intercipit, aperit, vulgat &c. sicque universum Conventum conturbat. Sit Frater scandalosus, qui inter Sæculares versans nunc obscœnis verbis, nunc impudicis narrationibus; modo voracitate in mensa, modo compotationibus in popinis, (ob quas non raro nutantibus plantis, ebrius in sero ad Conventum redire solitus sit) Religiosam vitam detorpat: nimius essem, si de omnibus vellem scribere in specie, ob quæ Religiosa Respublica apud Sæculares vulneratur in fama, & in seipsa inquietatur a talibus, qui in habitu claustrali vitiosam vitam, ac sæcularem mentem nutriunt. Sint igitur ex suprarecensitis, ut præfertur, Religiosam Rempublicam conturbantes, inquietantes, ac denigrantes, qui pluries moniti, correcti, & pœnitentiati, malam vitam non mutarent, dico (salvo semper meliori judicio), posse per Superiores, servata debita forma, expelli, quamvis delicta, magis atrocia prædictis, non commiserint; supplente in hujusmodi delinquentibus, loco intensivæ, extensiva gravitate, orta a quotidiana hujusmodi transgressionum multiplicitate, a qua sæpe sæpius gravius Religioni infertur detrimentum, quam ab intensiva, ea scilicet, quæ ex commissione unius, vel alterius mortiferæ culpæ consurgit, præcisio scandalo.

51 Ratio est, quia, ut dictum est supra *nu.* 42. expulsio Incorrigibilium inventa est, ac a legibus præscripta principaliter favore publici Religionis boni. Et hæc est ratio, quare in *cap. Cum non ab homine de Judic.* Clericus incorrigibilis Judici Sæculari puniendus traditur. Puta, ne Incorrigibilis *possit esse perditio plurimorum*; & pari modo ex eodem fundamento inducta est expulsio a Religionibus. Palam autem est quot, & quanta damna proveniunt a malis Religiosis, quorum schemata, paulo supra data sunt. Nam ex eorum pravitate cæteri Religiosi intra Claustra inquietantur, ac damnificantur in animas, eorum mores imbuendo, aut eorum personas ob eorum male facta, per quæ damnificantur, odio mortali prosequendo: pariformiter damnificantur temporaliter; nam ex scandalis illorum extra Claustra, cæteri male audiunt apud Sæculares, arguentes in aliis similitudinem morum, & Religio patitur in fama, quasi in sinu suo nutriat homines perversos; & sic videatur relaxata. Si quidem, quamvis Superiores pœnitentias, & correctiones adhibeant talibus, isti tamen Sæcularibus non innotescunt; & cum sic pœnitentiati maneant adhuc incorrigibiles, jure merito Sæculares autumant, eos incorrectos permitti a Superioribus impune peccare, & hoc pacto censetur Religio tanquam in suo corpore relaxata, cum juxta *D. Bonaventuram* talis jure existimanda sit Religio, non quando mali homines in ea reperiuntur (nam etiam in Collegio Apostolico repertus est Petrus abnegans Magistrum, Judas eundem prodens, & Thomas de illo incredulus) sed quando tales delinquunt, nec puniuntur. Ne igitur videatur Religio eos minime castigare, deveniendum est ad pœnam patentem, & omnibus cognitam, quæ est expulsio ab Ordine.

52 Convenit nobiscum in hac conclusione Rodericus, qui *quæst. regul.* 30. *art.* 15. *tom. p.* docet, posse expelli a Religione Fratrem, qui contra præceptum Regulæ sæpe sæpius pecuniam contrectavit; alearum ludum prohibitum cum Sæcularibus exercuit, cum maximo Religionis detrimento, & Sæcularium scandalo, & Fratrum etiam, quos ad ludendum provocabat, docendo eos alearum ludum prohibitum; & inter Fratres ipsos discordias disseminando; mendaciis, & dolis eos infamando; seditiones, factiones, schismata in Conventu suscitando &c. si tamen hæc adsint sine spe alicujus correctionis, & emendationis ad meliorem frugem. Rationem porro talis conclusionis asserit esse declarationem quandam Parlamenti Parisiensis, quod nempe in criminibus gravibus, in quibus non imponitur pœna mortis, reputatur Clericus incorrigibilis, ad effectum ut degradatus tradi possit brachio sæculari, si bis ipsi venia fuit data; quam declarationem refert, & laudat *Clar. Pract. crim. quæst.* 36. *vers. Sed quæritur. in fin. Salzed. ad Diaz. Pract. cap.* 140. *§. de Incorrigibil.* Unde deducit, quod, si Clericus ratione incorrigibilitatis in delictis, etiam in quibus pœna mortis non datur, (quia atrocissima non sunt) tradi potest brachio sæculari, pari modo Religiosus incorrigibilis in delictis, non sunt de atrocioribus, possit a Religione expelli.

53 Obiter vero hic adverto, quod traditio brachio sæculari, de qua loquitur dicta declaratio, sobrie est intelligenda; hæc enim regulariter sonat, quod, si Ecclesiasticus brachio sæculari relaxatur, hoc fit ad effectum afficiendi eum ultimo supplicio. Hoc autem minime esse potest, nisi quidditas ipsa criminis mortem requirat, ut hæresis, assassinium, falsificatio monetæ &c. & in his casibus non requiritur incorrigibilitas, quæ supponit reincidentiam in idem, aut simile crimen; sed sufficit unum crimen, ut notum est. Sequitur ergo, quod traditio brachio sæculari accipi debet pro privatione privilegii Fori, quo gaudent Clerici. Et hoc manifeste deducitur a quodam Canone, *text. in cap. Cum non ab homine. 10. de Iudic.*, in quo habetur, quod, si Clericus depositus, excommunicatus, & anathematizatus ab Ecclesiastico perseveret incorrigibilis, *per sæcularem pot statem comprimendus est*; *ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna feriatur.* Ubi advertere oportet, quod Ecclesiasticus tales pœnas Clerico potest dare ob crimina, quæ nullo modo mortem merentur, puta si esset ebriosus, aleator, concubinarius, histrio &c. & in his maneret jugiter incorrigibilis. Si ergo *comprimendus committitur sæculari potestati*, liquet, quod hæc ob illa mortem Clerico dare non potest, sed tantummodo eum *ferire pœna legitima*, puta, legalem pœnam infligere, qualem nempe lex sancit pro eo crimine, in quod labitur Clericus; quod perinde est, ac si Canon idem dixisset, Clericus, ut præfertur incorrigibilis, Fori careat privilegio. Pari ergo modo etiam Regularis incorrigibilis in delictis, Religioni valde nocivis, quamvis in se non gravioribus, potest privari privilegio Fori Regularis, & tradi alteri Foro, puta, Sæculari, puniendus de delictis, si quæ deinceps committet, quod est idem, quod ab Ordine expelli.

54 Nec dicendum, quod ad tantam pœnam, quanta est expulsio, incongruum sit devenire, si in atrocioribus delictis non inveniatur Reus incorrigibilis; & cum supra dicta venire potius debeant nomine defectuum, ac imperfectionum, quam delictorum, non possint tanta pœna rationabiliter vindicari.

55 Respondeo enim, quod delicta Religiosorum dupliciter consideranda sunt, nempe absolute, & in se; ac relative, seu comparative ad aliud, puta, ad Religionem. Absolute atrocia delicta sunt ea, quæ ex se summam gravitatem aut theologicam, aut legalem important, ut hæresis, crimen falsæ monetæ &c. Relative autem sunt ea, quæ, quamvis in se atrocia non

non sint, ex eorũ tamen continuatione atrox damnum inferunt Religioni. In primis, atroci pœna punitur delictum, etiam semel commissum, ut ob hæresim formalem Reus traditur morti; ob homicidium appensatum Religiosus damnatur ad triremes &c. In secundis, punitur potius consuetudo, quam crimen; & cum ex consuetudine continua delinquendi atrox damnum eveniat Religioni, justum est, ut per expulsionem Religio liberetur a damno, quod sustinet; nec tamen per eam expulsus gravem pœnam corporalem sustinet, cum in se considerata talia delicta atrocia non sint. Incongruum quidem censerem, si ob ea delicta, quorum dedimus exempla supra *num.* 50. fieret indirecte expulsio ab Ordine, damnando Reum ad triremes; tanta enim non possunt censeri in se delicta illa, ut tantam pœnam corporalem mereantur: non tamen incongrua est, dum per expulsionem Reus parvam pœnam corporalem subit; liberatur tamen Religio ab atroci damno:

56 Videbitur forte multis durum esse, quod ex suprarecensitis criminibus, quæ videntur potius castiganda paternis pœnitentiis, deveniri possit ad judicialem pœnam expulsionis; & scio, plerosque huic sententiæ, tanquam novæ, adversaturos. Sed rogo, atque obtestor Superiores, ut bene attendant ad hunc punctum; siquidem ex hoc neglecto evenit, ut Regulares Ordines infelicibus his temporibus tanquam (oheu!) Ecclesiæ peripsemata contemptui habeantur, quia Religionem propriam a malis hujusmodi, ac perniciosis hominibus non expurgant, & nutriunt in proprijs visceribus induratos hujusmodi scyrrhos, ac incurabiles cancrenas, per quas tabidum redditur totum Religionis corpus, vergens ad interitum. Quænam fuit causa, quod transactis sæculis ab Ecclesia Dei fuerint suppressi, ac destructi tot Ordines Regulares? Profecto, non ob aliam, nisi, quia illi non amplius utiles, imo nocivi per scandala Mundo Christiano erant. Et quomodo a sancta primæva eorum institutione totaliter desciverunt? Certe non ob aliud, nisi, quia Religionem eorum Superiores purgare neglexerunt, ejiciendo Incorrigibiles, ac eos separando a bonis, & exemplaribus.

57 Concedo quidem, tales (ut supra diximus) defectus in Religiosis esse paterna virga castigandos, quando semel, aut bis committuntur; sed quando abeunt in consuetudinem, & ut ajebat *Seneca*, *quæ fuerunt vitia*, *mores fiunt*, aliud est agendum: non enim amplius corrigendum est crimen, sed consuetudo, quæ, cum incorrigibilis sit, judiciali justitiæ gladio est resecanda. Oleum est paterna monitio; ferrum est paternalis severa punitio: si ergo in Religioso incorrigibili vulnus nec oleo, nec ferro curatur, ad mandatum *Hippocratis* deveniendum est ad ignem judicialem expulsionis; & juxta fabulam hydræ, huic, nova capita, post unius abscissionem, progerminanti, adhibendus est Herculeus ignis.

58 Pensandum Prælatis est, quod politicum Religionis corpus analogice se habet ad naturale, & quemadmodum hoc patitur a qualitatibus physicis, sibi contrariis, sic etiam illud læditur a moralibus. Videmus porro, quod humanum corpus ad interitum deducitur non tantum ex febri acuta, & maligna, ac aliis symptomatis violentis, ac mortalibus; sed etiam ex icterica, aut scabiosa passione, si hæc insuperabiliter per remedia, in corpore regnat. Videntur quidem leves, & cutaneæ ægritudines; si tamen contumaces pharmacis sunt, ex diuturnitate graviores, internosque morbos inducunt, per quos moritur homo. Hoc idem est in Religione: pustulæ quidem, ac crustulæ scabiosi hominis videntur defectus illi, quos supra diximus, nec gravia delicta apparent, si cum gravioribus comparentur. Sed, si incurabiles probantur a remediis monitionum, correctionum, paternarumque punitionum, non minus, quam graviora illis mala in corpore Religioso causant, ob quæ ad mortem sensim, sine sensu illud declinat.

59 Concedo alias causas, ob quas Religiones a perfectione deficiunt, existere, præter rerum humanarum conditionem, cujus ingenium est, sollicitante Demone, ad mala esse proclivem. Scio ex principalioribus esse, quod, qui veniunt ad Ordinem, non omnes veniunt a Deo vocati, nec moti unico fine serviendi Deo, & in virtutibus proficiendi; sed inducti non pauci a suasionibus, & non raro etiam a coactivo impulsu Patris, qui copiosa familia oneratus, filios compellit ad Claustrum; alios etiam multos, qui labores Sæculi pertæsi, a re domi angusta, transeunt ad vitam Regularem, ut otiose, & cum commoditate vivant. Hi sunt, ut fuci in apum alveari inutiles, & damnosi, & in his potissimum conspiciuntur incorrigibiles tales Religionis ægritudines. Si ergo in recipiendo adventantes ad Ordinem, decipiuntur Prælati (quilibet enim Novitiorum talium mentitur intentum; omnesque dicunt profiteri velle Religiosam vitam ad famulandum Deo), & expost ex incorrigibili malorum morum continuatione deprehendunt pravam ab initio intentionem eorum, debent Religionem expurgare, ne totum corpus Ordinis inficiatur, & tam enormiter, ut dietim accidit, ab illis damnificatum.

QUÆSTIO VI.

An ob unicum atrocissimum crimen possit fieri expulsio Religiosi a proprio Ordine?

SUMMARIUM.

60 *Fundamenta eorum, qui senserunt ob unicum, sed atrocissimum delictum, dari locum expulsioni.*
61 *Refelluntur prædicta fundamenta.*
62 *Expulsio non permittitur, nisi judicialiter probata incorrigibilitate post triplex crimen, monitiones, pœnas, & carcerem.*
63 *Incorrigibilis præsumptione juris nequit expelli, nisi sit talis de facto.*
Infamia Religionis ex scandalo dato, reparatur per pœnam.
64 *Trina monitio est de forma legis in causa expulsionis.*
Pœna lata delicto, succedit loco monitionis.
65 *Satisfactio damni, quod subiit Religio pro scandalo, habetur sufficienter per damnationem ad triremes.*
65 *Contumacia duplex.*
Quo sensu ob unum crimen contumaciæ potest quis expelli ab Ordine.
67 *Perseverantia Religiosi in contumacia sufficit ad expulsionem.*
68 *Contumacia durans, non est unum, & simplex crimen.*
69 *Pro uno delicto contumaciæ potest fieri expulsio ab Or-*

Ordine, non pro uno delicto, etiam atroci.

Contumacia perseverans habetur pro crimine replicato.

70 *Multa fiunt ex consequenti alterius licita, quæ tamen per se, & principaliter fieri nequeunt.*

Leges ejusdem roboris, & auctoritatis, si se opponunt, posteriori parendum est.

71 *Damnum Religionis resarciri potest per damnationem Rei ad triremes.*

Decreta Sac. Congreg. approbata ab Urbano VIII., & Innocentio XII. pro loco expulsionis.

Per primum delictum, quamvis enormissimum, non potest expelli Religiosus ab Ordine.

60 RESpondeo, quod sententia fuit *Anton. a Sp. S. consult. 74. per tot. Roderic. t. 1. quæst. 30. art. 19. Graff. de effect. Cleric. effect. 1. num. 882. Petr. ab Angel. addit. ad Ord. judic. ad cap. 26. dict. 3. Castr. Palao tom. 3. de vot. punct. 19. num. 7. Azor. tom. 1. lib. 12. cap. 16. q. 3. Sanch. & Sar. apud Passerin. de stat. hom. tom. 3. quæst. 189. art. 8. n. 553. Chiffaing. de privil. Regul. tract. 4. cap. 6. propos. 9. postul. 2. vers. si certo constaret. Pyrin. tom. 1. de fuld. quæst. 1. cap. 25. aliorumque Doctorum*, quod expelli possit ab Ordine suo Religiosus ob unum tantum gravissimum, & atrocissimum delictum. Fundamenta ipsorum sunt, quia committens tale delictum, præsumptione juris, habetur pro incorrigibili. Secundo, quia potest esse delictum ita atrox, & scandalosum, ut non possit alia via consuli honori Religionis, nisi per expulsionem; & cum bonum Communitatis præferendum sit bono privato, sequitur, quod expulsio fieri possit. Tertio, quia trina monitio, & correctio non est de forma legis, qua omissa corruat actus, sed datur ad solemnitatem experimenti; sed tale experimentum haberi potest absque tali solemnitate; nam a gravitate commissi delicti cognoscitur, Reum esse hominem perditum, ac Religioni perniciosum. Quarto, quia in hoc casu non tantum attenditur emendatio delinquentis, quantum satisfactio, danda pro scandalo, quæ haberi non potest, nisi per expulsionem. Quinto, quia in *cap. final. de stat. Monach.* conceditur Visitatoribus expellere contumaces ab Ordine; & contumacia, licet requirat regulariter trinam monitionem, tamen valet una pro tribus, igitur ob unum tantum crimen contumaciæ potest fieri expulsio. Sexto, liquet, quod ob homicidium Religiosus debet damnari ad triremes, talis autem damnatus, etiam post pœnam, non potest ad Religionem recipi, quia infamis est, sed debet manere expulsus ab Ordine; ergo &c Septimo, quia, si probabiliter timerentur Religioni aut gravis infamia, aut grave scandalum, si expulsio differretur, aut ordinaretur Causa, juxta præscriptum Sacræ Congregationis, (quæ requirit incorrigibilitatem post trinam pœnitentiam pro triplici delicto) potest non obstante tali Decreto deveniri ad expulsionem; nam expulsio Rei in tali casu est de jure naturali, cui derogari nequit per jus positivum humanum; *arg. l. scientiam. 45. §. qui cum aliter. ff. ad leg. Aquil.* nec Papa agens etiam de plenitudine potestatis, intendit impedire ea, quæ sunt de jure naturali. *arg. Clement. Pastoralis §. cæterum de sent. & re judic.* Octavo confirmatur ex concessionibus Pii V. relatis a Peirino loc. cit., quibus Ordini S. Hieronimi in Hispania conceditur, & indulgetur, quod Generalis, vel Ministri ejusdem Religionis, de consilio Fratrum, possint Fratres delinquentes in casibus quibus quis de jure communi esset ad mortem damnandus, habitu Religionis spoliare, ab eaque expellere. Quo privilegio gaudent omnes communicationem habentes.

61 Sed hæc sententia minime potest sustineri. Fundamentum, & quidem ineluctabile, est, quod unica ratio, ob quam licita expulsio, est incorrigibilitas delinquentis probata; non enim ex eo, quod Religiosus semel, aut bis delinquit, esto quod delinquat gravissime, expelli potest ab ordine, dummodo paratus sit corrigi. Nec facit, quod adducitur ex adverso, nempe, quod præsumptione juris incorrigibilis censeri possit, qui gravissimum commisit scelus. Hoc enim falsum est; nam, ut bene scripsit *Roderic. tom. 1. q. 30. art. 18.* potest quis atrocissime deliquisse, & ex post gratia Dei præventus spiritum compunctionis concipere, pœnitentiæque tum signa, tum fructus producere. Neque ex hoc, quod quis malus est, & se malum ostendit, mala faciendo, potest ideo incorrigibilis censeri; nam, ut dicebat *D. August. in Psalm. 54. vers. 1. utrum ille in malo perseveraturus sit ignoramus*; proinde nullius, dum vivit, desperanda est correctio. Et ex scripturis sacris habemus, maximos peccatores per pœnitentiam in maximos Sanctos evasisse, ut patet de David, Saolo, Magdalena &c.

26 Palam autem est, quod, si Canones expulsionem permittunt, hoc faciunt, non ob atrocitatem delicti, semel commissi, sed ex perseverentia in malo, etiam post adhibitam semel, atque iterum, & tertio correctionem; aut ob contumaciam, quæ prodit incorrigibilitatem, ut patet ex Canonibus, quos dedimus supra *num. 4.*, & sequentibus. Et circa hanc conclusionem non est amplius ambigendum, cum clara sit dispositio Decreti Sacræ Congregationis, dati supra *num. 18.*, in quo expulsio non permittitur, nisi judicialiter probata incorrigibilitate post triplex crimen, monitiones, pœnas, ac carcerem, & huic veritati subscribunt passim *Pasqualig. ad Lauret. de Franc. nu. 1060. Passerin. de stat. hom. tom. 3. quæst. 189. num. 554. & alii D. Thom. quolib. 12. art. ul. D. Bonavent. in Regul. Min. quæst. 14. Card. in cap. cum olim. num. 4. de Privil. Armill. V. Religio nu. 9. Cucc. Donat. & Bollet.*

63 Nec faciunt fundamenta, in contrariom adducta. Ad primum enim respondemus, non sufficere ad expulsionem, quod Religiosus censeatur incorrigibilis, presumptione juris, sed requiritur, quod probatus sit talis de facto post correctiones, pœnitentias, & carceres per continuationem in mala vita. Unde unum delictum atrox, per quod talis præsumptio inducitur, non sufficit ad expulsionem. Ad secundum concedimus, quod bonum commune præferendum sit bono particulari; sed negamus dari practice casum, in quo alia via, quam per expulsionem non possit reparari damnum Religionis, secutum ob scandalum, datum a particulari Religioso, ut notavit etiam *Passerin. de stat. hom. tom. 3. quæst. 189. art. 8. num. 554. in fin.* Si quidem quodvis scandalum datum, & infamia, ex eo exurgens, reparatur per congruam pœnam, datam delinquenti, de qua pœna, utpote satisfactoria publicæ justitiæ, publice constat; nec infamata remanet tota Religio ob particularium delicta, sed infamatur, tamquam relaxata, quando publicis delictis publica conveniens pœna minime datur. Liberabitur ergo Religio a tali damno, si ob atrox delictum, licet semel commissum,

sum, Reus ad triremes damnetur; talis enim pœna facile publicatur, & Sæculares scandalizati de delicto, ædificantur ob justam pœnam datam, & damnum Religionis resarcitur.

64 Ad tertium negamus, quod trina monitio sit tantum de solemnitate, & non de forma legis, loquendo in hoc casu. Concesso enim, quod in ferenda censura una monitio (in qua tamen assignati sint tres termini competentes) possit æquivalere tribus, non tamen hoc verificatur in materia expulsionis. Siquidem in Canone, *text. in cap. cum non ab hom ne 10. de Judic.* alias citato, in quo assignatur forma relaxandi Clericum potestati laicæ puniendum, tamquam forma assignatur triplex pœna, successive danda criminoso recidivanti, nempe depositio, excommunicatio, & anathema; pœna autem, data pro delicto, succedit loco monitionis, ne amplius delinquatur. Diximus autem supra *num. 53.*, quod expulsio ab Ordine æquivalet privationi Fori (ut enim Clericus traditus potestati laicæ puniendus, privatur privilegio Fori Ecclesiastici; ita Regularis expulsus privatur exemptione Fori Regularis, & subditur Foro Episcopi, ab eo puniendus) igitur sicut trina monitio est de forma substantiali pro privando Clerico privilegio sui Fori; ita erit de privando Regulari ab exemptione sua per expulsionem ab Ordine.

65 Ad quartum responsum est supra *num 63.*, ubi ostendimus non esse practice verum, quod satisfactio damni, quod subijt Religio pro scandalo, non possit haberi, nisi per expulsionem, cum magis satisfiat per damnationem ad triremes, aut carcerem. Ideo negatur consequentia.

66 Ad quintum concedimus, quod ob unum crimen contumaciæ, potest quis expelli ab Ordine; hoc tamen intelligendum est cum distinctione. Nam, vel aliquis fuit contumax in non parendo formali præcepto Superioris; aut in non subeunda pœnitentia pro crimine commisso; unde carceratus ob contumaciam, ab ea recedit, & obedit: vel jugiter perseverat in contumacia, & obfirmatus animo, nullo modo vult obedire. Si primum, negatur, quod ob contumaciam commissam possit expelli; nam iste nullo modo incorrigibilis est: ex hoc enim, quod obedientiæ se submittit, correctum se ostendit: & hoc pacto non potest convenire expulsio, quæ ob solam incorrigibilitatem permissa, ac ordinata est.

67 Si vero perseverat in contumacia post adhibita omnia media, ad eum removendum ab illa, concedo, quod ob contumaciam possit quis expelli. Do casum practicabilem. Localis Superior paternaliter jubet *Cajo*, ut pro defectu, a se commisso, subeat pœnitentiam, taxatam a Statuto pro tali defectu. Renuit *Cajus* obedire. Superior induit personam Judicis, & formali præcepto sanctæ obedientiæ monet, ut obediat. *Cajus* adhuc persistit inobediens. Post datum tempus conveniens resipiscendi, Superior renovat secundum mandatum præceptorium. *Cajus* nec tali præcepto vult parere. Post congruentem moram Superior renovat tertium præceptum peremptorium; & *Cajus* semper obduratus persistit. Superior pronunciat esse contumacem, illumque carcerare facit. Post congruens tempus carcerationis Superior Provincialis construit processum, ac Reo, ante se constituto, illi jubet, ut a contumacia recedat, & præcepto Superioris localis obediat, aliter graviori pœna urgebitur. *Cajus* pari modo in sua protervia persistit. Provincialis profert contra eum sententiam excommunicationis, iterumque carceratum mulctat jejuniis in pane, & aqua. Obstinatus *Cajus* profitetur se potius moriturum, quam injunctam pœnitentiam adimpleat. Ad extremum remedium confugit Provincialis, ac eum solemniter anathematizat; nec per hoc *Cajus* resipiscit. Quid faciet Provincialis? Certe ex tali contumacia potest, imo ad exemplum aliorum, debet eum expellere a Religione.

68 Ratio est, quia ex Canone, *text. in cap. final. de stat. Monach.* quem dedimus supra *num. 9.* injungitur Superioribus, ut Monachos contumaces, ac rebelles *eijciant ab ovili, ne inficiant oves sanas.* Contumacia autem, & rebellio, dum est perseverans (ut in allato exemplo dictum est), non est unum, & simplex crimen, sed (quidquid sit de unitate, theologice considerata), multiplex est; nam pœnæ prædictæ carcerationis, excommunicationis, & anathematis succedunt loco canonicæ monitionis; & sicut vere se proderet incorrigibilem, qui post pœnam, quam subiit pro tribus distinctis criminibus, noviter delinquit, ita talem se manifestat contumax, qui post triplicem monitionem, & pœnam adhuc in contumacia perseverat, ita ut quivis actus contumaciæ, qui fit post factum præceptum, & pœnam datam, induit rationem novi, ac reiterati criminis. Etenim contemnere pœnam, sub obedientia injunctam, est de novo graviter peccare, ex Bonacina, & aliis. *Bonac. de cens. q. 2. p. 12. § 1. num. 6. Riccio p. 4. decis. 102 & p. 1. decis. 87. Novit. Lucerna regul. V Incorrigibilis.* Sicut igitur expelli potest incorrigibilis post trinum delictum, & pœnam; sic eijci pariter potest perseverans in contumacia.

69 Nec tamen tenet consequentia argumenti, scilicet arguendo sic: potest fieri expulsio ab Ordine propter delictum contumaciæ: ergo poterit etiam fieri pro uno alio atroci delicto. Consequentia enim est falsa; nam contumacia perseverans habetur pro crimine replicato, ut dictum est; tale autem non habetur delictum, semel commissum; proinde expulsio fieri potest pro illa, & non pro isto.

70 Ad sextum, concedo, quod ob delictum atrox potest Religiosus damnari ad triremes, ad quam pœnam ex consequenti inducitur expulsio; negatur tamen consequentia, quod liceat directe, & per se fieri expulsio. Ratio est, quia multa licent in consequentia ad aliud licitum, quæ tamen directe, per se, ac principaliter fieri nequeunt; ut exempli gratia: Prælatus Provincialis potest alium Prælatum, sibi subalternum, excommunicare, ad quod sequitur, quod iste jurisdictione, & administratione privatur; non tamen potest ille solus illi administrationem adimere, ipsum suspendendo ab Officio, ut alias *Par. I. tit. 3. Can. circa recursum. num. 93.* fuse probavimus.

61 Ad septimum, dicimus, quod practice non potest dari casus, in quo non possit resarciri damnum Religionis, nisi per expulsionem, cum illud melius reparetur per damnationem Rei ad triremes, ut supra *num. 63* probatum est. Ad ultimum, dicimus, juri antiquo tunc standum esse, quoties nova sanctio æqui ponderis opposita non successit; cum enim præfato privilegio Pii V. pro Ordine Sancti Hieronymi in Hispania successerint Decreta Sacræ Congregationis, authoritate, & approbatione Urbani VIII., & Innocentii XII. edita, his est omnino parendum, & in his sola incorrigibilitas, & quidem juris, non facti, dat locum expulsioni. Concluditur proinde, quod per primum delictum, quamvis enormissimum,

non

non poteſt expelli Religioſus ab Ordine ſuo.

QUÆSTIO VII.

An ad incorrigibilitatem requiratur recidivatio in idem crimen ſpecie; an vero ſufficiant alia delicta ſpecie diverſa?

SUMMARIUM.

72 *Incorrigibilitas tribus modis manifeſtari poteſt.*
73 *Exempla manifeſtandæ incorrigibilitatis.*
Relabitur in hæreſim, qui reincidit in aliam, ſpecie diverſam a prima.
74 *Replicat delictum in Ordine ad expulſionem, qui labitur in crimen, a cæteris diverſum.*

72 RESpondeo, quod ſupra non ſemel dictum eſt, quod ſola, & legitima cauſa expulſionis juſtæ, eſt Expellendi incorrigibilitas. Porro hæc triplici modo manifeſtari poteſt, nempe unum grave crimen committendo, & contumaciter illius pœnam ſubire recuſando, ut quæſtione ſuperiori probatum eſt; & dicunt *Mol. de Irregular. lib. 5. cap. 26. num. 4. Sayr. de Cenſur. lib. 5. c. 21. num. 37. Sanch. lib. 6. moral. cap. 9. n. 4. apud Paſſerin. de ſtat. hom. tom. 3. q. 189. art. 8. num. 563.* Alio modo, incurrendo (poſt debitam punitionem) iterum, atque iterum in idem ſpecie delictum. Tertio modo, patrando alia gravia delicta, ſpecie diverſa, poſtquam de prioribus caſtigatus fuit ad normam legum; & juxta hos duos poſteriores modos, Conſtitutiones Ordinis Minorum de Regulari Obſervantia, referente *Roderico, Stat. Toletan cap. 6. de Incorrigib. Stat. Valliſolet. ann. 1593. tom. 1. quæſt. 30. art. 14.* ſtatuerunt quidditatem incorrigibilitatis.

73 Ex dato fundamento reſolvitur propoſita quæſtio, quod nempe ita ſe prodit incorrigibilem, qui, poſt punitionem de ſecundo, & tertio delicto, iterum committit aliud delictum, ſpecie diverſum a jam patratis, ſicut qui poſt ſimilem punitionem, non veretur idem cum prioribus ſpecie crimen committere. Et hoc ſuadetur exemplo. Siquidem incorrigibilitas voluntatis depravatæ ſymbolizat cum inſanabilitate corporea, ita ut, ſicut inſanabile dicitur corpus, in quo regnat diſcraſia humorum, (a qua procedit quævis ægritudo) cui non proſunt adhibita quævis pharmaca; ita incorrigibilis dicitur animus vitioſus, cui minime proſunt correctiones, monitiones, ac pœnæ ad illum reducendum ad ejuranda vitia. Quemadmodum igitur magis inſanabilis proditur æger, qui curatus ab una infirmitate, ſtatim labitur in aliam, ſpecie diverſam, quam, ſi poſt adhibitam curationem, in priorem ægritudinem reincideret; ita pariter magis incorrigibilis proditur, qui ſpecie differentia poſt punitionem committit, quam qui in idem delictum relabitur. Ratio iſtorum eſt, quia reiteratio ejuſdem delicti poteſt eſſe effectus naturalis proclivitatis ad illud ſpecie crimen, homine alioquin in cæteris affectibus compoſito; ut quis poteſt eſſe in cæteris virtutibus moralibus exercitatus, at ex proclivitate corruptæ naturæ in re venerea incontinentiſſimus. At quando promptus eſt ad omnia ſcelera, demonſtrat ſe habere voluntatem totaliter depravatam, & ex mera malitia peccare; & ſic magis ſe prodit incorrigibilem. Quod magis convalidatur argumento juris; nam quemadmodum relapſus in hæreſim dicitur non ſolum ille, qui relabitur in eamdem ſpeciem hæreſis, ſed etiam qui reincidit in aliam hæreſim, ſpecie diverſam, ut ex jure alias probavimus *Tract. de delict. & pœn. tit. 2. §. hæreſis. n. 12. text. in c. accuſatores §. ille quoque. de hæretic. in 6.* Illud idem, quod operatur reincidentia in hæreſim in ordine ad pœnam ordinariam, operatur etiam replicatio delicti in ordine ad incorrigibilitatem, & expulſionem: & ſicuti reincidentia in hæreſim, diverſam ſpecie ab jam abjurata, facit aliquem hæreticum relapſum, & ordinaria pœna puniendum, ita etiam patratio delicti, ſpecie diverſi a jam commiſſis, reddit Religioſum incorrigibilem, & expellendum.

74 Pro praxi igitur reſolvendum eſt, quod, ſi quis primo punitus de furto; mox de fornicatione; tertio de apoſtaſia; denuo delinquit proprietate, expelli poteſt ab Ordine non minus, ac ſi ter de eodem ſpecie crimine fuiſſet punitus, & ſic firmant *Anton. a Sp. S. conſult. 74. num. 3. Petr. ab Angel. Ord. judicial. cap. 26. num. 2. & ibi Panorm. Sayr. Ald. et. Sanch. Paſſerin. de ſtat. hom. d. t. 3. q. 289. art. 8. num. 563. & ibi Bonac. de clauſ. quæſt. 2. punct. 12. §. 1. num. 6. Ricc. par. 4. deciſ. 102. & par. 1. deciſ. 87. Novar. lucern. Reg. V. Incorrigibilis. Roderic. tom. 1. quæſt. 30. art. 14.*

QUÆSTIO VIII.

An tria delicta punita, licet minime judicialiter probata, ſufficiant ad expulſionem?

SUMMARIUM.

75 *Notorium triplex, ſcilicet juris, præſumptionis, & facti.*
76 *Delicta, per quæ fit expulſio, debent eſſe notoria notorietate juris.*
Notorietas juris ex quo naſcatur.
77 *Sufficit, quod delicta probentur per unicam ſententiam.*
78 *Superior, caſtigans in Foro paterno, plene implet legis mentem.*
Efficacior caſtigatio eſt paterna, quam judicialis.
79 *Trina punitione paterna, inutiliter tentata, poteſt decerni carceratio in ordine ad expulſionem*
80 *Prærequiſita ad carcerationem probatoriam.*
81 *Quid ſi trina delicta fuerint punita tantum paterne.*
82 *Modus illa probandi.*
83 *Pœnitentiæ notabiles, quæ nam ſint.*
Quid, ſi pro levi delicto pœnitentia gravis indicta ſit.
84 *Continuitas trium delictorum, unde deſumatur.*
85 *Emendatio vitæ oſtenditur poſt triennium bonæ converſationis a commiſſo crimine.*
86 *Triennalis abſtinentia a crimine, non ſemper ſufficit, ut quis declaretur emendatus.*
87 *Non eſt vere pœnitens, qui aliqua delicta corrigens, cætera non curat.*

75 Respondeo, quod, ut ex *D. Bonaventura q. 14.* tradit *Rodericus, in Reg. Minor. tom. 1. quæst. 30. art. 14.* ad expulsionem requiritur, quod delicta, & incorrigibilitas Expellendi sint notoria. Cum autem notorium triplex sit, nempe juris, præsumptionis, & facti, *Abb. in cap. vestra 7. num. 3. & num. 14. de cohab. Cler. & mul.* inquirimus, an tria delicta, punita aliqua pœna, non tamen probata judicialiter, & proinde non per sententiam Judicis, sufficere possint ad expulsionem; & affirmative respondeo.

76 Pro fundamento responsionis suppono, quod, ut habetur ex toties citato Decreto Sac. Congregationis, dato supra *num. 18.*, nequit fieri expulsio, nisi *instructo processu, & plene probatis causis expulsionis*; quod idem est, ac dicere, quod delicta repetita, quæ sunt causæ expulsionis, debeant esse notoria notorietate juris quæ nascitur ex sententia Judicis emanata, aut ex confessione Rei, aut ex clara probatione, prout habet loco citato *Abbas, argumento l. 1. ff. de re judic. l. Ingenuum. 25. ff. de stat. hom. cap. cum inter. 13. de sent. & de judic.* ex quibus habetur, quod *res judicata pro veritate accipitur*. Porro duplici modo potest accipi probatio trium delictorum. Uno modo, quod quodlibet delictum singillatim separatum ab aliis fuerit judicialiter, & per sententiam punitum. Alio modo, quod tria delicta non fuerint punita a Superiore ut Judice, sed tanquam Patre, & reddita sint notoria notorietate facti ex consequentia, puta, ex pœnitentia aliqua notabili, quam Reus publice subiit, quæ publicitas notorium facti inducit, *Archidiac. in cap. de manifesta. 2. q. 1.* & mox in processu prævio ad expulsionem via judiciali probetur Expellendum, de tribus illis delictis fuisse punitum, & ex consequenti probatum remaneat, quod Reus illa tria delicta commisit, ob quæ punitus fuit.

77 Sensus ergo hujus quæstionis est, an delicta debeant esse probata primo modo, nempe per distinctas sententias correspondentes singulis delictis, aut potius sufficiant probata secundo modo, & per unicam sententiam; & intrepide affirmo sufficere, quod probentur per unicam sententiam, quamvis ipsa non fuerint singillatim probata per sententiam judicialem. Fundamentum est, quod ad expulsionem sufficit sola, & unica incorrigibilitas, quæ nascitur ex reiteratione gravium delictorum, & invaliditate mediorum, quibus usus est Prælatus ad reducendum Reum ad bonam frugem. Ergo, si Prælatus usus est mediis efficacioribus ad procurandam Rei conversionem, & ipse post ea adhuc manet induratus, & denuo delinquit, probata fortius remanet ejus incorrigibilitas. Probavimus autem alias, *Pract. crimin. illustr. par. p. tit. pœnarum. num. 30.* quod correctio inter Regulares magis importatur castigando via paternali, quam judiciali; & consuluimus Superiores, ut hac via utantur in gravibus, & etiam nonnullis gravioribus delictis, tum quia hoc fit expeditius, quam per processus; tum cum minori perturbatione Fratrum; tum ob carentiam peritorum intra Claustra in bene fabricanda inquisitione; tum quia Reus acceptabit libenter pœnitentiam, paternaliter inflictam, qui alias renuet, & effugiet ab eadem, illata per sententiam, a qua appellabit, & defensores inveniet, & pœnas eludet, & Superiorem ridebit, & ex impunito delicto evadet pejor.

78 Itidem in punitionibus Regularium non servatur usquequaque juris ordo, ex Canonis præscripto, *text. in c. Qualiter, & quando. 24. de accu. c. Per tuas 32 de Simon. Clem. Sæpe §. verum. de verb. sign.* Si ergo ex facti veritate, inspecta sine processu, Superior castigat in Foro paterno, plene implet mentem legis, requirentis punitionem trinam in delinquente, antequam declaretur incorrigibilis. Quia mens legis est, ut efficacioribus mediis utatur Superior in procuranda Subditi emendatione: efficacior vero via est castigare paterne, quam judicialiter, quia Subditus plus emendatur per illam, quam per hanc.

79 Dicetur forte contra hæc, quod in Decreto, dato supra *num. 20.* habetur, quod Superiores *nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas Fratrum suorum, fere in profundum malorum delapsas, antequam gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur*; non esse autem tentata omnia media, si delicta non sint punita pœna ordinaria per sententiam judicialem. Sed ad hoc respondeo, negando assumptum. Quia, cum efficacior ad conversionem Subditi sit punitio paterna, quam judicialis, ut supra ostensum est, certe plus adimplet mentem Decreti supradicti Superior, qui efficaciori utitur medio ad conversionem Subditi, puniendo paternaliter, licet delicti pœna extraordinaria sit, & minor, quam procedendo judicialiter, in quo modo, licet pœna infligatur major, minorem tamen habet efficaciam ad procurandam emendationem. Unde concludendum est, quod ter tentata inutiliter hac via, paterne scilicet puniendi, optime potest decerni juridice carceratio in ordine ad expulsionem; & huic sententiæ adstipulatur etiam *Sanctor. de pœn. cap. 19 quæst. 4. vers. Hic dubitari fol. 261.*

80 Verum tamen est, quod, antequam deveniatur ad Rei carcerationem, pro extrema probatione incorrigibilitatis, debet judicialiter constare de tribus delictis; hoc est, antequam Judex decernat carcerationem semestrem, ad probandam formiter incorrigibilitatem, debet instruere processum, in quo per legitimas probationes appareat, Reum ter graviter deliquisse; ter fuisse punitum notabilibus pœnitentiis, & nunquam fuisse correctum; & ratio est, quia in toties citato Decreto, dato supra *num. 18.*, habetur, non posse ad expulsionem procedi, *nisi instructo processu, & plene probatis causis expulsionis*: causa porro legitima expulsionis est incorrigibilitas; sed hæc importat tria essentialia, nempe triplex crimen, triplicem pœnam, & perseverantiam in mala vita. Sequitur ergo, quod de omnibus his debet haberi concludens, & plena probatio.

81 Sed, si trina delicta punita tantum fuerint paterne, & non lata sententia in scriptis, (ut probatum est sufficere) & quomodo poterit Superior illa concludenter probare?

82 Respondeo. Quod in nonnullis Religionibus (prout est in Ordine Minorum de Observantia, ut diximus *Pract. crim. illust. par. 1. tit. Pœnarum n. 142.*) mos est, quod in Archivio Provinciæ, aut Monasterii habeatur liber, in quo registrantur sententiæ tum civiles, tum criminales; & memoriæ notabilium pœnitentiarum, quæ etiam paternaliter inflictæ sunt ob grave alicujus crimen, extrajudicialiter punitum; & tali libro plene datur fides, & plene ille se solo, absque Testium examine probat, ut ibidem ex *Sanctoro de Pœn. cap. 19. quæst. 4. vers. Respondeo affirmative fol. 262.* docuimus. Si ergo talis liber habeatur, facilis est probatio. Nam potest

test

test compulsari ex eo transumptum authenticum pœnitentiarum &c., & inseri in processu. Si autem talis liber non habetur ex stylo Religionis, aut forte incendio, aut furto periit; aut ex eo lacerata, aut avulsa sunt folia, in quibus talium delictorum servabatur memoria; sive etiam ex incuria Secretarii illa registrata non fuit, probatio debet fieri per Testes, qui deponant de tali, & tali pœnitentia notabili, facta tali tempore, ob tale delictum &c., & in secunda Parte dabimus horum omnium formulas.

83 Duo tandem circa supradicta adnotanda sunt. Primum est, quod pœnitentiæ impositæ, licet in Foro paterno, debent esse notabiles, & quæ datæ sint ob delicta gravia extraordinarie. Difficile autem est circa hoc assignare in individuo, quæ possit appellari pœnitentia notabilis. Ratio est, quia talis qualitas variatur pro varietate Religionum, Provinciarum, locorum, personarum. Nam carceratio in una Religione, seu Provincia pœna ordinaria est, quæ in alia erit infamatoria. Publica flagellatio in Refectorio notabilis erit Sacerdoti gravi, quæ Clerico notam aliquam non inuret. Notabilis ergo dicenda est pœnitentia, quæ, spectatis circumstantiis modi, loci, ac personæ, reddit pœnitentiatum notatum, & affectum ignominia apud cæteros Religiosos, & hoc ratione criminis, ob quod fuit inflicta. Ratio est, quod, ut diximus *Pract. crim. illustr. part. 1. tit. Canones num 87*, pœnitentia non infamat, (cum sit actus virtutis) sed crimen, ob quod hæc subitur. Sequitur ergo, quod, si indiscretus Superior pro defectu levi, aut crimine, minime ex gravioribus, extraordinariam, gravemque pœnitentiam injunxisset, non tamen illa potest de jure vocari pœnitentia notabilis, nec inservire in ordine ad expulsionem; & ad hoc punctum bene advertant Advocati; si enim Superior animosus in Subditum ipsum pœnitentia insolita, & infamatoria aggravat pro defectu, aut delicto, non valde gravi, talis pœnitentia non est censenda notabilis; sed ad hanc requiritur, quod cum gravitate pœnæ habeatur pariter gravitas delicti.

84 Secundum est, quod (ut monuimus *Pract. crim. illustr. part. p. tit pœnarum num 38.*) tria delicta, de quibus locuti fuimus supra, debent habere quandam moralem continuitatem, ut ex recidivatione in ea possit colligi incorrigibilitas. Continuitas autem talis argui debet ex brevitate temporis, intra quod delicta illa fuere commissa. Si enim Religiosus in juventute punitus fuit de apostasia, & post per quatuor, aut sex annos religiose vixit; & post rixatus cum alio, eum percussit, & ad normam Statutorum punitus est; post quam pœnam per multos annos morigerate conversatus est: subinde in fornicationem lapsus est, non puto, tria hæc delicta copulari posse ad expulsionem. Ratio est, quia de singulis delictis pœnituit, & post singula emendationem ostendit, unde ex illis non potest colligi incorrigibilitas; sicut non potest dici insanabilis æger, qui ex pluribus infirmitatibus curatus pharmacis, post singulas convaluit, licet denuo post aliquod tempus bonæ valetudinis, infirmatus sit; sed insanabilis vocatur, qui habituali ægritudine laborat, & vix per remedia curatus a simptomate morboso, iterum, atque iterum in alia simptomata ejusdem, aut diversæ speciei reincidit, ut podagricus, qui post liberatos pedes, torquetur chyragra, mox gonagra, aut nephriticis doloribus, aut diabete &c. laborat.

85 Quod si quæratur, quantum tempus requiratur, intra quod commissa, & repetita delicta dicantur habere moralem continuitatem: dico, quod de hoc non potest dari firma regula; unde arbitrio Superioris judicanda relinquitur. Tamen, ut dicunt *Dyn. in Reg. semel malus de reg. jur. in 6 Roman. cons. 236. num. 5. vers. Sed tex. num. & num 6. vers. Sed casum. Clar. quæst. 21. vers. Ben' verum.* emendatio vitæ ostenditur post triennium bonæ conversationis, a commisso crimine; & circa hoc habemus textum, expressum in *Novell. de Monach. coll. 1. §. 1. vers. Nequaquam*, in qua habetur sic, *Sufficit ad mediocrem purgationem peccatorum, & ad virtutis argumentum triennalis temporis testimonium*. Si ergo post commissum crimen quis bene vivat per continuum triennium, ipse proditur emendatus; & si ex post noviter delinquit, non potest per hoc dici, primum delictum continuari cum alio, nec dici, quod delicta illa habeant moralem continuitatem.

86 Sobrie tamen adhuc talis regula, accipienda est, nempe eam veram esse, si mutatio vitæ talis sit, ex qua argui possit vera emendatio; ita ut, si ex post in aliud grave delictum relabitur, dici queat, quod ex humana fragilitate, ac Dæmonis tentatione deliquerit, & non ex perseverante malitia: Rem declaro exemplo. Sit Frater habituatus in defectibus, de quibus exempla dedimus supra *num. 50.*, qui grave crimen commiserit, quod judicialiter punitum sit. Mox soluta pœna, antiquam conversationem continuet, relaxate vivendo; fugiendo a choro; indevote celebrando; turpia loquendo &c., & post tres annos aliud grave delictum ejusdem, aut diversæ speciei cum primo committat: & post hujus punitionem, in vita pristina perseveret, & alio simili crimine post tres annos delinquat; profecto illa tria delicta moraliter dicuntur continuari; illudque triennium intermedium, in quo non deliquit graviter, non potest de jure vocari tempus emendationis. Ratio est, quia emendatio vitæ fit per pœnitentiam veram, & non per falsam; sed, ut ait *Innoc. II. in Concil. Later. cap. 22. & habet. in cap. Fratres. de pænit. dist. 5. Falsam pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de uno solo pœnitentia agitur, aut cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio*. Sic accidit in talibus Religiosis relaxate viventibus, qui de gravi crimine admisso quidem pœnitent, falso tamen pœnitent; quia non discedunt ab aliis vitiosis habitualibus imperfectionibus, quæ licet consideratæ, ut singulæ, non valde graves sunt; sed complexive sumptæ evadunt graves, si non theologice, saltem politice.

87 Animadvertant ergo ad hæc Superiores, & non admittant, emendationem vitæ fuisse in talibus, qui post commissa gravia crimina, ob quæ fuere puniti, si totaliter non induerint religiosos mores, & pravam antiquam conversationem non exuerint, & sic per triennium ad minus perseveraverint. Nec etiam eos juvare debet, si per sex menses, aut annum mutationem exactam præsetulerint, & mox ad pristinas relaxationes revertantur, quo minus eorum gravia delicta continuentur, nec unquam vere emendatos se produnt. Quia ad incorrigibilitatem non requiritur, quod jugiter gravia delicta committant, sed sufficit, quod post illa punita ostendant perseverantiam in habitualibus vitiis. Ratio est, quia una, & eadem est radix, ex qua prodeunt delicta gravia, & imperfectiones vitiosæ, nempe malitia humana, ob quam Deus nec amatur, nec timetur. Unde quantumvis aliqualiter mortificata ostendatur,

ita ut grave delictum novum non progerminet: vigere tamen adhuc se ostendit, dum continui malitiæ sureuli in pravis moribus luxuriantur. Suadentur supradicta hoc exemplo. Si aliquis semel ex podagra graviter decubuerit; ex post per tres annos decumbere coactus non sit; tamen habituali pedum, ac artuum dolore molestari solitus sit: expost iterum ex passione ischiatica decumbat, & recuperet valetudinem quidem, ita ut surgat; tamen in consueta membrorum imbecillitate perseveret per alios tres annos; post quos chiragrico gravi simptomate iterum laboret, profecto non dicetur ille ullo modo curatus ab arthritide: nam habituales illæ molestiæ, ac dolores, ostendunt fluxionem icorosam, quæ talium simptomatum unica causa fuit, nunquam cessasse, licet gravia simptomata non continuaverint. Pari modo non poterit dici sanatus a malitia sua, & emendatus ille, qui graviter deliquit, si post punitionem criminis moribus imperfectis ostendit morbosum animum ex malitia perseverante; & sic triennalem abstinentiam a gravi crimine insufficientem esse ad declarandam in eo emendationem.

QVÆSTIO IX.

An tria delicta commissa, & non punita, nec judicialiter probata, sufficiant ad expulsionem?

SVMMARIVM

88 *Quomodo delicta, licet vere commissa, & de quibus facta est inquisitio, remaneant improbata, & impunita.*

89 *Delictum pro quo quis inquisitus fuit, & absolutus ab observatione judicii, non facit ad expulsionem.*

90 *Delicta impunita, & præscripta, an faveant ad expulsionem.*

91 *Delicta plura non præscripta, sed punita per unicam pœnam, an faciant ad carcerationem pro expulsione.*

Punitio debet esse trina, ac separata.

92 *An sit sufficiens, delicta fuisse semiplene probata.*

88 Respondeo, quod quæstio hæc potest dupliciter in facto variari. Vno modo, quando ex notitia, habita commissi delicti, Superior aut ex officio, aut ad instantiam partis, debitam inquisitionem instituit, sed concludenter non constat de delictis (licet vere commissis) ob defectum probationis ex causa legitimarum exceptionum contra Testes, ob quod Iudex pronunciare debuerit, rebus sic stantibus, Reum esse absolvendum ab observatione judicii. Alio modo, quando delicta fuere vere commissa, sed Superior, præventus benevolentia erga Reum, factionarium suum ex adhærentia personali, aut nationali, sopit famam delicti, illud dissimulat, jactat esse dicteria malevolorum, nec processum instituit; aut si cogitur inquisitionem incipere, Testes aut subornat, aut terret, interrogationibus ad rem non facientibus, fatigat, ita ut in aliquam contradictionem inducat, ob quam via sternatur Patrono Reum defendendi. In utroque sensu accipi potest quæstio.

89 Dico ergo, quod, si agatur de primo casu, delicta, in quibus facta debita inquisitione, pronunciatum fuit, non esse probata, & ex consequenti Reum fuisse absolutum ab observatione judicii, nullo modo possunt facere ad expulsionem. Ratio est, quia illa habentur pro non factis, quia, quantumvis realiter sint commissa, ex eo, quod in judicio probata non sunt, habentur pro non commissis; nam paria sunt aliquid non esse factum, & non esse probatum, *Jo. de Imola. cons.* 129. *circ. fin. Surd. decis.* 149. *num.* 2. *Tusc. lit. P. concl.* 84. *nu.* 7 *Barbos. axiom.* 174. *nu.* 10. proinde assumi non possunt pro fundamento ad expulsionem, & sic firmant *Ricc. par.* 4. *decis.* 102. *in fin. Donat. prax. rer. regul. par.* 2. *tr.* 8. *quæst.* 14. *apud Pasqual. ad Franc. num.* 1069. Et hoc accipiendum est, non tantum, quando omnia tria delicta probata minime sunt, sed etiam, quando probato uno, aut altero, tertium non probatum, non potest cum probatis conjungi, habendum enim est, ac si minime fuisset, ob datam rationem.

90 Si vero agatur de secundo casu, distinguendum est; nam, vel delicta sufficienter præscripserunt, vel non. Diximus alias, *Prax. crim. illustr. tit. Patronus num.* 91. *& seqq. par.* 1. *& tract. de Delict. & pœn. tit.* 1. §. 2. *num.* 38. *&* 39., quid sit delictorum præscriptio, & recensuimus tempus requisitum ad præscribendum juxta unamquamque speciem delicti. Nunc repetimus, quod actio injuriarum ex lapsu unius anni a commisso delicto perimitur, *Text. in l. Si non convicii C. de injur. l.* 17. §. 6. *in fin. ff. eo. tit.* Actio de dolo præscribitur biennio, *Bibl prax. crim. quæst.* 94. *num.* 9. Fornicatio simplex triennio præscribitur. *Guazzin. Reo defens.* 2. *cap.* 2. *n.* 52. Delicta carnis, de quibus loquitur *lex Iulia de adulter.*, quinquennio præscribuntur, si simplicia sint, *text. in l. Mariti* §. *sex mensium ff. de adult. l. Querela C. ad. l. Corn. de fals. & ibi Dionys. Gothofred. lit. I.* si autem sint complicata, utpote, si adulterium esset cum incestu, requiritur longius tempus ad præscribendum, *Guazzin. loc. cit. num.* 46. *&* 47. Universaliter cætera delicta spatio viginti annorum præscribuntur, ut sanxit Imperator, *text. in l. Querela C. ad l. Cornel. de fals.* ita ut neque per viam inquisitionis ex officio, neque per viam denunciationis, querelæ, aut accusationis ad instantiam partis Iudex potest de illis cognoscere. *Jul. Clar. quæst.* 51. *init. & ibi Abb. in cap. Cum haberet num.* 4. *de Eo qui dux in mat.* Bene tamen cognoscere potest per viam exceptionis, *text. in l. Pure* §. *final. ff. de dol. mal. l. licet. C. de except.* Temporalia ad agendum sunt perpetua ad excipiendum, ut firmant *Felin. in cap. licet col.* 18. *vers. Tertium remedium de probat. ubi Abb. Butr. Imol. Andreæ. Sicul. Aufret. ad Capell. Tholos. decis.* 188. *in fin. Boer. decis.* 26. *numer.* 7. Atrocissima autem delicta nullo tempore præscribuntur; *ut Hæresis, læsæ Majestatis, Parricidii,* (sive realis, ut genitorum carnalium; sive similitudinarii, ut Sacerdotis) *Assassinii, Falsæ monetæ, Simoniæ, Abortus animati procurationis, Suppositi partus, Coitus nefandi, bestialis, aut sacrilegi,* de quibus *Passerin. Tribun. Regular. quæst.* 26. *art.* 9. *nu.* 113.

91 Si ergo delicta sufficienter præscripserunt, clarum est, quod ad expulsionem minime sufficiunt. Ratio est, quia, ut toties supra inculcatum est, sola incorrigibilitas est fundamentum expulsionis, & illa supponit punitionem delictorum, quæ, cum in casu non intervenerit, nequit illa justificari. Si vero non præscripserunt, & probari concludenter possit, quod accusator, aut Iudex prævaricatus sit; aut territi,

seu

ſeu ſubornati Teſtes fuerint, proinde Reus punitus non ſit, poteſt Superior emendare negligentiam Prælati prædeceſſoris, & probata prius prævaricatione, ut ſancit *text. in l.3. §.1. de prævaric.* inſtituere novum proceſſum, & Reum ad normam juris punire. Dato tamen, quod de tribus delictis, diverſis temporibus commiſſis, unico proceſſu inſtituto, puniret, adhuc illa tria non ſufficerent, ut poſſet carcerari ad expulſionem. Ratio eſt, quia non fuit punitus ter, ſed ſemel, licet trina fuerint delicta; nec inter unam, & aliam punitionem oſtendit perſeverantiam in mala vita, quæ eſt verum fundamentum incorrigibilitatis. Sed quæres: Quid dicendum, ſi delicta fuiſſent utique diſtinctis inquiſitionibus probata, non plene, & ad pœnam ordinariam, ſed ſemiplene, & ad pœnam extraordinariam; num famulari poſſent ad effectum expulſionis; dato, quod de punitionibus diſtinctis eſſet integra probatio?

92 Et reſpondetur negative, ſed requiri plenam probationem de utroque; nam Decretum non diſcernit inter punitionem, & delictum, ſed indiſcriminatim pronuntiat *Et plene probatis cauſis expulſionis*; ſed potior cauſa expulſionis non eſt punitio, ſed delictum, per punitionem non emendatum; & licet punitio delictum ſupponat, illud tamen neceſſario non infert, ergo probata punitione, non cenſetur probatum delictum. Quapropter, ſicut non dicitur relapſus in hæreſim, qui ſemel abjuravit ob levem ſuſpicionem, & poſt denuo accuſatur de hæreſi, *Cap. Accuſatus de hæreſ. lib. 6.*, ita neque poteſt dici recidivus in fornicationem, cujus probata fuit tantum ſuſpicio, & juxta eam tamen fuit punitus, ſi poſt hæc de fornicatione accuſatur. Ergo &c. ſi Conſtitutio exigit cauſas expulſionis, plene probatas; & de delictis, & de punitionibus plene, ac integre conſtare debet in judicio, antequam ſemeſtris carceratio ſtatuatur ad expulſionem. Quid autem juris, ſi Superior quidem de ſingulis delictis debitam inquiſitionem formaſſet, ac delicta probata fuiſſent; Superior tamen ex indulgentia, factione, ac benevolentia erga Reum, pœnitentias minime notabiles injunxiſſet? Dicam quæſtione ſequenti:

QUÆSTIO X.

An tria delicta commiſſa, & juridice probata, quibus a clementia Superioris, ſive a generali abolitione indulta eſt venia, ſufficiant ad expulſionem?

SUMMARIUM.

93 *Criminis abolitio duplex.*
94 *Delicta condonata, an faciant ad expulſionem.*
95 *Sententia aliorum Doctorum.*
96 *Opinio Auctoris.*
97 *Non cenſetur quis incorrigibilis, niſi omnibus mediis, ad correctionem inutiliter tentatis.*
98 *Sola monitio, & verbalis correctio de delictis, non ſufficiunt ad legitimum fundamentum incorrigibilitatis in ordine ad expulſionem.*
Superiores nil intentatum relinquere debent, ut lucrentur animas Subditorum.
99 *Plura delicta, per unam ſententiam punita, cenſentur unum in ordine ad expulſionem.*

93 RESpondeo. Quod, ut diximus *Tract. de delict. & pœn. tit. 1. §. 2. num. 41.* criminis abolitio duplex eſt. Una quidem generalis, (quæ ex aliqua magna cauſa, nempe publicæ lætitiæ, aut ob multitudinem, quibus expedit veniam indulgere ad evitandum grave damnum Reipublicæ, conceditur) alia vero ſpecialis, quæ dicenda eſt condonatio pœnæ, quæ fit poſtquam Reus condemnatus fuit a Judice inferiori, & ille conſequitur remiſſionem pœnæ a Judice ſuperiori, potente eam concedere. Senſus ergo quæſtionis eſt. Poſito generali indulto, conceſſo a D. N. Innocentio XII. 24. Julii 1694. omnibus Regularibus Apoſtatis, per quod abolitæ fuerunt pœnæ ob apoſtaſiam &c. (& ideo vocandum eſt abolitio generalis) ſive poſito, quod Reus damnatus ad talem pœnam a *Superiore* Provinciali, obtinuerit a Generali gratioſam relaxationem talis pœnæ; ſi Reus alia duo delicta committat, quæritur, an crimen, cui condonata fuit pœna, poſſit computari cum aliis, de quibus fuit punitus. Sive poſito caſu, quod Reus ter notorie deliquerit, *Superior* autem graviter quidem monuerit, non tamen debitas pœnas injunxerit, quæritur, an illa delicta ſufficiant ad fundandam incorrigibilitatem in ordine ad expulſionem?

94 Doctiſſimus *Roderic. tom.1. quæſt.30. art.15.* ſtatuit concluſionem, quod *impœnitens cor, id eſt incorrigibile, habet ille, qui contemnit clementiam, & bonitatem Judicis, delicta condonantis*, quam concluſionem deducit ex *Epiſtola ad Romanos cap. primo*, & prophetia *Iſaiæ. Cap. primo*; Unde deducitur, quod, ſi ſola incorrigibilitas eſt fundamentum licitæ expulſionis, delicta condonata, quæ ſufficiunt ad fundandam incorrigibilitatem, ſufficiant pariter ad legitimandam expulſionem.

95 *Paſſerinus de ſtat. hom. tom 3. q. 189. art. 8. num. 565.* abit in ſententiam *Roderici*, quem tamen minime citat, ſed advertit, quod, ſi Superior delicta Reo condonat, nulla inflicta pœna, aut notabili pœnitentia, contentus illum monere, ne in poſterum delinquat, oportet, quod delictum publicum ſit publicitate juris, aut facti, & quod monitio ſit judicialiter facta, quia, ut ipſe docet loco citato *n.569.* monitio extrajudicialis non ſufficit; neque etiam, ut fiat una monitio pro tribus, ſed debent eſſe tres diſtinctæ monitiones, ut patet ex *Portello V. Eijcere num. 1.*, & *Donato*, quos allegat. Poſito autem, quod Superior faciat monitiones, *ut præfertur*, ſi Reus adhuc delinquit, vult, poſſe declarari incorrigibilem, in ordine ad expulſionem. Fundamentum ejus aſſertionis eſt quædam Decretalis, *Cap. Contingit. 45. de ſent. excom.* in qua incorrigibilis declaratur Clericus, qui ter monitus ab Epiſcopo, ut degat in habitu Clericali, adhuc perſeverat in ſuo crimine deferendi veſtitum laicalem, & ideo privatur privilegio Clericali. Unde deducunt *Gemin. in cap. Neminem 45. Diſt. Buer, & Felin. in cap. Cum non ab homine de Judic. Celſ. Ugo conſ. 65. num. 2. Decian. tr. crim. lib.4. cap.9. nu. 130. Farin. quæſt 8. num 49. Graff. Cleric. effect.1. nu. 798. Majol. Sayr. Graff. Sanch. apud Paſſerin. de ſtat. hom. t. 3. quæſt. 189. art. 8. nu.565.* concluſionem, quod trina monitio ſufficit (ſi non proficit) ad reddendum aliquem incorrigibilem.

96 Sed ſalva talium Doctorum reverentia, dico, quod (quidquid ſit de jure antiquo in ordine ad privationem privilegii Clericalis) de jure novo, & in ordine ad expulſionem non ſufficit incorrigibilitas, quæ emergit ex perſeverantia in malo illius Rei, qui

ter

ter deliquit, & fuit ter simpliciter monitus, non inflicta ei pœnitentia ordinaria notabili. Ratio una, & quidem validissima est, quia mens Sacræ Congregationis expressa in ejus Decreto, quod dedimus supra *num.* 20., est, ut Prælati *nihil intentatum relinquant, ut lucrentur animas Fratrum suorum, in profundum fere malorum delapsas, antequam gravissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur*. Plane stat, quod, qui admonitione, ac correctione tantum verbali, quantumvis efficaci, & repetita, Reum a malo revocare satagit, si iste in sua malitia perseverat, non sufficientibus mediis usus est, ad procurandam ipsius emendationem.

97 Etenim, si inutilia verba experitur Pater in corrigenda insolentia filii, debet devenire ad verbera. Medicus in curando ulcere, si videt, quod hoc non curatur ab unguento, ad præceptum *Hippocratis* utitur ferro, & tandem igne, nec potest illud dici incurabile, nisi his inutiliter tentatis. Ita Prælatus non omnia media ad correctionem Subditi perversi tentavit, si in solis monitionibus, quantumvis canonicis, ac judicialibus consistit. Talium hominum natura, vitiis adsueta, surda est ad verba exhortatoria; induratur ad solas monitiones; & venia malefactis suis concessa, ad nova delicta fiduciam præbet, & ideo a *D. Bernardo apud Lancellot Reg. jur. Pontif. lib.* 2. *Regul. Inferiorum culpæ*. *Impunitas* vocatur *Mater scelerum, radix impudentiæ, transgressionum nutrix*.

98 Si ergo, ad hoc, quod aliquis vere incorrigibilis censeatur, oportet, quod Prælatus *nihil intentatum relinquat* ad reducendum Subditum ad bonam frugem, liquet, quod delicta condonata, & quibus adhibita tantum fuit monitio, ac verbalis correctio, quamvis repetita, non sufficiunt ad legitime fundandam incorrigibilitatem in ordine ad expulsionem, & sic etiam firmat *Laurentius Portellus dub. Regul. V. Ejectre n.* 2. *vers. Secundo nota*.

99 Nec sustineri ullo modo potest sententia *Sanctori de Pœn. cap.* 19. *quæst.* 1. *vers. Sed hic est fol.* 247. qui vult, quod, si aliquis Religiosus, pluries deliquit, inquietus est, cum omnibus litiget, est inobediens, perturbator, effrons, & exlex vivit, & Superiores amore, timore, vel alia causa ipsum impunitum reliquerunt, possit, (non obstante *Decreto de Ejectis*) contra ipsum juridice procedi, & in unico processu probari incorrigibilis Fratris; visa, & lata sententia, detrudi in carcerem ad expulsionis effectum. Etenim delicta, quæ non fuerunt punita, inepta sunt, ut probavimus, ad fundandam incorrigibilitatem. Si ergo puniuntur per unicam sententiam, quamvis plura fuerint delicta, tum specie, tum numero differentia, censentur (ad effectum expulsionis) pro unico delicto, quia una tantum est punitio, & diximus, tot debere esse distinctas punitiones suo tempore, hoc est post patrata delicta, adhibitas, quot fuere delicta. Non ergo plura delicta, diversis temporibus commissa, & unico processu, ac sententia punita, sufficere possunt ad hoc, quod possit decerni carceratio ad experimentum incorrigibilitatis.

QUÆSTIO XI.

An post trinam punitionem requiratur relapsus in eadem crimina, vel similia, antequam decernatur carceratio ad probandam incorrigibilitatem pro expulsione.

SUMMARIUM.

100 *Sententia Doctorum duplex.*
Opinio, quod de duplici delicto punitus, si iterum delinquit, nulla alia punitione præmissa, potest carcerari ad expulsionem.
101 *Opinio opposita, quod scilicet non possit carcerari ad expulsionem, nisi qui, post tertiam punitionem, iterum delinquit.*
102 *Adducitur textus pro hac opinione.*
103 *Sententia Authoris, medians inter eos, & illorum fundamenta.*
Ad carcerationem semestrem non requiritur relapsus, post tertium crimen.
Præsumpta incorrigibilitas non sufficit ad expulsionem, nisi sit talis de facto.
104 *Diluuntur fundamenta secundæ opinionis.*
Multa famulantur sententiæ interlocutoriæ, quæ non sufficiunt definitivæ.
105 *Carceratio illa inducitur, ut sit pœna, & medicina incorrigibili.*
Præsumptio incorrigibilitatis, inducta ex tertio delicto, non tollitur, nisi per triennium probatæ vitæ.
In recidivo punitur separatim consuetudo peccandi pœna distincta ab ea, quæ pro tertio delicto infligitur.
106 *Punita sive judicialiter, sive paterne de tribus delictis gravibus, commissis, decerni potest a Definitorio carceratio semestris ad completam probationem, absque ullo novo delicto.*

100 RESpondeo, Doctores in hac materia in duas oppositas abire sententias. *Alphonsus de Leme recoll.* 6. *num.* 320. *cum Pasqual. num.* 1061. inquiunt, quod de duplici delicto punitus, si iterum delinquit, nulla alia punitione præmissa, potest carcerari ad expulsionem. Huic sententiæ adstipulatur *Palaus tr.* 16. *dis.* 4. *p.* 19. *teste Passer. de hom. stat. quæst.* 189. *art.* 8. *nu.* 569. dicens, quod, si semel, atque iterum monitus fuit Religiosus, & punitus, & hoc non obstante, iterum recidit, non solum potest carcerari, sed etiam a Religione expelli, quamvis promittat correctionem, & sit paratus pœnam sustinere. Ratio est, quia, & si in eo non perseveret culpa, durat tamen in eo futuri criminis præsumptio, quia non præsumitur corrigendus sed potius similia comissurus, & hoc sufficit, ut detur locus carcerationi, & expulsioni. Idem sustinet *Umbertus, super regul. S. Aug. cap.* 99. affirmans, quod propter præsumptam incorrigibilitatem, potest Religiosus expelli, licet se offerat ad pœnitentiam.

101 Opposita sententia est ipsius *Passerin. loc. cit. Bord. tom.* 4. *par.* 3. *res.* 108. *Pelliz. tract.* 9. *c.* 4. *num.* 232. *Barb. ad dict. cap.* 10. *de Judic. num.* 10. quibus se subscribit *Sanctor. de pœn. cap.* 19. *q.* 2. quod scilicet non possit carcerari ad expulsionem, nisi qui post tertiam punitionem iterum delinquit, & ita pro hoc quarto delicto carceretur ad pœnam, & pro aliis ad experimentum.

102 Pro hac opinione adducitur textus ex cap.

Con-

Contingit, supra relato, *Parte prima hujus nu.*, 18; ubi sic habetur, *Mandamus, ut tales, si tertio a te commoniti, se ipsos contempserint emendare, illius efficiantur immunitatis extorres, quæ pro Clericorum tutela, & Laicorum violentia coercenda dignoscitur instituta*. Hinc deducunt, quod, si privationi Fori Ecclesiastici correspondet in Regularibus expulsio ab Ordine, ut supra innuimus. *P. 1. quæst. 5. num.* 53. Ergo sicut Clericus non privatur Foro Ecclesiastico, nisi contemnat post trinam monitionem resipisci; ergo neque Regularis poterit carceri probatorio mancipari ad expulsionem, nisi post trinam punitionem renuat emendari. Probatur quoque ratione dupliciter. Primo, quia carceratio semestris, novissime præsumpta ad experimentum incorrigibilitatis, fuit inducta ad effectum amovendi Incorrigibilem a sua pervicacia, & obstinatione in peccatis; sed tertio punitus, & (ut creditur) emendatus, non habet, a quo per carcerationem ammoveatur: ergo non nisi succedente contemptu, & relapsu post trinam punitionem poterit illam *Judex expulsionis* decernere. Alias justa, ac innocens esse posset Insontis impia vexatio: punitus enim, & emendatus, pro innocente habetur. Quare *Statutum Salmaticense in Ordine Minorum cap. 7. vers. Quicunq. fratr. Orb. Seraph. tom. 3. fol. 32. col.* 1. objicientes alicui delictum, de quo quis punitus, & emendatus fuit, velut Infamatores, & Calumniatores punit, & redarguit. Pariter secundo. Nam, si post tertiam punitionem, non subsequente relapsu, daretur locus semestri carcerationi, esset punitio bina in ipsum crimen, quod jura non approbant: ergo requiritur relapsus post tertiam punitionem (inquiunt) antequam decernatur carceratio ad probandam incorrigibilitatem pro expulsione.

103 In hac Doctorum varietate, media via incedendo, statuo conclusionem, quod scilicet antecedenter ad semestrem carcerationem, requiratur trina punitio de delictis, nec sufficiat bina, ut ajebat prima opinio, sed non requiri relapsum post trinam punitionem, antequam decernatur carceratio probatoria, ut innuebat secunda. Primum probatur, quia *Decretum Sacræ Congregationis* supra relatum, habet, quod *Vere incorrigibilis non censeatur quis nisi non solum concurrant in eo ea omnia, quæ ex juris communis dispositione requiruntur*. Hæc autem sunt trina monitio, & punitio, ut supra docuimus *Part. 1. quæst 6. num.* 62. & 64. *Verum etiam unius anni spatio probetur in carceribus*; ergo ex ordine judicii deducitur, quod trina punitio, independenter a carceratione, debeat ipsam præcedere: non ergo sufficit ad carcerationem, quod quis ter deliquerit, nisi etiam ter fuerit monitus, & punitus: & ita tenent Doctores omnes, citati pro secunda opinione. Hinc deduco, quod, si ad carcerationem prærequiritur trina punitio, ergo multo fortius ad expulsionem. Si aliquid prærequiritur de necessitate legis ad interlocutoriam, multo magis ad definitivam, ex qua gravamen redditur magis irreparabile. Falsum est ergo, quod affirmabat *Palaus cum Umberto*, eum, qui tertio deliquit, posse expelli, etsi emendationem promittat. Nec quod ibi adducitur de præsumpta incorrigibilitate in eo, qui non profecit ex prima, & secunda punitione, aperit ostium expulsioni, ut dicebant, eo quia *Decretum supra citatum*, *Par. 1. num.* 18. post carcerem probatorium, exigit relapsum, durationem pervicaciæ, antequam habeat locum expulsio, ut aperte habet Textus. *Et ipso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pervicacia perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat, ejici tandem possit*. Quare cum *Passerino de hom. stat. tom. 3. qu. 189. num.* 569. dicitur hanc præsumptionem incorrigibilitatis non consurgere, nisi ubi trinæ punitioni supervenit contemptus.

104 Ad fundamentum secundæ opinionis dicimus, quod jure illo ex *cap. Contingit*, tantum decernitur, (ut liquet) quod ad extremum privationis Fori Ecclesiastici remedium non deveniatur contra Clericum incorrigibilem, nisi trinæ monitioni superveniat contemptus, quod & nos de expulsione Regularis asserimus; non tamen sequitur, quod, si contemptus, sive relapsus, aut pervicacia in voluntate, post trinam punitionem, & monitionem prærequiritur ad definitivam de expulsione, ergo & ad interlocutoriam de carceratione, quæ est ultima dispositio ad illam; nam multa famulantur sententiæ interlocutoriæ, quæ non sufficiunt definitivæ

105 Ad primam rationem dicitur, quod carceratio illa fuit inducta, ut esset poena simul, & medicina, non tam curativa, quam præservativa: Pœna pro delictis, ut colligitur ex verbis *Decreti*, *unius anni spatio in jejunio, & pœnitentia probetur in carceribus*; jejunium enim, & pœnitentia sunt pœna peccati. Medicina quoque, ex eo, quod subditur, *Elapso autem anno si nihilominus non resipuerit*, datur enim ad curandam incorrigibilitatem, & ad præservandum a relapsu, ne detur locus extremo expulsionis remedio, veluti post ferrum igni. Nec inde sequitur, quia punitus, ergo emendatus: nam inter monito, ac punito, cum constet ipsum ex prima, & secunda punitione non profecisse, consurgit præsumptio inchoatæ incorrigibilitatis, quæ non tollitur, nisi per triennium probatæ vitæ, ut supra diximus *Par. p. qu. 8. num.* 65.. Quare negatur, quod ex quo carcer adjicitur illi, qui tertio fuit punitus, non expectato relapsu post trinam punitionem, ex hoc vexari innocentem; eo quia, licet qui semel peccavit, & punitus resipuit, innocens contemplatur non ita qui secundo, & tertio fuit punitus de patratis criminibus, in quo (esto punita fuerint delicta, seorsim sumpta) consuetudo vero peccandi immunis evasit: unde nec sequitur, binam punitionem cadere in idem crimen, quia, ut alibi docuimus. *Pract. crim. tit. 5. Pœnar. gen. n.* 35. Si carceratur, hoc est, in pœnam consuetudinis delinquendi, inductæ per triplicatum delictum, & est in probationem incorrigibilitatis: non ergo requiritur novum delictum post tertiam punitionem, quia per carcerationem punitur consuetudo, quæ punita non est, licet puniti sint actus singuli, per quos inducta est: & hac ratione Hæreticus, qui primo per abjurationem, & salutarem poenitentiam punitus fuit, si relabitur in hæresim, morte mulctatur, ut habet idem *Pal. tr. 10. disp. 4. pag.* 19.

106 Deinde, data superiori sententia, oportet, quod ante expulsionem quinquies deliquisset expellendus, nempe ter ante carcerationem, semel pro carceratione ineunda, & illa peracta, iterum pro effectu expulsionis. Atqui hoc inauditum est, nec apud ullum Auctorem invenitur necessaria patratio quinque criminum successivorum. Sequitur ergo, quod tribus delictis gravibus, commissis, & ipsis, vel ordinaria pœna per sententiam, vel sine

figu-

figura judicij paterne punitis, decerni potest a Definitorio carceratio semestris ad completam probationem, absque ullo novo delicto: quia per illam (ut dicimus) punitur consuetudo delinquendi, alias non punita, & initur legitimum experimentum incorrigibilitatis.

QUÆSTIO XII.

An ante decretum carcerationis semestris pro expulsione, audiri debeat Incorrigibilis, & defendi; Et num a tali decreto appellare possit.

SUMMARIUM.

107 *In omni sententia definitiva Reus primo audiendus, quam condemnandus, etiam in notorijs.*

Deprehensus inter duo contradictoria, non reconciliabilia, sine defensionibus torquendus est.

Quoties sententiæ transierunt in rem judicatam, non est, cur iterum Reus audiatur.

108 *Appellatio a decreto carcerationis, legitime edito, rejicitur tanquam frivola.*

Appellans ab interlocutoria, tenetur motiva appellationis aperire, non sic in definitiva.

Fundamenta legitima appellationis.

107 Respondeo, quod, quamvis in omni sententia definitiva debeat primo Reus audiri, & defendi, antequam contra eum pronuntietur, ut habent *Chort. decis. 69. num. 6 Alphons. de cens. eccl. 6. num. 2. 3. Guazin. defens. 29. c. 4. nu. 1. Dianæ. tom. 1. part. 2. tract. 13. qu. 69. nu. 8. Socin Sen. consil. 120. ex cap. Ecclesia 10. de constit.* quod & nos consuluimus etiam in notoriis, *Pract. crimin. tit. 3. can. circa recurs. §. 11. num. 57.* non id vero in omni sententia interlocutoria, & si agatur de damno irreparabili, prout est tortura. In istis enim sententiis frustra citatur, & auditur, quando citatus nil habet opponere, quod sit relevans, ut ex *Cap. cum sit & cap. consuluit. de appell.* deducunt *Abb. in cap. Ex insinuat. in fin. eo tit. c. 1. can. pass. & propr. Menoch. de arbitr. l. 1. qu. 17. num. 15. apud Monet. de conservat. c. 8. num. 23.* Licet enim & Testi, & Reo torquendis, ante torturam detur indiciorum copia, ad se tuendum, ut alibi docuimus *Pract. crim. tit. 16. tortur. qu. 2. num. 18.* dicitur tamen juxta *Clar. qu. 25. vers. solit. dubit. Bart. & Marsil. in leg. Unius §. Testes ff. de quæst. Brun. de Judic. qu. 4. num. 22. Gram. vot. 21. num. 21. Ruin. cons. 7 num. 1. lib. 5. Honuphr. Cimin. relatus a Farinac. qu. 3. nu. 147. Villagut. pract. lib. 8. c. 6. Bayard. qu. 25. nu. 6. Scacc. de Judic. cap. 100. num. 16. apud Sgroi. par. 4. c. 16. nu. 7.* exceptis; cum scilicet torquendi sunt de mendacio, proprio ore prolato, eo quia reperiuntur inter duo irreconciliabilia, quæ illis objecta non potuerunt conciliare; tunc enim absque indiciorum copia, & defensionibus torturæ adiguntur, eo quia illorum delictum nulla potest tergiversatione cælari. Sed carceratio semestris ad probandam incorrigibilitatem est ex Decreto interlocutorio, nam in eo non agitur de expulsione, nec est sententia expulsionis, sed se habet veluti probatio, seu testis ad illam; unde non transcendit limites interlocutoriæ, & ex alio capite, Religioso incorrigibili nil restat opponendum, quod sit relevans ad sui exculpationem, eo quia de tribus illis delictis jam fuerit separatim auditus, & defensus, & cum nequiverit crimen cælare punitus, punitionesque illæ, sive judiciariæ, sive paternæ (nulla interposita appellatione) transierint in rem judicatam, non est, cur de ijs iterum audiatur; quare illis habitis, poterit Judex expulsionis ex incontinenti (servatis in reliquo servandis) illum carceri probatorio mancipare.

Dices, quid ergo; si Religiosus incorrigibilis, audito carcerationis decreto, appellaret?

108 Respondeo, quod, licet, dum appellatio est a sententia ultimata, & definitiva, non teneatur Reus motiva appellationis allegare, sed sat sit, quod dicat: *Appello*, ut dicunt *l. Scio ff. de appell. l. 2. C. eo tit. Glossa in cap. Cum in Ecclesia eo tit. Sebast. Sapia in addit.* Tamen, quando appellatio est ab interlocutoria, ut in casu, tenetur Appellans fundamenta appellationis aperire vel in libello appellatorio, vel oretenus coram Testibus, alias appellatio frivola, & inanis evadit, ut habet textus cujusdam *Decretalis, Cap. ut debitus* & cum eo communiter. *Specul. par. 6. rubric. de appell. num. 147. Gemin. in cap. Cordi eo tit. in6. Abbas in cap. Cum in Ecclesia extra. eo tit. Bald. in l. Minoribus C. de his, quibus ut ind. Sanctor. de punis cap. 26. qu. 4. vers. sexta, si appellatio.* Ratio ad hoc esse potest, quia, ut alibi innuimus. *Pract. crim. tit. 3. can. n. 65.* Si Judex in appellatione ab interlocutoria audiat causam appellationis, propositam a Reo, potest de illa recogitare, & prout ratio urget, desistere a gravamine inferendo, sive revocare sententiam interlocutoriam: hoc enim præstare potest Judex, dum interloquitur; non vero post quam definitive pronunciavit, ut dicit aperte *Textus, Cap. si a Judice Glossa de appell. in6.* Quapropter, si Judex ab interlocutoria potest resilire, illi debent appellationis motiva aperiri, ut ea libret; unde sequitur, quod, si in appellatione ab extrajudiciali sententia, vel judiciali interlocutoria, causa non exprimitur, frivola, & inanis evadit appellatio. Hinc, cum *Decretum* semestris carcerationis pro expulsione sit interlocutorium, ab eo appellans tenetur appellandi causam producere: & tunc, vel allegat legitimam causam, congruum fundamentum, scilicet, quod ter non fuerit monitus; quod delicta, de quibus fuit punitus, levia extiterint; vel quod temporis diuturnitate præscripserint; quod crimina probata non fuerint ad pœnam ordinariam, ac per Testes idoneos; vel quod primum cum secundo, aut secundum cum tertio moralem continuationem non habuerit. Si sic se defendit, ultra non est procedendum, ut habetur ex *Bordon. to. 4. part. 3. res. 109. num. 26.* Quod, si non se tuetur, reijcitur appellatio, & datur mandatum pro executione decreti carcerationis, juxta praxim, quam infra trademus.

QUÆSTIO XIII.

An semestre carceris probatorii integrum esse debeat, ac continuum.

SUMMARIUM.

109 *Temporis continuitas quotuplex.*

110 *Opinio tenentium, quod carceratio probatoria pos-*

possit interpolate compleri.

111 *Carceris continuitas, ut de forma incorrigibilitatis attenditur.*

112 *Talis continuitas parvitatē materiæ non excludit. Fugiens e carcere, pro fuga specialiter plectendus.*

113 *Opinio Passerini, nimis rigorosa, comparando annum probationis pro professione, cum eo, qui est ad expulsionem.*

114 *Semestre carcerationis pro expulsione, sufficit, quod sit continuum, & integrum continuitate, & integritate morali.*

115 *Carcer probatorius, ad puram custodiam esse non debet.*

116 *Quæ penitentia imponenda pro tempore carcerationis.*

109 RESpondeo. Quod duplex est temporis continuitas, physica scilicet, & moralis. Prima, ut, cum inter unam, ac alteram temporis differentias alia non mediat. Secunda, ut, cum parvo temporis intervallo discontinuantur; prima temporis parvitatem, & si momentaneam non admittit, non ita secunda, cum hæc parum pro nihilo contempletur, & habeat.

110 Hinc *Petrus de Ang. Jud. Regul. part. 1. cap. 26. vers. Verum quia fol. num. 475.* doces probationis tempus in carcere, non solum physice, sed etiam moraliter posse discontinuari. Ratio ad hoc, quia Statutum pœnale, in quo spatium temporis indicitur, nec exprimitur, quod debeat esse continuum, explicandum est de tempore etiam interpolato, ut deducitur ex *Text. in l. Paulus §. fin. ff. de liber. cau.*, cui adstipulantur *Salic. in l. 2. Cod. Si mancipium juncta Gloss. Iason. in l. si idem ff. de juris omn. Jud. col. 2.* Tum quia in legibus, & Statutis magis attendendum est ad finem, quam ad verba legis: Finis autem Decreti, carcerationem sic qualificatam præcipientis, est, ut longum tempus ad pœnitentiam statuatur Delinquenti, ut in eo melius queat certiorari Judex de incorrigibilitate; ast hæc æque possunt haberi a carcere interpolato, sicut a continuo: non ergo physica, aut moralis continuitas (inquit ille) in carcere probatorio requiritur. Addit *Bellet. p. 2. disq. Cleric. tit. de pæn. Cleric. §. 25. num. 13.* eum, qui fugit e carceribus, incorrigibilem posse declarari, & expelli, esto probationis tempus non fuerit expletum.

111 Verum utraque opinio ex directo pugnat contra *Decretum Sacræ Congregationis Concilii* supra allatum *Part. 2. nu. 29.* Ibi enim statuitur carceris probatorii continuitas, ac integritas. Quare infert *Bord. tom. 4. p. 3. ref.* ang. *nn.* 42. talem continuitatem in casu proposito, ita esse de forma incorrigibilitatis, quod, si fugiens e carcere, capitur, & iterum in carcerem reducitur ad complementum temporis probatorii; Si postea, quia Incorrigibilis expellitur, expulsio sit nulla, utpote contra substantialia juris pro expulsione, eo quia tempus probationis fuit interruptum, nec denuo a prima die ad ultimam integre continuatum. Ratio ad hoc esse potest, quia carcer, qui datur ad probationem incorrigibilitatis, licet sit pœnalis, non est tamen ad puram pœnam, sed præcipue ad remedium carcerati, & ad probationem ipsius incorrigibilitatis: ad rationem porro remedii, & probationis necessaria est continuitas illa; quia, si afflictio illa angustiæ carceris esset interpolata, non ita torqueret Reum, siquti, si foret continua; minus enim fatigat labor interruptus, quam continuus; unde ex ipsa tortura minori non disponeretur forte ad ejurandam in malo duritiem, ac perseverantiam. Hinc concludit *Passer. de hom. stat. tom. 3. qu. 189. inspect. 2. num. 581.* quod, sicut annus probationis pro emittenda professione, sic tempus istud probationis pro expulsione ab Ordine, debet esse continuum. Omne etenim tempus est continuum, nisi contrarium exprimatur, ita ex *Modoit. lib. 2. Principum Placita dubit. 170. num. 3. Bald. vol. 3. consil. 413.* & in dubio censetur tale ex allegatis a *Navar. consil. 89. num. 1. & Megal. p. 3. lib. 4. c. 6. num. 2.*, quanto magis, ubi lex aperte loquitur, & præcipit, ut in casu?

112 Sed num ista continuitas, ac integritas ita stricti sint juris, ut parvitatem materiæ excludant?

Respondeo cum *Sanctor. de pæn. cap. 19. qu. 2. vers. Respondeo tertio* negative. Leges enim humanæ sunt benignæ interpretationis, summumque jus non sine injuria publicatur. Quare, si a Custode carceris ad aliquam horam dimitteretur, respirandi aeris causa, e carcere (assistente tamen Custode, & in loco non publico) nequit dici carcer interruptus, ut ex *Abb. in cap. Accedens de Procur. & Marsil. pract. §. attingam num. 14. probat idem Sanct. loc. cit. vers. Respondeo rum. fol. 253.* qui etiam admittit, quod censeatur completum tempus probationis, licet illi desint pauci dies. Hinc deducitur, quod, si Incorrigibilis, prope terminum carcerationis semestris, fugiens e carcere, & insectante eum Religione, post aliquos dies capitur, & in carcerem reducitur, deberi quidem pro fuga specialiter puniri, ut ex *Decreto Sacr. Congreg. die 13. Novembris 1632. advertit. Peyr. tom. 3. de privil. circa fin. Passer. de hom. stat. tom. 3. qu. 189. num. 58.*, & ut subdit ex verbis *Decreti Bord. tom. 4. ref. 208. num. 42.* posse ferrea custodia, & vinculis in carceribus detineri, non tamen iterum carcerationem ad caput redire debere. Ratio ad hoc, quia tenuis illa interruptio carceris angustias non lenit, nec animum præparat ad tolerantiam, si statim illi gravior afflictio, & carceratio magis onerosa succedit. Tum denique, quia incongruum videtur, ac præter Sacræ Congregationis intentum, quod crescente pertinacia Incorrigibilis retardetur ex hac expulsionis remedium, in favorem Religionis præcipue inventum.

113 Quare ad id, quod, nimis rigorose loquendo, dixit *Passerinus*, comparando annum probationis pro professione cum eo, qui est ad expulsionem, quasi quod æquo pede currentes, sicut qui per duos, aut tres dies probationis tempus interrumpit, annum a regressu, & reassumptione habitus Religiosi computare debet, antequam profiteatur; ita & is, qui carcerem semestrem pro expulsione taliter interrumpit, iterum ad caput redire debeat, antequam expellatur. Respondetur, disparem esse rationem, eo quia annum probationis ad professionem interrumpens, indicat animum non perseverandi in Religione, quapropter, cum annuerit id, quod de necessitate requiritur in profitente, scilicet constantia in electione status Religiosi, idcirco rediens, Tyrocinium inchoare debet; Sed fugiens ex carcere probatorio auget expulsionis motiva, puta, incorrigibilitatem, unde (nisi lex obstaret) potius ex hoc foret accelerandа expulsio, non retardanda.

114 Concluditur ergo, quod, licet semestre carcerationis pro expulsione moraliter discontinuari nequeat, ut innuebat prima opinio, eo quia non ita fatigatur incorrigibilis ex carcere moraliter di-

scontinuato, sicut a continuo, ut probatum est; neque possit notabiliter imminui, occasione fugæ, ut erat de mente *Belleti*; nam *Textus* utrique positioni adversatur; non inde tamen sequitur, sic debere esse continuum continuitate physica, ut contendit *Passerinus*, sed sat est tale semestre esse integrum, & continuum integritate, ac continuatione morali, non excludente parvitatem materiæ, ut bene docet *Sanctorus* loco cit. cum cæteris ab eodem adductis.

Quæres, an talis carceratio esse possit ad solam custodiam, an vero qualificata arctatione, & pœnitentia.

115 Respondeo cum *Bordon. tom. 4. p. 3. res. 109. num. 44.* carcerem prædictum non debere esse ad solam custodiam, hoc est veluti apud nos in Domo disciplinæ, sed debet esse carcer formalis, puta, in loco observato, sine caputio, & chorda, & etiam debet jejunium in pane, & aqua in publico Refectorio, simul cum flagellatione per spatium unius *Miserere*, adhiberi. Patet hoc, quia carcer iste adhibetur ad pœnam delicti, & ad probationem, an velit resipisci: debet ergo esse carcer formalis, & ita tenent *Sanctor. de pœn. cap. 19. quæst. 2. fol. 249. Donat. tom. 1. par. 2. tract. 8. qu. 19 num. 1.* Carcer vero formalis apud nos, ut ordinatur in *Stat. Gen. Ord. cap. 7. §. 6. num. 15.* importat privationem caputii, & chordæ, flagellationem, & jejunium in pane, & aqua pro qualibet sexta feria in Refectorio communi Fratrum. Hæc ergo omnia debent adhiberi cum carceratio, ad probandam incorrigibilitatem.

116 Unde non consequenter docet *Sanctor. loco prox. cit. fol. 251.* dum ait, hoc jejunium, & flagellationem non esse adhibendam, *quia, cum agatur de re gravi, & odiosa, non debemus declarare hoc per Statutum Ordinis, sed per jus commune, in quo non conveniunt isti rigores; hæc ille*. Ratio enim hæc est potius ad oppositum, quia, cum agamus de re gravissima, & de extremo remedio ad procurandam Delinquentis conversionem, omni rigore juris est procedendum. Si enim carceratus sic nullam cogeretur subire confusionem in se disciplinando, & jejunando coram Fratribus, sed communi victu uteretur in carcere, in quo liber est ab omnibus oneribus Religionis; iste sane non molestum, nec ad pœnam, haberet ipsum carcerem: imo ad delicias, maxime si Carceratus esset ex illis, qui somno dediti, satius ducerent dormire carcerati, quam liberi surgere ad matutinas, aliasque Divini Officii Horas. Carcer ergo absque tali jejunio inutilis est ad finem correctionis consequendum, ob quam a *Decreto Congregationis* injunctus est. Quod, si vult *Sanctorus*, quod carcer debet esse juxta jus commune, in quo non injungitur tale jejunium, & non juxta jus statutarium, quod injungit, præter jejunium flagellationem; quare admittit, quod Carceratus ad incorrigibilitatem probandam, debet privari forma habitus, puta, caputio, & chorda, ut docet *loc. cit. vers. Respondeo primo*? Forte de jure communi Carcerandi debent spoliari habitu Clericali? Quod, si hoc non, sed talis privatio fit ex præscripto Statuti, ordinantis talem privationem; & quare non servanda est talis conditio, ex Statuto injungenda carceratis formaliter, puta, jejunium, & flagellatio? Non est major ratio, quod carcer adhibeatur formalis juxta Statuta Ordinis in privatione habitus, quam in jejunio; quod, si in illa sequimur ordinationem Statuti, pariter sequi debemus in jejunio, & disciplinatione, ut dictum est.

QUÆSTIO XIV.

An expleto semestri carceris, statim expelli possit Incorrigibilis.

SUMMARIUM.

117 *Incorrigibilis, expleto carceris tempore, non statim expellendus.*

Attentata, intra probationis tempus, non dant locum expulsioni.

118 *Incorrigibilitas ad expulsionem, post carcerem probatorium durare debet.*

119 *Incorrigibilitas duobus modis manifestatur, signis, vel factis.*

120 *Incorrigibilis mens exploranda prope terminum carcerationis.*

121 *Dans signa dubia emendationis, præsumitur incorrigibilis.*

122 *Incorrigibilis contumax post carcerationem, potest non expelli.*

123 *Probatus in carcere, & signis promittens emendationem; eductus, si ad solitam vitam relaxatam revertatur, etiamsi non committat grave delictum, potest, ut incorreptus, & incorrigibilis, expelli.*

124 *Fugiens ex carcere (consulta Sacra Congregatione) expellendus.*

117 RESPONDEO negative, id enim aperte deducitur ex verbis *Decreti Part. 1. num. 18. Elapso autem anno, si nihilominus non resipuerit, sed, animo indurato, in sua pervicacia perseveraverit &c. ejici tandem possit*. Unde colligitur opus esse, ut pertinacia post tempus probatorium duret, antequam ad expulsionis remedium deveniatur. Quapropter quæcunque attentata, intra probationis tempus, non dant locum expulsioni, si elapso probationis tempore, animus mutatur, ut habet *Passerinus de hom. stat. tom. 3. quæst. 189. art. 8. n. 585.*

118 Qualiter vero pervicacium post semestre carcerationis durare conjiciatur, duobus modis contingere potest, scilicet, dum incorrigibilitas signis, vel factis proditur. Signis enim manifestatur, si se ostendat minime humiliatum, ac de præteritis delictis non pœnitentem, imò dicat, se velle de suis æmulis ulcisci, aut jugum claustrale excutere; in blasphemias, imprecationes, & minas erumpat ob illam incarcerationem, & multo fortius si protestetur, se nolle mores suos componere, & quæ alias cante commiserat, liberius deinceps patraturum.

119 Factis vero proditur, si se simulans emendatum, eductus de carcere, non multo post tempore lapso, in aliud grave crimen reincidit. Utroque enim modo quis se prodit incorrigibilem, teste *Passer. de hom. stat. tom. 3. qu. 189. num. 583. & 585.* Ex signis enim censetur incorrigibilis, qui, cum male fecerit, non vult se emendare; quod, si per carcerem probatus, suam pervicaciam fatetur, res est clara. Unde de illo pronuntiat, non esse necesse, quod iterum factis delinquat, sed sufficit, quod duret mala voluntas, extrinsecus manifestata, ad hoc, ut locum habeat expulsio. Quod, si factis criminosis morum corruptela dignoscitur post carcerem semestrem, quid dubitandum de incorrigibilitate ad expulsionem.

120 Quare consulunt *Donat. quæst. 19. Pasqual. n. 1070.*

num. 1070. ut Superiores, lapso probationis tempore, mittant duos Religiosos ad explorandam Incorrigibilis intentionem, & similiter attendi debet, num post tale tempus pervicaciam suam prodat, vel an se emendatum manifestet. Quod, si pervicacia durat post tale tempus, sive signis, sive factis, ea redacta ad formam judicii per claras probationes, ut dictum est de aliis criminibus, ac punitionibus, eo quia *Pontifex* exigat expulsionis causas, plene probatas, eiici tandem potest.

121 Quid vero, si emendationis signa sint dubia? Respondeo, quod non ideo liberandus est a carcere Reus, sicut, dum signa emendationem pollicentur; tunc enim liberari debet, cum nequeat Judex ultra poenas, a jure statutas, excedere; non sic in præsenti casu, eo quia præsumptio incorrigibilitatis stat contra ipsum, donec signis, vel factis oppositum ostendat. Poterit ergo, vel continuari carceratio; donec tempus elucescere faciat mentem delinquentis, quod, si tentata variis modis constantia Rei, semper dubia dat responsa, nec faciat satis interpellantibus, rationabiliter præsumitur in sua incorrigibilitate contumax, ideoque processus continuari poterit ad expulsionem, sed hoc cum magna Judicis discretione, cum de re gravissima sit sermo.

122 Quod, si in expressa obstinatione persistit, non ideo tenetur Superior, sive Judex, expleto semestri, ipsum excarcerare ad expulsionem, sed facultativum est ipsi, vel in carcere detinere, vel ad expulsionem procedere. Ratio est, quia expellere Incorrigibiles *conceditur*; non autem *injungitur* Superioribus; dicit enim *Decretum* de Ejectis, *Eijci tandem possint*, quibus verbis denotatur facultas, non autem obligatio expellendi, & ita tenet *Sanct. de pæn. qu. 3. c. 19 fol.* 255. Cum ergo hoc ex *Decreto* arbitrarium sit Superioribus, imo etiam ex *Stat. refor. cap. 7. num.* 10. remittatur arbitrio Superiorum pro talibus carcer perpetuus, triremes, vel ejectio, liquet, quod transacto semestri, potest adhuc detineri in carcere ad beneplacitum Reus, vel ad ejectioně procedere Judex.

123 Quid autem, si iste prius carcere probatus, signis, & lachrymis emendationem promittens, statim eductus non committat grave delictum, sed ad solitam vitam relaxatam revertatur, crapulando, se inebriando, aleis ludendo, turpia loquendo, pejerando, blasphemando, Fratres inquietando falsis relationibus, detractionibus, minis, parvis furtis &c. ut prius solebat. Poterit ne ut incorreptus, & incorrigibilis expelli? Dico, quod sic, quia ex tali conversatione, quæ est contraria verbis, quibus promisit emendationem, aperte videtur, se ex diutino carcere minime fuisse emendatum, & ita docet *Petr. ab Ang. Jud. Regul. cap. 26 sub num. 4. vers. secunda difficul.. fol. num.* 182. Non enim expectari debet, quod novo delicto gravi Religionem conturbet. Præsumptio autem incorrigibilitatis stat contra illum, de quo recte præsumitur, quod fallacibus verbis emendationem promiserit, & ipsi incombit onus probandi emendationem, per mutationem malæ conversationis antiquæ; sed, cum hanc moribus non exhibeat, imo male vivat sicut prius, præsumptio firmatur, & transit in legitimam probationem incorrigibilitatis, ob quam potest ad expulsionem deveniri. *S*ed in hoc, sicut & in alio casu de signis dubiis correctionis, opus est magna discretione in Judicibus, & quod continui sint actus peccaminosi talis Expellendi, & quod sint bene probati; ideo caute ambulent in re tam gravi Judices expulsionis.

124 Quæres quid juris, si aufugeret de carcere, non completo semestri carcerationis: poterit ne contra eum procedi ad expulsionem, ita ut habeatur pro expulso? Respondeo, quod de jure stricto non potest, quia carceratio semestris est de substantia probationis incorrigibilitatis, ut supra diximus, qua non servata, corruit actus, ut tenet *Donat. t. 1. par. 1. qu. 11. num. 9* & ita resolvit *Sacra Congregatio* in suo Decreto. *Par. p. num.* 29. Optimum autem remedium est in tali casu petere dispensationem a *Sacra Congregatione Concilii*, quæ ex tali fuga cognoscens evidenter ejus incorrigibilitatem, dispensare potest, prout in facti contingentia cum quodam dispensatum fuisse, narrat *Donatus* loco citato, & de alio testatur *Pyrrhus Corrad. prax dispens. apost. lib. 5. capite 14. num. 31.*, & Auctor quoque *Pract. crim. tit. 5. §. 6. num* 40. idipsum contigisse in facto simili testatus est. Unde attendant Superiores difficillimum expulsionis remedium posse hac via facilitare, & Religionem expurgare a noxiorum humorum malignitate.

QUÆSTIO XV.

An Monialis incorrigibilis possit expelli a Monasterio.

SUMMARIUM.

125 *Monialis carnaliter delinquens, in Ergastulis includenda est.*

126 *Monialis incorrigibilis ad aliud Monasterium transferenda est, si speratur correctio.*

127 *Monialis expulsa (lite pendente pro validitate expulsionis) sustentari debet a Monasterio, in quo professa est, ita Rota.*

128 *Fundamenta pro expulsione Monialis incorrigibilis.*

129 *Talis expulsio non inducenda absque Sanctæ Sedis assensu.*

125 RESpondeo. Quod Monialis possit ipso facto amoveri a Monasterio, ubi deliquit, atque in Ergastulis includi, si, abiecto proposito Sanctitatis, illicita, atque sacrilega contagione se miscuit ad filiorum procreationem, aperte deducitur ex *cap. Impudicas*, & ex *cap. Si quis sacro* supra allatis *Part. p. num. 2. & 3* Ibi enim mandatur huiusmodi detestabiles Personas a Monasteriorum cætu, Ecclesiarumque Conventibus eliminare, quatenus reclusæ in Ergastulis, tantum facinus continua lamentatione defleant: & ita separentur, & ulterius non sub uno cohabitent tectu. Quod, si unico, ac impudico concubitu Monialis sibi viam ad expulsionem aperit, patet, quod in criminibus notæ impudicitiæ iteratio non requiritur, & per consequens neque incorrigibilitas, quæ nonnisi ex iteratis actibus in huiusmodi abominationibus consurgit, ad hoc, ut sic perdita Monialis, absque spe regressus, expelli, &, ut dictum est, in Ergastulis recludi possit. Hinc viguit usus, Moniales huiusmodi sacrilegas perpetuo carceri intra septa Monasterii mancipari, vel a consortio cæterarum Virginum separatas, cum cæteris Mulieribus ad bonam frugem, post suarum turpitudinum ignominias conversis, sub eodem Monasterii tecto includere, ut

cum eisdem occasum integritatis suæ defleant.

Sensus ergo Quæstionis est, an Monialis integræ quidem conversationis in custodia honestatis, sed aliorum criminum Rea, accedente incorrigibilitate, post trinam monitionem canonicam, ac punitionem, possit expelli?

126 Et quidem, si spes emendationis supersit, dato, quod in alio Monasterio recludatur, an ad hoc possit deveniri, arbitror affirmativam nullatenus pati difficultatem, eo quia, sic agendo consulatur bono Monasterii, ac Religiosarum quieti, a quibus secernitur incorrigibilis; Monasterio, ad quod dirigitur Monialis emendata non noceat, saluti que Monialis expulsæ fiat satis.

127 Confirmatur argumento *Rotæ decis.* 109. *num.*6. *par.* 2. *recent. decis. in una Tullen. Monast.*5. *Mart.* 1608. *coram Sanct.* Vbi decernitur, alimenta deberi Moniali expulsæ à Monasterio, in quo professa est, dum lis pendet super validitate expulsionis: & loquitur de Moniali, expulsa propter rixas, & ad aliud Monasterium translata. Idem tenent cum eadem *Rota Bart. tract. de alim. num.* 43. *Afflict. decis.* 10. *num.* 1. *in fin.*, *& seq. Corduba de lib. agnosc.* §. *Si vel parcus num.* 58 *Surdus de alim. ti.* 1. *quæst.* 128. *nu.* 9 *in fin. & seq. Joseph Ludov. decis.* 46. *nu.* 3. *Coler. de alim. lib.*1.*cap.*14. *num.* 53. *Rodriq. tom* 2 *qu. regul.* 24. *art.* 2. quos citat, & sequitur *Pignatel. tom.* 1. *consult.* 34. Quomodo ergo lex provideret de alimentis ad sustentationem Expulsæ propter rixas, si Canones huiusmodi expulsioni obstarent? Quod, si ad expulsionis remedium devenitur, intuitu boni communis solius Monasterii, a quo etsi emendatio Expulsæ non expectetur, quomodo impedienda, quoties correctio speratur? Liquet ergo, hisce casibus licitum, & optimum esse remedium, ne ovis morbosa cæteras inficiat, ad Monialis incorrigibilis expulsionem, seu verius deportationem, sic qualificatam, devenire.

Quod magis in controversiam venit, est; Vtrum expulsio habeat locum, quando Monialis, ita incorrigibilis evadit, ut in nullo Monasterio eius reformatio, & correctio speretur.

128 Rationem dubitandi intulit *Sanchez. in Decal. lib.* 6. *c.* 9. *num.* 6., quia (ut inquit) praxis hucusque non recepit, Monialem expelli, tanquam incorrigibilem, nec aliquis Doctor (*eo Teste*) id asseruit, neque ex aliqua historia constat, aliquam fuisse taliter ejectam, ut in sæculo viveret. Verum, ex eo, quod Doctores asserentes, licitam esse Regularis incorrigibilis expulsionem, nullum discrimen inter Monacum, & Monialem incorrigibilem constituunt, ut videre est apud *Passerin. de hom. stat. tom.* 3. *quæst.* 189. & alios *Peyrin. tom.* 1. *de Subdit. quæst.* 1. *c.* 25. *Bordon. tom.* 4. *part.* 3. *resol.* 108. *Roderic. tom.* 1. *quæst.* 30. *Azor. part. pr. instit. moral.* mens illorum interpretative deducitur, eandem esse pro utraque expulsione sententiam. Et quidem, si ad trutinam motiva expulsionis reducantur, æque ponderare videntur: nam, quæ militant pro expulsione Regularis incorrigibilis, & pro Monialis expulsione locum habent. Resecantur enim carnes putridæ, ne sanas corrumpant, & scabiosa ovis a caulis repellitur, ne ceteras inficiat, ut docet *Hieronym. in Epis. ad Gal. c.* 5. cujus dictum refertur *Cap. Resecand.* 24. *qu.* 3. sed hoc inter Monacorum, ac Monialium Claustra æquo pede graditur. Nec Religionis vota strictius ligant Monialem, quam Monacum, cum æque sint vota solemnia in facie Ecclesiæ emissa. Præceptum vero Clausuræ Moniales non ligat, nisi quamdiu in Monasteriis detinentur, sicut nec delatio habitus Religiosi obligat Regulares, nisi pro eo tempore, quo in Religione manent, ut infra ostendemus. Postremo accedit singularis concessio *Innocentii IV.* facta Cisterciensibus apud *Bullarium Bulla* 27. cuius vigore possunt per Prælatos Moniales superbæ, & rebelles a Religione expelli, prout habetur apud *Hieron. Rodric. resol.* 57. *de Eject. num.* 3. *fol.* 274.

129 Attamen, etsi in rigore iurium, pro expulsione Incorrigibilium, ita esset dicendum, id autem non audeo consulere, sicut nec audet *Sanch. in Decal. lib.* 6. *c.* 9. *nu.* 6. *Palaus tr.* 16. *d.* 4. *p.* 19. *num.* 4., ut id aliquis Prælatus præstet, inconsulto Romano Pontifice, aut ejus Nuncio. Verum *Passerino de hom. stat. tom.* 3. *quæst.* 189. *nu.* 663. de hac auctoritate Nuncii non constat. Ratio est, quia res est insolita, & nova, quæ vix posset scandalum effugere. Deinde, cum sexus earum de facili subsit mutationi, & proprio pondere infirmitas humana ad laxitudinem nos pertrahat, certe hic gladius expulsionis Religionis vincula rumpens, Clausuræque perpetuæ ligamina solvens, gravem ansam multis Monialibus ingereret, quæ in Monasteriis invitæ degunt, ut se incorrigibiles fierent, sicque dispensationem, quam contra propria vota, vocitando non obtinent, arrepta incorrigibilitatis via obtinerent, ac Monasterium desererent. Quare, si expulsio (ut dictum est *Par. p. qu.* 2. *num.* 42.) utrumque bonum respicit, Religionis siquidem, & Expulsi, Religionisque bonum, quia commune, privato Expulsi bono prævaleat; hinc bono communi consulendum est, & illa Monialis incorrigibilis, includenda in Monasterii carcere, ne aliis perniciosa conversatione offendiculo sit, magis quam eijcienda cum tanto scandalo, & periculo communis boni aliarum; Ita firmant *Alphons. de Leon de cens. resol.* 6. *n.* 322. *Novar. in prax. concl.* 2. *num.* 8. *Lezana V. Eiecti. num.* 11. *Bonac. de clausf. qu.* 1. *p.* 9. *num.* 19. *Gavant. in manual. V. Monialium clausura. Mirand. qu.* 3. *de Monial. Rodr. tr.* 1. *qu.* 49 *num.* 1. *Riciul. tom.* 1. *de iure pens. c.* 5. *num.* 8. *Barbos. ad cap. fin. d. reg. num.* 10. *Tambur. de iure Abbatis* 5. *d.* 21. *qu.* 4. *num.* 3 *Bollet. de pœnis Cleric.* §. 27. *nu.* 13. *Pasqual. ad Franc. n.* 108. *Donat. de Eiect. qu.* 20. *Palaus de Monial. c.* 3. *sect.* 1. *qu.* 13., estque res certa, cum id habeatur ex Decreto Sacræ Congregationis die 27. Maij 1603. apud Gavantum, prout ex Passerino loco citato.

QUÆSTIO XVI.

De Judice expulsionis.

SUMMARIUM.

130 *Sententia expulsionis a solo Generali pronuntianda est.*
Privilegia Religionum abrogata sunt quoad hoc, per Decretum Urbani VIII.
131 *Opinio affirmativa Pasqualigi ad Francum, quod Generalis possit delegare facultatem expellendi Incorrigibiles.*
132 *Jus sententiandi in causa expulsionis delegari nequit.*

133 *De-*

133 *Decedente Generali, Vicarius successor sententiare potest, idipsum competit Commissario Generali.*

134 *Indultum Sacræ Congregationis Concilii, ut in locis distantibus, scilicet in Provinciis Germaniæ inferioris, Indiis Occidentalibus, & Orientalibus, Generalis possit delegare Visitatores Provinciales pro expulsione Incorrigibilium.*

Decretum pro hujusmodi Delegatione, habetur per extensum in Statutis Toletanis 1682.

135 *Sententia trivemium per Superiorem Provincialem ferri potest.*

136 *Generalis sine consilio sex Patrum, & eorum assensu expellere nequit.*

137 *Electio illorum quo tempore facienda, & qualiter*

138 *Talis electio non est facienda ex voto Capitularium, sed sat est, quod fiat voto Diffinitorii Generalis pro toto Ordine, vel Provincialis, si pro sola Provincia; & hoc solum tempore actionum Capitularium.*

139 *Si aliquis illorum moriatur, qualiter suppleri potest.*

140 *Processus juxta stilum cujusque Ordinis, construi potest.*

141 *Illius summarium cum voto Patrum transmitti debet ad Generalem, si ob distantiam nequeant convenire.*

142 *Quæ distantia excuset a conveniendo, & quid veniat nomine Dietæ.*

Sententia ferri debet de voto majoris partis sex Patrum electorum.

143 *Resolutio dubii, an, si vota sex Patrum sint diversa in paritate, tribus nempe inclinantibus, tribus vero non consentientibus in ejectione, Generalis possit expellere Incorrigibilem.*

Sex Patres non esse Conjudices, sed Consiliarios, colligitur ex Passerino.

144 *Judex expulsionis tenetur sequi vota Patrum in absolvendo, non in damnando.*

145 *Copia sententiæ dari debet Reo, ac loci Ordinario.*

146 *Superior concedere debet Expulso litteras testimoniales suæ expulsionis.*

130 RESpondeo, quod Judex expulsionis solus Generalis esse potest; id enim aperte deducitur ex verbis Decreti, quod supra habetur *Part. pr. num.* 18. *Ejici tandem possit, sed ab ipso Generali tantum.* Dictio illa *tantum* demit jus illud a quocunque alio. Quare ex hoc abrogatum est privilegiorum juri, cuique Ordini attributo. Privilegio Minorum de observantia, illis ab *Alexandro VI.* concesso, cujus vigore jus sententiandi in causa expulsionis, Superioribus Provincialibus erat impertitum, de consensu tamen majoris partis Capituli. Privilegio Minimorum, quo extante, Provinciales de solo consensu Collegarum suorum, Incorrigibiles expellebant. Concessioni, factæ a *Pio V.* Ordini *D. Hieronymi*, quoad expulsionem Incorrigibilium; id enim patet ex clausula revocatoria citati Decreti, respective ad alias concessiones, & privilegia. Estque communis Doctorum sententia, ut videre liquet apud *Bonac. de clauf. q.* 1. *p.* 12. §. 1. *num.* 15. *Passer. de hom. stat. tom.* 1. *q.* 189. *nu.* 587. *Bord. tom.* 4. *par.* 3. *ref.* 108. *Mistrium* & alios, qui post tale Decretum, scripserunt *Ant. a Sp. Direc. Regul. tract.* 4. §. 6. *n.* 558.

131 An autem possit Generalis hanc facultatem expellendi Incorrigibiles delegare, sicut potest per alium informationes sumere, ac processum pro expulsione conficere? *Pasqualigus n.* 1076. *ad Franc.* tenet affirmative, eo enim movetur, quia *Sacra Congregatio Concilii*, interpellata a Procuratore Generali Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede, Redemptionis Captivorum. *Part. pr. num.* 28. *An Generalis, seu Delegatus possit ferre sententiam ejectionis a Religione, quando a tribus ex sex Patribus electis, seu a majori parte dicta sententia approbetur.* Ex quo Sacra Congregatio ad hanc petitionem, quæ erat septima in ordine, sic respondit: *Ad septimum. Sententiam ejectionis a Religione ferri debere saltem de voto majoris partis sex Patrum electorum.* Et quia nil loquitur de *Delegato*, deducit tacitam approbationem Congregationis, quod videlicet Generalis delegare possit Provincialibus, Commissariis, vel aliis causam expulsionis Incorrigibilium. Ut autem se tueatur a *Decreto Urbani*, ubi habetur, quod ejectio fiat *ab ipso Generali tantum*; respondet, quod per illam dictionem *tantum* fit exclusio alterius Conjudicis Ordinarii, qui concurrat simul cum Generali ad sententiandum, non vero Delegati, qui loco Generalis sententiam tradat ex ejus commissione.

132 Hæc autem interpretatio non subsistit, ut optime advertit *Passer. loc. cit. num.* 592.; nam Sacra Congregatio, tertio interrogata in eodem Decreto. *An Generalis Ordinis, possit delegare facultatem ejiciendi a Religione Provincialibus pro eorum Provinciis, seu Commissariis, vel Vicariis Generalibus?* sic pro responsione habetur: *Ad tertium. Respondit, Generalem Ordinis non posse delegare facultatem ejiciendi a Religione Provincialibus per earum Provincias, seu Commissariis, vel Vicariis Generalibus*, ex quo apparet Generalibus per tale Decretum esse omnino demptam facultatem delegandi, quoad sententiam expulsionis, sed sententiam esse ferendam ab eo, qui est caput Religionis. Quare, si in septima responsione nil loquitur de Delegato, hoc est, quia jam erat per negativam exclusa petitio, idcirco mens fuit ad principale interrogationis respondere, scilicet de numero votorum pro ferenda sententia expulsionis. Soli ergo *Generali* incumbit sententiam expulsionis ferre in eum, qui ter monitus, & punitus de gravibus delictis, ac per semestre carceris inutiliter probatus, ac in jejunio, & pœnitentia vexatus, non resipuit, sed pertinax in incorrigibilitate perseverat.

Sed quid agendum, si Generalis decederet per mortem, aut renuntiationem, num tali casu posset expulsionis causa a Vicario Generali expediri?

133 Respondetur affirmative. Ratio est, quia tali facto Vicarius Generalis, vel quicunque alius, tunc vicem gerens Generalis, esset Judex Ordinarius, & Supremus Religionis, habens facultatem ordinariam Generalis, non tanquam Delegatus, sed tanquam Ordinarius; sicque ad sententiam procederet non auctoritate delegata, ac subordinata, sed ordinaria, & absoluta, quod est id, quod intendit Decretum. Ita *Passer. loc. cit. num.* 593. ac nostri Ordinis *Stat. Gen. Ord. cap.* 8. §. 21. *num.* 4. Idem pariter intelligendum est de Commissario Generali, electo secundum *Bullam Unionis* pro sua Familia Cismontana, vel Ultramontana, quo ad nos; siquidem ordinariam, ac universalem jurisdictionem habet secundum *Stat. Ord. cap.* 8. §. 25. *num.* 4. *Roderic. tom.* 1. *qu.* 51. *art.* 4. & Constitutionem *Leo Decim. Ite, & vos* 4. *Chal. Jun.* 1517., & ea potest

in

in sua Familia, quæ Generalis in toto Ordine. Hoc poterit etiam Commissarius Generalis, deputatus a Generali ad regendam Familiam, a qua Generalis discedit, dum in aliam Familiam pergit, ut probat optime *Sanctor. de pœn. c. 18. q. 4. vers. licet inquam fol.* 258., quia iste gerit omnes vices Generalis, nisi aliquod sibi speciale reservet; & hac de causa idem præstare etiam poterunt Commissarii Generales, quibus Provinciæ alicujus Nationis regendæ, commissæ sunt, dummodo ipsis a Ministro, seu Vicario Generali delegata sit ipsius plenaria facultas; a jure enim non habent aliam facultatem, quam sibi a Generali Ministro, seu Vicario fuerit delegata, ut ex *Stat. Gen. Ord. cap.* 8. §. 20. *num.* 11. habetur.

134 Sed quia ob amplitudinem Religionis, & nimiam locorum distantiam ab Indiis Occidentalibus, & Orientalibus, & a Provinciis inferioris Germaniæ, difficile est, quod Generales possint per se ad expulsionem procedere, ideo Sacra Congregatio Concilii indulsit, ut in præfatis locis Visitatores Provinciales, destinati a Generali cum amplitudine potestatis, hoc possint, ut habetur ex *Stat. Tolet.* 1682. *Orb. Seraph. tom.* 4. *fol.* 266. *col.* 1. *vers. Et quoniam* tenoris sequentis. *Et quoniam ob amplitudinem, & dilatationem Ordinis non potest Reverendissimus Pater Generalis adire quamplures Provincias, præsertim Orientalium, & Occidentalium Indiarum, ac Insularum, nec non Germaniæ, & Flandriæ, eadem Sacra Congregatio indulsit, supradictam facultatem expellendi Incorrigibiles Commissariis Visitatoribus, ab eo destinandis ad dictas Provincias, cum amplitudine potestatis, ut servata in reliquis forma Decreti, hic de re editi, ejectio fieri possit ab illis, cum consilio, & assensu prædictorum sex Patrum (de quibus infra,) benigne annuente Summo Pontifice.*

135 Ex dato fundamento arguunt *Hieronym. Roderic. ref.* 57. *num.* 8. *Lezan. verb. Triremes num.* 5. quod, cum damnatus ad triremes sit ejectus ab Ordine, & pro ejiciendis Incorrigibilibus, per Decretum Sacræ Congregationis, sit adempta facultas Diffinitorio Provinciæ, videtur pariter, sit sublata facultas damnandi ad triremes perpetuos. Imo, quia in nostra Religione est determinatum per Statuta *Capit. Rom.* 1587. *C. aliud Rom.* 1612. *Orb. Seraph. tom.* 3. *fol.* 371. & *fol.* 615. *verb. Incorrigibilis* quod, si aliquis, completo tempore pœnæ, revertatur a triremibus, non amplius ad Ordinem recipiatur, concluditur, quod apud illos perinde est ejectio ab Ordine, & damnatio ad triremes; & ita, sicut quis non potest per Diffinitorium expelli ab Ordine, ita neque possit ab eodem damnari ad triremes. Sed hæc minime obstant, quia, ut optime notavit *Sanctor. de pœn. c.* 21. *vers. Respondeo nescis fol.* 289. Decretum Sacræ Congregationis disponit de expellendis ab Ordine, non vero de puniendis, & dando formam pro illis, de secundis nihil innovat, revocatque privilegia, in ordine ad expulsionem, non vero in ordine ad alias pœnas, sancitas per Statuta Religionum, juxta privilegia earum; eo quia plura incommoda oriantur ex frequenti expulsione Incorrigibilium, quam sequantur ex damnatione ad triremes.

136 Advertendum tamen, quod *Generales* ex Decreto, supra recensito, nequeunt ad sententiam expulsionis devenire, nisi adhibito *consilio, & assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis, eligendorum in singulis Capitulis, & Congregationibus Generalibus*. Sed quia innumeris difficultatibus implexa erat res hæc, ex eo quod isti sex *Patres* debuissent semper esse in comitatu Generalis, dum visitaret Religionem, quod sine dispendio Provinciarum præstari non poterat; nec isti sex Patres, ita plene informari poterant de moribus, & gravitate delictorum, conditionibus, & qualitatibus Incorrigibilium, quæ, ut plurimum ab experimentali cognitione, & consuetudine Patriæ pendent, proinde Sacra Congregatio Concilij, loco sex Patrum pro toto Ordine, seligendos, indulsit sex in unaquaque Provincia; tenor autem *Decreti* supra habetur *Par. p. num.* 27. & de eo fit mentio in *Statutis Capituli Generalis Vallisoletani* 1670., & in *Toletanis* 1682. *Orb. Seraph. tom.* 4. *fol.* 266. Et hoc, ut Generalis commode illos ad se convocare posset in unaquaque Provincia, quoties urgeret necessitas expulsionis. Sed quia, adhuc stante tali provisione, non modica consurgebat difficultas, num tales sex Patres eligendi forent per vota Capituli Generalis pro unaquaque provincia, (quod quidem moralem impossibilitatem involuebat, habendi scilicet cognitionem Patrum idoneorum, non solum pro contiguis, verum etiam pro remotis Provinciis), an eligendi forent per vota Provincialis Capituli. Esto in hanc partem inclinaret ratio, novissime tamen sub *Innocentio XII.*, omni ambiguitate sublata, facultatem *Generalibus Ordinum de consilio, & assensu sex ex gravioribus Religiosis in singulis Capitulis, & Congregationibus Generalibus, ad causas Eijciendorum eligendis, attributam*, extendendam duxit *Sacra Congregatio Concilii etiam ad quoscunque Provinciales, qui, electis pariter in Congregationibus Provincialibus sex gravioribus ex propria Provincia Religiosis, a Generali confirmandis, de illorum consilio, & assensu causas hujusmodi cognoscant*. Hujus vero *Decreti* tenorem supra dedimus *Part.* 1. *num.* 33.

137 Sed hic variæ insurgunt dubitationes, & primo, quia *Statutum Toletanum* supracitatum, vigore Decreti supra recensiti *Part. pr. num.* 27., sic habet: *Designentur in singulis Ordinis nostri Provinciis, tam pro Observantibus, quam pro Reformatis sex Patres videlicet Minister Provincialis, & Custos, duo antiquiores, seu digniores Provinciæ Patres, duo antiquiores Lectores jubilati apud Observantes, apud Reformatos autem, & ubi non sunt Iubilati, duo Lectores Sacræ Theologiæ, sive habituales, dummodo sint antiquiores; defectu vero duorum Provinciæ Patrum, duo Ex Custodes, sive Diffinitores antiquiores in Officio*. Dubitatur inquam, an talis dispositio habeat vim legis perpetuæ. Et respondetur negative, sed durare debuit tantum usque ad proximum tunc futurum Capitulum Generale. Ratio est, quia *primum Decretum sub Urbano Octavo* disponit, quod sex Patres debent *eligi in singulis Capitulis, & Congregationibus Generalibus*, unde in unoquoque Capitulo facienda erat nova electio, non quidem novarum Personarum de necessitate, quia, qui fuerunt electi in uno, poterant eligi in Capitulo immediate sequenti, ut notat *Sanctor. de pœn. cap.* 19. *qu.* 4. *vers. Tertia difficult. fol.* 260., sed per novam votorum collationem, quia ex vi Decreti, electio facta in uno Capitulo, non potest perdurare nisi usque ad novum Capitulum. Advertendum tamen, quod electiones faciendæ, debent cadere super determinatis Personis, non vero super officiis, tum quia ex vi Decreti, Patres eligi debent ex gravioribus Religionis; cum ergo indultum sit, ut possint eligi in unaquaque Provincia, debent esse ex gra-

gravioribus Provinciæ. Accidit vero aliquando, quod Custos, & Diffinitores non sint ex gravioribus, unde illi sic deputati non sunt ad mentem Decreti; tum quia *graviores in* hoc casu intelligendi sunt *Doctores in Sacris Canonibus*, *Statutis*, & re criminali, cum enim debeant esse Conjudices in re gravissima, debent pollere maxima Doctrina, & experientia; & multoties Custos, Diffinitores, & antiquiores in Paternitate, deficiunt in doctrina prædictarum rerum, & non satisfactum esset Decreto in talium electione; tum quia Decretum, volens illos *Patres* eligi in singulis Capitulis Generalibus, ex gravioribus Religiosis, innuit, quod ad tantum munus debet eligi industria Personæ; causa enim hæc gravissima est, pertinens ad merum, & mixtum imperium, quæ, cum commissa sit majori Magistratui, puta, soli Generali, & sex Consiliariis, censetur ad eam electa industria Personæ, ut habet *Jul. Clar. qu.* 41. *vers. Nam quidem*; unde pariter ita interpretandum est Decretum dispensativum, & ita debent eligi tales Judices, sub nomine Personæ, non vero dignitatis, & Officii.

138 Dubitatur secundo, an, sicut ex dispositione primi Decreti, eligendi erant per vota Capitularium sex illi Patres in Capitulis, vel Congregationibus Generalibus pro toto Ordine; ita quoque in Capitulis Provincialibus per vota eorumdem Capitularium eligi debeant, ut præfertur, sex Patres in unaquaque Provincia. Et respondetur, quod etsi Generalis se solo nequeat illos nominare, nam facultas illa dispensativa, quoad nominationem, faciendam a Generali, prout in Decretis relatis *Part.* 1. *num.* 18. *&* 27. fuit, donec adveniret tempus Capitulare, & consequenter expiravit, adhuc tamen arbitror talem electionẽ non esse faciendã ex voto Capitularium, sed sat sit, quod fiat ex voto Diffinitorii Generalis pro toto Ordine, vel Provincialis, si pro sola Provincia; dummodo id sequatur tempore actionum capitularium; nam quæ tali tempore adimplenda sunt, non valent, si illo transacto adimpleantur. Quod vero sufficiant Diffinitorii vota, probatur, quia Decretum, quod determinat electionem talium, non arctat illam ad vota totius *Capituli*, sed dicit, *eligi debeant in singulis Capitulis & Congregationibus Generalibus*; unde, sicut praxi constante alias tales *Judices* eligebantur per vota Diffinitorii Generalis, ita modo possunt eligi per vota Diffinitorii Provincialis, dummodo fiat (ut dixi) in Capitulo. Confirmatur præfata assertio, nam primum Decretum, ac secundum *Part.* 1. *num.* 18. *&* 27. *proxime cit.* æque tribuit facultatem eligendi illos sex Patres in Capitulis, ac in Congregationibus Generalibus; sed ad Congregationes Generales soli Diffinitores Generales accedunt, ergo ad eos spectat una cum Generali ad talem electionem devenire. Quod, si Decretum supra relatum *loc. cit. n.* 33. *p.* 1. extendens auctoritatem Generalis ad Provinciales pro electione dictorum Patrum, nullam de Capitulis, sed de Congregationibus Provincialibus mentionem facit, ergo, cum solum Diffinitorium corpus Congregationis Capitularis constituat, ipsi incumbit annuatim hos sex Patres eligere, quorum approbatio, ac confirmatio (ut habet citatum Decretum) a Generali est attendenda.

139 Dubitatur tertio, quid agendum, si infra annum aliquis ex electis Patribus, decedat? An expectandum sit Capitulum, vel Congregatio? Advertit *Passer. loco cit. num.* 589. quod, cum ex *Decretis* primo, & secundo, supra allatis, habeatur, quod pro tempore antecedente ad Capitulum, vel Congregationem, illi sex Patres debuissent eligi a Generali intra quatuor menses, nec fuerit præcepta Capituli, aut Congregationis expectatio, ut Capitularium voto fieret dictorum Patrum electio, Sacræ Congregationis mentem fas est conjicere, noluisse expulsionis remedium, ob defectum Conjudicum, differre, nec longius debuisse detineri in Carcere Incorrigibilem, ultra terminum, a lege præfixum: Si ergo permisit Generali ad electionem sex Patrum, pro tempore antecedente ad primum Capitulum, devenire; & quodammodo pro acceleratione dictæ electionis tempus præscripsit, ne ultra illud fieret ex negligentia protractio, ita in simili intelligetur concessa facultas subrogandi in defectum Defunctorum, nisi instet de proximo Capitulum, vel Congregatio. Idem quoque tenet *Nicolius lib.* 3. *tit.* 31. *num.* 8. Verum hisce temporibus suppleri posset (absque subrogatione) defectus, substituendo aliquem ex his, qui fuerunt pro toto Ordine electi, cum possit eorum votum, prout ex Decreto citato *Part.* 1. *num.* 29. etiam per epistolas mitti, & haberi.

140 Dubitatur quarto, a quo, & qualiter construi debeat pro Incorrigibilium expulsione Processus? Respondetur, quod, sicut Generali non fuit dempta facultas *delegandi* quoad hoc, eo quia per *Decretum Urbani Octavi* solum requiritur, quod ille sit, qui ejiciat; ita & nunc de Provincialibus, quibus facultativa dispensatione indultum est, ut id præstent pro sua Provincia, quod Generalibus conceditur pro toto Ordine; quare, si necesse non fuit, quod processus fabricaretur a Generali, aut aliquo ex sex electis Patribus, ex quorum voto pendebat expulsionis sententia, sed a quocunque alio, ad id per Generalem electo, construi poterat, juxta stylum cujusque Ordinis, ut habent Decreta *Part.* 1. *n.* 18. *&* 39 *&* 31.; ita & Provinciales quem voluerint, delegare poterunt ad hujusmodi processus constructionem. Idem tenet *Passer. de hom. stat. quæst.* 189. *num.* 590., estque communis Doctorum sententia.

141 Dubitatur quinto. Ex quo in *Decreto* citato *Part.* 1. *num.* 27. habetur ita: *Si Generalis tam longe abfuerit, ut tum eis* (nempe sex Patribus) *convenire non possit, debere ad eundem transmittere summarium processus cum eorum voto, & juxta illud Generalis possit ad sententiam expulsionis procedere.* Non leve dubium consurgit, quantam distantiam assignare possimus, ut possit verificari conditio, assignata a Decreto, ob quam sex Patres, qui debent in consilio esse cum Generali in ordine ad expulsionem, & propria vota collegialiter, & oretenus dare, ut docet *Sanctor. de pœn. cap.* 19. *qu.* 4. *ver. S d melius fol.* 250. dispensentur, ut vota simul cum summario processus possint ad Generalem transmittere. Cum hæc materia valde affinis sit cum Collegio, quod debet fieri pro electione canonica, juxta *Cap. Quia propter extra de elect.* ex eo quod ita debent in casu nostro conferri vota ad expulsionem, sicut conferuntur ad electionem, censerem ea, quæ disponuntur pro electione, quoad locorum distantiam, etiam quadrare pro nostro casu. Habemus autem ex *Cap. cum inter. cap. coram D lecto. extra. de elect.*, quod absentes per nimiam distantiam, vocandi non sunt ad electionem, ex eo, quod commode accedere non possunt, ut dicunt *Abb. in cap. Coram. dilecto num.* 3. *de elect. Biax. p.* 3. *cap.* 7. *num.* 3. *apud Passer. de elect. can. cap.* 11. *num.* 35. *Rota de-*
cis.

cis, 288. *coram Mantic.*. Sed quæ nam distantia censenda sit magna, hæc relinquitur a Doctoribus, iudicio prudentum, arbitranda. Dico tamen, quod, si Generalis distet ultra tres dietas, censendus sit valde distare; hoc deducitur ex *Glos. in cap. Quanto in verb Genuam 63. dist.* & *in cap. Cum inter in verb. Remoti de elect.*, ex quarum una habetur, *nota, quod vocantur absentes a Mediolano usque ad Genuam*, & hoc idem confirmet secunda. Stat autem, quod Mediolanum distat a Genua per tres dietas, plus minusve. Si ergo absentes per tres dietas, ad electionem vocandi sunt, quia commode possunt interesse, & non dicuntur abesse nimia, seu longa distantia; pari modo debet dici, quod, si Generalis ultra tres dietas abest a Provincia, in qua debet dari sententia expulsionis, *longe absit*; si vero intra tres dietas, *non longe* absit; & ita in primo casu possit practicari missio Summarii, & Votorum per litteras; in secundo casu non. Huic solutioni concordat *Stat. Gen. Ord. cap.* 8. §. 50. *num. 6.*, quo ordinatur, quod in casu mortis Provincialis, si Superior Generalis absit a confinio Provinciæ per tres dietas tantum, consulatur ipse, antequam fiat electio Vicarii Provincialis; si ultra tres dietas, convocatis Electoribus, ad electionem statim procedatur. Sicut ergo distantia ultra tres dietas censetur nimia ad expectanda Generalis mandata pro electione, ita talis censeri debet ad hoc, quod obligentur sex Patres Generalem adire, ad dandum oretenus consilium de expellendo, & ideo in tali casu dispensantur, & possunt scripto mittere votum.

142 Sed, quod nam spatium dieta includit? Dico *concorditer ad ea, quæ alias in Pract. crim. tit. 5. qu. 26. num. 135.*, *a qua, ut facilius obviam fierent, solutionem hujus quintæ dubitationis deprompsi, sicut & nonnulla alia, ad hanc quæstionem pertinentia*. Quod, licet in citato *Statuto* assignentur triginta leucæ, hoc est nonaginta milliaria Italica pro tribus dietis, ita ut dieta deberet censeri iter triginta milliarium Italicorum. Debet autem accipi dieta in casu nostro secundum acceptionem *Juris communis l. 3. ff. de verb. signif. cap. nonnulli de rescrip. Castellin. de elect. cap. 8. nu. 1. apud Donat. tom. 2. tract. 4. qu. 15. num. 3. Barbos. in cap. Cum inter num. 7. de elect.*, in quo dieta accipitur pro itinere viginti milliarium Italicorum. Quod enim in Statuto illo sic taxentur dietæ, est pro illo casu determinato, qui non debet extendi, cum sit vitanda juris communis correctio, quantum plus possit. Talis vero distantia metiri debet a confiniis Provinciæ versus locum, in quo Generalis est, ex eo quod hoc similiter disponitur in supracitato Statuto circa distantiam dietarum pro consulendo Generali ad electionem Vicarii Provincialis; dicit enim *Si contingat* (Generalem) *adesse in spatio trium dietarum*, hoc est triginta leucarum computandarum a confinibus Provinciæ, ubi vacantia contingit. Advertendum tamen, quod, si commode omnes Patres possunt, simul conveniendo, materiam discutere, & vota conferre, melius fiet; *ex* conferentia enim, & discursu magis dilucidatur materia, & veritas elucescit, ut optime advertit *Sanctor. de pœn. c. 19. q. 4. vers. Sed melius fol. 259.* Non est autem necesse, ut omnia vota illorum sex Patrum in expulsionem colliment, itant uno, vel altero ipsorum dissentiente, fieri non possit; sufficit enim, quod major illorum pars ad eam inclinet, ut declaravit Sacra Congregatio in citata responsione ad ultimum quæsitum.

143 Dubitatur sexto. An, si vota Patrum sint diversa in paritate, tribus nempe inclinantibus, tribus vero non consentientibus in ejectione, possit Generalis expellere Incorrigibilem? Et dico, quod non, quia, quando requiritur consensus maioris partis Collegii, ad hoc, quod Superior possit aliquid facere, non sufficit æqualitas votorum Collegii, ut habetur ex *Gloss. in cap. Si ab Episc. §. Cum vero in V. assensu. Ne sed vac. in 6.*, cui consentiunt *Abb. in cap. Postulastis, de concess. præbend. num. 14. ubi Imol. num. 15. Navar. cons. 61. de Regul. Sanchez. sum. lib. 5. c. 4. num. 67.* In proposito autem nostro facultas eijciendi, spectat ad solum Generalem; dicit enim Decretum *Ab ipso Generali tantum cum consilio, & assensu sex Patrum ex gravioribus*, ita ut non ad Collegium, integratum ex Generali, & sex Patribus, sed ad Generalem solum spectet eiectio. Sicut ergo Episcopus, qui debet conferre præbendam cum consensu Capituli, conferre non potest, nisi adsit major pars votorum Capituli, ut innuit *Glossa* citata, ita nec Generalis, qui solus eijcere potest cum consilio, & assensu sex Patrum, expellere nequibit, nisi habeat consensum majoris partis, quæ tunc dicitur adesse, quando superat aliam partem, non quando est alteri æqualis, & ita decidit Sacra Congregatio in Decreto, sæpe citato, responsione ad septimum, ubi aperte dicitur, *Sententiam eiectionis a Religione, ferri debere, saltem de voto maioris partis sex Patrum electorum*. Vnde quoque *Passer. de hom. stat. tom. 3. qu. 189. num. 590.* nobiscum sentiens, colligit, illos sex Patres non esse Coniudices, sed Consiliarios, nec eorum esse sententiare, sed consulere; ideo merito Eorum Generalis non numeratur cum aliis Consulentibus, quia ipse est Iudex, non Consulens. Nec præstat dicere, quod Provinciales, & a fortiori Generales habent in electionibus votum decisivum, sicut & in omnibus negotiis, a Diffinitorio resolvendis, juxta indultum Vrbani Octavi *Religiosos Viros 10. Novemb. 1642. Orb. Seraph. tom. 4. fol. 87.*; unde in casu nostro possit Generalis addere votum suum, & sic decidere, & decernere expulsionem. Negatur enim paritas, quia Decretum illud loquitur expresse de electionibus, & non potest extendi ad hanc materiam, quæ exorbitat ab electione. Deinde aliud est loqui de iis, quæ debent fieri a Superiore solo cum consensu Diffinitorii, & aliud de ijs, quæ debent fieri auctoritate totius Diffinitorii. In isto secundo casu bene potest Provincialis habere votum decisivum, & inclinare in eam partem, quæ sibi melior videtur, casu, quo vota sint paria, quia maior, & sanior censetur illa pars, in quam Superior, ut dignior, inclinat, ut dicunt *Ioan. de An. consil. 62. col. 3. vers. Circa secund. Alex. consil. 192. init. lib. 6.* dummodo contrarium non aperte exprimatur in jure. In primo vero casu non sic, quia Superior solus habet ius ad illud agendum, & Diffinitorium tantum requiritur in consiliando, & assentiendo. Si ergo Prælatus a lege iubetur aliquid facere cum consilio, & assensu Diffinitorij, ad hoc quod illud facere possit, oportet, quod maior pars Diffinitorii, non comprehenso Provinciali, ita consulat, & assentiatur; in dando enim consilio, & assensu, Provincialis non censetur tunc de corpore Diffinitorii, aliter posset dici, quod consiliaretur, & assentiretur sibi ipsi, & ita esset consulens, & consultus, assensum petens, & dans,

quod

quod est ridiculum. Cum ergo sex Patres non habeant facultatem expellendi, sed Generalis solus, & illi tantum debeant dare consilium, & assensum, sine quo nequit Generalis expellere, sequitur, quod ad expulsionem requiratur major pars votorum illorum sex Patrum, nec sufficiant tria vota, ad hoc ut expellere possit, & sic ultra prædicta, firmat *Petrus ab Ang. Ind. Reg. cap. 26. sub num. 4. vers. Dico secundo. fol. num. 186.*

144 Dubitatur ultimo, an Generalis teneatur sequi consilium sex Patrum, consulentium expulsionem? Et respondetur negative. Ratio est, quia *Decretum de Ejectis*, non dicit, quod probatus incorrigibilis *ejici tandem debeat*, sed *ejici tandem possit*. Ita ut bene verum sit, quod Generalis nequit expellere, nisi accedat consensus Patrum, quem ad expulsionem faciendam sequi tenetur; non tamen sequitur, quod obligetur ad illum expellendum, etsi illi ita judicent, sed potest illum expellere, vel non; ita ut Generalis in *expulsionem* alligetur quidem consilio Patrum, in non expellendo vero non sic, quia potest non expellere, licet Patres in expulsionem inclinent.

145 Quod, si sententia sequitur, illius copia tradenda est Reo, ut habet *Donat. qu. 18. ex Passer. loc. cit. num. 593.* Simulque talis sententia scripto notificanda est Ordinario loci. Quod notificanda sit, habetur ex Decreto relato *Par. 1. num. 19.*, quod vero id debeat fieri scripto, hoc dicitur ad finem, quod possit in Archivio Episcopali conservari, & Episcopus ostendere suam fundatam intentionem in casu alicujus criminis, ob quod puniendum oriretur controversia inter Forum Ecclesiasticum, & Laicum. Formulam autem hujusmodi notificationis trademus infra. Sed hic advertendum, quod nomine Ordinarii non venit semper Diœcesanus, *Glos. in cap. Ordinarii. in verb. Locorum. de offic. Ordin. in 6. cap. Cum ab Ecclesiar. extra. eo tit.* nam hoc nomen solis Episcopis congruit; Decretum autem requirit, sententiam notificandam esse Ordinario loci, scilicet illi, quisvis sit, cui convenit universitas causarum, & jure suo beneficia conferre; unde sequitur, quod, si expulsio fieret Romæ, sententia est notificanda Vicario Papæ, qui est Judex Ordinarius omnium Clericorum; sed in loco nullius Diœcesis, notificari debet ei, qui, quasi Episcopalem jurisdictionem habet in tali loco, sive sit Abbas, sive Archipræsbiter, aut Prior. Notandum vero, quod talis sententia non debet in vim præfati Decreti notificari Ordinario loci, ubi expulsionis sententia executioni mandatur. Notificatur enim Ordinario loci, in quo Expulsus est naturalis, seu vivit, ad hoc ut vultum pecoris sui agnoscat, sciatque illum suæ jurisdictioni subesse, ut habet *Peijrin. Formul. Prælat. littera E. cap. 39. num. 3.*

146 Tandem, ut hanc quæstionem concludam, dico, quod Superior taliter expulso concedere debet litteras testimoniales suæ expulsionis, cujus formula infra tradetur. Quod, si quæras, ad quid possunt tales litteræ famulari expulso? Dico, quod suffragantur in hoc, quod, si forte esset laicus, & degeret in habitu laico, quia ob victum sibi parandum, exerceret aliquod opus mechanicum, casu, quo a Judice laico ad carceres, aliqua de causa quæreretur, aut aliquo onere gravaretur, posset per exhibitionem talium testimonialium, Forum declinare, ostendendo se subditum Episcopo, & ita a molestia se tueri &c.

QUÆSTIO ULTIMA

An expulsio habeat locum, ratione morbi gallici, & gravaminis de ære alieno.

SUMMARIUM.

147 *Religio habens Statutum Papale, annihilans professionem intrantis Religionem cum morbo gallico, potest illum expellere.*
Professio facta contra Decretum irritativum Pontificis, est nulla de jure.
Ægritudo mortifera de iure communi professionem non irritat.

148 *Dissensus interpretativus Religionis non sufficit ad irritandam professionem, bene tamen expressus.*

249 *Apud Minores nullus sine protestatione ad Religionem admittitur.*

150 *Professionem ære alieno gravatorum irritavit Sixtus V., sed moderatus est Clemens VIII.*
Professio cum naturæ, ac justitiæ legibus pugnare non debet.
Præceptum non omittendum, ut impleatur consilium.

151 *Valida est professio gravati ære alieno, esto illicita.*
Graviter peccat, qui sic profitetur.

152 *Cedens omnibus suis bonis, licite ingreditur Religionem, dum non speratur de brevi solutio ex æquo debitorum.*

153 *Illegitimi repulsi ab Ordine per Sixtum V., admittuntur per Clementem Octavum.*
Ortum trahentes a relapsis in fide, prohibentur usque ad quartam generationem sub nullitate professionis ad Ordinem recipi.
Habiles ex Decreto Pontificis, nequeunt sub protestatione admitti.
Dispositio conditionalis, non existente conditione, nil operatur.

154 *Expulsio invalide profitentium, opponente Statuto Ordinis admissioni, per Prælatos Ordinis præstari potest; secus de reclamantibus, quod vi, metu, aut ante pubertatem fuerint professi.*

155 *Profitentes nulliter ob Statutum Papale, post quinquennium possunt expelli, & illi reclamare.*

147 QUæstio est de eo, qui interrogatus in professione, an haberet aliquam infirmitatem incurabilem, aut esset gravatus ære alieno, negavit; utrum possit ejici a Religione, si postea repertus fuerit habere. Et primo, quantum ad id, quod pertinet ad profitentem, celato morbo gallico, respondet *Roderic. tom. 3. qu. 15. art. 9.* quod, si Religio habet Statutum Papale, vel suum, a Papa confirmatum, quod annihilet talem professionem, Religio potest illum, jam professum, eijcere. Ratio est evidens, quia professio facta contra Decretum irritativum Pontificis, est de iure nulla. Secus, si Religio non habeat tale statutum, ratio est, quia ægritudo etiam

mortifera, attento solo jure communi, non videtur annullare professionem, nam collatio facta regulariter criminoso valet, prout in *c. postulasti de rescr.*

148 Dices; professio facta sine consensu Conventus, non valet, ut dicitur in *ca. ult. juncta Glos. de reg.*, sed, si Conventus scivisset, profitentem illo morbo laborare, non consentisset professioni, ergo talis professio potest irritari, & sic professus expelli. Respondetur, quod utique non consensisset, sed postquam consensit, valet ipsa professio, eo quia omnia requisita ad validitatem professionis intervenerunt. Probat autem hoc idem exemplo Rodericus. Petrus v. g., si scivisset Mariam esse pauperem, non sumpsisset eam sibi in Uxorem, nam putans esse divitem, seductus consensum præstitit, & nihilominus valet matrimonium, si consensus alias legitime fuit præstitus, ut definitur in *l. 10. tit. 2. p. 4.*, & tenet *Covarruvias de spi. 2. par. Navar. 3. consil. tit. de reg. consil. 21. pag. 245.*

149 Hoc autem limitat, & quidem bene *Passer. tom. 3. qu. 189. art. 10. inspect. 4. num. 159.*, nisi Religio protestata sit de nullitate, nam, tunc professio evadit nulla, eo quia consensus Religionis deest, quoties protestatio de conditione præsenti, negat assensum, necessarium ad mutuum professionis contractum; & ita est in praxi apud Minores, nullum scilicet admittendi ad professionem, nisi factis hujusmodi protestationibus. Hinc fit, quod, sic dolose celans impedimentum, nulliter profitetur, & potest a Religione ejici prodito morbo.

150 Sed loquendo de eo, qui ære alieno gravatus, aut ad ratiocinia obligatus, accedit; an ejus professio sit nulla, si decepta Religione, profitetur? Respondet *Roder. tom. 3. q. 10 num 9.* affirmative, & adducit pro hac sententia Constitutionem Sixti V., qui in sua Constitutione prohibuit, ne recipiantur ad Religionem, ingente ære alieno gravati supra vires facultatum suarum, &, si recipiantur, eorum receptio, & professio irrita declaratur. Constitutionem porro Sixti V. modificavit Gregorius XIV., postremo utramque reduxit ad terminos juris communis Clemens VIII. Anno Domini 1602. die 2. Aprilis per suam Constitutionem, quæ incipit in suprema Ecclesia *tom. 3. Bullar. in Clem. 8. constit ejus 83.*, & meminit de ea *Sanch. de matrim. 7. disp. 37. qu. 4. num. 54. manual. q. 19. art. 3.*, relictis tamen in suo robore pœnis, ibi contentis contra Superiores, qui ea forma non servata, aut illis impedimentis affectos ad Religionem admittunt. Et quidem rationabiliter, nam Religionis professio cum jure naturali pugnare non debet; at justitiæ legibus Debitor est Creditori obligatus: ergo eas violare non debet, ut Religionem profiteatur. Non enim (teste Apostolo) sunt facienda mala, ut eveniant bona. Deinde præceptum omittendum non est propter opus consilii, arguit *Azor. instit. moral lib. 12. c. 1. q. 5.*; sed Religionem suscipere est opus consilii, alienum autem restituere est præceptum; Hinc jure merito interdicitur Superioribus Regularibus hujusmodi ære alieno gravatos ad Religionem admittere.

151 Quid ergo dicendum, si tacito impedimento profiteatur contra Pontificis Decretum, & Religione decepta? Respondetur, professionem, non obstante tali contradictione, subsistere, sed peccare profitentem. Quod subsistat, probatur, quia Decretum Pontificis, esto prohibeat sic vinculatos profiteri, eorum tamen professionem non irritat; neque ex inhibitione arguitur annullatio, nam multa fieri non possunt, eo quia prohibita, sed facta tenent. Voto enim simplici castitatis adstrictus, etsi nubere prohibeatur, si tamen nubit, matrimonium tenet; unde sequitur, quod, etsi professio sit illicita, tamen valida. Peccat vero, ut dixi, cum agat in re gravi, contra Pontificis Decretum; nec aliud probant argumenta superius adducta, quam quod illicite profiteatur; quare contra taliter profitentem non habet locum expulsio.

152 Qualiter vero sic vinculati possint licite ingredi Religionem, docet *D. Thom. 2. 2. qu. 189. art. 6. ad 3.*, quod, si debita facultates profitentis excedunt, unde nequeat per alios satisfacere, sat erit bonis suis cedere, eo quod liberi Hominis persona non sit Creditori obligata, sed res ejus, & bona. Hoc autem limitat *Azor. lib 12. c. 11. qu. 5.* ad eum, qui generaliter cedit, nec subest spes ex ejus commoratione in Sæculo per paucos annos, ut ex integro possit Creditoribus suis facere satis. Exemplum esto: Titius Cajo debet quingentos aureos, solvit centum, quos habet, nec potest reliquos, nec ulla probabilis spes subest, aliquid amplius in posterum habendi, tuta conscientia potest Religionem capessere, quoniam, etiamsi extra Religionem maneat, solvendo non erit, & impossibilium nulla est obligatio, hinc dicitur *Nam is ff. de dolo malo. Is nullam videtur actionem habere, cui propter inopiam Adversarii actio est inutilis*.

153 Dantur quoque alii, qui prohibentur profiteri; puta, filii illegitimi, spurii, sacrilegi, incestuosi, vel naturales, criminosi; quorum professio per Sixtum V. annullatur, sed per Clementem VIII tantummodo interdicuntur criminosi, prout in Constit. *In his, qui ad Religionum propagationem, sub die 17. April.* 1597. Gregorius XIII. ad professionem admitti vetuit eos, qui originem ex relapsis Judæis, Mahumetanis, & Hæreticis damnatis per sententiam in Foro Ecclesiastico, & hoc sive ducant originem per paternam, vel maternam lineam, usque ad quartam generationem inclusive, *Const. inc. Muneris nostri an. 1583. die 1. Aug.* Demptis enim illegitimis, quorum receptio a jure non excluditur; & contra quorum defectum in talibus non tenet protestatio, sicut nec contrahentes originem a conversis ad Fidem, nisi fuerint eorum Parentes relapsi, ut habet Constitutio Gregorii, reliqui supra recensiti illicite profitentur, eorum tamen professio tenet, nisi contra eam fuerit per Superiores Ordinis protestatum de nullitate, si celato impedimento, vota emiserint, quo enim casu professio irrita manet, & nulla, ideoque professus ejectioni subjectus. Ratio est, quia, licet talis professio non sit suapte natura irrita, potest tamen ejici, quia non fuit datus consensus legitimus ex parte recipientium, ut inquit *Peijr. tom. 1. de Subd. qu. 1. cap. 25. §. 3.*; receperunt enim eum cum ista conditione, si non descendisset ex Infidelibus &c., & dispositio conditionalis, non existente conditione, nihil operatur, ut *cap. Si pro te. de rescriptis in 6.*

154 Quæres, an prædictorum expulsio facienda sit a Prælatis Ordinis cum eorum Collegis, absque interventu Ordinarii? Et respondetur cum *Roder. tom. 3. qu. 17. art. 9. & qu. 11. art. 2. Navar. lib. 3. consil. de regul. consil. 26. num. 13. Manuel. qu. 52. art. 2. concl. 5. ex Peijr. loc. cit.* affirmative. Probatur

batur ex privilegio *Leonis X.*, qui *an.* 1516. *die* 15. *Mart.* per ſuam Conſtitutionem, quæ incipit, *Cum ſicut nobis*, concedit hanc facultatem Superioribus Ordinis. Nec obſtat diſpoſitio Concilii Tridentini ſeſs. de regul. cap. 19., ubi dicitur, *quod quicunque Regularis prætendat ſe per vim, aut metum, ingreſſum eſſe Religionem, aut etiam dicat ante debitam ætatem profeſſum fuiſſe, aut quid ſimile, velitque habitum dimittere quacunque de cauſa &c., non audiatur &c., niſi cauſas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore ſuo, & Ordinario*, quia ut bene advertit *Peijrinus* ex *Sanchez lib. 7. matri. diſp.* 37. quem ſequitur *Zacb. in conſil. a num.* 48., *& ſeqq.* Concilium non procedit in profeſſione nulla, & irrita ex Statutis Religionis, confirmatis a Pontifice, ſed procedit in cauſis, irritantibus profeſſionem de jure, ut colligitur ex allatis exemplis; profeſſio enim impuberum eſt ipſo jure nulla, ſicut, ſi fiat per vim, & metum, cadentem in conſtantem virum; de nullitate ergo profeſſionis, orta ex aliquo horum capitum, ſi profeſſus intra quinquennium reclamaverit, poteſt Ordinarius una cum Prælato Ordinis diſcernere, non vero ubi profeſſio eſt nulla per Statutum ſpeciale; vel poſſet dici, per dictum caput provideri Subdito reclamanti, ut ibi patet, eo quia ſibi ipſi jus facere nequeat, & Superiores, contra quos reclamat, habeat partem, idcirco ad judicium Ordinarius poſtulatur; non ita, dum Judex legitimus, cognita cauſa, ex Seniorum conſilio expulſionem decernit: Attamen ex diſpoſitione Decreti Sacræ Congregationis, & aliorum, quæ infra tradam part. 3. quæſt. 1. num. 3. conſultius eſt hiſce caſibus, ubi de nullitate agitur profeſſionis, interventum Ordinarii poſtulare.

155 An autem expulſio taliter profitentium, contra Statuta, fieri debeat intra quinquennium, ſicut de reclamantibus de nullitate dicitur? Reſpondetur, hos ſic profeſſos poſſe quocunque tempore expelli, & audiri; quia Concilium, claudens oſtium ad reclamandum poſt quinquennium, loquitur de contendentibus nullitatem profeſſionis, ex capitibus, ſupra recenſitis in textu, non de illis, qui per Statuta, & proteſtationes prohibiti vorerunt. Ita *Sanchez loc. cit.* cum *Peijrino*, *ubi ſupra*.

FORMULARIUM
PROCESSUS
CONSTRUENDI

Pro Incorrigibilium expulſione ab Ordinibus Regularibus.

PARS SECUNDA.

1 *NTEQUAM Superior Regularis aggrediatur proceſſum pro experienda incorrigibilitate Subditi, neceſſarium eſt, quod iſte de delictis gravibus juxta jus commune, aut proprii Ordinis Conſtitutiones antea fuerit ter punitus, aut canonice, & judicialiter monitus, aut notabili, ſeu extraordinaria pœna paternaliter mulctatus, & hoc ſive ejuſdem, ſive diverſæ ſpeciei fuerint delicta ipſa.*

2 *Requiritur pariter, quod delicta, ob quæ fuit punitus, habeant moralem continuationem in mala vita; ita ut ex ipſius converſatione, & vita relaxata appareat, ob adhibitam pœnitentiam, in nihilo melius Reum mutaſſe malos mores ſuos, quamvis ordinariæ correctiones Superiorum ſibi factæ fuerint.*

3 *De hujuſmodi autem delictis, punitionibus canonicis, monitionibus, ſeu notabilibus pœnitentiis conſtare debet; aut ex autographo ſententiarum, & ſpectabilium pœnitentiarum, quod in Archivio Provinciæ aſſervatur juxta quorundam Ordinum Statuta; aut per probationem Teſtium integrorum, qui de notarietate facti deponant circa pœnitentias, & correctiones adhibitas, & de earum cauſis.*

4 *His ſuppoſitis, debet Superior ſive Abbas, ſive Provincialis &c. devenire ad experimentum incorrigibilitatis per ſemeſtrem formalem Rei carcerationem, pœnitentias, ac jejunia. Hæc autem carceratia facienda eſt, adhibito conſilio, & aſſenſu eorum Conjudicum (ſive ſint Diffinitores, ſive Conſiliarii, Diſcreti, Socii, Aſſeſſores, Conſultores &c. vocentur) qui juxta varia Ordinum Statuta judicant de gravioribus delictis Religioſorum, quæ judicialiter, & per ſententiam vindicantur. Ad aggrediendum vero tale experimentum incipi debet proceſſus, ut ſequitur.*

5 IN nomine Domini Amen. Cum A.R.P.N. Provincialis adverterit, inter ſuos Subditos connumerari Fr. N. diſcolum, ſcandaloſum, & pluribus vitiis deditum, qui multa gravia delicta commiſit, de quibus, licet punitus fuerit ad ſuarum legum normam, nunquam tamen reſipuit; imo incorrigibilem de jure ſe prodidit. Et cum ex ſua perverſa converſatione non modica oritur inter Religioſos conturbatio, & Sæculares plurimi ex ſua mala vita ſcandalizentur, imo, cum maximum periculum immineat, ne malo ſuo exemplo plurimos perdat, & in viam perditionis trahat: cumque omnes correctiones paternas idem A. R. P. expertus fuerit, fuiſſe, & eſſe inutiles ad ipſum reducendum ad bonam frugem, decrevit juxta Apoſtolicas, ac Regulares ſanctiones, hoc membrum putre reſecare, ne malignitate ſua cœteros Religioſos inficiat. Accito igitur me infraſcripto, quem Notarium creavit in ſolita forma, coram Teſtibus, infra notatis, decrevit Diffinitorium congregare, ad effectum habendi a quibus de jure conſilium, & aſſenſum prædictum Fr. N. incarcerandi, & omnia alia, prout

de jure peragendi. Acta sunt hæc die . . . anno . . . in Conventu N.

Ego N. Provincialis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

6 *Contingit autem, quod expellendus sit in Conventu liber; aut quod sit in carcere, ob pœnam tertij delicti commissi; aut, post tertium delictum, apostataverit, aut effracto carcere aufugerit; & juxta varietatem casuum, variandа est forma processus. Ponamus ergo, quod Reus reperiatur in Conventu liber, ut constet de perseverantia ejus in mala vita, post tertiam punitionem, aut notabilem pœnitentiam, examinandi sunt tres, aut quatuor Testes integri, & bonum est, quod sint ex Superioribus, & Discretis localibus, aut alijs Religiosis senioribus; & facilitatis gratia hoc præstari potest tempore, & actu visitationis Conventus, in quo degit Reus de Familia, quæ regulariter quotannis fit, quod præstari poterit continuando processum, ut sequitur.*

7 Consequenter volens A. R. P. Provincialis informari de veritate circa malam conversationem, & impoenitentiam prædicti Fr. N., de quo fama vulgata est, quod male vixerit etiam post sibi adhibitam correctionem, & poenitentiam; vocari coram se fecit R. P. N. Priorem, aut Guardianum &c. Conventus N. ætatis annorum &c. Religionis antem &c. Testem ex officio assumptum, qui juratus, & monitus, prout juravit tacto pectore &c. fuis.

Interrogatus, An sciat causam suæ vocationis? Respondit &c.

Quos nam Religiosos habeat in sua Familia Sacerdotes, Clericos, & Laicos Conversos. Respondit &c.

An aliquis eorum affectus sit aliqua notabili poenitentia, seu monitione canonica, a quo tempore, & qua de causa? Respondit &c.

An talis poenitentiatus expost bene vixerit, mores suos in melius commutaverit, & signa emendationis dederit? Respondit &c.

De causa scientiæ prædictorum? Respondit &c.

De contestibus? Respondit &c.

An prædicta sint notoria in Conventu? Respondit &c.

An amore, vel odio deposuerit? Respondit &c.

ET HIS DEPOSITIS, & si, & in quantum &c. acceptatis, lecta sibi prius sua depositione, cum nihil ei addere, vel minuere voluisset, se subscripsit, & dimissus est, salvo semper &c. Acta sunt hæc die &c. mensis &c. anni &c. in Conventu &c.

Ego N. deposui, ut supra.

Ego N. Provincialis.

Ego N. Actuarius.

Si Testis suo examini aliquid velit addere, vel minuere, concludi debet examen, ut sequitur.

Et his depositis, & si, & in quantum acceptatis, lecto sibi suo examine, cui voluit addere, quod &c. *& extendatur id, quod examinatus volet addere &c. sive* voluit minuere &c. *sive* se correxit in hoc, quod supra dixit &c. sed melius re pensata dixit &c. & se subscripsit, & dimissus est; salvo semper &c.

8 *Pari forma examinandi sunt alii duo Testes, quibus similes supra datis interrogationes fieri debent, & continuari processus, ut sequitur.*

Consequenter coram eodem A. R. P. Provinciali vocatus fuit P. N. Vicarius, *seu* Discretus, Confessarius, Lector, Concionator &c. ætatis annorum &c. Religionis vero &c. Testis ex officio assumptus, qui juratus, & monitus, prout juravit tacto pectore &c. fuit.

Interrogatus. In quo Conventu moretur de Familia? Respondit &c.

A quo Tempore in eo moretur? Respondit &c.

Qui nam, & quales Religiosi de Familia ibi sint? Respondit &c.

An aliquis eorum affectus sit aliqua notabili pœnitentia, seu monitione canonica; a quo tempore, & qua de causa? Respondit &c.

An talis poenitentiatus expost bene vixerit, & signa emendationis dederit? Respondit &c.

De causa scientiæ prædictorum? Respondit &c.

De Contestibus? Respondit &c.

An prædicta sint notoria in Conventu? Respondit &c.

ET HIS DEPOSITIS &c. ut supra, usque ad subscriptionem Actuarii, concluditur examen; & juxta eandem methodum examinatur alius Testis.

9 *Post supradicta pro continuatione processus, advertendum; quod aut in Archivio asservantur authenticæ memoriæ sententiarum judicialium, sive monitionum canonicarum, sive notabilium pœnitentiarum, quæ datæ sunt Religiosis juxta stylum quorundam Ordinum Regularium: aut tales memoriæ in Archivio, olim positæ, deperditæ sunt: aut ex incuria Secretarii seu Archivistæ notatæ non fuerunt: aut stylus in Religione non est, quod tales memoriæ descriptæ, ut præfertur, conserventur. Dato casu, quod dictæ memoriæ habeantur registratæ, continuetur processus, ut sequitur.*

10 Consequenter A. R.P. Provincialis præcepit mihi Actuario, ut e libris Provinciæ, qui in Archivio asservantur, (adhibitis mecum duobus Testibus, ad hoc specialiter vocatis, & rogatis) compulsarem fideliter copiam sententiarum judicialium, canonicarum monitionum, aut notabilium poenitentiarum, prædicto Fr. N. Reo diversis temporibus inflictarum, & in hoc processu insererem. Proinde vocatis ad hoc in Testes PP. FF. N. & N. Sacerdotibus, ipsis bene videntibus, & legentibus, reperi in libro &c. *& describatur qualitas libri; si est in folio magno, aut parvo; si coopertus sit pelle rubea, aut membrana pergamena &c.* folio &c. descriptum, ut sequitur. *& transcribatur ad literam, quod ibi reperitur.*

Pariter folio &c. *& similiter extendatur.*

Acta sunt hæc die &c. mensis &c. anni &c. loco &c.

Ego N. Actuarius.

Ego N. fui testis.

Fgo N. fui testis.

11 *Dato vero casu, quod memoriæ prædictæ non reperiantur, quia Secretarius Provinciæ ex incuria eas non adnotavit, aut ab Archivio surreptæ, aut deletæ de libro fuerunt; aut stylus Religionis est, quod illæ non conserventur, probandæ sunt per Testes sententiæ, seu monitiones, aut notabiles pænitentiæ, Reo ter inflictæ, & continuari processus, ut sequitur.*

11 Consequenter volens A. R. P. Provincialis ante convocationem Diffinitorii facere constare in actis de notabilibus poenitentiis, ter inflictis inutiliter præfato Fr. N. Reo, licet hoc sit publicum, & notorium, decrevit super hoc congruos Testes, ex officio assumendos, examinare. Proinde vocare coram se fecit P. Fr. N. Sacerdotem annorum ætatis &c. Religionis vero &c. & ipsi dato juramento &c. prout juravit tacto &c. fuit.

Interrogatus. An cognoscat, & a quo tempore

Fr. N.

Fr. N. ? Respondit &c.

Andicto Fr. N. data fuerit aliqua notabilis pœnitentia; qua de causa; ubi, & quando, & qualis? Respondit &c.

Quomodo hoc sciat? Respondit &c.

An hoc in Provincia, seu Conventu sit notorium? Respondit &c.

An post tales pænitentias, dictus Fr. N. emendatus sit? Respondit &c.

De Causa scientiæ? Respondit.

An amore, vel odio deposuerit? Respondit &c.

ET HIS DEPOSITIS &c. ut supra num. 7.

Pari modo, & forma examinandi sunt alii duo Testes, quibus intentum probetur.

13 *His igitur, ut præfertur, peractis, congregare debet Judex Conjudices suos, puta, Diffinitores seu Socios, Assessores, aut Consultores juxta varias Ordinum Regularium Constitutiones, & ab eis exquirere, an sit in casu decernendi carcerem formalem per sex menses ad probandam incorrigibilitatem, in ordine ad expulsionem, & prosequi debet processus, ut sequitur.*

14 Consequenter anno &c. mense &c. & die &c. in Cameram, in qua congregari solet Diffinitorium ab eodem A. R. P. Provinciali convocati fuerunt RR. PP. N. N. N. &c. Diffinitores &c. & præmissa, ut moris est, Spiritus Sancti invocatione, statuit coram illis processum, hucusque constructum proponere; *in quo constat* de tribus notabilibus pœnitentiis, inflictis prædicto Fr. N. Reo, & de continuatione ejusdem in mala vita, quem quidem processum clara, & intelligibili voce per me Actuarium legi fecit omnibus, ac singulis, bene audientibus, ac intelligentibus. Absoluta mox lectura, idem A. R. P. Provincialis eisdem proposuit, an ipse Fr. N. Reus debeat formaliter incarcerari per sex continuos menses juxta Sanctiones Apostolicas, ut tali modo ad emendationem morum compellatur; aut ejus incorrigibilitas plene probetur. Qui RR. PP. mature consideratis omnibus, consilium, & assensum dederunt, ut prædictus Fr. N. Reus per tale tempus formali carceri manciparetur. Acta sunt hæc die, & loco, quo supra &c.

Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ita est ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

15 Consequenter in executionem prædictorum idem met A. R. P. Provincialis vocari coram se in publico Religiosorum Capitulo fecit prædictum Fr. N. Reum, ipsumque genuflexo, ad eum habuit paternum, ac gravem sermonem, in quo exprobavit illi repetita delicta, puta, quod tali tempore, & loco &c. commisit tale scandalum &c. *& hic recenseantur delicta trina, seu plura; ob quæ fuit notabiliter pœnitentiatus.* Et quod nihilominus per pœnitentias emendatus non est, imo novos adjecit defectus, & perversos mores ostendit; proinde cum consilio, & assensu Diffinitorii decernit, juxta Ordinis Statuta, esse formaliter *carcerandum per sex menses*, ut per talem pœnitentiam a mala vita resipiscat. Protestando ex nomine suo, & totius Religionis, quod, si post dictam pœnitentiam, in sua perversitate, & malitia perseveraverit, tanquam incorrigibilis ab Ordine expelletur. Hortatus est tandem, & ipsum obsecravit per viscera D. N. I. C. ut de sua salute recogitaret, & ex corde pæniteret. Et omnibus Religiosis meritum sanctæ obedientiæ indulsit, si specialem orationem facerent pro conversione ipsius, ne ex ipsius incorrigibilitate cogeretur ad ipsum eijciendū a gremio Religionis. Mandavit tandem, decretum talis carcerationis executioni demandari. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Actuarius.

In cujus decreti, ac mandati executionem ipse Fr. N. Reus carceri mancipatus est, ut constat ex jurata relatione, mihi facta a Fr. N. Custode carceris in his verbis.

Io Fr. N. con mio giuramento, che presto, toccando le sacre Scritture, depongo d' haver ricevuto sotto la mia custodia Fr. N. per tenerlo nella carcere formale di questo Convento, nella quale l' ho attualmente rinchiuso, e serrato sotto chiave, e cio d' ordine del M. R. P. Provinciale. In fede di che &c.

Io Fr. N. Custode della carcere.

Si nescit scribere ponatur. In fede di che, non sapendo scrivere faccio di mia mano questo segno di Croce ✠

Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego Fr. N. Actuarius.

16 *Si audita a Superiore decreto, & mandato carcerationis, Reus appellet; non admittatur ejus appellatio, sed eam refutet Provincialis, tanquam nullam, & apprehendi eum faciat, & factum describatur, ut sequitur.*

17 Et cum audisset præfatus Fr. N. Reus decretum, ac mandatum A. R. P. Provincialis de illo incarcerando, surgens, & stans a dicto decreto appellationem ad Superiores Generales interposuit; quam appellationem tanquam nullam, ac frivolam idem A. R. P. Provincialis reiecit, & mandavit FF. N. N. N. laicis Conversis, ut eum apprehenderent, & in carcerem ducerent; quod prompte executum fuit, & ipse Fr. N. Reus in carcerem conjectus est, ut constat ex jurata relatione, mihi facta a Custode carceris per verba sequentia. Jo. Fr. N. con mio giuramento &c. *ut paulo supra.* Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego Fr. N. Actuarius.

18 *Advertat Provincialis, quod, si rationabiliter prævideat, Reum protervum, contumacem, ac ferocem non esse sibi pariturum, præparet quatuor, aut sex Religiosos constantes, & validos, & si opus est, etiam ad propriam defensionem armatos, qui valeant ipsum velit, nolit, apprehendere, & incarcerare, & in horum defectum, invocare potest auxilium brachii Sæcularis Ecclesiastici (si eius habetur familia armata), aut laici, ad hoc, quod captura assecuretur.*

19 *Si in apprehensione Reus percutiat, vulneret mutilet, aut occidat, detrudatur in carcerem, & instruatur processus alius per viam notorij, cum deliquerit Reus in facie, & coram Judice, & Religiosorum Capitulo, & condemnet ad pœnam statutariam, juxta praxim cujusque Religionis, & tali casu carceratio non debet esse formalis, sed ad custodiam donec fuerit sententiatus ad pœnam debitam pro percussionibus, aut vulneribus, quæ inflixit eum apprehendere volentibus. Describatur autem executio decreti carcerationis, ut sequitur.*

20 In cujus decreti, ac mandati executionem, cum prædictus Fr. N. Reus jussus fuisset ab eodem A. R. P. Provinciali, ut in carcerem pacifice iret, ipse perfricta fronte respondit &c. *& hic describantur*

tur ea, quæ dixerit. Et cum idem A. R. P. Provincialis jussisset FF. N. N. & N. laicis Conversis, *sive* Birruariis, ad hoc specialiter obtentis ab Illustrissimo, & Reverendissimo Episcopo, *sive* Perillustri D. Prætore, ut eum appræhenderent, ipse pugnis calcibus, morsibus &c. se defendit, ne appræhenderetur, & ex his Fr. N. sive N. birruarius, evasit cum livore in oculo, facie, &c. *aut* morsu in manu dextera &c. *sive* fuit prostratus in terra &c. *sive* percussus pugno, & copia sanguinis effluxit e naribus &c. *& hoc modo adnotentur per extensum omnia accidentia*. *Sive* idem Fr. N. Reus evaginavit stylum, pugionem, cultellum &c. *sive* eduxit pistolettum, quod gerebat occultatum, & exploso illo vulneravit, *aut* occidit F. N., *aut* N. birruarium &c. Sed appræhensus a cæteris, in carcerem conjectus est. Quod novum delictum publicum, & notorium decrevit idem A. R. P. Provincialis secundum Statuta Ordinis punire, antequam ad carcerationem formalem pro experienda incorrigibiliate deveniatur. Proinde idem A. R. P. Provincialis protestatus est, & expresse declaravit, & mandavit, prædictum Fr. N. Reum de hoc novo delicto detineri debere in carcere ad custodiam, donec fuerit de eo sententiatus, & pœnam Statutariam pro illo subierit; reservando sibi jus decernendi, quando prædictus Fr. N. Reus debebit formaliter carcerari pro experienda ejus incorrigibilitate, juxta præmissum Diffinitorii decretum. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N Provincialis,

Ego N. Actuarius,

21 *Completa igitur pœna novi delicti, commissi in ejus appræhensione (si quod commisit, ut supra dictum est) debet Reus formaliter carcerari ad experimentum incorrigibilitatis, & idem est, si illi sine strepitu fuerit ductus in carcerem. Manens autem in eo, debet exerceri pœnitentiis, & jejuniis juxta id quod a Statutis Ordinis præscribitur servandum cum formaliter carceratis. Quodsi in aliqua Religione non habeatur Statutum de hoc, pœnitentiæ, & jejunia sibi præscribenda sunt a Prælato, cujus arbitrio commissa censentur, servata tamen misericordia, & charitate fraterna. Et tali casu in decreto carcerationis, de qua supra num* 15. *post illa verba* carcerandum per sex menses, *debent addi pœnitentiæ, & jejunia, quæ Prælatus injungenda judicaverit, puta, dicendo* per quod tempus dictus Fr. N. Reus teneatur semel in qualibet hebdomada, nempe feria sexta, se in publica refectione disciplinare per integrum Psalmum *Miserere*, & genuflexus comedere panem, & aquam tantum, & illa die jejunare. *Sic &c.*

22 *Debet pariter Prælatus assignare taliter carcerato Religiosum devotum, & gravem in Patrem spiritualem, qui ejus Sacramentales Confessiones excipiat, frequenter visitet, & paternis exhortationibus ad emendationem vitæ, & cordis compunctionem adhortetur. Debet pariter injungere Superiori locali, ut saltem bis in hebdomada eum visitet, ab eo inquirat quomodo tractetur a Custode carceris, ne ob ejus asperitatem ad desperationem potius, quam ad compunctionem inducatur. Hæc autem fieri debent ut appareat Prælatum nihil intentatum reliquisse, ut animum Fratris sui lucretur. Et omnia adnotanda sunt in processu, ut sequitur.*

23 Consequenter idem A. R. P. Provincialis vocare coram se fecit R. P. N. Superiorem localem prædicti Conventus, & P. N. Confessarium senem, & dicto Patri superiori sub formali præcepto obedientiæ injunxit, ut bis saltem in hebdomada prædictum Fr. N. carceratum personaliter visitet, & ab eo exquirat, quomodo tractetur in victu, ac aliis, sibi necessariis, a Custode carceris; & si invenerit male ab eo tractari, hunc juxta regularia instituta puniat, aut etiam amoveat ab officio, & alium Custodem fidelem, ac magis charitativum ei subroget. Quod, si hæc præstare aliquando ob gravem causam ipse Superior localis personaliter non poterit, deputet, durante impedimento, Vicarium suum, aut alium idoneum, qui prædicta, sicut præfertur, adimpleat. Et si circa hæc Superior supradictus notabiliter negligens fuerit, per sex menses ab administratione Prælaturæ eum amovebit. Patri autem N. Confessario supradicto injunxit munus excipiendi Confessiones Sacramentales prædicti Fr. N. carcerati; & quod ipsum frequenter visitaret, & ad æquanimitatem, patientiam, orationem, ac morum conversionem per exercitia spiritualia induceret, & animaret; ita ut nihil illi desit, per quod ad bonam frugem reduci valeat. Qui prædicti Patres promiserunt, munera, sibi injuncta, esse diligenter præstaturos. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Provincialis.

Ego N. Superior localis.

Ego N. Confessarius.

Ego N. Actuarius.

24 *Sub finem semestris, Provincialis debet mittere ad carceratum duo Religiosos graves, (& bonum erit, quod unus sit Superior localis, & alius Discretus antiquior Conventus) ad explorandum illius animum, an velit a mala vita, transacta, resipiscere; quod in processu adnotandum est, ut sequitur.*

25 Consequenter, cum instaret finis sex mensium carcerationis dicti Fr. N. Rei, A. R. P. Provincialis munmari voluit, an talibus pœnitentiis, jejuniis, & carcere ille dispositus sit ad ejurandam duritiem proprii cordis, & concipiendum spiritum compunctionis, ac emendationis. Proinde vocari coram se fecit R. P. N. Superiorem localem, & P. N. Discretum antiquiorem Conventus, & illis injunxit, ut ad carcerem se conferrent, & explorarent mentem prædicti Fr N. carcerati, an habeat animum corrigendi vitam suam, & mores in melius mutandi, & quæ ab eo accepissent, fideliter ipsi A. R. P. referrent. Qui Patres promptos ad exequendum dictum mandatum se exhibuerunt. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Actuarius.

26 *Habito sermone a prædictis cum carcerato, & explorata ejus mente, debent referre ad Provincialem omnia ejus dicta, & facta, & registrari in processu, ut sequitur.*

27 Consequenter coram eodem A. R. P. Provinciali, ac infrascriptis comparuerunt supradicti R. P. N. Superior localis, & P. N. Discretus, & sub juramento, quod præstarunt tacto pectore, more sacerdotali, retulerunt, se associatos a PP. FF. N. & N. Testibus, ad hoc specialiter rogatis, & adhibitis, ut interessent colloquio, habendo cum dicto Fr. N. carcerato, juxta prædictum mandatum, sibi factum, & ad omnia bene attenderent, & a Custode admissi intra carcerem, simul cum præfatis Testibus, interrogaverunt eum, an vellet amodo vitam morigerati Religiosi gerere, antiquum hominem exuere, & antiquam conversationem in melius commutare. Qui præfatus Fr. N. respondit &c. *& hic describantur ea omnia, quæ ipse carceratus dixerit, aut*

aut fuerit. Et hæc omnia Testes supradicti, & infrascripti, medio juramento, quod præstiterunt, confirmarunt. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego Fr. N. Superior localis.
Ego Fr. N. Discretus affirmo.
Ego Fr. N. fui Testis.
Ego Fr. N. fui Testis.
Ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

28 *Potest autem Reus diversimode se gessisse in responsione, data prædicti, Delegatis, ad scrutandam ejus voluntatem. Nam, vel potest respondisse se pœnituisse de mala vita transacta, & concepisse firmum propositum amodo bene vivendi. Vel potest dedisse verba emendationis ambigua. Vel potest aperte ostendisse animum adhuc perversum, & induratum. Si primum, continuari debet processus, ut sequitur.*

29 Consequenter cum completi fuissent sex menses carcerationis formalis prædicti Fr. N. Rei ad normam Apostolicarum, & Ordinis Sanctionum, & ad juratam relationem supradictorum Patrum N., & N. ipse Reus signa pœnitudinis, & spem emendationis dederit, A. R. P. Provincialis, convocato Diffinitorio in solitam cameram, per me Actuarium legi fecit totum processum; quo lecto, ab ipsis consilium petiit, quid sibi videretur in hoc casu agendum. Qui RR. PP., mature consideratis omnibus, & attentis signis emendationis promissæ, a Reo datis, & quod Deus de lapidibus suscitare potest filios Abrahæ; & quod nullius, dum vivit, desperanda est correctio, in eam iverunt sententiam, ut e carcere educeretur, & coram Diffinitorio graviter admoneretur, sibi facta expressa protestatione, quod, si factis promissam emendationem non ostenderit, aut aliquod scandalum de novo commiserit, habebitur pro incorrigibili de jure, & ab Ordine expelletur. Tunc A. R. P. Provincialis immediate adduci coram omnibus fecit prædictum Fr. N., ad quem genuflexum, & humiliter veniam petentem, & emendationem denuo promittentem gravem sermonem habuit, & advocatis ad hoc specialiter in Testes PP. FF. N., & N. protestatus est, quod, si amodo Regulam, & Constitutiones non servaverit, Superioribus obediens non fuerit, pacifice cum aliis Religiosis non vixerit, aut aliquod scandalum intra, vel extra Claustra commiserit, tanquam incorrigibilis de facto, & de jure judicabitur, & a Religione ejicietur. Qui Reus iterum emendationem promittens, protestationem sibi factam acceptavit, & sic pro tunc dimissus est. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego Fr. N. promitto, & accepto ut supra. *Si Reus nescit scribere, ponatur, ut sequitur.*

Et cum dictus Fr. N. nesciat scribere, manu sua signum ✠ apposuit.

Ego Fr. N. fui Testis.
Ego Fr. N. fui Testis.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ita est ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

30 *Hoc modo completo processu, præparatorio ad expulsionem, processus ipse debet diligenter custodiri in Archivio Provinciæ, aut Conventus juxta stilum Religionis, & conservari per triennium ad minus. Et si nondum completo triennio Reus non ostenderit factis perseverantem, promissam emendationem, ad pristinam vitam redierit, aut aliud scandalum novum commiserit, poterit continuari processus ad expulsionem, ut inferius dicetur.*

31 *Si vero Reus interrogatus in carcere a Patribus, missis a Provinciali juxta dicta supra nn. 27., nulla signa, aut spem dederit emendationis, sed verba aut ambigua, aut expressa animi perseverantis in malo, & de iis relatio facta fuerit Provinciali, continuabitur processus post dictum n. 27., ut sequitur.*

32 Consequenter, cum completi essent sex menses carcerationis prædicti Fr. N., & ad juratam depositionem Patrum, ut supra missorum ad explorandam ejus voluntatem, A. R. P. Provincialis intellexerit, ipsum ambigua sive nulla signa conversionis dedisse, ut patet ex ipsorum relatione in actis existente, convocavit Diffinitorium, in solitam cameram, & totum processum per me Actuarium legi fecit, & ab ipsis RR. PP. Diffinitorii consilium petiit, quid agendum in hoc casu. Qui mature consideratis, & discussis omnibus, censuerunt esse ad ulteriora procedendum, in ordine ad expulsionem. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ita est Ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

33 *Potest dari casus, quod Reus, postquam liberatus est a carcere, & mutationem vitæ promisit, per aliquot menses bene vivat, & ex post aliquod grave scandalum committat. Potest pariter dari casus, quod scandalum nullum quidem patret, sed ad vomitum revertatur, relaxate vivat, orationem, & Chorum fugiat, turpia loquatur, serat discordias, Familiam conturbet, & ab ejus consortio fugiant cæteri Religiosi. Si commiserit delictum, quod juxta stilum Religionis via judiciali puniatur, Iudex instruat processum more solito, & omnia acta perficiat, usque ad sententiam diffinitivam exclusive; nam talis sententia debet esse ad expulsionem, quæ a solo Generali danda est. Interim, si delictum juxta stilum, & Statuta Ordinis tale est, quod Reus debeat mitti in carcerem ad custodiam, poterit in hoc detineri usque ad sententiam expulsionis diffinitivam.*

34 *Si autem grave delictum non commisit, moribus tamen parum religiosis, producit vitam, non emendatam. Prælatus debet super hoc instituere processum per viam inquisitionis mixtæ, nempe generalis quoad delicta, specialis vero quoad personam. Hæc autem potest institui, aut ex fama præcedente, aut ex denuntiatione, sive accusatione. Sed compendiosius fiet, si occasione visitationis generalis Conventus ipsa instituatur, ut sequitur.*

35 In nomine Domini. Amen. Cum A. R. P. N. Provincialis, occasione visitationis generalis Conventus N. audierit a pluribus Religiosis, fide dignis, Fr. N. (qui per sex integros menses, juxta Apostolicas, & Ordinis Constitutiones probatus est in carcere formali, in ordine ad expulsionem a Religione) non mutasse in melius mores suos, juxta id, quod promiserat tum existens in carcere, tum immediate post liberationem, prout apparet ex processu, in specie fabricato, qui asservatur in Archivio Provinciæ, seu Conventus, imo ad antiquam vitam revertisse, irreligiose vivendo, decrevit inquirere per viam judicialem ordinariam super hoc. Quapropter in præsentia N., & N. Testium specia-

liter

liter adhibitorum, & rogatorum, in cameram suam vocato me infrascripto, per exhibitionem juramenti fidelitatis, quod præstiti tacto pectore more sacerdotali, me Notarium creavit, ut illi inservirem pro legitimo Actuario in fabricando processu. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

36 *Advertat Judex, quod ipse debet esse valde cautus in examinando, & nullo modo quærere de defectibus, aut transgressionibus Eijciendi nec in generali, nec in particulari, ne videatur Testes suggestive interrogare: sed debet quærere tantum; An Eijciendus religiose vixerit. Quia vero semper inter alios Testes reperitur aliquis specialis Amicus, Partialis, aut Fidimarius Eijciendi, qui interrogatus de eius vita, respondebit, illum esse optimum Religiosum, & exemplarissime vixisse (licet sit totum oppositum), ideo, ne cum læsione justitiæ, & veritatis ejus testimonium labefaciet dicta aliorum, optimum erit a Testibus quærere, an, & qui sint in Conventu amici, partiales, & intrinseci ipsius Eijciendi, ut ex ventre processus appareat partialitas Testis cum Reo, & sic fides ejus testimonio minuatur. Porro examen potest institui, ut sequitur.*

37 Consequenter vocatus coram A. R. P. Provinciali fuit Fr. N. &c. ætatis annorum &c. Religionis vero &c. Testis ex officio assumptus, qui monitus, & juratus, prout juravit tact. &c. fuit.

Interrogatus. In quo Conventu, & a quo tempore moretur? Respondit &c.

An cognoscat Fr. N. Reum, in eodem Conventu commorantem? Respondit &c.

An sit amicus ejus Fratris. Respondit &c.

An Frater ille habeat in eodem Conventu amicos intrinsecos, & partiales, & quos? &c.

An prædictus Fr. N. composite, & religiose vixerit; Chorum, ac orationes communes frequentaverit, munia boni Religiosi obierit; convixerit pacifice cum aliis Fratribus; honeste cum omnibus, maxime Secularibus locutus fuerit? Respondit &c.

Quomodo sciat ea, quæ deposuit? Respondit &c.

An super a se depositis habeantur alii Contestes, & qui? Respondit &c.

An supradicta sint publica, & notoria? Respondit &c.

An amore, vel odio deposuerit? Respondit &c.

Quibus habitis, & si, & in quantum acceptatis, lecta sibi prius sua depositione, dimissus est, & se subscripsit. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego Fr. N. deposui ut supra.

Ita est Ego N. Provincialis.

Ego N. Actuarius.

38 *Si Testis velit suæ depositioni aliquid addere, aut minuere, servetur forma, dicta supra num. 7. in fin. Et si non scit scribere, signum ✠ sua manu apponat, ut supra num. 15. in fin.*

39 *Juxta supradictam formam examinandi sunt quatuor, aut sex Testes ex senioribus, & gravioribus, ut plene probata remaneat incorrigibilitas; & si aliqui Testis (sine quo plene nequeat probari singularis aliqui excessus scandali, qui Testis sit ab alio examinato indicatus) sit in alio Conventu, debet vocari, & examinari. Et bene advertat Judex, quod Testes bene reddant causam sui dicti in probandis Rei negligentiis ad Divina Officia; fuga ab oratione mentali; indevotione in celebrando; crapula; commessationibus privatis murmurationibus, conviciis in proximum; discursibus inhonestis; verbis obscænis, conversatione affectata, & parum composita cum Sæcularibus, maxime fœminis, & aliis hujusmodi, quæ probant malam conscientiam, ac vitam relaxatam.*

40 *Completo processu pro informatione Curiæ casu quo Reus commiserit post liberationem novum delictum judicialiter punibile, ut dictum est supra n. 33.: sive examinatis Testibus super mala, & immorigerata ejusdem vita, sicut traditur supra num. 37. exhibendæ, (ut de jure naturæ, ac divino est) sunt Reo defensiones, & citandus est ad dicendum quare non debeat eijci a Religione tanquam incorrigibilis, ut facto se prodidit, novum delictum committendo, seu mores suos, ut promiserat non corrigendo: & debet sibi concedi Advocatus, seu Patronus, qui suas defensiones componat, assignato sibi termino congruenti; & concessis sibi debitis dilationibus, ad deducenda omnia, quæ faciunt ad sui tutelam, & continuari processus, ut sequitur.*

41 Consequenter intendens A. R. P. N. Provincialis ad ulteriora procedere, vocare coram se fecit dictum Fr. N., & illi dixit quid sibi occurreret allegandum ad sui exculpationem; & proinde deduceret quæcunque pro se facerent ad evadendam expulsionem ab Ordine, ob suam incorrigibilitatem, de qua constat in actis. Proinde decrevit sibi esse concedendam copiam processus, ut suas defensiones parare posset, concesso pariter sibi Advocato, seu Patrono, quem idem met eliget ad defendendam causam suam. *Qui Fr. N.* sibi Patronum nominavit P. Fr. N. Theologum, *sive* D. N. Juris utriusque Doctorem; quem idem A. R. P. Provincialis approbavit, assignato eidem termino octo dierum, ad præsentandum inter acta suas defensiones. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Provincialis.

Ego N. Actuarius.

42 *Si Reus renuntiet defensionibus, non debet esse Judex facilis in acceptanda tali renuntiatione, sed debet iterum, & iterum defensiones spontinen sibi offerre; & si reus nesciat quem sibi nominet in Advocatum, seu Patronum; debet Judex illum ex officio assignare, & amplius si Patronus a Reo nominatus nollet absque legitima causa tale munus acceptare, debet Judex illum præcepto obligare, ut defensiones Reo componat, ne iste videatur oppressus, & indefensus sententiari. Talibus ergo casibus omnia hic recensita servanda sunt, & prosequi processus, ut seq.*

43 Consequenter intendens A. R. P. &c., *ut supra num. 41., usque ad illa verba Qui Fr. N. &c.* Qui Fr. N. respondit, se nihil curare de defensionibus, neque per se, neque per alium faciendis, & melius sibi esse vivere in pace extra Claustra, quam convivere cum inquietudine in Religione; proinde faciant Superiores quidquid velint. Et cum A. R. P. Provincialis iterum, atque iterum illi intimasset, ut per se, aut per Advocatum suum adduceret, quæ habere potest in sui defensam, ipse Fr. N. semper perstitit in eadem responsione. Quod videns A. R. P. Provincialis, ipsum dimisit, & decrevit ad ulteriora procedere. Acta sunt &c. *Sive*. Qui Fr. N. respondit, se acceptare quidem suas defensiones, sed quia ipse ignorans est, neque scit, quem Advocatum, aut Patronum nominare possit pro se, se remittit justitiæ P. A. R. Provincialis. Quo audito idem A. R. P. vocare coram se fecit P. N. Theologum, quem ex officio assignavit in Patronum prædi-

dicto Fr. N., & decrevit sibi consignandam esse copiam Processus, statuendo sibi terminum octo dierum, ad præsentandas in actis suas defensiones: quem terminum dictus P. N. Patronus acceptavit, reservato sibi jure petendi opportunas dilationes. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Provincialis.

Ego N. Patronus.

Ego N. Actuarius.

44 *Advertat Patronus, quod in condendis defensionibus non debet ullo modo impugnare ea, quæ sunt facti: cum enim, ut supra dictum est, processum sit per viam notorii, locus non est impugnandi quod probatum est, esse notorium. Sed defensiones debent consistere in ostendendo, quod facta non tam gravia, aut Religioni nociva sunt, ut cogant ad expulsionem, & in hoc insistat Patronus. Et advertendum, quod si Patronus instet, ut repellantur Testes, examinati contra Reum, & ipse præsentet articulos interrogatorios: sive proponat articulos probatorios, super quibus sit faciendus processus defensivus, Provincialis debet omnino annuere petitis, salvo tamen sibi jure resecandi articulos impertinentes, injuriosos, aut captiosos.*

45 *Præsentatis ab Advocato, seu Patrono defensionibus, debet Provincialis deputare Advocatum Fiscalem ex parte Religionis, qui respondeat ad argumenta Patroni Rei; & responsio debet inter acta reponi, & communicari parti ex adverso ad hoc, quod possit contra replicare, & pariter contrareplicatio debet Actuario præsentari, & inseri inter acta. Quæ omnia extendi debent, ut sequitur.*

46 Consequenter die &c. loco &c. comparuit coram me infrascripto P.N. patronus prædicti Fr. N. & mihi consignavit scripturam quandam, quam dixit continere defensiones, & jura, favore dicti Fr. N., ad hoc, quod inter acta reponerem. Talis autem scriptura incipit &c., & definit &c., *& describantur verba principii, & finis scripturæ*, & inter acta reposui, signata litera A. Et facta per me relatione A. R. P. Provinciali de ejusdem consignatione, ipse vocare coram se fecit, me præsente, R. P. Theologum, & illi injunxit, ut fungeretur officio Advocati Fiscalis pro parte Religionis, & responderet argumentis, adductis ad favorem Fr. N. in prædicta scriptura, cujus copiam esse a me illi tradendam decrevit ad prædictum finem. Qui R.P. Theologus munus sibi injunctum acceptavit, & responsionem, quamprimum poterit, exhibere favore Fisci promisit. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Theologus.

Ego N. Provincialis.

Ego N. Actuarius.

47 Consequenter comparuit coram me infrascripto R. P. Theologus, & consignavit mihi scripturam quandam, quæ incipit, & desinit &c., & quam dixit esse responsionem pro jure Fisci Religionis ad rationes, adductas a R. P. N. Patrono Fr. N. favore clientuli sui, quam scripturam recepi, & inter acta reposui, signatam litera B., & illa incipit &c., & desinit &c. *& ponatur ejus tenor.* Et cum de tali præsentatione certiorassem A. R. P. Provincialem, ipse præcepit, ut ejus copiam consignarem prædicto R. P. N. Patrono dicti Fr. N., ut possit contra eandem, si volet, replicare. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Provincialis.

Ego N. Actuarius.

48 Consequenter, cum juxta supradictum mandatum consignassem prædicto R. P. Patrono Fr. N. copiam suprascriptæ responsionis, in favorem Fisci Religionis; paucis post diebus comparuit idemmet Patronus, & dixit nihil sibi occurrere replicandum dictæ responsioni. *Sive* consignavit mihi scripturam, quæ incipit &c., & desinit &c., & dixit esse replicationem ad supradatam responsionem: quam recepi, & actis adiunxi signatam littera C. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Patronus.

Ego N. Actuarius.

49 *Sic completo processu expulsionis, advertendum est, quod circa sex Patres, qui simul cum Generali convenire debent ad sententiam expulsionis, potest casuum varietas intervenire; nam vel Generalis abest a confinio Provinciæ Frat. i. expellendi ultra tres dietas, nempe sexaginta milliaria Italica & tunc non tenentur dicti Patres personaliter adire Generalem, sed sufficit, quod ad eum mittant vota sua, ut supra diximus; si vero non distat ultra tres dietas, debent illum adire. Posito ergo casu, quod non distet ultra tres dietas, processus continuandus est, ut sequitur.*

50 Consequenter A. R. P. Provincialis advertens, quod Reverendissimus P. Generalis, ad quem spectat juxta Apostolicas Sanctiones proferre sententiam diffinitivam, non distat a confinio hujus Provinciæ ultra tres dietas, decrevit, pro suo munere, omnium hucusque actorum, transumpta authentica, clausa, & Provinciæ sigillo munita, per idoneam personam ad ipsum fideliter mittere, & insuper commonefacere RR. PP. N. N. N. N. N., & N. Judices deputatos, & electos in Capitulo ad expulsionem Incorrigibilium, ad quos opportunas litteras obedientiales dabit, ut quantocyus iter arripiant ad eundem Reverendissimum Patrem, ea, quæ sui muneris sunt, præstaturi. Et mihi Actuario jussit, acta processualia omnia sigillare, & litteras obedientiales pro unoquoque dictorum RR. PP. præparare. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Provincialis.

Ego N. Actuarius.

51 *Sigillato igitur, ut debet, processu, deforis describendus est ejus titulus hoc modo.* Processus criminalis contra Fr. N. in ordine ad expulsionem a Religione. Ad Reverendissimum P. N. Generalem Ordinis N.

52 *Si autem Generalis abest ultra tres dietas, debet Provincialis convocare sex Patres, ut præfertur, deputatos ad expulsionem Incorrigibilium, ut possint simul conferre, & acta bene examinare, & votum suum formare, & simul cum processu ad Generalem mittere; & processus continuabitur, ut seq.*

53 Consequenter advertens A. R. P. Provincialis, Reverendissimum P. Generalem abesse a confinio hujus Provinciæ ultra tres dietas; decrevit convocare RR. PP. N. N. N. N. N., & N. Judices electos in Capitulo Provinciali ad expulsionem Incorrigibilium. Vocare ergo eosdem coram se fecit, & per me Actuarium illis præsentari jussit copiam authenticam omnium actorum, ut possent super causa tota inter se conferre, & votum, seu vota, ut de jure debet, ad memoratum Reverendissimum Patrem simul cum prædicta copia transmittere. Qui præfati RR. PP. dictam copiam receperunt, & promiserunt, se quantocyus, quæ sui muneris sunt, præstaturos. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Conjudex,
Ego N. Conjudex,
Ego N. Conjudex,
Ego N. Conjudex,
Ego N. Conjudex,
Ego N. Conjudex,
Ita est Ego N. Provincialis,
Ego N. Actuarius.

54 *Mature, accurate, & cum charitate, omnique passione humana seposita, consideratis actis, & discussis Causæ totius meritis, & inter se collatis sententiis, & etiam secreto requisito consilio ab aliquo, Deum timente, Canonista, in criminalibus in materia Regulari exercitato, super punctis difficilibus, & arduis, debent Patres supradicti, si in unam coeunt sententiam, unicum votum formare, & illud propria subscriptione, & sigillis munire, & potest extendi, ut sequitur.*

55 Reverendissime Pater. In Causa, actitata coram P. Provinciali hujus Provinciæ N. de consilio, & assensu sui Diffinitorii contra Fr. N. memoratæ Provinciæ, ad effectum illum expellendi ab Ordine nostro, tanquam perniciosum, & incorrigibilem; Nos infrascripti Judices, in Capitulo ad hoc munus electi juxta Apostolicas Sanctiones, vidimus diligentissime, & mature discussimus, & ponderavimus acta omnia processualia, & jura tam pro, quam contra Reum. Perspeximus autem, quod; *Et hic succinte tangantur puncta delictorum, probationum, jurium, adductorum per Patronum, & maxime relevantium pro, vel contra Reum, & citentur textus, & classici Doctores, qui faciunt ad singula puncta.* Quapropter invocato Spiritus Sancti auxilio, adhibito studio, & consideratione, collatis inter Nos sententiis, & consultis viris doctis, Deum timentibus, atque his supradictis, sumus in voto. *Et hic describatur votum ad expulsionem, vel e contra.* Salvo semper meliori consilio P. V. Reverendissimæ, ad quod &c. Dat. &c. *Et omnes subscribantur.*

56 *Si Judices prædicti in diversas abeunt sententias, illi, qui in unam sententiam conveniunt, possunt commune ipsi votum firmare, alius autem, seu alii votum separatum exarare, in quo tamen norma supradicta servari potest. Bonum autem est, quod talis voti, seu votorum duo fiant exemplaria, ab iisdem Patribus subsignata, quorum unum conservetur in Archivio, unicum actis processus originalis, ne aliquo in sinistro eventu in transmissione ad Generalem aliud deperiret.*

57 *Formato voto, seu votis, ut dictum est, debent sex Patres supradicti unitim adire Provincialem, & restituta sibi copia actorum, quæ ipsis fuit tradita, consignare debent supradicta duo exemplaria voti, aut votorum suorum, & processus continuari, ut sequitur.*

58 Comparuerunt coram A. R. P. Provinciali supradicti RR. PP. Conjudices, qui restituta eidem copia actorum, præsentarunt duo autographa voti, ab ipsis formati super Causa prædicta, ad effectum conservandi alterum illorum cum actis originalibus aliud vero transmittendi ad Reverendissimum P. Generalem. Qui A. R. P. cum gratiarum actione illa recepit, & jussit mihi, ut insererem illa respective in originali, & in copia actorum. Et tandem idem A. R. P. decrevit omnia quamprimum ad prædictum Reverendissimum Patrem mittere: proinde mandavit mihi, ut copiam processus, addito prædicto voto, sigillarem. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Provincialis,
Ego N. Actuarius.

59 *Sigillari postea debet processus, & desuper apponi inscriptio, & ad Generalem dirigi, prout supra num. 51. Generalis vero recepto, & lustrato processu, simul cum voto Conjudicum, si judicaverit, Reum esse expellendum, poterit proferre sententiam, ut sequitur.*

60 Christi nomine invocato. Nos Fr. N. Generalis Ordinis N. Viso processu, fabricato a P. N. Provinciali nostræ Provinciæ N. contra Fr. N. ejusdem Ordinis, & Provinciæ professum, in ordine ad eum expellendum a nostra Religione, tanquam incorrigibilem. Visa, & considerata forma, secundum quam processum est in hac Causa, in qua servata cognovimus omnia, præscripta ab Apostolicis Sanctionibus circa carcerationem semestrem, pœnitentias, & jejunia. Visa, & observata diligentia, & mediis, adhibitis a dicto P. Provinciali ad eum reducendum ad bonam frugem. Visa prædict. Fr. N. perseverantia in malis moribus, & duritie in vita relaxata. Visis rationibus, adductis a P. N. Patrono præmemorati Fr. N., responsionibus Fisci ad prædictas, & replicationibus contra has a prædicto Patrono. Viso voto Patrum Conjudicum, deputatorum in Capitulo ejusdem Provinciæ ad examinandas hujusmodi Causas. Visis tandem omnibus videndis, & consideratis considerandis; Nos Fr. N. Generalis, qui supra, Deum solum præ oculis habentes, ut de ejus vultu nostrum judicium prodeat, per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam in his scriptis ferimus, Christi Jesu nomine invocato, & repetito, pronunciamus, declaramus, & sententiamus, dictum Fr. N. esse vere incorrigibilem, & ut talem esse ab Ordine nostro ejiciendum; ideoque illum per hanc nostram diffinitivam sententiam a memorato Ordine nostro ejicimus, & ejectum esse declaramus, admonentes eundem nullatenus liberum a votis, in professione facta *inter nos, emissis remanere*; & extra Religionem nostram degentem esse perpetuo suspensum ab exercitio Ordinum suorum, & Sublitum Ordinario loci, in quo morari ipsum contigerit, facultate moderandi, & relaxandi dictam suspensionem juxta mandatum Apostolicum, memorato Ordinario penitus interdicta; & quandiu vita in melius mutata, vere pœnitens ad Religionem non redierit, in habitu, & tonsura Clerici secularis incedat. Lata, lecta, & publicata fuit in Conventu &c. die &c.

Ego N. Generalis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Secretarius gener.

61 *Si ejiciendus sit Clericus prima tonsura, & nullo Ordine insignitus, aut laicus Conversus, post illa verba* inter nos emissis remanere, *subjungatur.* Et ut habitu nostræ Religionis nullo modo, ... tempore utatur sub pœna falsi, & aliis latis contra eos, qui, cum laici sint, habitum alicujus Religionis assumunt. Injungentes ei, ut statim, habitu nostro exutus fuerit, Diœcesano suo se præsentet, & ejus jurisdictioni, & obedientiæ se submittat. Lata, lecta &c. *ut supra &c.*

62 *Transmissa sententia a Generali ad Provincialem, debet juridice coram Testibus Reo intimari, &*

si post

si post eam intimatam intra decem dies, Reus appellat ad Sedem Apostolicam, debet expectari sententia Judicis, quem illad legabit. Si vero non appellat, transacta sententia in rem judicatam, debet Provincialis coram toto Capitulo Conventuali Reum expoliare habitu Religionis, & induere eum habitu Clerici sæcularis, aut laici, juxta conditionem expulsi, & sic eum a Conventu expellere.

63 *Si autem Generalis ob legitimas causas judicaverit non esse expellendum, sed perpetuo, aut diuturno formali carceri mancipandum, aut ad triremes transmittendum, si talem pœnam merentur delicta commissa ab incorrigibili: aut claustrali jugi custodia coercendum; aut alia longa pœna mulctandum, variari juxta pœnæ assignationem debet suprascripta sententia. Sed melius semper erit a morbosis hujusmodi pecudibus ovile Religionis expurgare, ut contagii periculo oves sanæ eximantur.*

64 *Tandem sententia expulsionis significanda est Ordinario, iuxta mandatum Apostolicum, significationis autem formam tradcmus infra nu. 96.*

FORMA PROCESSUS AD EXPULSIONEM,

Dum Reus est in Carcere, vel in actuali notabili pœnitentia in pœnam tertii delicti.

65 *Dabitur casus, quod Reus de tertio delicto reperiatur in carcere in pœnam illius; aut aliam confusibilem, ac notabilem pœnitentiam subeat pro tertio crimine; & Provincialis desperans de illius correctione, expediens pro bono Religionis judicet illum probare per semestrem carcerationem formalem, an vere incorrigibilis sit. Tali casu processus incipiendus est, ut sequitur.*

66 In nomine Domini. Amen. Cum A. R. P. Provincialis N. adverterit Fr N. Reum detineri in carcere, *sive* actualiter macerari notabili, ac confusibili pœnitentia ob tale delictum &c., *& hic describatur delictum, ob quod actualiter punitur.* Et cum pariter idem A. R. P. perpenderit, prædictum Fr. N. Reum alia delicta scandalosa perpetrasse, de quibus, licet debite, & ad normam justitiæ pœnitentiatus, non tamen post dictas pœnas emendatus est, ut communis fert fama; consideravit sui muneris esse, fortioribus mediis emendationem morum in prædicto Fr. N. Reo procurare, & si eum penitus incorrigibilem animadverterit, eundem a Religione expellere, ne contagione pestifera cæteros Religiosos perdat, totumque Ordinem novis scandalis deturpet, & conturbet. Accito igitur me infrascripto in cameram suæ residentiæ coram infrascriptis Testibus, requisito prius a me juramento fidelitatis, quod præstiti tacto pectore, more Sacerdotali, me Notarium creavit, ad effectum, ut illi inservirem pro legitimo Actuario in processu, quem instituere intendit ad normam Apostolicarum Sanctionum, & Constitutionum Ordinis nostri. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Provincialis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

66 *Debet subinde Superior idoneos Testes examinare, qui deponant de signis emendationis, minime præstitis a Reo post carcerem, aut notabiles, & confusibiles pœnitentias, quas subiit pro primo, & secundo delicto. Proinde examinandi sunt illi Religiosi, qui post tales pœnitentias commorati sunt de Familia cum eodemet Reo: & bonum est, quod Testes examinandi sint e senioribus, ac gravioribus ad hoc, quod eorum testimonia sint fortiora ad intentum. Forma autem examinis potest esse, ut sequitur.*

68 Consequenter intendens A. R. P. Provincialis plenius informari de vita, parum composita, & indiciis perseverantiæ in relaxatione prædicti Fr. N. Rei, decrevit super hoc Testes idoneos examinare. Quapropter vocare coram se fecit P. N. de N. Sacerdotem &c. *& hic ponantur tituli dignitatis Testi aut Theologi, Confessarii, Discreti, ExDiffinitoris &c.* ætatis annorum &c. Religionis vero &c. Testis ex officio assumptus, qui monitus, & juratus, prout juravit tacto pectore &c. fuit.

Interrogatus, an sciat causam suæ vocationis? Respondit &c.

An, & a quo tempore cognoscat Fr. N.? Respondit.

An, & in quo tempore, & loco fuerit secum de Familia. Respondit &c.

An in tali tempore dictus Fr. N. fuerit affectus aliqua notabili pœnitentia, & qua; & ob quam causam? Respondit &c.

An talem pœnitentiam humiliter, patienter, & exemplariter adimpleverit? Respondit &c.

An post eam ostenderit signa emendationis, & mutationis in melius a vita sua præcedenti?. Respondit &c.

De causa, & causis sui dicti? Respondit &c.

De contestibus? Respondit &c.

An hæc sint publica, & notoria? Respondit &c.

Cujus famæ prædictus Fr. N. habeatur? Respondit &c.

De causa talis famæ? Respondit &c.

De causa scientiæ prædictorum? Respondit &c.

An talis Fr. N. habeat aliquos suos partiales, & quos? Respondit &c.

An amore, vel odio deposuerit? Respondit &c.

Quibus habitis, & si, & in quantum admissis, lectaque sibi prius sua depositione, cum noluisset ei aliquid addere, vel minuere, se subscripsit, & dimissus fuit. Acta sunt hæc die &c loco &c.

Ego N. Testis deposui, ut supra.
Ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

Si Testis velit addere, minuere, aut se corrigere in sua depositione, servetur forma tradita supra num. 7. in fine: & juxta supradictam formam examinandi sunt alii quatuor aut sex Testes, ut plene probetur, quod Reus, post duas notabiles pœnitentias adimpletas, mores malos minime mutavit.

69 *Post hæc, si in Archivio Provinciæ, aut Conventus conservatæ manent sententiæ judiciales, aut memoriæ notabilium pœnitentiarum, quæ solent dari Reis, prout dictum est supra num. 9., vel non. Si sic, copia authentica extrahenda est, & inserenda in processu; & continuari debet, modo sequenti.*

70 Consequenter A. R.P. Provincialis præcepit mihi &c. *ut supra num.* 10.

71 *Si autem memoriæ talium pœnitentiarum non conservantur, aut sunt deperditæ juxta dicta supra num. 11. curandum non est, cum earum veritas probata remaneat ex depositione Testium, ut supra examinatorum. Porro continuetur processus, conveniendo*

Diffinitorium, ut diximus supra num. 13., *& totum describi, ut sequitur.*

72 Consequenter Anno &c. Mense &c. die &c. & loco &c. *ut supra* num 14. *Advertatur solummodo, quod post illa verba*, in quo constat, *debet poni* de duabus notabilibus pœnitentiis, inflictis prædicto Fr. N. Reo, & de continuatione ejusdem in mala vita &c.

73 *Debet ex post continuari processus, describendo carcerationem secutam, & omnia actu, quæ facienda sunt, eademque forma servanda, prout dictum est supra a num. 15. usque ad sententiam, dandam a Generali.*

FORMA PROCESSUS AD EXPULSIONEM.

Dum Reus fugit a Carcere, in qua detinebatur ad custodiam, seu in pœnam tertii delicti.

74 S*I Religiosus, jam punitus de duobus delictis, qui reperiebatur in carcere ad custodiam (dum interea fabricatur processus de tertio delicto) sive in carcere formali in pœnam tertii delicti, fugit e carcere, non completa pœna, sibi judicialiter inflicta, potest procedi ad fabricandum processum in ordine ad expulsionem, servata tamen forma, quam infra tradetur. Si processus pro tertio delicto, adhuc completus non est, debet omnino compleri, & ferri sententia, & expectari decem dies a sua publicatione, ut ipsa transeat in judicatum. Processus autem initialitur, ut sequitur.*

75 In nomine Domini. Amen. Cum A. R. P. N. Provincialis relationem habuerit de fuga Fr.N., qui sententiatus fuerat ad carcerem formalem per menses &c. *sive* qui detinebatur in carcere ad custodiam, donec compleretur processus delicti, de quo erat infamatus; *sive* qui fuerat citatus ad se sistendum in judicio, tanquam pretensus Reus de crimine, de quo manet sufficienter indiciatus in processu, qui coram; ipso A. R. P. N. Provinciali actualiter formatur & adverterit, quod idem Fr.N. Reus, alias pro duobus aliis delictis notabiliter pœnitentiatus, non tamen malos suos mores, ac vitam relaxatam mutaverit, adeo ut juste existimari possit incorrigibilis; pro sui muneris debito judicavit bonum esse experiri juxta normam Sanctionum Apostolicarum, ac Statutorum Ordinis, an ipse realiter possit declarari incorrigibilis, & si talis fuerit repertus, ipsum ab Ordine expellere, ne sua pestifera contagione alios perdat, & toti Religioni sua prava conversatione noceat. Vocato igitur coram se, & PP. FF. N. & N. Testibus, ad hoc specialiter rogatis, & adhibitis, in Cameram suæ residentiæ, dato mihi juramento, quod præstiti tacto pectore, more Sacerdotali, de fideliter exercendo munere, Me infrascriptum Notarium creavit, ad hoc, quod in actis judicialibus, quæ facere intendit, illi pro Actuario inservirem. In quorum fidem &c. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Provincialis.
Ego Fr. N. fui Testis.
Ego Fr. N. fui Testis.
Ego N. Actuarius.

76 *Post hæc debet Provincialis facere constare de notorietate incorrigibilitatis prædicti Rei, quam ostendit post duas priores notabiles pœnitentias, quas subiit, juxta dicta supra num. 67., & ad hoc examinandi sunt Testes idonei, & sint ex gravioribus, & quatuor, aut sex, ut ex testium gravitate, & numero majus robur eorum testimonia sortiantur. Forma autem potest esse eadem, quam dedimus supra n.68., quæratur ibi. Pariter servanda sunt, & advertenda, quæ monuimus supra* num.69. 70. & 71. Et continuari processus, ut sequitur.

77 Consequenter Anno &c. Mense &c. & die &c. & loco &c. *ut supra num.* 14. *usque ad illa verba*, in quo constat, *& continuetur* in quo constat de duabus notabilibus pœnitentiis, inflictis prædicto Fr.N. de ejusdem continuatione in vita mala, quam nunquam emendavit post illas adimpletas, & tandem de fuga illius a carcere, ad quem damnatus fuerat ob tertium delictum, ab eodem commissum. *Sive* & tandem de fuga illius ab Ordine, apostatando post commissum tertium delictum, de quo fuerat diffamatus; quem quidem processum alta, & intelligibili voce per me Actuarium legi fecit omnibus, & singulis bene audientibus, & intelligentibus. Post quod idem A.R.P. Provincialis proposuit iisdem RR. PP. Diffinitorii, an debeat institui processus ad expulsionem ab Ordine prædicti Fr. N., & expediat petere a Sacra Congregatione Concilii dispensationem, ita ut possit deveniri ad sententiam expulsionis, absque eo quod prædictus Fr. N. fugitivus probetur incorrigibilis per carcerationem formalem semestrem, attento maxime, quod nescitur, in quo loco ipse Reus moretur, nec in fortias Religionis possit reduci. Qui RR. PP. mature consideratis omnibus, consilium, & assensum dederunt, quod instrueretur processus, &, ut præfertur, peteretur a dicta Sacra Congregatione dispensatio. Acta sunt hæc die, & loco supradictis &c.

Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ita est Ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

78 *Subinde formandum est memoriale, transmittendum ad Sacram Congregationem, in quo compendiose narranda sunt omnia delicta simul cum fuga Rei, & supplicandum, ut dignetur dispensare super probatione incorrigibilitatis per carcerem semestrem, cum ex mala vita Rei satis appareat probata. Forma vero Memorialis potest esse, ut sequitur.*

79 Eminentissimi, & Reverendissimi Domini. Provincialis, & Diffinitores Provinciæ N. Ordinis N. EE. VV. obsequentissimi filii humiliter repræsentant, in sua Provincia reperiri Fr. N. ejusdem Ordinis, ac Provinciæ Sacerdotem, *sive* Clericum, *sive* laicum Conversum, qui plura scandala (de quibus, licet debite punitus, nunquam tamen emendatus est) committendo, plurimum Provinciam conturbavit, & Religionem totam inquietavit, ut potest EE. VV. patere ex lectura Summarii authentici processus, quod hic adnexum datur. Cum autem vellent Superiores ad normam Decretorum hujus Sacræ Congregationis per pœnitentias, jejunia, & semestrem carcerationem ipsius incorrigibilitatem experiri, ipse fugam arripuit, & a Religione apostatavit, & nescitur ubi locorum reperiatur. Quapropter, ut ab ulteriori molestia, quam ab ipsius scandalis patitur, Religio liberetur.

Supplicant omnes paternam benignitatem EE.VV. quatenus dignetur dispensare super semestri carce-

ratio-

ratione, indulgentes, ut servatis omnibus aliis, quæ sunt præscripta in Decretis de Apostatis, & Ejectis, possit contra prædictum Fr. N. Reum ferri sententia expulsionis, quantumvis non fuerit probatus incorrigibilis per dictam carcerationem. Quod &c. Quas&c.

Ego N. Provincialis.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.

80 *Memoriali prædicto adiungi debet Summarium processus incæpti contra Reum, cujus forma est, ut sequitur.*

81 Summarium processus initiati contra Fr. N. professum Ordinis N. Provinciæ N.

Fr. N. indutus habitu Religionis de anno &c. die &c. in Conventu &c. per manus P. N. rite professionem emisit die &c. in Convento &c.

Anno &c. Mense &c. die &c. commisit &c. *Et hic describatur summarie delictum cum suis circumstantiis.* Et de tali delicto fuit processatus, & sententiatus ad pœnam &c. *& hic exprimatur pœna illata.* *Sive* fuit notabiliter pœnitentiatus pœnitentia &c. *& referatur per extensum pœnitentia data.* Process. fol. &c. Et post (licet per paucos dies specimen mutationis vitæ dederit) ad pristinos malos mores rediit. Process. fol. &c.

Anno &c. Mense &c. die &c. aliud crimen commisit, nempe *& describatur, ut paulo supra dictum est.* Et inde licet per unum, aut alterum mensem specimen emendationis dederit, ad vomitum malæ vitæ rediit. Process. fol. &c.

Tandem Anno &c. die &c. aliud delictum patravit, puta &c. *& describitur, ut supra.* Et cum in pœnam talis delicti detineretur in carcere, ad quem damnatus fuerat per menses &c. *& exprimatur tempus carcerationis*, fugam arripuit. *Sive* statim, patrato delicto, fugit a Conventu. *Sive* cum de tali delicto esset diffamatus, & super eo instrueretur processus, se fugæ dedit.

Teste examinati viri graves, & omni exceptione majores sunt, puta Fr. N. Ex Provincialis, *sive* Ex Diffinitor, *sive* Theologus &c. R. Fr. N. Guardianus, *sive* Novitiorum Magister, *sive* Vicarius Confessarius &c. *& sic exprimantur omnes Testes examinati cum titulis suarum respective dignitatum &c.* & omnes supradicti deponunt de vita scandalosa prædicti Fr. N. Process. fol. &c. & fol. &c.

Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ita est Ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.
Locus ✠ Sigilli.

82 *Potest contingere, quod Sacra Congregatio non annuat petitis: & potest etiam emanare decretum favorabile juxta supplicata. Si primum, processus hucusque factus reponendus est in Archivio, facto prius decreto, quod sequitur.*

83 Cum Eminentissimi Patres non duxerint dispensare super semestri carceratione, pœnitentiis, & jejuniis, quæ subire debebat dictus Fr. N., antequam declarari posset de jure, & facto incorrigibilis, ut contra eum ferretur sententia expulsionis ab Ordine; A. R. P. Provincialis cum consilio, & assensu RR. PP. Diffinitorum decrevit, quod capto, & in fortias Religionis reducto, aut ad eam revertente supradicto Fr. N., ipsum esse de facto incarcerandum formaliter per sex menses ad experimentum suæ incorrigibilitatis, & interim mandavit processum servari in Archivio. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ita est Ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

84 *Si autem petita dispensatio fuerit obtenta, potest procedi ad ulteriora circa processum in ordine ad expulsionem, sed prius citandus est per modum absentis Reus, ut sequitur.*

85 Cum Fr. N. formaliter maneret detentus in carcere ex sententia Diffinitorii ob delictum &c. *& hic exprimatur tenor delicti.* De quo concludenter fuit probatus Reus, ut apparet ex legitimo processu, existente in Curia. *Sive.* Cum Fr. N. detineretur ex decreto A. R. P. Provincialis in carcere ad custodiam ob delictum &c. *& hic describatur delictum cum suis circumstantiis*, de quo fuerat diffamatus, & urgentibus indiciis gravatus, ut apparet ex processu, super hoc fabricato, quod asservatur in Archivio. *Sive.* Cum Fr. N. patrato delicto &c. *& hic exprimatur qualitas delicti*, de quo crimine ille erat notorie Reus; *Sive* vehementer indiciatus, & diffamatus, Reus fugam arripuerit; die &c. Mensis &c. Anni &c. a Convento N., in quo manebat, & iverit Apostata a Religione, vagus, & profugus, ut notorium est, & tanquam talis denunciatus in pleno Fratrum Capitolo in prædicto Conventu N. a P. N. Superiore locali juxta Ordinis Constitutiones; & citatus ad comparendum, in termino legitimo non comparuerit, & tanquam contumax declaratus, sententiatus fuerit in contumacia, prout apparet ex processu, super hoc condito, qui asservatur in Archivio. Cumque intenderet A. R. P. Provincialis prædictum Fr. N. incarcerare ad experiendum, an vellet suos malos mores corrigere, cum, post alia, ab eodem commissa delicta, & pœnas, ob hæc inflictas, nunquam emendationem ostenderit, ut apparet ex actis; nequeatque talis carceratio executioni demandari ob fugam ejusdem Rei, obtentaque fuerit dispensatio a Sacra Congregatione, ut absque tali carceratione procedi possit ad sententiam expulsionis; cumque necessarium sit, ante talem sententiam, Reum ipsum citare, & audire, si quæ adducere intendit ad suam defensionem, ideo idem A. R. P. Provincialis mandavit expediri per me Actuarium opportunum Monitorium, prout de jure, ad citandum prædictum Reum absentem. In cujus mandati executionem, cum Monitorium debitum extendissem, & ad mandatum ejusdem A. R. Provincialis publicassem in pleno Capitulo Conventuali, illud affigendum curavi ad valvas Refectorii, & ac Cellam, in qua manebat dictus Fr. N., antequam fugam arriperet ad effectum &c. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Actuarius.

85 Tenor porro Monitorii prædicti est, ut sequitur.

Fr. N. Provincialis &c. Tibi Fr. N. ex adverso principali, auctoritate nostri Officii, tenore præsentium, præcipimus, & expresse mandamus, quatenus infra sex dies, a publicatione præsentium numerandos, quorum duos pro primo, duos pro secundo, & duos pro tertio, & peremptorio termino assigna-

assignamus, coram Nobis personaliter teipsum præsentes, ad teipsum excusandum, defendendum, & dicendum, quare non debeas juxta Apostolicas Sanctiones, & Ordinis Statuta, a nostra Religione expelli, declarata prius tua incorrigibilitate, in actis probata. Volumus autem præsens nostrum Monitorium Tibi personaliter (si persona tua commode reperiri poterit) sin autem, Cellæ tuæ solitæ habitationis, & valvis Refectorii (dimissis ibidem, affixisque copiis) præsentari, & intimari; & hoc, ut præfertur, Monitorium publicatum, & affixum ita te arctare, & afficere, ac si personaliter, & magis legitime intimatum fuisset. Certificantes nihilominus Te, quod, si in dicto termino non comparueris, Nos, tanquam contumacem, contra Te procedemus ad ulteriora. Dat. in Conventu nostro N. die &c.

Ego N. Provincialis.

Locus ✠ Sigilli.

Ego N. Actuarius.

86 Anno &c. Mense &c. die &c. comparuit coram me infrascripto Actuario Fr. N. Socius A.R. P. Provincialis, & præstito juramento in forma solita, retulit, duas copias præjacentis Monitorii, a me ad hunc effectum sibi consignatas affixisse ad valvas Refectorii, & ad ostium Cellæ, in qua morabatur prædictus Fr. N. Reus, sitam in Dormitorio communi versus meridiem, *sive* orientem &c., cui titulus est &c. & hoc in præsentia Testium infrascriptorum. Acta sunt hæc in Conventu &c. die, quo supra.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

87 *Quamquam contra contumacem omnia jura clament, & possit Iudex absolute, illo non audito, ad ulteriora contra Reum procedere; tamen, cum agatur de omnium citra mortem naturalem gravissima pœna viro Religioso, puta, expulsio ab Ordine, ad abundantem cautelam bonum est illi Advocatum, seu Patronum decernere, qui illius defensiones componat, ne sententiatus, & minime defensus evadat; & ipse post expulsionem, quæstionem contra Religionem moveat, ut indebite, & contra jus damnatus sit. Optimum ergo est, quod Provincialis ex officio sibi Patronum decernat, qui illi defensiones faciat: & processus potest continuari, ut sequitur.*

88 Cum expiratus esset terminus sex dierum, assignatus Fr. N. Reo in supra publicato Monitorio, & ad abundantem A. R. P. Provincialis expectasset adhuc tres dies, & amplius, nec tamen ipse Reus unquam comparuisset, per suum decretum pronunciavit, prædictum Fr. N. Reum esse contumacem. Quamvis autem posset libere ad ulteriora procedi, ad abundantem tamen cautelam voluit idem A. R.P. Provincialis prædicto Fr. N. Reo Advocatum, seu Patronum decernere, ut ad illius favorem producat, si quæ habet jura, ob quæ non debeat a Religione expelli. Quapropter vocare coram se fecit P. N. Theologum, cui decrevit consignandam esse authenticam copiam actorum, *sive* dandam esse facultatem lustrandi processum originalem, fabricatum contra prædictum Fr. N. Reum, & mandavit eidem, ut partes Advocati, seu Patroni ad favorem prædicti Rei susciperet, & termino octo dierum defensiones præsentaret. Qui P. N. Theologus munus, sibi demandatum, acceptavit, reservata sibi facultate, opportunas dilationes, prout de jure, petendi, & consequendi. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Patronus accepto ut supra.

Ego N. Provincialis.

Ego N. Actuarius.

89 *Præsentatis ab Advocato defensionibus, debet Provincialis deputare alium Advocatum qui tueatur partes Fisci Religionis, & respondeat argumentis, adductis a Patrono Rei &c. & prosequi processum juxta dicta supra num. 46. 47., & 48. ceteraque acta perfici, usque ad sententiam, a Generali dandam; pro quibus extendendis servari potest forma tradita supra a nu. 49. usque ad finem.*

FORMA PROCESSVS AD EXPULSIONEM.

Quando Reus perseverat in inobedientia contumaci.

90 D*ictum fuit supra a num. 67., quod etiam ob unum delictum potest ab Ordine expelli Religiosus, si iste perseveraret contumax in inobedientia. Dato ergo casu, varians est modus initiandi processum ad expulsionem: & potest esse, ut sequitur.*

91 In Nomine Domini. Amen. Cum Fr. N. contumaciter inobediens fuisset præceptis formalibus, sibi factis a P. N. Superiore locali Conventus N. qui in pœnam &c *& hic exprimatur factum, ob quod dictus Superior voluit Reum pœnitentiare*, illi mandavit, ut in publico Capitulo Conventuali se disciplinaret; & ideo juxta Ordinis Constitutiones fuisset carceri formali mancipatus, ut tali pœna adigeretur ad obedientiam, & injunctam pœnitentiam exequeretur, & ipse Fr. N. Reus, timore Dei postposito, durus semper, & obstinatus in sua contumacia perstiterit, protestans se potius velle mori, & etiam animam perdere, quam dictam pœnitentiam exequi; nec ad eum movendum a sua obstinatione preces amicorum; paternæ admonitiones Superiorum; longa jejunia in pane, & aqua, ad quæ coactus fuit per subtractionem alimentorum, carceratio per menses &c. *& hic exprimatur tempus carcerationis*. Orationes publicæ, & privatæ Religiosorum, factæ de mandato Superiorum ad hoc, quod Deus dignaretur, gratia sua, illius cor emollire ad pœnitentiam, quidquam profecerint; imo de die in diem magis durus, perseverans, & obstinatus in sua contumacia appareat; A. R. P. Provincialis decrevit procedere ad ejectionis remedium ab Ordine, cum dictus Fr. N. sua obstinatione se prodat incorrigibilem. Quapropter coram se, & infra scribendis Testibus, in Cameram suæ residentiæ vocare fecit me infrascriptum, & a me exacto juramento fidelitatis, quod præstiti, tacto pectore more Sacerdotali, me Notarium creavit, ut in processu, quem fabricare intendit, in officio Actuarii illi servirem. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Provincialis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. fui Testis.

Ego N. Actuarius.

92 *Post hæc congregandum est Diffinitorium, & petendum a Provinciali est consilium decernendi carcerationem semestrem, ad effectum probandi incorrigibilitatem, juxta Sanctiones Apostolicas. Convocatio autem adnotari potest, ut sequitur.*

93 Consequenter volens A. R. P. Provincialis

in

in negotio, tam gravi, cum maturo consilio procedere, congregari fecit RR. PP. Diffiniores in solita Camera, & præmissa Spiritus Sancti invocatione, ut moris est, ipsis proposuit, an bonum esse judicarent, Religiosum in contumacia, tam scandalosa obstinatum, extra Religionem ejicere, ne ejus exemplo cæteri inducantur ad abjiciendum jugum obedientiæ, qua non vigente in Religione, ipsa totaliter destrueretur. Commune autem RR. PP. Diffinitorum consilium fuit, ut dictus Fr. N. Reus, eductus de carcere, coram toto Diffinitorio sisteretur, ut de ipsius ore audire possent, an adhuc in pristina pertinacia contumax ad obedientiam persisteret. Ductus ergo a Custode carceris coram prædictis, & paterne, ac graviter monitus ab A. R. P. Provinciali, ut recogitaret se vivere in peccato mortali, dum votum obedientiæ transgreditur permanenter, cum evidenti periculo damnationis; proinde ipsum enixe rogavit, ut pertinaciam exueret, & sibi demandatam pœnitentiam exequeretur; subjungens, quod, si non resipisceret, duro, ac perpetuo carceri maneret mancipatus; parique modo omnes, & singuli Diffinitores monuerunt, exorarunt ac protestati sunt. Sed ad eorum dicta ipse Fr. N. Reus respondit &c. *& hic describantur ejus verba, motus, gestus &c.* Videns porro *A.* R. P. Provincialis ejus perseverantiam in antiqua obstinatione, & contumacia, mandavit reduci ad carcerem. Post quæ, interrogavit idem A. R. P. Provincialis RR. PP. Diffinitores, quid censerent in hoc casu faciendum? qui unanimi consilio responderunt, decernendam ipsi Fr. N. Reo carcerationem, pœnitentias, & jejunia per sex menses ad experiendum, si ipse intra hoc tempus velit corrigi. Et si in eadem contumacia perseveraverit, esse procedendum ad ulteriora, in ordine ad expulsionem. Quod consilium R. R. P. Provincialis approbavit, & sic faciendum esse decrevit. Acta sunt hæc die &c. loco &c.

Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ego N. Diffinitor.
Ita est ego N. Provincialis.
Ego N. Actuarius.

94 *A die decretæ carcerationis computandi sunt sex menses, requisiti ad probandum incorrigibilitatem; & cum carcerato practicanda sunt omnia, quæ diximus supra num. 21., & 22.; & continuandus est processus usque ad sententiam definitivam a Generali. Unde acta describi possunt, ut dictum est supra a num. 24. usque ad finem.*

95 *Advertendum tamen, quod si expleta carceratione, Reus emendationem promiserit, & post aliud grave delictum commiserit, aut parum Religiose vixerit, non tamen poterit expelli tanquam probatus incorrigibilis. Nam si diximus supra num. 33., & seqq., quod qui de tribus delictis fuit punitus, & per sex menses carceratus, (si promissa emendatione, eam non præstiterit facti,) potest expelli; hoc ideo est, quia de tribus delictis jam fuerat punitus, sed non emendatus. In hoc autem casu contumacia, ob quam fuit carceratus, unum delictum censetur, quamvis æquivalenter triplex fuerit ad semestrem carcerationem. Quapropter non posset procedi ad expulsionem, nisi alia duo delicta, post carcerationem, commiserit; de illisque punitus, & minime emendatus sit. Et tali casu non esset necesse carcerationem semestrem, probatoriam incorrigibilitatis injungere, cum ipsa jam præcessisset. Sed expleta pœna tertii delicti, si mores emendatos non ostendet, potest Reus expelli.*

96 *Quia ex Decreto Sacræ Congregationis, quod dedimus supra num. 19. debet Superior Regularis insinuare Ordinario loci, sive patriæ Rei ejus ad expulsionem, ad hoc, quod Ordinarius amodo illum, tanquam suum Subditum recognoscat, talisque insinuatio debeat in scriptis fieri, ejus formam damus, ut sequitur.*

97 Fr. N. Generalis &c. Illustrissimo, ac Reverendissimo D. Episcopo N. salutem in Domino. Illustrissimæ Dominationi vestræ notum sit, qualiter paternalis, ac fraterna caritas demulcere, & imo rigor magistralis flectere non potuit P. F N. Religionis præfatæ professum, & ad Sacrum Præsbyteratus Ordinem promotum; quapropter nos ad Canonum, & Apostolicarum Constitutionum formam, & Decreti, præsertim Congregationis Concilii de Apostatis, & Ejectis, procedentes, per nostram definitivam sententiam, quam in scriptis tulimus hoc anno 1703. sub die prima Martii, a nostra Religione, tanquam incorrigibilem dimisimus, & ejecimus. Quod Illustrissimæ, ac Reverendissimæ Dominationi Vestræ (de cuius Diœcesi ipse est) significandum esse censuimus, ut & Nos Apostolicis obtemperaremus mandatis, & pecoris sui vultum agnosceret Dominatio Vestra, eaque etiam circa præfatum N. exequi valeat, quæ in præfato Decreto peragenda jussit eadem Sacra Congregatio. Et Dominus sit Illustrissimæ, ac Reverendissimæ Dominationi Vestræ propitius. In quorum fidem præsentes litteras jussu nostro conscriptas, sigilloque munitas dedimus ex Conventu N. An. .. Men. Die.

Fr. N. Generalis Ordinis N.

Notandum ex Peijrino in Formular. Prælat. Regular. litt. E cap. 39. num. 4. dato, quod Generalis non solum ejecerit, sed etiam propter rationabiles causas, per aliquod tempus a loco, ubi prædictus Ejectus habitabat, eum jusserit exulare; tunc Generalis tenebitur in dictis litteris expulsionis dictam causam apponere, apposita etiam graviori aliqua pœna in casu inobedientiæ; & non solum Episcopo, vel Ordinario loci eandem notificare, sed etiam Episcopo, in cujus Diœcesi Ejectus jussus sit exulare.

98 *Quia Expulsus aliquando contingit, quod sit Laicus, quibus non præscribitur Clericalis Habitus in Decreto, sicuti si foret Clericus, Ordine insignitus; cumque possit uti habito laico, id maxime, ut posset sibi victum opere mechanico comparare; ut autem se possit eximere a vexatione per Judices Laicos sibi inferenda, & ostendere se esse Subditum Ordinario loci, ideo diximus, illi esse concedendas litteras testimoniales, quarum forma damus infra.*

99 Frater N. Generalis &c. Omnibus præsentes litteras inspecturis, pariter, & lecturis salutem.

Noveritis, qualiter justis de Causis, animum nostrum moventibus, considerantes causam, & causas, de quibus in processu, per nos an. Domini 1703. a die 1. Martii contra Fr. N. nostri Ordinis Laicum professum, in Sæculo nominatum N. & N., cum consilio, & consensu eorum, ad quos spectat, fabricato, maximo animi nostri mærore, ac necessitate fere compulsi, omnibus de jure requisitis tentatis, ac peractis, prædictum N. a nostra Religione expulsimus, ac dimisimus, expulsumque, & & dimissum his litteris declaramus. In quorum fidem

dem præſentes litteras juſſu noſtro conſcriptas, ſigilloque munitas, præfato N. pro ſuæ conſcientiæ ſecuritate tradidimus, & conceſſimus. Datum in Conventu noſtro &c. die.. Menſe ... Anno..

F. N. Ordinis N. Miniſter Generalis.

DE STATU EXPULSORUM.

PARS TERTIA.

QUÆSTIO I.

An Epiſcopus poſſit agnoſcere de Sententia Expulſionis?

SUMMARIUM.

1 *Fundamenta, tenentium poſſe Epiſcopum agnoſcere de Sententia expulſionis.*

2 *Poſſe recognoſcere Proceſſum ſapit juriſdictionem, & qui poteſt recognoſcere, poteſt retractare.*

3 *Quæ exorbitant a jure communi, nequeunt trahi in conſequentiam.*

Sententia expulſionis Ordinario notificari debet.

Nullitas profeſſionis coram Ordinario, ac Superiore Regulari proponi debet.

Expulſio ob incorrigibilitatem, ad ſolum Superiorem Regularem ſpectat.

Decreta reſtrictiva juriſdictionis exemptorum, nequeunt contra præſcriptum ampliari.

4 *Expulſum inter ſuos Subditos recipere cogitur Ordinarius, nec illum poteſt expellere.*

Diœceſanus nequit inquirere de cauſa Clerici, exulantis a propria Diœceſi, & commorantis in ſua.

Degradatio, & expulſio in multis æquiparantur.

5 *Nuncius Sedis Apoſtolicæ nequit cognoſcere de Sententia expulſionis.*

Ordo appellationis ſucceſſivæ uſque ad Summum Pontificem.

Apoſtatarum, & Ejectorum cauſa cognoſcenda eſt a S. Congregatione.

1 ESPONDEO quod *Laurent. de Franc. Controverſ. Epiſc. & Regul. ad Decretum de Apoſtat. qu.* 3. ad ampliandam Epiſcoporum juriſdictionem, tenet affirmative, poſſe ſcilicet Epiſcopum expulſionis Sententiam examinare; inquirere de juſta, vel injuſta ejectione Regularis ab Ordine. Nititur auctoritati *Card. in Clement.* 1. §. *quia vero v. addo de ſtatu Monachorum*, cui conſenſit quoque *Bellot. de pan. Cler.* §. 20. *num.* 17. Ratio ad hoc eſt, quia Generalis, ejiciens, debet ex vi *Decreti* ejectionis Sententiam Epiſcopo, ſeu Ordinario loci notificare: ergo poterit de illius juſtitia cognoſcere. Ad quid enim illum certiorare, ſi de validitate expulſionis nequit inquirere? Confirmatur, quia, cum profeſſio ſit quidam contractus reciprocus ultro, citroque, obligationem pariens inter receptum, & Religionem, non debet claudicare, ita ex *cap. ad Apoſtolicam. de Regular.* & conſequenter ratione æqualitatis ſervandæ, ſicuti *Concil. Trid. ſeſſ.* 24. *de Regular. cap.* 19 diſponit, ne Profeſſus a Religione diſcedat, niſi auditis Epiſcopo, ſeu Ordinario, ac Superiore Regulari; ita etiam cenſetur diſpoſuiſſe, ne viceverſa Religio poſſit illum a Religione expellere, abſque concurſu, & declaratione Ordinarii, juxta naturam correlativorum, ut in omni contractu ultro, citroque obligatorio, diſpoſitum in uno ex correlativis, cenſetur etiam diſpoſitum in alio, etiam in materia correctoria juris communis per *Text. in l. fin.* ubi notant *Bart. Jaſon. C. de Judic.* traditque *Anchar. in repet. c. Canonum Statuta. in* 6. *quæſt. princip. de Conſtit.* Quare in *Concilio Mildenſi Tom.* 3. *cap.* 53. prout ex *Pignatel. tom.* 1. *conſ.* 89 *num.* 18. ob eandem rationem prohibitum eſt, ne Regulares propter delicta ejicerentur a ſuis Superioribus, niſi de Ordinarii conſenſu.

2 Oppoſita tamen Sententia eſt ipſius *Pignatell. tom.* 1. *conſ.* 140. *num.* 3. *& ſeqq.* & probatur, quia, ut cauſa bene cognoſcatur, conſtetque de illius juſtificatione, quantum ad dictam expulſionem ab Ordine, non aliter fieri poteſt, quam videndo, & examinando ejus acta, quæ cum graviſſima ſint, non debent in alio Tribunali, vel coram alio Judice, quam ad præſcriptum Decretorum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum tractari, tuncque ex ipſis apparebit, quam recte in tali caſu fuerit per Judicem Regularem judicatum; Sed, ut bene advertunt *Paſqual. nu.* 974. *Paſſer. de Hom. ſtat. tom.* 3. *q.* 88. *art.* 8. *num.* 662. recognoſcere proceſſum, & ſententiam illius eſt actus juriſdictionis, & ſuperioritatis, & qui poteſt recognoſcere, poteſt retractare, & caſſare, annullare, aut corrigere, vel confirmare, *argumento Text. ex cap. Sententia.* 35. *qu.* 9. & firmatur a *Gloſ. in cap. Nemini.* 17. *q.* 4. *Bald. in l. c. C. de ſent. exper. recitat.* Epiſcopus vero non habet juriſdictionem ſuper Regulares exemptos, prout habetur ex *Cap. Nimis. prava de exceſſib. Prælat Cap. Neque aliquos de Privilegiis* & aperte ex *Concil. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *de reformat.* per verba illa: *Sed exempti omnino ſint, & eſſe intelligantur*; ex his verbis infert *Donat. de Eject. q.* 55. ergo, loquendo de cognitione judiciali, nequit Epiſcopus ex defectu juriſdictionis recognoſcere de juſtitia, vel injuſtitia expulſionis.

3 Quare ad fundamentum *Laurentii* reſpondetur, quod, ſi hic *Auctor* attente legiſſet *Cardinalem* in loco citato, inveniſſet, quod ſolum habet, quod, ſi Monachus ejiciatur a Monaſterio, nec Monachi eum velint amplius recipere, ponitur ab Epiſcopo in alio Monaſterio; ſed hoc non eſt inquirere, an juſte, vel injuſte ſit ejectus. Inſuper loquitur ibi de Monachis non exemptis, nam non poſſet expulſum ab uno Monaſterio, in alio collocare, ſi illud eſſet exemptum, ut optime habet ibi cum *Paſſerino Paſqual.*

squal. *Ald. ad Laurent. de Franch. loco cit. n.* 974. Ad id, quod subdit, quod ex eodem Decreti robore, quo Generalis tenetur certiorare Ordinarium loci de sententia expulsionis, possit Ordinarius de justitia illius recognoscere, nimis exorbitanter deducit illam conclusionem, & exorbitantia a jure communi non possunt trahi in consequentiam ex *cap. Quæ a jure. de Regul. juris in* 6. Non enim monetur *Ordinarius* de sententia, ut judicet, ut habet *Passerinus* loco citato, sed, ut sciat ejectum esse sub ejus cura, ac in habitu clericali, si sit in sacris, debere vivere, atque inde vultum pecoris sui, de Religione ad sæculum revertentis agnoscat. Quod, si Mens *S. Congregationis* in tali *Decreto* fuisset, quod de justitia expulsionis *Ordinarius* loci inquireret, non contenta fuisset, quod sententia expulsionis illi pure notificaretur; non enim ex tali simplici notitia potest *Ordinarius* cognoscere, an sententia lata fuerit justa, vel injusta; sed ordinasset, quod tum sententia, tum processus *Ordinario* præsentarentur. Sic ergo *Sacra Congregatio* ordinat solam notificationem expulsionis, & ut *Episcopus* suæ curæ Expulsum esse commissum, & eum, tanquam subditum de novo factum agnoscat, gubernet, & puniat. Ad rationem in oppositum, dicitur, quod totus ille contextus tenet, ubi agitur de expellendo ob nullitatem professionis, ut aperte habetur ex citato *Decreto Concilii*, juncta declaratione *Sacræ Congregationis*, quia enim verba *Concilii* judicium de nullitate professionis a profitente intentatum, coram Regulari Superiore, ac Ordinario proponendum decreverant, nihilque de nullitate prædicta, contra profitentem a Religione proposita continebant, ne privative quoad Ordinarios in secundo casu intelligerentur. *Sacra Congregatio* apud *Pignatell. tom.* 1. *consult.* 89. *num.* 17. sic censuit, ac declaravit. *In Neapolitana die* 16. *Decembris* 1617. *Eminentissimi Patres S. Concilii Tridentini Interpetres, ex communi omnium sententia censuerunt, Decretum ejusdem S. Concilii cap.* 19. *sess.* 25 *de Regular. vendicare sibi locum non modo, cum professus nullitatem suæ professionis allegat, causasque deducit; verum etiam cum Superiores ipsi ex se illum ejicere, tanquam invalide professum. Referendum tamen Sanctissimo Domino Nostro, qui die* 18. *ejusdem in Consistorio probavit Sententiam Sacræ Congregationis.* Idem quoque statuit eadem S. Congregatio die 18. Augusti 1621. Idem in Firmana die 13. Novembris 1638. Unde non bene infertur, id est servandum, ubi agitur de expellendo ob nullitatem professionis: ergo & ubi est sermo de expellendo ob incorrigibilitatem; Decreta enim restrictiva jurisdictionis exemptorum non debent contra præscriptum ampliari. Ad id, quod ex *Concilio Mediolanensi* subditur, respondetur, quod quidquid fuerit tunc roboris in tali *Decreto*, nunc est tam ex jure, quam ex *Decretis Sacræ Congregationis Concilii*, per *Summum Pontificem* approbatis, atque insertis in *Bullario* inter *Constitutiones Urbani Octavi sub Constitutione* 26. abrogatum; ibi enim statutum est, expulsiones professorum ob incorrigibilitatem, vel alia crimina fieri per solam Religionem, ejusque *Generalem* cum interventu sex Patrum ex gravioribus, absque interventu Ordinarii.

4 Dico ergo, quod nullo jure potest Ordinarius revisionem illius causæ prætendere; quod, si aliquando aliquis Episcopus, seductus doctrina *Laureti*, hoc fecerit, attentabit. Siquidem recognoscere causam, ab alio Judice actitatam, est actus jurisdictionis, quæ in exemptos exerceri non potest; ergo si Episcopus in hoc casu procedit, absque jurisdictione procedit, & ita attentat, & nulliter agit. Non enim se habet Ordinarius in hoc casu, ut Judex appellationis, & active; sed mere executionis, & passive; tenetur enim ex vi *Decreti* Ejectum inter suos Subditos recipere, nec potest ipsum expellere; sicut non potest inquirere super vita Clerici, exulantis a propria, & commorantis in sua Diœcesi, neque de causa, aut sententia sui exilii judicare, sed eum, uti sibi subjectum, donec in sua Diœcesi manet, recipere, & agnoscere. Porro, sicut Episcopus Clericum degradatum a foro suo ablegat, & Judici Sæculari subijcit, ita Superior Regularis, a Religione expulsum, habitu Religionis exutum, & ita similitudinarie degradatum, foro Ordinarii consignat, & subijcit; sicut ergo Judex Laicus tenetur exequi sententiam Judicis Ecclesiastici, & de justitia, vel injustitia sententiæ minime potest cognoscere, quia hoc jus est Ecclesiastici, & non sæcularis judicii, ut dicunt *Cened. ad Decret. coll.* 55. *num.* 2. *Suar. de Paz tom.* 2. *Prælud.* 2. *num.* 3 *Mendez in Prax. Lusit. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 16. *Mirand. Ord. Judic. q.* 1. *art.* 5. *conc.* 6. *apud Dian. de Immunit. Eccl. Regul. resol.* 134. ita neque poterit Episcopus de justitia causæ expulsionis inquirere, cum hæc spectet ad Judicem Regularem privative quoad Episcopum, & ita ultra *Passer. de Hom. stat. tom.* 3. *q.* 189. *art.* 8. *num.* 662. *Pasqual. qu. Can. Centur.* 2. *qu.* 153. *n.* 2. & *Sanctor. de pau. cap.* 19. *q.* 4. *vers. Respondeo negative fol.* 264. firmant *Donat. tom.* 1. *par.* 2. *tract.* 8. *q.* 55. *num.* 3. *Navar. Summa. Bullar. tit. de Apost. num.* 3. *Cesped. de Exempt. Regul. cap.* 21. *dub.* 315. *num.* 12. *Pignatell. tom* 1. *consult.* 140. In casu igitur, quod Ejectus prætendat se injuste damnatum, debet recurrere ad Sacram Congregationem Episcoporum, & Regularium, vel ad Summum Pontificem, ut habet *Pasqual. num.* 1028.

5 Quæres, an id, quod de Ordinario loci dictum est, locum habeat, etiam ubi de Nunciis Sedis Apostolicæ est sermo? Et respondetur affirmative. Primo, quia ex ordine appellationis inhibetur Religiosis accessus contra suos Prælatos, nisi servato juris ordine, scilicet a Generali ad Protectorem, a Protectore ad Sacram Congregationem, & ab hac ad Summum Pontificem, ita concessit Carmelitis Discalceatis *Clem.* 8. *constit.* 110. §. 2. Idem concessit *Urbanus pariter Octavus* anno 1631. Italicæ ejusdem Ordinis Congregationi. Hoc ipsum obtinuerunt a *Gregorio XIII.* Fratres Minores, ab *Alexandro IV.* Cistercienses apud *Hierom. Roderic. resolut.* 10. *num.* 2. & ab aliis alii. Ubi notandum est, quod si in constitutione sua *Gregor.* 13. *Quoniam nostro* 8. *April.* 1575. *in Stat. Gen. Ord. cap.* 7. §. 8. *in fin.* non meminit S. Congregationis, cum ita habeat. *Si se a Prælatis suis gravari prætendant, ad Generalem Ministrum ipsius Ordinis, seu illius Protectorem, aut Vice Protectorem in Romana Curia, vel ad Nos, sive Romanum Pontificem Successorem nostrum, Supremum in Ecclesia Dei Judicem recursum habeant.* Hoc fuit, quia illud Purpuratorum Patrum Tribunal nondum erat erectum, sed institutum fuit ex post a *Sixto V.* Hoc autem, quod a *Gregorio* specificatum fuit in dicta constitutione, longe prius statuerat *Honorius III.* in quadam famosa *Decret. cap. Dilecti lib.* 3. *de appell.*, & ibi *Gloss. in Verb. post. hujusmodi cap. Romana. eo. tit.*, ex qua *Glossa* hanc regulam statuit, *Quod gradatim est ap-*

pellandum. Nunc vero sub *Innocentio XII.* a Superiore Ordinis, ad Sacram Congregationem est immediams appellationis recursus. Quare, cum nulla in præfatis Constitutionibus fiat de Nuncio mentio, censetur prohibita Religiosis in sententiis pœnalibus a proprio Superiore ad eosdem appellatio. Imo *Sixtus V.*, dum Sacram Regularium Congregationem erexit, ut habetur ex ipsius Constitutione 74. apud *Cherub. tom. 2. Bullar.* §. 21. prædictis Nunciis hujusmodi sententias de Ejectis cognoscere inhibuit, ut liquet ex illis verbis: *Apostatarum quoque Ejectorum, & propterea, extra Monasteria degentium, aut vagantium causam iidem Cardinales audiant, & cognoscant.* Et inferius: *Sic & non aliter per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam dictos Cardinales, ac causarum Auditores, sublata eis aliter judicandi &c.* Quapropter etsi in Constitutione *Urbani VIII.* supra relata *Par. pr. num.* 26. revocata remaneant omnia privilegia ipsi contraria, quantum ad formam servandam in expellendis Religiosis, & in recipiendis Ejectis, non tamen manet revocatus ordo, servandus juxta præscriptum Summorum Pontificum in tractandis causis Religiosorum ejectorum. Cumque in nulla alicujus Summi Pontificis constitutione, concedatur Nunciis Apostolicis hæc facultas, teste *Pignatello* loco citato, quinimmo ipsis specialiter tollatur in dicta *Sixti V.* Constitutione, nullo modo se possunt intromittere in hujusmodi causis. Atque ita sæpe decrevit Sacra Congregatio Episcoporum, & Regularium, præcipue in una Florentina die 30. Martii 1594., & iterum die 15. Maii ejusdem anni in hæc verba: *Il Nuntio non si dee interporre nelle cause de Regolari, dovendosi esse conoscere da loro Superiori per grado, non ostante qualunque facoltà.* Idem in una Veneta die 4. Junii 1602., & in una Sancti Dominici die 26. Januarii 1604. Ita ex Pignatello loco citato, qui de Nunciorum auctoritate in Regulares remissive Lectorem mittit ad *Lezan. to. 5. Sum. in Mari magno Prædicat. num. 44. & in Mari magno Minimorum num. 122.*

QUÆSTIO II.

Cui Episcopo debeat se præsentare, & an pro libito possit mutare Diœcesim?

SUMMARIUM.

6 *Ejectus debet se præsentare Ordinario loci, cum litteris testimonialibus ejectionis.*
Fundamenta Navarri opinantis pro Episcopo originis.
7 *Expulsus potest eligere Domicilium, ubi commode potest ali.*
8 *Opinio tenentium Ejectum posse se præsentare cuilibet Episcopo voluerit.*
Molina in hac opinione procedit cum distinctione.
9 *In electione Domicilii nulla est distinctio inter Expulsum exemptum, & non exemptum.*
10 *Dubium, an Ejectus possit pro libito mutare Diœcesim.*
Opinio Pasqualigi ad Francum negativa.
11 *Rejicitur opinio Pasqualigi cum ejus fundamento.*
Ejectus tenetur subesse Ordinario æquali vinculo obedientiæ, sicut cæteri Clerici, non autem strictiori.
Ejectus (hoc non obstante) potest absque Ordinarii facultate, mutare Diœcesim.
12 *Ejectus mutans Diœcesim, debet se præsentare Ordinario ad quem.*

6 Respondeo, quod pro certo habetur Expulsum teneri se præsentare Ordinario loci, una cum litteris testimonialibus suæ ejectionis, ut dictum est in calce secundæ Partis, ultra ea, quæ tradita sunt in fine quæstionis 16. Partis primæ; nam hoc deducitur ex citato *Decreto Urbani* 8. Sed dubitatur, an se præsentare teneatur Episcopo originis, vel Domicilii, quod elegerit ad habitandum; vel etiam loci, ubi fertur sententia, ac expulsio executioni mandatur? Pro Episcopo originis opinati sunt, *Navar. Com. 2. de Regular. num. 33. & 34. & consil. 79. num. 4. & in cap. Non dicatis num. 42. prout in Roderico tom. 1. quæst. 30. art. 25. Ugol. de Potestat. Epis. c. 2. §. 9. Federic. de Senis cons. 5. in fin. Marta de juris p. 4. n. 182. Riccius p. 3. decis. 95. num. 1. Miranda tom. 1. quæst. 52. num. 4. concl. 2.* Ratio est, quia aut debet esse subjectus Episcopo Domicilii, cui suberat ante Religionis ingressum, aut Episcopo in cujus ditione est situm Monasterium, a quo ejicitur, aut Episcopo originis. Non Episcopo Domicilii, aut loci, in quo est situm Monasterium, quia utrumque subest mutationi, eo quia Monachus, sicut ante ingressum Religionis poterat pro libito, de uno ad aliud ferri Domicilium, ita, postquam Religionem vovit, de uno loco ad alium, pro Superiorum voluntate, transferri potest. Relinquitur ergo, ut maneat subjectus Episcopo originis, eo quod originis Domicilium sit immutabile juxta *L. Assumptio ff. ad Municipales*: nec perditur per accessionem dignitatis, quæ non aufert, sed cumulat Domicilium ex alio *textu L. Senatores ff. de Senatoribus.*

7 Verum hæc opinio non convincit. Durum est enim cogere expulsum, ut quandoque in Regiones longinquas abeat, ut originis Episcopum inveniat, ibique aliquando cum maxima sui, & suorum infamia degat, illi aditum præcludendo, ne ibi vivat, ubi magis dedecus suum occultet; nec ex eo, quod est expulsus, ita ligatur, quin Domicilium eligat, ubi commode ali possit, cum id sit juri naturæ consentaneum, ita *Roderic. tom. 1. q. 30. art. 25.* non enim deterioris conditionis est expulsus in electione Domicilii, quam sit quivis alius Clericus, quare *Azor. lib. 12. cap. 16. lit. E. quæsito 11.* unico verbo quæstionem solvit, dicens, *ejectum Monachum in morem aliorum Clericorum Episcopo subjici, in cujus tunc Diœcesi vivit.*

8 Alii apud *Passerin. de Ho. stat. qu. 189. n. 633.* senserunt, ejectum posse se præsentare cuilibet Episcopo voluerit, sive sit Episcopus originis, sive loci, sive alterius cujusque Diœcesis, ita quod, post Sententiam expulsionis, suum sit Diœcesim eligere, in qua habitet, ita *Suarez. tom. 4. de Relig. tr. 8. lib. 3. cap. 6. num. 16.* Sed *Molina tom. 1. de just. disp. 140.* distinguens inter Religiosos exemptos, & non exemptos, dicit, exemptos subjici in casu expulsionis Episcopo originis, Religiosos vero non exemptos subdi Episcopo loci, ubi degunt. Probatur illatæ distinctionis conclusio, quia Diœcesanus non debet ob expulsionem jure suo privari, quapropter, si expulsus, constante statu Monachali, erat subditus illi, in eodem statu debet illi, post expulsionem manuteneri, ne potioris conditionis sit incorrigibi-

Lis

lis, post expulsionem, quam ante. Quod, si exemptus per professionem, dimittitur a Religione, redditur ei, cui ab origine erat subditus. Pro hac Sententia citat *Passerin. loco citat. Azorium* eodem loco, quo illum pro opposita Sententia allegavimus; sed arbitror, illum tali loco non vidisse, sed ex falsa alterius citatione desumptisse, nam ibi nullam mentionem de præfata distinctione facit, opinionemque illius penitus immutatam supra retulimus.

9 Sed omissa hac distinctione exemptorum, vel non exemptorum, cum omnia sint modo ad formam juris communis per Constitutionem *Urbani Octavi* redacta, quæ Constitutio stat pro Episcopo loci; dicimus, expulsum debere se præsentare illi Ordinario, in cujus Diœcesi est Conventus, a quo eijcitur. Ratio est, quia Religiosus non habet, vel Diœcesim, vel Domicilium, quibus aliquo jure adstringatur, sed per professionem solutus a Sæculi vinculo, omni Domicilio extincto, nullum habet Episcopum originis, cui eo titulo subsit. Nec quia expellitur, desinit esse Religiosus, cum Vota in eo subsistant, pluresque obligationes, statum Religiosum comitantes, ut dicemus infra. Quare rationabiliter illi Diœcesano subditur, in cujus Diœcesi quodammodo Sæculo renascitur, & incipit degere extra Claustra, sic firmant *Diana 3. part. moral. tract. 2. resol. 60. Peliz. tract. 8. cap. 7. num. 8. Portell. Verb. Eijcere num. 6. Donat. in prax. part. 2. tract. 8. quæst 93. Palaus tract. ib. decis. 4. part. 23. num. 8.* Estque communis, teste *Ant. a S. Spir. Direct. Regul. tr. 4. disp. 3. sect. 12. § 6. num. 466.*, Doctorum sententia.

10 An vero Ejectus possit pro libito mutare Diœcesim? *Pasqualig. ad Francum num. 963.* dicit non posse absque licentia sui Ordinarij, quam si concedat, tenebitur se præsentare alii Ordinario, illumque monere de statu suæ ejectionis, ut sciat, quo jure adstringatur. Fundamentum illius est, quia fortiori vinculo adstringitur Episcopo Ejectus, quam alij Clerici; sed ex voto obedientiæ, quo erat Religioni debitus, nunc Ordinarij tenetur parere mandatis, subtrahere autem se ipsum ab illius Diœcesi, est ab illius obedientia declinare: ergo id nequit fieri, nisi de Ordinarij licentia. Hinc *Federic. de Sen. cons. 5.* censuit, Episcopum posse adstringere Ejectum, ut in aliquo loco solitario vivat, & ibi quantum potest, substantialia Religionis servet.

11 Verum præfata *Pasqualigi* opinio reijcitur a *Suarez. loco cit. Passerin. loco cit. Roderic.*, & *Palao locis supra cit. Ant. a S. Spir. cum Azor. ubi supra. Bartol. a S. Fausto lib. 6 Thesaur. quæst. 123. cum Diana ubi supra Pellizar. loco cit.* & probatur, quia Religiosus ejectus, nec ut Religiosus, nec ut Clericus tenetur manere in una Diœcesi, ita quod nequeat ad aliam absque Diœcesani facultate transire; Non ut Clericus, cum nulla detur Constitutio negans Clericos posse, aut ratione beneficij, aut Domicilij mutare Diœcesim, quoties curæ Animarum non sunt adstricti. Neque, ut Religiosus, quia licet illi competat non exire sine licentia Superioris, hæc autem obligatio est obligatio Regulæ illum afficiens, dum manet in Claustro, & respicit Superiores Regulares, in quorum manibus vovit, non vero Ordinarium, cui nullatenus Religiosus se submisit; quare non afficit Regularem extra Claustra manentem, & ad sic manere damnatum. Nec officit *Constitutio Urbani VIII.*, ex ea enim tantum colligitur, quod *Ordinarij loci jurisdictioni, & obedientiæ subsint*: ad cujus præcepti executionem sat est apud citatos Doctores, Ejectum illi Ordinario subesse, in cujus Diœcesi vivit, eo modo, quo illi subsunt alii Clerici. Ad id vero, quod de obedientia expositi respective ad Ordinarium dicitur, negatur Ejectum strictiori vinculo obedientiæ teneri Ordinario, quam teneantur cæteri Clerici; & sicuti illi, eo non obstante possunt pro libito mutare Diœcesim, ita & isti; sed de hac obedientia Ejecti respective ad Ordinarium fusius agemus infra.

12 Concluditur ergo, quod, licet Ejectus, post sententiam expulsionis, teneatur se sistere Ordinario loci, ubi primo incipit vivere extra Claustra, non ita tamen eiusdem Diœcesi adstringitur, quin ad aliam, absque illius licentia, migrare possit, sicut, & alij Clerici, cum sat sit pro obedientia Canonis, teste *Passerino, loco cit.*, quod Ejectus vivat sub aliquo Episcopo, a quo sicut quicunque alius Clericus regatur, & coerceatur. Tenetur tamen in tali casu Ordinarium, in cujus Diœcesi eligit Domicilium, ut etiam notavit *Pasqualigus*, de sua ejectione monere, ut sciat, quo jure juxta Decretum Urbani, illum distringat, quibusque pœnis sit innodatus noviter subjectus suæ jurisdictioni.

QUÆSTIO III.

Quo habitu incedere debeat Expulsus.

SUMMARIUM.

13 *Ejectorum differentia pro diversitate Status Religiosi.*

14 *Opiniones diversæ de obligatione delationis habitus Religiosi in Ejecto.*

15 *Opinio Pasqualigi, qui nulla facta distinctione inter Expulsum, Sacris Insignitum, & Laicum, tenet debere incedere ex vi Decreti in habitu Clericali.*

16 *Expulsus in Sacris ad habitum Clericalem adstringitur. Clericus in minoribus, vel Conversus potest pro victus necessitate Laico habitu incedere.*

17 *Vivere de labore suo, magis commendatur, quam de mendicatione.*

18 *Fundamenta cogentium Ejectos quoscunque ad Clericalem habitum refelluntur.*

13 RESpondeo, quod Ejecti dispari gradu distinguuntur in Ordine Regulari. Alij saluti Animarum procurandæ, servitioque Chori dediti, & hi quidem in duplici differentia, nam aliqui ex istis sunt Sacris initiati, aliqui in Ordinibus Minoribus constituti. Alii vero servituti aliorum in corporalibus applicati, veluti *Martha* in famulatu Salvatoris, & hi nomine Laicorum, Donatorum, vel Conversorum veniunt. De istis ergo omnibus quæstio instituitur.

14 *Ant. a S. Spir. Direct. Regul. tr. 4. disp. 3. sect. 12. §. 6. num. 474. Sanch. lib. 6. Decal. cap. 9. num. 55. Roderic. tom. 1. quæst. 30. art. 27.* tenent, quod si per sententiam expulsionis, non jubentur Ejecti habitum Religionis exuere, eo uti possint, extra Claustra degentes; secus, si illis usus habitus Religiosi interdicitur, nam tunc in habitu Clericali debent incedere. His se subscribit *Bonac. quæst. 2. de Claustro p. 12. §. 5. num. 2. ex Bordono tom. 4. part. 3. resol. 115. num. 73.* dicens, Ejectos posse eijci cum

onere deferendi habitum sui Ordinis; Quodve Superiores Regulares negare, vel permittere queant Ejectis Religiosi habitus usum, juxta Ordinis Statuta, firmant *Navar. Comment. 2. de Regular. num. 36.*, *& lib. 3. consil. tit. de Regul. in 1. edit. cons. 51. n. 2, in 2. cons. 78. n. 8. Azor. tom. 2. Instit. mor. lib. 17. cap. 18. q. 13. Less. lib. 2. de just. cap. 41. dub. 15. num. 112. Sayr. Clau. Reg. lib. 6. cap. 9. nu. 28. Manuel. Quæst. Regul. tom. 2. quæst. 30. art. 26.* Verum præfata opinio soli scribentium authoritati innititur, qui tamen, ante Constitutionem Urbani, editam anno 1624. scripsere, *Et Antonius a Spiritu S.*, qui post illam, dedit in lucem *Directorium Regularium*, asserit, *loc. cit. num. 559.* præfatam Constitutionem non fuisse ubique promulgatam, aut usu receptam, ac proinde de illa non constitisse authentice; quapropter in eorum testimonio, ac authoritate non est vis facienda, cum nobis constet de robore præfati Decreti, cui quoque aliæ nonnullæ declarationes Sacræ Congregationis accessere.

15 Hinc *Passer. de Hom. Stat. tom. 3. quæst. 189. inspect. 3 num. 597.* nulla facta distinctione, si Ejectus sit Ordine Sacro insignitus, sive Laicus, tenet debere incedere ex vi *Decreti* in habitu Clericali. Ducitur ad hoc, quia *Decretum* non distinguit inter Clericum, & Laicum, sed absolute præcipit, Ejectos incedere debere in habitu Clericali. Secundo, quia Ejectus, tanquam Religiosus, & non Laicus sit specialiter Episcopo subjectus, ideo debet uti veste Clericali, ut a Secularibus distinguatur & esse inter Ecclesiasticos dignoscatur, citatque pro hac sententia *... in prax. 2. t. 8. q. 41. num. 2.* subditque, quod, si Ejectus vellet uti habitu quidem Clericali, colore ab habitu aliorum Clericorum differente, unde posset cognosci, se esse Regularem, posset hoc illi interdici, & compelli, ut ad modum aliorum Clericorum habitum deferret, quod & tenet *Bellet. disq. Cleric. par. 2. de pœnis Cleric. §. 25. num. 18.*

16 Verum, his non obstantibus, censeo cum *Suar. to. 4. de Relig. tract. 8. lib. 3. cap. 6. num. 14. Novar. Lucern. Regul. v. Ejectus num. 7.* esse distinguendum. Vel enim Expulsus est in Sacris constitutus, & tunc ambigendum non est, ipsum ex vi *Decreti* debere incedere in habitu Clericali, ita cum supradictis tenent *Sanch. lib. 6. Decal. cap. 9. num. 55. Barbos. in c. p. final. num. 13. de Regul.*; unde peccarent, si in habitu Sæculari incederent, & secus facientes possent puniri, & compelli ad reassumendum habitum Clericalem, ut habet *Graffius lib. 3. cons. 3. q. 3. de Reg. num. 12. citat. a Donat. ubi supra.* Vel Expulsus est Laicus; quod, si Clericus, minoribus tantum Ordinibus initiatus; & de istis pronunciant *Suarez*, cum *Novario*, ex *Passerino*, loco citato, non teneri ad delationem habitus Clericalis, sed posse uti habitu Laico. Ratio ad hoc est, quia hujusmodi Ejectus non tenetur esse Clericus, si non vult; & sufficit, si cœlibatum servet in vita, & consequenter in habitu Laicali; subditque *Suarez*, Episcopum non posse hujusmodi Ejectos cogere ad habitum Clericalem, cum illud non voverit. Oppositum tamen tenent *Peyr. Formul. lit. E. c. 39. n. 3 Donat. loco cit. Pelliz. Manual. tr. 8. c. 7. n. 18. Pasqual. ad Laur. de Franc. num. 987.* ob rationes supra adductas a *Passerino*, quod, scilicet Expulsus, esto Clericus in minoribus constitutus, esto Laicus, teneatur contra id, quod docent *Lezan. Sum. verb. Ejicere num. 8. Cespod. de exempt. Regul. cap. 21. dub. 315. num. 11. Sanctor. de pœn. cap. 19. quæst. 4. q. dica non debere f. 265.* in habitu Clericali incedere.

17 In hac Doctorum varietate, distinguendum denuo censeo; Nam, vel Ejectus habet in Domo sua, unde vivat, absque eo quod alicui mechanico exercitio addicatur; vel si vult vivere, oportet, quod in sudore vultus sui, laborando sibi victum comparet. In primo casu, certe tenenda est sententia *Passerini* cum suis fundamentis. In secundo casu, sequenda est sententia *Suarez*, & aliorum. Ratio est, quia de jure naturæ est, quod sibi unusquisque victum quærat. Sed potest contingere, quod Expulsus nullam aliam artem calleat, qua sibi necessaria ad victum quærat, quam per exercitium ejusdem. Debet ne ergo illam in habitu Clericali exercere? Hoc enim indecorum est. Quid turpius, quam videre in habitu Clericali Cerdonem, Stabularium, Cauponem, aut Lanionem? Unde ergo vivet? Dicetur forte, quod ostiatim mendicando, poterit suis necessitatibus occurrere. Sed potens de labore suo vivere, ut consulit *Divus Paulus Act. Apostol. cap. 20.*, qui de hoc gloriabatur, dicens; *Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupivi, sicut ipsi scitis, quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministraverunt manus istæ*, & ipse Textus suadet, *Decret. 91. distinct. cap. 4. & cap. seq. & c. Clerico*, ille, inquam non potest eleemosynam veris Pauperibus, & Infirmis præripere; Non enim vere indiget, eo quia commode potest sibi necessaria, laborando comparare, ut de istis textualiter ordinat una *Lex Codicis L. unic. C. de Mendic. valid. lib. 11.*; unde ipse tenetur suis manibus laborare, ut docet *Graff. d. cis. part. 1. lib. 3. cap. 5. de Reg. num. 82. & tom. 1. d. Regul. cons. 3. num. 8. Donat. tom. 1. par. 2. tract. 8. qu. 31. num. 1. Pasqual. ad Lauret. de Franch. num 991.* Sequitur ergo, quod in tali casu, ut exercitio suo victum quærat, debeat in habitu Laico incedere, & laborare; & quod dicitur de Laico, dicitur quoque de Clerico, minoribus tamen Ordinibus initiato, quando in tali statu esset, quod neque inserviendo alicui Ecclesiæ, neque Grammaticam, aut alias scientias docendo, neque Pedagogum agendo, posset vivere; prævalet enim jus naturæ cujvis Ecclesiasticæ positivæ dispositioni.

18 Unde ad fundamentum *Passerini* dicitur ex allegato Decreto, *non* deduci expresse, quod sive Clericus *in* minoribus, sive Laicus habitu Clericali debeant, post expulsionem, incedere; & licet loquatur indefinite de omnibus Religiosis ejectis, *non* tamen omnia, quæ in eo disponuntur, pro singulis ordinantur; quia in eodem præcipitur, quod Expulsi *sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum*, *Par. 1. nu. 22. §. 10.* hoc autem pro Laicis quadrare non potest, quia nullos habent Ordines, a quibus suspendantur, sicut neque pro Clericis sola prima tonsura insignitis. Sicut ergo pro solis Ordinatis intelligenda est talis suspensio, licet indefinite de omnibus Expulsis pronunciata, ita quoque de delatione habitus Clericalis poterit accipi de ijs solis, qui Clerici sunt. Ad id, quod subditur, debere Expulsos sic indui *in* signum subjectionis jurisdictioni Episcopi, non cogit, quia isti Expulsi fortiori vinculo obedientiæ non adstringuntur Episcopo, quam alii Clerici; siquidem ex vi voti Obedientiæ non obligantur ad ei parendum, ut fusius docebimus infra; non enim verum est, quod Episcopus sit eorum Abbas, ut contra *Hostien. in ca. Quod Dei timorem. de stat. Monac. Jo. Andr. in Clem. 1. eo tit. Ricc. 3. part. decis. 95. num. 5.* tenent communiter *Roderic. tom. 1. q. 3. ac 20. Barbos.*

hos. in cap. final. num. 11. de Regul. Bart. a S. Fausto lib. 3. Thes. qu 128. Laym. lib. 4. tr. 5. cap. 13. de Eject. qu. 1. n. 3. Donat. tom. 1. par. 2. tract. 8. q. 34. num. 3. & licet foro Episcopi sint subiecti, non sequitur, quod per hoc obligentur ad gestandum habitum Clericalem; etenim omnes Familiares, & Officiales Episcopi, de ipsius foro sunt, nec tamen ad portandum habitum Clericalem obligantur, ut advertit *Sanctor. de pæn. cap. 19. quæst. 4. vers. Dico non delere fol. 265.*

QUÆSTIO IV.

An Expulsus debeat enutriri ab Ordine, si cum eo litigat pro reversione.

SUMMARIUM.

19 *Translatus ob delictum ab uno Monasterio ad aliud, debet ali expensis prioris Monasterii.*

Qualiter procedendum, dum utrumque Monasterium, vel unum tantum eget.

20 *Injuste Expulsus potest compellere Monasterium ad alimenta futura, & ad satisfactionem præteritorum, si mutuo accepit.*

Injuste Ejectus habetur pro non Ejecto.

Religio tenetur ad alimenta, & expensas pro substentatione injuste Ejecti, nisi aliter habeat, quo vivat.

Injusta sententia Reum non lædit.

21 *Lite pendente pro validitate expulsionis, Ejectus debet ex bonis Monasterii enutriri.*

Monasterium tenetur non solum ad alimenta, sed & ad expensas pro lite sic litigantis pro reversione.

Præsumptio pro Monachatu dat jus ad alimenta, petenda a Monasterio.

22 *Qualiter Monachus agere possit in iudicio pro repetendis alimentis.*

Causæ, propter quas sic potest intentare judicium contra Monasterium, vel Abbatem.

23 *Legitime Expulsus nutriendus non venit expensis Ordinis.*

Membrum separatum, de nutrimento corporis non participat.

24 *Legitime expulsus de bonis, delatis Ordini, nutriri non debet.*

Contractus initus in professione, non obligat Religionem ad alendum Religiosum ex bonis, ab ipso delatis, nisi religiose vivat.

Ejectus contra renunciationem, factam de bonis suis, venire nequit.

Renunciatio nequit censeri conditionata, nisi conditio exprimatur.

19 RESpondeo. Quod non est hic Quæstio de Monacho, ob delictum expulso a Monasterio, in quo erat Filius, & ad aliud Monasterium deportato, si pro reversione litigit; nam de illo habetur ex quodam Canone, *Cap. de lapsis 16. q. 6.* quod, si expulsus bona aliqua intulit primo Monasterio, tantum ex fructibus bonorum ipsius translati esse concedendum secundo Monasterio, quantum sufficere poterit pro victu ipsius Religiosi, ne ibi Monasterio sit onerosus, ut tenuerunt *Andr. & Hostien in d. c. Quod a te*, & alii Quæ quidem quantitas assignanda, cum a jure non determinetur arbitrio boni viri relinquitur, ut docent *Anchar. in cap. Si quis habuerit 17. qu. 1. Menoch. lib. 2. de arb. cent. 5. casu 456. num. 20. ex Roderic. tom. 3. qu. 52. art. 27.* Quod si non intulit Monasterio bona aliqua, ex quorum fructibus ali possit, tunc ex eodem *Hostiensi in capite citato*, cujus sententia est communi sensu recepta, teste *Azor. instit. moral. lib. 12. par. pr. cap. 17. lit. D.* ali debet expensis primi Monasterii, non secundi: ita etiam *Glossa* in eodem *Cap. de lapsis 16. qu. 6. Abb. in cap. ult. de Reg.* Quod, si primum non habuerit, unde eum alat, ministrabit alimenta secundum; quod si nec hoc ea possit impendere, Abbas Generalis, vel Capitulum Generale prospiciet. Quod, si neutrum per se ad impensas sufficiat, utrumque partem suam contribuet, ita ex *Azorio*, loco cit., cui concordat *Roderic. Quæst. Reg. tom. 2. q. 24. art. 2.* qui etiam subdit, quod in Religione, quæ neque in particulari aliquid de proprio habet, prout in Ordine Minorum de Observantia, usu receptum est, ut Monasterium, in quod mittitur ad pœnitentiam agendam, ei necessaria ministret.

Sensus ergo quæstionis est, an Expulsus ab Ordine ob incorrigibilitatem, & in sæculo degens, si appellationem interposuit, instetque pro revisione causæ, ad finem, ut iterum recipiatur, cassata sententia, contra eum lata; an interim, dum lis pendet coram Judice appellationis, ali debeat a Monasterio, a quo fuit expulsus?

20 Et quidem quod injuste Expulsus compellere possit Monasterium ad alimenta futura, & etiam præterita, si illa mutuo accepit, tenent unanimiter Doctores apud *Passer. de Hom. stat. tom. 3. q. 189. art. 8. inspec. 6. num. 619. Afflict. decis. 10. num. 4. Surdus de alim. tit. 5. qu. 1. n. 48. & tit. 6. qu. 35. num. 6 Navar. comm. 2. de Regul. num. 65. Molina to. 1. de iust. disput. 140. Sanchez lib. 6. Decal. c. 9. num. 8. Felin. ad cap. fin. num 10. de Regul. Sylv. v. Apostasia num. 10. Felin. 16. de Rescriptis*, eo quia injuste est eo titulo spoliatus, & propterea Religio tenetur ad alimenta taliter Ejecti; qui quidem, nec est, nec censeri debet præcisus a Monasterio, ut tradit *Felinus* cum allegatis Doctoribus, ex quo fit, ut si quis Monachum hunc alens animo donandi caruerit, possit a Monasterio alimenta repetere, quia, cum Monasterium teneatur eum Monachum alere, & admittere, qui ipsum aluit, dicitur utiliter Monasterii negotium gessisse; sic docet *Sanchez loco sup. cit. n. 19.* cum *Surdo de alim. tit. 6. q. 19.* qui etiam allegat *Rebuffum*. Hoc autem limitat *Pellerinus* ad casum, quo talis Ejectus non acquirat, nec habeat juste, unde vivat; tenetur enim Religio ei ministrare alimenta, & expensis pro illius necessaria sustentatione succumbere; nec ipse tenetur aliunde ea quærere, vel acquirere magis, quam alii Religiosi; sed tanquam unus de illis alendus est a Religione de bonis communibus. Ratio limitationis est, quia, cum injuste expulsus habeatur pro non expulso, injusta enim sententia Reum non afficit, ideo quidquid acquirit Monachus, injuste expulsus, juxta regulam exterorum, Monasterio acquirit non sibi; quapropter, si in Monasterio vivens debuisset illi ea applicare, extra Claustra degens, illa debet substituere.

Sed an hoc, quod dictum est de alimentis, injuste Expulso debitis, habeat locum, ubi adhuc non constat de injustitia expulsionis; quod erat principale intentum quæstionis?

21 Respondeo affirmative: lite enim pendente pro

pro validitate expulsionis, Ejectus ex bonis Monasterii ali debet, donec sit per sententiam pronunciatum de justitia, aut injustitia illius, ita in terminis posita quæstione de Monacho litigante de injusta expulsione, tradunt *Imol. Clem. 1. num. 37. de Monach. Card. qu. 4. num. 7. §. Quia vero. Menoch. de præsump. lib. 1. qu. 35. num. 21. Velasch. cons. 7. num. 3 fol. 1 Surdus de aliment. tit. 1. q. 126. n. 10. Simon de Prætis de interpret. ult. volunt. l. 5. dist. 2 num 12. & 13. Joseph Ludov. decis. 46. num. 4. Bartol. tract. de alim. num. 43. Sanchez lib. 6. Decal. cap. 9. num.* 8. quibus se subscribit *Passerinus* loco cit. tenens Monasterium non solum obligari, pro eo tempore, ad alimenta, sed etiam ad illi subministrandas expensas pro lite, allegatque *Velasc. loco cit. & Palaum tract. 16. disp. 4. part. 10. n. 11.* quibus consentit *Sanchez* ibidem; & probatur, quia litigans pro reversione, antequam per diffinitivam, ultimam, ac justam sententiam sit præcisus a religione, censeri debet tanquam de corpore, gremio, & consortio communi Religiosorum; sed illis tenetur Religio ex contractu, in professione inito, præstare alimenta, & expensas ad religiosum honestum, & necessarium finem; ergo & huic quoque præbere tenebitur alimenta, & expensas ad religiosum, & necessarium finem, qualis est defensio, ut non expellatur injuste, de cujus expulsionis justitia constare nequit, donec de ea per ultimatam sententiam pronuncietur. Quod ampliatur, ut sit verum, etiam, dum disputatur, an Ejectus sit Monachus, ut habet *Bartolus* loco citato; hoc tamen limitatur a *Lancellotto de attent. par. 2. cap. 4. limit. 11. num. 30.* ad casum, in quo ille esset in propria possessione Monachatus; sed verius est sufficere, quod pro Ejecto adsit aliqua præsumptio Monachatus, sic *Surd. de alim tit. 1. qu. 121. num. 1. Boer. decis. 324. num. 4. Menoch., & alii locis citatis supra.* Postremo *Pignatel. tom. 2. consult. 34.* posita dubitatione, an Moniali expulsæ debeantur alimenta a Monasterio, dum lis pendet super validitate expulsionis, affirmativam partem uno calamo tenere Doctores testatur; quod & statuit *Rota decis. 109. num 6. par. 2. rec.*

22 Sed dices, quomodo poterit Monachus alimenta, ac expensas a Monasterio repetere, si contra illud actionem propriam habere nequit? Religiosus enim Filio familias æquiparatur, contra quem, vel pro quo nequit fundari judicium. *L. lis. nulla. & l. vix. ff. de judiciis L. Servus C. eodem tit.* Ratio est, quia Religiosi habentur pro mortuis, & nil habent de proprio, ut tradunt *Doctores Cap. cum dilecti de rescript. & authent. causa, quæ. tit. cum Monacho. C de Episc., & Cleric. Specul. tit. de Actorib. § unic. n. 18. & tit. de Reo §. unic. n. 19. & tit. de Statu Monac. num. 2. Navar. Comment. 2. de Regul. num. 64.* Et teste *Sanch. lib 6. Declar. c. 12. num. 1.* nemo contradicit. Quare docent *Bartol. lib. Filius Fam. §. Veterani fine ff. de procurat. Abb. Cle. Religiosus num. 6. de procurat. Bald. cap. causam in fin. de judic. Felin. cap. cum 1. & a nu. 10. de sent. & re judic.* quod Monachus non est Persona legitima ad comparendum in judicio, sive ut Actor, sive ut Reus, absque Superioris licentia. Quod si per se ipsum comparere nequit, ergo neque per Procuratorem, ut nomine ipsius agat, quia quod per se nequit, neque per alium præstare potest; & ita expresse habetur in *textu Clem. Religios. de Procurat.* Respondent *Cardin. §. quia vero num. 7. qu. 4. Imola Clem. 1. num. 37. de Stat. Monachor.* Monachum hunc officio Judicis potius restitui, quam jure actionis. Sed etsi sic agere in judicio nomine proprio inhibeatur, ut dictum est, excipiuntur tamen a *Sanchez* loco cit., aliqui casus in quibus Religiosus nomine proprio, non obstante Superioris contradictione, agere potest, quorum tertius in ordine est, dum Religiosus agere vult, ut in Religione detineatur, vel ab ea expulsus restituatur, vel ne ei alimenta debita, aut expensæ a Monasterio denegentur. Sic quoque firmat *Navar. loco cit.* aliosque allegans cum *Azor. tom. 1 lib. 12. Instit. mor. cap. 18. quæst. 9* ut habetur ex *Sanchez loc. cit.*

23 An autem id, quod dictum est de Expulso, dum lis pendet super validitate expulsionis, locum habeat in eo, de cujus ejectionis sententia legitima constat? Respondetur negative. Legitime enim Expulsus de bonis Monasterii nutriendus non venit, neque obligatur Religio ad dandum illi victum, & vestitum, expensisque illius, etsi necessariis succumbere, quia ex quo sua culpa ejectus est, sibi est damnum suum imputandum, si sibi ipsi relinquitur, & providentia paterna privatur, nec Religio aliquo jure urgetur ad hujusmodi alimenta, & expensas Ejectorum, sicut membrum separatum a corpore, de nutrimento corporis non participat, ita *Donat. d. q. 31.* cum *Pasqualigo ex Passerin. loc. cit. n. 657.*

24 Addit vero *Pasqualigus*, numero sequenti, quod, si Ejectus aliqua bona intulit Religioni, censetur enim illa sub tacita conditione intulisse, quod vicissim Religio illi præstaret alimenta, & ideo in eo casu Religionem teneri ad nutrimenta præstanda ipsi Ejecto. Sed hæc limitatio non subsistit, quia illa bona transierunt in dominium, & proprietatem Religionis, cui fas est bona in communi habere, quæ quidem Religio, etsi in professione Monachi, quæ est quidam contractus, ultro, citroque obligatorius inter Receptum, & Recipientem, ut habet *Pignatell. tom. 1. consult. 89. num. 21.* se obligaverit ad illum retinendum, & alendum tanquam filium; hoc autem intelligitur sub conditione, quam de communi testatur *Sanchez lib 6. Decal. cap. 9. q. pr. num. 7.* quod scilicet ille justam expulsionis causam non præbeat; quare Religio se obligat quidem ad alendum Religiosum, sed viventem religiose intra Claustra. Quod autem Religio Ejectum sine alimentis relinquat, hoc est in pœnam suæ culpæ proportionatam. Neque enim datur locus in ea donatione allegatæ conditioni tacitæ, quod Religio teneatur alere Ejectum, si ob rebellionem suam fuerit ejectus; quia, qui per professionem Deo se donat, non habet intentionem rebellandi in futuro, sed intuitu virtutis, ut sit Hostia sacrata Deo, Religioni se spondet; hinc cessat in eo omnis præsumptio illius tacitæ conditionis, & si donat, absolute donat. Ideo Ejectus, nec potest venire, contra renunciationem suam, quia nil proprium habere potest, ut dicetur infra; nec ex delicto commodum reportare potest; Nec ejus renunciatio censeri potest conditionata, nisi ipse conditionem expresserit, sic firmant *Lezan. v. Ejecti num. 9. Donat. part. 2. tract. 8. qu. 58.* & *Navar. num. 14. ex Passer. loco cit. num. 658.* ex *Rota decis. 109. coram Coccino.*

Quæ-

QUÆSTIO V.

An Expulsus promoveri possit ad Sacros Ordines, vel in ijsdem dispensari, ut ministret?

SUMMARIUM.

25 *Opinio tenentium posse Ejectum ad Sacros Ordines promoveri.*
26 *Sententia negativa est absolute tenenda.*
Confirmatur ex Decreto Pontificis.
27. *Refelluntur eorum fundamenta.*
28 *Censura suspensionis afficit Ejectos pro toto tempore, quo degunt extra Claustra, & cessat per ingressum in aliam Religionem.*
29 *Ejectus nequit in susceptis Ordinibus ministrare sine dispensatione Pontificis.*
Si Pontifex cum illo dispensat, ut ordinetur, debet etiam providere de titulo.
30 *Ejectus in data hypothesi ordinari debet a Diœcesano, ubi habitat, ni aliter determinetur.*
31 *Ejectus non solum est suspensus, sed etiam irregularis.*
Ejectus est infamis infamia juris, & facti; utraque infamia explicatur, & applicatur.
Ejectus est incapax officiorum spiritualium, nequit esse Judex Ordinarius, Delegatus, Procurator, accusans, aut testis, aut Tabellio, nisi rogatus a partibus.
32 *Irregularitas Ejecti nequit ab Episcopo tolli.*
33 *Opinio tenentium talem infamiam esse facti, reijcitur.*
34 *Reversus ad Claustra liberatur per Superiores a tali irregularitate.*
Privilegium Sixti IV. non extenditur ad irregularitatem ex homicidio.
35 *Ejectis non solum ministerium Ordinum, sed etiam officium concionandi, & docendi interdicitur.*
36 *Ejecti, si honesto labore nequeunt sibi victum comparare, eleemosynando vivere debent.*

25 Affirmativam partem tenuere Doctores, qui ante Decretum *Urbani* scripsere, dummodo tamen delictum, ob quod erat secuta expulsio, irregularitatem non involueret, nam tunc, nonnisi obtenta dispensatione, promoveri poterat, aut in susceptis ministrare, ita *Roderic. tom. 1. qu. 30. art. 26. Navar. lib. 1. consil. in pri. edit. tit. de ætat., & qualit. conf. 9. in 2. lib. 3. tit. de Regul. consil. 84. Sanch. lib. 6. Decal. cap. 9 qu. 3. num. 59.* Idem sustinet *Ant. a Sp. San. Director. Regul. to. 4. dispnt. 3. sect. 12. §. 6. num. 479.* post tale Decretum, calamo manum admovens, sed hæsitans de illius valore, utpote vel quia non receptum, vel quia non in usu in Regionibus Lusitanis, aut non publicatum. Addit quoque talem suspensionem, qua Pontifex Ejectos arcet in perpetuum ab Altari, dicens: *Sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum*, esse comminatoriam, & inferendam, utpote quæ lata est per verbum futuri temporis, *Sint perpetuo suspensi*; nam verbum *Sint*, est futuri temporis, ut habet *Sanch. lib. 2. moral. cap. 38. num. 90.* Hoc quoque modo explicat tale Decretum *Cespedes* cum *Peliz. tr. 8. cap. 7. num. 25.* Quare infert, quod, cum de jure communi Ejecti non sint irregulares, aut suspensi, non est, cur talibus pœnis onerentur.

26 Oppositum tamen est absolute tenendum, cum in citato Decreto habeatur, quod *Ejecti, dum extra Religionem degunt, sint perpetuo suspensi ab exercitio Ordinum*. Sententia enim lata a Summo Pontifice, nequit absque speciali commissione ejusdem relaxari; quare, cum ex citato Decreto aufertur *Ordinarijs locorum facultas dictam suspensionem relaxandi, atque moderandi*, statim ac quis est ejectus, manet tali suspensione irnodatus, ratione cujus nec ascendere potest, nec in suscepto Ordine ministrare, sub poena irregularitatis, ut tradit *Donat. in praxi tom. 2. tr. 8. q. 38.* cum *Pasqual. ad Franch. num. 105.*

27 Ad fundamentum oppositæ sententiæ, & primo quantum ad publicationem præfati Decreti, res est evidens, illud fuisse juxta stilum Curiæ legitime publicatum, quare non est ambigendum de illius obligatione; & eo maxime, cum juxta ibi statuta, fuerit ex tunc in Romana Curia judicatum. Nec id, quod ibi subditur, alicujus roboris est; falsum est enim, quod dictio *Sint*, tempori futuro conveniat, & non potius imperativo præsenti. Non enim Decretum de Ejectis, ipsos esse suspendendos, pronunciat, sed eos veluti tales ex tunc declarat; idem enim est, ac dicere, fiat. Quis enim Sacræ Scripturæ Interpres sic legit, quod, dum in Genesi dixit Deus: *Fiat lux*, verbum *Fiat* esset futuri temporis, & significaret, lucem in futuro esse faciendam, & non potius, quod statim ad Imperium Dei fuerit dissipata caligo per adventum lucis? Sic, & in proposito, dictio *Sit*, quod est verbum præsens, & signum efficacis voluntatis, significat, quod Ejectus, pro tempore, quo extra Claustra degit, sit de præsenti, ex vi latæ sententiæ, & non sententiæ inferendæ, & in futuro suspensus ab exercitio Ordinum. Et hunc esse communem sensum Doctorum, pro certo & indubitato tenendum testatur *Passer. de Hom. stat. q. 189. art. 8. nu. 638.*

28 Hæc autem censura afficit Ejectos pro toto tempore, quo manent extra Claustra; verum, si ingrediuntur aliam Religionem, etsi laxiorem, vel revertantur ad priorem, illico relaxatur, & cessat, ut ex verbis Decreti *Urbani VIII.* colligitur, & tradit *Lezan. par. pr. cap. 23. n. 8* cum *Tambur. 3. disp. 8. num. 11.* Non enim censura illa percutit Personam per se primo, sed statum, cum habeatur: *Ejecti, extra Religionem degentes, sint perpetuo suspensi*, quare mutato statu, non officit; status autem per reditum ad priorem, vel per ingressum in alium quemcunque Ordinem Regularem, immutatur, cum non amplius pronuntiari possit de Ejecto, quod extra Religionem degat; sic cum *Donat. qu. 40.* firmat *Pasqualig. num. 1020.*

29. An autem hæc suspensio relaxari possit cum Ejecto, ut promoveri possit ad Ordines, vel in susceptis ministrare? Respondetur negative, cum obstet Decretum per verba illa, *sublata Ordinarijs locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, atque moderandi*. Quapropter sola auctoritas Sedis Apostolicæ potest illi subvenire. Non ergo modo locum habet quæstio proposita a *Roderic. tom. 1. q. 30. art. 14. & Sanchez. l. 6. Decal. c. 9. q. 3. n. 59.* scilicet: Quo titulo Ejectus ordinari posset, cum non posset promoveri titulo professionis in probata Religione; nam a Monasterio alendus non erat, quia Ejectus; non titulo Patrimonij, cum ex professione paupertatis Religiosæ, cujus votum comitabatur Ejectum, (quod & nos infra ostendemus) proprium

quid

quid habere non poterat; sed neque titulo beneficij, cum aliquando delicta expulsionis infligendæ, inducere potuissent irregularitatem, a qua non poterat per Ordinarium relaxari; vel saltem Ejectum infamiæ nota vulnerabant. Tota (ut dixi) illa quæstio ruit, nam nunc ordinari nequit, nisi a Summo Pontifice dispensetur. Quod si Pontifex cum Ejecto dispenset, ut vivens extra Claustra, ad Ordines promoveatur, ejus quoque erit providere de Titulo, ut innuit *Passer. loco cit. num.* 645.

30 A quo autem Ejectus debeat ordinari, si eum eo a Pontifice dispensetur, num scilicet ab Episcopo Domicilii, vel ab eo, qui est originis, disputant Doctores apud *Passerinum* loco cit.; sed consequenter ad ea, quæ supra diximus *Part. 3. quæst. 2. n.9.* respondetur, quod nisi Pontifex in libello dispensationis præscribat quoque Episcopum, a quo debeat ordinari, promoveri debere ab eo, in cujus Diœcesi Ejectus habitare decrevit; eo quia illius jurisdictioni subsit.

31 Advertendum tamen, Ejectum non solum esse juxta tenorem Decreti, indispensabiliter suspensum; sed esse quoque irregularem, ob infamiam ejectionis. Hæc autem infamia, an sit juris, vel facti, lis est inter *Donatum p.2. tract. 8.qu.* 44.& *Mirand. tom. 1. qu. 52. art,* 5. apud *Passer. loco cit. num.* 642. *Donatus* enim, cui consentit *Sanch. lib. 7. cons. cap. 1. decis* 24., & *Pasqualigus ad Franch. num.* 1008. censet illam esse Juris. Facti vero illam nominat *Miranda*, cum quo concordat *Roderic. to. 1. quæst. 3. art. 21. Peyr. in R S. qu. 1. cap.* 25. §. 2. & *Lezan. ad Mare Magn. Minor.* §. 24. *n.* 63. Nos vero utramque concurrere in Ejecto dicimus; nam, cum infamia facti ea sit in Jure canonico, quæ resultat ex improbatis moribus, ut dixit *Covaru. de Spons. par. 2. cap. 8. §. final. num. 8. Apostol. ad Clar. quæst. 62. Verb. Infamia.* Infamia vero Juris Canonici est quæ oritur ex delicto, cui ex Jure Canonico annexa est infamia, & hoc vel per sententiam declarata, vel ex evidentia notoria. Prima tollitur facto contrario, nam, cum sit illa, quæ contrahitur ex quolibet peccato mortali, licet tali, quod per sententiam non soleat condemnari, per pœnitentiam ablata culpa, deletur & infamia, ut notant quidam *Canones, Cap. Euphemium 2. quæst. 3. cap. 2. & 3. caus. 6. qu. 1. cap. Testimonium de test.* Secunda tollitur per solum Principem, puta, Papam, Generalem &c., ut dicunt *Jura Cap. cum te de Sent. & re judic. lib. 1. §. de qua ff. de Postul. Abb. in cap. Ex diligenti num. 6. de Simon.* Sed Ejectus ob incorrigibilitatem involvit depravatos mores, quibus apud probos ex criminibus consuetis fætuit ejus nomen, simulque de tribus saltem delictis gravibus per sententiam debuit ante expulsionem puniri: ergo accedente expulsionis sententia ob incorrigibilitatem de illis, remanet utraque infamia notatus, & per consequens irregularis. Infamis enim, ex quo est talis, percutitur irregularitate, & non potest ad Ordines, seu Dignitates, & Officia promoveri. Incapax enim est Officiorum spiritualium, nec potest esse Tabellio, nisi rogetur a partibus, nec Judex Ordinarius, nec Delegatus, ut habet *Canon Cap. Scifcitatis. Extra de Rescrip.* nec Procurator; privatur beneficiis obtentis, & obtinendis; repellitur ab accusando, & testificando, nisi in causa privilegiata, vel civili, in qua non defertur solemnitati iuris civilis, ut ex diversis iuribus *Cap. Petrus de Homicid. in cap. 1. de Purgat. Canon., & in cap. sicut num. 4. ne Cleric. vel Monach. & in cap. cum Deputati num. 4. de Judic. & in cap. Cum olim de causa poss. & in cap. Ex tua nu. 1. de Purgat. can. & in cap. 1. num. 6. de Accusat. & in c. Dilectio n 6. de Judic. Abbas* merito colligit. Quare deducitur, Ejectum incapacem esse cuiuscumque beneficii, non solum Curati, sed etiam simplicis, eo quia infamis est, & irregularis.

32 Nec præstat dicere cum *Thesaur. p.2. prax. 5. cap. 13. V. Religiosi num.* 5. posse Episcopum super hac irregularitate dispensare, si delictum, ob quod quis fuit e Claustris per expulsionem sublatus, adulterii malitiam non superet, prout ex *jure, Cap. at si Clerici de adult.* Hoc, inquam, non subsistit, quia ex quo ab Ordinario demitur per Constitutionem Pontificis ius dispensandi cum Ejecto in pœna suspensionis, quæ minima pœnarum canonicarum existit, multo minus poterit dispensare super irregularitate ex delicto.

33 Dices cum *Ant. a Spiritu Sancto Direct. Regul. tract. 4. disp. 3. sect. 12. num.* 487. Hæc infamia in Ejecto, est infamia facti, non juris; Durat enim quamdiu Ejecti incorrigibiles perseverant, ut etiam notavit *Peyr de subd. quæst. 1. cap.* 25. §. 5 Per emendationem vero aufertur infamia facti, & irregularitas, ut habet *Basseus Verb. Irregularit.* 10 *num.* 6. ergo ratione hujus infamiæ non sunt inhabiles ad beneficium simplex, nisi delictum, ob quod fuit expulsus, secum deferat irregularitatem, quale est homicidium. Respondetur, ut supra probatum est, Ejectum, quamdiu non redit ad Religionem, utraque infamia esse notatum; Juris quidem, ob sententiam expulsionis pro gravibus delictis pronuntiatam; Facti, dum incorrigibilis perseverat; semper quoque talis præsumitur, dum vivit in sæculo; nam, si de commissis pœniteret, rediret ad Claustra, ut notavit *Pasqual. num.* 1009., ex quo fit, ut Episcopus, ex vi capitis citati, talem maculam tergere non possit, etsi Ejectus in delicta supra adulterii malitiam non fuisset lapsus, si tamen ob illa fuit expulsus; dum Episcopus tunc solum potest dispensare super infamia, quando infamis vere pœnitet.

34 Ab hac ergo suspensione, & infamia liberantur Ejecti, quoties ad Claustra revertuntur; tunc enim cessat suspensio ab exercitio Ordinum, prout ex Decreto citato; & ab irregularitate contracta propter infamiam, a Superioribus Ordinis dispensantur ex concessione *Pij V., Sixti IV.*, quod tamen limitatur ad irregularitatem, quæ est pura pœna peccati, non ad eam, quæ simul est pœna, & inhabilitas, prout de ea, quæ ex homicidio voluntario provenit, ut advertit *Diana p 4. tract. 2. resol.* 81.

35 Quæres, An sicut Ejectus interdicitur, ne in susceptis Ordinibus ministret, scilicet conficiendo Sacramenta, Eucharistiam ministrando, Confessiones audiendo, in Officio Ministrorum Altaris, veluti ex Ordine assistendo solemniter Celebranti &c. ita quoque nequeat assumi ad munus prædicandi Evangelium? Respondetur, quod, licet ex vi Decreti *Urbani VIII.* solum sint suspensi ab exercitio Ordinum; attamen ex Constitutione *Gregorij XI.* pro Ordine Prædicatorum, quæ habetur in eorum, *Mare Mag.* §. 24. Ejectis ab eorum Ordine prohibetur concionari, & docere. Idem statuitur pro Expulsis Ordinis Minorum in Mari Magno apud *Lezan. Mar. Mag. Min.* §. 24. & in *Mar. Magn. Carmel.* §. 93, & 94. *Mar. Mag. Minimor.* §. 36., & 45. *Mar. Magn. Servit.* §. 49. cum facultate Superioribus earum Religionum hujusmodi Ejectos excommunicandi, si intra terminos suarum Provinciarum, vel Districtuum

ctuum

ctuum ausi fuerint concionari, Confessiones audire, & docere. quæ quidem concessiones adhuc vigeant, ut habet *Passer. loc. cit. num.* 640. Accedit ex *Concil. Trident. sess.* 5. *c.* 2. prohibitio, facta Episcopis: *Ne aliquem vel eorum, qui, cum sint nomine Regulares, extra Claustra tamen, & obedientiam Religionum suarum, vivunt, in sua Civitate, vel Diœcesi prædicare permittant, nisi ipsis noti sint, & moribus atque doctrina probati.* Quommodo ergo constare potest Episcopis de probitate Ejecti, si ideo a Religione expulsus, quia incorrigibilis. Deinde, ut probatum est, hujusmodi Expulsi Infamia Iuris, & Facti laborant, rejecti quoque, non solum a Sanctuario, sed etiam a testimonio ferendo, ergo nequeunt ad Apostolicum Evangelizandi ministerium assumi, ita *Rodriq. tom.* 1. *quæst.* 30. *num.* 21. *Mirand. tom.* 1. *quæst.* 52. *art.* 5. *Peyr. Relig. subd. qu.* 1. *cap.* 25. §. 1.

37 Sed dices, ex quibus nutriri poterunt, Ordinibus Majoribus initiati, si Spirituali Ministerio Ordinum, utpote quia suspensi, victualia stipendia sibi comparare nequeunt, neque evangelizando mercedem laboris invenire? Nunquid, quod de Laicis, aut Clericis in minoribus dictum est, deposito Clericali habitu, mechanicis artibus, & quandoque vilibus intenti, hujusmodi necessitatibus poterunt occurrere? Respondetur cum *Sanch. lib.* 6. *Decal. cap.* 9. *num.* 50. *Navar. Com.* 2. *de Regul. num.* 37. *Azor. lib. Institut. Moral. cap.* 26. *in fine* Quod sicuti liberum est cuique sua omnia Pauperibus erogare, & mendicato cibo pasci, sic etiam liberum est ejecto Monacho vivere ex eleemosynis mendicatis. Quod, si habent, unde possint sibi victum parare, honesta exercitia exercendo, vel etiam manibus laborare, id possunt facere, ut ex *D. Thom. quæst.* 187. *art.* 3. habetur ad nullum tamen determinatum modum tenentur, sed sufficit, quod licito modo victum quærant, exercitiis honestis, statui Clericali non repugnantibus. Sic firmat *Passerinus* loco citato.

QUÆSTIO VI.

An Expulsus obligetur ad Vota essentialia Religionis, & ad alia Vota sui Ordinis, nec non Regulares Observantias.

SUMMARIUM.

37 *Vota Religionis durant in Ejecto, esto suspendantur, quoad aliqua.*
Integra manet obligatio castitatis, non sic obedientiæ, & paupertatis.
Acquisita ab Ejecto sunt ejus, quantum ad administrationem, non autem Dominium.
Votum extinctum non resurgit, nisi replicetur.
Expulsus cogitur subesse pœnis latis in sententia Expulsionis.
38 *Diversæ diversarum Religionum obligationes.*
39 *Fundamenta tenentium Ejectos teneri ad alias obligationes proprii Instituti ultra vota.*
40 *Refelluntur fundamenta præfatæ Sententiæ.*
Ejectus potest se civiliter obligare in procurando alimenta.
Vota solemnia sequuntur personam; cætera obligationes comitantur Statum.
Votum desinit obligare, facta notabili variatione in materia voti.
Votum non obligat ultra intentionem voventis.
41 *Vota aliquarum Religionum ultra tria substantialia.*
42 *Eadem obligatione tenetur Ejectus ad quartum votum, sicut ad prima tria.*
Quæ vota suspendantur in Ejectis ab Ordinibus habentibus quartum votum, & alias obligationes sub mortali.
43 *Incommoda eorum, qui coguntur ad sibi procuranda alimenta.*
44 *Viget quandoque obligatio voti, & eius observatio suspenditur; probatur exemplis.*
45 *Expulsio de sui natura perpetua, sit per accidens temporalis.*
46 *Votum de non procurandis dignitatibus, comitatur personam ad alium Ordinem translatam.*
Quæ vota comitentur transeuntem ad alium Ordinem.
47 *Probabilitas, quod translatus ad Episcopatum, liberetur se toto a jugo votorum proprii Instituti, salva Castitate.*
Sententia authoris, quod ad illa tenetur, pro quanto fert Status illius.
48 *Professio, conditionate facta reijcitur.*
49 *Conclusio Quæstionis.*

37 RESpondeo, quod Expulsus non ideo cessat esse Religiosus; cumque de essentia Religionis sint tria Vota solemnia, scilicet Castitatis perpetuæ, Paupertatis, & Obedientiæ, ut habet *Textus, Cap. cum ad Monast. de Stat. Monach* Hæc ex communi Doctorum sententia, ut videre est apud *Molin. tom.* 1. *de just. d.* 140. & *tom.* 2. *disp.* 276. *Sanch. lib.* 6. *Moral. cap.* 9. *nu.* 27. *Bonac. de claustr. qu.* 2. *p.* 12. §. 3. *num.* 1 *Peyr in S. R. quæst.* 1. *cap.* 25. *conf* 5. *Pasqual. ad Franch num.* 1078 *Lezan. tom.* 1. *cap.* 23. *Tambur. tom.* 3. *d.* 8. *quæst* 8. *num.* 5. *Palaum tr.* 16. *d.* 4 *par.* 21. *num.* 1. *Azor. tom* 1. *lib.* 12. *cap.* 16. *quæst.* 2. *Suar. tom.* 5. *in* 3. *p. d.* 21. *sect.* 1. *num.* 20. *Sayr. Clau. Reg. l.* 12. *c.* 9. *nu.* 25. comitantur Ejectum, esto quoad aliqua Paupertas, & Obedientia suspendantur quoad executionem, & observantiam. Equidem, quod in Ejectis inconcussa maneat obligatio Castitatis tuendæ, est manifestum; & si matrimonio copulantur, matrimonium est ipso facto nullum, & incidunt in excommunicationem ex *Clem. Unica de Consanguin.*, & *affin* Ac, ut tradit *Donat. in prax. par.* 2. *tract.* 8. *qu.* 23. *fin.* tanquam de fide suspecti, per Judices Fidei sunt puniendi. Manent quoque astricti Voto Paupertatis, eo quia nihil possunt sub proprietate dominij acquirere, aut habere, tanquam proprium; sed eorum, quæ sibi dantur, solum usum facti, & administrationem nudam habent, ut late probant *Less. lib.* 2. *cap.* 41. *dub.* 15. *num* 112. *Diana par* 2. *tract.* 2. *resol* 60. *Bellet. di q. Cler. de pau. Cler.* §. 25. *num* 21. *Donat. Sayr. Azor. Palant. Lezana. Pasqual. Molina locis citatis.*, & firmat *Rota decis.* 109. *par.* 5. *recent.*. Idipsum de Voto Obedientiæ, quod de voto Paupertatis dictum est, asseritur Quamvis enim votum Obedientiæ in Expulsis maneat suspensum, quantum ad multa, non tamen est undequaque deletum; alias per reditum ad Religionem non reviviseeret, nisi accedente nova professione, quam non esse necessariam infra ostendemus. Votum enim, semel extinctum, non resurgit, ex communi Doctorum sententia, nisi replicetur. Expulsus autem subesse cogitur, non solum expulsionis sententiæ, sed pœnis quoque in eadem impositis. Quare in aliquibus mens Religi-

ni Subditus, in alijs Diœcesano, & in omnibus Papæ. Sed de istis in sequentibus Quæstionibus tractandum est.

38 Quod magis in controversiam venit, est; An in Expulsis vigeat obligatio aliorum Votorum sui Ordinis, ultra Vota essentialia Religionis, puta, an Minimi ad Quadragesimam. Minores ad non equitandum absque necessitate, ad Jejunia in Regula contenta, ad non contrectandam pecuniam, & alia obligantia sub mortali. Fratres B. M. de mercede Captivorum, ad manendum sub potestate Saracenorum in pignus, si opus fuerit pro redimendis Captivis. Clerici Regulares ad ministrandum infirmis etiam peste infectis. Jesuitæ ad Votum de Missionibus, de non procuranda prælatione extra Societatem. Fratres Hospitalitatis, ad serviendum infirmis; & alij ad alia, ex vi suæ professionis obligantia sub mortali, ultra prædicta teneantur.

39 Affirmativam partem mordicus tenet Doctissimus P. *Sfer. de Hom. stat. tom. 3. quæst. 189 insp. 3 num. 620. & seq.* Dicitur ex hoc. Primo, quia Ejectus non liberatur ad obligatione trium Votorum; ergo neque ab onere aliarum obligationum profitentium in tali Ordine. Antecedens probatur, quia per expulsionem non cessat esse Religiosus, eo quia status Religiosus sit immutabilis; & adhuc est membrum Religionis, licet sit separatus a consortio aliorum, ne illos sua contagione corrumpat. Consequentia probatur, cum non sit major ratio de primis tribus Votis, ac de aliis. Secundo Expulsus non est separatus in perpetuum, sed ad tempus, & per accidens, manente substantia status Religiosi, & essentiali unione Ejecti ad Religionem; ergo non est unde negetur ei ex hac parte obligatio ad Religiose vivendum juxta regulam, quantum potest. Antecedens probatur, quia Religio adhuc tenetur illum inquirere, & ubi non adsit periculum, ut alios suo malo exemplo inficiat, etiam compellere, ut redeat, & ipse manet subjectus suis Superioribus, & obligatus ad se corrigendum, & ad obediendum Superioribus, secundum Regulam præcipientibus; ergo si subsistit in Expulso integra obligatio Voti Obedientiæ, erit & aliorum Votorum, vel obligationum proprij Instituti. Tertio probatur ex *Urb. VIII Constit. 140 sub die 21. Maij 1635. in Appendice Bullarii 30.* ubi statuitur, quod Religiosus hujus Ordinis, in quo Religiosi ultra tria Vota, Votum, vel Juramentum solemniter emittunt de non petenda, nec procuranda, minusque acceptanda aliqua dignitate extra Ordinem, si transferatur ad alium Ordinem, in quo tale Votum, vel Juramentum non emittitur, vel quomodocumque exeant ab eo Ordine, etiam Expulsus, non remanet ab eius Voti, vel Juramenti obligatione liberatus. Et subdit, quod nunc est in more in Sacra Congregatione Regularium, non concedere Religiosis licentiam transeundi ad alium Ordinem, nisi sub conditione, quod integra maneant Vota specialia, in priori Ordine emissa, præter tria Vota essentialia; ex quo infert, ergo a fortiori hæc obligatio integra manet in Ejecto, qui non est in perpetuum, & simpliciter a suo Ordine separatus, prout sunt ad alium Ordinem translati. Quarto, in assumptis ad Episcopatum manet obligatio ad servanda Vota, & Regulam Ordinis, ex quo fuerunt assumpti, quantum decet illorum dignitatem; ergo multo magis in Expulsis, cum non sit rationabile, quod Ejectus ex culpa sua reportet commodum; & quia Rebellis, idcirco sit immunis ab obligatione servandi leges. Pro hac sententia citat etiam *D. Antonin. 3. par. tom. 16. cap. 5. §. 8. Sylv. V. Religio 6. quæst. 17. Rodriq. tom. 1. q. 30. art. 20. Corduba in Regul. S. Franc. cap. 2. qu. 21. par. 3. Miranda t. 1. p. 52. art. 3. concl. p. Hier. Rodriq. ref. 52. num 6. Passar. ad minim. c. 59. Donat. loco cit. q. 52. Portell. v. Eijcere num. 5. Villalobos p. 2. tract. 35. diffic. 39. num. 5.*

40 Opposita sententia, quam tuentur *Sanch. lib. 6. Decal. cap. 9. quæst. 3 n. 52. Palaus tr. 16. dec. 4. par. 21. num. 3. Bordon. tom. 4. par. 3. resol. 108. num. 18. Sotus lib. 7. de just. quæst. 2. ar. 1. Navar. comment. 3 de Regul. num. 46. & consil. 78. num. 2. de Regul. Aragon. 22 qu. 55. art. 3. fol. 997. §. huc usque diximus. Filliuc. de offic. Sacerd. t. 1. par. 2. lib. cap. 21. Sayr. Thesaur. cas. tom. 2. lib. 19. num. 28. Emmanuel. Sa. Sum. Verb. Relig. num. 40. Leonard. lib. 2. de just. cap. 41. dub. 15. Conrad. in suis respons. par. 1. qu. 28. Less. de just. lib. 2. cap. 41. dub. 15. Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 13. Graff. lib. 3. consil. 3. de Regul. num. 9. Bart. a S. Fausto lib. 3 Thesaur. qu. 213 Barbosa ad cap. final. de Regul. num 12. Diana par. 3. tract. 2. resol. 116. Lezana tom. 1. cap. 23. n. 17. Vega prim. 2 Sum. cap. 86. casu 16. Suarez in Enchir. lib. 3. §. de Voto Obedientiæ. Tamburr. tom. 3. disp. 8. quæst. 8. num. 15 ex Pellizzario loco cit. Pasqual. ad Franch. num. 979. Leander a Murcia in c. 2. Regul. S. Francis. cap. 17. num. 20. Ant. a Sp. S. Direct. Regul. tract. 4. disp. 3. sect. 12. num. 474.* tenet, Ejectos ad illa non obligari, sed talem obligationem suspendi in illis pro tempore, quo degunt extra Claustra. Ratio est, quia dempta Castitate, cujus obligatio integra in utroque statu perseverat, Votum Paupertatis, & Obedientiæ, ut dictum est, suspenduntur quoad executionem, ob status variationem in Expulso; ergo a pari & unjusmodi obligationes. Antecedens probatur, quia ex quo privatur providentia Religionis, acquirit administrationem rerum temporalium, potest negotiari, et valide se obligare, de acquisitis disponere ad finem procurandi sibi alimenta, quod tamen iure professionis erat sibi in Claustris interdictum. Potest non obtenta facultate Superioris pro libito mutare Diœcesim, & ab ejus iurisdictione eximi; imo in ea degens, tunc solum parere cogitur, quoties vere emendatus pro reversione jubetur, suspensa in reliquis non contestatis in sententia expulsionis; & in pœnam impositis, Obedientiæ obligatione. Consequentia probatur, quia, si in multis suspenduntur quoad executionem Vota solemnia in Expulso, quæ tamen Vota videntur sequi Personam, ratione sui; ergo a fortiori suspenditur quoque obligatio aliarum observationum, quæ statum eorum, qui degunt in communi, sub eodem tecto respiciunt; eo quia Expulsus maneat extra vitam communem aliorum, & veluti membrum recisum ab illa Communitate. Unde sequitur, quod, sicut stante validitate Votorum suspenditur illorum executio, ita stante robore aliorum præceptorum Regulæ, suspendetur in Ejectis obligatio observationis. Deinde Votum desinit obligare, quando est ita notabilis mutatio facta materiæ, ut reddatur notabiliter difficilior, & quæ si ab initio fuisset prævisa, absque dubio retraxisset a Voti emissione, ita *Sanchez* loco citato; sed in casu facta est mutatio, non solum notabilis, sed notabilissima; quare, si Votum obligat præter intentionem voventis; & intentio Religiosi, licet sit pro

statu

statu Regulari, ad alias autem obligationes non est, nisi accessorie ad illum: ergo secuta mutatione in statu principali, censetur quoque facta correspondenter in accessoriis, quoad obligationem illorum ex ipsius promittentis interpretativa intentione. Confirmatur, quia, sicut vovens profiteri in aliqua Religione, non tenetur ex vi Voti huius ad speciales Regulæ observantias, donec de facto profiteatur; ita similiter Ejectus, qui vovit Religionem, non tenebitur ad observantias aliorum Votorum, & Præceptorum talis Religionis, nisi pro tempore, quo in tali Ordine vivit.

41 In hac Doctorum contrarietate cum distinctione procedendum esse censeo; nam huiusmodi obligationes ultra tria Vota solemnia, vel sunt inductæ ex vi quarti Voti, pro ut dictum est de Minimis, taliter voventibus apud *Bordon. tom. 4. p. 3. ref. 115 num. 16. Voveo stare, & perdurare toto tempore vitæ meæ sub vita, perseveranter vivendo sub Votis Paupertatis, Castitatis, ac Obedientiæ, & quadragesimalis vitæ &c.* De Fratribus B. M. de Mercede Captivorum, in quorum professione, sic apud *Tambur. tom. 2. disp. 24. qu. 4. num. 58.* exprimitur: *Et in Saracenorum potestate in pignus, si necesse fuerit ad redemptionem Christi Fidelium, detentus manebo.* De Clericis Regularibus, Ministrantibus Infirmis, quorum professionis forma inserta in Bulla *Clem. 8. incip. suprema dispositione* apud *Tambur. loco cit. num. 87.* sic habet: *Et perpetuo inservire, quod est præcipuum nostri Instituti ministerium, pauperibus infirmis, quos etiam pestis incesserit &c.* De Jesuitis sic solemniter voventibus apud *Sanchez lib. 6. Decal. cap. 18. num. 1. Insuper promitto specialem obedientiam Summo Pontifici circa Missiones, prout in litteris Apostolicis &c.* De Minoribus qui professione solemni sic habent: *Voveo &c. toto tempore vitæ meæ servare Regulam Fratrum Minorum; vivendo in obedientia, sine proprio, & in Castitate.* Ubi ex declarationibus *Pontificum Nicolai III. Cap. Exiit, & Clem. V. Cap. Exivi.* in Regula D. Francisci viginti septem præcepta sunt, ultra Vota essentialia, quæ Professores sub mortali obligant; Vel est sermo de aliis obligationibus, si quæ sunt, quæ in aliis Ordinibus, ultra Vota essentialia, vel solemniter emissa, professores sub obligatione mortali, vel veniali adstringunt. Et de his omnibus potest inquiri, an Expulsos afficiant.

42 Dico ergo, quod Ejecti ex Ordinibus, in quibus, ultra tria Vota substantialia Religionis in se, additur quartum, eodem vinculo obligationis teneantur ad quartum Votum, sicut ad prima tria; Non ita dicendum est de aliis obligationibus proprii Instituti, etsi sub mortali præceptis. Ratio primæ partis est, quia ex delicto non debet reportari commodum, ut habetur ex *Textu Cap. Tua de Cleric. non resident.* Tum quia, cum Expulsus adhuc maneat Religiosus, ut dictum est superius, & per consequens tribus Votis essentialibus adstrictus, non est major ratio, cur illorum obligatio maneat in Expulso, non vero istorum, cum æque fuerint in professione emissa. Ratio secundæ partis est, quia hæ obligationes comitantur vitam Monasticam; & ratione solius Religionis tenebatur ad illa, eo quia illas non voverit expresse; ergo, si per ejectionem suspenditur, quoad aliqua obligatio Votorum, multo magis id erit dicendum de aliis obligationibus, quæ statum Religiosum consequuntur. Pro hac limitatione stat *Peyrinus tom. 1. de Subd. qu. 1. cap. 25. §. 1.* citans *Hieronym. Roderic. de Eject. ref. 57. num. 6. Roderic. to. 1. quæst. 30. art. 20. & Portell. V. Ejecere num. 5.* Hinc deduco, Ejectos teneri ad omnia Vota sui Instituti, pro quanto illorum observatio non pugnat cum statu, in quo reperiuntur. Ad alias vero obligationes, ut communior pars tenet, dicimus, non obligari; etsi consultius sit, ut pro viribus illas observare curent. Quare, sicut suspenditur executio Voti Paupertatis, eo quia Expulsus per ejectionem relinquitur propriæ providentiæ, & nisi saltem illi paupertas, quoad usum, administrationem, obligationemque civilem in rebus temporalibus relaxaretur, non nisi mendicando posset vivere, ad quod tamen non tenetur: Suspenditur quoad aliqua Votum Obedientiæ, eo quia durius esset tale jugum Ejecto, si extra Claustra degens, a nutu Superioris in omnibus suis operationibus, stando, & se movendo pendere deberet, quam dum intra Claustra vivit; ita suspendetur in Minimis obligatio Voti quadragesimalis vitæ, si penuria ciborum quadragesimalium magis gravet Ejectum, quam intra Claustra degentem, ut docent *Vega in Summ. par. 2. cap. 86. casu 16. & Sanch. lib. 6. Decal. cap. 9. num. 56.* Idem quoque, si ciborum debilitas impotentem reddant Ejectum, ad sibi de labore manuum suarum victum procurandum, pro ut in materia jejunii communiter tenent Doctores. Suspenditur in Ejecto ex Ordine B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum obligatio manendi in pignus pro redemptione eorum; nam extra Claustra degens, habet, a quo deinceps redimatur, non sic, si a Religione projectus. Suspenditur in Clericis Regularibus obligatio ministrandi Infirmis, cum ea non sit ministratio corporalis necessitatis, sed spiritualis; Ejectus autem ab hujusmodi officiis ob suspensionem contractam, ac etiam infamiæ notam rejicitur. Suspenditur in Fratribus Hospitalitatis obligatio inserviendi Infirmis, si illis ex opere charitatis non datur merces ad victum, & vestitum; cum nequeant simul in ministerio corporali Infirmorum detineri, & in exercitijs pro comparatione victus sibi necessarij occupari. Suspenditur in Ejectis a Societate Jesu obligatio Voti de Missionibus, eo quia Expulsis munus concionandi interdicatur. Suspenditur in Ejectis ab Ordine Minorum obligatio de non recipiendo pecuniam; de non se obligando civiliter in contractibus; de gestando habitum, ad formam Regulæ præscriptum; de calceamentis non deferendis; de non habendis annuis proventibus; de non comparendo in judicio pro repetitione rerum suarum; de non possidendis bonis immobilibus ad culturam, & redditum; eo quia hæc omnia incompatibilia sunt in Expulso, paterna ac Religiosa providentia spoliato, ut propria industria in sæculo degens suis necessitatibus occurrat. Non sic suspenditur obligatio jejunii, Divini Officij, de non equitando absque necessitate, cum horum observatio cum statu Expulsi non pugnet. Unde datur regula, quod tunc Vota censeantur in Ejectis suspensa quoad executionem, quoties illorum observatio notabiliter difficilior ex conditione materiæ ipsius Voti redditur in degente extra Claustra, quam intra; & ad hoc facit ratio *Sanchez* in secunda opinione supra adducta. Hinc est, quod apud utramque opinionem inconcussa manet utrobique obligatio castitatis, cum æque possit intra Claustra, quam extra servari; nam quamplures de sæculo caste ad confusionem aliquorum Claustralium vivunt, & multi de Claustris quamplurium Sæcularium impudentiam

tiam arguunt, & confundunt. Non relaxatur in Ejectis a Societate Jesu obligatio de non procurandis Dignitatibus, ac Prælaturis extra Ordinem, ut dictum est in prima opinione supra relata, eo quia materia talis Voti manet invariata pro utroque statu Expulsi; & fortius, quia per ejectionem redditur talium beneficiorum incapacior.

43 Quod vero sic modificentur Vota in Expulso, quoties materia Voti redditur, quoad observantiam, difficilior; præter allegata suadetur, eo quia per ejectionem non debet Expulsus constitui in statu desperandæ salutis, quod utique foret, si deficiente virtutis robore, onus ex conditione status Expulsi cresceret. Nec inde sequitur, Expulsum a malitia sua commodum reportare; nam quanto sit obligatio propriæ providentiæ Claustrali jugo onerosior, judicent hi, qui de labore manuum suarum vivunt, aut ostiatim mendicando, alimenta procurant; coacti persæpe ad ruborem, ad nuditatem, ad plagarum simulationem, ut misericordiam sollicitent.

44 Hinc ad argumenta *Passerini*, qui, etsi ab hac limitatione parum distet, cum loco citato sic habeat: *Unde non est, unde negetur ei* (scilicet Expulso) *ex hac parte obligatio ad Religiose vivendum juxta Regulam, quantum potest*. Dictio enim illa *quantum potest*, videtur Ejectum non in universum obligare, sed pro quanto compati possunt Vota cum statu Expulsi, quod & Nos dicimus. Quia tamen rationes illimitate procedunt, respectu cujuscunque alterius obligationis proprii Instituti, a quorum pondere, juxta allegata in secunda opinione, Expulsum absolvimus, idcirco ad fundamenta ejusdem respondemus. Ad primum, negatur consequentia; non enim sequitur, Ejecti non liberantur a Votis, ergo neque ab alijs obligationibus proprii Instituti; nam Vota comitantur Personam, & ut ajunt ex *Cap. cum. ad Monasterium 6. de stat. Monac.* annexa ossibus professi; cæteræ obligationes sequuntur statum, sicque variato statu cessant; non sic Vota, quæ solum tunc cessant, dum cessat esse Persona. Ad probationem conceditur in Expulso continuare Religionem, nec inde sequitur, Vota non suspendi quoad executionem; eo quia vigere possit obligatio Voti, & ejus observatio suspendi; probatur assertum a simili de Voto simplici Castitatis, in quo dispensatur quis ad contrahendum matrimonium, dato quod post emissionem Voti Virginem cum spe futuri matrimonii, seduxerit; tale inquam Votum, quoad substantiam non cessat, neque destruitur per eam desponsationem, ut etiam notat *Bordon. to. 4. par. 3. resol. 115. num. 28.*, sed tantum suspenditur in ordine ad matrimonium, unde accedens dispensatus ad alienum torum, non est immunis a sacrilegio, ut habet *Sanchez lib. 8. disp. 31. num. 7. & 11.* quare manet Votum radicaliter, & in substantia; manet quoque, quoad sui executionem, respectu cujuslibet actus venerei; suspenditur vero ad copulam conjugalem. Idem dicitur de eo, qui post Votum simplex castitatis Uxorem ducit, non obtenta dispensatione; suspenditur Votum quoad reddendum debitum, sed Uxore defuncta reviviscit, ut ex *Glos. V. Uxores cap. Nuptiarum 41. 27. qu. 1.* Ita a pari in Religioso expulso manent Vota, & obligationes, quas vovit integre quoad substantiam, sed suspenduntur quoad executionem in ijs, quæ magis gravant Ejectum, quam intra Claustra degentem. Ad probationem consequentiæ negatur eandem esse rationem de Votis, ac de aliis obligationibus proprii Instituti, & hoc ob superius dicta.

45 Ad secundum, negatur Expulsum esse ad tempus separatum, & per accidens, non autem in perpetuum, nam, ut supra diximus *Part. pr. qu. 1. nu. 38.* Sententia expulsionis nequit ex se esse temporanea, licet accidat illi, quod aliquando evadat temporalis ob resipiscentiam Expulsi; nec inde sequitur, quod si Expulsus manet Religioni substantialiter unitus; ergo non solum tenetur ad vota, sed etiam ad Regulares observantias; sed rectius inde sequitur; ergo quia in Expulso manet sola radicalis unio cum Religione, eo quia sit ab ea separatus, suspenduntur in eo quoad executionem Vota, quæ personam afficiunt, multo magis liberabitur ab illis observantijs proprii Instituti, quæ statum Religiosum comitantur, eo quia Expulsus ad modum membri putridi a corpore Religionis sejunctus, cum eo non copuletur ad integritatem Religionis. Ad probationem antecedentis, qualiter teneatur Religio Ejectum quærere, & ille redire, dicemus infra; nec inde sequitur; ergo manet undequaque Superiorum mandatis ad lictus, ut in sequentibus ostendemus; imo ex eo quod Votum Obedientiæ in multis, quoad executionem relaxetur, ut dictum est superius, & amplius deinceps, manet quod idipsum erit de alijs Votis in his, quæ cum statu Expulsi pugnant.

46 Ad tertium, jam dictum est in corpore Quæstionis, Votum illud de non procurandis dignitatibus, & Prælaturis extra Religionem, durare in Expulso, eo quia illud æque servari possit ante, sicut post expulsionem, & fortius, cum Ejecti reddantur hujusmodi dignitatum incapaces. Conceditur quoque eandem obligationem perdurare in translato, ex dispositione Constitutionis, cum id textibus sit consentaneum, *Decret. par. 2. caus. 8. quæst. 1. cap. 9 & caus. 16. quæst. 1. cap. 30.* nec inde sequitur, quam quod Vota emissa maneant in Expulso, & ad illa teneri, pro quanto sunt cum statu ejectionis compatibilia, quod & nos docuimus; negatur vero, idem esse de alijs obligationibus Ordinum loquendum, nam aliud est dicendum de materia promissa, aliud de præcepta; aliud de ea, quæ sequitur statum, aliud de ea, quæ comitatur personam. Ad id, quod assumitur ex praxi Sacræ Congregationis, ab ea scilicet non concedi transitum ad aliam Religionem, nisi cum onere in translato servandi in secundo Ordine Vota, in priori emissa, non probatur. Etenim cogeretur professus in Societate Jesu, translatus ad Ordinem Carthusianorum, clausus vacare contemplationibus, simulque in ministerio Missionum peragrare Regiones. Minimus, translatus ad Minores, onera oneribus addens, tot assumpti Ordinis gravaretur incommodis; nec in prioribus dispensatus, communi sedens mensæ, communem victum offenderet. Imo oppositum, tanquam pro certo, supponit quoque de nondum Professis in secundo Ordine *Bordonus* loco cit., dicens Minimum, dum in secunda Religione probatur, debere se conformare cum Religiosis illius Ordinis, ad quem transivit; nec teneri servare vitam Quadragesimalem, etiam dum est Novitius, esto adhuc sit vere Religiosus Minimus, cum Vota prioris Ordinis non cessent nisi per professionem in secundo; unde infert, quod in eo casu Votum in Minimo stat, quoad substantiam, & necessario dicitur suspensum, quoad executionem. Quod autem Vota prioris Ordinis per legitimum transitum commutentur, tenet *Tambur. tom. 3. disp. 7. quæst. fin. num. 6.* cum *Sanchez lib. 6. cap. 7. num. 87.* qui

etiam

etiam citat *Suarez*. estque communis.

47 Ad quartum. Etsi non ita indubitatum sit, Episcopum ex Ordine assumptum, secum duxisse onera Votorum, ultra Castitatem, cum ex *Decretali Caus.* 28. *quæst.* 1. *c.* 10. *Statutum est* oppositum deducatur per verba; *Ut Monachus, quem canonica electio a jugo Regulæ Monasticæ professionis absolvit, & Sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit*, ubi *Medina*, & *Hurtadus*, quos pro se citat *Pasqual. decis.* 368. *num.* 3. censent, Episcopum assumptum, omnino a jugo paupertatis, & obedientiæ Monasticæ liberari, ac si illa minime emisisset Vota; quia tamen quamplurimum obstat sententia Doctorum apud *Peyr. tom.* 1. *de Subdit. quæst.* 1. *cap.* 10. §. *unic.* quibus favet *Text. ex cap. Monach.* 3. 19. *qu.* 1.; ubi habetur, quod *Monachi, qui ad Clericatum promoventur a priori proposito*, idest a professione Votorum substantialium, ut ex *Glossa* ibidem colligitur, *non debent* discedere. Unde deducit *Bordonus* loco citato, manere quidem Vota in assumpto, sed suspendi quantum ad executionem, in his, quæ Episcopali dignitati non conveniunt, prout etiam concedit argumentum: inde tamen infero, quod, si stante Votorum vi, liberatur ab illis Episcopus in his, quæ ejus dignitatem lædunt, ergo pariter stante obligatione Votorum in Expulso, illorum jugum solvetur quantum ad observantiam in his, quæ cum statu Expulsi non compatiuntur. Nec inde sequitur Expulsum reportare ab ejectione commodum; prohibitus enim contrahere pro cibo, quia sibi gratis mensa paratur, non commodum reportat, dum præceptum relaxatur, si interim propriæ providentiæ relinquitur; magis enim favet commoditas usus sine jure, quam jus ad illam sine facto.

48 Ad illa vero, quæ pro secunda opinione sunt adducta; quia illa duo argumenta ultima plus probant, quam intendat ipsa quoque opinio; nam ex dato fundamento se totis deficerent Vota ipsa; quare negatur, Vota illa ultra prima tria fuisse suscepta veluti accessorie ad statum regularem, ita ut cessante tali statu per expulsionem, cessent illa Vota, tanquam dependentia a conditione status; nam idem posset esse sermo de Votis essentialibus, quod scilicet non fuerint absolute, sed sub conditione status Religiosi emissa, qui tamen profitendi modus, utpote invalidus, merito a *Bordon. tom.* 4. *p.* 3. *resol.* 115. *num.* 11. & *Passer. de Hom. stat. tom.* 3. *qu.* 189. *num.* 622. rejicitur; nam in professione Vota simpliciter, & usque ad mortem, non vero pro tempore Claustri emittuntur. Quare, si Vota suspenduntur, id est, quia ob expulsionem fit notabilis in materia Voti variatio; si cæteræ obligationes regulares cessant, hoc non est, quia conditionate assumptæ, sed quia notabilis facta fuit in statu, ad quem sequuntur, mutatio, ut optime ab initio vim sumpserat argumentum.

49 Concluditur ergo, post sententiam expulsionis, manere in Expulso integram obligationem Voti Castitatis; obligationem vero Voti Paupertatis, Obedientiæ, ac aliorum Votorum proprii Instituti, suspendi in executione, respective ad ea, quæ pugnant cum statu Expulsi. Cæteras autem obligationes regulares, quomodolibet ligantes Profitentem, Expulsum non afficere, licet consultius sit illas pro viribus curare.

QUÆSTIO VII.

An Expulsus maneat post sententiam ejectionis, Religionis jurisdictioni subjectus.

SUMMARIUM.

50 *Fundamenta Navarri, Ejectum eximi se toto ab Ordinis jurisdictione.*
51 *Fundamenta contrariæ sententiæ.*
52 *Refelluntur adducta a Navarro pro sua sententia.*
Pecus morbida, licet separata, remanet sub dominio Pastoris.
Manu mittens servum, donat libertate; Religio ejiciens non liberat Votis.
Sententia expulsionis nequit esse irrevocabilis.
Delinquens extra Claustra subditur Episcopo.

50 NEgativam partem de juste Expulsis tuetur *Navar. Comment.* 2. *num.* 36. *de Regul.* quam probat primo, quia Expulsus desinit esse membrum illius Ordinis, ac proinde ab ejus jurisdictione exemptus. Confirmatur a simili de Servo, qui ejectus a Domino efficitur sui juris, desinitque esse sub potestate Domini. Secundo, quia res judicata servanda est, ut habet *Text. l. res judicata ff. de Regul. juris*, sed Expulsi sunt projecti a cura Superiorum, ergo & a jugo Obedientiæ illis debitæ soluti. Tertio, ex dispositione Decreti, Expulsus subditur jurisdictioni Ordinarii; ergo a jurisdictione Religionis liberatur. Probatur consequentia, nam idem nequit subdi duobus Superioribus, ad invicem non subordinatis; sed Superior Regularis non subordinatur Ordinario, nec Ordinarius Regulari; ergo &c. aliter Subditus præceptis contrariis posset constringi, & per consequens ad impossibilia teneri. Pro hac sententia stat *Rodriq. tom.* 1. *quæst.* 30. *art.* 20. citans quoque *Molin.* 2.2. *tract.* 2. *d.* 149. *pag.* 797.

51 Opposita tamen sententia tenet, Expulsum se toto non liberari a jurisdictione Superioris Regularis, ac proinde non esse membrum omnino a Religione discissum; pro hac adducitur *Glossa Constitut. Ordin. Prædic. cap* 19. sic dicens; *Ille autem, qui propter culpam suam expellitur a Prælato, adhuc est suus subditus; sicut Ovis morbida, licet sit expulsa a grege, adhuc est Pastoris.* Deinde Superiores Ordinis ex specialibus concessionibus Summorum Pontificum, supra relatis *Port.* 3. *quæst.* 5. *num.* 35. possunt excommunicare Expulsos, si intra districtum suarum Provinciarum, contra eorum præceptum audent Confessiones audire, concionari, aut docere; excommunicatio autem ferri non potest in non Subditum; ergo Expulsus adhuc manet sub aliquali jurisdictione Religionis. Probatur tertio: Expulsus cogitur subesse pœnis in expulsione impositis, puta, exilii, infamiæ &c. potest ad Religionem cogi, si constet de emendatione, non est omnino a Votorum obligatione solutus; ergo neque erit se toto a Religionis jurisdictione sejunctus. Sic firmant *Passer. de Hom. stat. tom.* 3. *qu.* 189. *num.* 199. *Umbert. in Regul. S. August. cap.* 99. *Sylv. V. Apost. qu.* 6. *num.* 10. *Sot. lib.* 7. *de just. qu.* 2. *art.* 5. & alii.

52 Quare ad fundamenta opposita negatur, Expulsum desinere esse membrum Religionis; nam, ut bene arguit *Azor. Instit. Moral. lib.* 12. *cap.* 16. *q.* 4.

penes

penes Religionem jus nullum est, nullave auctoritas Professum Religiosum Voto liberandi; neque potest facere de Monacho non Monachum; ergo si Monachus ex vi Voti Obedientiæ jurisdictioni Superiorum adstringitur, licet fiat membrum putridum, & proinde ne alios inficiat, jubeatur manere extra Claustra, non ideo cessat esse Religionis; & sicut Ovis morbida, licet a grege separetur, non desinit esse Pastoris sui, quin possit (si convalescat) ad Ovile reduci, ita Expulsus (si resipiscat) ad Claustra revocari. Ad id, quod adducitur a simili de Servo, respondetur disparem esse rationem de eo, & Servo; nam Dominus potest Servo libertatem tribuere, & ideo illum eijciendo, censetur juri suo cedere, & Servum manumittere, & liberare. Sed Religiosus per professionem adstringitur Deo, illiusque cultui magis, quam Superioribus Religionis: & obligatio Votorum est perpetua, a qua Religio nequit solvere; hinc est, quod nec Religio volens potest cedere juri suo, cum nequeat juri Divino præjudicium inferre; neque Ejectus potest cedere juri, quod habet, ut a Religione recipiatur, ex suppositione, quod se corrigat, & religiose vivere decernat. Ad secundum dicitur, quod per sententiam expulsionis non decernitur, Expulsos perpetuo esse separandos a consortio aliorum, nisi pro quanto durat in eis incorrigibilitas; quæ quidem sententia, etsi limitate non pronuntietur, sitque ex parte sui perpetua, subintelligitur tamen, si perpetua sit causa expulsionis; unde negatur, sententiam illam ita transisse in rem judicatam, ut irrevocabilis debeat permanere; alias resipiscentes nequirent contra dispositionem Constitutionis Pontificiæ, superius relatæ, iterum admitti. Ad ultimum, qualiter Expulsus subsit jurisdictioni Episcopi, dicetur infra; non inde tamen sequitur quod si in aliquibus subditur Ordinario, ergo in omnibus est a jurisdictione Superiorum Ordinis liberatus: nam & modo Regulares in multis, puta dum extra Claustra delinquunt, dum falsa miracula prædicant, dum Clausas indebite visitant, jurisdictioni coercitivæ Ordinariorum subduntur; nec inde sequitur, a propriorum Superiorum Regularium jurisdictione in reliquis liberari.

QUÆSTIO VIII.

An Expulsus teneatur ex Voto ad obedientiam Episcopi, & Pontificis.

SUMMARIUM.

53 *Expulsus subditur Episcopo, quamdiu non redierit ad Ordinem.*

54 *Fundamenta tenentium, Ejectum vivere debere sub Obedientia Episcopi, ut Prælati Ordinis.*

Ordines Regulares antiquitus non erant ab jugo Ordinariorum exempti.

55 *Fundamenta eorum, qui tenent, Ejectum non subdi Episcopo ex vi Voti.*

Ejecti non subduntur Pontifici, ut Prælatus Regularis, sed ut Pontifex est.

Episcopi Regulares, specialius adstricti Voto Obedientiæ Pontifici, quam Sæculares beneficiati.

56 *Ejectus adstringitur Diœcesano, eo modo, quo cæteri Clerici.*

Reijcitur opinio dicentium, quod Ejectus subdatur Pontifici, præcise ut capiti Ecclesiæ.

57 *Ejectus non tenetur adire Episcopum, ut illi certum vitæ genus statuat.*

Ejectus absque Prælato non degit.

Ejectus, licet separatus a cæteris, non perdit exemptionem, excepta subjectione Episcopi, pro quanto illi subijcitur a Pontifice.

Expulsio non solvit contractum incorporationis Ejecti cum Ordine.

Beneficiatus Regularis non eodem vinculo Obedientiæ subditur Episcopo, ac Prælatis Ordinis.

58 *Votum Obedientiæ Pontifici est independens a Claustris.*

Regulares subduntur Pontifici, ut Pontifex est, ac ut Prælatus Regularis.

59 *Ejectus tenetur Episcopo præcipienti, quantum ad bonum statum vitæ, observantiam Castitatis, & ad usum Paupertatis.*

Suo muneri satisfecit Episcopus, si curet Ejectum vivere juxta Statuta Ecclesiæ.

55 PRO certo tenetur ex supradictis, Expulsum non abstrahi omnino a jurisdictione Superiorum Regularium, quamvis in pœnam suæ incorrigibilitatis, proijciatur extra Claustra, ac quandam paternam providentiam, & curam. Quia vero ex Decreto *Urbani VIII. Part. pr. num. 19. §. 7.* habetur, quod Ejecti, quandiu non redierint, Or*dinarij loci jurisdictioni, & obedientiæ subsint*. Ideo dubitatur, an Ejecti teneantur Episcopo eo obedientiæ vinculo, quo tenebantur Superiori Regulari? Et quod quæritur de Episcopo, quæritur quoque de Pontifice.

54 Religiosum, etsi exemptum, si eijciatur, subdi Episcopo voluit *Navar. Comment. 2. de Regul. num. 33. & 35. Comment. 3. num. 46.* in tantum, quod Ejectus cogeretur adire Episcopum, ut sibi certum vitæ modum, & rationem præscriberet, quam teneret, atque vi Voti implere deberet, in loco ab aliorum consortio separato. Sententiam *Navarri* secuti sunt *Palaus tract. 16. d. 4. p. 32. num. 5. Suar. tom. 4. de Relig. tract. 8. lib. 1. cap. 6. nu. 4.* Et videtur fuisse *Hostiens. in cap. Quod Dei. de Stat. Monach. Jom. Andr. in Clement. eodem tit. ex Passer. de Hom. stat. tom. 3. qu. 289. num. 927.* quæ probatur: Religiosus enim ex vi Voti, perpetuo duraturi, subditur in professione Superiori Regulari, præcipienti secundum Regulam; & illius directioni se totum committit, qui tamen, dum eijcitur, tali providentia, & cura spoliatur; ergo si Pontifex, ne sine Prælato degat Ejectus, jurisdictioni, ac obedientiæ Episcopi illum subijcit, & quodammodo loco Superioris Regularis illi substituit Diœcesanum, dicendum est, Ejectum ea obligatione illi teneri, qua proprio Prælato Ordinis adstringitur. Confirmatur assertum, quia non est rationabile, Ejectum manere sine Superiore, cui ex vi Voti obedire teneatur; nullus autem est, cui præstari possit hæc obedientia, quam Episcopus. Probatur secundo: Nam antiquo jure Religiosi ab Ordinariis dirigebantur, ipsisque vovebant, quod tamen jus Diœcesanorum in Regulares fuit per exemptionem temperatum; ergo, si projectus extra Claustra, ex dispositione Constitutionis, exemptionem perdit, & subditur Episcopo, reducitur ad pristinum jus, ac si in manu Episcopi vovisset. Tertio: Beneficiatus, ex quo assumitur ex Ordine, liberatur a jugo Monasti-

ca

cæ vitæ; ut habetur ex *Textu*, *Cap. Nemo 2. 16. qu. 1.* *Nemo potest Ecclesiasticis Officijs deservire, & in Monastica Regula ordinate persistere, ut ipse districtionem Monasterii teneat, qui quotidie in Ministerio Ecclesiastico cogitur permanere.* Juncta *Glossa*, capite sequenti; & ex quo solvitur a jugo Monasticæ Professionis, cum Vota sint inextinguibilia, manet subjectus Episcopo, ergo subditur subjectione, proportionata statui religioso, & per consequens subjectione Voti. Non est ergo dicendum (inquit *Navarrus*) Ejectum subijci Ordinario subjectione communi, qua cæteri Clerici, sed subjectione Voti, non minus, quam proprio Prælato.

55 Altera opinio, pugnans ex adverso, tenet, Ejectum, ne dum ex vi Voti, non subdi Episcopo, sed neque Pontifici. Prima pars probatur: nam Religiosus ad nullam aliam obedientiam ex Voto tenetur, præterquam ad eam, quam promisit; at non promisit obedire extra Religionem Episcopo, sed Prælatis Religionis: ergo Ejectus, licet subdatur Episcopo per Constitutionem Pontificis, non erit illi subditus, tanquam Prælato, sed tantum ad modum aliorum Clericorum illi Episcopo, in cujus Diœcesi habitaverit. Deinde ipse *Navarrus* fatetur, loco citato, Expulsum ab una Religione, non teneri ad aliam transire, eo, quod illam non voverit; ergo, cum neque voverit Episcopo Obedire, eodem fundamento dicetur ad obedientiam illius ex vi Voti non teneri, ita *Sanch. lib. 6. Decal. cap. 9. qu. 3. nu. 29 Azor Institut. Moral. lib. 12. cap. 16. qu. 11. Rodr. tom. 1. qu. 3. art. 20. Ant. a S. Sp. Direct. Regul. tract. 4 d. 3. Sect. 12. num. 469. Portel. V. Ejecte in addit. num. 3. Barbosa ad cap. final. de Regul. nu. 11. Lezana lib. 4. tract. 5. cap. 13. num 3 Cesp d. de exempt. Regul. cap. 1. d cis. 315. n. 3. Less. lib. 2. d. just. cap. 41. n. 114. Tamburin. tom. 3. dec. 8. qu. 5. n. 9. Texeda lib. 2. controv. dub. 9. Donat. in prax. 2. tract. 8 qu. 31.*, quod neque Pontifici, primo, quia vovens obedientiam, illam vovet, quamdiu est intra Claustra in Religione manens, & Religio eum patitur: Vel, ut alii dicunt apud *Passer. de Hom. stat. tom. 3. qu. 189. num. 628.*, Religiosi promittunt Obedientiam Pontifici, medijs proprijs Prælatis, & quia Ejecti liberantur a Voto obedientiæ respectu Prælatorum, nec tenentur obedire Pontifici ex vi ejus Voti. Imo nec manent sub obedientia Pontificis, quatenus est Prælatus Regularis, sed solum quatenus est Pontifex eo titulo, quo cæteri Fideles illi subijciuntur, quia militat eadem ratio, cum non voverint obedientiam Pontifici, ut Prælato Religionis, nisi quamdiu Religio eos pateretur, & essent in illa. Quare præsens opinio apud *Sanch* 2. loco citato concedit, Religiosum creatum Episcopum, manere obligatum obedire Pontifici, peculiari Voto Obedientiæ, ultra generalem ab omnibus Fidelibus obedientiam ipsi debitam, & ultra peculiarem debitam ratione juramenti obediendi ipsi, quod omnes Episcopi præstant; negat autem hoc modo teneri Ejectum, eo quia censet, quod sicut per expulsionem secernitur a jugo regularis obedientiæ, quam vovit Religioni, ita quoque projiciatur ab obedientia, qua profitentes in Ordine, subduntur Pontifici, ut est Prælatus Regularis; a qua tamen non eximit Monachum factum Episcopum, quia non est a Religione expulsus, sed Privilegio Pontificio exemptus ab aliorum Prælatorum Religionis obedientia, non autem ab obedientia Pontificis, ut est Prælatus Regularis; eo quia Papatus omnem Religionem absorbeat, sitque omnium caput. Sic firmat *Sanch* 2. cum *Texeda* locis citatis, quibus adhæret ad *Franchum Pasqual. num. 965.*

56 Ad Quæstionem ergo dico, quod, etsi Expulsus non teneatur, ex vi Voti obedientiæ, parere Episcopo, cujus jurisdictioni subditur, sed sat sit, quod illi subsit, eo modo, quo illi subsunt alii Clerici, ut bene probant argumenta pro secunda opinione, quam tuetur quoque *Molin. tom. 1. de just. disp. 140.*, dicens, contrariam sententiam esse contra totius Ecclesiæ praxim, & nusquam more servatam; non tamen dicendum est, hujusmodi Ejectos non teneri ex vi Obedientiæ, quam professi sunt, obedire Pontifici, ut suadebant Doctores, pro secunda parte Quæstionis adducti. Ratio est, quia promissio obedientiæ, facta Pontifici, est intima, & inseparabilis a professione Religiosa, quia non potest Religiosus vovere Obedientiã subordinato Prælato, nisi illam voveat subordinate; omnis vero Prælatus Religiosus est subordinatus Pontifici: non ergo congruenter deducitur, Religiosum, dum extra Claustra degit, non teneri ad Obedientiam Pontificis, sicut, dum in Religione vivit; nam Religiosus utrobique subditur Pontifici, respectu cujus nunquam est extra, quoties in Ecclesiæ gremio degit. Hinc ad argumenta pro prima opinione.

57 Ad primum, negatur assumptum *Navarri*, teneri scilicet Ejectum adire Episcopum, ut sibi certum vitæ genus statuat; id enim nullo jure cavetur, nec pro illo fundamentum aliquod adducit, ut advertit *Azorius*, loco citat. Sed sat erit, ut illi pareat in his, quibus tenentur alii Clerici communiter. Nec inde sequitur, quod, si Religiosus perpetua sponsione se tradit Religioni, sub cura Prælatorum; ergo cum ab illis dimittitur, eodem vinculo subdetur Episcopo; nam illam obedientiam vovit, non istam. Nec Pontifex, subdendo Ejectum Ordinario, ex quo privatur cura Superiorum Ordinis, illi ipsum statuit, veluti Prælatum, cui ex vi Voti pareat, sed Diœcesanum, qui illum ac quemlibet de suis Clericis distringat. Ad Confirmationem negatur, Ejectum absque Superiore degere; nam adhuc in multis, ut probatum est, & amplius ostendetur, Religioni subditur, & se toto manet sub potestate Pontificis. Ad secundum. Etsi, loquendo de Ejectis ab Ordine Diœcesano subiecto, ex vi Voti, post ejectionem illi subijciantur; nam expulsio ab obedientia non liberat, si quempiam ligatum reperit, nisi pro quanto illa pugnat cum statu Expulsi; quare obedientia Claustralis extra Claustra degentem in multis liberat ob incommoditatem directionis; non ita in eo, qui regulariter vivens, subditur vi Voti Episcopo, eo quia ejus directio, æque obvia sit degenti in sua Diœcesi in Claustris, quam extra. Dispar tamen est ratio de Exemptis, qui nunquam in manu Episcopi voverunt, nec ejus se directioni tradiderunt; nec ideo, quia expelluntur, exemptionem perdunt, nisi pro quanto jurisdictioni Episcopi, instar aliorum Clericorum, a Pontifice subijciuntur. Nec præstat dicere cum *Pasqual. ad Franch. num. 960.* per sententiam expulsionis, dissolvi contractum, per quem Religiosus incorporabatur Religioni, & ipse Ejectus fit extraneus, ideoque non potest frui exemptione, Religioni concessa, quæ non se extendit, nisi ad membra illius; nam hoc pugnat cum *Text. cap. final. de Regul.*, ex quo habetur Ejectos adhuc esse membra Religionis, inquirendos, recipiendos, & imo compellendos ad redi-

reditum ad Religionem, si id fieri poterit, salva Ordinis disciplina. Ad tertium, negatur illatio, quod quia Beneficiatus absolvitur a jugo Monasticæ professionis, in his quæ cum statu illius non compatiuntur, ut aperte potest deduci ex illo contextu citati capitis; quod ideo æquali jugo subiiciatur Ordinario, sed sat est, quod illi subsit, sicut cæteri Beneficiati: nec est omnino verum, Vota illa extingui, nisi subijciantur alicui, tanquam *Prælato* Ordinis, vel loco illius substituto; *nam*, ut supra probatum fuit, manere quidem possunt Vota, quantum ad id, quod necessario requiritur ad Religionem, licet suspendatur, quoad executionem.

58 Ad id, quod pro altera parte conclusionis adducitur: *Falsum* assumitur, quod scilicet Obedientia promittatur Pontifici pro tempore, quo quis degit in Claustris sub providentia Religionis; imo Votum Obedientiæ independenter a Claustro fit Pontifici, respectu cujus jurisdictionis, nunquam Religiosus est extra, ut bene notat *Tamburinus*, loco citato. Nec suffragat dictum eorum, qui dicunt Obedientiam Regularem respicere *Pontificem* mediate, non immediate, mediis scilicet Prælatis Religionis; quæ enim obedientiæ vis foret, si Pontifex non nisi præcipiendo Superioribus, ut imperent, subditos posset constringere; in tantum, quod, si Prælati Ordinis juberent, voluntas Pontificis fieret, si mandata Pontificis negligunt, subditi ab inobedientiæ reatu forent immunes. Dicitur ergo, Ejectos subdi Pontifici, & ut Pontifex est, quia sic etiam subsunt cæteri Fideles, & ut Prælatus est, quia ex vi Voti subduntur & Prælatis, & iis, quibus Prælati Regulares subordinantur, inter quos solus est Pontifex, quoad exemptos. Nec dicendum est, Votum illud de obedientia Pontificis fuisse emissum pro tempore Claustri; nam id quoque posset dici de aliis Votis, quem tamen vovendi *modum* supra rejecimus. Hinc conceditur totus discursus de Monacho Episcopo facto; sed ex datis rationibus negatur Ejectum potioris conditionis, quoad vinculum Obedientiæ, respectu Pontificis esse, quam sit ab Ordine Regulari Assumptus. Concluditur ergo, Ejectum instar alterius Clerici jurisdictioni Episcopi subijci, sed Pontifici Obedientiæ vinculo, æque ac in Religione teneri.

59 Quæres, quæ nam sint illa, quæ potest Episcopus præcipere Ejecto, & ille tenetur obedire? Respondetur cum *Suar. tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 3. cap. 6. num. 18.*, & *Palao tr. 16. d. 4. p. 23. n. 9.* Ejectum teneri obedire Episcopo in tribus materiis. Primo in his, quæ pertinent ad decentiam status religiosi, & hoc pro tempore, quo Ejectus manet extra Claustra. Hæc autem decentia attenditur arbitrio prudentiæ, quantum ad honestatem habitus, occupationem, seu negatiationem (si non est in sacris) conversationem, & similia. Secundo, in his, quæ pertinent ad observantiam Voti Castitatis. Et tertio, in his, quæ necessaria sunt ad usum Paupertatis. Ratio est, quia Ejectus non est simpliciter Ecclesiasticus ad *modum* alterius Clerici, sed ut dictum est, manet substantialiter Religiosus, adstrictus ad Vota, pro quanto possunt compati cum statu illius; ergo Episcopus, sub cujus jurisdictione tunc vivit, non solum poterit illum cogere ad honestatem vitæ, quo *modo* potest alios quoscunque Clericos sibi subjectos, ut habetur ex variis *Textibus Decret. 41. dist. Clericus dist. 81. cap. 15. si qui sunt cap. 20. Clericus solus & cap. 22. Si quispiam, & dist. 44. cap. Clerici*, sed etiam illum, si in Vota sua peccantem repererit, coercere, ne particeps criminum fiat eorum, qui suæ curæ sunt addicti. Sat autem erit, ut innuit *Passer. tom. 3. q. 189. inspect. 4. nu. 632.* ut Episcopus curet Ejectum vivere juxta Sacros Canones, & Ecclesiastica Statuta, & ad eorum formam vitam componere, & pro quanto status illius patitur, Regularis vitæ Votis conformetur.

QUÆSTIO IX.

An Religio possit revocare Ejectum; & ille teneatur redire.

SUMMARIUM.

60 *Decretum Gregorij IX. de annua reductione Fugitivorum, & Ejectorum.*
Fundamenta dicentium, tale Decretum vigere solum, quoad fugitivos.
61 *Reijcitur præfata expositio.*
62 *Sententia eorum, qui dicunt, tale Decretum fuisse abrogatum dissuetudine.*
63 *Refellitur prædicta opinio cum suis fundamentis.*
64 *Sententia amplectens Decretum in tota latitudine.*
Referuntur fundamenta illius.
65 *Modificatur prædicta positio, & probatur Ejectum non posse cogi ad Claustra, nisi emendatum.*
Privilegium Canonis non potest renunciari a Clerico, cum sit in honorem status Clericalis.
Innocens, alterius culpa, jure suo privari non debet.
Bonum commune privato anteponendum.
Innocens potest Adulterum cogere ad cohabitandum, non viceversa.
Religio potius manutenenda in jure expulsionis, quam in obligatione reductionis.
Liberum est Judici expulsionis, cognita causa ejectionis, illam suspendere; non tamen a sententia justa resilire.
Legislator tenetur ex æquitate justis legibus suis se conformare.
Superior juri acquisito totius Cœtus Religiosi nequit juste derogare.
Facultas Superiorum est ad ædificationem, non ad destructionem.
66 *Etsi Religio non teneatur, tamen potest Ejectum resipiscentem revocare.*
Expulsio non est præcise in pœnam, sed etiam in remedium Ejecti.
Expulsio extremum, ac gravissimum remedium dicitur.
Si constat de emendatione revocari potest Ejectus.
67 *Censura pro cogendo Ejecto emendato, si resistet Religioni, præcipienti regressum.*

60 QUæstionem hanc movet id, quod per *Gregorium IX.*, cujus Decretum *Parte prima num.* 12. retulimus, decernitur, ubi Pontifex statuit, Fugitivos, & Ejectos debere annuatim inquiri per Superiores Ordinis, & si opus fuerit, subsidio excommunicationis ad Claustra compelli. Est ergo dubiæ quæstionis, an tale Decretum nunc usque sit in viridi. *Navar. comm. 2. de Regul. num. 36. & comm. 3. num. 52.*, *& lib. 3. consil. 77.* ait, quod quantum ad ea, quæ Fugitivos concernunt, debent per Superiores Ordinis

nis præstari; tales enim debent annuatim inquiri, & per censuras ad reditum cogi, si reluctantes obstant regressui. Quod autem pertinet ad Expulsos, tales, inquam, esse reducendos, & recipiendos, si reverti voluerint, secus vero si recusaverint. Id probat, quia *Panormitanus*, *Cardinalis*, *Brutius*, & & *Antoninus*, quos refert, non eodem modo loquuntur de Fugitivis, & Ejectis; ajunt enim Fugitivos annuatim perquiri debere, ac etiam renuentes compelli ad Claustra; Ejectos vero non nisi redire volentes.

61 Hæc autem opinio non subsistit, nam ibi Pontifex indiscriminatim pronuntiat, non solum Fugitivos, sed etiam Ejectos quotannis debere inquiri, & ad Claustra reduci. Hanc instantiam sibi ipsi objicit *Navarrus*, cumque illam se toto declinare non possit, respondet, Decretum loqui de injuste Expulsis, hoc est ob levia, a non habente jurisdictionem, non servato juris ordine; isti enim, cum adhuc maneant sub jurisdictione Superioris Regularis, eo quia iniqua sententia non possit eos ab Ordine divellere, & per consequens ab obligatione Votorum liberare; tales enim debent inquiri, & reduci, non sic illi, qui ob eorum crimina dimembrati sunt ab Ordine, & a Religionis promptuariis projecti, ut in sæculo vivant. Sed hæc evasio ultra quod falsum assumit, scilicet juste Ejectos se totis declinare a jurisdictione Superiorum, & soli Episcopo subdi, ut late probavimus oppositum superius, est satis periculosa, teste *Sanch. lib. 6. Decal. cap. 9. q. 2. num. 17.*, eo quia *caput illud finale* absolute loquitur de Ejectis, qui potius tales dicuntur, quando juste per sententiam diffinitivam, rite latam ejecti sunt.

62 Alii apud *Azor. Instit. moral. lib. 12. cap. 17. lit. A.* dicunt, totum prædictum Decretum *Gregorii Noni*, cum sit juris humani, usu, & consuetudine abrogatum fuisse: neque enim Religionum Præfecti Religiosos Ejectos quotannis perquirunt, neque reducunt, neque repetunt. Ratio ad hoc datur, quia expulsio non datur ad tempus, ut Ejectus corrigatur, & emendetur; sed in perpetuum, & ut debita pœna puniatur, hoc enim dicitur eum ob culpam suam meruisse: hinc est, quod multi ob certa quædam vitia, & delicta, sententia Judicum, ad id destinatorum, ejiciuntur in perpetuum, nec amplius reducuntur. Quare concludunt apud *Sanch. loco citato*, quod ex vi illius Decreti non tenentur Prælati quærere, nec revocare Ejectos, nec Fugitivos, sed servanda esse, quoad hoc, Statuta Religionum, & jus naturale, quod solos injuste Ejectos restitui dictat, & sic quærendi sunt, ut ad pristinum statum restituantur. Si vero Apostatæ, & Fugitivi sunt, tenebitur eodem jure divino, naturali, Prælatus Religionis, si commode possit, eos quærere, ut corrigat, & puniat juxta Regulæ, & Constitutionum præscriptum, ut pote qui vere sui subditi sunt, ut vel sic spirituali eorum saluti prospiciat, & si delictum non fuerit expulsione dignum, admittat correctos ad Religionem.

63 Verum præfata sententia falsum assumit, scilicet tale Decretum fuisse antiquatum, & per consequens consuetudine abrogatum: nam *Urbanus Octavus* in sua Constitutione supra recensita *par. 1. n. 23.* § 11. illud innovavit, & servandum proposuit, etiam respective ad eos, qui juste, ac diffinitive fuerunt expulsi. Deinde sub *Innocentio XII.*, prout in suo Decreto supra relato *par. 1. num. 31. §. 1.* taxative, quoad Fugitivos, & eorum requisitionem confirmatum fuit. Nec ratio ad hoc adducta suffragatur; non enim verum est, expulsionem infligi præcise in pœnam, & odium incorrigibilitatis, quin potius inducta fuit ad resipiscentiam Expulsi, & ad præservationem aliorum, durante morbo incorrigibilitatis in illo, ut colligitur ex Decreto *Urbani Octavi*: *Neve contagione pestifera incorrigibilis alios perdere*; unde negatur, talem sententiam sic transire in rem judicatam, ut nullatenus revocabilis existat, esto non fuerit ad tempus pronunciata.

64 Tertia sententia sic late amplectitur Decretum *Gregorii*, ut pro certo, ac veluti definito habeat, Ejectum, licet non emendatum, posse cogi ad regressum, & ipse teneatur in hoc Superioribus Regularibus obedire, in tantum, quod nulla circa hoc maneat difficultas. Pro hac opinione stat *Passer. tom. 3. qu. 186. num. 616.* quam probat, quia ejectio fit in favorem Religionis, quæ jus suum non amisit, quin possit, quando sibi in Domino videbitur expedire, revocare suum Subditum, & illum ad revertendum compellere. Confirmatur exemplo matrimonii, in quo Conjux innocens potest compellere alterum Conjugem adulterum ad sibi cohabitandum. Et subdit, hoc argumentum tenere a fortiori, quia in separatione unius Conjugis ab alio, & reductione ejusdem ad alterum, agitur de reintegratione justitiæ innocentis, vel de interesse, & justitia privata Conjugum; sed hic nedum agitur de privato interesse Religionis, sed & de salute Religiosi, quæ cadit sub cura, & providentia Religionis: unde est quod multo magis, & ex multiplici capite poterit Religio Expulsum, etsi non emendatum, ad Religionem & Claustrum revocare. Tandem probatur assertum per dicta in *qu. 16. num. 144.*, ubi habetur, quod etsi Conjudices consentiant unanimiter in expulsionem Incorrigibilis, adhuc tamen potest Generalis non expellere; & licet teneatur stare Patrum consilio in condemnando, non tamen in absolvendo, eo quia per verba Decreti habeatur, quod probatus incorrigibilis, *ejici tandem possit*, non vero *ejici debeat*. Hinc infertur, si constante de incorrigibilitate Religiosi, liberum est Religioni ejicere, vel non ejicere: ergo quoque, durante incorrigibilitate, poterit Religio Expulsum revocare.

65 Sed neque hæc positio undequaque inconcussa manet, ut Author supponit; neque ita firmo hæret fundamento, ut ineluctabilis evadat licet supra recensitis sit proprior veritati. Negatur, inquam, posse Superiorem Regularem Ejectum contumacem ad Claustra reducere, quod manifeste ex dispositione Decreti supra recensiti *par. 1. nu. 23.* § 11 apparet; nam ibi Pontifex, loquens de Ejectis reducendis, illam reductionem statuit, *dummodo tamen in Expulsis hujusmodi subsit spes evidens emendationis*. Dictio enim *Dummodo*, cum sit conditionalis, prohibet, aut annullat, quidquid sine ea fit. Si ergo de Ejecto reducendo subesse debet spes evidens emendationis; ergo admitti non poterit is, qui in incorrigibilitate perseverat. Nec ratio ad id adducta concludit; etsi enim ejectio fiat in favorem Religionis, non inde tamen sequitur, posse Superiorem Regularem ea uti ad reductionem incorrigibilis; nam & privilegium Canonis est in favorem Clerici, nec tamen fas est Clerico illo uti ad beneplacitum, remittendo, ut impune percutiatur, eo quia tale privilegium fuit ad honorem status Clericalis inductum, cui nequit privata authoritate derogari: sed expulsio Incorrigibilis ad tunc tam boni com-

communnis fuit induсta, ne scilicet morbida Pecus corrumpat Ovile; ergo manente incorrigibilitate Ejecti, non poterit Superior Regularis cum aliorum damno illum ad Claustra revocare. Exemplum autem de matrimonio assumptum non concludit. Innocens enim potest Adulterum compellere ad cohabitandum, eo quia jus tori est in favorem conjugii, & Innocens alterius culpa jure suo privari non debet; sed expulsio Incorrigibilis, magis ac reductio ejusdem, est in favorem Religionis; ergo Religio innocens potius in jure expulsionis, quam reductionis est manutenenda. Hinc immerito ex dato exemplo conjugii arguebat a fortiori pro reductione Ejecti; nam bonum Religionis non est interesse privatum, ut ibi dicitur, sed commune, cui obesse potest impia Incorrigibilis conversatio; ergo si bonum commune privato est anteponendum, non poterit Superior Regularis, juste Expulsum, dum non corrigitur, ad Claustra reducere. Quod autem assumitur de Judice expulsionis, esto concedatur ei pro beneplacito, dum constat de causa legitima expulsionis, decernere, non tamen a sententia, re integra manente, ac durante expulsionis causa, resilire; nam & Legislatoribus datus a jure posse pro beneplacito leges ad Subditorum utilitatem, bonumque commune condere, iis tamen datis, licet non teneantur suis legibus, ut sic, quoad vim coactivam, & poenam, sive directe; indirecte tamen, & quoad vim directivam, & ex æquitate quadam tenentur se tanquam caput membris conformare, ut habet *D. Thom. quol. 96. art. 5. ad 3. Layman. lib. 3. tr. 4 cap. 9* Quare temere, & sine causa dispensantem in propria lege, ad utilitatem aliorum condita, de peccato damnat *Sanch. lib. 8. d. 18. Filliuc. num. 438. Dian. par. 8. tr. 3. resp. 89. & 10.* & *Busemb. l. 1. tr. 2. dub. 4.* Quod propterea esse nequit, nisi quia data lege, ex ea Communitas jus acquirit ad bonum proveniens ab illa, cui bono nec Conditor legis potest sine causa derogare. Quapropter cum ex data sententia expulsionis tota Religiosorum communitas jus acquisierit se eximendi a communione perniciosa Incorrigibilis; rebus sic stantibus, Superior Regularis juri acquisito aliorum omnium de Ordine derogare absque injustitia non potest; nam tunc esset innocentem jure suo spoliare. Quare dicitur, quod, licet Judex expulsionis possit decernere, vel suspendere (prout judicaverit expedire) ejectionem; dum tamen de ea pronunciavit, res transit in rem judicatam favore Religionis contra Incorrigibilem, qui, nisi resipiscat, nequit a sententia liberari. Superioribus enim Regularibus datur facultas ad ædificationem, non ad destructionem, quæ tamen foret, si pro libito possent Religiosum perniciosæ conversationis ad Claustra in ruinam plurimorum revocare.

66 Ad Quæstionem ergo dico, quod etsi Religio non teneatur, potest autem Ejectum revocare, si in eo subsit spes certa emendationis. Primum probatur, quia ut supra ostendimus *Part. 1. quæst. 1. num. 38.* expulsionis sententia est suapte natura perpetua, nec potest ad tempus dari eo modo, quo de Triremibus. Nec officit Decretum *Gregorij* præcipientis annuam requisitionem Expulsorum, quod supra dedimus *Parte 1. num. 12.* nam illi quoad hoc videtur per Constitutionem *Innocentij XII.* relatam *Part. 1. num. 31. §. 1.* derogatum eo quia Pontifex innovans quoad alia ibi contenta, Decretum *Gregorii IX.* annuam reductionem pro solis Fugitivis, & Apostatis decernit, quo nomine non veniunt Ejecti. Equidem, si in viridi esset annuæ reductionis Ejectorum obligatio, expulsionis remedio præcluderetur aditus. Secundum ostenditur, quia expulsio non est præcise in poenam inflicta, ad plectendam incorrigibilitatem, sed verius in remedium, ac in favorem non solum Religionis, sed etiam Expulsi, ut ostendimus *Part. 1. quæst. 2. num. 42.* Quod non sit præcise in pœnam, convincitur, quia per pœnam quis constituitur in deteriori statu; Expulsus vero, ut ibi diximus, aliqualem libertatem consequitur, ac in tutiori statu se constituit. Deinde eadem Sacra Congregatio in suo Decreto, relato *Par. 1. num. 20.* expulsionem vocat *gravissimum, extremumque remedium*: ergo cessante incorrigibilitatis morbo, poterit cessare expulsionis remedium. Postremo omnem tollit difficultatem aperta eiusdem Sacræ Congregationis declaratio, quæ ibidem *num. 23. §. 11. Gregorij IX.* Decreto adhærens, reductioni Expulsi annuit, *Dummodo subsit in Expulso spes evidens emendationis*; ergo correctus, & emendatus potest a Religione revocari. Immo si evidenter constet Religioni de illius emendatione, dicitur probabiliter, quod tenetur se offerre ad recipiendum. Ad hoc enim videtur adstricta Religio ex vi Decreti citati, quod in viridi relinquens obligationem annuam sollicite requirendi Ejectos, per dictionem *Dummodo*, conditionem statuit, qua debet impleri. Non tamen ex hoc infertur, Religionem teneri ad illius reductionem per vim, ac censuras; nam ex quo Religio promptitudinem suam ad suscipiendum ostendit, & ille reverti renuit, se prodit in incorrigibilitate perseverantem.

67 An autem Expulsus, sed emendatus, teneatur tunc Religioni illum revocanti obedire? Hoc non est ambigendum, nam in præcitato Decreto *Gregorii IX.* statuitur, quod si Ejecti inobedientes Religioni præcipienti regressum extiterint, Superiores Ordinis *Eos excommunicent, & tamdiu faciant ab Ecclesiarum Prælatis excommunicatos publice nunciari, donec ad mandatum ipsorum humiliter revertantur*. Hæc ibi, sed quoad hoc dimittenda non est superior animadversio; quare in casu contumaciæ potius consulitur suspensio revocationis, cum de eo non subsit spes evidens emendationis.

QUÆSTIO X.

An Religio possit compelli ad receptionem Ejecti resipiscentis, & emendati,

SUMMARIUM.

68 *Religio potest compelli ad receptionem injuste Expulsi.*
In professione intervenit contractus, ultro citroque obligationem pariens.
Dimittens sine causa peccat, & ad reductionem tenetur.
69 *Religio potest compelli ad receptionem etiam juste Expulsi, si redeat emendatus.*
Reijcitur opinio Antonii a S. Spiritu, oppositum sentientis.
70 *Argumentum a paritate juris, quod sicut Religio potest compellere Ejectum ad regressum, ita illa,*

ille, si emendatus, cogere Religionem ad receptionem, reijcitur.

Cessante motivo expulsionis debet cessare expulsio.

71 *Censura Gregorii IX. contra Superiores non admittentes emendatum.*

Causæ, & motiva differendi receptionem emendati revertentis remissive pertractanda.

Expositio Glossæ in verba Decreti, sed salva Ordinis disciplina *reijcitur.*

Constitutio Ordinis D. Benedicti de non recipiendis tertio Fugitivis, si revertantur.

Vera expositio illius Textus est, quæ datur ab Azor.

Testimonialia Ordinarii non sunt causa præcisa pro sinceratione probatæ spei emendationis Ejecti.

72 *Renuente Religione emendatum recipere, cogi potest censuris, non autem per Diœcesanum, sed per S. Congregationem infligendis.*

73 *Emendatus non statim recipiendus, sed probata tractu temporis convenientis emendatione.*

Ejectus, in sæculo plura committens, non est ad carcerem recipiendus, sed Ordinario relinquendus, ut corripiatur.

68 NON est hic sermo de injuste, ac non servato juris ordine Expulsis; nam de istis non est dubium, cum enim professio sit quidam contractus, ut habet *Sanch. lib. 6. Decal. c. 9. num. 7.* & quidem reciprocus, quo Religiosus se obligat Religioni ad perseverandum in illa, & e contra Religio se se obligat ad illum retinendum, tractandum tanquam Filium, dum ille justam expulsionis causam non præbuerit; & testatur de communi. Ergo dimissio absque causa erit contra justitiam, & poterit Religio compelli ad reparationem damni, reducendo, seu verius recipiendo Ejectum.

69 Quæstio igitur est de legitime Ejectis ob incorrigibilitatem. Et respondetur affirmative, quidquid dicat *Ant. a Sp. Sancto*, qui in *Directorio Regularium tr. 4. disp. 3. sect. 12. §. 6. num. 461.* tenet, Superiores Ordinis non posse cogi ad receptionem Ejectorum, nec ad id teneri; etsi redeant correcti, & emendati. Ratio ad hoc (inquit) quia *Textus cap. ne Relig. de Regul.* sicut etiam Decreta S. Congregationis, vel loquuntur de Ejectis cum habitu, quo illos, inquam, teneatur Religio resipiscentes recipere, vel quod fuere contrario usu abrogata; citatque *Vidal. tit. de bonis canon. inquisit. 3. num. 35.* quibus adhærent *Dian. de Regular. ref. 117. Sanch. lib. 6. cap. 9. num. 32. Manuel. q. regul. tom 1. q. 30. art. 20. S. Bonavent. ex Azor. lib. 12. instit. moral. cap. 17. q. 2. lit. B.*, quod probatur quia ex justa sententia Religiosus ejectus condemnatus est, ut vivat extra Ordinem; ergo Religio non cogitur eum recipere. Verum de validitate præfati Textus, ac Decretorum Sacræ Congregationis non est dubitandum; nec ratio pro lest præfatæ sententiæ, eo quia per talem sententiam non est absolute condemnatus, ut vivat extra Claustra, sed quamdiu incorrigibilis permanserit, ut bene inquit *Bord. t. 4. par. 3. ref. 108.*

70 Probatur ergo Conclusio ex paritate juris. Sicut enim Superiores Religionis possunt suos Ejectos revocare, & compellere, ut redeant; ita Ejecti vere emendati habent jus, ut compellant Superiores, ut illos recipiant, ita *Passer. tom. 3. qu. 189. nu. 619.* Verum præfata ratio infirmatur a *Sanchez loco citato num. 32.* dicente, Religionem nequaquam ad hoc teneri, quia justa sententia sunt in perpetuum ex parte Religionis Ejecti, qua tuta conscientia potest juvari Religio, ne cogatur ad illorum receptionem. Nec mirum, si dispar sit Ejectorum, & Religionis conditio: hæc enim disparitas merito, & jure optimo inducitur propter Ejectorum delictum, sicut in matrimonio carnali eadem disparitas reperitur inter Conjugem innocentem, & adulterum. Innocenti enim integrum est, post divortii sententiam, adulterum ad reconciliationem cogere, quod jus adultero, quantumvis emendato, denegatur; hæc ille. Aliter ergo probatur a *Peyrin. tom. 1. de subd. qu. 1. c. 25.* Quia Religio (inquit) non habet jus a vinculo Religionis aliquem absolvendi, & ab ea ejiciendi, nisi quatenus id permittunt illius delicta; ergo cessante ista causa, & Ejecto ad meliorem frugem reducto, & penitus emendato, debet cessare effectus, & tenetur Religio eum humiliter, & de corde puro petentem, iterum recipere.

71 Verum, quod magis urget pro nostra sententia, est ipsum Decretum *Gregorii IX.* de quo supra *Par. 1. num. 12.* ubi mandatur, quod *si in Monasteriis suis recipi possunt*, puta Ejecti, & emendati; tunc Superiores Ordinis *monitione prævia per Ecclesiasticas censuras compellantur ad receptionem ipsorum, salva Ordinis disciplina*. Ita *Navar. lib. 3. consil. tit. de Regular. in 1. edit. cons. 51. in 2. cons. 18. Cordub. in regul. D. Franc. cap. 2. qu. 71. pu. 1. Molin. tom. 1. de just. disp. 40. col. penult. §. quo. ad votum. Tapia autbent. ingressi verb. sua cap. 6. num. 43. Leonard. lib. 2. de just. cap. 41. dub. 15. num. 112.* Limitat tamen *Cordubs loc. cit.* nisi aliud obstet, utpote si sit probabile scandalum ex tali admissione; vel si redeant morbo aliquo contagioso infecti; vel alias inhabiles ad Ordinis officia; si ad aliorum terrorem valde conducat, hos iterum non admittere. Sic quoque limitat *Leonardus*, scilicet, nisi Religio justas non admittendi causas haberet; quas limitationes approbat *Sanch. lib. 6. Decal. cap. 9. num. 32.* quoties servanda esset decisio *Textus capitis final. de Regular.*, qui hos iterum admitti jubet, *sed salva Ordinis disciplina, si absque gravi scandalo fieri poterit*. Hoc autem ex data hypothesi loquitur *Sanchez*, quia ut dictum est, de valore Decreti dubitat, sed de hujusmodi limitationibus erit sermo deinceps. Quid vero intelligendum sit per verba Decreti, *sed, salva Ordinis disciplina, Glos. ibi verbo salva* sic exponit, *imposita eis pœnitentia, quam Regula illius Ordinis ei delicto imponi jubet*. Sed manifeste Textus aliud intendit, ut ex ipso contextu apparet, & probat *Sanchez*, qui *loc. cit.* sic exponit, *nisi ea admissio esset contraria Regulæ illius Ordinis*. Si enim Regula præscriberet, Ejectos non esse amplius dimittendos ad Religionem, prout *Antonius a Spiritu S. loco cit.* testatur de Constitutionibus proprii Ordinis respective ad Ejectos in perpetuum; Et in Regula *D. Benedicti cap. 29.* jubetur, quod hi, qui post fugam ter recepti, fugiunt iterum, amplius non esse admittendos; tunc, inquit, quod ex Textus dispositione non jubentur eos recipere, sed debere reponi in aliis Religiosis Domibus ejusdem Ordinis ad faciendam ibi pœnitentiam. Sic quoque exponunt *Hostiens. eo cap. fin. n. 6. & seq. Antonius ibi num. 9. Cardinal. num. 1. notab. 2. Joan. Andre num. 4. Anchar. num. 4. Henric. in fine Archidiacon. cap. Abbates num. 6. 18. qu. 2. & ibi Bellamera num. 1. in fine D. Antonin. par. tit. 56. cap. 5 Sylvest ver. Apostasia q. 5. & 7. num. 10. Armilla ibi num. 14.* Veriorem tamen puto *Azorii* expositionem, qui *lib. 12. instit.*

moral. cap. 7. lit. C. sic glossat, *Ordini disciplina, hoc est, si emendati everterentur, quod disciplina regularis deposcit, & requirit.* Hincque magis concordare videtur cum Decreto *Urbani VIII.* §. 11., qui Ejectorum receptionem præcipiens, illam statuit; *Dummodo tamen in Expulsis hujusmodi fuerit spes evidens emendationis, ex litteris saltem testimonialibus Ordinarii.* Ubi notandum venit, quod per dictionem *saltem* indicatur, testimonialia Ordinariorum non esse præcisa testimonia emendationis Expulsi, quibus stantibus illico censeri debeat correctus, atque emendatus; sed potius subsidiaris, casu quo Religio aliter certiorari nequit de resipiscentia Expulsi. Sic firmat *Pignatel. tom. 1. consult. 140. num. 6.*

72 Sed dubitatur, utrum si Religio obstaret regressui Ejecti, nulla legitima causa producta; an tali casu in vim citati Decreti *Gregorii IX.* posset Ordinarius cogere censuris, pœnisque Ecclesiasticis Religionem ad receptionem illius? Et respondetur juxta dicta in 1. *qu. hujus 3. part.*, quod sicut per Decreta Sacræ Congregationis ibi relata, Episcopi nequeunt se intromittere in cognoscenda justitia, vel injustitia expulsionis, sic neque ad eos spectabit censuris compellere Religionem indebite reluctantem ad receptionem Expulsi, etsi sit correctus; sed hoc spectabit ad Sacram Congregationem, vel Summum Pontificem, cui Regulares sunt immediate subjecti. Sic *Pignatellus loco cit.*, estque communis.

73 Quæres, an illico, quod quis resipiscit, & emendatum se offert Religioni, debeat ad Ordinem admitti? Respondetur cum *Azor. lib. 2. instit. mor. cap. 17. lit. B.* negative, sed expectandum est tempus congruum ad comprobandum, an in emendatione persistat. Quale autem esse debeat hujusmodi spatium, relinquitur judicio prudentis Viri; & ad hoc facit regula, quam dedimus *Par. 1. q. 8. num. 85.* Quod si Ejectus alios suo malo exemplo offendit, aliaque mala committit in damnum plurimorum; quid tunc faciendum? *Azorius loco cit.* suadet esse ad Claustra reducendum, si in Monasterio accommodatus sit carcer, ubi detineri possit; nam tunc expedientius est illum pascere in Claustro, quam sinere quod extra illud in mala prorumpat. Verum ad hoc teneri Religionem non probatur, cum plurima subsint Monasterio ex tali detentione incommoda, ut supra *Par. 1. qu. 3. num. 43.* diximus: quare consultius est illum relinquere ab Ordinario puniendum, quia ex quo per ejectionem jurisdictioni illius subjicitur, ejus est etiam extra Claustra degentem, si delinquit, compescere. Sic etiam firmat *Ant. a Spi. San. Direct. Regul. tr. 6 dis. 3. sect. 12. num. 491.* pro se citans *Pellizarium*.

QUÆSTIO XI.

An Expulsus teneatur se corrigere ad finem, ut iterum ad Ordinem admittatur.

SUMMARIUM.

74 *Opinio dicentium non teneri Ejectum mores suos corrigere, ut iterum admittatur, rejicitur.*

75 *Fundamenta oppositæ sententiæ, quæ & probabilior. Habens Votum simplex Religionis tenetur curare, ut recipiatur, & ibi maneat.*

76 *Contrahens matrimonium cum Voto simplici Castitatis, peccat contrahendo; licite permanet in matrimonio, quo soluto per mortem alterius, reviviscit Votum.*

Dans causam expulsioni, dando peccat, simulque causam illam non amovendo.

77 *Ejectus tenetur obedire Superiori, præcipienti regressum; ad alia præcepta ejusdem non tenetur. Non tenetur obedire ei, cui deest Superior.*

78 *Rejectus, postquam emendatus, se obtulit Religioni, potest tutus in sæculo manere. Quoties subest spes Ejecto, ut recipiatur, toties debet instare.*

74 Respondeo, quod sentiunt *Pasq. in 9. moral. sent. 2. qu. 114. num. 2. Novarius in Lucerna Regul. ver. Ejecti num. 3.* apud *Ant. a S. Spir. Direct. Prælat. tr. 4. disp. 3. sect. 11, n. 464.* qui eorum opinioni consentit, Ejectum non teneri se corrigere, & emendare, ut iterum in Religionem admittatur, etsi Religio velit eum iterum recipere, dummodo redeat correctus, & emendatus; pro hac sententia citat *Azorium* citato loco; verum hic Auctor in *lib. 12. Instit. moral. cap. 16. quæst. 4. & 7. & 11 & cap. 17. qu. 2.* tenet oppositum. Citat quoque *Rodriguez*, sed non distinguit qualem; *Emanuel* vero *Rodriquez tom. 1. qu. 30. art. 20, in fin.* concludit, Ejectum teneri ad observantiam eorum, quæ Deo in professione sui Instituti promisit; & *Hjeronymus* eo nomine, pluribus pro se citatis Doctoribus, Ejectum in malo statu vocat, quamdiu per ipsum stat, eo quod mores non corrigit, quominus admittatur, teneturque id procurare. Postremo vocat talem sententiam esse tutam, & probabilissimam; nullam tamen pro ea adducit fundamentum.

75 Dico ergo, quod Ejectus tenetur mores suos corrigere, & se emendare, & dignum reddere, ut ad Religionem, a qua ejectus fuit, redire possit. Pro hac sententia stant, ultra allegatos, *Barbos. ad cap. fin. de Regul. num. 7. Tamb. tr. 3. disp 8. qu. 8. num. 1. Palaus tr. 16. d. 4. p. 21. n. 5. & par. 23. num. 5. Less. lib. 2. cap. 41. num. 111. Vasquez par. 2. d. 165. num. 87. Bordon. par. 3. res. 108. num. 20. Layman lib. 4. tr. 5. cap. 13. n. 6. Bonac. de Clauf. qu. 2. p. 12. §. 2. num. 1. Barthol. a S. Fausto lib. 6. Thes. qu. 226. Donat. in prax. p. 2. tr. 8. qu. 25. Lezana tom. 1. cap. 23. Pasqual n. 972. ad Franch. Lauret. de Franchis de Regul. Ejectis q. 2. Conrad. in respons. par. 1. qu. 285. Aragon. 22. qu. 88. art. 3. Zerola in prax. Episc. 2. p. verb. Regulares. Sanchez lib. 6. Moral. cap. 9. num. 25. Cordub. in Regul. S. Franc. cap. 2. qu. 22. Fagnan. ad cap. ne Religiosi num. 9. de Regular. Angles. tit. de Voto art. 2. diff. 8. cap. 3. Sylv. V. Religio 6. q. 11. & Verb. Apostasia qu. 2. & 6. ex Posserino tom. 3. qu. 189. art. 8. num. 615.* & probatur, quia Professus ejectus non liberatur a Votorum obligatione, & verus ejusdem Ordinis Religiosus manet, ut probatum est *quæstione 6. hujus 3. Part.*, ergo taliter vivere debet, ut per ipsum non stet, quin in Religione, & aliorum consortio Vota sua implere possit. Confirmatur a simili de habente Votum simplex Religionis; tenetur enim ex parte sua non ponere obicem, & curare, quantum potest, ut in Religione, cujus habitum, formamque vivendi sumere vovit, accipiatur: ergo multo magis, qui Religiosam vitam professus est, ex vi Voti tenetur, se idoneum reddere,

dere, mores suos corrigere, & instare, ut iterum recipiatur. Probatur secundo, quia Ejectus non debet ob ejus delicta commodum libertatis consequi pro eo, quod, ut diximus, suspenduntur in eo Vota aliqua, quantum ad executionem, neque fieri potioris conditionis, quam alii Religiosi; eo quia nemini sua fraus patrocinari debet, neque fas est ex iniquitate commodum reportare.

76 Dices, Voto simplici Castitatis adstrictus, etsi peccet contrahendo, tamen licite manet in matrimonio, nec tenetur a contractu resilire; potestque juri alterius Conjugis parere, dum in eo statu perseverat, quo immutato per mortem Conjugis innocentis, Votum quod erat suspensum, ex integro reviviscit: ergo a pari, licet Ejectus peccaverit, dando causam expulsionis, eo quia in tali statu Vota Religionis manere debebant suspensa, quantum ad executionem, ob incompossibilitatem status ejectionis cum obligatione Votorum, sicut incompossibile erat conjugium, ususque illius cum observantia Castitatis; tamen licite manere potest in tali statu, conformando se sententiæ expulsionis, nec tentare regressum adstringitur, dum extra Claustra degit; quo statu immutato, dum in Religionem iterum admittitur, Vota, quæ primo erant suspensa quoad executionem, reviviscunt quoad totalem obligationem. Respondetur, disparem esse rationem, quia, dum obligationi Voti Castitatis supervenit vinculum matrimonii, contrahens non est amplius sui juris, sed ex sponsione illa alteri adstringitur; & ex quo juri alterius Conjugis nequit præjudicare, ideo non peccat, reddendo petenti, bene autem si petat; sed Ejectus in incorrigibilitate perseverans, non solum peccat, ponendo obicem ad plenam Votorum observantiam, quæ in Professione emisit, sed etiam est in malo statu, pro quanto in tali obice volens perseverat; & quia se corrigendo, & emendando alienum jus non violat, sicut qui se continet contra voluntatem alterius Conjugis, dum in matrimonio perseverat; ideo innocenter permanere potest in conjugio, qui simplici Voto Castitatis erat adstrictus, non ita qui in incorrigibilitate extra Claustra degendo perseverat. Concluditur ergo, Ejectum teneri mores suos componere, ac idoneum reddere, ut ad Ordinem admittatur.

Quæres, an correctus, & emendatus se offerens Religioni, ut recipiatur, sed repellitur, sit tutus in conscientia, si deinceps non instat pro admissione.

77 Respondeo, quod *Sotus lib. 7. de just. qu. 2. art. 1. ad tertium. Syrus Clav. Reg. lib. 10. cap. 9. num. 27. 28. Aragon. 22. quæst. 88. art. 3. Minald. conf. 69. num. 5. Navarr. Comm. 2. de Regular. n. 36. Corrad. in resp. quæst. 285. par. 1. Rodriq. tom. 1. quæst. 30. art. 21. Barth. a S. Fausto lib. 6. de Voto Obed. dub. qu. 206. Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 13. num. 8. Graffius lib. 3. de Regul. conf. 3. nu. 6.* censent, hos manere absolutos ab obligatione Voti Obedientiæ, & Paupertatis. Verum quantum ad hoc sensus horum Doctorum est juxta explicationem *Sayri, & Sanch. lib. 6. Decal. cap. 9 num. 56.*, quibus adhæret *Passer. lib. 3. q. 189. num. 618.* quia non tenentur ea Vota servare, nisi meliori modo, quo possunt, eo quia, ut dictum est *quæst. 6. hujus 3. Par.*, quantum ad usum Paupertatis habent liberam administrationem bonorum, quæ acquirunt. Et Votum Obedientiæ manet in illis, quantum ad multa suspensum, atque ut habet *Sanchez loco cit. num. 31.* non tenentur obedire Prælatis Religionis, aliquid aliud, præter reditum ad Religionem, præcipientibus; eo quia statim ac illos ejecerunt, videntur constituere eos extra ipsorum potestatem, & curam, ac subinde obedientiam; & hoc modo se explicat *Leonard. lib. 2. de just. cap. 41. in fin.* ubi ait, cessare ex parte executionem Voti Obedientiæ ob defectum materiæ, nempe quia hi carent Superiore, a quo dirigantur; & ut habent *Mol. tom. 1. de just. disp. 140. col. penult. Manuel. quæst. Regular. tom. 1. q. 30. art. 19.*, & *Azor. lib. 12. Instit. moral. cap. 16. qu. 11.* satis est, si Ejecti sint parati ad obediendum Prælato intra Religionem, si in eam iterum admittantur.

78 Sed quantum ad sic tute posse manere in sæculo, respondet *Peyr. tom. 1. de subd. q. 1. cap. 25.* quod si, postquam Ejectus, se emendatum obtulit Religioni, non fuit receptus, potest tute manere in sæculo, quia iste fecit quod in se est, ut reciperetur, ideo si non recipiatur, est tutus in conscientia, & potest in sæculo manere. Sic firmant *Navar Aragon. Rodriq. Layman. loco cit.* subdit tamen *Passerinus ibidem*, nunquam Ejectum fecisse, quod in se est, quotiescunque sit spes probabilis, ut recipiatur. Ideo semel, iterum, pluries non auditus, & rejectus, si insurgat nova spes, ut recipiatur, debet instare, ut ad Ordinem admittatur.

QUÆSTIO XII.

An Expulsus sit tutus in conscientia, si procuravit expelli.

SUMMARIUM.

79 *Declaratio Quæstionis.*

80 *Contractus professionis, aliquando mutuus, aliquando non.*

Differentia utriusque professionis in Societate Jesu.

Tradens se servituti alterius, dimitti potest, recedere a se ipso non potest.

Vota conditionate emissa, remota conditione, removentur.

Qui vovit Religionem in particulari, liberatur a Voto, si pluries facta instantia, ut recipiatur, reijcitur.

81 *Imponens sibi crimina in Societate Jesu, ut dimittatur post Vota biennii, non est tutus in conscientia.*

Tenetur fraudes detegere, qui sic dimissionem extorsit.

Opinio dicentium, quod qui commisit delictum eo fine, ut dimitteretur, secuta dimissione, posse tute manere in sæculo, reijcitur.

82 *Fundamenta oppositæ sententiæ expenduntur.*

Non liberatur ab obligatione Voti conditionalis, qui nititur conditionem non impleri, ut liber evadat.

Condonatio fraudibus, & injuriis extorta, non liberat extorquentem, sed tenetur rem in pristinum revocare.

Qui vovit Religionem, Votum non implet, si delinquit eo fine, ut non admittatur.

Protestatio Congregationis Generalis in Societate Jesu, contra delinquentes eo fine.

83 *Peccat in Societate Jesu contra Vota biennii, qui mediocri diligentia non utitur ad ea cavenda, per quæ potest esse expulsio.*

Promittens finem, censetur se obligare ad media.

sub-

saltem ex mediocri diligentia.
Obligatio Voti, ultra intentionem voventis, non extenditur.
Qui vovit Religionem in statu Clericali, tenetur se disponere per studium conveniens.
Qui contrahit post Votum simplex Religionis, peccat, dum primo consumat.

79 NON est hic Quæstio de Expulsis, post Vota solemnia Religionis, nam de istis sive juste, sive injuste fuerint dimissi; sive revera deliquerint, sive illa crimina sibi impegerint, ut expellerentur, nunquam tamen ab obligatione Votorum liberantur, quin, ut dictum est, semper teneantur tentare regressum per emendationem, quoties supersit spes, ut ad Ordinem recipiantur.

80 Tota difficultas est de Expulsis post Vota biennij a Societate Jesu, qui contractu non mutuo inter ipsos, ac Religionem, per Vota simplicia se Deo in Religione spoponderunt; Societas vero talia Vota, utpote non facta in manu Superioris, non acceptat ad obligationem retinendi voventem, quin illum citra incorrigibilitatem dimittere possit. Sicut qui se tradit in perpetuam alterius servitutem, quo acceptante, ille siquidem Domino adstringitur, nec ab eo discedere potest, sed tamen a Domino potest manumitti, quamdiu ad illum retinendum non se obligavit; eodem ferme modo voventes in Societate, se per illa Vota Societati tradunt, ad perpetuo manendum in ea, at Societati liberum est eos dimittere, licet id nequeat præstare absque justa causa, ut habet *Sanch. lib. 6. Decal. cap. 9 quæst. ult. num. 61.* Quia ergo per dimissionem hi liberi prorsus evadunt ab obligatione talium Votorum, cum fuerint conditionate emissa, scilicet pro tempore, quo eos Societas alit, & retinet; atque ideo cum eos expulerit, cessat Votum, non quia dispensatum, sed quia non subsistit conditio, sub qua Votum fuit emissum. Sicut qui vovit ingredi aliquam Religionem in particulari, liberatur ab obligatione Voti, dum non admittitur, licet pluries se obtulerit; eo quia tale Votum fuit emissum sub conditione, quod admittatur ad Ordinem, qua non extante, Votum se ipso corruit; ita a pari de obligantibus se per Vota biennii in Societate Jesu per expulsionem ab hujusmodi Votis, secundum talem formam emissis, liberantur.

Quæritur ergo, an ab hujusmodi Votis liberetur, possitque tute manere in sæculo, si data opera, inquietando cæteros, delinquendo, vel falsa sibi crimina impingendo, procuravit expelli?

81 Respondet *Ant. a Sp. S. Direct. Regul. tr. 4. dis. 3. sect. 12. nu. 495.* cum distinctione; vel enim Ejectus, ideo ejectus est ob crimina, quæ sibi ipsi imposuit, ut ab Ordine dimitteretur; vel dimissus fuit, quia re vera commisit crimina, eo tamen animo, ut dimissionem extorqueret. Primo modo non est tutus in conscientia extra Religionem, sed verus Apostata: talis enim ejectio est involuntaria, utpote fraudibus, & falsitatibus extorta; unde tenetur detegere fraudes, & redire ad Religionem. Secus dicendum est, quando commisit crimina eo animo, ut eijceretur; etsi enim intentio illa peccaminosa fuerit, posita tamen ejectione, liber evadit, sicut alii, ita ille cum *Lezana V. eijcere num.* 10., & *Bals. Verb. Ejectus num.* 8. Quod probatur, quia ex Constitutionibus Societatis 2. *Par. Constitutionum cap.* 4. §. 6. habetur, quod recedens sponte sua a Societate, est dimittendus: si redeat ad Societatem absque sufficientibus pœnitentiæ signis, & vera perseverandi voluntate, per easdem Constitutiones dicitur *Par. 3. cap. 4. lit. B.* esse Societatis eos dimittere: quod si acciderit, eos manere liberos ab omni Votorum obligatione: ergo qui recedendo a Societate procuravit expulsionem, ea secuta, liberabitur a Votis.

82 Verum uno, vel altero modo extorquentem expulsionem, liberum non arbitror ab obligatione Votorum, quin teneatur, si dimissus, iterum tentare regressum, & ad Religionem redire. Primum patet ex supradictis. Secundum probatur, nam teste *Sanchez. loco cit. num 66.* ex communi Doctorum sententia non liberatur a Voti conditionalis obligatione, qui data opera utitur conditionem non impleri, ut liber evadat; sicut enim qui vovit ministrare in aliquo Xenodochio, non satisfaciet Voto, si data opera, male serviens, resque illius disperdens dimissionem extorserit; ita non liberabitur a Votis biennii, qui peccat eo fine, ut dimittatur. Secundo quia non minus hic obligatur ad Religionem ex parte sua, quam si absolute, & absque ea conditione voveret. Conditio enim illa non adijcitur ad majorem ipsius voventis libertatem, sed ut Religioni liberum sit ipsum dimittere, si ineptus ipsi videatur. At si nulla conditione id Votum emissum fuisset, hic liber non maneret: ergo nec ea conditione adjecta, cum non minus ea apposita astringatur, quam non apposita. Tertio quia nulla condonatio fraudibus, & injuriis extorta, liberat extorquentem, sed tenetur rem in pristinum statum revocare. Cum ergo illa Votorum remissio per repulsum a Societate non sit libera, sed fraudibus extorta, non liberabit Expulsum, donec mutatis moribus, veritateque detecta, utatur iterum admitti. Deinde qui vovit ingredi Religionem, Votum non implet, si delinquit in eum finem, ut non admittatur, aut ut admissus excludatur, semper enim urget Votum, donec per ipsum stat, quin impleatur. Quare ad id, quod ex Constitutionibus adducitur in oppositum. Respondetur per eas probari, Societati integrum esse, ob eam causam, rebellem illum dimittere; at non probatur, eum liberari a Votis; nam ab illis non solvitur, nisi quando ex parte Societatis expulsio est voluntaria, qualis non est in casu, sed per malitiam extorta. Sicque ejusdem Societatis Congregatio Generalis *Decreto* 18. §. 4. cum protestatione decrevit. *Ita Sanchez loco cit. num. 66.*

83 Quæres, an peccet contra Votum biennij, qui saltem mediocri non utitur diligentia ad cavenda ea, per quæ sequi potest expulsio? Et respondetur affirmative, quia promittens finem, censetur se obligare ad media; & licet non se obliget ad ea procuranda omni conatu possibili, nam ad hoc non videtur vovens se velle obligare, & obligatio Voti ultra intentionem voventis, non se extendit; tamen censetur adstrictus ad ea curanda, saltem mediocri diligentia; quapropter, sicut qui vovit ingredi Religionem aliquam in statu Clericali, tenetur se disponere per studium conveniens, ne reijciatur, & peccat contra Votum, si totaliter negligendo studium impotentem se reddit ad implendum Votum; sicut qui post Votum simplex Religionis, contrahit matrimonium, peccat, dum primo consumat, eo quia impotentem se reddit ad præstandum promissum, sic quoque peccant Biennales, aut Coadiutores formati Societatis Jesu, dum mediocri saltem diligentia non curant ea vitare, per quæ e Societate potest esse expulsio.

QVÆ-

QUÆSTIO XIII.

An Expulsus possit cogi ad aliam Religionem, vel ipse sua sponte illam ingredi.

SUMMARIUM.

84 *Fundamenta tenentium posse Expulsum eodem contextu sententiæ expulsivæ cogi ad aliam Religionem capessendam, refelluntur.*

Professus non vovet Religionem in communi, sed hanc in particulari.

Nemo tenetur crescere, aut Vota sua mutare.

85 *Fundamenta sententiæ, dicenti liberum esse Expulso transire ad aliam Religionem, sive arctiorem, sive æqualem, sive laxiorem, inscito priori Ordine.*

86 *Rejicitur prædicta opinio ex vi Decreti Pontificis.*

Roboratur rejectio adminiculo rationum oppositarum.

87 *Dum subest spes, quod Ejectus admittatur, nequit, irrequisito Superiore, aliam ingredi Religionem.*

Ordo jure suo privari non debet, quin resipiscentem possit revocare.

Ubi nulla spes, quod iterum admittatur Ejectus, Superioris assensus non requiritur, ut ad alium Ordinem possit transire.

Ius Religionis non vinculat Ejectum, quin sibi consulat, dum absque spe reconciliationis expellitur.

Potest adulter mutare statum, si lata sententia divortii, innocens reconciliationem respuit.

Dispositio Decreti Pontificis non censetur contraria securitati salutis Ejecti.

Censetur emendatus, non qui non delinquit, sed qui in emendatione perseverat.

Emendatio spatio trium annorum post lapsum probatur.

Ubi in transitu Religiosi ad aliam Religionem requiritur facultas Apostolica, etiam dum Ejectus ejusdem Ordinis cupit ad illam transire.

Per ejectionem Ecclesia jure suo non privatur, nec Expulsus, majorem consequitur libertatem.

88 *Resolutio objectionis.*

89 *Ejectus sine spe regressus, nequit ad Ordinem laxiorem primo migrare.*

90 *Qui non impetrata a Superioribus facultate, in secundo Ordine nondum professus est, revocari potest, secus si professus.*

Limitatio hujus positionis quoties interfuit assensus Ordinis, vel Pontificis in tali transitu.

Transiens ad alium Ordinem ex fundamento negatæ reconciliationis, revocari potest a Novitiatu, secus post professionem.

84 AFfirmativam partem docet, quoad posse cogi Expulsum ad capessendum alium Ordinem *Ant. a S. Spir. Direct. Regul. tract. 4. disp. 3. sect. 12. num. 472.* si hæc clausula imperativa fuerit in eodem contextu sententiæ expulsivæ apposita. Idem affirmarunt *D. Bonav. in Regul. S. Franc. q. 14. Corduba in eandem Regul. cap. 2. q. 21. p. 3. D. Ant. 3. part. tit. 16. cap. 4. Pastorell. super privil Minim. cap. 26. & cap. 39.* Oppositum tamen est nunc tenendum ex dispositione Constitutionis *Urbani VIII.* de qua supra *Par. 1. num. 21. §. 9.* ibi enim prohibentur Superiores *Expulsis concedere litteras testimoniales, illos ad Sedem Apostolicam rejicientes, vel jubentes aliam ingredi Religionem.* Ratio quoque suadet, quia Professus minime vovet Religionem in genere, sed hanc in particulari: ergo vel ad hanc, vel ad nullam tenetur. Nec obstat, quod Professus se adstrinxerit Religioni, nam non transtulit dominium sui, quoad omnem regulam, sed quoad illam solum, quam professus est; ergo licet teneatur se emendare, ut iterum recipiatur, si rejicitur, ad aliam Religionem nequit cogi, quia nemo tenetur crescere, aut Vota sua mutare. Ita *Passer. tom. 3. qu. 189. art. 8. inspect. 5. nu. 635.* qui hanc opinionem reputat antiquatam.

An autem sua sponte Religionem aliam ab ea, a qua fuit expulsus, eligere possit.

85 *Ant. a S. Spir. Direct. Regul. tract. 4. dis. 3. sect. 12. num. 472.* tenet, liberum esse Expulso, *si velit* transire ad aliam Religionem sive arctiorem, sive æqualem, sive laxiorem absque ulla prorsus licentia Superiorum sui Ordinis. Quod probatur, quia Expulsus est exemptus ab obedientia, & observantiis illius Religionis, & potest libere manere in sæculo; ergo a fortiori poterit ad aliam Religionem transire, etiam laxiorem. Probatur, quia quælibet Religio arctior est statu pure Clericali, ut patet; ergo non fit potioris conditionis per talem ingressum, nec majorem consequitur libertatem.

86 Opposita sententia est *Bordon. tom. 4. par. 3. ref. 108. & Passer. loco cit.* dicentium hujusmodi transitum non licere Expulso, inconsulta, & absque licentia Sedis Apostolicæ. Et probatur, quia Pontifex in illo Decreto supra *cit. Par. 1. num. 19. §. 7.* præcipit, ut Ejecti maneant in habitu Clericali, quamdiu non redierint ad propriam Religionem; ergo si Pontifex exeipit solum reditum ad propriam Religionem, firmatur Regula in contrarium, quod semper manere debeant in habitu Clericali, nec possint transire ad alium quemcunque Ordinem. Secundo, quia Ejectus non solvitur a jugo Monastico professionis, licet in aliquibus dispensetur ob incompossibilitatem status Ejectionis cum plena observantia Regulæ; quapropter vel est correctus, & emendatus, & tunc justum est, quod, si non recipitur, potest auxilio litterarum testimonialium, ab Ordinario obtentarum, instare apud *S.* Congregationem, quæ vel transitum ad alium Ordinem permittet, vel coget Religionem, juxta sibi tradita a Gregorio IX. *supra alleg. par. 1. nu. 12.* ad receptionem; quod si *non* est correctus, expelli debet a quacunque Religione, ne bonos Religiosos corrumpat.

87 Ad Quæstionem dico, quod, vel subest spes, quod iterum admittatur Ejectus, si emendatus accedit, & tunc dico, Ejectum nullatenus posse ex propria electione, non requisito Superiorum assensu, aliam ingredi Religionem; & ratio est, quia, etsi Ejectus, tamen adhuc est vere Religiosus, & tenetur emendari, & esse paratum ad regressum, quoties evocabitur; Ordo enim jure suo privari non debet, quin possit Ejectum resipiscentem ad Claustra compellere. Vel *n*ulla subest spes, quod admittatur, etsi correctus, & tunc vel ab ejus Ordine ad eum, quem eligit, sola Superiorum exigitur facultas, & tunc dico talem assensum non requi-

quiri; secus, si talis transitus absque licentia Sedis Apostolicæ præstari nequit. Quod, si sola tunc ad transitum Superiorum licentia suppetat, absque illa subsistat electio novi instituti in data hypotesi. Probatur, quia prior Religio non habet jus omnino in professum Expulsum, ut ipsum, quasi ligatum habeat, ne possit sibi consulere, statum alium Religiosum eligendo, si ad reconciliationem minime admittatur, sed solum habet jus reconciliandi, quamdiu statum non mutavit. Confirmatur, quia lata divortii sententia, si Conjux innocens monitus nolit adulterum admittere ad reconciliationem, potest adulter statum mutare, profitendo in aliqua Religione, ut habet *Sanct. lib. 10. de matrimon. disp. 10. num. 16.* ergo a pari, si Superior Ordinis renuat recipere Expulsum, & emendatum, poterit, illo invito, aliam ingredi Religionem, eo quia voluntas refragans ingressui hujusmodi, nec volens admittere, sit irrationabilis. Nec huic positioni obstat dispositio Decreti supra citati a *Passerino* quia ut bene advertit *Bonac. de consf. in par. disp. 29. 9. par. 1. num. 5.* Verisimile non est, Summum Pontificem voluisse Ejecto occludere viam ad perfectiorem statum, sed statuit habitum Clericalem, ne cursitarent eum habitu Religionis. Respondet *Passerinus loc. cit.*, quod aperta est via Ejecto ad statum perfectionis absque ingressu alterius Ordinis, cum possit se emendare, & sic ad Ordinem suum redire, qui illum recipere cogitur. Verum cum Ordo non teneatur recipere Ejectum, nisi correctum, & evidenter emendatum, nec vere emendatus censeatur, qui non delinquit, sed qui in emendatione vitæ perseverat, ut dictum est *quæst. 10. hujus 3. Par. n. 73.* quod quidem nonnisi spatio duorum, aut trium annorum probatur; ne ergo tali tempore cogatur fluctibus tempestosis jactari, nec rationabiliter cogi possit Religio ad illius susceptionem, poterit ad alium Ordinem migrare. Hoc autem dicitur, ubi inter Ordinem dimittentem, & suscipientem facultas Apostolica non expectatur, nam tunc, Sede Sancta non interpellata, nequit Expulsus sic transire; Ratio est, quia Minorita V. G. de quo extat hujusmodi dispositio, quoad alias Religiones, dempto Charthusianorum Instituto, licet Expulsus, non cessat esse Minorita ergo si degens intra Claustra, nequit absque tali indulto transire, ergo neque in statu ejectionis; nam per ejectionem jure suo Ecclesia non privatur, nec Expulsus majorem libertatem consequitur præter eam, quæ incompossibilis cum illius statu existit.

88 Objicies, ex dispositione citati Decreti interdicitur Prælatis Ordinum, Ejectos cogere aliam ingredi Religionem: ergo mens Pontificis est, eos, prout ordinavit, incedere debere in habitu Clericali, donec revertantur; Respondemr quod ibi solum præcipitur, ne Superiores Regulares cogant Ejectos vovere in alia Religione, eo quia vota Religionis, si coacta, non ligant, non autem prohibet, ut ad aliam non transeant.

89 Quæres, an Ejectus, cui emendato negatur regressus, ingredi possit Ordinem priori laxiorem? Et videtur affirmative dicendum; siquidem, cum sit liberum in tali casu Expulso perpetuo vivere in sæculo, quemcunque Ordinem eligat, censetur semper ad strictius Institutum migrare comparative ad statum Clericalem, in quo degit: adhuc tamen censeo negativam partem esse amplectendam, ob rationem superius allatam, eo quia Prælatis Regularibus non datur facultas, teste *Passerino loc. cit. num. 636.* licentiandi suos Subditos ad alios quoscunque Ordines; sed tantum ad arctiores; ergo si Ejectus, dum intra Claustra degebat ex facultate Superiorum, solum ad arctiorem Ordinem poterat transferri, ita & dum Expulsus sibi ipsi relinquitur, nonnisi ad strictiorem Ordinem poterit transire, in casu denegatæ facultatis transeundi ad alium Ordinem, vel admissionis ad pristinum; eo quia talis negatio est undequaque irrationabilis. Ratio hujus limitationis est, ne deterioris conditionis sit intra Claustra degens, quam Expulsus.

90 Quæres secundo, an maneat in Religione facultas revocandi Ejectum suum, si ad aliam Religionem transivit? Respondeo, si non impetrata a Superioribus facultate, migravit, nec in secundo Ordine professus est, revocari potest, etenim tempore Novitiatus, ut verus Religiosus prioris Ordinis, & quoad revocationem subjectus Prælatis illius consideratur, eo quia talis transitus, ideo permissus ex suppositione, quod prior Religio nollet admittere resipiscentem. Quod si ad secundum Ordinem, vel obtenta facultate a suis Superioribus, *si ea potuit sufficere*, vel subsidio facultatis impetratæ a S. Sede transivit, amplius revocari non potest, etsi Novitius, quia talis transitus fuit legitimus. Quod si ex fundamento irrationabiliter denegatæ licentiæ, alterum Institutum amplexus, in eo professionem emisit, non potest revocari, quia res jam non est integra, & desiit esse Religiosus prioris, & posteriori obligatur per professionem illam validam; sicut de Conjuge adultero, qui post divortii sententiam, renuente innocente reconciliationem, transiit ad Religionem, a qua revocari potest si nondum professus est, secus si se Ordini per Vota constrinxit, ut late probat *Sanch. lib. 10. de matrim. disp. 10. num. 16.*

QUÆSTIO XIV.

An qui primo voverat Religionem, deinde expellitur ab ea, in qua professus fuerat, teneatur quærere aliam.

SUMMARIUM.

91 *Quomodo intelligenda est Quæstio.*
62 *Fundamenta eorum, qui tenent, ipsum debere adire aliam Religionem, & illam amplecti, ex eo quod in eo perseveret Votum simplex Religionis, afferuntur.*
Refellitur præfata opinio cum suis fundamentis.
93 *Obligatio semel extincta, non resurgit, nisi replicetur.*
Omnia Vota personalia cessant, solemni professione Religionis emissa.
In Votum solemne professionis commutantur Vota simplicia.
Monachus Ejectus non cessat esse Monachus, licet ab aliis sejunctus.
94 *Qui generice Religionem vovit, perfecte implet quocunque instituto Regulari suscepto.*
Extinguitur Votum, quoties causa illud suspendendi evadit perpetua.

Quæ-

91 QUæstio est de eo, qui Voto simplici se constrinxerat ad electionem status Religiosi, deinde consideratis Ordinibus, Minores amplexus, & apud eosdem professus dimittitur; an teneatur ex vi Voti simplicis ad alium Ordinem transire, si enim facti jam sui pœnitentem, Religio prior recuset admittere?

92 Quorundam opinio est, quibus videtur adhærere *Sot. lib. 3. de just. quæst. 2. num. 1. ad 3.* eum teneri aliam Religionem adire, eamque amplecti, eo quod ante professionem emissam, erat adstrictus simplici Voto Religionem absolute capessendi. Probatur secundo, quia Votum illud non fuit de speciali Instituto, sed de Religione in genere, præscindendo ab hoc, vel illo: ergo poterat impleri per ingressum in hoc, vel illud: cum ergo in hoc jam nequeat esse, alterum invenire cogitur. Tertio, quia sicut qui post simplex Castitatis Votum, ad matrimonium transiret, quod postea morte Conjugis solveretur, deberet omnino Castitatem servare; & pari ratione Religiosus ad Episcopatum evectus, si se eo munere abdicaret, jure cogeretur ad Religionem, unde assumptus, & electus ad dignitatem fuerat, reverti: ergo etiam Religiosus ejectus Votum Religionis, quod ante professionem emiserat, debet exolvere.

93 Hæc autem opinio falsum assumit, manere scilicet in legitime Professo Vota prius emissa; unde pro parte opposita arguitur: Obligatio semel extincta non resurgit, nisi renovetur, ut dicitur communiter in materia Votorum, de quibus fuit obtenta absoluta dispensatio, aut commutatio; sed Votum simplex Religionis per solemne in aliquo Religiosorum Ordine emissum, plane extinguitur: ergo nunquam reviviscit. Major est manifesta, & probatur ex *l. cum ex causa C. de remissione pignoris*, ubi habetur: *Obligatio semel extincta instaurari non potest.* Item: *Mortua non reviviscunt per alteram.* Minor suadetur, quoniam omnia Vota personalia finiuntur, & cessant, solemni Professione Religionis emissa, quoniam in ipsum Religionis Votum perpetuum communi jure commutantur, ut habetur *ex cap. Scripturæ, de voto, & voti redemptione.* Nec præstat dicere, Vota ante professionem emissa, per eam non extingui, sed sopiri, & ad tempus suspendi, alioquin, ut bene probat *Azor. lib. 15. Instit. moral. cap. 16. qu. 5.* in Monacho professo, & extra Monasterium ejecto, omnia Vota non solum personalia, sed etiam realia reviviscerent, quod tamen ab omnibus negatur. Deinde, ut probatum est *q. 5. hujus 3. Part.* Monachus ejectus adhuc est vere Religiosus, & professionis suæ vinculo ligatus, & ob hoc adstrictus jure professionis ad resipiscendum, & se emendandum, ut iterum, quantum ad se pertinet, possit admitti; sed pro tempore Claustri, utpote quia Monachus, non tenebatur ad Vota ante professionem edita, eo quia per professionem sopita, ut concedit opposita sententia: ergo neque post ejectionem constringetur ad illa, eo quia Monachatus remanet in Expulso invariatus, nec cessat esse Religiosus, esto ab aliis sejunctus.

94 Hinc ad prima duo argumenta, quæ redeunt in idem, negatur, Ejectum Voti vinculo, ante professionem emisso, teneri, quocunque modo Religionem generice voverit; sed illud fuisse perfecto modo impletum per solemnem Professionem, qua extante, non est, cur resurgat, etsi fuisset in professione tantummodo sopitum, ac suspensum, quod tamen est falsum, cum fuerit destructum, seu verius commutatum in solemne, & uno verbo dicam, sit redditum, quod erat promissum. Ad tertium, concesso antecedente, quantum ad id, quod a simili arguitur de eo, qui post Votum simplex Castitatis matrimonio copulatur, quod ille, inquam, mortua Conjuge, ad Castitatem teneatur, eo quia tale Votum per matrimonium non fuit extinctum, sed sopitum ob incompossibilitatem conjugii exercendi cum Castitate, quare, soluto vinculo matrimonii per mortem alterius, reviviscit obligatio: in casu vero, Votum illud per professionem fuit omnino extinctum, aut impletum: quod si neutrum dici potest, sed solum sopitum, adhuc non constringet Expulsum, eo quia in eo perpetuo durat causa, ob quam sopitur, puta professio, a qua per ejectionem non absolvitur, eo quod Superior nequeat de Monacho non Monachum facere. Quod autem affirmatur de Episcopo, qui a se Episcopatum abdicavit, quod teneatur ad Claustra redire, dicemus infra.

QUÆSTIO XV.

Expulsus ab uno Ordine, & ad alium translatus, an si a secundo eijciatur, possit recipi in priori.

SUMMARIUM.

95 *Invalide professus in posteriori Ordine, si ab eo dimittitur, sicut & si tempore Novitiatus ejiciatur, tenetur tentare regressum ad primum.*

96 *Expulsus, post utramque professionem legitimam, neque recipi potest a priori Ordine, nec ad illum tenetur redire.*

Si posterior Ordo supprimitur, licite manet in sæculo.

Per professionem in secundo Ordine fit liberatio a primi jugo.

97 *Superiores Ordinis nequeunt facere de Monacho non Monachum.*

Status Religiosus generice consideratus, solum tria Vota essentialia includit; sed specifice inspectus, alias obligationes, velut cujusque Instituti differentias, involvit.

Dispensatus simpliciter ad Matrimonium, cessat se toto esse Religiosus.

Diversæ obligationes additæ tribus Votis, diverse constituunt Instituta.

Status Monachatus solum generice sumptus, dicitur invariabilis.

Dispensare in Votis essentialibus Religionis, soli Pontifici reservatur.

Status Religionis generice sumptus, integer in omni Instituto perseverat.

Expulsus a posteriori Ordine, manet Religiosus posterioris, non prioris Instituti.

95 NON est hic sermo de Expulso a secundo Ordine tempore Novitiatus illius, neque de invalide Professo in eodem; nam de istis certum est, eos teneri se emendare, & tentare regressum in priorem Ordinem, posseque ad illum admitti, eo quia hujusmodi Religiosi nunquam cessarint esse Religiosi

ligiosi illius Ordinis, nam sola professio in alio Ordine eonali titulo spoliat. Quæstio ergo est de Expulso, post utramque professionem legitime factam, an possit recipi, vel repeti a priori Ordine? Vnde sit Conclusio.

96 Expulsus V. G. ab Ordine Minorum, vel translatus ab eo ad alium Ordinem, eo quia idem sit sermo de utroque discessu, si post secundam professionem expellitur, aut Ordo ad quem transiit, destruitur, nec prior Ordo illum potest repetere, nec ille tenetur redire: sed si Expulsus, cogitur emendari, ut regressum obtineat; vel si Ordo depressus, potest manere in sæculo in Clericali habitu, vel ubi Pontifex in Bulla suppressionis jusserit. Ratio est unica ad omnia supradicta, quia per professionem in secundo Ordine, a jugo prioris Religionis fuit omnino liberatus; hinc cessat primi Ordinis in eum jurisdictio, & in Expulso, vel translato respectu ejusdem Religionis subjectio. Ita *Sanch. lib. 6. mor. cap. 7. num. 87. Suarez tom. 8. tract. 8. lib. 3. cap. 5. num. 21. Bordon. de profes. cap. 2. quæst. 72. Bonac. de Clau. qu. 2. p. 9. §. 4. diff. 1. num. 1. & 3. Palaus tract. 16. d. 4. par. 17. Barbos. ad cap. licet num. 28. de Regul. Butigl. de succes. cap. 2. Olliver. 77. num. 14. Rota in Romana de Millinis 14. Januarij 1658. Tambur. tom. 3. d. 8. qu. 8. nu. 14. ex Passerino de Hom. stat. qu. 189. tom. 3. art. 8. insp. 5. nu. 636.* Qui tamen non consequenter loquitur, oam superius *sub num. 622., & 623.* ratione, & aothoritate conatus est probare, Vota non solum essentialia, sed & specialia cuique Ordini, comitari translatum ad alium Ordinem, & ad illa teneri etiam post professionem *in* illo; ex eo enim fundamento nunquam Professus in secundo Ordine, cessaret esse Religiosus prioris Instituti, quod tamen hic negat, imo appellat hujusmodi translatos, *a jugo prioris Religionis omnino liberatos.*

97 Dices, Monachatus est in omnium sententia invariabilis, juxta superius dicta *quæst. 6. par. 3.* oam Superiores Ordinis nequeunt facere de Monacho non Monachum, ut dictum est: ergo Expulsus a secundo Ordine æque manet Religiosus secundi, sicut prioris Instituti: ergo emendatus æque poterit ad hoc, vel illud redire. Respondetur, quod status Religiosus considerari potest in se, & quodammodo generice; vel specifice. Primo modo continet in se præcise tria Vota essentialia, scilicet Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam, quæ quidem dicuntur essentialia, quia sublato per dispensationem totalem uno, vel altero istorum, Religio non subsistit, sicut ablato corpore tollitur Homo. Hinc dicitur a *Bordon. tom. 4. par. 3. resol. 115. n. 66. & Sanch. lib. 8. disp. 8. num. 11. & 12.* quod dispensatus ad matrimonium contrahendum, ab eo puncto, quo habitum deponit, absolvitur a quibuscunque oneribus., & Votis Religiosis, quia destructo principali, destruuntur etiam accessoria; ita quod ad nihil amplius tenetur ratione status Religiosi. Ratio est, quia per dipensationem de Monacho factus fuit Secularis, cum destructione status Religiosi, ita ut deinceps non sit amplius Religiosus, ita *Sanchez.* Sed limitatur a *Bordono*, ait enim, dicta procedere quando fuit simpliciter dispensatus sine aliqua limitatione onius, vel alterius matrimonij: de illo enim sic dispensato, inquit, quod mortua Uxore, oon tenetur redire ad Monasterium, quia non est amplius Religiosus, neque in eo reviviscere potest Professio, & status Religiosos, quia in eo fuit simpliciter ille status extinctus, & destructus, non autem suspensus, quia directe opponuntur, Religiosus status, & matrimonium carnale; & firmatur etiam a *Sanica quæst. 6. de Voto num. 125. & Angl. in flor. par. 2. de Voto:* status vero Religionis specifice sumptus accipitur, ut comprehendit alia Vota, & obligationes, quæ accessorie junguntur ad statum essentialem Religionis in se; & se habent veluti differentiæ additæ generi: hinc sequitur, quod sicuti Generi addita differentia, constituitur species, quæ non omnino secernitur a ratione generica, se dillam includit eo modo, quo Homo, non solum rationalitatem, quæ est ejus differentia specifica, per quam a cæteris animalibus secernitur, sed etiam animalitatem, per quam cum cæteris convenit, dicitur comprehendere; ita obligationes illæ, veluti differentiæ specificæ, additæ statui generico Religionis, in se consideratæ, constituunt Religionem in specie: & sicut pro diversitate differentiarum cum eadem ratione generica diversa consurgit species; ita diversa Vota, & obligationes regulares, additæ rationi genericæ Religionis in se, diversa faciunt consurgere Instituta. Quapropter cum dicitur Monachatum esse in omnium sententia invariabilem, verum est de Monachato generice sumpto, scilicet de statu Religionis in se spectato, nam ut sic, sola tria Vota essentialia includit, de quibus, & nos supra diximus ex *cap. cum ad Monasterium 6. de statu Monachor.* comitari personam; & ut verbis utar *Textus, Annexa officibus professi*; Hæc enim Vota invariata manent, & comitantur Monachum; quocunque pergat; & hæc sunt, de quibus dictum est, posse suspendi, quantum ad aliquam executionem, oon vero dispensari omnino, quin destruator status Religiosus, quod quidem Summo Pontifici reservatur, & quidem nonnisi existente causa communis boni, ut optime probat *Sanch. lib. 8. disp. 8. a num. 7.* Et ob id dicitur de Superioribus Ordinis, quod de Monacho nequeant facere non Monachum, quod utique foret, si in hujusmodi Votis possent dispensare. Hic ergo status religiosus eo modo, quo de ratione generica dicitur conservari integre in qualibet specie, ita ipse in omni Instituto Regolari integer perseverat. Si ergo ab uno ad alium Ordinem fit translatio, hoc non fit per commutationem Votorum essentialium, in quibus consistit ratio generica Religionis, sed aliorum Votorum, vel obligationum proprij instituti, in quibus consistit ratio specifica illius, ipsum a cæteris Institutis discernens, & ab istis dicitur de translato, quod per Professionem absolvator, dum in secundo Ordine profitetur. Vnde sequitur, quod sicut Professus in secundo Ordine dici non poterat utriusque Instituti Monachus, eo quia per legitimam professionem in secundo, fuit a jugo Monasticæ disciplinæ prioris Instituti specifice sumpti absolutus; ita & postquam a secondo expellitur, manet Religiosus posterioris, non autem prioris Ordinis, & ad secundum cogitur per emendationem tentare regressum, non autem ad priorem, ac si in eo minime vovisset,

QVÆ-

QUÆSTIO XVI.

An Reversus debeat iterum vovere, ac si rediret a Sæculo.

SUMMARIUM.

98 *Dispensatus a Votis, si ad Ordinem revertitur, potest cogi ad renovitiandum.*
Moralia magis in individuo spectanda sunt, quam ex sola rerum conditione.
Variæ opiniones, de obligatione profitendi in Ejecto reverso, proferuntur; opinio negans anteponitur.
99 *Limitatur assertum, nisi fuisset, post primam Ejectionem, in alio Ordine professus.*
Professio in secundo Ordine fit ad contrahendas obligationes speciales Instituti.
100 *Qui cogitur reprofiteri, etiam renovitiare debet.*
Translatus ad dignitatem Episcopalem, si sponte cedens illi, revertitur ad Ordinem, reprofiteri non debet.
101 *Translatus ad alium Ordinem, nec in eo professus, nec renovitiare, nec reprofiteri debet, dum revertitur.*

§ 98 QUod teneatur renovitiare, est in potestate Religionis, ut inquit *Bordon. tom. 4. p. 3. resol. 115. num. 64.* loquendo de iis, qui dispensati a jugo Monasticæ Regulæ, ad dignitatem Ecclesiasticam sunt assumpti, ut probet, quales sunt ejus mores extra Ordinem acquisiti; diuturnitas enim temporis mutat mores, prout innuit *Textus L. si non autem libertus ff. de cond. indeb.*, & moralia magis in individuo spectanda sunt, quam ex sola rerum conditione, ita *Baldus in cap. cum accessissent, de const.* Sed quoad novam professionem emittendam ab eo, qui Ejectus a sua Religione, ad eam revertitur, duplex de hoc profertur a *Roderic. tom. 1. quæst. 3. art. 29* opinio, prima inquit non teneri, ex quo enim essentia status Religiosi consistat in tribus Votis essentialibus, a quibus Ejectus non fuit absolutus, ut constat ex dictis superius, videtur dicendum, quod non teneatur in ea iterum profiteri. Secunda ex opposito contendit, professionem esse renovandam: quod probat, nam Religiosus ad aliam se conferens Religionem, tenetur in ea iterum profiteri, non obstante, quod ea Religio eadem Vota essentialia habeat, sicut prima, & hoc propter distinctas asperitates, quas habeat secunda Religio: ergo videtur asserendum, quod licet prædictus Ejectus, non fuerit a prædictis tribus Votis essentialibus absolutus, si vult redire ad suum primævum Ordinem, debeat in eo iterum profiteri, propter præcepta suæ Religionis, a quibus per Ejectionem, secundum communem, fuit liberatus; quorum obligatio, nisi per novum consensum minime reviviscere posse videtur.

99 Ad Quæstionem ergo cum distinctione procedo; vel enim reversus, tempore Ejectionis, professus est legitime in alio Ordine; vel mansit in statu Clericali, sub Episcopi jurisdictione usque ad regressum; vel si in alio Ordine fuit admissus, ibi tamen non est professus. Primo modo revertens tenetur in priori Ordine reprofiteri, ac si in eo minime vovisset; Ratio est, quia Professio non est præcise ad contrahendam obligationem Votorum essentialium Religionis in se spectatæ, alias de uno ad alium Ordinem transiens, non deberet in secundo profiteri, eo quia Vota essentialia Religionis in se emissa in priori Ordine, illum comitantur in secundo, quod tamen est novum apud omnes Doctores, & contra Praxim universalem Institutorum; sed fit etiam ad contrahendam obligationem aliorum Votorum, & obligationum, quæ sunt conjunctæ cum statu illius Instituti, quod in particulari complectitur. Sed Professus in secundo Ordine per talem Professionem absolvitur, ut supra probatum est, ab obligationibus specialibus prioris Instituti: ergo ad idem reversus post Professionem in alia Religione, tenebitur de novo per Professionem subjici jugo prioris Instituti, ad quod revertitur.

100 Quod si sic revertentem adstringimus ad reprofitendum, etiam ad renovitiandum teneri dicimus, ita *Rodericus loco cit.* Et probatur, cum in omni Religione minime sit permissum, ante annum probationis completum, integrum, & continuatum, professionem emittere juxta Decretum *Concil. Trid. sess. 25. de Reg. cap. 15.* Nec obstat, quod a *Bordono* adducitur de renovitiatione, quam tradit Superiorum arbitrio; nam ibi loquitur de regressu ad Religionem ejus, qui fuit ad dignitatem translatus, dato, quod a se talem dignitatem abdicaret, qui utique cessarit esse Religiosus illius Ordinis, a quo assumptus est, & per consequens nova tunc indigeat in reditu professione: hinc renovitiationem non prohibet ad comprobationem morum, ne forte a proposito Religionis redeat alienus, illam vero non consulit, nisi depositus redierit: sed de hoc infra, ubi agemus, an qui fuit depositus, vel sic sponte cessit Dignitati, ad reditum teneatur.

101 Quod, si reversus, in alio professus non est Ordine, tunc in regressu, nec ad renovitiationem, nec ad novam professionem cogitur; non ad renovitiandum, cum ad experimentum morum suppleat spes evidens emendationis; nec ad reprofitendum, ratio est, quia a jugo proprii Instituti nunquam fuit absolutus, sed ejus obligatio ad tempus, quo ille extra Religionem mansit, fuit quoad aliqua suspensa. Et ideo hanc partem tenet cum *Sanch. lib. 6. Decal. cap. 9. qu. 3. num. 3. Roderic. loco cit*, & eandem tenentur sequi omnes Doctores, quos *qu. 6. hujus 3. Par.* retulimus, dicentes Ejectum a professione priori non absolvi: quare ex dictis negatur, in Expulso cessare obligationem proprii Instituti, ut contendebat secunda opinio, sed tantum fuit suspensa ad tempus ob incompossibilitatem aliquorum præceptorum cum statu Ejecti, ideoque per regressum absque novo consensu, ea quæ erant sopita, potuerunt reviviscere.

QUÆSTIO XVII.

An expulsus gaudeat Privilegiis Ordinis.

SUMMARIUM.

102 *Ordinis privilegia in duplici differentia.*
103 *Dempto privilegio Canonis, cæteris spoliatur expulsus.*
Expulsus tenetur, donec redeat, in habitu Clericali

ricali incedere.

Expulsus, si delinquit, debet ab Ordinario puniri.

104 *In redeunte ad Ordinem, redeunt privilegia.*

Privilegia Ordinis verius sunt realia, quam personalia.

Qui non sentit onus, nec gaudet emolumentis.

Ejectus voce passiva, aut activa in negotiis Religionis, Officii, Filiationis Conventus privatur.

Supra recensitis spoliantur quoque translati ad Sæculare beneficium.

102 RESpondeo, quod Ordinis privilegia in duplici differentia, quantum ad præsens spectat, considerantur; alia enim respiciunt bonum spirituale Animæ, puta, Indulgentiæ; alia respiciunt Personam, puta, privilegium Canonis, jus in electionibus, filiatio Conventus &c.

103 Sit ergo Coneluflo. Dempto privilegio Canonis, cæteris spoliatur Expulsus. Primum probatur, quia ex dispositione Decreti, Expulsus incedere debet in habitu Clericali, & jurisdictioni Episcopi subest, donec redeat; ergo si delinquit, debet ab Episcopo sui Domicilii puniri, non vero a Judice Laico, neque Prælato Regulari, nisi in his, quæ supra diximus de prædicatione, illi interdicta, cum in reliquis non tam a jurisdictione laica, quam a Prælato Regulari sit exemptus, ita *Ant. a S. Spir. Direct. Regul. tract. 4. disp. 3. sect. 12. §. 6. nu. 490*, cum *Peliz. tract.* 8. *cap.* 8. *num.* 39.

104 Probatur secundum, translati ad dignitatem Ecclesiasticam, non amplius gaudent privilegiis suæ Religionis, sed in ipsis suspenduntur; unde, si redeant sub obedientia Prælatorum Regularium, in illis reviviscunt privilegia, Prælatis annuentibus; ergo a fortiori eeflare debent hujusmodi privilegia in Ejecto. Antecedens probatur ex *Textu Cap. Nepro. 7. 16. qu. 1. Cap. si quis 3. 21. quæst. 1. Glos. pen. cap. Generali 40. 16. qu. 1. Glos. V. Cessaverit cap. fin. 25. qu. 2.* Ratio est, quia privilegia, Religiosis concessa, dicuntur realia, hoc est ipsius Religionis, & spectantia ad statum Religiosum, qui coalescit ex unione eorum, quibus componitur Religiosa communitas, & non consequuntur personam, nisi intra limites concessionis. Confirmatur, quia sicut in illis suspenduntur onera Religionis, ita & privilegia; æquum enim est, ut qui non sentit onus subjectionis, neque gaudeat emolumentis, quæ propter onus conferuntur, *arg. Reg. 55. in 6.* Quapropter vocem activam, neque passivam in negotiis Religionis, aut Conventus habere possunt; neque aliquod Regimen, aut Officium, *Roderic. tom. 2. quæst. 58. art. 4. cum suo Compend. resol. 60. num. 5. Sanch. lib. 6. cap. 6. num. 33. Portell. V. Episcopus num. 15. Lauret. in controv. inter Episcop. & Regul. qu. 116. ex Bordono tom. 4. par. 3. res. 115. num. 98.* Non amplius gaudent filiatione Conventus ex *Glos. fin. cap. statutum 18. qu. 1. Navar. consil. 9. de testam. Aphor. Episc. V. Monachus num. 4.* sed neque Indulgentiis, ut habet *Rodriq. in addit. ad Summam V. Episcop. cap. 68. conclus.* 10. Sed nimis rigide, ut addit *Bordonus* loco cit. De Ejectis vero absolute negat *Antonius a Sancto Spiritu cum Pelizario loco cit.*, ergo a fortiori privari debebunt omnibus aliis Privilegiis, quibus spoliantur translati. Non enim rationi, ac æquitati consonum est, quod translati ad Dignitatem Ecclesiasticam non gaudeant, etsi per eos honoretur Ordo, eo quia non sub uno cum cæteris Religiosis habitant tecto, nec Prælatorum Regularium directioni subjiciuntur, & præfata Privilegia comitentur eos, qui ne cæteros inficiant, projeciuntur extra Claustra.

QUÆSTIO XVIII.

An Expulsus possit esse Apostata per dimissionem habitus Clericalis.

SUMMARIUM.

105 *Probibitio Clericis, & Monachis de non dimittendo habitu Religioso.*

106 *Fundamentum sententiæ, tenentis partem affirmativam.*

107 *Reijcitur prædicta opinio ex eodem capite, quo fuit probata.*

Habitus Regularis indicat professionem, & Institutum.

Signatur animus deserendi Religionem, dum quis eo se spoliat.

108 *Habitus Clericalis subrogatus ob decentiam status Religiosi, non in signum sui Instituti.*

Motivum Decretalis illius fuit ad tollendas vagationes Regularium.

109 *Ejectus nequit dici Apostata, dum habitum Clericalem dimittit.*

Ejectus non insignitus Ordine Sacro, potest uti habitu Laico, ad victum sibi comparandum.

Deponens habitum Clericalem, animo nunquam reassumendi habitum, neque Clericalem, neque Regularem, si sit in Sacris, est vere Apostata.

105 RESpondeo, quod hæc dubitatio ortum habet *ex cap. Ut periculosa, Ne Clerici vel Monachi*, quo sub pœna Excommunicationis interdicitur habitus religiosi dimissio. Dubitatur, inquam, an Expulsus, qui ex Decreto Pontificis in habitu Clericali incedere cogitur, incidat in præfatam Excommunicationem, si illum dimittat?

106 Affirmativam partem tenent *Pasqual. ad Franch. num.* 108. *Donat. in prax. tract. 8. qu. 42.*, & *Morant. p. 3. controvers. respons. 58. num.* 3. quam probant, quia habitus Clericalis substituitur a Pontifice in Expulso pro habitu Regulari, quo per sententiam ejectionis juste spoliatur: ergo eadem obligatione tenetur extra Claustra degens ad gestandum habitum Clericalem, quam intra Claustra ad incedendum in habitu Regulari; sed temere dimittens habitum Regularem, *ex eo capite, ut periculosa* excommunicatur: ergo & id dicendum, si habitum Clericalem deponit.

107 Verum oppositum esse dicendum censeo; *ex cit. cap. ut periculosa*, non excommunicatur, nisi qui temere habitum suæ Religionis dimittit; sed Ejectus non dimittit temere talem habitum, sed spoliatur illo per sententiam. Habitus vero Clericalis non est habitus Religiosus, & Claustralis; ergo per dimissionem illius non dicetur quis habitum suæ Religionis dimisisse. Confirmatur, quia habitus regularis est signum propriæ Professionis, & Instituti, ex quo fit, quod se expoliantem censura Apostolica percutit, quia indicat animum recedentem a proposito, & sponsione, qua se Deo devovit; sed habi-

tus

tus Clericalis, sicut specialem Professionem alicujus Regularis Instituti non signat, ita neque se expoliantem, veluti rebellem Votis suis manifestat; ergo illa dimissio anathemate non plectitur.

108 Hinc ad argumentum dicitur, quod habitus Clericalis sub rogatur, ut habet *Passer. tom. 3. qu. 189. num. 677.* propter decentiam, non vero, ut sit signum externum suæ Religionis; ideoque non eodem vinculo præcipitur, ac eadem censura punitur dimissio, sicuti præcipitur gestatio, & perenitur dimissio habitus Religiosi, degentis in Claustris. Accedit, quod finis illius Decretalis est auferre occasionem vagandi secrete Religiosis; sed Ejectus, & in habitu Clericali incedens, potest ire quocunque vult.

109 An autem dici possit Apostata, qui sic habitum Clericalem deponit? Respondet *Pasqualigus loco cit.* negative, quia, cum jam vivat extra Claustra, non deponit habitum Clericalem, animo laicaliter vivendi, idest vivendi extra Claustra, quod est de ratione Apostasiæ. Verum cum sit sermo de Ejecto, & in Sacris constituto, de quo extat speciale mandatum de delatione habitus Clericalis (nam de aliis diximus superius, ita strictam non esse obligationem incedendi in habitu Clericali, quin ob necessitatem sibi comparandi opere mecanico victum, possint habitu laicali uti) de illis, inquam, cum distinctione proceditur, vel enim deponens habitum Clericalem, illum deponit ad tempus, ut scilicet operi alicui, vel itineri vacet, animo illum reassumendi, & sic nequit dici Apostata; vel illum dimittit, animo non reassumendi habitum, neque Regularem, neque Clericalem, sed vivendi laicaliter, excusso penitus jugo obedientiæ, more Sæcularium, talis enim a *Passerino loco cit.* censetur vere Apostata, eo quia Ejectus habet obligationem corrigendi mores suos, vivendi religiose in habitu Clericali, imo & in habitu religioso, si revocetur ad Claustra, idcirco deponens, eo animo perpetuandi in rebellione a statu Clericali, & Regulari, vere est Apostata.

QUÆSTIO XIX.

An Reversus recuperet Antianitatem, Præeminentias, & Gradus, quibus fruebatur ante ejectionem.

SUMMARIUM.

110 *Sententia de necessitate reprofitendi, ad recuperandam Antianitatem in Ejecto reverso, reijcitur.*
Professio dat jus ad præcedentiam, ab illo die, quo emittitur.
Apud Minores attenditur habitus sumptio.
111 *Opinio Minuelis pro recuperatione Antianitatis reijcitur, quoad probationem.*
112 *Sententia Passerini, dans Ejectis jus primum ad Lectoratum, Doctoratum, Magisterium, dum revertuntur, refellitur.*
Superior Regularis delet in Ejecto maculam infamiæ, dum revertitur, quam nequit Episcopus, dum Ejectus sub ejus jurisdictione degit.
203 *Jus præcedentiæ in Ejecto suspensum, non debet statim, ac redit, restitui.*
– *Obedientia, præstita ab Ejecto ipsi Diœcesano, limitatur a jure.*
114 *Ejectus subditur Episcopo, tanquam Judici, & Prælato in spiritualibus, non tamen tanquam Patri.*
Reversus subditur quocunque modo Prælato Religionis.

110 RESpondeo, quod *Navar. consil. 80. de Regul.* putat, necesse esse in reverso ad Ordinem reprofiteri, ad hoc, ut recuperare possit antiquum locum, & præeminentias. Verum hæc opinio reijcitur a *Rodr. tom. 1. q. 30. art. 29. Sanch. lib. 6. cap. 9. num. 33. Donat. par. 2. tract. 8. qu. 17. Faust. lib. 6. Thesaur. quæst. 231. Tambur. tom. 3. d. 8. num. 5. Palao tract. 16. d. 4. par. 21. num. 2. Pasqual. num. 1018. ex Passer. de Hom. stat. tom. 3. qu. 189. art. 8. num. 660.*, & probatur, quia Professio dat jus ad præcedentiam, ab illo die, quo fit: ergo per eam non potest recuperare antiquum locum; ita *Bordon tom. 4. par. 3. resol. 108. num. 24.* Sed apud Minores Professionis tempus non consideratur ad Antianitatem, sed habitus religiosi assumptio, firmatur tamen tale jus per Professionem subsequentem; quare, si primo dimittitur, secundo revertitur, & deinceps profitetur, a reditu computatur Antianitas. Aliter ergo reijcitur a *Sanch.* a opinio *Navarri*. Ejectus a priori Professione non absolvitur; sed ejus obligatio ad tempus, quo hic manet extra Claustra, suspenditur quoad aliqua: ergo Reversus non tenetur profiteri, ut recuperet Antianitatem.

111 Aliter probat *Minuel. qu. Regul. tom. 1. qu. 30. art. 20.* Reversos ad Religionem minime restituendos esse ad eum locum, & gradum, in quibus ante repulsum erant, eo quia denuo se subijciunt potestati ejus, a quo per repulsum liberi erant. Sed neque hæc ratio probat intentum, quia, ut habet *Sanchez loco cit.* ea obligatio non erat extincta, sed tantum suspensa, donec ad Religionem redirent, manente firma priori Professione.

112 *Passer. tom. 3 q. 189. art. 8. inspect. 6. n. 660.* tenet, quod, præscindendo a Statutis particularibus Religionum, de jure communi tenendum est, si loquamur de prærogativis personalibus, ut sunt Antianitas, Lectoratus, Doctoratus, Magisterium, & hujusmodi; Nisi per sententiam, & culpas suas, Ejectus fuerit hujusmodi prærogativis specialiter privatus, cum alias tales prærogativæ de se sint perpetuæ, nulla est ratio, unde Ejectus illis dicatur privatus, unde, dum redeat, debeat illas amittere. Et licet hujusmodi prærogativæ, tempore ejectionis, sint veluti suspensæ, cessat suspensio, dum Ejectus redit, qui illas recuperat; ita ille, citans etiam *Pasqualigum ad Franch. num. 1019.* Sed neque id est undequaque verum, nam & ex sententia Auctoris supra recensita, *quæst. 5. hujus 3. Part.* Ejectus evadit ob infamiam irregularis, suspensus ab exercitio Ordinum, prohibitus concionari, docere, testari in judicio, & licet a suspensione liberetur, dum redit; ab irregularitate tamen contracta propter infamiam, ait *loco cit. inspect. 5. nu. 644.* quod licet Episcopus non possit liberare Ejectum, ut numero antecedenti ostenderat, illum tamen liberare potest Superior Regularis ex concessione *Pij V.* Monachis *Cassin. constit. sua 29.* Si ergo indigeat dispensari ab irregularitate in reditu suo, ut ministret, ut tollatur ab eo infamia, debet per Superiores Privilegiorum usu habilitari: quomodo ergo stabit, quod ex vi reditus restituatur ad omnia, puta, ad Antianitatem, ad

Gra-

Gradus, Præeminentias, Dignitates, ac si de prælio Hereticorum revertentem Religio susciperet?

113 Dico ergo cum *Roder. Palao loc. cit. Suarez. tom. 4. tract. 8. lib. 3. cap. 5. num. 17 Bord. loco cit. & Dugat. de Eject. quæst. 27. num. 3.*, quod, licet non amiserit, seu extincta fuerit ejus professio, quæ dat jus ad præcedentiam; extinctum tamen fuit jus ad eam, aut saltem mortificatum, ita quod non tam cito restituendus sit, sed prius probandus est, & expectandus, ut illud mereatur exemplo bonæ vitæ, & exercitio actuum virtutis. Nec præstat dicere, quod, licet Expulsus obedientiam non præstiterit Prælatis Ordinis tempore suæ Ejectionis, ratione cujus posset dici una cum cæteris portasse pondus Religionis, subjecit tamen se novæ obedientiæ Episcopi, & sub ea in exercitio virtutum exercitus. Respondetur, disparem esse rationem obedientiæ, debitæ Prælatis ex Voto, & Episcopo, veluti Dioecesano, cujus jurisdictio in Clericos a Sacris Canonibus limitatur ad curanda ea, quæ de Clericorum honestate sunt sancita. Deinde talis subjectio, si Antianitatem tribuit, ea est inter Clericos, quorum tamen præeminentia ab officio, & dignitate pensatur.

114 Dices; Ejectus nunquam fuit a robore professionis suæ solutus; ergo ab ea numerare debet antianitatem. Respondetur, quod, licet nunquam fuerit absolutus a dictis tribus Votis, subjecit tamen se novæ potestati ejus, a quo fuerat per Expulsionem liberatus, commutando obedientiam, datam Episcopo, in obedientiam, de novo datam Prælato Regulari. Et ita novam, ut Episcopo, tanquam Judici, & Prælato in spiritualibus subderetur, non tamen, tanquam Patri, ratione cujus non poterat ipse Episcopus ejus Vota irritare: modo autem ad Religionem se iterum convertens, subjicit se suo Prælato, tanquam Judici, manens sub ejus jurisdictione, & tanquam Patri, manens sub ejus potestate, & sic acquirit istam ex omni parte novam subjectionem, ratione cujus non debet habere eundem locum, & gradum, quem ante sententiam habebat, sicut habent veterani Milites Religionum, ita *Rodericus loc. cit.*

QUÆSTIO XX.

An per sententiam expulsionis possit Ejectus imperari, ut exulet.

SUMMARIUM.

115 *Sententia affirmans, supposita a Peyrino pro certa, patitur difficultates.*

Judex extra territorium suum nequit jubere.

Paria sunt aliquid fieri tempore inhabili, & referri ad tempus inhabile.

Præses ultra tempus administrationis suæ, nequit interdicere.

116 *Potest expellens imperare exilium.*

Ut ad illud teneatur Ejectus, sufficit, quod subsit Judici tempore sententiæ.

Praxis obtinuit favore Judicis, sic sententiantis.

117 *Procedenti per modum mandati, cessante administratione, cessat mandatum.*

Agens per sententiam diffinitivam, ligat elapso officio, secus, si ex interlocutoria.

115 PArs affirmativa, tanquam indubitata, habetur a *Peyrin. Formular. Prælat. Regul. cap. 39. num. 4.* qui illam supponens, inquit, quod dato supposito, si a Generali decernatur, debere scilicet Expulsum exulare a loco, ubi habitabat, debere talem sententiam (quam etiam collaudat, apposita quoque graviori adhuc pœna in casu inobedientiæ) notificari Ordinario loci, ubi expellitur, & illi, in cujus Dioecesi debet exulare. Simili modo se habet *Azor. lib. 12. Institut. mor. cap. 26. quæst. 12.* fingens casum de Religioso ejecto, ac relegato ad Provincias, a sua origine omnino remotas, & eo supposito quærit, cui Ordinario subjici debeat, dum sic distat ab Ordinario originis. Positio tamen hæc sua difficultate non caret, etenim pro parte opposita arguitur, sicut Judex nequit extra suæ jurisdictionis territorium aliquid jubere, ut habetur ex *Text. l. final. ff. de jurisdict. omnium Judicum, & c. 2. de constitutionib. in 6.* ita neque extra suæ jurisdictionis tempus; valet enim argumentum de loco ad tempus *L. minum ff. de reb. credit.* ergo cum hic Superior habeat solum jurisdictionem in hunc Religiosum, dum manet ei subditus in Religione, & ab illa expulsus, desinat esse ei Subditus, non poterit Superior præcipere, ut post repulsum exulet. Confirmatur, quia paria sunt aliquid fieri, tempore inhabili, & referri ad tempus inhabile, prout habetur ex *L. in tempus ff. de hæred. instit.*; Secundo potest probari ex *l. fin. C. de pœnis*, ibi: *Patriæ Præses ultra tempus administrationis suæ interdicere non potest.*

116 His non obstantibus, dicendum est, posse Prælatum expellere Incorrigibilem a sua Religione, jubendo, quod ad tempus, vel perpetuo exulet ab aliqua Provincia, & probatur, quia ad hoc, quod Judex per sententiam diffinitivam possit cogere, sat est (inquiunt *Roderic. tom. 1. q. 30. art. 23. & Sanch. lib. 6. cap. 9. nu. 42.*) quod damnandus sit ei subditus tempore, quo sententiam profert, sitque tunc intra suum territorium; sed hæc concurrunt in casu, alias nullus Judex posset damnare Triremibus, vel exilio decennio, aut perpetuo, si antea contingeret suum munus finiri; & damnatus ille, dum est in Triremibus, vel in exilio, esset extra suum territorium; cum ergo Prælatus Regularis, licet non habeat jurisdictionem in Expulsum, postquam ipse est jam ab ejus jurisdictione exemptus, quia tamen habet jurisdictionem in eum, dum sententiam de expulsione pronunciat, ideo eodem contextu possunt illum ad ejectionem, & ad exilium per sententiam diffinitivam obligare. Subditque *Rodericus*, id experientia, & consuetudine comprobari, nam Prælati diffinitive hos Incorrigibiles condemnantes, eos obligant per expulsionis sententiam, ne huic, vel alteri Civitati accedant, aut ingrediantur, gravissimis id causis suadentibus, & nemo (eo teste) firmavit, hanc sententiam minime dictos Expulsos obligare.

117 Ad argumentum ergo in oppositum respondetur cum *Sanch. loco cit.*, quod, dum *Textus l. fin. C. de pœnis* decidit, non posse Judicem interdicere ultra suæ administrationis tempus, hoc debere intelligi, quando Judex procedit per modum mandati, secus quando, causa cognita, profert sententiam; huic expositioni favet *Gloss. ibi verb. administrationis, & l. 1. verb. obtempera C. de postulando*, & *Salycet. num. 4.* Vel intelligitur, ut explicant *Bartol. ea l. 1. num. 2. Baldus num. 1. Paulus num. 1. & Salyc. num. 1.* quando jubet per sententiam interlocutoriam, secus quando per sententiam diffinitivam, quia hæc sententia fertur, præmissa cognitione causæ, & magna solemnitate interveniente; cum ergo ante ejectionem a Religione, eo tempore, quo hic

erat

erat subditus, & intra Judicis jurisdictionem damnatus sit per sententiam diffinitivam, ut eijceretur ab ea Religione, & territorio, atque sic Expulsus exularet in sibi assignata Provincia, & transierit in rem judicatam, eo quia non appellaverit, non obstabit obligationi parendi latæ sententiæ, si paulo post Judex cesserit officio, aut Expulsus extra illius jurisdictionem reperiatur, nondum impleto tempore exilii, in sententia prædefinito.

QUÆSTIO XXI.

An Expulso competat dominium, & administratio rerum temporalium.

SUMMARIUM.

118 *Dominium, & proprietas pugnant ex adverso cum paupertatis Voto.*

Jus, & proprietas per professionem extincta, per expulsionem non revivifcit.

119 *Usus rerum temporalium in duplici differentia consideratur.*

Quid sit usus fructus, seu juris, & usus nudus, seu facti, expenditur.

In Ejecto solus usus facti, solaque administratio absque proprietate manet.

120 *Opinio Navarri docentis, teneri Ejectum petere facultatem ab Episcopo, ut possit in proprios usus sibi necessarios, convertere acquisita, reijcitur.*

Ejecto conceditur tacite, eo ipso quo pellitur, facultas convertendi in usus sibi necessarios, acquisita.

121 *Parsimoniam docet Ejectus Sayrus, accumulationem temporalium Sanchez.*

Sententia Sanchez cum limitatione sustinetur.

Ejectus ab Ordine possidente bona in communi, potest illi acquirere, quæcunque potest; non ita pulsus ab Ordine non possidente bona in communi.

Parsimonia, & moderatio in usu temporalium suadetur Ejectis pro modo sui Instituti.

118 Conclusio, quoad primam partem, est in omnium sententia negativa; Ratio est, quia dominium, & proprietas pugnant ex adverso cum Paupertatis Voto; sed ex probatis, Votum Paupertatis comitatur Ejectum: ergo per expulsionem nullum jus, aut proprietas super bona temporalia in eo revivifcit. Ita *Navar. comm. 2. de Regul. num. 35. Lessius lib. 2. cap. 41. dub. 15. nu. 112. Sayr. Clav. Reg. lib. 6. cap. 9. nu. 18. Molina tom. 1. d. 140. §. quando vero. Azor. lib. 12. Instit. mor. c. 16. quæst. 4. ex Sanch. lib. 6. Decal. cap. 9. num. 45. Lezana tom. 1. cap. 23. Donat. in prax. par. 2. tr. 8. qu. 45. & seq. Pasqual. num. 1078. Rota decis. 109. par. 5. rec. Tambur. tom. 3. cap. 8. qu. 8. num. 7. & apud eum Salas, & Sanfterell. Diana par. 2. ref. 60. Palaus trac. 16. d. 4. par. 23. num. 2. Bellet. dis. Cler. de pæn. Cler. §. 25. num. 21. ex Passer. de Hom. stat. tom. 3. art. 8. qu. 189. num. 602.* Qui omnes solum usum facti, & administrationem nudam eorum, quæ possident, vel potius videntur habere, ut dicemus infra, Ejectis permittunt.

119 An autem Ejectis competat jus aliquod in administratione bonorum, quæ acquirunt? Respondetur, quod cum usus rerum temporalium in duplici sit differentia, ut illud distinguunt *Nicolaus III.*, & *Clemens V. in Regulam Fratrum Minorum cap. Exivi de Paradiso, & cap. Exijt qui seminat* scilicet usus juris, & usus facti. Primus concedit utenti non solum ipsum usum, sed jus utendi, quod consistit in posse repetere, disponere pro beneplacito, & tueri in judicio res acquisitas, idque nomine proprio. Usus vero facti nullum jus tribuit administranti, sed usum nudum, & administrationem rerum temporalium, & hoc nomine alterius, cui ea, quæ videtur habere, acquirit; hinc, cum Votum Paupertatis omne jus in res temporales extinguat, remanet in Ejecto sola administratio sine proprietate, acquisitio rerum temporalium sine dominio earum, usus facti, absque usu rationis, ita apud *Sanchez* advertit *Azorius loco cit.*

120 Subdit *Navarrus*, teneri Ejectum petere ab Episcopo facultatem, qua obtenta, possit bona, quæ comparat, convertere in proprios usus sibi necessarios. Verum id habet, ut consequenter loquatur ad ea, quæ alibi dixerat *lib. 3. consil. tit. de Regul. in 1. edit. consil.* 50 *num. 3. consil* 51. *num.* 2. *& in 2. consil. 77. num. 3. & consil.* 78. *num.* 2. *& consil.* 79. *num.* 2. ubi Ejectos sub totali jurisdictione, & potestate Episcopi statuit, & æque ac sub cura judiciali, ac paterna Prælati, in tantum, quod nec illis fas sit, quod cæteris Clericis non negatur, inconsulto Episcopo, mutare Diœcesim; quia ergo rerum temporalium administratio, subditis Religiosis, ex sola Prælati deputatione competit, hinc cum Episcopus in ejus sententia toties repetita, loco Prælati, succedat Ejecto, ex ejus dispensativa dispositione poterit ea, quæ acquirit, ad sui sustentationem applicare. Sed hujusmodi licentiæ necessitas merito a *Mol. Less. loco cit. & Rodriq. qq. R g. tom. 1. quæst. 30. art. 9.* reijcitur, quia ut habet *Sanchez*, eo ipso, quod a Religione eijcitur, ac paterna providentia spoliatur, videtur ei tacite concessa administratio, & commoditas usus rerum, quas acquirit.

121 Quæres, an Ejectus in administratione rerum temporalium teneatur ad parsimoniam, ac moderationem Claustralem? Respondet *Sayro* affirmative, dicens, hujusmodi Ejectis interdici divitias cumulare. Hoc displicet ipsi *Sanchez loco cit.* nec habet pro vero, eo quia non adversatur Paupertatis Voto hæc accumulatio, retento solum illarum usu. Sed licet dictum *Sanchez.* locum habeat in Ejectis ab Ordine, qui in bonis temporalibus potest crescere, non ita si a Religione, que nil in communi possidet; ratio hujus est, quia sicut intra Claustra degens, Monasterij bona potest augere, si sit capax; ita dum a Claustris repellitur, cum non cesset esse membrum illius Ordinis, illi poterit acquirere: quod si Ordo bona in communi, & in particulari jure possessa respuit, si intra Claustra thesaurizare interdicitur, & id erit, dum extra Claustra vagatur; nam tunc nec Ordini accumulat, qui divitias odit; nec Pontifici acquirit, qui in Sedem Apostolicam dominium eorum, quæ Minoribus dantur, transferens, relicto penes Minoritam nudo usu facti, rejecta opulentia, in oblatis acceptat, ut ex allegatis capitibus *Nicolai III.*, *& Clementis V.* colligitur. Quod autem attinet ad parsimoniam, ac religiosam moderationem, dico, utrumque teneri pro qualitate sui Instituti. Ratio est, quia status expulsionis in tantum dispensat, pro quanto Votum Pauperatis est incompossibi-

le cum illo; sed moderatio Religiosa in victu, & vestitu, æque servari potest in Ejecto, & non Ejecto: ergo ne sit potioris conditionis Ejectus, ad eam pro qualitate status sui respective ad Ordinem, a quo rejicitur, obligabitur; alias ex iniquitate commodum, ex fraude patrocinium reportaret impietas.

QUÆSTIO XXII.

Cui acquirat bona sua Expulsus.

SVMMARIVM

122 *Distinctio Azorij inter eum, qui contra jus, aut legitime expellitur, applicando bona primi, Ordini; bona secundi Ecclesiæ, vel Pontifici, producitur.*

123 *Sententia Gotifredi, qui tenet, bona acquisita ab Ejecto, esse Monasterij, a quo ejicitur, refertur cum suo fundamento.*

124 *Opinio Navarri, qui tollium acquisitorum hæredem statuit Episcopum, adducitur cum suis probationibus.*

125 *Sententia eorum, qui ponunt differentiam inter Expulsum ad tempus, & in perpetuum, tradentes bona prioris Monasterio, posterioris Cameræ Apostolicæ, refertur.*

126 *Distinctio Azorij, & ultimæ opinionis, reijcitur.*

127 *Distinctio inter bona acquisita, attenditur ex parte modi acquirendi.*

128 *Discrimen statuum, in quibus potest decedere Ejectus.*

129 *Fructus beneficij, qui supersunt Ejecto, & ex dispensatione translato, sunt Ecclesiæ, cui intitulatur, si extra Claustra decedit.*

Quæcumque beneficiatus Regularis, sive ex donatione, sive ex industria personæ, sive iure hæreditario acquirat, acquirit Ecclesiæ, cui præest, si ibi moriatur.

Beneficiario competunt fructus beneficij, quantum ad administrationem, quæ cum morte finitur.

Translatus, quæ uni Ecclesiæ acquisivit, ad aliam etiam ferre non potest.

Duæ Ecclesiæ in solidum nequeunt habere dominium ejusdem rei.

Mutare Ecclesiam est eidem Ecclesiæ mori.

130 *Monachus translatus non dispensatur in paupertate, nec filius vindicat paternam hæreditatem, sed Ecclesia.*

131 *Ad aliam Ecclesiam, vel Religionem possunt transferre donata, & fructus personæ.*

132 *Passerinus, licet consentiat de fructibus Beneficii, negat tamen de acquisitis, intuitu Personæ.*

133 *Bona de fructibus personæ, acquisita a Monacho translato, non acquiruntur absolute Altari, cui inservit, sed conditionate.*

134 *Acquisita ab Ejecto ex industria personæ, si decedit extra Claustra, sunt Cameræ Apostolicæ, si intra Claustra, fiunt Monasterii.*

Quod in fraudem introductum fuit, non debet in damnum verti.

135 *Minorum privilegium de aggregatione Ordini, acquisitorum ab Ejecto redeunte, si illorum usus ex Regula non interdicitur.*

136 *Bona Ejecti ex illicita negotiatione sunt Cameræ Apostolicæ, deductis iis, quæ sunt obnoxia restitutioni.*

Illicita negotiatio, alia talis, quia contra Sacros Canones, alia, quia contra justitiam.

137 *Qualiter in elligenda Constitutio Pij V. disponens de mobilibus Ecclesiæ cumulandis tempore mortis ipsius Beneficiati.*

138 *Quæ nam sint exercitia Clericis omnibus, Ejectisque interdicta ex lege spolij.*

139 *Acquisita ab Ejecto constante persona, accedente donatione, aliter sunt ejus, cui sunt acquisita.*

140 *Ejectus transiens ad aliam Religionem, si prima Religio sit incapax bonorum in communi, Cameræ conveniunt, quæ acquisivit.*

141 *Donatio temporalis bonorum facta, qualiter de illis disponatur.*

142 *Acquisita a Reo pro in alio Monasterio ad solam pœnitentiam, sunt prioris Monasterii.*

Quibus expensis debeat enutriri.

143 *Responsio ad argumenta in oppositum.*

144 *Rejicitur fundamentum Navarri.*

Status Regularis in quo consistat.

Disparitas inter acquisita a servo dimisso, & Religioso Ejecto.

Qualiter Diœcesanus præsit Ejecto.

145 *Rejicitur sententia eorum, qui ponunt differentiam inter Expulsum ad tempus, & in perpetuum.*

Decretum Gregorii IX. præcipiens annuam reductionem Ejecti, non distinguit inter legitime, vel illegitime Ejectum, sed indistincte de omnibus pronunciat. Ita Gregorius XIII. pro bonis omnium Apostatarum.

146 *Refellitur opinio eorum, qui de bonis Ejectorum asserunt, ea nulli fore acquisita, ut minus congrua ratione.*

122 QVantum ad hoc diversa opinati sunt Doctores, ante Constitutionem Urbani VIII. *Azor. Instit. moral. lib. 22. cap. 16. qu.* 9. distinctione utitur inter eum, qui contra jus ejicitur, & eum, qui ob delict. a legitime expellitur: bona primi applicat Monasterio: posteriorum secundi hæredem instituit Deum, quantum ad dominium; & Pontificem, seu Ecclesiam, quantum ad administrationem. Ratio pro primo est, quia iniqua ejectio nihil Monasterio obest, neque enim Abbatis delictum Ecclesiæ nocere potest, ut ex *cap. si Episcopus 6. & cap. delictum de reg. jur. in 6.* Ratio pro secundo est, quia, sicuti bona ejus, qui absque ullo prorsus hærede decedit, tanquam vagantia, ad Principem deveniunt; sic etiam ejus rei, quam ille Monachus ejectus acquirit, usus, qui est res facti, ad ipsum pertinet, jus vero ad Romanum Pontificem, qui est summus Ecclesiæ Princeps, ac proinde per obitum Monachi, usus, quasi ad proprietatem, & dominium, hoc est ad jus administrandi, revertitur, & cum eo una conjungitur, & consolidatur, ut Jurisperiti loquuntur.

123 *Gotifredus* citatus a *Panormit. in cap. 1. de infirmitibus & languid. exposit.* quem sequitur *Sylv. V. Apostata q. 9. Bassæus V. Religio 6. nu. 8.* bona acquisita a legitime Expulso, tradit Monasterio. Ratio ad hoc, quia Monasterium jus suum non amittit ob Monachi delictum, ratione cujus per sententiam

tiam justam eijcitur: item Monachus ejectus debet resipiscere, & ita corrigi, & emendari, ut dignus sit, qui in Monasterium restituatur; ac proinde non est penitus abscissus, quare si quid lucratur, Monasterio acquirit.

124 *Navar. in cap. cum non dicatis num. 33. & seqq.* inquit, quod, cum Ejectus acquirere nequeat sibi ipsi, cum id contradicat Paupertatis Voto, quod in Ejecto perseverat, *Cardinal. in Clement.* 1. §. *quia vero qu.* 1. *de Stat. Monach.* neque Monasterio, a quo est per sententiam ejectus, eo quia desinat esse Regularis, & membrum obedientiale talis Monasterii, quoniam Ejectus per sententiam justam, pro derelicto habetur, ut probat argumento quorundam *Jurium, Cap. si quis tanslatus* 21. *q.* 2. *& cap. ne pro cujus libet* 16. *qu.* 1. concludit, quod Episcopo acquirat. Ducitur ad hoc, quia sub ejus obedientia vivendum est illi, quia per ejectionem justam recidit in eam, a qua liberatus fuerat per Professionem: ergo si sub obedientia Prælati vivens, juxta regulam, quidquid acquirit Monachus, acquirit Monasterio, Prælato Religionis acquirit; pari formiter quidquid degens extra Claustra, sub obedientia Episcopi, acquirit, illi acquirit.

125 Alii apud *Suar. tom.* 5. *in* 3. *par. disp.* 21. *sect. p. num.* 19. *&* 20. inter Ejectum, qui ad tempus fuit expulsus, & eum, qui perpetuo, & sine spe reditus fuit separatus, ponunt differentiam, considerantes bona prioris, tanquam debita Monasterio, bona alterius, tanquam spolia Cameræ Apostolicæ, ex dispositione *Gregorii XIII.* illi applicanda. Postremo *Bellamer. cap. quanto num.* 11. *de offic. & ordin. & cap. Abbates ad fin vers. in Glos. ibi recipere* 18. *quest.* 2. *Innocent. cap. cum olim il.* 2. *num.* 3. *de privileg. Hostien. num.* 12. *in cap. nunc. de languidis, de infant. & languid. expositis Jo. Andr. in cap. cum olim num.* 5. *Cardinal. num.* 4. *vers. quid si est Expul. Henric. num.* 5. *ibid. Rosell. in summa V. Religio* 1. *n.* 1. dicunt, Ejectum nulli acquirere.

126 Ut ergo certa ab incertis secernamus, advertendum est primo, hic non habere locum distinctionem *Axorii*, inter eum, qui legitime, vel illegitime expellitur; neque eorum, qui apud *Suarez* aliter loquuntur de perpetuo Expulsis, & de illis, qui ad tempus: nam de utrisque militat eadem ratio, nam æque manent Religiosi subditi Votis ii, qui juste, ac qui injuste expelluntur, & sententia expulsionis perpetuæ fuit per Constitutionem 26. *Urbani VIII.* revocata, cum innovaverit Decretum *Gregorii* pro annua reductione Ejectorum, si resipiscant, ut advertit *Donat. quæst.* 50. *num.* 8.

127 Adnotandum secundo, quod bona Ejectorum, alia possunt esse bona ex fructibus beneficii, dato, quod in illis dispensasset Pontifex; alia possunt esse fructus propriæ industriæ, & hoc dupliciter, vel ex labore honesto, ac suo statui conveniente, vel ex lucro indebito, & contra jus divinum, aut etiã ex negotiatione Clericis a jure Ecclesiastico interdicta.

128 Notandum tertio, quod vel Ejectus rediit ante mortem ad Religionem, a qua fuit expulsus, vel in alio Monasterio ejusdem Ordinis fuit receptus ad pœnitentiã; vel ad aliam se transtulit Religionem, ibique ante, vel post Professionem, obiit; vel tandem in sæculo degens migravit e vita: & de his omnibus est seorsim pertractandum, ac per distinctas conclusiones enucleandum. Sit ergo prima Conclusio.

129 Bona Ejecti, si sunt ex fructibus beneficii, ad quod apostolica dispensatione fuerit assumptus, sive fuerit beneficium simplex, sive curatum, sive dignitas Episcopalis, si Beneficiatus moriatur extra Claustra, sunt Ecclesiæ, intuitu cujus illa acquisivit, cum in eo casu teneatur illa resignare, quod etiam præstare debet, si ab uno ad alterum beneficium transferatur. Quod fructus beneficii sint Ecclesiæ, ad cujus Altare quis intitulatur, probatur ex Textu, *Cap. Statutum* 18. *qu.* 1. *juncta Glos. fin.* ubi habetur, quod *Monachus, quem canonica electio a jugo Regulæ Monasticæ Professionis absolvit, & Sacra Ordinatio de Monacho Episcopum facit, velut legitimus hæres paternam hæreditatem postea jure vendicandi potestatem habeat: sed quidquid acquisierat, vel habere visus fuerat, Monasterio relinquat. Postquam enim Episcopus ordinatur, ad Altare, ad quod sanctificatur, & intitulatur, secundum Sacros Canones, quod acquirere poterit, restituat.* Ex cujus Decreti dispositione deducunt *Bord. tom.* 4. *par.* 3. *resol.* 115. *num.* 85. *D. Thomas.* 2. 2. *qu.* 188. *art.* 8. *ad* 3. *Lessius de just. lib.* 2. *cap.* 41. *num.* 91. *Azor. tom.* 1. *lib.* 14. *cap.* 10. *qu.* 6. *Rodriq. tom.* 2. *qu.* 18. *art.* 6. *Covaruv. cap.* 1. *de testam. num.* 19. quod quæcunque Beneficiatus Regularis extra Claustra acquirit, sive jure hæreditario, ut aperte ex eo Textu colligitur, sive ex donatione, sive ex propria industria, aut labore, acquiruntur Ecclesiæ, cui præest; eo quia dominium non habet, neque proprietatem super illis, cum Votum Paupertatis quoad hoc, actu vigeat in eo, sed solum administrationem suæ Ecclesiæ habet, quæ cum morte finitur, sed de hoc infra. Quod autem nihil ex iis, quæ priori Ecclesiæ acquisierit, transferre debeat ad secundam, ad quam transivit, probatur ex eodem Decreto; Duæ enim Ecclesiæ in solidum nequeunt habere dominium in eandem rem, *argumento legis sicut certo* §. *si duob. ff. commod.* Tum quia dominii translatio est de sui natura perpetua, *l. fin. C. de legib.* ergo dominium rerum acquisitarum priori Ecclesiæ, ibidem perpetuo manere debet. Et etiam, quia mutare Ecclesiam, idem est ac idem Ecclesiæ mori, ut habet *Textus Cap. in apib. ff. Ezo.* 7. *qu.* 1. *cap. si Epis. de supplen. neglig. in* 6. *Clem.* 1. *Ut lite pendent.* sed per mortem acquisita ab Episcopo remanent Ecclesiæ, cui illa acquisierat, prout ex *Jure, Cap. quia sæpe de elect. in* 6. *cap. fin. de offic. Ordin. in* 6. ergo &c. Sic quoque firmat *Barbos. consil.* 20. *vol.* 3. *specul. de stat. Mon. num.* 29. *Belles. par.* 1. *disq. Cleric. tit. de bonis Cler.* §. 8. *num.* 29.

130 Ex verbis autem citati Decreti consurgit dubitatio, an Monachus beneficiatus extra Claustra, dispensetur in Paupertatis Voto. Et videtur affirmative respondendum contra ea, quæ superius dicta sunt; nam si Monachus translatus vindicare potest paternam hæreditatem, & de ea hæredem Ecclesiam suam relinquere, videtur in Paupertatis Voto dispensatus. Verum hanc difficultatem solvit *D. Thom. qu.* 88. *art.* 11. *ad* 4., *& quæst.* 185. *art.* 8. *ad* 3. Adhærent *D. Bonav. art.* 2. *q. ultim. in* 4. *sent. dist.* 38. *Glos. cap. quorundam verb. Mendicantium de elect. in* 6. *& cap. quia tua verb. sensum* 11 *qu.* 1. *Abbas fin. cap. penult. de vita, & honest. Cler. Bald. authen. licent num.* 3. *C. de Epis. & Cler. Palud. quæst.* 4. *art.* 4. *concl.* 11. *num.* 59. *Ricard. art.* 5. *qu.* 1. *ad ultim. Major. ibi. qu.* 20. *arg.* 3. *controvers.* 1. *concl. Anchoran. cap. cum olim il.* 2. num. 8. *de privileg. Jason. authent. ingress. nu.* 15. *Franch. rubric. de testam. num.* 75. *in* 6. *Turrecrem. c. de Monach.* 16. *q.* 1. *num.* 3. *Gambar. authent. legat. lib.* 6. *nu.* 252.

tom. 13. par. 2. Abulens. cap. 30. numer. qu. 109. D. Anton. 3. par. tit. 20. cap. 2. §. 7. Rosel. verb. Religio 1. num. 4. Angel. Verb. Monachus num. 7. Sylv. Verb. Religio 6. qu. 10. Tabien. verb. Episc. qu. 10. num. 7. Navar. Comment. 1. de Regul. num. 31. Covarruv. cap. 1. num. 18. de Testam. Molin. lib. de primogen. cap. 10. num. 28. Cordub. in Regul. D. Fran. cap. 2. q. 20. p. 3. Surd. de alim. tit. 8. prin. 79. n. 99. Cucus lib. 3. instit. major. tit. 1. num. 158. Azor. tom. 1. instit. cap. 7. qu. 2. Henriq. lib. 10. de Sacram. Ord. cap. 3. num. 5. & cap. 35. num. 3. Rodriq. t. 2. summ. cap. 10. num. 4. dicentes, quod non vendicat paternam hæreditatem, quasi propriam, sed quasi Ecclesiæ suæ debitam; nec enim confertur ei facultas, ut acquirat dominium, sed ut fiat accessio bonis Ecclesiasticis, quæ administrat, sicut fieret ex omnibus bonis, quæ quomodocunque tales Episcopi acquirerent, ita ut per Episcopatum fit, ut quidquid in posterum Monachus acquirat, non Monasterio, ut prius acquirebat, sed suæ Ecclesiæ comparet. Sic firmant Doctores allegati, quos sequitur *Sanchez lib. 6. cap. 6. num. 8.*

131 An autem, quod dictum est de fructibus beneficii, scilicet spectare ad Ecclesiam, cui Monachus fuit assumptus, locum habeat etiam in iis, quæ vel donatione, industria personæ, laboreve acquisierit, quoties feratur casus, quod ad aliam Ecclesiam transferatur, vel ad Claustra redeat, ita quod nil de illis secum ferre queat. *Bordonus ubi supra* de omnibus quibuscunque bonis affirmative pronunciavit hoc, quod putavit ineluctabili fundamento. Ex dispositione *Decreti*, quidquid acquirit Monachus translatus, acquirit Ecclesiæ, cui intitulatur, eo quia nil sibi acquirere possit, cum sit ob Votum Paupertatis dominii incapax, imo ut dictum est, & juris utendi, quare sola administratio illi competit: ergo, dum transfertur ad aliam Ecclesiam, vel dum ad Claustra revertitur, cum tunc cesset in eo administratio bonorum talis Ecclesiæ, quæcunque acquisita debet resignare.

132 Hæc autem positio non placet *Passer. tom. 3. q. 189. art. 8. inspect. 4. n. 531.* citanti *D. Ant. 3. par. tit. 16. cap. 5. §. 1. Azor. p. 1. lib. 12. cap. 16 qu. 8. Lezan. tom. 1. qu. Reg. cap. 16. num. 1. Pasqual. ad Franeb. num. 1096.* qui, licet consentiat de fructibus beneficij, eos inquam ex integro esse a translato, & redeunte reddendos; negat autem de acquisitis, intuitu personæ, nam hæc secum ferre ad novam Ecclesiam, vel Ordinem, a quo fuit assumptus, si talium bonorum sit capax, admittit. Hoc autem, sola auctoritate Doctorum, quos citat, ostendit. Verum præfata opinio sic est rationi consona, quod *Bordonus* ipse, qui *num. 84.* oppositum statuerat, sub *num. 89.* rigorem temperans, concedit, translatum secum deferre posse, quæ sibi sunt necessaria in secunda Ecclesia: reddit sui dicti rationem, *Cum enim spoliata fuerit, æquum est, ut sibi provideat ex mobilibus prioris, quæ ipse comparavit. Hæc ille.*

133 Quare ad argumentum dico, quod acquisita a Monacho translato, loquendo de fructibus Personæ, non acquiruntur absolute Altari, cui inservit, sed conditionate, dato scilicet, quod in illius ministerio decedat. Exemplum est de acquisitis ab Apostatis, & Ejectis; hi enim, quæcunque acquirunt, non sibi, cum sint ob Votum, a quo non liberantur, dominii incapaces, sed Monasterio, & Cameræ Apostolicæ acquirunt: utrique tamen sub conditione; Monasterio, si, postquam reversi sunt ad Claustra, decesserint; Cameræ Apostolicæ in Regionibus, ubi viget spolium, si tamen extra Claustra moriantur: quare illa acquisitio dominii sive pro Monasterio, sive pro Camera a conditione mortis purificatur, ut patet ex Constitutione *Gregorii XIII. §. 2.* & clarius infra expendetur, unde fit Conclusio secunda.

134 Bona acquisita ab Ejecto ex licita negotiatione, vel industria, jure communi acquiruntur Monasterio, a quo fuit Ejectus; sed si, dum manet extra Claustra, decedit, veniunt nomine spoliorum, & fiunt Cameræ Apostolicæ. Primum probatur ex eo, quod Religio per justam sententiam Ejectionis non sibi præjudicat, nec privatur jure, quod habet ad omnia ea, quæ Religiosus acquirit, & eo magis, quod Ejectio inventa fuit, & a juribus statuta in commodum, & favorem Religionis, & ne membrum putre cætera inficiat; quod vero in favorem introductum fuit, non debet verti in damnum, ut habetur *Ex Reg. juris 63. lib. 6. C. de legib.* ergo si Monachus intra Claustra acquirat Monasterio, etiam cum fugitivus, vel Ejectus, vagatur; cum ex hoc non cesset esse Monachus. Deinde, quia Religio tenetur inquirere, si sibi constet de emendatione, & recipere resipiscentem, dum redit, ut supra dictum est; imo emendatum potest compellere ad regressum: ergo tam ipse, quam sua manent sub Religionis dominio, ita *Mol. tom. 1. disp. 140. Less. lib. 2. c. 41. num. 112. Lezan. l. 2. c. 23. num. 15. Card. de Lugo tom. 1. de just. disp. 3. num. 240.*, quibus accedit privilegium *Leonis X.* pro Minoribus quod refert *Bissæus V. Apostasia num. 7.* ut possint uti bonis Apostatarum, & fugitivorum redeuntium, si sunt talia, quorum usus sit eis ex Regula permissus; & de aliis, quod possint facere id, quod de similibus fieri mandatur in eorum Regula.

135 Quod autem, si Ejectus decedat tempore Ejectionis, omnia sua fiant Cameræ Apostolicæ, de hoc extat specialis dispositio *Gregorii XIII.* quæ incipit *Officii nostri partes sedulo*, qua in casu mortis, ut ibi habet §. 2. *post obitum eorum*, bona Religiosorum, degentium extra Claustra, Cameræ Apostolicæ applicat. Advertit *Passer. tom. 3. qu. 189. art. 8. num. 529.* hoc Decretum non habere locum de omnibus bonis Religiosorum, sed de illis, quæ acquisierunt, extra Claustra degentes. De his enim bonis loquitur Constitutio *Pauli IV.* contra Apostatas; & patet etiam ex Constitutione *Gregorii XIII.* citata, ubi habetur *tempore quo extra Claustra hujusmodi fuissent acquisita*; & tandem §. 3. statuit, ut bona omnia per Regulares, degentes extra Claustra, acquisita, spectent ad Cameram Apostolicam: ideo quæ Religiosus acquisivit, antequam egrederetur de Claustro, concludit *Passerinus*, Religioni manent; nam fuerunt Religioni acquisita, ideo illi debentur.

136 Conclusio tertia. Bona acquisita ab Ejecto, provenientia ex illicita negotiatione, sive quia prohibita, sive quia contra justitiam, sunt Cameræ Apostolicæ, nec comitantur Ejectum, dum redit ad Claustra. Hoc deducitur ex quadam Constitutione *Pij IV.* incipient. *Cupientes malitiis nonnullorum sub anno 1567. 1. Decembr.* qua determinat, quod omnia acquisita per negotiationem illicitam Clericorum, & Religiosorum, quæ in tempore mortis eorum remanserunt inconsumpta, vel quibus in vita privantur, Cameræ Apostolicæ applicentur. Verum, cum simus in materia pœnali, expectanda est, ex communi Doctorum, Judicis sententia. Quid vero veniat nomine illicitæ negotiationis, respondet

Ro-

Roder. tom. 1. qu. Regul. q. 30. art. 13. quod dupliciter potest considerari negotiatio illicita: quædam enim est contra virtutem specialem justitiæ, quæ non solum inducit peccatum, sed etiam obligationem ad restituendum; alia, quæ fit contra virtutes morales, ut quæ fit a Regularibus, & Ecclesiasticis, quibus prohibitum est iuxta Sacros Canones negotiari, ut tradit *Panormit. in cap. 1. & 2. de post* & resolvit post alios *Navarr. cap. 25. num. 100. & lib. 3. consil. tit. de succ. ab intest. cons. 3. par. 212. in 1. impres.* cum *D. Thom. 2. 2. q. 92. art. 1.* Et juxta hæc quæritur, an solum pertineant ad Cameram Apostolicam bona Apostatarum ex negotiatione illicita, contra virtutem specialem justitiæ acquisita, quæ obnoxia erant restitutioni; an etiam ea, quæ acquisierunt dicti Apostatæ contra Sacros Canones, eis negotiari prohibentes.

137 Respondetur cum *Gutierez lib. 2. prax. cap. 94. in fin.* quod dictæ Constitutiones determinantes omnia ista Cameræ Apostolicæ applicari, sunt intelligendæ, deducto ære alieno, & solutis debitis, quibus ipsi *Ejecti*, vel Apostatæ tenebantur, & hoc modo subdit esse intelligendam Constitutionem *Pij V.*, determinantis Ornamenta, Paramenta, Vasa, Missalia, Gradualia, Libros Cantuum, & omnia auri, & argenti consecrata, & omnia destinata per quemcunque Beneficiarium, aut Prælatos Commendatarios, ad cultum Divinum, applicari tempore mortis ipsorum, sive ab intestato, sive cum testamento decedant, Ecclesiis, Monasteriis, & Beneficiis, ubi dicti Beneficiarii, Prælati, & Commendatarii suum titulum habent, & redditus colligunt, etiam si ad testandum habeant facultatem. Hæc enim Constituti, dicit *Gutierez*, intelligitur, deducto prius ære alieno, & debitis, quibus alias non potest satisfieri, & cum eo *Rodericus*. Censeo autem hanc doctrinam habere locum, ubi persona læsa non ignoratur, alias sub nomine incertorum, sic acquisita, poterunt cum spoliis ipsi Cameræ applicari.

138 Sed quænam sint exercitia, Clericis quibuscunque, & Ejectis interdicta, quorum fructus, Cameræ devoluti, a jure pensantur? *Rodericus loco cit.* nominat Medicinam, Chirurgiam, & alia, Clericis prohibita; item obsequia indecenter præstita Regibus, alijsque Secularibus Personis: fructus inde perceptos, Papæ reservat, quibus etiam addit ea, quæ a beneficio, contra jura retento, quis percipit. *Passer.* autem *loco cit. num. 532.* esto consentiat *Navar. Comm. de spol. §. 7. nu. 4. & 5. Sanch. lib. 7. Decal. cap. 33. num. 9. Portel. V. Apostasia n. 7. & 8. Pasqual. decis. 37. ex Donat. p. 2. tract. 6. qu. 23. num. 14. 17. & 19.*, qui de acquisitis, ut supra, hæredem faciunt Ecclesiam, etiam in vita Religiosi, sive intra, sive extra Claustra degentis, limitat tamen ad acquisita ex illicita negotiatione, non vero ad acquisita ex Chirurgia, Principum servitute, & similiter. Verum, licet hæc limitatio posset admitti in Ejecto, non habente quomodo aliter congrue alatur, non tamen id Clericis generaliter admittendum est, cum & de fructibus ex illicita negotiatione, *Vel alias contra Sacros Canones* acquisitis, Textus pro Camera disponat.

139 Conclusio quarta. Ejectus, ad aliam Religionem se transferens, sive Novitius decedat, sive profiteatur, bona per illum honeste acquisita, sunt prioris Monasterii, nisi obstet donatio facta secundo, tempore debito. Probatur, quia cum iste Ejectus moriatur intra Claustra, locum non habet Constitutio *Gregorii XIII.*, quod Cameræ Apostolicæ bona, ab eo acquisita, debeantur, ut optime advertit *Card. de Lugo tom. 1. de just. disp. 3. nu. 241.* Ejectus vero cum non desierit esse Religiosus prioris Monasterii, ut probatum est, illi acquisivit, quantum ad dominium, retenta apud se administratione: ergo dum Ejectus est Novitius in secundo Ordine, cum non cesset esse Religiosus prioris Instituti (nam eo titulo solum spoliatur per secundam Professionem, ut supra dedimus) si decedit, bona per eum acquisita sunt illius Monasterii, cujus adhuc est Religiosus; quod si profiteatur, adhuc sunt prioris Monasterii, eo quia apud eum nonnisi administratio talium bonorum, vel usus facti, manebat, quæ tamen administratio statim ac fuit in alia Religione professus, cessavit; unde statim usus fructus talium bonorum, cum eorum proprietate, & dominio consolidatus fuit vero domino illorum, atque ideo sive Monasterium, in quo Ejectus profitetur de novo sit capax, sive sit incapax succedendi, non potest habere usumfructum illorum bonorum, sed hic redit ad dominum illorum; qui est prius Monasterium, seu prior Religio, a qua fuit Ejectus.

140 Quod, si primum Monasterium sit incapax talium bonorum, secundum autem sit capax, adhuc talia bona nequeunt esse posterioris Monasterii, sed sunt spolii. Ratio est, quia bona illa non potuerunt acquiri priori Monasterio, quod supponitur illorum incapax; nec posteriori, quod jus nullum in Ejectum habebat: ergo Cameræ, esto sub conditione, quod Ejectus extra Claustra decederet: quare tale dominium in Camera erat suspensum, quoad administrationem talium bonorum, donec purificaretur conditio, scilicet, quod Ejectus decederet extra Claustra: occurrente ergo obitu Ejecti, tempore Novitiatus, vel eo profitente in secundo, cessavit in eo administratio, & usus talium bonorum: ergo ille accumulari debuit habenti dominium, & proprietatem super talia bona, quod in casu non est nisi Camera, eo quia primum Monasterium, pro quo stare poterat conditio obitus ipsius Ejecti, ipsorum bonorum sit incapax. Quod si instetur, Cameram talium bonorum non esse hæredem, eo quia conditio obitus non stetern pro ea, & bona illa sub tali conditione illi fuerint acquisita. Respondetur, quod si talia bona Cameræ non competunt, ut lucra Ejecti, decedentis extra Claustra, sunt tamen illius, ut sunt bona nullius domini, quæ ad Principem clamant, quoties sunt bona decedentis ab intestato, & absque legitimo hærede.

141 Hæc autem, quæ diximus, procedunt, quoties non obstet de taliter acquisitis, tempore debito, facta donatio posteriori Ordini, ut advertit quoque *Cardinalis de Lugo loco cit.* Ratio est, quia Ejectus ex vi administrationis bonorum, quam habet, potuit eadem bona applicare, & donare Monasterio posteriori; quod si talis donatio fiat, antequam profiteatur, tempore debito fit, eo quia apud ipsum perseveret talium bonorum administratio, quæ tamen per Professionem cessat in illo, nec tali donationi obstat dominium, quod apud Monasterium primum perseverat; nam sicut, eo stante, poterat, in sæculo manens, ex vi suæ administrationis, facere donationes, ut infra dicetur: ergo ea durante, poterit bona acquisita, quorum adhuc usus in illo manet, donare secundo, cujus quoque erunt omnia bona, quæ post Professionem in illo acquiret. Sic firmat cum *Cardinali De Lugo Passerin. tom. 3. quæst. 189. art. 8. nu. 604.*

142 *Conclusio ultima*. Si Ejectus non redeat ad propriam Religionem, nec moriatur extra Claustra, sed recipiatur in alia Religione, non ut ibi profiteatur, sed ut ibi sit ad poenitentiam; quod etiam dici potest de eo, qui ejicitur a Monasterio, cujus erat filius, & eodem titulo recipitur in alio ejusdem Ordinis; tunc bona, per eum acquisita, sunt prioris Religionis, aut Monasterii, eo quia illi fuerint acquisita, ut supra diximus. Nec obstat, quod Ejectus fuerit filiatione Monasterii privatus, ut diximus *quæst. 17. hujus 3. Part.*, & per consequens, cum non potuerit acquirere Monasterio, cujus erat filius, acquisierit Ordini, cujus adhuc manebat Religiosus, & ex quo recipitur in alio Monasterio, ejus quoque sint bona per eum acquisita: nam licet fuerit privilegio filiationis privatus, seu spoliatus commodis ex filiatione provenientibus, quæ consistunt in paterna illius Abbatis providentia, in subministratione alimentorum, medicinalium in infirmitate, in expensis pro ejus sustentatione, & hoc sumptibus Monasterii aut verus ejus filius; non tamen privatur filiatione ipsa, quin adhuc maneat sub jurisdictione illius Abbatis, qui illum emendatum tenetur inquirere, & ipse cogitur se emendare, & redire: quare, si quid acquisivit tempore Ejectionis, priori Religioni, ac Monasterio acquisivit. Prior autem Religio, vel Monasterium tenebitur pro alimentis alteri Monasterio, vel Religioni, ut bene notat *Passerinus loco cit. num. 605.*, & licet *Sylv. V. Apostasi: qu. 9. num. 12. ex Raymundo Hostiensi*, & *summ. Gaff.*, asserat, bona per Ejectum acquisita, spectare quidem, quantum ad Dominium priori Religioni, vel Monasterio, sed quoad usum fructum esse Monasterii, vel Religionis assignatæ, loco poenitentiæ; id tamen limitat *Passerinus*, esse intelligendum pro valore alimentorum, & juxta prioris Monasterii beneplacitum, eo quia, licet tale Monasterium teneatur alere reversum ad poenitentiam, vel ad hunc finem in alio Monasterio receptum, ut diximus *qu. 4. hujus*, tamen alimenta potest solvere, ut ait *Passerinus ibidem*, modo sibi bene viso, seu juxta contractum, initum cum posteriori Monasterio, vel Ordine, juxta regulam, quam ibi tradidimus.

143 Hinc ad argumenta in oppositum, & primo ad ea, quæ ab *Azorio* adducuntur pro Pontifice: negatur, inquam, quod Ejectus acquirat Pontifici, nam licet Pontifex sit dominus bonorum omnium, quæ a Monasteriis acquiruntur, cū & tota Religio illi subsit, tanquam habenti jus summum administrandi patrimonium Christi; proxime tamen acquirit Monasterio, ita tamen, quod si decedat in statu ejectionis, acquisita spectent ad Cameram Apostolicam, ut dictum est, & per hoc patet ad opinionem *Gotifredi*. Totus, inquam, ille contextus tenet, ita tamen, quod Monachus non decedat extra Claustra, nam tunc viget dispositio pro Camera Apostolica.

144 Ad opinionem *Navarri*, cui consentit, *Sanch. lib. 7. Decal. cap. 33. num. 26.* negatur, quod, ex quo Ejectus communionem non habet cum Religiosis prioris Monasterij, a quo fuit expulsus, ideo illi non acquirat; nam licet membrum divisum, est tamen illius corporis, & licet corpore separatum, tamen vinculo Professionis illi inseparabiliter unitum; nec quod affertur a *Navarro* subsistit. Falsum est enim, quod Ejectus desinat esse Regularis, alias a Votis absolveretur, quod neque *Navarrus* audet dicere, non enim status Regularis consistit in convictu communi conviventium sub eodem tecto, sed ab obligatione trium Votorum essentialium consurgit, cum cæteris obligationibus proprii Instituti, quæ quidem Vota in Ejecto supra diximus perpetuari, licet cum aliquali suspensione quoad aliqua ob status incompossibilitatem, nulla tamen dispensatione; nec favet Textus pro ea a *Sanchez num. 23.* adductus, ubi ex *l. quod servus 36. ff. de stipulat. servor.* habetur, quod Servus a Domino derelictus, illi non acquirat, eo quia qui pro derelicta rem habet, omni modo a se rejicit, nec potest ejus opere uti, quem merito jure ad se pertinere noluit, & ita eodem modo Ejectus, veluti pro derelicto consideratus, Monasterio, a quo fuit expulsus, nequeat acquirere; non enim verum est, Ejectum pro derelicto haberi, cum Prælatus emendationem illius annuali sollicitudine procurans, expectet correctionem, ut ad Claustra reducat. Pecus enim morbida, licet separata, ne cæteras inficiat, non ideo cessat, *ut alias diximus*, esse Pastoris; neque est par ratio de Servo dimisso, ac de Monacho ejecto; ille, inquam, dimissus, fit sui juris, Monachus vero, etsi ejectus, perpetua Votorum catena manet vinculatus; quare ille dimissus, sibi acquirit, non Domino; iste Ejectus non sibi congregat, sed Monasterio. Ad rationem pro jure Episcopi in repetendis acquisitis ab Ejecto, tanquam sibi debitis virtute prælationis, qua illi degenti extra Claustra præerat loco Prælati Regularis, negatur assumptum ex supra datis *quæst. 8.* non enim strictiori obligationis vinculo obedientiæ tenetur Ejectus ipsi Episcopo, quasi cæteri Clerici de ejus Dioecesi; nec Episcopus illi præest, ut Prælatus Ordinis, sed ut Dioecesanus in his, quæ de Clericorum honestate, per Sacros Canones sunt sancita. Quare si quid roboris haberet argumentum, id maxime foret respective ad Ejectum ab Ordine non exempto; verum cum Textus *Gregorii XIII.* jura spolii præscribens, inter exemptum, & non exemptum non distinguat, sed de utrinsque bonis, si extra Claustra decedant, pro Camera disponat ideo a supradictis non est recedendum.

145 Ad dicta de mente eorū, qui apud *Suarez* acquisitorū ab Ejecto ad tēpus, ubicunque decedat, hæredem statuunt Monasterium, a quo fuit expulsus; quod si bona sunt perpetuo Expulsi, ea convenire Cameræ decernunt, quæ sententia cum dividentibus inter illegitime, & legitime Ejectum congruit, qui resignatis bonis priori Monasterio, aut Ordini, acquisita a posteriori tradunt sub lege spolij, dicimus, quod cum Constitutio *Urbani Octavi* innovans Decretum *Gregorij Noni*, præcipientis animam reductionem Ejecti, non distinguat inter legitime, vel illegitime Ejectum, ad tempus, vel in perpetuum sed de omnibus indistincte pronunciet, si tamen subsit spes evidens emendationis; ita *Gregorius XIII.* pro bonis omnium Apostatarum, ac Ejectorum legem spolij ponit, si extra Claustra decedant.

146 Ad opinionem eorum, qui de bonis Ejectorum asserunt, ea nulli esse acquisita, dicimus, illam minus congruere rationi præ cæteris, supra recensitis; cum pro illa a præfatis Doctoribus nullum adducatur fundamentum, ni forsan, ex eo quod Ejectus in eorum mente non acquirat Monasterio, quia ab eodem derelictus, nec sibi, quia dominii incapax, inferant: ergo nulli; hæc enim illatio ex supra habitis, est undequaque aberrans, & magis probatur, quia bona Ejectorum non habentur pro derelictis; ergo debent esse in alicujus dominio, alias

essent

essent primo occupantis; quaré ab hac sententia ipsimet Auctores, paulo post declinantes, incidunt in sententiam *Navarri*, concedendo, quod possit dici Ejectum acquirere Episcopo, atque illum succedere in eius bona post mortem, quia incidit post expulsionem in Episcopi obedientiam, quam tamen positionem supra rejecimus.

QUÆSTIO XXIII.

An Ejectus possit venire contra renunciationem bonorum, a se factam in Professione.

SUMMARIUM.

147 *Quibus, & qualiter possit fieri renunciatio a profitente.*

148 *Renunciatio absoluta, facta intuitu Professionis Parentibus, & Amicis non ingratis, tenet contra Ejectum.*

Hujusmodi renunciatio non rescindenda a translato ad Episcopatum.

Limitatio quoties hæreditas fuit adita.

Decretum Sacræ Congregationis in tali materia.

149 *Argumenta contra sententiam Authoris.*

150 *Solutiones argumentorum oppositorum.*

Donans Amicis, occasione Professionis, non censetur donare intuitu illius.

Omnis donatio censetur inter vivos, quoties non fit mentio mortis.

Donatio, non expressa conditione, adjudicatur absoluta.

151 *Donatio conditionata conditione non extante, reddit donata in pristinum libertatem.*

152 *Donatarii ingratitudo irritat donationem.*

153 *Cui acquirat Ejectus, dum repetit donata ingrato.*

154 *De validitate donationis, factæ Religioni, intuitu Professionis, & ejus irrevocabilitate, non obstante ingratitudine Prælatorum.*

Potens revocare donata, potest eodem jure donare.

Cui competat validare acta Religiosi subditi.

155 *Argumenta contra irrevocabilitatem donationis, factæ Religioni.*

156 *Solvuntur adducta in oppositum.*

Habens jus, pendens a conditione de futuro; non competit actio contra possessorem.

157 *Quid? si donatio fuerit conditionata, protestando se donare ad propria alimenta.*

147 RESpondeo, quod talis renuntiatio bonorum, vel est facta Parentibus, Amicis, vel ipsi Monasterio, aut Ordini. Quod si Religioni, vel fuit absoluta, vel conditionata; si absoluta, vel juste, vel iniuste fuit Ejectus. Similiter, si facta Consanguineis, & Amicis, an talis donatio fuerit libera, vel conditionata; quod si libera, an Donatarij fuerint ingrati, nec ne ipsi Renunciauti, seu Donanti bona sua. De istis ergo omnibus videndum est in præsenti. Et primo de Donatione, vel resignatione bonorum facta Parentibus, intuitu Professionis, pro qua sit Conclusio prima.

148 Renunciatio bonorum suorum facta Parentibus, vel Amicis a Novitio intuitu Professionis, si fuit absoluta, nec illi extiterint ingrati, nequit revocari ab illo, dum Expulsus ab Ordine extra Claustra vagatur. Probatur hæc Conclusio. Renunciatio facta a Religioso in Professione, nequit rescindi, dum transfertur ad Episcopatum, quoties bona illa sunt alteri acquisita; ergo a fortiori non poterit talis renunciatio rescindi ab Ejecto, si bona illa, per donationem liberam, transierint in jus alienum. Antecedens patet ex *declaratione S. Congregationis sub die* 11. *Januarij* 1631. in causa eujusdam Religiosi translati ad Episcopatum, & tentantis recuperare renunciata in Professione, cujus declarationis hæc sunt verba, prout refert *Barbosa lib.* 1. *de jure Eccles. cap,* 42. *num.* 242. *Patres censuerunt, dictum Oratorem recuperare jus succedendi etiam in bonis, ab eo renuntiatis, dummodo non sint alteri acquisita*; Consequentia probatur, non enim potioris conditionis est Ejectus, quoad obligationem Votorum, quam sit translatus, nec minus vinculis justitiæ adstrictus, quam ille; ergo si talem renunciationem revocare nequit Episcopus, Textus *ex cap. Statutum* 18. *qu.* 1. quem præcedenti Quæstione retulimus; multo minus Ejectus, quem jura persequuntur. Sic firmant *Navar. ex Ant. a Spir. S. Direct. Regul. tr.* 4. *disp.* 3. *sect.* 12. *num.* 494. *Bellosius V. Ejectus num.* 7. *Lezana V. Eijcere num.* 9.

149. Dices, renunciatio bonorum in Professione fit intuitu vitæ regularis; ergo, cessante causa finali Religiosæ vitæ, per ejectionem, cessat & ipsa. Secundo, renuntiatio censetur facta, rebus in eodem statu permanentibus, sicut & intelligitur omnis dispositio, quapropter, cum mutetur status rerum, dum Religiosus eijcitur, eo quia tunc recuperet proprium velle & nolle, pariter recuperabit & bona quæ renunciavit. Tertio, donans intuitu Professionis censetur donare, causa mortis; ingrediens enim Religionem reputatur a Textu civiliter mortuus *L. Deo nobis, C. de Episcop., & Clericis*, qua non secuta, vel eo resurgente, revocatur donatio; ergo renunciatio facta, dum quis per Professionem moritur sæculo, si iterum per expulsionem illi traditur, revocari poterit.

150 Ad primum respondeo, quod in renuntiatione illa duo considerantur, scilicet abdicatio a se bonorum temporalium, & resignatio eorum huic, vel alteri personæ in particulari; status Religiosus est quidem causa finalis abdicandi dominium rerum temporalium, quia Votum Paupertatis id exigit; sed quod talis renunciatio fiat in favorem hujus, vel alterius personæ, alia causa distincta a causa finali Religionis, movetur renuncians, puta, agnatione, amicitia, misericordia: unde non cessat per expulsionem motivum renunciationis factæ in favorem Consenguineorum, & Amicorum, quare nec revocari poterit renunciatio. Ad secundum dico, quod sicut omnis donatio censetur inter vivos, ubi nulla mentio fit mortis, ut tradit *Glossa*, communiter recepta *l. sera.* 42. *in principio, verbo videre ff. de mort. caus. donat.* si ergo donatio a moriente facta, præsumitur inter vivos, eo quod nulla mentio mortis facta sit, similiter præsumitur donatio inter vivos, & non causa mortis civilis facta, quæ fit a Novitio, volente Religiosum Institutum capessere, quoties non exprimitur, eam fieri causa Professionis, ac proinde firma manebit, quamvis Professio non sequatur, ut docent *Glos. final in ultima solutione cap. quod a te. de Cleric. conjugat. Hostien. cap. de præsentia num.* 14. *se, & sua de prob. Morquec. in divis. bonor. lib.* 4. *c.* 5. *num.* 34. *Ananias dicto c.*

quod

quod a te num. 6. Bertrand. cons. 135. num. 1. volum. 3. in priori parte. Dum absolute docent, Novitium exeuntem non recuperare donationem, nisi contemplatione ingressus donaverit; ergo a fortiori non recuperabit renunciata, dum Ejectus in renunciatione nullam fecit de ejectione, vel non ejectione mentionem; censebitur enim talis donatio absoluta, & irrevocabilis, dum nulla fuit conditio explicite apposita; & per hoc patet ad tertium argumentum in oppositum.

151 Dictum fuit irrevocabiliter tenere renunciationem, si fuit absoluta, non conditionata; nam quod conditionate donatur, conditione non extante, irrita evadit donatio: quare si Novitius donat pro solo tempore, quo a Monasterio alitur, cum cesset donationis conditio, dum expellitur, donatio cadit, & bona donata in pristinam libertatem reducuntur.

152 Addita quoque fuit conditio, dummodo Donatarii, ingratitudinis macula non sint notati; nam licet renunciatio obtineat effectum, revocari tamen potest, quoties ad id Donatarij ingratitudo ostium aperit, ut habetur ex *l. ultim. C. de revocandis donationibus*. Hinc si Donatarius egere viderit Donantem, nec illi subvenias, saltem ex fructibus donatorum, ut ingratus merito spoliatur donatis.

153 Sed dubitatur, cui nam revocata acquirit Ejectus, si illa repetit ab ingrato, si ea recuperet, quia non fuit impleta conditio? Respondetur juxta dicta in superiori Quæstione, quod cum sibi illa nequeat acquirere, illa acquirit, quantum ad dominium, Monasterio, vel Cameræ, prout decedet vel reversus, vel in statu ejectionis, sibi vero quantum ad usum, & administrationem.

154 Conclusio secunda. Donatio absoluta intuitu professionis, facta Religioni, non obstante ingratitudine, aut injusta Ejectione irrevocabiliter tenet, secus si conditionata. Quod donatio absoluta facta Ordini vigeat post Expulsionem donantis, iisdem firmatur rationibus, quibus prima conclusio de renunciatione Consanguineis facta, quod firma consistat urgente ingratitudine, & iniqua Ejectione; Et probatur Donatio illa præsumitur facta Ordini ad sustentationem Ecclesiæ, Monasterii, & Servorum Dei, qui nequit esse ingratus: ergo cum non censeatur facta intuitu Personarum, ob ingratitudinem Prælati, vel Capituli revocari non poterit. Deinde Revocatio valide non fit, nisi in Revocante adsit tale jus, & qui potest revocare donationem, potest de donatis disponere; sed Religiosus per professionem quocunque jure supra res temporales spoliatur, ita quod nil sibi possit acquirere, sed neque disponere nisi de consensu Monasterii, ad quod spectat acta per subditum validare: ergo licet Ejectus renunciationem ingratis Consanguineis factam revocare possit, agendo ex jure Conventus, quamvis ab eo Expulsus, non tamen Conventui donata repetere poterit titulo ingratitudinis, cum nullum jus in eum collimet, quo suffultus ea possit revocare.

155 Dices, esto Expulsus agere nequeat nomine proprio, aut Conventus, agere tamen poterit nomine Sedis Apostolicæ, cui revocata potest acquirere. Deinde Jus civile, etiam pœnale, habet locum, etiam in jure canonico, ubi jus canonicum non disponit oppositum, ut advertit *Nald, verb. jus n. 1.* cum ergo in hac parte jus canonicum, nec in genere, nec in specie prohibeat, donationem factam a Novitio, revocari titulo ingratitudinis, habebit locum lex civilis, Tertio contra principale Quæstionis, Accessorium sequitur naturam principalis, ut habetur ex *Textu Regul. Accessorium de Regul. juris in 6.* sed quando eo modo fuit facta donatio, animus non fuit donandi principaliter, sed accessorie ad traditionem Personæ alendæ cum cæteris ejusdem Ordinis; sed traditio personæ non subsistit: ergo nec donatio bonorum.

156 Ad primum, negatur Ejectum agere posse nomine Sedis Apostolicæ ad recuperationem donatorum; nam, licet illa sit Domina omnium jurium, quæ competunt Ordini, proxime tamen bona donata fuerunt acquisita Monasterio, & non nisi remote ipsi Sedi, cujus jus proximum pendet a conditione de futuro, dato scilicet, quod Ejectus donans decedat extra Claustra; sed habenti jus pendens a conditione de futuro, non competit actio contra possessorem, nisi purificata conditione: ergo Sedes Apostolica neque per se, neque per Ejectum virtute spolii, revocare poterit renunciationem; aliter, qui successurus est in hæreditate Consanguinei, ex hypothesi quod decedat ab intestato, in vita illius hæreditatem ad se conditionate adventuram posset vindicare. Ad secundum non prohibetur Ejectus, quod agat ad recuperationem donatorum, si Donatarii instet ingratitudo, quoties respectu illius intentare posset actionem revocativam; hanc autem actionem habere nequit contra Ordinem, in quem omnia jura Ejecti transierunt, sed tantum respectu aliorum, agendo tamen nomine Conventus. Ad tertium, dictum est supra, quod ubi conditio non exprimitur, donatio censetur esse absoluta.

157 Quæres, dato quod donatio fuerit conditionata, puta protestando se donare ad propria alimenta, vel sub alia conditione, cui nam competit actio contra Ordinem, si alimenta neget Ejecto, ti renunciatio ex defectu conditionis decidat? Respondetur, quod obligatio de præstandis alimentis, si non exprimitur pro tempore Ejectionis, semper censetur sub tacita conditione, quod Religiose vivat; in casu ergo contradictionis pro alimentis, instare poteris apud Judicem competentem, cujus erit donatis spoliare, si Ordinem repereris delinquentem; quod si donatio se ipsa ruit ex defectu conditionis appositæ, ruit in favorem eorum, quibus de jure, iis scilicet, ad quos, semota donatione, Donantis bona provenissent; horum enim est instare pro recuperatione, eo quia tunc bona redeant in pristinum.

QUÆSTIO XXIV.

An Ejectus possit donare acquisita; ac de illis pro beneplacito disponere.

SUMMARIUM.

158 *Quæstio non est de donatione, quæ fit causa mortis, sed de donatione libera congruæ quantitatis.*
159 *Qualiter teneat donatio de fructibus beneficii.*
Ad donationem non requiritur dominium, sed satis est administratio, & usus facti.
Episcopus qualiter tenetur ad eleemosynas ex fructibus beneficii.
Quas donationes facere possit Ejectus.
160 *De quibus possit donare,*

161 *Probi-*

161 *Probibitio de largitione munerum, an extendatur ad Ejectos.*
162 *Qualiter immobilia, & pretiosa mobilia nequeant alienari.*
An idem sit sermo de immobilibus, legatis Ejecto, ac de acquisitis ab illo, quantum ad prohibitionem donationis talium bonorum.
163 *Qualiter probibitio extendatur ad donationes faciendas de illis posteriori Ordini; si illum ingreditur Ejectus.*

158 QUæstio non est de donatione, quæ fit causa mortis, quæ cum Testamento confunditur, nam de hac infra tradetur, dum de testamento Ejecti erit sermo; neque de modicis donationibus, quæ neque degentibus in Claustris sub paterna Superiorum providentia negantur, quoties illorum consensus accedat, ut tradit *Sanch. lib. 7. cap. 8. num. 5. in Decal.*, sed de donatione congruæ quantitatis. Et quia acquisita ab Ejecto, in duplici sunt differentia, alia enim possunt esse fructus beneficii, dato quod ad illud, dispensatione Apostolica, esset assumptus; alia fructus industriæ personæ, ideo sit prima Conclusio.

159 Ejectus, si de fructibus beneficii in vita faciat donationes, tenet donatio, dummodo non sit de iis, quæ immediate acquiruntur Ecclesiæ, sed manent sub potestate beneficiati, etsi Regularis, ut ea, cui voluerit, donare possit, quamvis si de eis non disposuerit vivens, ea donando, vel alienando, post ejus mortem remaneant vel Ecclesiæ, vel inter spolia numerentur. Ita *Passer. tom. 3. qu. 189. ar. 8 num. 531.* Probatur autem Conclusio. Ad validitatem donationis non est de necessitate dominium, sed sufficit administratio bonorum, simplex usus facti, ut habet *Sanch. lib. 6. Decal. cap. 6. num. 10.* sed hujusmodi administratio manet apud Ejectum respective ad fructus beneficii (dato, quod ad illud sit promotus) ergo de hujusmodi fructibus congruas potest facere donationes. Confirmatur, quia Episcopus Regularis puram administrationem Ecclesiasticorum proventuum habens, eo quia a Votis Regularibus non absolutus, non solum potest, sed & tenetur ex juribus, adductis a *Navar. tom. 2. qu. 1. de red. lit. Monet. 21, & 43. num. 3.* & *D. Thom. 2. 2. qu. 87. art. 3. ad 1. & qu. 185. art. 5. ad finem* de proventibus suis facere eleemosynam: ergo, licet in Ejecto promoto sola administratio fructuum beneficii consistat, de illis poterit facere donationes proprio Ordini, vel aliis. Ita *Molina tract. 2. de just. disp. 276. & disp. 520.*

160 Conclusio secunda. *Ejectus* de fructibus propriæ industriæ convenientes facere potest donationes, secus de acquisitis ex illicita negotiatione. Prima pars patet ex dictis superius, idque argumento a fortiori. Addit *Bellet. de pœn. Cleric. §. 35. n. 21.* quod non potest facere magnas expensas, & donationes; sed dicendum est, quod quantum sit ex Voto Paupertatis, *Ejectus* non prohibetur ab illis alienationibus, quæ a Religioso fieri possunt de licentia Superioris, eo Voto non violato, quia omnem hanc licentiam habet, ex quo habet bonorum administrationem. Secunda probatur; quia acquisita ex illicita negotiatione sunt bona spectantia ad Cameram Apostolicam, etiam in vita Religiosi, degentis extra Claustra, & quia ea extra Claustra acquisivit, ut habet *Navarr. Comm. de spol. §. 7. num. 4. & 5.* cum *Sanch. lib. 7. decal. cap. 33. num. 9. Portel. V. Apostasia num. 7. & 8. Rodriq. in compend. resol. 11. Leo in thes. tr. Eccl. par. 3. cap. 3. Pasquil. decis. 37.*, & *Donat. p. 2. tract. 6. qu. 23. num. 14. & 17. & 19.* ergo de illis nequit largiendo disponere; nam de non suo nec fas est donare ad eleemosynam.

161 Dices ex Constitutione *Clementis VIII.* donationes interdicuntur utriusque sexus Religiosis personis, sive fiant de bonis Monasterii, sive de aliis sibi provenientibus: ergo a fortiori interdicuntur Ejectis, eo quia potioris conditionis esse nequeant, quam intra Claustra degentes. Respondetur, sub Constitutione illa non cadere *Ejectos*, eo quia illorum donatio Constitutionis motivo non conferat, quæ ideo fuit edita, ut *Pontifex* se declarat, ad frænandas donationes, ad ruinam Monasteriorum introductas. *Ejectus* enim cum non sit de bonis Monasterii enutritus, sed membrum a Monasterio projectum, & suæ providentiæ relictum, suis donationibus Monasterio non obest, nec illi prodest non donando, eo quia in statu ejectionis, qua Ejectus illi non acquirat, sed Cameræ Apostolicæ, esto per accidens fiat, ut Monasterio acquirat, dum ad Claustra reversus, secum ferens acquisita, recipienti applicat.

162 Quæres, an id, quod dictum est de donationibus congruis, locum habeat quoque, ubi agitur de donatione rerum pretiosarum, ac immobilium? *Et* respondetur negative, nam bona immobilia alienare non potest Ejectus, sicut nec mobilia pretiosa; & hoc ne dum, quia hæc sunt bona Ecclesiastica, prohibita alienari sine licentia Sedis Apostolicæ, sed etiam ratione dominii, quod Ejectus non habet, ut advertit *Pasqualigus* ad *Franch. num. 994.* Ratio est, quia, cum nequeat illa sibi acquirere, cum sit dominii incapax, illa acquirit vel Cameræ Apostolicæ, si decedat extra Claustra; vel Religioni, si redibit: & utramque credere potest rationabiliter invitam; non enim censeri debet vel Religionem, vel Cameram ea habere pro derelictis, vel tacite consentire alienationi, nisi pro quanto necessitas urgeat Ejectum, quæ quidem non modica, sed gravis esse debet. Quod libera bonorum administratio, quæ traditur Ejecto quoad acquisita, non extendatur ad mobilia, vel immobilia, quæ Ejecto ex testamento, seu hæreditate ab intestato, aut legato proveniunt, in tantum, quod Ejectus illa adire, nec possidere queat, nulli est dubium; ea enim pleno jure immediate Religioni, in quam Ejectus omnia sua jura transtulit, proveniunt. Quod etiam acquisita extra Religionem ex industria personæ, ac proprio labore, si sint bona immobilia, aut pretiosa mobilia, illa nequeat absque beneplacito Sedis Apostolicæ alienare, satis constat: qui quidem consensus non tacitus, sed expressus esse debet, ut habetur ex *cap. 1. de his, quæ fiunt a Prælatis*; quare si illa alienat, nulliter agit, ut habet *Passer. tom. 3. qu. 189. art. 8. num. 612.* Verisimile est, quod id faciat injuste, & contra Religionis voluntatem, quæ sub conditione, quod Ejectus redeat, sicut si emendatus potest cogi redire, est illorum Domina.

163 Quæres secundo, an id, quod dicitur de donatione immobilium, ac mobilium rerum pretiosarum respectu exterorum, id teneat quoque respective ad Religionem, si quam ingreditur? Et respondetur affirmative, nam hæc priori Ordini debentur, cui fuerunt acquisita, ita *Passerinus* loco

cit.

eit. Nec obest dicere, quod ea fuerint Cameræ Apostolicæ acquisita, nam id verum est conditionate, dato quod decedat extra Claustra: cum ergo transiens ad aliam Religionem, ad Claustra esto non priora revertatur, locum non habet spolii dispositio, sed Religionis dominium ad sibi copulandam administrationem bonorum, qua professus in alia Religione spoliatur.

QUÆSTIO XXV.

An si Expulsus in illicita expendat, peccet contra Votum, & debeant restitui.

SUMMARIUM.

164 *De jure Ejecti, seu potius usu licito acquisitorum, dum illa ad usus pios expendit.*

165 *Opinio tenentium Ejectum peccare contra Votum, & recipientes teneri ad restitutionem, dum in illicita expendit acquisita.*

Adducuntur argumenta pro tali opinione.

166 *Opinio opposita cum suis rationibus producitur.*

Qualiter competat Ejectis administratio bonorum, a se acquisitorum.

167 *Responsiones ad argumenta opposita.*

A quo proveniat in Ejectum administratio acquisitorum.

Quomodo stet, quod Ejectus abutatur facultate administrationis, sibi tradita ad licita, nec contra Paupertatis obligationem peccet.

Abutitur facultate deferendi arma ad sui tutelam, qui occidit ex dolo, nec tamen peccat contra edictum de delatione armorum.

Quorum alienationem Camera neget Ejecto.

Facultas tradita Episcopis Sæcularibus circa dispositionem redituum, æque extenditur ad Episcopos Regulares.

Ejectorum facultas circa donationes inter vivos, sed non pro testamento.

Ejectus in illicita expendens non tenetur reddere, nec recipiens restituere.

168 *Qualiter turpiter promittens potest Ejectus promissa turpiter honeste reddere.*

164 DUO hic quæruntur. Primum, an Ejectus, contra Votum Paupertatis peccet, si in illicita expendat. Alterum, an recepta turpiter ab Ejecto, sint obnoxia restitutioni. Quantum ad primum pro certo habetur, quod, licet Expulsus non maneat liber a Voto Paupertatis, ratione cujus jus nullum in temporalia potest habere, etsi ab eodem acquisita, habet tamen illorum administrationem, ut possit illis uti, & etiam donare, ut dictum est. In quo tamen unum est certum, & aliud dubium. Certum est enim, quod potest Ejectus bonis, a se acquisitis, uti ad usus necessarios, & pios, qui sunt actus virtutis, & tales, ut inquit *Passer. tom. 3. qu. 189. art. 8. num. 605.* quod ad eos facultatem legitimam, ac justam a suo Superiore haberet, si illam peteret.

Dubium ergo est, an possit uti talibus bonis ad usus illicitos, & superfluos; & cum jam certum sit, usum bonorum ad finem illicitum non carere culpa, dubitatur, an sit in Ejecto speciale peccatum sacrilegii contra Votum Paupertatis, aut contra justitiam, debitam Religioni, & consequenter, an recipientes ab Ejecto teneantur ad restitutionem?

165 Affirmat *Eust. lib. 6. qu. 222. in edit. novi* cum *Donat. in prax. p. 2. tr. 8. qu. 50. Pasqualigus num. 1902. & seq. Lezan. tom. 1. cap. 23. num. 14.* & *Texed. tom. 1. mor. lib. 2. tract. 2. controv. 10. num. 17.* & probatur primo, quia libera, & universalis administratio ad omnem usum pugnat cum Voto Paupertatis, cum ex ea inferant dominium Jurisperiti, *Institut. de rerum divis. & tit. de usu & usufruct.* quoties ea facultate quis potest uti absque alterius injuria. Secundo Ejectus nequit a se acquisita consumere, nisi de licentia, saltem interpretata Superioris, licet illa sibi sit generaliter tradita, quando fuit propriæ providentiæ relictus; sed ea ad usus illicitos nequit extendi: ergo sic expendens contra Paupertatis Votum delinquit. Tertio, quia, licet Religio de bonis Ejectorum non se intromittat, non ideo bene infertur dominium super illa in Ejecto, nam a diversis non est illatio. Quarto, acquisita ab Ejecto, acquiruntur Cameræ Apostolicæ, cujus juri nequit Ejectus præjudicare. Quinto, Religiosus translatus ad dignitatem, & beneficium prodige, & supervacanee consumens, tenetur restituere Ecclesiæ, cui acquirit, nisi forte Ecclesia ad tollendos scrupulos ea remittat, ita *Valent. 2. 2. disp. 10. qu. 3. punct. 8. col. 3.* ergo & Ejectus, cui sola competit bonorum acquisitorum administratio, sicut & de translatis dicitur quoad fructus beneficii, peccabit contra Paupertatis Votum in illicita expendendo acquisita, cogeturque vel is, vel accipiens restituere.

Quod autem hi, qui a sic dante recipiunt, ad restitutionem teneantur, id tanquam correlativum præfatæ positionis inferunt Doctores, ut videre est apud *Mol. lib. 2. de just. disp. 276. col. 3.* & *Less. lib. 2. de just. cap. 4. dub. 5. nu. 29.* ratio est, quia accepta a non habente jus ad dandum, sunt obnoxia restitutioni, non minus ac accepta a filiofamilias.

166 Verum hos Ejectos expendendo in usus illicitos, & superfluos non peccare contra Votum Paupertatis, & recipientes ab eis non teneri ad restitutionem tenent *Sanch. lib. 6. Decal. cap. 6. num. 13. Diana par. 7. tr. 12. res. 5. Sanfarell. de Apost. c. 6. dub. 2. num. 12. Salas tr. 5. de ludo dub 22. num. 5. Bonac. de Claus. qu. 2. par. 12. §. 2. num. 2.* & *Passer. loco cit. num. 606.* & probatur, quia tota commoditas usus, & dispositio illorum bonorum, interim dum vivunt, proinde ad ipsos spectat, ac si Religiosi non essent, cum careant Superiore, cui in ea parte pareant, & cujus ductum, & voluntatem sequi teneantur; sed quoad acquisitionem, administrationem, ac alienationem eorum bonorum se habent, ac si dominium illorum haberent, ac sui juris essent. Hoc confirmatur ex eo, quod Monasterium nullam curam habet de bonis Ejectorum, nec penitus se ingerit in illorum administratione. Nec obstat, quod degentes intra Claustra hac facultate careant, nam non sunt ita propriæ providentiæ relicti, sicut isti; nec in hoc est potior Ejectorum conditio, quinimmo hæc est non modica Ejectorum pœna, cogi ad alimenta sibi ex labore, & industria procuranda. Cum ergo Ejectus non habeat Superiorem, a quo dirigatur, nam Episcopus nequit esse illi loco Prælati, nec per consequens illorum bonorum dominus, eo quia illi non voverit obedientiam, ideo habet bonorum

rerum ; quæ requirit usum facti, ac si esset eorum dominus, unde expendendo in usus illicitos, non peccat contra Votum Paupertatis, nec qui ab eo recipit, est restitutioni obnoxius.

167 Quare ad argumenta in oppositum. Ad primum negatur ex *Passerino loco cit.* assumptum, non enim libera, & universalis administratio bonorum arguit dominium, pugnans cum Paupertatis Voto, quoties talis administratio est ab alio concessa, & ab eodem revocabilis. Dominium enim dicit jus utendi independenter a quocunque alio; administratio vero bonorum, quam habet Ejectus, est sibi concessa a Religione, si ea sit dominii capax, vel a Summo Pontifice, & ab ea, vel illo revocabilis, cum possit Ejectus cogi ad Claustrum. Ad secundum dico, quod falso innititur fundamento scilicet, quod usus rerum temporalium ad turpia involvat necessario peccatum contra Paupertatis Votum, nisi Religio det licentiam utendi ad illum finem, quæ tamen facultas nunquam absque concedentis culpa potest supponi; etenim re vera stat, quod a Religione obtineat Ejectus liberam administrationem acquisitorum (quæ quidem facultas valida, ac innocens ex parte concedentis) Ejectus vero peccet, qui ea abutitur, non quia sine licentia agat, sed quia facultate, data ad finem licitum, utitur ad culpam. Exemplum damus in Principe, qui in lege prohibitiva delationis armorum dans alicui, facultativa dispensatione, jus illis utendi, nunquam supponit ad innocentis offensam, sed ad sui tutelam: quod si, facultate obtenta, quis utitur ad necem innoxij, mulctandus quidem venit, pro qualitate occisionis, non pro usu armorum, quia, etsi facultas data sit ad finem honestum, & per hoc culpa careat Princeps; qui tamen ea abutitur, peccat in legem Dei prohibentem occisionem, non autē in Principis edictū. Non absimili ratione, Ejectus dispensatus in Voto Paupertatis, quantum ad administrationem bonorum sibi provenientium, vel acquisitorum, si facultate tradita ad sui sustentationem, abutatur ad turpia, reus quidem erit pro culpa incontinentiæ, non tamen Voti Paupertatis transgressor, sicut foret, qui de Claustro non nactus rerum temporalium administrationem, nam is utraque culpa non vacaret. Ad tertium, dicimus utique non inferri dominium in Ejecto super ab eo acquisita, ex quo Religio in illius bonis non se intromittit, sed quod obtineat illorum administrationem, hæcque sufficit, ut illa queat pro beneplacito uti, consumendo, vel expendendo, vel alienando acquisita. Ad quartum, respondetur, quod jus Cameræ est, ut succedat veluti decedenti ab intestato in his, quæ post se relinquit Ejectus, dato, quod extra Claustra moriatur. Nec Camera vetat Ejectu alienare bona, per eum acquisita, aliquibus demptis, de quibus supra. Ad ultimum, negatur assumptum, nam Episcopus Religiosus, esto non solvatur Voto Paupertatis, quoad dominium acquirendum; solvitur tamen aliqua ex parte, ut habet *Azor. lib. 12. Instit. Moral. cap. 7. qu. 2.* siquidem fructibus, sibi obvenientibus, uti potest, ut vult; quod est intelligendum, quod attinet ad vinculum restitutionis non incurrendum. Quinimo tanquam certissimum deducit *Sanch. lib. 6. Decal. cap. 6. num. 14. Card. Clement. 2. vers. sed & tales notab. 1. de vit. & honest. Cler. Navarr. in lib. de redditibus Eccl. in 1. edit. qu. 1. n. 81. in edit. 2. qu. 1. monit. 8. num. 2. & monit. 33. num. 1. lib. consil. 3. tit. de Regul. in 1. edit. consil. 70. n. 4. Sa verb. Relig. num. 46. ac Roderic. qq. Regul. to. 2. q. 8. art. 8.*, nempe Religiosum, translatum ad Episcopatum, tam ample posse disponere inter vivos de sui beneficii, & Episcopatus redditibus, quam ample potest licite Episcopus, aut Beneficiarius Sæcularis disponere; Sic firmant quoque *Leonard. lib. 2. de just. cap. 4. dub. 5. num. 29.*, & *cap. 41. dub. 11. num. 86. Rota in noviss. decis. 216. num. 13. par. 2. Vivald. candelab. Sacram. par. 3. cap. 14. num. 86. Cardinal. §. Regularia benefic. nu. 47. Molin. tom. 2. de just. disp. 276. col. 3. vers. Religiosus in Conu. & Graffius 1. par. Decision. lib. 3. cap. 5. num. 43.* Dixi inter vivos, quia id potest per donationem, aut contractum irrevocabilem inter vivos disponere, non vero per testamentum, ut erit post hæc dicendum; quapropter concludunt *Molina*, & *Leonard. loco cit.*, Ejectum non teneri restituere, quæ in illicitis, & superfluis expendit; nec quoque teneri accipientes ab illo, similemque rationem in eo procedere, ac in translato ad beneficium.

168 Quod autem attinet ad restitutionem, quam diximus non cogere accipientem ab Ejectu, turpiter dante, adnotandum venit, quod licet obligare se ex turpi causa ad aliquid dandum, sit malum, illicitum, quoties autem turpe opus est præstitum, quod turpiter promisit, honeste potest reddere; sic *loco cit. num. 614.* firmat *Passerinus*.

QUÆSTIO XXVI.

An Conventus, dum revocat, teneatur ad debita Ejecti.

SUMMARIUM.

169 *Discrimina pro diversitate expulsionis, redditur Expulsi, vel repulsæ.*
Qualiter possit repetere a Monasterio, qui alnit Ejectum.
Ad quæ debita injuste Ejecti teneatur Religio, dum revocat.
170 *Sententia affirmans, Religionem revocantem teneri etiam ad debita pro sustentatione legitime pulsi, adducitur cum suis fundamentis.*
171 *Refellitur præfata opinio, & adducitur ratio opposita.*
172 *Diluuntur argumenta in contrarium.*
Damnum proximi per accidens permittitur, quia temporale, ut fiat satis saluti spirituali Ejecti.
Sat, quod aliquis acquirat alicui, qui tamen ad onera non teneatur.
Bona fides non suffragat, quoties res præstita est in ruinam proximi.
Non tenetur Pater ad alimenta filii fugitivi.
173 *Monasterium, commodum consecutum ex debitis Ejecti, qualiter teneatur ad compensandum Creditoribus.*

169 RESpondeo, quod Ejectus, vel est injuste a Religione pulsus, vel legitime ejectus, sed indebite post emendationem repulsus; vel legitime pulsus, nec unquam antea resipiscens, tandem emendatus, vel redit, aut redire cogitur. Quæritur ergo, an Religio ad debita istorum, dum eos ad Claustra revocat, teneatur? Et primo, quod teneatur ad debita indebite pulsi, si ea contraxit, ad se alendum tempore ejectionis suæ, nulli dubium est, ut patet per ea, quæ diximus *quæst. 4. hujus 3. Part.*

quapropter qui eum alit, postea a Monasterio repetere, ut ibi diximus, nisi animo donandi id fecisset: item propter parem rationem licentium est de debitis, contractis post repulsionem ab eo, qui emendatus accesserat, ut reciperetur, fuitque indebite repulsus; nam de utroque par ratio militat, quia, ut arguit *Passer. tom. 3. qu. 185. art. 8. num.* 657. ex eo tempore, quo Ejectus deferens testimonium sufficiens spei evidentis suae emendationis, petit recipi, & non recipitur, jam manet injuste ejectus, & potest petere alimenta a Religione ab eo tempore, ex quo est injuste rejectus. Dixi, si ea debita ad se alendum contraxit, nam si turpiter promittendo, vel dando ad malum finem, obligationem contraxit, eam extinguere, Religio non tenetur: nam, licet ex contractu, inito in Professione, fovere, alere, ac sustentare teneatur professum, non tamen illi dare stipendia ad effectuandas turpitudines; quare qui ad victum dedit, eum dederit id, quod præstare tenebatur Religio, repetere poterit, non sic qui ad vitia sectanda, & eo maxime, cum ita agendo emendationem Expulsi protraxerit.

170 De eo autem, qui legitime pulsus, debita pro sustentatione contraxit, aliquorum opinio est apud *Sanch. lib. 6. Decal. num. 21. cap. 9. qu. 2.*, ad ea teneri Religionem, revocantem Ejectum, tum quia est in causa, cur Expulsus, nequeat reddere, tum quia si Monachus plurima acquisivisset, ea fuissent Monasterio applicanda: cum ergo sentiat commodum ab Ejecto revertente cum acquisitis, debet juxta *Regulam Iuris in 6.* ut sit par ratio, etiam incommodum ejus, qui cum debitis redit. Tum denique, quia videtur Monasterium teneri ad id, quod utiliter ejus negotium gestum sit, alendo ejus Religiosum, ne fame periret, & Monasterium tantumdem consumpsisset, si non fuisset Ejectus.

171 Verum, oppositum est absolute tenendum, non teneri, inquam, ad debita Ejecti, sive sponte revertentis, sive coacti ad regressum: ratio est, quam sæpe tetigimus, quia ex quo Religio illum legitime ejecit, privat omni providentia, ac propriæ industriæ committit; quare, qui illi mutuat, non habenti, unde reddere possit, suæ negligentiæ fructus percipit, si præstita perdit, Monasterium enim pro Ejecto non fidejubet, nec proinde suo jure privari debet, quo pollet ad revocandos Ejectos suos, quoties spes emendationis subest, quia exinde damnum mutuanti inferat; nam damnum temporale proximi damno spirituali Ejecti sui cavere non debet.

172 Quare ad argumenta in oppositum respondetur. Ad primum, quod Monasterium, revocando Ejectum, non intendit damnum proximi, sed salutem Ejecti sui, licet per accidens permittat malum aliquod temporale sequi, ut saluti Religiosi fiat satis, qui obligatione Decreti Pontificis ad Claustra compellitur. Ad secundum deficit Regula in illis, qui ita alterius potestati subjecti sunt, ut rei acquisitæ dominium non comparent, ut servus, qui quidquid acquirit, domino acquirit, qui tamen damna, per servum illata, in ipsius utilitatem non conversa, non tenetur resarcire. Ad tertium dicitur, quod in tantum Monasterium tenetur ad alimenta Monachi, in quantum Monachus illi servit, & acquirit, ut habet cum *Surd. de aliment. tom. 6. qu. 35. n. 1. Pinel. cons. 76. nu. 1. vol. 1.* sed Ejectus sui culpa non servit, ergo Monasterium non tenetur eum alere, quamdiu durat in eo status expulsionis; quod si Conventus eum alere non tenetur, ejus negotium gestum non est alendo Ejectum, nec exinde factum est ditius. Quod si tantumdem de Monasterij bonis consumpsisset Ejectus, ni fuisset pulsus, utique, & Monasterio pro alimentis, in regulari disciplina persistendo ministrasset. Nec bona fides subministranti alimenta Ejecto suffragatur, cum ea potius fuerit in damnum spirituale Ejecti, & ipsius Monasterij detrimentum, illis enim non ministratis, Religiosus ille necessariis sibi deficientibus, vexatione dante intellectum ad saniorem mentem rediret, & ad pristinam Religionem se reciperet. Deinde sicut Pater non tenetur alere filium, sua culpa, a Patris consortio recedentem, ut optime *Pinel. par. 1. num. 54 C. de bonis mater. Suarez in communibus opin. Verb. filius nu. 185. Ascan. Clement. tit. de patria potest. eff. 17. num. 32. Surd. de alim. tom. 3. qu. 7. num. 1. & 2.* nec Uxor, culpa sua, a Viro divertens, expensas interim factas repetere potest, ut cum *Gloss. cap. significasti verb. Matrimonium de divortio* tenet *Lopus rubr. de donat. inter vir., & Uxor. §. 63. n. 6., & 10.* nec Religio tenebitur ad alimenta Religioso, ex culpa sua de Claustris projecto.

173 Verum est autem, quod si ex contractu, inito cum Ejecto, commodum aliquod reportavit Monasterium, ad id pro rata compensare debet Monasterium ei, qui ex hoc damnum patitur, sicut si Ejectus aliqua acquisivit, ex iis primo facienda est satisfactio Creditoribus, antequam Monasterio aggregentur, nam, ut etiam diximus de iis, quæ sub spolio ea sunt, quod utique in legem illius transeant, deducto prius ære alieno. Quod si apud revertentem nulla bona supersunt, tenebitur Religiosus, ut docet *Sanchez loco cit.* alimenta ministrantibus restituere, si aliquando, salvis juribus Monasterij, restituendo fuerit.

QUÆSTIO XXVII.

An Ejectus, sed emendatus, debeat admitti ad Ordinem, si ex receptione timeatur infamia Religioni; si Ejectus, extra Religionem degens, morbum gallicum contraxit; si redeat inhabilis ad Ordinis Officia; si nequeat sine scandalo cæterorum innocentibus aggregari.

SUMMARIUM.

174 *Causæ retardantes, vel impedientes receptionem revertentis.*

Sententia, docens lapsum in hæresim post expulsionem, non debere recipi post resipiscentiam, affertur.

175 *Refellitur prædicta opinio cum suo fundamento.*

176 *Opinio, docens revertentem cum morbo gallico debere excludi.*

Afferuntur argumenta, illam probantia.

177 *Rejicitur prædicta opinio ex fundamento Decreti de ejiciendis incorrigibilibus.*

Limi-

Limitatur positio ex difficultate conditionis speratæ emendationis in revertente cum tali infectione.

178 *Infirmus, & debilis, senexque reversus, si emendatus, excludi non debet.*

179 *Scandalum imminens prohibet receptionem revertentis.*

Limitatur de scandalo activo, quod omnimode debet vitari; & consulitur, quomodo etiam passivo possit occurri.

174 Quæstio hæc ortum habet ex his, quæ *Gregorius IX.* in suo Decreto, quod supra retulimus *part. 1. num. 12.* statuit, ubi Superioribus Regularibus annuam reductionem præcipiens, iniungit, *salva Ordinis disciplina*, & deinceps subdit; *Si absque scandalo fieri poterit*, ubi *Corduba* supra recensitus *quæst. 10 hujus 3. Part.* posuit quasdam limitationes, quas hic remisimus examinandas; & quia scandalum probabiliter secuturum ex tali admissione, morbum gallicum, inhabilitatem ad Ordinis Officia, in redeunte censuit legitimam causam repellendi emendatum, idcirco hæc sunt specialiter examinanda: Et primo quæritur, an si ex receptione timeatur gravis infamia Religioni, quia nimirum post ejectionem incidit in grave, & enorme delictum, ut si fuisset lapsus in hæresim, usque ad eam abjurandam coactus coram populo; quæritur, an emendatus debeat recipi? Respondent *Donat. par. 2. tract. 8. qu. 26. Pasqual. num. 1012.* negative; nam tunc recipere posset cedere in infamiam, & dedecus Religionis, a qua Religio jure naturæ tenetur se tueri, eo maxime cum interesse communi Religionis privato commodo Ejecti præponderet.

175 Attamen, ut bene advertit *Passer. tom. 3. qu. 189. art. 8. nu. 655.* hæc limitatio locum non habet, quia pro hujusmodi crimine, vel Ejectus est morte multandus, vel ad triremes, carceresque perpetuos damnandus, vel non? Si primum, jam cessat occasio regressus; si secundum, vel constat evidenter de emendatione, ac resipiscentia, vel non; si non constat de tali resipiscentia, non datur locus regressui, cum in eo vigeat incorrigibilitatis præsumptio; si quibus innotuit delictum, innotescat emendatio per evidentia pœnitudinis signa, fructibus bonæ vitæ probata spatio temporis convenıente ad abluendam notam perseverantiæ in malo, nulla inde infamia Ordini Religioso ad stolam primam suscipere Filium, qui dissipato patrimonio, humiliatus revertitur ad Patrem. Quod si quid superest notæ ob præteritorum memoriam, ea poterit caveri in alia Provincia, aut remoto Conventu suscipiendo revertentem, ubi pœnitentia spectetur ignoto peccato.

176 Quid autem dicendum de revertente cum morbo contagioso, num teneretur Religio illum recipere, quia emendatum? Negativa mens est *Donati* ac *Pasqualigi, ubi supra*. Quia commune commodum privato prævalet, legesque humanæ cum gravi detrimento communitatis non ligant. Deinde professus cum morbo gallico cassam reddit Professionem, si contra eam fuit, ut dictum est *quæst. ult. pr. Par.* protestatum: ergo multo magis poteri illam in Ejecto conservare, quoad aliqua suspensam. Tertio, quia tali morbo infectus, cui fit obviam, se prodit ignominiosa Ordinis decori turpitudinis suæ macula notatum; ergo sine scandalo, quod tamen ex Pontificis dispositione est cavendum, nequit ad Claustra admitti. Quarto, conturbans graviter Religiosum Ordinem potest expelli, præstitis de jure præstandis; ergo multo magis, postquam dimissus poterit excludi.

177 His non obstantibus, conatur *Passerinus* sic revertentis susceptionem suadere, quoties subest spes evidens emendationis. Ratio est, quia ex dispositione *Urbani VIII.* sola incorrigibilitas justificat expulsionem; ergo & illa solum poterit impedire regressum, sed in emendato non subsistit, ergo nec causa legitima expulsionis. Unde concludit, laborantem morbo gallico, si non convenit recipere intra Conventum ad consortium aliorum, debere recipi alibi, ac si non fuisset ejectus, & debet Religio talem illius curam habere, qualem debet habere de non Ejecto, sola salva differentia innocentis, & pœnitentis; hæc ille *loco cit. num. 656.* Hæc autem opinio, licet pia, non est de facili ad praxim reducibilis, cum enim agatur de criminibus, quæ sunt difficilis probationis, non minus quam resipiscentiæ, si ipse *Passerinus loco cit. num. 652.* inquit spem dubiam, & probabilem emendationis non sufficere, sed requiri spem certam, ac evidentem in tantum, quod Ejectus nedum de præteritis pœniteat, abstinuerit, & abstineat a relapsu, sed certitudo sit, & evidentia moralis, quod in futurum abstinebit a gravibus delictis, & scandalis, & in Religione pacifice, ac religiose vivet. Quomodo ergo constabit de eo, qui Animæ, & Corporis patrimonium dissipavit, & utriusque sanitatem insumpsit, vivendo luxuriose, quod Claustra petat non fame pressus, sed conscientia ductus; cesset a peccato, quia horreat turpitudines, & non quia viribus destitutus, scortum relinquat; quia emendatus & non potius, quia non habet, quo alat, & alatur; sit Agnus in pelle sua, & non Lupus in Ovina. Equidem in criminibus difficilis resipiscentiæ firmior hæret incorrigibilitatis præsumptio, dum infirmitas cogit, quamdum vires suppetunt clamanti, ut recipiatur: quare qui pro hac opinione statuit contra *Donatum*, & *Pasqualigum*, eorum solvat argumenta, hancque ad praxim reducendo, prudentiam, & discretionem, ut hæreat pietati, non relinquat.

178 An autem idipsum sit dicendum de eo, qui fractis viribus, quia debilis, & infirmus, quia senex, & inhabilis ad Ordinis Officia redit, *Donatus*, & *Pasqualigus ubi supra* idipsum asserunt; verum, cessante in eo contumacia, ac rebellione, non est cur, licet infirmus, aut senex nequeat admitti ad religiosæ charitatis officia; non enim quæ de morbo gallico contagioso, sunt dicta, quadrant senectuti, ac virium debilitati; hæ enim, licet inutilem, non tamen turpem, abominabilem, revertentem constituunt, nec ita incorrigibilitatis præsumtio viget in secundo, sicut in primo. Pro hac sententia stat quoque *Passerinus loco cit. num. 656.*

179 Quod, si admittendo Ejectum, urgeat scandalum; quid tunc agendum? Innocentum enim scandalo occurrendum est, ut habetur ex *dict. cap. final. v. si absque gravi scandalo fieri poterit*. Ibi enim Pontifex statuit annuam reductionem Ejectorum, sed citra scandalum, ut ibi notavit *Glossa in dict. cap. final.* cum *D. Antonin. 3. par. tit. 16. cap. 5. §. 1. Sylv. V. Apostat. num. 10. Armilla nu. 16. V. Apost. Graff. par. 1. decis. lib. 3. cap. 5. num. 151. Corduba in cap. 2. Regul. S. Franc. qu. 21. p. 2. Laym. lib. 4. tract. 5. cap. 13. num. 7. Sanch. lib. 6. moral. cap. 9.*

num. 10. *Rodriq. tom.* 1. *qu.*3. *art.*5. *Leandr. in c.*2. *Regul. S. Franc. cap.* 16. *nu.*15. *Pasqual. ad Franch. num.* 1021. *Donat. par.* 2. *tract.* 8. *quæst.* 26. *num.* 2. *Passer. tom.*3. *qu.* 186. *num.* 564. . Quia tamen scandalum *in* duplici differentia consideratur, activum scilicet, & passivum; hinc dicimus, activum in casu noo habere locum, cum enim illud nequeat subsistere io ootorie emendato, idcirco vel est correctus evidenter, sicque scandalum activum cessat, vel non, & tunc nequit admitti. Solum ergo potest esse passivum, ut cum scilicet alii Religiosi ita ex admissione revertentis commoverentur, ut habet *Rodericus loco cit.* & dicerent se velle potius tale Monasterium deserere, quam simul cum eo morari, sicut *Hostiensis*, & *Archidiaconus* apud *Rodericum* testantur de visu. Sed scandalum passivum, ut bene notat *Passerinus ibidem*, oon sufficit ad justificandam repulsam resipiscentis, dum petit admitti; hoc inquam præstare poterit, quod etiam *Textus citati capitis* disponit, *ut in aliis Religiosis Domibus ejusdem Ordinis, ad agendum ibi pœnitentiam talibus vitæ necessaria ministrentur*. Erit ergo in tali casu non absolute reijciendus, sed alibi ponendus, & collocandus: & pro expensis pro illius sustentatione erit praxis joxta ea, quæ *tert. Part. quæst.* 4. præsentis Operis adnotavimus.

QUÆSTIO XXVIII.

An Ejectus, in alio Ordine receptus, transferat in illum bona donata primo, aut illi acquisita.

SUMMARIUM.

180 *Qualiter Professus in secundo Ordine, illi acquirat.*
181 *Acquisita priori Monasterio illi manent, dum fit transitus ad secundum.*
Translatio dominii est de sui natura perpetua.
Acquisita in spe priori Monasterio, non sunt ejus, nisi tempore delatæ hæreditatis, Legatarius sit illi subjectus.
182 *Acquisita Monasterio nequeunt repeti, dum succedit translatio ad Episcopatum.*
Quæ intuitu Professionis donantur, ea secuta, irrevocabiliter donata censentur.
Professio quocunque jure spoliat profitentem, & illius hæredem statuit Monasterium.
183 *Opinio Roderici, dicentis bona acquisita, Monasterio, illi manere quoad proprietatem, sed usumfructum transire cum persona profitentis in alio Monasterio, reijcitur.*
184 *Dato Filio in adoptionem, liberatur Pater ab obligatione illum alendi.*
Professus in alio Ordine, expensis illius debet nutriri.
Translatus ad aliud Monasterium, non ut ibi profiteatur, sed ad pœnitentiam, a priori Monasterio debet ali.
185 *Argumenta contrariæ sententiæ Authoris adducuntur.*
186 *Solvuntur oppositæ rationes.*
Jus succedendi non competit, nisi post mortem Defuncti.
Religiosus transit ad secundum Ordinem cum onere illi serviendi, & acquirendi, sicut primo.
Dos data pro Matrimonio carnali, qua ratione redeat, dum Vir decedit.
Cur non reddantur donata intuitu Professionis, quoties mors succedit profitentis.
187 *Spes hæreditatis acquisita priori Monasterio, comitatur personam in statu capaci, sed, si fit incapax tempore delationis, cadit sub spolio.*
Spes acquisita cadit delationi hæreditatis.
Monasterium, cui hæreditas fuit acquisita, si præveniatur in aditione hæreditatis a posteriori Monasterio, in quo degit Legatarius, illam potest jure Canonico, non Cæsareo repetere.
188 *Solvuntur argumenta juris Cæsarei.*
Hæreditas, legata Servo, si ablegatur ante aditionem illius, fit posterioris Domini, accedente Servi consensu.
Hæreditas, legata Monasterio intuitu personæ, adiri potest, non obstante contradictione Legatarii.
189 *An transeat cum Persona usus fructus, illi relictus: opinio negans adducitur.*
190 *Refellitur positio cum fundamento ejusdem.*
Qualiter transeat, & qualiter pereat, & a quo tempore.
Acquisitio proprietatis habet causam instantaneam, usus fructus autem successivam.
191 *Usus fructus, relictus Religioso post Professionem, contemplatione Monasterii, remanet, recedente Monacho, secus, si contemplatione Monachi.*
In dubio judicandum est pro Monasterio.

180 SUpponitur hic otrumque Ordinem esse capacem, nec Quæstio est de provenientibus Ejecto, postquam in alio Ordine est professus, nam hæc sive sint ex legato, hereditate, donatione, vel propria industria acquisita, jam supra diximus ad secondum Ordinem pertinere; quia ex quo professus est iu secundo, transtulit in illum omnia jura sua, ac si nunquam in alio Ordine fuisset professus. Difficultas ergo est, an sicut transfert in alium Ordinem persouam cum juribus suis super ea, quæ sibi possunt advenire, & eorum quæ potest acquirere; ita etiam transferat in illum jura omnia acquisita primo Monasterio. Dimissis ergo varijs opiuionibus, quæ hinc inde circumferuntur, sit Conclusio.

181 Qoidquid Professus in priori Monasterio illi acquisivit, sive de donatione, legato, aut alio quocunque modo, illi maret, dum in secondo profitetur. Probatur primo ex *Textu Authen. de Monach.* §. *si vero relinquens.* ubi habetur. *Si vero relinquens Monasterium, in quo conversationem habuerit, ad aliud transeat, etiam si quidem ejus substantia maneat, & vindicetur a priori Monasterio, ubi abrenuncians hanc reliquit*; Si ergo quæ in Professione abrenunciavit, manere debent apud primum Mouasterium, ergo illa nequit transferre ad secundum. Secundo *ex authent. ingressi C. de Sacrosanctis Ecclesijs*, ubi absolute dicitur, per Professionem omnia boua profitentis dedicari Monasterio; sed translatio dominij ex sua natura est perpetua *l. fin. C. de legib.* ergo dominium rerum acquisitarum priori Mooasterio, ibidem perpetuo manere debet. Pro hac sententia stat *Cardin. num.* 2. *qu.* 4. cum *Abba. dict. cap. final. num.* 3. *Henric. num.* 4. & *cap. cum olim il. num.*7. *de privileg. Joan. Andr. cap. final. num.* 3. *de Regul. Anania num.* 8. *Imol. Clement. final. nu.*8.

qu. 7.

qu. 7. de elect. Anchar. cons. 352. fin. Paulus l. inter antequam num. 2. C. de usufruct. Everard. in suis topic. loco a Servo ad Monach. num. 9. Petrus de Perus tract. de mutat. stat. Eccles. cap. 1. num. 3. Nicolaus de Ubald. success. ab intest. 2. par. ubi de success. Regul. num. ult. Redonan. de spol. Eccl. qu. 8. in princip. num. 79. & 80. Bellamera cap. quanto num. 11. de offic. ordin. Bald. novell. de dote par. 1. num. 10. Syn. V. Religio 4. qu. 10. Tabiena Verb. Religio qu. 28. Covar. a num. 20. usque in fin. de testam. Navarr. comment. 4. num. 24. de Regul. & lib. 3. consil. in 2. edit. de Regul. consil. 55. num. 9. Rinald. junior. consil. 342. num. 25. vol. 3. Tapia authent. ingressi verb. sua cap. 6. num. 7. C. de sacrosanct. Eccl. Germon. de sacror. immunit. lib. 3. cap. 4. num. 37. Surdus de alim. tit. 6. quæst. 27. num. 8. Em. Sa in summ. V. Religio num. 35. Molin. tom. 1. de just. disp. 140. col. 13. Azor. tom. 1. instit. mor. lib. 12. cap. 15. quæst. 3. & cap. 16. quæst. 8. ex Sanchez lib. 7. Decal. cap. 31. num. 8. quos citat, & sequitur *Sanchez lib. 7. Decal. cap. 32. num. 8.* licet *Cardinalis, Joan. Andreas, Ancharanus, Abbas, Henricus, Imola, & Bellamera* illam temperaverint ducti a *Gloss. cap. quod a te, in fin. de Cleric. conjug. Cardinal. ibi num. un. oppos. 4. Joan. Andr. num. 7. Anchar. in dict. cap. num. 9. Abbas num. ult. Henric. num. 2. & 3. Imol. Clement. 1. num. 38. de stat Monach. Bellamer. num. 1.* quibus accessere *Natta consil. 180. num. 8. Angel. V. Monasterium num. 6. Menoch. de arbitrar. lib. 2. centur. 5. casu 436. a num. 13. usq. ad 16. Mandel. consil. 712. num. 2. vol. 3. num. 1. Armilla V. Religio num. 17.* dicentes præfatam sententiam locum habere de his, quæ tempore ingressus Religiosus expresse Monasterio donavit, sicut etiam de acquisitis propria Religiosi industria; non autem de his, quæ ex legato, hæreditate, aut bonis patrimonialibus acquisita fuerunt priori Monasterio; *nam* prima bona dicunt perpetuari debere quoad dominium, & proprietatem priori Monasterio, secunda vero transire quoad utrumque una cum Persona ad secundum Monasterium. Ratio disparitatis est, quia priora bona recta via, & independenter a Persona transierunt in dominium prioris Monasterii, ideo non sunt ab eo auferenda; sed posteriora transierunt in consequentiam personæ, & proinde ab ejus perseverantia in Religione pendent: ergo dum in aliam ingreditur Religionem, illum comitantur, & fiunt per Professionem posterioris Monasterij. Immo subdit *Abbas*, quod si Religiosus ea donasset intuitu Professionis, quod ex conjecturis posset argui, puta, quia donata tempore ingressus, vel illi proximo, reddenda forent posteriori Monasterio; idem quoque sustinent *Ubald. de success. ab intest. 2. par. de success. Regul. num. ult. Socin. consil. 222. num. 3. vol. 2. Roduan. de spol. Eccles. qu. 8. num. 79. & 80. Tapia authent. ingressi Verb. sua cap. 6. nu. 10. C. de sacrosanct. Eccl.* qui eandem tenet sententiam, sive bona illa fuerint donata ab eodem Religioso ipsi Monasterio, contemplatione ingressus, sive ab alio, dummodo donata, inspectione Professionis ipsius Religiosi.

182 Hæc autem limitatio non tenet, quia, ut diximus *qu. 23. hujus num. 148.* renunciatio, facta a Religioso in Professione, nequit rescindi, dum transfertur ad Episcopatum, quoties illa bona fuerint alteri acquisita, ut habetur ex declaratione *S. Congreg. ibi cit.* ergo a fortiori illa non poterit repetere, dum transit ad alium Ordinem, quoties illa fuerunt cum juribus Professi incorporata bonis Monasterii Prioris. Nec præstat dicere, quod illa sequantur Personam profitentis, aut tradita fuisse, contemplatione Professionis in tali Ordine, quapropter transeunte Religioso ad alium Ordinem, illum sequi debeant, sicut, dum non subsistit prima Professio: nam per Professionem Religiosus quocunque jure spoliatur, & illud transfert in Monasterium, ergo bona illa ex tunc comitari debent Monasterium, veluti legitimum Dominum, non profitentis personam. Quæcunque vero donata etiam intuitu Professionis, ut ibi diximus, secuta Professione, censentur irrevocabiliter donata, *nisi in* donatione clausula conditionali sit cautum, eam valere, nonnisi durante vinculo Professionis in tali Ordine; sed *neque* tunc donata transirent cum eo ad posterius Monasterium, si de eo nulla fuisset facta mentio, sed in pristinum libertatis statum bona illa redirent, quibus succederet, qui de jure.

183 Tamen *Roder. qq. Regul. tom. 3. q. 2 art. 27. & tom. 2. sum. cap. 31. num. 9. & 10.* inquit, quod bona, priori Monasterio acquisita, remanere debent apud illud, quoad proprietatem, sed quoad usum fructum pertinere ad posterius, dum Monachus ille in eo vixerit, & hoc non quoad omnem usumfructum, sed quantum sufficit ad alimenta Religiosi, *ne* sit posteriori Monasterio onerosus. *Eodem* modo limitant *Specul. tit. de stat. Monach. §. ult. num. 10. qu. 6.* & *Menoch. cons. 193. num. 22. vol. 2.* quoties posterius Monasterium sit inops. Attamen *Hostiens. in summ. tit. de Cleric. conjugat prope fin. vers. si cum licentia Socin. consil. 51. num. 18. vol. 4. Aut. cons. 76. Manialis quædam Mendos. in praxi signatur grat. § translationes col. penult. Caldarin. cons. 22. num. unic. de Regular. Anianus cap. quod a te in fin. de Cleric. conjug.* & *Rebuff. de nominationibus rubr. de Reg. ad prælatur. nominat. fiend. verb. concessi Vers. quid si Monach. ex Sanch. loco cit. num. 7.* id statuunt de fructibus omnium bonorum, quæ priori Monasterio manent adjudicata. Ducuntur ad hoc ex quibusdam juribus *Cap. de Lapsis 16. qu. 6. & cap. si quis rapuerit 27. qu. 1. & Authent. de sanct. Episc. §. penult.* quæ alimentorum loco pro Professo degente in alio Monasterio tradunt usumfructum bonorum, quæ intulit priori.

184 Sed neque hæc limitatio subsistit, quia Pater omnino liberatur ab onere alendi filium, eo dato in adoptionem, ex qua onus alendi omnino transfertur in adoptantem, ut ex *Textu L. onera ff. de adoption.* ergo similiter Religiosus liber effectus a prioris Religionis jugo per Professionem in posteriori, est ab hoc posteriori alendus, nullis alimentorum expensis a priori petitis; ut bene arguit *Sanchez loco cit.* Deinde sibi ipsi imputare debet Monasterium posterius voluntarie illum recipiens, si absque emolumento illum enutrire cogitur. Nec Textus adducti favent hisce limitationibus, nam ibi est sermo de Religioso, qui est translatus ad aliud Monasterium, vel Religionem, *non* ut sit verus Religiosus posterioris Ordinis, sed ut in criminis pœnam ibi detineatur, gratia agendæ pœnitentiæ, ille itaquam, alendus est, sicut & nos diximus *qu. 4. hujus num. 19.* expensis prioris Monasterii; quod si intulit bona, ex fructibus eorum poterit enutriri, manente in priori Monasterio proprietate, & dominio.

185 Objices contra principale Quæstionis: Spes succedendi parentibus, competens Monacho, eo tempore, quo degit in priori Monasterio, transit cum eo in posterius Monasterium; & ideo decedentibus

tibus parentibus post professionem in hoc posteriori, succedit hoc posterius, ut patet ex *cap. unic.* 18. *qu.* 1. *Statutum est*, licet succedendi spes fuerit priori Monasterio acquisita, in quod universa Religiosi jura translata sunt: ergo idem dicendum erit de aliis bonis, priori Monasterio acquisitis. Secundo, onus alendi Religiosum transit in secundum Monasterium: ergo & bona per eum acquisita priori, juxta Regulam, qui sentit incommodum, debet & commodum reportare. Tertio, quia illa bona transierunt in prius Monasterium, tanquam accessoria, & consequentia personam profitentis: ergo censentur transferri sub ea conditione, quamdiu Religiosus in illo vixerit; accessorium enim sequitur principale, quare illo licite transeunte ad aliud Monasterium, vel Religionem, transibunt cum eo omnia bona, sive ab eo donata, vel acquisita priori Monasterio, vel Ordini, sive ab alio; intuitu talis Religiosi, priori Monasterio, aut Ordini legata, vel largita. Quarto, sicut Dos propter matrimonium carnale, viro tradita, eam habet tacitam conditionem, ut, eo matrimonio legitime soluto, sit reddenda; ergo, & bona data intuitu Professionis, qua spiritualiter Religiosus nubit Religioni, sub ea conditione erunt tradita, quod soluto priori vinculo per legitimam Professionem in alia Religione, personam Religiosi sequantur, non minus ac Dos sequatur Mulierem, quoties transit ad posteriores nuptias.

186 Ad primum respondetur cum *Sanch. lib.* 7. *Decal. cap.* 32. *num.* 16. & *Covaruv. cap.* 1. *num.* 20. *de testam.*, quod spes succedendi parentibus non est vere acquisita ante parentum mortem, ita ut illa hæreditas inter bona, jam acquisita, computetur; quod clare indicat *Glossa eodem cap. unic. Verb. restituat*, ubi sic habet, *Jus succedendi non competit, nisi post mortem Defuncti, unde illud jus non dedit Monasterio, sed tantum solam spem, sed illa spes evanescere debet, ex quo illa Persona desinit esse filius illius Monasterii*. Si ergo spes illa hæreditatis fuit translata in secundum Monasterium, hoc fuit, quia non perfecte acquisita, sicut cætera bona, donata priori Monasterio, quare illa migrante, cætera debent permanere. Ad secundum respondetur, quod si ad secundum Monasterium transfertur Religiosus, si Monasterium secundum assumit onus alendi Religiosum, acquirit quoque jus, quæcunque expost acquirat, illi acquirat, & serviat. Ad tertium patet ex dictis contra primam limitationem *num.* 182. Ad quartum, non est simile de Dote, data pro matrimonio carnali, ac datis intuitu Professionis; nam Dos, dissoluto matrimonio per mortem Viri, vel Mulieris, est necessario reddenda, idcirco infertur eam tradi præcise pro onere, quod subit Maritus alendi Uxorem, eo tempore, quo durat matrimonium, At dissoluta professione per mortem Religiosi non restituuntur donata Monasterio, cum ejus dominium perpetuo in tale Monasterium transierit: ergo non censentur donata, vel legata intuitu alimentorum, nec per consequens transferenda translatione personæ,

187 Ex dictis oritur difficultas, quando scilicet Religiosus ejectus ab Ordine capaci, & recipitur in alio pariter capaci, dato, quod ex morte Testatoris deferatur hæreditas priori, sed antequam adeatur, profitetur in posteriori; cui ex his duabus Religionibus acquiratur? Difficultatem hanc fuse, ac erudite, ut sui moris est, tractat *Sanchez loco cit. num.* 17. Breviter tamen respondetur, quod licet secundum communem juris Cæsarei Doctorum dicentium, non esse integrum Monasterio adire hæreditatem absque Monachi facto, quo dato, hæreditas ad postertus Monasterium deveniret, ex dispositione *Textus L. si alienum* 49. §. *in extraneis ff. de hæred. institut.* & §. *in extraneis Instit. de hæred. qualit.*, & *differ.* ubi habetur, quod *jus hæredis, eo maxime tempore, inspiciendum est, quo acquirit hæreditatem*. Deinde in alio subditur, quod *si Servus, institutus hæres, nec jussus a Domino adire hæreditatem, alienatus in alium, si ab eo jubeatur adire, posteriori acquiritur hæreditas L.* 2. §. *si duo sint hæred. Vers. si servus ff. de bonorum possess.* 2. *tabul.* & favet *Lex si servus ejus qui* 81. *ff. de acquirend. hæred.* & etiam quia jus adeundi Monasterio competit ratione personæ, ut ex *Textu Authent. ingress. C. de sacrosanct. Eccl.* ergo translata persona videtur translatum jus hæreditatis; pro qua sententia stant *Barthol. lib.* 2. §. *si servus in fin. juncto principio ff. de bonorum possess. Bald. l. si quis mihi* §. *servus in fin. de acquirend. hæredit. Imola Clem. dudum in fin. de sepult. Feder. consil.* 20. *fin.* & *Ubald. de success. ab intestat.* ex *Sanchez lib.* 7. *Decal. cap.* 32. *num.* 17. Attamen dicendum est, eam hæreditatem pertinere ad prius Monasterium, illique integrum esse illam adire, excluso penitus secundo. Ratio est, quia, eo ipso, quod Monacho hæreditas delata est, non est ipsi acquisita, nec jus adeundi in ipsum transit, sed utrumque acquisitum est Monasterio: ergo per sequentem translationem in aliud Monasterium, non debet prius jure sibi acquisito spoliari. Ita *Albas can. præsentia num.* 77. *de probat. Beroi ibi num.* 560. & *cap. Reinuncius num.* 38. *de testam. Curt. consil.* 48. *fin. Covaruv. col num.* 21. *de testam. Molin. lib.* 1. *de primog. cap.* 13. *num.* 36. & 37. *Leonard. lib.* 2. *de just. cap.* 41. *dub.* 11. *nu.* 88. Quare ad argumenta.

188 Ad primum dicitur, quod per illos duos Textus probatur, quod tempus, quo aditur hæreditas, consideratur veluti id, quo perfecte constituitur hæres in Possessione illius, & de habente jus ad rem, fit habens in re; non tamen probatur, quod, ex quo, Monasterium posterius, fit capax talium bonorum per ingressum Legatarii, derogare possit juri acquisito a priori Monasterio; nam tempus delatæ hæreditatis magis inspiciendum est, quam aditæ. Et hac ratione concludit *Roder. tom.* 2. *qu.* 79. *art.* 1. quod Frater Minor, institutus hæres, vel succedens ab intestato, si talis hæreditas per mortem Testatoris deferatur alicui, esto quod, antequam adeatur, fiat capax per translationem illius in Ordinem capacem, non exinde poterit illam vendicare, eo quia capacitas posterior nequit præjudicare priori juri ab altero acquisito. Ad secundum negatur paritas de Servo, nam ex hoc, quod quis est Servus, non habet jus illius Dominus adeundi hæreditatem illi legatam, nisi ipse consentiat, ut firmat *Sanchez ibidem*: unde deducit, jus nullum fuisse acquisitum Domino illi ex hæreditate Servo delata, tempore, quo erat suus: quare Servo alienato, id jus in sequentem Dominum transibit, ut ex Servi voluntate adeat; at Monasterium, cum possit adire hæreditatem, etiam invito Monacho, cui fuit delata, perfectum adeundi jus, ex tempore illius delationis comparavit. Ad tertium, licet ex motivo personæ hæreditas fuerit delata Monasterio, tamen ex quo illud acquisivit jus in illam, poterit adire non obstante quacunque mutatione, aut contradictione personæ institutæ,

cujus

cujus omnia jura per Professionem transierunt in Monasterium.

189 Quæres, an usus fructus, relictus Monacho professo, transeat cum illo dum expellitur, & deinde dum ad alium Ordinem transit? Et videtur non transire, quia hæreditas, adita a priori Monasterio, non transit ad secundum: ergo multo minus comitatur personam, quæ dominii est incapax; sed ille usus fructus est perfecte acquisitus priori Monasterio, ergo &c.

190 Attamen dicendum, puto, si ususfructus esset acquisitus Monacho, ante Professionem, eum transire cum ipso in statu ejectionis, & ad posterius Monasterium, dum in eo profitetur. Quod si posterius Monasterium est incapax, perit a tempore Professionis, & consolidatur cum proprietate; ita *Sanch. lib. 7. cap. 13. num. 63.* Ducitur ad hoc, quia ususfructus talis est naturæ, ut sequatur personam, in qua constitutus est, & ab ea pendeat quoad esse, & conservari; quare ususfructus, sicut dependet a vita Monachi, ita a perseverantia illius in tali Monasterio. Favet ad hoc *Textus L. 1. §. final. ad fin. de usufruct.* ubi habetur. *Usus fructus quotidie constituitur, non ut propiretas, eo tempore, quo vendicatur*. Subdit vero *Paul. in dict. cap. num.* 4. quod aaquisitio proprietatis habet causam instantaneam, ususfructus autem successivam; quod illa statim perfecte acquiratur, hic autem nonnisi successive. Cum ergo non censeatur perfecte acquisitus priori Monasterio, sed successive quotidie acquiratur ex Monachi persona, cessabit illa, quoties cessat jus ex Monachi illius persona succedendi, eo quod vel fuerit Ejectus vel in alio Monasterio, aut Ordine Professus: & per hoc patet ad rationem in oppositum. Nec præstat dicere, quod omnia jura Professi transeunt in Religionem, nam id debet intelligi secundum illorum naturam.

191 Advertendum tamen, quod, si ususfructus fuit relictus Monacho post Professionem, contemplatione Monasterii, permanebit in eo, inquit *Sanch. ibidem*, quia censetur illi relictus; si vero fuit relictus, contemplatione Monachi, censetur relictus Monasterio; dependenter a persona illius Monachi, & ideo transibit cum illo ad posterius Monasterium. Quod si sit dubium, cujus intuitu sit relictus, judicandum est pro Monasterio, & tunc erit prioris Monastarii; quod si fuit relictus Novitio, præsumitur relictus ratione personæ, & illam comitabitur, eo quia Novitius potest Religionẽ deserere.

QUÆSTIO XXIX.

An Ejecto debeant resignari scripta, ab eodem composita.

SUMMARIUM.

192 *Opinio tenens scripta sua comitari Ejectum. Rationes pro tali sententia.*

193 *Opposita sententia statuitur, data libertate Superiori concedendi, vel negandi eadem Ejecto. Religiosus translatus, quo jure cogatur cuncta Ordini resignare.*

194 *Filius, genitus in servitute, nascitur servus. Manumisso Patris servo, Filius libertatem non acuirit. Differentia inter Servum manumissum, & Religiosum Ejectum. Professio privat Religiosum jure applicandi proprium Sacrificium. Usus suorum scriptorum datur Professio, non dominium. De scriptis suis nequit Religiosus condere testamentum.*

192 SUpponitur, aliquem ex Ejectis fuisse in Religione Concionatorem, vel Theologum, ac Conciones, vel Opus aliquod Theologicum composuisse, vel in alia disciplina exarasse. Quæritur, an talia scripta sint sibi concedenda a Superiore?

Affirmativæ sententiæ adhæret *Diana par. 1. tract. 6. resol.* 25. dicens, scripta esse Religiosi, eumque posse illa secum deferre, transeundo ad aliam Religionem, idque nulla petita licentia, & nullis relictis copijs, sicque de facto quemdam Religiosum, transeuntem ad Carthusiam, secum detulisse duos libros a se conscriptos, nulla petita licentia: opinioni *Dianæ* favet *Bordon. de profess. cap. 5. quæst.* 44. & in eam inclinat *P. Sser. tom. qu. 189. art. 8. n.* 184. dicens, quod manuscripta propria, & a Religioso composita, quantum ad dominium sunt Religionis, sed quantum ad usum proprium sunt Religiosi irrevocabiliter. Ratio est, quia usus talium librorum respectu Authoris non est res pretio æstimabilis, sed supra omne pretium, cum sit quid intrinsece spectans ad usum scientiæ, ad quem Religiosus habet naturale jus, quo non privatur per Votum Paupertatis; sed respectu aliorum eadem est ratio de libris impressis, aut manuscriptis, quorum usus est pretio æstimabilis, & ideo prohibitus ex vi Voti Paupertis, si sine licentia Superioris habeatur. Hæc *P. Sserinus*: unde ex data doctrina concludit, quod transiens ad aliam Religionem, propria manuscripta ad sui usum potest deferre, sed tamen, vel debet eorum copiam relinquere Religioni, vel originalia illi assecurare, nisi haberet facultatem, servatis servandis, illa imprimendi, quod ubi non fecerit, prior Religio habet jus illa recuperandi, quia, quatenus sunt usui aliorum ab Authore, sunt pretio æstimabilia, & ideo sub dominio prioris Religionis. Ita ille.

193 Attamen dico, quod in arbitrio Superioris est illa concedere, vel negare, & Expulsus nullo jure potest aliquid ex illis prætendere. Ratio est, quia quidquid Monachus acquirit, Monasterio acquirit; unde seqitur, quod si in Religione ex commoditate, & alijs, quæ sibi dedit Religio, aliquos libros conscripsit, vel composuit, totum hoc debet cedere in beneficium Religionis. Et argumentari licet a fortiori, ex hoc, quod Religiosus factus Episcopus, non solum suppellectiles, sed etiam libros, quos sibi paravit in Religione, debet ante consecrationem resignare in manu Superioris Regularis, ut pro Dominicanis decrevit *Clemens IV.* ex relatione *D. Ant. de suspens. cap. 4. nu.* 20. aliter a Pontificalibus remanent suspensi; & hoc idem sanxit *Alexander IV.* pro Minoribus, ut ex *Monumentis* Ordinum refert *Roderic. tom. 2. qu. 58. art.* 6. Si ergo factus Episcopus, qui honorem Religioni ex dignitate comparat, non tamen potest aliquid, quod in Religione habuit, secum habere; a fortiori idem dicendum erit de illo, qui vitijs, & excessibus suis Religionem dehonoravit: iste siquidem in poenam delictorum debet spoliari omnibus, quæ ibi habuit,

& si-

& sicut nudus ingressus est Religionem, nudus ab ea debet expelli; & quemadmodum habitu Religionis ob sua scelera privatur, ita debet etiam cæteris privari. Nec dicendum est, dictas Constitutiones loqui de libris aliorum Auctorum impressis, vel manuscriptis, non vero de propriis a se compositis, ut innuit opposita opinio, eo quia isti sunt veluti partus proprij ingenij, ad quos jus naturale habet, ut Pater in filios; imo magis amantur, quia majore labore comparantur partus mentis, quam partus ventris. Quia dictæ Constitutiones talem distinctionem non faciunt de libris impressis, & manuscriptis, nec de compositis a se, vel ab alio. Liquet vero, quod plus æstimatur originale manuscriptum, cujus nullum extat vulgatum exemplar, maxime si sit compositum a Viro excellenter docto, quam quivis alius liber impressus, unde magis læditur Religio ab ipsius ablatione; onde, si cavetur indemnitati Religionis in minori damno, a fortiori idem erit in majori.

194 Pariter si Filius generatur in servitute, nascitur Servus, *quia partus ventrem sequuntur*, ut dicitur in *Jure L. Partum C. de Rei vindic.* non autem ex hoc, quod manumittatur Pater, vel Mater, Filios, qui natus est Servus, libertatem acquirit, argumento ejusdam *Legis Si ita §. sed etsi ff. de manum quæ serv. ad uni.* nec patria potestas ad ipsum extenditur. A simili ergo, cum Religiosus sit sub dominio Religionis, Filij a mente sua geniti, hoc est libri a se compositi, sunt in dominio, & proprietatu Religionis; dum autem ille expellitur a Religione, manumittitur quodammodo (& quidem improprijssime, non enim a Votis Religionis obsolvitur, nec antiquam libertatem recuperat) sequitur ergo, quod non per hoc etiam a dominio Religionis absolvantur ejus Filij, nempe libri a se compositi. Quare negatur, per Votum Paupertatis non devolui ad Religionem jus super propria scripta, ex quo per illud devoluitur etiam jus Ordinis, quoad applicationem proprij Sacrificij, ut merito juxta Minorum Constitutiones voluntatis proprietarius censeatur, qui sic delinquit. Solus ergo usus facti quoad propria scripta reservatur scribenti, etsi privativus usus communis, eo quod sub propria cadant custodia, nunquam tamen dominio, aliter de illis posset testamentum condere; habenti enim dominium lex non obstat in morte disponere.

QUÆSTIO XXX.

An expulsus possit de acquisitis testari, vel facere donationes, causa mortis.

SUMMARIUM.

195 *Potestas testandi pugnat cum Voto Paupertatis.*
Cui interdicitur testari, etiam condere codicillum.
Decedentis extra Ordinem hæres necessarius est Sedes Apostolica.
Prohibitio testandi non extenditur ad donationes de rebus convenientibus, factas inter vivos.
196 *Sententia negans donationes, causa mortis, ipsi Ejecto.*
Reprobatur assertio cum suo fundamento.
Qualiter distinguatur donatio causa mortis a testamento.
Uxor absque licentia Mariti testari potest, non tamen causa mortis donare.
Filius familias antiquo jure nequit de bonis adventitijs, etsi accedat Patris assensus testari, bene tamen facere donationes causa mortis.
Sapit testamentum, si Ejectus in morte linquat schedulam, in qua notata sit persona, resque donata, nec ligat hæredem.

195 Respondeo; quod certum est ex communi Doctorum, ut videre est apud *Passer. tom. 3. qu. 189. art. 8. num. 614. Sanch. lib. 6. mor. cap. 8. num. 46., & lib. 7. cap. 8. num. 9.* non posse Ejectum de rebus a se acquisitis, condere testamentum, eo quia potestas testandi pugnat cum Paupertatis Voto; nec Ejectus est dominus illorum bonorum, sed solum usus, & commoditas eorum illi conceditur, dum vivit, ut supra ostendimus, hinc *Sanchez* concludit, quod neque condere possit codicillum, quia qui unum nequit, nec alterum præstare potest, ut ex juribus probatur *L. Divi 6. §. penult. in fin., & ibi Gloss. verb. testament. & l. si quis 3. paulo post princip. & ibi Gloss. verb. faction. & regul. 6. tit. 12. p. 6.* quare si decedat extra Ordinem, ejus *necessarius* hæres est Sedes Apostolica ut firmant *D. Thom. supra q. 185. art. ult. ad 3. Molina dis. 177. Les. 2 cap. 41 num. 117. Donat. q. 49.* Nec præstat dicere, posse Monachum in vita aliquid modicum, annuente Abbate, donare, ergo & posse via testamenti donare post mortem; quia dispar est ratio, quia testamentum est jus, & facultas, qua testator explicat suam voluntatem, post obitum suum exequendam, quod interdixit jus Ecclesiasticum, tanquam sapiens naturam dominij, ut ex *Jure Autentic. ingressi C. de sacros. Eccl. & cap. quia ingredientibus 19. quæst. 3. & cap. 2. de Testa. & l. reg. 18 tit. 1. p. 6.* passim colligitur; at non interdixit donationes modicas in vita, id enim posse fieri de licentia Superioris permisit, tanquam quid convictui humano necessarium; unde concludit *Navar. comm. 2. de regul num. 58.* posse Prælatum Religionis dare facultatem Religioso, ut de illis disponat in vita, solum vero Pontificem, ut disponat in morte.

196 Major est ergo difficultas, an Ejectus possit donationem, causa mortis facere. Negat *Navar. lib. 3. consil. in 1. edit. de donat. consil. 6. num. 3. in 2. lib. 1. tit. de præsumpt. cons. 2. n. 3.* eo quia hujusmodi donatio est quædam ultimæ voluntatis species; tum etiam quia non potens de jure testari, nequit etiam donare causa mortis, ut tradit *Glos. l. tam is 25 verb. non facit ff. de donat. causa mort.*. Attamen affirmativa pars, tanquam probabilior sustinetur a *Sanch. lib. 7. cap. 8. Decal. num. 11.*. Ratio est, quia Ejectus vi suæ administrationis potest facere aliquas donationes inter vivos, ergo & causa mortis. Secundo quia testamentum, & donatio, causa mortis, sunt separabilia, ergo de uno ad alterum non valet illatio. Probatur, quia Uxor absque Viri licentia potest testari, & tamen juxta frequentissimam sententiam, quam tenet *Covaru. rubric. de test. p. 3. num. 12.* cum multis aliis; quos refert *Matienzo ad Glos. 2 num. 29.* nequit causa mortis donare, e contra Filiusfamilias, attento jure communi antiquo, nequit testari de bonis adventitijs, ut habetur ex *Textu L. tam is 23. ff. de donat. caus. mort. L. final. tit. 4. p. 5.* etsi consentiat Pater, cum tamen possit ex eodem jure donare, causa mortis. N

ergo

ergo ex prohibitione testandi recte deducitur prohibitio donandi causa mortis. Tandem quia nulla apparet ratio, cur Ejectus possit statim donare librum, & nequeat illum eidem, causa mortis donare ut post mortem habeat effectum, & confirmetur ea donatio. Sic quoque firmant *Bartol. in 2. lectur. n. 66. Bellapert. q. ult. in authent. ingressi. Tapia ver. idcoque nec de his cap. 1. n. 4. Suarez alleg. 20. n. 27. Gratian. Regular. 456. num. 4.* Advertendum Tamen quod si Ejectus relinqueret schedulam, in qua esset dispositio, quid faciendum esset de rebus suis post mortem, illa, inquam, haberet vim testamenti quodammodo, aut Codicilli, unde ibi disposita nulla essent.

QUÆSTIO XXXI.

An Translatus ad Dignitatem Episcopalem, si illi cedit, aut deponitur, teneatur ad Ordinem redire.

SUMMARIUM.

197 *Sententia affirmans, teneri redire, & Religionem recipere, affertur cum suis fundamentis.*

198 *Sententia negans, quoad sponte renunciantem Episcopatui, suadetur.*
Probatur ratione, & auctoritate.
Qualiter hoc privilegium ab aliquibus extendatur etiam ad Degradatos.
Reijcitur talis extensio, & probatur rejectio auctoritate, & ratione.

199 *Solvuntur argumenta opposita.*
Episcopus Regularis ex sola decentia post renunciationem Episcopatus suadetur redire ad Ordinem.
Disparitas inter Episcopum Regularem, & Prælatum quoad subdi Obedientiæ Voto.

197 Quod teneatur redire, & Religio cogatur illum recipere, suadetur ab *Abulens. cap. 30. num. quæst, 109. Major. lib. 3. de irrig. cap. 6. num. 7. Arragon. 22. quæst. 88. art. 11. fol.* 1036. Ratio est, quia Religiosus Episcopus tenetur ad regulares observantias, pro quanto sunt compatibiles cum statu Episcopali: ergo solutus ab illo tenetur redire. Secundo, translatus ad aliud Monasterium, ut illi præficiatur, si regimen dimittit, ad primum redire compellitur. Tertio, adstrictus Voto Castitatis, si Uxorem ducat, ea defuncta, revivisceit ex integro prior obligatio, eo quod cessaverit impedimentum, ita a pari. Deinde hanc esse praxim, exemplo multorum firmatam, narrant historiæ, teste *Sanch. lib. 6. cap. 6. num. 28.* quibus additur *Celestini V.* exemplum.

198 Opposita sententia tenet, Religiosum renunciantem Episcopatui, nullatenus cogi ad regressum, nec Religionem constringi ad receptionem. Ita *Peyr. formul. lit. S. cap. 7. Sanch. loco cit. Bordon. tom. 4. part. 3. ref. 112. num. 49. Roderic. qq. regul. tom. 3. q. 52. art. 26.*; Ratio adducitur ab eodem *Roderico*, quia cum Episcopus fuerit consecratus, & ab obedientia Prælati Regularis liberatus, non reincidit in ipsius Prælati subiectionem, & obedientiam; nam, licet renunciet, remanet in perfectiori, & altiori statu collocatus. Nec obstat, quod adhuc sit Religiosus, & in eo sint suspensæ obligationes religiosæ vitæ, inquit *Bordonus*, quia est Religiosus quoad substantiam status religiosi, non quoad clausuram, & obligationes, a quibus fuit exemptus. Hoc ipsum firmatur ex *cap. 1. & 2. de translat.* quibus quoque utitur *Rodericus* ad suam conclusionem. Limitat vero *Peyrinus*, ut non intelligatur de degradato; sed quod idem sit de eo dicendum, tenet *Bordonus*, cui adhæret *Pasqual. decis.* 282. eo quia translatio fuerit simpliciter, & sine limitatione temporis facta, nec sit aliquod jus, quod cogat ad regressum. Verum, quod depositus, & degradatus, si id ex ejus culpa contingat, cogatur redire, optime probat *Sanchez. ibidem num.* 30. eo quia depositus, & degradatus hujusmodi exuitur per degradationem omnibus privilegiis, ratione dignitatis concessis, quare cessabit quoque prædictum exemptionis privilegium, & tenebitur ad Religionem redire, ut etiam docet *Henriq. lib. 10. de Sacr. Ord. cap. 32. n. 4.* & favet *Glos. authentic. constit. quæ de dignit. collat.* 6. Hinc ad argumenta.

199 Ad primum dicitur, Episcopos teneri ad regulares observantias, solo honestatis, & decentiæ debito; nam sub culpa non tenentur, nisi ad Vota, pro quanto sunt compatibilia cum eorum statu; & ita nonnisi ex decentia tenentur redire, si sponte cesserint Episcopatui. Ad secundum non est par ratio, quia Præpositus Monasterio se habet sicut Generalis, qui pro solo tempore officij solvitur a jugo obedientiæ, eo quia in Ordine non habet, cui obediat; cessante tamen officio, alteri subditur, ita ille; non sic Episcopus, qui in perpetuum fuit exemptus, sicut & dignitas illius perpetuitate gaudet. Ad tertium, locum non habet similitudo, quia impedimentum Voti fuit temporaneum, ideoque potuit reviviscere, sed exemptio Episcopi, utpote a dignitate perpetua ortum trahens, perpetuo durat; nec dicendum est, talem exemptionem dari ad levamen oneris Episcopalis, alias Episcopus in partibus cogeretur ad Claustra, donec ejus Ecclesia redimeretur. Ad ultimum praxis illa ab honestate, non ab obligatione consulitur.

QUÆSTIO XXXII.

An Minorita promotus ad Episcopatum recuperet antiquum jus succedendi in bonis paternis, olim amissum ob religiosam Professionem.

SUMMARIUM.

200 *Resolutio quæsiti negativa.*

201 *Religiosus factus Episcopus manet adhuc in statu Religiosi.*
Substantia status Religiosi in quo consistat.
Religiones Militares lato modo vocantur Religiones.

202 *Papa ex causa gravi potest de Religioso facere non Religiosum.*
Papa non dispensat de facto super Votis solemni-

bus cum Religioso Episcopo.

203 Dispensatio facta sine causa non valet.

Papa sine causa nequit dispensare super juramento.

Dispensatus a Papa in ijs, quæ sunt de jure Divino sine causa non est tutus coram Deo.

204 Nulla causa adest, ut Regularis factus Episcopus dispensetur in Votis solemnibus emissis.

Vota tantum repugnantia statui Episcopali relaxantur.

Nec Obedientia, nec Castitas relaxantur in Episcopatu.

Votum Paupertatis remanet in facto Episcopo.

205 Firmatur conclusio, quod Vota Regularia solemnia non sunt incompatibilia cum statu Episcopali.

206 Religiosus, si de facto dispensaretur super Voto solemni, non esset amplius Religiosus.

207 Quidditas status Religiosi in quo consistat.

208 Status Religiosus quo sensu sit ex institutione Ecclesiæ, & in quo sensu sit de jure Divino, & institutione Christi.

Concordantur Canonistæ cum Theologis.

209 Qualis forma religiosæ vitæ fuerit tradita a Christo.

Tria Vota solemnia sunt de quidditate Religiosæ vitæ.

210 Paupertatis Votum præ cæteris spectat ad vitam Religiosam.

211 Impugnatur Pellizarius.

Apostoli professi sunt ad statum Religiosum.

Christiani primitivæ Ecclesiæ propriam non habebant.

Quomodo Papa non potest dispensare in ijs, quæ sunt de essentia status Religiosi.

212 Regularis factus Episcopus non recuperat jus ad bona patrimonialia.

213 Confirmatur proxime data conclusio.

Dispositio ad formam non expirat superveniente forma.

214 Terminus a quo non excluditur a termino ad quem, quando subjecta materia inclusionem persuadet.

215 Facilius est, ut Monachus fiat Episcopus, quam e contra.

216 Regularis factus Episcopus administrat bona suæ Ecclesiæ, ut Episcopus non Regularis.

Non tamen habet dominium fructuum Ecclesiasticorum.

217 Quas donationes possit facere Episcopus Regularis.

Error dicentium Episcopum Regularem esse dominum fructuum suæ Ecclesiæ.

Monachus quomodo habeat jus vindicandi paternam hæreditatem.

Episcopi quilibet sunt puri administratores bonorum Ecclesiæ suæ.

218 Quidquid obvenit Regulari post Episcopatum cedit in dominium Ecclesiæ suæ.

Episcopus Regularis prodigens bona, etiam a se acquisita, tenetur ad restitutionem erga suam Ecclesiam.

Episcopus quivis nequit sine licentia Papæ testari de fructibus suæ Ecclesiæ a se acquisitis.

Episcopus Regularis, si vult testari de bonis quibusvis, quid facere debeat.

Dispensatio terminatur cum vita.

219 Episcopus Minorita non potest, neque nomine Conventus succedere in bonis patrimonialibus.

220 Jus bonorum, quæ erant ejus, qui Professionem emisit inter Minoritas, acquiritur ijs, qui debent succedere, statim ac Professio est emissa.

221 Diluitur instantia contra prædicta.

222 Professio Regulæ minoritæ involvit renunciationem quorumvis bonorum.

Qui vult antecedens, vult eius necessarium consequens.

Renunciatio excludit a jure successionis.

Renunciantibus sua jura, ad ea non datur regressus.

223 Nonnulli Doctores contrarium sentientes impugnantur.

224 Primum fundamentum oppositæ sententiæ.

Bona vendicare, & sibi acquirere solis veris Dominis competit.

225 Respondetur primo fundamento.

Quomodo Monachus factus Episcopus absolvitur a jugo Regulæ suæ.

Non absolvitur a gestatione habitus.

Quare Regularis factus Episcopus teneatur portare habitum Religiosum.

226 Aliter respondetur eidem fundamento.

Religiosus Episcopus absolvitur a præceptis Regulæ, non ab essentialibus status Religiosi.

Per speciem quando generi non derogetur.

Accidens mutatur, invariata substantia.

Frater Minorita prohibetur contrectare denarios independenter ab eorum proprietate.

227 Respondetur tertio ad idem fundamentum.

Monachus factus Episcopus jus succedendi in paternis bonis transfert in Ecclesiam suam.

128 Secundum fundamentum in oppositum.

Nemo potest transferre in alium jus, quod non habet in se.

229 Respondetur dato fundamento.

Quomodo Episcopus Regularis transferat in alium jus bonorum, quæ dispensat.

230 Tertium fundamentum in contrarium.

131 Satisfit tertio fundamento.

Quid agendum ab ijs, qui bona receperunt ab Episcopo Regulari.

232 Quartum fundamentum in opposit[illegible].

Renunciatio non extenditur ad futura.

Renunciatio, quæ fit a Regulari profitente, est conditionata.

233 Respondetur allato fundamento.

Quo sensu renunciatio dicta sit conditionalis.

Talis renunciatio quomodo resolvitur in absolutam.

Dicta renunciatio est ut donatio inter vivos.

Vel est donatio causa mortis, morte secuta.

Mortuus resuscitatus an bona sua recuperet.

Regularis mortuus civiliter semper manet mortuus.

234 Respondetur aliter eidem fundamento.

Actus Professionis Regularis non admittit conditionem.

Actus legitimus non admittit conditionem.

235 Quintum fundamentum in oppositum.

Reversus ab hostibus jure postliminij recuperat sua bona.

Deportatus, restitutus a Principe, recuperat antiquum statum.

236 Respondetur allato fundamento, negando paritatem.

Re-

Religiosus renunciat juri bonorum, quæ possidet, & eorum, quæ possent obvenire sibi.

237 *Sextum fundamentum in contrarium.*

238 *Impugnatur, quod Paupertas Religiosa possit compati dominium bonorum.*

239 *Ostenditur dicta opinio esse contraria Sacro Evangelio, & Textui Canonico, & rationi naturali.*

240 *Quomodo Scholares Societatis Jesu possint dici Religiosi.*

241 *Assignatur alia ratio, ob quam prædicti possunt dici Religiosi.*

242 *Impugnatur, quod detur gradus Religiosæ Paupertatis, qui probibet tantum usum, retento bonorum dominio.*

Pupillus potest esse ditissimus, licet independenter a Tutore de suis bonis nequeat disponere.

243 *Quænam sint de quidditate Religiosæ Paupertatis, & quæ sibi sint accidentalia.*

244 *Impugnatur, quod abdicatio bonorum quoad usum sit necessaria Religiosæ perfectioni, non vero abdicatio dominii.*

245 *Impugnatur, quod sit introductum a Iustiniano, ut Monachus suorum bonorum jus transferat in Monasterium.*

Regularis vita a Christo, & Apostolis instituta.

246 *Monachi longe ante Iustiniani tempora bonorum suorum jus cedebant Monasterio.*

247 *Affertur ultimum fundamentum in contrarium, & ei respondetur primo.*

248 *Nulla consuetudo contra jus Divinum tenet.*

249 *Respondetur secundo dicto fundamento.*

250 *Respondetur tertio eidem.*

Papa non dispensat in iis, quæ sunt juris Divini.

Nec dispensat cum Regulari facto Episcopo super Votis, quæ compatiuntur cum statu Episcopali.

Omnia Vota sunt principaliter ob cultum Dei.

Causæ Votorum impulsivæ, quæ.

251 *Concluditur, quod si Papa non dispensat in Votis cum transeunte a strictiori ad laxiorem Religionem, ita non dispensat cum facto Episcopo.*

ADSIT DOMINUS

200 IN casu mihi proposito. *An scilicet Frater Minor Strictioris Observantiæ factus, ac confirmatus Episcopus recuperet jus succedendi in hæreditate paterna, bonis fideicommissis, feudis, ac aliis juribus, & actionibus, quod per Religiosam Professionem amiserat?* Respondendum censeo negative.

201 Fundamentum resolutionis est, quod Religiosus evectus ad Episcopatum manet adhue Religiosus, & obligatus consequenter ad observantiam trium Votorum essentialium, nempe Obedientiæ, Castitatis, ac Paupertatis. Est enim communis sententia *D. Thom. 2.2. quæst. 186. art. 1. & 2. Suar. tom. 3. de Relig. lib. 2. cap. 2. num. 3. Sanch. moral. lib. 5. cap. 1. num. 16. Layman. lib. 4. tr. 5. cap. 1. num. 1. Pellizzar. Manual. Regul. tr. 1. cap. primo num. 1. 2. & 3.*, quod substantia status Religiosi consistit in firma, ac stabili permanentia in aliqua ex Religionibus per Ecclesiam approbatis, servando tria Vota essentialia prædicta quæ sunt omnibus Religionibus proprie sumptis æqualiter communia. Dico autem *Religionibus proprie sumptis*, ut sunt Monachales, Mendicantes, ad differentiam Ordinum Militarium, qui lato tantummodo veniunt nomine Religionum juxta *D. Thom. 2. 2. quæst. 186. art. 4. ad 3 Roderic. tom. 1. qu. regul. 1. art. 6. Soto Sarmien. Azev. d. Lopez. Giron. apud Araux. decis. moral tract. 3. quæst. 28. num. 24.* &c. & in quibus talium Votorum professio valde differt a Religionibus prædictis proprie sumptis.

202 Quod vero evectus ad Episcopatum maneat adhuc Religiosus, convincitur ex hoc, quod Papa, quamvis de potestatis plenitudine possit ex urgenti causa dispensare eum aliquo super Votis solemnibus, & transferre per talem dispensationem illum ad statum non Religiosum, prout post *Gloss. final. in cap. Cum ad Monasterium, & ibi*, ac *Innocent.* tenent *Abb. num. 21. de stat. Monach. Jo. Andr. in cap. Semel. de Reg. jur. in 6. Alex. cons. 1. 7. num. 7. & seqq. Iac. Aurell. ad Abb. l. cit. lit. A* & alii Doctores communiter; tamen de facto, ac regulariter non dispensat super illis in eo quem transfert ad Episcopatum, ut docet *Araux. decis. moral. tom. 2. tr. 4. quæst. 29. dub. 2. num. 10.* quia non vult Papa illum eximere ab obligatione ad id, quod perfectius est, quam illius oppositum.

203 Et hoc magis convincitur ex communi doctrina, quod dispensatio concessa sine causa non est legitima, sed cum D. Bernardo dicenda est potius *dissipatio*; unde dicitur, quod sine causa non potest Papa quemquam absolvere a juramento *Gloss. in cap. Quanto in v. Absolvi v. Ubi vero. Innoc. in cap. Cum inter P. de Denunc. Abb. in cap. Significasti num. 8. de Elect.* neque in cæteris, quæ sunt de jure Divino sine causa dispensare; quod si hoc facit, non est tutus coram Deo ille, qui dispensationem obtinuit, ut habet *Gloss. in cap. non est in v. Adimplere de Vot. & Vot. redempt.* quamvis in facie Ecclesiæ aliter sit.

204 Nulla porro intervenit legitima causa, ut Regularis, qua talis, promovendus ad Episcopatum, debeat ex hoc dispensari in Votis suis solemnibus, ut firmat *Sanch. in Decal. lib. 6. cap. 6. num. 2.* Siquidem Vota solemnia Religiosa cum oneribus status Episcopalis non pugnant, imo ipsum tanquam statum perfectissimum juvant; & per assumptionem ad Episcopatum non relaxantur Vota, nisi quatenus statui Episcopali repugnantia, *Sanch. loco cit. num. 8.* Non repugnant autem huic Vota solemnia; nam Castitas in nullo mutatur in Episcopo, ac primo erat in Religioso; Obedientia in eodem perseverat immutabiliter, illa nempe, quæ primo respicit Romanum Pontificem, ad quem, tanquam ad objectum primo intentum, dirigitur Votum Obedientiæ Religiosæ; Papa enim est supremus omnium Ordinum Generalis, *Sanch. moral. lib. 6. cap. 1. num. 8.* imo tale Votum magis intenditur juramento, quo Episcopi, juxta Canones *Text. in cap. Significasti 4. de Elect. & in cap. Ego N. de Jurejur.* specialiter obstringuntur ad obediendum Papæ. Nec dicendum, quod laxatur Votum Obedientiæ in Religioso facto Episcopo, quia non tenetur amplius obedire Prælatis suis Regularibus; quia ipsis obedire non tenetur, quia major omnibus illis evadit; unde etiam Religiosus factus Prælatus Generalis sui Ordinis, nulli Prælato locali, aut Provinciali tenetur obedire, nec tamen per hoc sequitur, quod relaxetur Votum Obedientiæ in Religioso ad Generalatum evecto. Paupertas etiam

perdurat in statu Episcopali, in quantum hæc importat abdicationem proprietatis, ac dominij, ut infra patebit; & solam rerum Ecclesiasticarum administrationem habet talis Episcopus, utpote quæ statui suo necessaria est. Unde non aliter dispensat Episcopus, ac administrat res Ecclesiæ de licentia, ac voluntate Papæ, quam Syndicus, Procurator, aut Oeconomus Monasterij de licentia, ac voluntate sui Prælati; & sicut ille bona Monasterij dispensat, quorum tamen dominium non habet; ita etiam factus Episcopus res suæ Ecclesiæ administrat dependenter a voluntate Papæ, nec per hoc illarum dominium, aut proprietatem acquirit.

205. Si ergo Votorum solemnium nulla est repugnantia cum statu Episcopali, nulla consequenter adest, urgens causa dispensandi super Votis solemnibus; sequitur ergo, quod Papa super illis minime dispensat.

206 Quod si ex aliquo justo motivo (quod tamen vix dabile est) Papa cum aliquo dispensaret super Voto Paupertatis, ita ut acquirere posset dominium, ac proprietatem bonorum temporalium, sive patrimonialium, sive aliunde sibi obvenientium, dispensatus non maneret amplius in statu vero Religiosi, ut docet *Petr. Marchant. Tribun. Sacram. tom. 3. par. 2. tract. 2. tit. 1. quæst. 4. dub. 4. vers. 1. hic non agi*; siquidem, ut infra clarius demonstrabitur, quidditas, ac essentia Religiosi status consistit in solemni Professione observandi Paupertatem, Obedientiam, ac Castitatem cumulative; unde aliquo ex his Voto relaxato cessat in illo, qui dispensatur, status vere, & proprie Religiosi.

207 Quod, ut amplius pateat, advertendum post *D. Thom. opusc. 18. cap. 6. & seqq. Marchant. loco cit. quæst. 2. concl. unic.* quidditatem status Religiosi consistere in hoc, quod illum profitens acquirat sincerum Dei amorem super omnia, quatenus via mandatorum Dei, ac consiliorum Evangelicorum, solemni Voto, ac observatione, ad illum pervenitur; in cæteris enim Christianis, ut ibidem docet *Marcb. loco cit. v. Dixi & consiliorum.* sufficit ad perfectionem Charitatis, juxta proprij status exigentiam, observatio mandatorum Dei; sed in statu Religioso, perfectio ejusdem Charitatis ultra observantiam mandatorum exquirit consiliorum Evangelicorum solemnem professionem, ac observantiam.

208 Hic porro observandum, quod Canonistæ communiter *Abb. in cap. Cum ad Monasterium nu. 21. vers. Item Religio de stat. Monach.* tenent, Religiosum statum esse ex institutione Ecclesiæ, quæ proinde possit super eo absolute disponere. Contrarium docent Theologi tenentes, quod ille sit ex institutione Christi, ac omnes Apostolos illum fuisse professos, observando Evangelica tria consilia. Et possunt optime concordari istæ sententiæ, quæ oppositæ videntur, dicendo, quod institutio Regularis, quatenus importat vitam sub aliqua Regula per Ecclesiam approbata, vere est per auctoritatem Ecclesiæ, quæ inde potest non tantum respectu Religiosi particularis, sed etiam respectu integri Ordinis, ex legitima causa, prout expedire Papa judicaverit, de illo disponere. Videmus proinde, quod multos Ordines ob rationabiles causas Ecclesia destruxit, & in hoc sensu loquuntur Canonistæ, nec refragantur Theologi. Quatenus vero Religiosus profitetur in Ordine, ad acquirendam Christianam perfectionem, observantiam trium Votorum solemnium, quæ habent pro objecto tria consilia Evangelica, dicendum, quod hoc sit de institutione Divina; ut proinde liberum quidem sit Ecclesiæ circa præcepta, ac Statuta Ordinum ea statuere, confirmare, ampliare, restringere, & etiam tollere; non tamen hæc possit circa Vota solemnia, in quibus consistit quidditas status Religiosi. Quia quantumvis possit ex causa super ijs dispensare cum particulari Religioso, tamen hoc nequit relinquendo dispensatum in statu Religioso, quia de quidditate talis status, ut dicebamus, est trium Votorum solemnium professio, ac observantia.

209 Ac ut supra data doctrina amplius fundetur, advertendum ad ea, quæ D. Paulus scripsit, puta, quod Religiosæ vitæ *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Iesus, Corinth. 1. cap. 3. vers. 11.* Vita siquidem Jesu Christi, quam Apostoli sunt imitati, observando tria consilia Evangelica, quæ Christus ipse verbo, aut exemplo docuit, *Text. in cap. Exijt vers. Hæc est, & vers. Porro cum ipsa in fin de verb. sign. in 6.* forma est Religiosi status; & ejusdem quidditas, ac essentia innititur huic fundamento; nempe ut sicut ipse fuit *factus obediens usque ad mortem, Philipp. cap. 2. vers. 8.* castitatem servavit, & eam servari posse docuit, & servandam ad perfectionem consuluit *Luc. cap. 9. vers. 58.* paupertatemque ostendit *non habens ubi caput reclinaret Luc. cap. 9. vers. 58.* & eam docuit esse necessariam ad perfectionem, *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, Matt. cap. 19* & sine ea neminem esse posse discipulum ejus: *Nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus* ita qui Religiosum statum proprie dictum profitetur, hæc tria de necessitate profiteri debet. Hinc est, quod quamvis singuli Ordines Monachales, ac Mendicantes, qui important statum Religiosum proprie, & stricte acceptum, inter se differant Regula, Statutis, Constitutionibus, moribus, habitu &c. omnes tamen conveniunt in solemni Professione illorum trium Votorum; eo quia hæc sunt de substantia vere, & proprie Religiosi status,

210 Inter tria autem Vota supradicta Paupertas specialiter spectat ad Religiosi status substantiam, prout post *Text. in cap. Cum ad Monasterium in fin. de stat. Monach.* notat *Sanch. moral lib. 6. cap. 6. num. 8.* communiter receptus: Porro Paupertas importat voluntariam abdicationem omnis possessionis, dominij, cujuscunque juris civilis, & politici sive actualis, sive possibilis, & etiam usus proprij ad rem quamcunque temporalem propter Deum, & Christi sequelam, ut fuse probat supra laudatus, *Marchant. tom. 3. part. 2. tract. 2. tit 1. q. 1. concl. 2.*

211 Hinc patet lapsus *P. Pellizzar. Manual. Regular. tom. 1. tract 4. sect. 5. num. 349.* qui vult incapacitatem dominij non esse effectum juris Divini, aut naturalis ex vi Voti, sed esse effectum juris humani, nempe ex dispositione Pontificis; nam hoc falsum est: siquidem in communi omnium Doctorum sententia, Religiosus status institutus fuit a Christo Domino, & hunc professi sunt Apostoli apud *D. Thom. 2. 2. quæst. 88. art. 4. ad 3. & quæst. 186. art. 6. ad 1.* ac reliqui Christiani omnes a principio nascentis Ecclesiæ respectu abdicationis dominij, ac proprietatis rerum temporalium, idem institutum sunt amplexati: quod patet ex casu Ananiæ, ac Saphiræ, qui ideo interiere ad reprehensionem sibi factam a D. Petro, quia *fraudaverunt de pretio agri Act. cap. 5. vers. 2.* a se venditi, quod minime fuisset, nec ob talem fraudationem peccassent,

G

ſi, prout ſcribit *Marchant. tom. 3 par. 2. tract. 2. tit. 1. quæſt. 4. dub. 1. reſol. 2.* Chriſtiani vendentes ſua, & pretium deferentes ad pedes Apoſtolorum, non renunciaſſent eorum dominio, ac proprietati: ita ut mortem illi duo, in pœnam ſui peccati objerint, quia retinentes partem pecuniæ, vitio proprietatis, contra factam renunciationem peccaverunt. Concludendum ergo venit, quod abdicatio dominij, ac juris utendi re tanquam propria, quæ importatur per Votum Paupertatis, eſt de quidditate Religioſi ſtatus a Chriſto Domino instituti, quem profeſſi ſunt Apoſtoli, & naſcentis Eccleſiæ Fideles; & nullo modo hoc eſſe ex ordinatione Eccleſiæ. Conceditur quidem Ordinem hunc, vel illum, quatenus peculiarem Regulam, Conſtitutiones, & Inſtituta ſervat, ab Eccleſiæ auctoritate illum approbante, ſuum eſſe recognoſcere, ut proinde ejus regulæ, ac præceptorum diſpoſitio ſit de jure humano, per quod talis regula, ac præcepta immutari, & diſpenſari valent. Conceditur pariter, quod per Eccleſiam potuerunt inſtitui Ordines nonnulli Religioſi, in quibus trium Votorum prædictorum eſſet moderatio, ut patet de Ordinibus militaribus, in quibus Obedientia maximam patitur latitudinem, Caſtitas ad conjugalem reſtringitur; & Paupertas ad bona Religionis communia tantum limitatur, admiſſa alioqnin patrimonialium bonorum proprietate. Hi Ordines quidem a jure pure humano pendent, non tamen vere, & proprie Religioſi ſunt, ut diximus ſupra *num. 201. in fine*. Ut autem Religioſi omnes proprie dicti, puta Monachi, ac Mendicantes habent pro fundamento ſui ſtatus Profeſſionem trium Votorum ſolemnium, hoc eſt de jure Divino, & Chriſti Inſtitutione, ut *Pellizzar. tom. 1. tract. 1. cap. 2. a num. 1. ad 10. Manual. Regular.* ipſe alibi fatetur; & ſic ſequitur, quod Summus Pontifex non poſſit contra illa tria Vota diſpenſare, ut habet *Text. in cap. Cum ad Monaſterium in fin. de ſtat. Monach.* quia de jure Divino ſunt; quod tamen intelligendum eſt, ut diſpenſare nequeat, relinquendo diſpenſatum in ſtatu Monachi (potens alias diſpenſare ex cauſa rationabili, faciendo non Monachum de Monacho) prout habet *Gloſſ. in cap. Cum ad Monaſterium. in v. Abdicatio. v. Vincent. & Jo. de ſtat. Monach.* & hoc ideo, quia Vota illa ſunt de ſubſtantia ſtatus Religioſi a Chriſto, ut dicebamus, inſtituti.

212 Ex his concludendum venit, quod ſi Regularis factus Epiſcopus remanet adhuc Religioſus, (prout docent *Sanch. in Decalog. lib. 6. cap. 6. num. 2. in fin.* qui cumulat 34. Doctores, Theologos, ac Canoniſtas idem ſentientes; *Araux. tom. pr. tract. 3. quæſt. 23. dub. 2. num 9.* qui citat ſex Auctores in eandem ſententiam abeuntes, *Fajard. quæſt. pro Epiſc. Regular. num. 26. 27 & 28 fol. m 716.* qui congerit 46. Doctores, quorum 13 ſunt *Theologi*, 12. *Juriſtæ*, & 21. *Canoniſtæ*, & *Ziecbar. Paſqual. moral. deciſ. 267 num. 1.* qui 65. Doctores hanc concluſionem propugnantes conglomerat) ac de quidditate ſtatus Religioſi eſt, cujuſcunque dominij, ac juris, in re, ac ad rem abdicatio, non poteſt ullo modo recuperare illud jus, quod habuit ad bona patrimonialia, antequam Religioſum ſtatum profiteretur, & quod per emiſſam Profeſſionem totaliter amiſit.

213 Quod magis confirmatur ex hoc, quod ut ex Philoſopho tradit *D. Thom. 2. 2. quæſt 185. art. 8.* adveniente incluſione formæ præſtantioris in ſubjecto, non excluditur diſpoſitio conſervans illam, ſed ſolum quantum ad id, in quo repugnat perfectioni illius: porro ſtatus Epiſcopalis forma perfectior eſt, quam Regularis, ambo tamen ad unum ordinantur, puta ad perfectionem Chriſtianam, hic ſcilicet acquirendam, ille autem acquiſitam; Votorum autem ſolemnium Profeſſio, per quam Regularis tendit ad perfectionem acquirendam, eſt diſpoſitio ad formam præſtantiorem, nempe Epiſcopatum, quæ in eodem ſubjecto recipitur, & nulla eſt inter talem diſpoſitionem, ac formam repugnantia, imo una aliam tuetur, ac conſervat. Sequitur igitur, quod Epiſcopatus adveniens Regulari, Votorum ſolemnium Profeſſionem factam non abolet, aut minuit; & quemadmodum in eo Votum Caſtitatis non relaxatur, & Votum Obedientiæ magis intenditur, ut diximus ſupra *num. 206.* ita in Voto Paupertatis non diſpenſatur.

214 Hinc eſt, quod, ut optime obſervant *Fajard. loc. ſup. cit. num. 42. & ibi Gonzal. ad Regul. 8. Cancell. gloſſ. 12. nu. 24. & Barboſ. dict 98. num. 5.* termini a quo, & ad quem non ſe invicem excludunt, ſed includunt, quando ſubjecta materia incluſionem perſuadet; ut Religioſus de Subdito factus Prælatus non amittit qualitatem Religioſi, nam terminus a quo, nempe conditio Subditi non excluditur a termino ad quem, puta Prælatura, in quantum tum Subditus, tum Prælatus Religioſum ſtatum ſupponunt, ac requirunt. Ita pariter in caſu; ſiquidem ſtatus Regularis, ac Epiſcopalis termini ſunt a quo, & ad quem, & ambo ad perfectionem ſpectant, ille quidem acquirendam, hic acquiſitam, quæ perfectio per Votorum ſolemnium Profeſſionem comparatur, ac conſervatur. Sequitur igitur, quod obligatio eſſentialis, quæ eſt in termino a quo, non evacuatur per adventum termini ad quem, ſed eadem cum utroque termino perſeveret, & ſic Epiſcopus teneatur ad ſolemnia Vota ſervanda, ad quæ in ſtatu Regulari obligabatur.

215 Quod fortius ſuadetur ex hoc, quod ut habetur in *Text. in cap. Niſi cum pridem v. Nec puter in fin. extra de renunciat. facilius indulgetur, ut aſcendat Monachus ad Præſulatum, quam Præſul ad Monachatum deſcendat*; hujus autem diſpoſitionis ratio eſt, prout habet *D. Thom. 2. 2. q. 185. art. 4.* quia Monachus factus Epiſcopus aſcendit de ſtatu minus perfecto ad perfectiorem; Epiſcopus autem declinans ad Monachatum deſcendit a majori ad minorem gradum perfectionis. Porro in primo caſu non amittitur per tranſitum ad terminum ad quem perfectio, quæ eſt in termino a quo; imo magis intenditur, ſicut lignum, quod formam ignis in ſe recipit, non deperdit gradus caloris, a quibus antecedenter fuerat alteratum, ſed illos conſervat, ac perficit per formam perfectiorem inductam. In ſecundo vero caſu aliter evenit; nam abſolute deficitur a perfectione formæ. Dictum autem ſupra *n. 207* fuit, perfectionem Chriſtiani hominis conſiſtere in amore Dei, qui acquiritur per Profeſſionem, ac obſervantiam conſiliorum Evangelicorum; ſequitur ideo, quod perfectio ſtatus, quæ eſt in Epiſcopo non excludit eam, quæ eſt in Religioſo; & proinde ſolemnium Votorum Profeſſionem, ac obligationem in utroque ſtatu perfectionis acquirendæ, ac acquiſitæ perſeverare.

216 Sequitur ex his, quod Regularis factus Epiſcopus, quamvis rerum Eccleſiæ ſeæ habeat adminiſtrationem, quam habent Epiſcopi non Regulares, ut Doctores *Card. in Clem. 2. v. ſed & ta et notab. 1. de vit. & hon. Cleric. Navar. Sa. Roderic.*

Rota

Rota L ff. Vivald. Germon. Molin. Graff. apud Sancez Decal. lib. 6. cap 6. num. 24. communiter scribunt; tamen non potest fructuum bonorum suæ Ecclesiæ nancisci dominium, quod tamen juxta Canonistarum, ac Thologorum moderniorem sententiam acquirunt Episcopi e Clero Seculari assumpti; & ratio est, quia illi impediuntur a Voto perdurante Paupertatis, ob quod incapaces dominii sunt.

217 Hinc est, quod de redditibus suæ Ecclesiæ non potest Episcopus Regularis liberas, & amplas donationes pro libito facere, sed tantum modicas, & antidorales, seu remuneratorias, & eleemosynales *Manoz de Escobar. tract. de ratiocin. cap.* 24. *num.* 8. 16. *&* 24. *Sosa lib. de la obligat. con que qued in los Relig. obisp. num.* 27. *apud Fajard. cit. qu. num* 45. *fol.* 1719. *col.* 1. non enim largitur aliquid de suo, sed dispensat tantum patrimonium Ecclesiæ. Nec facit in contrarium sententia *Sot. Palacio. Mich. Medin Anglis. Gratian., & Vasq.* (quos recitat, & sequi videtur *Sanchez moral. lib. 6. cap. 6. num.* 7.) qui tenent Episcopum Regularem effici verum dominum redituum Ecclesiasticorum non secus, ac sint e Clericatu Sæculari assumpti. Etenim *Text. in cap. unic.* 18. *qu.* 1. super quo fundatur eorum opinio, in quo dicitur, quod ille, *Velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea filii vendicandi potestatem habet*, non facit ad intentum, tum quia aliud est de bonis patrimonialibus hæreditariis, aliud est de redditibus Ecclesiæ, & ab uno ad aliud inepta consequentia deducitur, cum e diversis non fiat illatio, *Arg. l. ult. in fin. ff. de calumn. l. Papinianus exuli. ff. de Minor. l. Inter stipulantem. §. Sacram. ff. de verb. obl.* Tum quia jus acquirendi paternam hæreditatem est respectu non sui, sed Monasterii, dum manet Monachus, aut Ecclesiæ suæ, si sit Episcopus, ita ut hæreditatis dominium acquiratur aut Monasterio, aut Ecclesiæ, non vero sibi, ut infra magis probabitur. Tum quia & melior, & verior, & securior est antiquorum omnium Canonistarum concors sententia, qui docent Episcopos omnes, etiam e Clero assumptos, non fieri dominos, sed puros administratores fructuum Mensæ Episcopalis, etiam postquam facta est divisio bonorum Ecclesiasticorum in quatuor partes, nempe Episcopo, Clero, Fabricæ Ecclesiæ, ac Pauperibus; prout solide, & ineluctabiliter probat *Marchant. tom. 3. par. 1. tr. 8. tit. 1. sect 3. qu. 2. concl. 3. fol.* 1188 Quare opposita sententia palpans Ecclesiasticos, qui volunt proprias domos ditare patrimonio Christi, ac Pauperum, falsa est, & talem coram Deo esse probat perditio, aut inopia familiarum, quæ ditantur ex talibus redditibus; experientialiter enim videmus, quod tales aut in successione brevi tempore deficiunt, aut volant malæ comparatæ divitiæ, juxta Proverbium Hispanicum.

Los dineros del Capellan
Cantando vengon y cantando van.

218 Sequitur etiam ex supra data conclusione principali, quod Episcopus Regularis non acquirit dominium, aut proprietatem bonorum sibi obvenientium, sive a successione paternæ hæreditatis, sive a donatione sibi facta, sive sint comparata proprio labore, ac industria, illud enim acquiritur Ecclesiæ suæ: quod manifeste convincitur ex *Text. in cap Cum olim il. 2. ubi Gloss. in v. Restituat extra de privil.* in quo Judices Apostolici condemnaverunt quoddam Monasterium ad restituendum Cathedrali Ecclesiæ quandam pecuniæ summam sibi donatam ab Episcopo Regulari, ab eo acquisitam, postquam Episcopatum adeptus fuerat. Ex quo convincitur, quod quidquid obvenit Episcopo Regulari, quomodolibet, cedit in dominium Ecclesiæ suæ, *Hieronim. Rodetic. resol. 60. n. 9. & ibi Navar. Sanch. & alii Gabriel. Pereyr. d cis. 65. num. 3. Fajard. qu. sup. cit. num. 37. fol.* 1717 *col.* 1. Quod tamen non est de Episcopo non Regulari, qui bonorum patrimonialium, ac aliorum industria sua, aut per donationem sibi factam comparatorum, plenum dominium nanciscitur, & de iis potest libere disponere. Ex hac autem conclusione pariter elicitur, quod si Religiosus Episcopus prodige, & supervacanee consumit, aut sine rationabili causa donat de bonis etiam a se acquisitis, tenetur tum ipse, tum qui ea recipit, restituere Ecclesiæ suæ, ut dicunt Doctores *Valent. 2. 2. disp. 10. qu. 3. pun. 8. col 3. Less. de just. & jur. lib. 2. cap 4. dub 5. n. 29. Molin. eo. tit. disp.* 276. *col. 3. v. Religiosus in Conventu apud Sanchez Decal. lib. 6. cap. 6 num.* 53. Et ratio est, quia eorum dominium est penes Ecclesiam suam, & ipse administrationem eorum quidem habet, non tamen plenam, ac absolutam, sed limitatam ad moderamen prudens, ac regulatum, & directum a rationabili causa. Sequitur pariter, quod licet possint Episcopi a Clero assumpti de bonis suis patrimonialibus testari libere *Concil Antioch. c. 24. Agathen. cap. 48. cap. Manifesta 12. qu. 1. cap Quorundam de Testam*; non tamen de rebus Ecclesiæ, neque de inventis in ea, aut acquisitis per eam *Cap. Cum in Officiis cap. Quia nos. cap. Relatum de Testam.* nisi accedente Summi Pontificis dispensatione; tamen Episcopus Regularis de bonis tum ex paterna hæreditate, tum ex alia quacunque causa personali quæsitis, testari minime potest, ut firmat *Sanch. Decal. lib. 6. cap. 6. num. 10. in fin.* qui triginta tres Doctores pro hac sententia congerit. Unde si licentiã testãdi legitimã obtinere debet, oportet, quod in supplicatione ad Papam exprimat duplex impedimentum, quo afficitur, nempe quod Episcopus, & quod Regularis sit, ut ex *Henriq. in cap. Si quis fun. num. 10. de Pecul. Cleric.* docet *Sanch. loc. cit. num* 11. cui concordat *Arauxo tom. 1. tr. 3. qu. 28. dub. 3. num.* 18. Et horum rationem assignat *D. Thom. 2. 2. quæst. 185. art. 8. ad 3.* quia nempe per Episcopatum non acquirit dominium, sed puram dispensationem non tantum bonorum Ecclesiæ, sed etiam aliorum quomodolibet sibi obvenientium; dispensatio autem cum vita terminatur, unde post mortem, a qua sola testamentum accipit robur, non valet.

219 Quæ autem hucusque demonstrata sunt circa successionem in patrimonialibus, quadrant de Episcopo Regulari assumpto a Monachatu, aut statu Regulari mendicanti, capaci possessionis bonorum in communi; non verificantur autem de eo, qui assumitur a Religione Minorum de Observantia maxime Strictiori, ac Capuccinorum. Ratio est, quia, ut habetur ex *Textu cap Statutum 18. qu. 1. cap. Si qua mulier 19. qu. 3. l. Deo nobis C. de Episc. & Cler.* in tantum Monachus succedit in hæreditate, in quantum hoc cedit in utilitatem Monasterii, quod est capax dominii, & ad quod transit illud jus succedendi, quod Monachus ante Professionem habuit. Conventus autem, ac Religio Minorum de Observantia incapax est dominij cujusvis tum proprietatis, tum juris utendi quorumvis bonorum temporalium, ut habet *Text. in cap. Exiit v. Porro cum ipsa de Verb. sign. in 6.* sequitur igitur, quod

quod Episcopus Minorita succedere nullo modo potest in bonis patrimonialibus.

220 Hoc pariter est respectu Ecclesiæ, cuius est Episcopus. Quia quantumvis hæc capax sit dominij, & proinde etiam successionis in bonis patrimonialibus Episcopi sui a Monachatu assumpti, non tamen capax est respectu Episcopi Minoritæ. Ratio est, quia in Professione sua Regulari per Vota solemnia in Religione incapaci successionis extinctum remanet totaliter in ipso jus succedendi, cum nec ipse, nec Monasterium succedere ullo modo potuerit, & ne Dominium bonorum patrimonialium in suspenso maneat, illud quæsitum statim ab ejus Professione est ijs, qui de jure succedere debuerunt. Si ergo manet in eodem statu Professionis respectu Votorum solemnium, ut supra abunde probatum est, quando promovetur ad Episcopatum, promovetur spoliatus totali jure succedendi; & proinde nullum tale jus potest transferre in Ecclesiam suam.

221 Quod si dicatur, quod sicut profitens Monachatum in Professione transfert jus succedendi in Monasterium, ita assumptus ad Episcopatum transfert idem jus in Ecclesiam, ut proinde nomine hujus succedere possit; consequentia negatur. Ratio est, quia in Professione in Monachatu transit a statu laico, in quo ipse habuit jus succedendi; & proinde illud jus potuit transferre in Monasterium; quando autem transit ad Episcopatum Minorita, transit a statu, in quo nullum jus habuit, & ideo nullum jus potest in Ecclesiam suam transferre.

222 Nec dicendum, quod jus antiquum, quod per Professionem amisit, per promotionem ad Episcopatum recuperet, nam hoc falsum est. Siquidem quamvis factus sit Episcopus, tamen in statu Religioso, & primæva solemnium Votorum Professione perdurat, ob quam omni jure successionis privatus permanet. Præterquam quod quamvis nullam explicitam renunciationem dominij, aut juris succedendi in bonis sibi quomodolibet debitis fecerit, per Professionem tamen solemnem implicitam renunciationem facit. Ratio est, quia profitetur statum, qui tum dominium, tum quodvis jus quomodolibet succedendi excludit; & qui vult antecedens, vult necessarium consequens ad illud, *Alex. cons.* 157. *n.* 14. *lib.* 2. *Castrens. cons.* 100. *num.* 4. *v. Quod autem lib.* 1. *Barbos. axiom.* 30. *num.* 3. Renunciatio autem facta ut cumque causam habentes excludit a jure successionis, ut tradunt Doctores *Menoch. Franc. de Ponte Franc. Sul. Molfes. Fab. de Anna cons.* 45. *n.* 93. *&* 104. *apud Fajard. d. quæst. nu.* 67. *fol.* 1721. nam ut ex utroque jure *L. quæritur* §. *si venditor ff. de Ædilit. edict. l. si maritus* §. *si negaverit ff. ad leg. Jul. de Adult. cap. Quamvis* 2. *de pact. in* 6. liquet, non datur regressus renunciantibus absolute propria jura.

223 Quia vero contra principalem resolutionem videntur nonnulli Doctores *Sot. Palacio Molin. Angles. Gratian. Vasq. apud Sanch. moral. lib.* 6. *cap.* 6. *n.* 7. *Pellizzar. Manual. Regul. tom.* 1. *tract.* 4. *cap.* 2. *sect.* 5. *num.* 366. *& seqq. Molfes. Pasqual. Ricc. Gennen. Alphon. de Leon. Lauret. de Franch. Pasqualig. Mercant. apud Fajard. d. quæst. num.* 2. tenere, quod Regularis factus Episcopus solutus remaneat Voto Paupertatis, & recuperet jus succedendi in bonis patrimonialibus &c. ideo solvenda remanent istorum fundamenta.

224 Primum fundamentum est, quod Textus *in c. unic.* 18. *q.* 1. habet, quod Monachus factus Episcopus *Velut legitimus hæres paternam sibi hæreditatem postea jure vendicandi potestatē habet.* Si ergo sibi acquirit, ac vendicat, verum dominium habet; vendicare enim; & sibi acquirere solis veris dominis competit *L. in rem ff. de rei vendic.* Nec obstat Votum Paupertatis emissum, quia ut habet ibidem idem Textus, *Canonica electio a jugo Regulæ Monasticæ Professionis absolvit.*

225 Respondetur primo, quod absolutio a jugo Regulæ, prout habet post *Gloss. in cap. Statutum in v. Abb. solvit*, *Turrecremat. v. Statutum.* 18. *q.* 1. non est universalis, sed quoad aliqua tantum, nempe ab observantijs quibusdam Regularibus, quæ compati secum non potest status Episcopalis *Cardinalis Turrecremat. in cap. de Monachis v. secunda conclusio* 16. *q.* 1., non vero quoad reliqua; nam non absolvitur ab essentialibus status Religiosi, puta a Votis essentialibus Obedientiæ, Paupertatis, ac Castitatis, ut habetur ex *Textu*, & *Glossa* alterius Canonis *Cap.* 3. *junct. Gloss. in v. discedere* 16. *q.* 1. Non absolvitur pariter a gestatione habitus Regularis, ut præcipitur in quadam *Decretali*, *Text. in c. Clerici il. de vit. & honest. Cleric.* imo in *Synod. VIII. act.* 10. *cap.* 27. statuitur Episcopis Monachis sub poena depositionis, ne Vestem Monasticam deponant; & hoc non est quid accidentale, & in honorem relicti Ordinis, ut putavit *Hurtad. de Fide &c. tom.* 2. *disp.* 160. *sub sect.* 3. §. 4. *v. Sed in aliquibus* sed ut causa, a jure inducta, in signum, & confirmationem Religiosi status minime mutati per assumptionem ad Episcopatum, ut ex *D. Thom.* 1. 2. *q.* 185. *art.* 8. firmat *Fajard. d. quæst. num.* 53. *in fin.* Et tandem non plene absolvitur ab aliis Observantiis Regularibus, quæ Pontificium munus non impediunt, nec Dignitatem Episcopalem dedecent, ut firmant tredecim Doctores congesti per eundem *num.* 230. sed ex quadam saltem honestate illas servare debet.

226 Respondetur secundo, quod aliud est loqui de *jugo Regulæ* quoad præcepta Regulæ per Institutores Ordinum latæ, & per Ecclesiam approbatæ; aliud est de Votis solemnibus, per quæ emissa constituitur Professus in statu Religioso: siquidem, prout dictum fuit supra *num.* 211. illa sunt de jure mere Ecclesiastico, & humano; hæc vero de jure Divino: & per illa professus constituitur Religiosus illius Ordinis, cujus Regulam profitetur, & specifice distinguitur ab aliis, qui diversam Regulam observant; per hæc autem constituitur in esse quidditativo Religiosi status, in quo tanquam in genere omnes Religiosi conveniunt, nec unus ab alio juxta hæc distinguitur, omnes enim Religiosi stricte sumpti æqualiter profitentur tria essentialia Vota. Religiosus ergo factus Episcopus absolvitur a *jugo Regulæ* quoad præcepta, & observantias peculiares sui Instituti, modo explicato numero proximo superiori, non autem quoad essentialia status Religiosi. Ratio est, quia per speciem non derogatur generi, quando ambo se compatiuntur *Bartol. Cagnol. Roman. Decian. Tusch. apud Barbos. axiom.* 107. *num.* 18. *v. limita.* nec ablata specie aufertur genus, aut ablato accidenti aufertur substantia, quia potest mutari accidens non vitiata substantia, *Arg. l. falsa ff. de condit. & demon. l. pacta conventa ff. de controv. empt.* sicut factus Clericus, quamvis deperdat esse laici, non tamen amittit esse hominis, quia illud consideratur, ut species accidentalis, hoc vero genericum, ac substantiale est. Ita in casu particularis Regulæ Professio, species, & quidem accidentalis Religiosi Instituti est;

est; unde & ejus præcepta, per quæ ab aliis accidentaliter specifice Religiosus distinguitur, tolli possint, non tamen infertur, quod ideo tollatur Religiosus status, qui est per tria Vota essentialia, quæ constituunt quodammodo morale quidditativum genus. Et exemplum est in Minorita facto Episcopo, præceptum enim suæ Regulæ est (ad quod sub mortali obligatur) ne pecuniam numeratam civiliter contrectet etiam independenter a proprietate illius *Text. in cap. Exiit §. cæterum v. si tamen de verb. sign. in 6. Clement. Exivi §. Porro. & §. Proinde eo. tit. Ego ipse de delict. & pœn. tit. 3. §. Pecuniæ contrect. nu. 10. 11. & 12.* ab hoc quidem dispensatur, dum fit Episcopus, quia Ecclesiasticæ pecuniæ civilem administrationem ex officio nanciscitur, non sequitur autem, quod per hoc dispensetur in Voto Paupertatis, per quod talis pecuniæ dominium, au proprietatem habere nequit.

227 Respondetur tertio, ut habetur ex duplici *Gloss. in cap. unic. in v. legitimus & in v. restituat 18. quæst. 1.* illius Capituli; Monachum factum Episcopum non acquirere jus successionis per Episcopatum adeptum, sed illud antea habebat existens Monachus, ut patet in *Jure Cap. Si qua mulier 19. qu. 3. l. Deo nobis C. de Episc. & Cler.* cum hoc tamen, quod per tale jus succedendi non ipse, sed Monasterium acquireret dominium bonorum, in quibus successisset. Factus autem Episcopus illud idem jus succedendi conservat quidem in se, transfert tamen in Ecclesiam suam jus possessivum, quod sibi nullo modo competere potest. Et sic convincitur, quod per citatum Capitulum Votum Paupertatis in Episcopo Regulari non dispensetur.

228 Secundum fundamentum est, quod ut patet ex Doctoribus supra *num.* 216. citatis, Episcopus Regularis non secus ac Sæcularis habet liberam administrationem transferendi in alium dominium fructuum bonorum suæ Ecclesiæ: sequitur igitur, quod dominium eorum habet, antequam transferat; nemo enim potest in alium transferre jus, quod transferens non habet in se, *Cap. Nemo de reg. jur. in 6. l. 2. 9. de pœn. l. C. Qui pro sua juris.*

229 Respondetur negando assumptum, nam ut dictum est supra *num.* 216. quamvis Episcopi Sæculares in sententia aliquorum sint domini fructuum suæ Ecclesiæ, non tamen hoc esse potest in Episcopo Regulari, qui ab acquisitione dominii inhabilitatur a Voto Paupertatis. Quod si talium bonorum dominium transfert in alios in largitione eleemosinali, remuneratoria, aut recompensativa &c. hoc facit non quidem auctoritative, sed pure ministerialiter, nam sibi commissa est prudens administratio bonorum Ecclesiæ, quæ bona si prodigit, aut irrationabiliter largitur, tum ipse, tum recipiens ad restitutionem tenetur, ut probatum est supra *num.* 218. Proinde falsa redditur etiam consequentia illius argumenti.

230 Tertium fundamentum est, quod si Episcopi Regulares non essent veri domini redditꝰum suæ Ecclesiæ, ipsi tenerentur ex justitia restituere supervacane consumpta; & eadem obligatione tenerentur illa recipientes, quod esset nutrire scandala, & multorum perditionem, cum plerique talium Episcoporum consanguinei ditari procurent bonis Ecclesiæ sibi abunde, & ex sola sanguinis affectione dilargitis.

231 Respondetur concedendo illationem, ut probatum fuit supra *num.* 118. Quod autem attinet ad periculum animarum eorum, qui talibus bonis ditantur, potest eos salvare bona fides, quæ sibi nascitur ex eo, quod hoc, ut in pluribus practicatur, & ideo hoc esse licitum putant. Quod si bona fides cessat, possunt procurare, ut ab Ecclesia, cujus sunt talia bona, sibi fiat remissio, ut ex *Vasq. 2. 2. disp. 10. qu. 3. punct. 8. col. 3.* innuit *Sanch. moral. lib. 6. cap. 6. num. 13. init.* Quod si utrumque istorum cesset, & taliter possidentes bona Ecclesiæ male parta nolint restituere, sibi ipsi propriam perditionem imputent: nec ob id debent Christiani Doctores falsam doctrinam tradere, se ipsos, & alios etiam perdendo (nam talis doctrina quibusdam hominibus plausibilis coram Deo non probatur) dum dicunt eos ad restitutionem non teneri; quia, ut fert juris effatum, *Cap. Qui scandalizaverit. extra de Regul. jur. Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.*

232 Quartum fundamentum est, quod renunciatio nec extensionem ad futura admittit, nec alia causa, quam primordiali subsistit, *Arg. l. si Actionem C. de pact. cap. Cum inter. ubi Alb. notab. 2. num. 1. de renunciat. Bart. in l. Qui Romæ §. duo fratres ff. de verb. oblig.* Renunciatio autem, quæ fit de bonis paternis &c. instante tempore Professionis, fit hujus intuitu, rebus sic instantibus, ac in eodem statu permanentibus; proinde conditionalis est, nempe perdurante eo, qui renunciat, in statu Regulari; & sub tali tacita conditione omnis dispositio renunciationis concepta intelligitur, *Arg. l. quod servus ubi Jason. num. 8. ff. de condict. cau. dat. l. continuus §. cum quis ff. de verb. obl. l. quæro §. inter locator ff. locat.* Sequitur proinde renunciationem a Monacho in Episcopum electo revocari posse tum ob causam deficientem, tum ob non implementum conditionis, tum ob defectum tacitæ inhærentis clausulæ, cum Religiosus factus Episcopus, nec in Monasterii Claustris, nec Monachus existat, & proinde possit ad bonorum renunciatorum dominium iterũ reverti.

233 Respondetur primo, quod renunciatio, quæ a Professuris Religionem fit intra bimestre ante Professionem ipsam juxta dispositionem *Concil. Trident. sess. 25. de Regular. cap. 6.* esse quidem conditionalem, & in se imbibitam habere conditionem suspensivam, si nempe valida Professio sequatur, sic enim disponit *Concilium*, dicens. *Ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi sequuta Professione.* Sed conditione adimpleta per subsecutam Professionem resolvitur renunciatio ipsa in simplicem, & absolutam, & est ut purus contractus irrevocabilis inter vivos, ut argumento *Juris L. potior. §. videamus ff. qui potior. in pign. Catel. tom. 1. de donat. tract. 1. disc. 2. par. 3. a num. 137. ad 141.* resolvit *Marius Catellus*; habet enim ibi Textos. *Cum conditio semel extitit, perinde habetur, ac si in illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset.* Talis igitur renunciatio servata forma præscripta vel est judicanda ut contractus inter vivos celebratus, ut pluribus resolvunt *Fab. de Anna cons. 45. num. 35. Molfes ad consuetud. Neap. par. 3. tit. de succes. ex testam. quæst. 8. per tot. & par. 4. tit de renunc. quæst. 16. num. 24.* & hoc pacto est irrevocabilis, siquidem dispositiones inter vivos sunt irrevocabiles, *Arg. text. in l. final. C. de revoc. donat. l. cum profitearis C. eo tit.*. Vel est judicanda ut donatio causa mortis; morte autem per Professionem civiliter secuta, donatio irrevocabilis est. Quod si dicatur, donationem causa mortis factam, morte secuta, mortuo vero donatore iterum revivente rescindi, cum mortuus revivens bona sua recuperet;

&

& hoc modo revivat Monachus per assumptionem ad Episcopatum, & sic facta renunciatio non amplius subsistat. Respondetur, quod inter Doctores maxima controversia, & incertum proinde est, an mortuus resuscitatus bona sua recuperet, ut videre est apud *Abb. in c. Fraternitatis n. 21. de frigid. & malef.* ac ejus addentes. Respondetur pariter, negando paritatem inter mortuum reviventem, & Regularem Episcopum; nam revivens iterum recuperat vitam quam amiserat, & de vere mortuo fit vere vivens. Sed Regularis mortuus civiliter per Professionem, translatus ad Episcopatum perdurat in eodem statu mortui civiliter, nam ut supra abunde probatum est, manet adhuc Religiosus per obligationem ad tria Vota, per quam civiliter mundo mortuus est.

234 Respondetur secundo, quod renunciatio, quæ communiter fit, imminente Professione, est in illis Religionibus, quæ capaces sunt successionis in jure, & bonis profitentis, qui proinde renunciat juri succedendi in illis, ne Monasterium, quod quo ad dominium eorum acquirendum, profitenti succedit, ipsis possit potiri. Sed in Religione incapaci dominij, talis renunciatio minime fit, nam hæc essentialiter includitur in Regula, ac Votis, quæ professurus est; ita ut quamvis talis renunciatio explicite non fiat, fit tamen implicite in actu ipso profitendi Regulam, per quam ejus Professores omni dominio ac juri utendi bonis temporalibus renunciant. Videamus autem, an actus professionis, per quem importatur talis renunciatio, admittere possit conditionem, ita ut etiam conditionata evadere possit renunciatio, & liquido apparet quod non; Siquidem Professio Religiosa est actus legitimus, qui non recipit conditionem, neque diem, *Cap. Actus 50. Reg. jur. in 6. l. Actus legit ff. eo tit.* & in forma professionis Minorum habetur: *Voveo, & promitto observare toto tempore vitæ meæ Regulam Fratrum Minorum vivendo in obedientia, sine proprio &c.* & hic manifeste apparet, quod nulla apponitur conditio, nec tempus; unde eam profitens tenetur servare Paupertatem *toto tempore vitæ suæ*; porro eadem vita durat etiam factus Episcopus, vita enim hic intellecta est vita naturalis, cui cum non moriatur in Episcopatu, eadem Paupertatis obligatio perdurat, per quam renunciatio bonis temporalibus inducitur. Sequitur igitur ex his, quod in Religiosis quibusvis renunciatio quævis tum explicita, tum implicita revocari nequit, nec ad bona quomodolibet renunciata haberi regressus.

235 Quintum fundamentum est, quod reversus a captivitate apud hostes jure postliminij bona sua etiam ab aliis occupata recuperat. *L. 5. ff. de capt. & post lim. revers. § si ab hostib. Instit. qui mod. jus patr. potest.* Pariter deportatus restitutus a Principe pristinum idem statum recuperat. *L. final. §. ultim. C. de sent. pass. §. Cum autem in fin. Instit. qui mod. jus patr. potest.* A pari igitur Monachus per Episcopatum factus *liber a jugo Regulæ Text. in cap. Statutum 18. qu. 1.* bona sua patrimonialia, & pristinum statum recuperabit.

236 Respondetur negando paritatem inter captivum ac Monachum, deportatum ac Religiosum. Ratio est, quia captivus servitutem subijt invitus, & per violentiam hostium, nec unquam deseruit voluntatem possidendi bona sua, quæ si de facto transierunt in possessionem aliorum, illorum dominium de jure apud eum mansit, non enim per captivitatem eo spoliatus est. Et ideo in vim talis juris pristinam possessionem eorum actualiter recuperat, dum in patriam revertitur. Sed Monachus factus Episcopus libere se subjecit jugo Regulæ, & juri, quod habuit in bonis, voluntarie renunciavit aut explicite, aut implicite, per Professionem; & ideo ad illa non potest habere regressum. Negatur pariter comparatio deportati ad Religiosum; quia deportatus contra propriam voluntatem longe a Patria abductus est, & voluntatem repatriando semper conservavit; unde si restituatur a Principe per absolutionem a pœna, revertitur ad statum, in quo prius fuit. Non sic est de Religioso Episcopo, qui volens exul a Mundo factus est, & bonis Mundi per Votum Paupertatis renunciavit, & non tantum bonis a se antea possessis, aut quibus possidere in tempore potuisset, sed etiam spei, ac desiderio possidendi; quandoquidem *qualitas Paupertatis*, quam vovent Religiosi, ut præclare docet *Mucbant. Tribun. Sacram. tom. 3. par. 2. tract. 2. tit. 1. quæst. 1. concl. 2. v. dixi actualis fol. 1251. col. 1.* est *ut Religiosus non tantum abdicet a se dominium, vel jus in bona, quæ actu possidet, sed etiam omnem spem, & affectum juris civilis in omnia quæcunque tempore, quovis modo acquirere posset, vel ei obvenire.* Pariter deportatus per decretum Principis restituitur statui, in quo antea fuit ante deportationem. Papa tamen creando Regularem in Episcopum non aufert ab eo statum, ac obligationem Religiosi, nec cum eo in Voto Paupertatis dispensat, ut supra probatum est: proinde argumenti consequentia non tenet.

237 Sextum fundamentum est, quod quamvis admittatur, Episcopum Regularem adhuc esse in statu Religioso, non tamen sequitur, quod non possit habere dominium rerum sibi ex patrimonio, aut aliunde obvenientium; quia ad constituendum verum, ac proprium Religiosum non requiritur Paupertas, quæ excludat dominium rerum, sed ea videtur sufficere, quæ excludat usum rerum superfluum vitæ, prout ex *Suar. de Relig. tom. 3. lib. 8. cap. 7. n. 10.* docet *Pellizzar. manual. Regul. tom. 1. tract. 4. c. 2. sect. 1. num. 7.* quod adstruitur ex Bulla *Ascendente Domino &c. Gregorii XIII.*, & Bulla *Dum indefessæ &c. B. Pij V.* in quibus Scholares formati Societatis Iesu dicuntur constituti per eorum Vota simplicia in vero, ac proprio statu Religiosorum Mendicantium. *Pellizar. loc. cit. num. 5.* Attento quod datur gradus Religiosæ Paupertatis, quo quis non est incapax dominii, neque ex vi Voti tenetur statim illud a se abdicare, sed solum tenetur nulla re ut propria uti, sed tantum cum dependentia a voluntate Superioris; quod Votum emittunt Scholares prædicti *Pellizar. loc. cit. n. 2.* Abdicatio enim dominij rerum quoad usum moraliter necessaria est ad statum perfectionis, non autem abdicatio dominij quoad possessionem. *Pellizar. loco cit. num. 8.* Unde dicitur, quod solemnitas Voti Religiosæ Paupertatis, ut nempe per illud Religiosus amittat dominium suorum bonorum, & illud transferat in Monasterium, introducta est universaliter a temporibus Justiniani Imperatoris, qui de hoc legem sanxit *L. nunc autem C. de Episc. & Cler.* ut ex *Suarez loco c. num. 28.* recitat idem *Pellizar loc. cit. nu. 9.* Sequitur igitur ex his, quod Regularis assumptus ad Episcopatum maneat quidem in statu Religioso, esse tamen capacem dominii, & recuperare jus succedendi parentibus, & agnatis, ut docet *Pellizar. l. cit. sect. 5. sub sect. 2. num. 368. vers. Unum autem*

238 Verum allata assertio contra Evangelicam

Textum clarum, contra apertam Doctrinam Canonicam, contra consuetudinem practicatam ab initio nascentis Ecclesiæ, contra communem Doctorum sensum, & tandem contra evidentem ratiooem pugnat.

239 Assertio prima, quod ad constituendum hominem in vero statu Religioso sufficit tantom Paupertas, quæ excludat non dominium, sed usum solummodo rerum vitæ superfluarum adversatur primo Evangelico Textui. Suppono enim, prout diximus supra *num.* 209. quod Religiosi status *fundamentum aliud* juxta Apostolum 1. *Corinth. cap.* 3. *v.* 11. *nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*, qui exemplo, & verbo illud statuit. Exemplo quidem, quia nihil proprii ipse possedit, dicente eo *Luc. cap.* 9. *v.* 58. *Filius hominis non habet, ubi caput reclinet*; verbo autem, dum ait *Luc. cap.* 14. *v.* 33. *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; renunciatio igitur possessionis, ac dominij est de quidditate discipulatus Christi, nempe Religiosi status, de quo ibidem loquitur Christus, docendo Castitatem, Obedientiam, & Paupertatem vers. 26. 27. & 33. quæ statum Religiosum verum, ac proprium constituunt. Adversatur secundo aperto *Text. in cap. Cum ad Monasterium in fin. de stat. Mon.* dicenti, quod *Abdicatio proprietatis, sicut & custodia Castitatis adeo adnexa est Regulæ Monachali, ut contra eam nec etiam Summus Pontifex possit licentiam indulgere*. Adversatur tertio consuetudini introductæ ab initio nascentis Ecclesiæ, nam Fideles, qui Apostolis adhæserunt, eorum vitam imitantes, *Possessiones, & substantias vendebant Act. cap.* 2. *v.* 45. *& vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum Act. cap.* 4. *v.* 34. *&* 35. *nec quisquam eorum, quæ possidebant, aliquid suum esse dicebant, sed erant illis omnia communia Act. cap.* 4. *v.* 32. nam omnium rerum proprietatem abjecerant exemplo Apostolorum, qui Magistro suo dixerunt *Ecce nos reliquimus omnia*, *Matth. cap.* 19. *v.* 27. Adversatur quarto communi sensui Doctorum Ecclesiæ, qui omnes docent, Apostolos omnia dimisisse ad exemplum Christi, & nullius rei dominium, proprietatem, aut desiderium habendi ut proprium retinuisse, ut scribit *D. Gregor. M. tom.* 5. *in Evang.* Adversatur tandem rationi naturali; siquidem dicendus ne esset pauper, aut paupertatem servare avarus, qui arcam nummis refertam haberet per hoc, quod ipse frugali victu, ac vilibus indumentis utatur, ut plerumque est mos talium, qui divitias quaquaversum gestiunt comparare? Profecto ridicula diceretur talis Paupertas. Non ergo Paupertas Religiosa consistit in abdicatione rerum superfluarum, ac usu paupere, sed in abdicatione proprietatis tum quo ad dominium, tum quo ad jus utendi.

240 Assertio secunda, quod nempe Scholares formati Societatis Jesu sint vere, & proprie Religiosi, licet bonorum suorum dominium adhuc retineant, distingui debet, puta vel quo ad privilegia fori, & Canonis &c. vel quoad statum Religiosi. Quoad primum concedimus esse proprie, & vere Religiosos, ac gaudere privilegijs omnibus, quibus gaudent Religiosi, & in hoc sensu citatæ Constitutiones sont accipiendæ. Siquidem tales Scholares adhuc Novitij sunt in Ordine ad Professionem solemnem; Novitij autem privilegio Religiosorum fruuntur, *Text. in cap. Religiosi §. Quamvis de sent. Excom. in* 6. & juxta *Innoc. & Abb. in cap. Statuimus extra de Regular.*, ut notatur in summa citat capitis *Gloss. in d. cap. Religioso v. secunda reprobat.* vocantur Religiosi vere, ac proprie, sed tamen tales sunt initiative tantum, non vero stabiliter, & permanenter. Status autem vere, ac proprie Religiosi importat immobilitatem, & immutabilitatem propositi, Voto perpetuo firmati, prout in communi docet *Marchant. tom.* 3. *par.* 2. *tract.* 1. *tit. unic. q.* 1. *v. dixi status fol.* 1242. & de tali statu non loquuntur Bullæ citatæ. Concluditur per hoc, quod inepta est consequentia, quæ ex adverso deducitur ad intentum, nempe quod Religiosus status compatitur dominium propriorum bonorum per hoc, quod tales Scholares, qui sunt vere Religiosi, dominium in tali statu retinent, nam a Religiosis initiative tantum ad Religiosos perfecte, & permanenter nequit concludere illatio.

241 Dicimus etiam aliter ad auctoritatem citatarum extravagantium distinguendo; aliud enim est status Religiosus in Religione per Ecclesiam approbata, & ab homine instituta, in qua modificata sunt tria Vota circa consilia Evangelica, quæ Religio est de jure mere positivo, ac humano, prout diximus supra *num.* 211. Aliud est status Religiosus institutus a Christo Domino, in quo tria Vota illa simpliciter, absolute, & sine ulla prorsus moderatione profitentur, qui status est de jure Divino. Citatæ Bullæ loquuntur in primo sensu, & sic verum est, dictos Scholares esse vere, ac proprie Religiosos Religionis particularis ab Ecclesia institutæ; non autem sunt illius status, qui a Christo Domino institutus est, in quo (ultra cætera) abdicatio dominij temporalium totalis importatur. Arguere autem ab uno ad alium statum, consequentia non tenet.

242 Assertio tertia, quod scilicet datur gradus Religiosæ Paupertatis, in quo non abdicatur dominium rerum, sed tantum usus proprietarius, & independens a voluntate Superioris, verificari potest de gradu Paupertatis in Religione ab homine inventa, & per Ecclesiam approbata cum modificatione consiliorum Evangelicorum; non autem de Paupertate veri status Religiosi a Christo instituti, in quo, ut toties dictum est, abdicatur totaliter dominium, ac jus ususfructus cujusvis rei temporalis retento solo usu facti. Sed an cum tali gradu Paupertatis possit quis dici pauper, judicent Viri docti. Profecto juxta Apostolum *Galat. cap.* 4. *v.* 1. *Quanto tempore hæres parvulus est, nihil differt a servo, cum sit dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est.* Sequitur igitur, quod quamvis usus rei, cujus quis habet dominium, pendeat ab alterius voluntate, non tamen sequitur per hoc, quod ullo modo pauper appellari, nec esse possit ille, qui tale dominium habet. Ditissimus potest esse pupillus, qui propriæ hæreditatis habeat tom dominium, tum possessionem; Sequetur ne ergo, quod possit dici pauper per hoc, quod juxta *L.* 1. §. *Et ideo ff. de Minor. Instit. de Auctor. tutor. tit. tot.* de rebus suis disponere non potest, nisi dependenter ab auctoritate Tutoris? Nec ergo quis vere pauper dici poterit, si copiosæ substantiæ dominium retinet ex hoc solo, quod rebus suis uti non possit, nisi dependenter a voluntate Superioris.

243 Certe talis dipendentia a voluntate Superioris in utendo rebus suis non ad Votum Paupertatis spectat, sed vere, ac realiter ad Votum Obedientiæ. Præclara quidem doctrina est, quam ex Tractatu de decem Plagis Fratrum Minorum B. Gilberti Nicolai tradit *Marchant. tom.* 3. *part.* 2. *tract.* 2. *tit.* 1. *quæst.*

quæſt. 1. *Appendic. notab.* Ait enim, quod alia ſunt, quæ ſpectant ad quidditatem Voti Religioſæ Paupertatis; alia ſunt, quæ accidentaliter ad eam reducuntur, ſed proprie ſunt actus aliarum virtutum. Ad quidditatem Paupertatis ſpectat abdicatio dominij, poſſeſſionis, proprietatis, ac juris utendi re temporali tanquam ſua. Ad eam autem reductive ſe habent, ac accidentaliter, frugalitas, ac vilitas in cibo, potu, indumentis &c. ſufficientia, ac contentatio, per quam exceſſiva abundantia, numeroſitas rerum, ac ſuperfluitas in ædificijs, ſupellectili &c. compeſcitur; & tales virtutes ſpectant quidditative ad temperantiam, ſicut & humilitas, quæ arctat faſtum, ſuperbiam, ac pretioſitatem rerum. Moderata pariter, ac juſta diſpenſatio bonorum, quorum pauper eſt adminiſtrator purus, pertinet ad virtutem fidelitatis, ac juſtitiæ, & ſic de aliis ratiocinandum eſt. Quod ergo aliquis ſuarum rerum dominium retineat, illis tamen minime utatur, niſi dependenter a voluntate Superioris, hoc nullo modo quidditative ſpectat ad VotumReligioſæ Paupertatis; ſed talis dependentia eſt actus virtutis Obedientiæ, per quam homo propriam voluntatem alterius imperio ſubijcit; ſicut pariter actus continentiæ non eſſet, ſed actus Obedientiæ, ſi quis ad propriam Uxorem, ex condicto cum ea, non accederet, niſi de conſenſu Confeſſarij, cui obedientiam promiſiſſet. Sequitur igitur, quod ex uſu rerum (quarum dominium quis ſervat) dependente a voluntate Superioris non poſſit duci argumentum inferens gradum Religioſæ Paupertatis.

244 Aſſertio quarta (quod nempe abdicatio dominij rerum, quo ad uſum, moraliter neceſſaria ſit ad ſtatum perfectionis, non autem abdicatio dominij quo ad poſſeſſionem) inter ſe pugnantia continet. Siquidem, ut ſupra dictum eſt, perfectio hominis Chriſtiani conſiſtit in obſervantia trium conſiliorum Evangelicorum, ac ſpecialiter Paupertatis, dicente Chriſto. *Matth. cap.* 19. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*. Porro Paupertas, ut alias diximus, importat primo, & principaliter abdicationem proprietatis, ac dominij rerum, Secundario autem importat privationem juris utendi, ſive uſuſfructu rerum earundem, non excluſo tamen uſu facti, qui eſt ad ſuſtentationem vitæ neceſſarius. Quomodo ergo ſtare poteſt, quod abdicatio juris utendi, quod minus eſt, ſpectet ad perfectionem, non autem abdicatio dominij, ac proprietatis, quod majus eſt? Quod ſi intelligatur, quod ad perfectionem pertineat abdicatio dominij quo ad uſum facti, puta, quod aliquis habeat quidem dominium rei, hoc autem minime utatur niſi ad alterius voluntatem, non autem abdicatio dominij, ac proprietatis; adhuc ſequitur major contradictio. Ratio eſt, quia uti re non pro libito, ſed tantum ad voluntatem alterius ſpectat ad Obedientiam, quæ eſt unum ex tribus conſiliis Evangelicis, & per quod homo voluntatem ſuam alterius præceptis alligat: quomodo igitur hoc erit neceſſarium ad perfectionem, & talis non erit abdicatio dominij, ac proprietatis, ut ſervetur Evangelica Paupertas, quæ eſt unum, & forte principale ex tribus conſilijs, a quibus Chriſtiana perfectio integratur.

245 Aſſertio quinta, (nempe quod ſolemnitas Voti Religioſæ Paupertatis, ut nempe per illud Religioſus amittat dominium ſuorum bonorum, & illud transferat in Monaſterium, introducta ſit univerſaliter a temporibus Juſtiniani Imperatoris) eſt pariter falſa. Ratio eſt, quia, ut habetur ex Actis Apoſtolorum *cap.* 4. *verſ.* 35. omnes Fideles vendebant res ſuas, & ad pedes Apoſtolorum deferebant, & quia abdicabant bonorum ſuorum proprietatem, *nullus eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia*. Creſcente poſtmodum Fidelium numero, cum talis vita difficulter poſſet ab omnibus ſervari, ad ſolos Monachos redacta eſt; ut proinde Monachalis, ſeu Regularis ſtatus (ex eo quod profiteatur vitam primitivæ Eccleſiæ) dicatur a *Concil. Meld*en. *cap.* 9. *D. Baſil. conſtit. Monaſt. cap.* 19. *D. Auguſt. in pſalm.* 132. *Jo. Chriſoſt. de vit. Monaſt. lib.* 3. *Caſſian. collat.* 18. *cap.* 5. *Gregor. de Valent. D. Thom. D. Bernard. D. Hyeron. Euſeb. & alijs apud A S. Ubaldo quodlib.* 1. *dub.* 4. *nu.* 30. & a Sanctis Patribus *a Deo inſtitutus, ab Apoſtolis fundatus, & a Sanctiſſimis Patribus excultus*; ita ut optime probant *Franciſc. Bivar. de veter. Monach. lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 8. *& in comment. ad Epiſt. Mart. Maxim. num.* 37. *A. S. Ubald. loc. cit. num.* 31. Regulares Ordines non fuiſſe a Sanctis Baſilio, Auguſtino, Benedicto, ac S. P. Franciſco tanquam quid de novo inſtitutos, ſed quos Apoſtoli fundaverant reſtitutos.

246 Ex hoc igitur convincitur, Monachos omnes qui longe præceſſerunt tempora Iuſtiniani, bona ſua contuliſſe ad utilitatem communem Monaſteriorum, abdicata illorum proprietate, ſiquidem hoc conſuetum jam erat ex Apoſtolica traditione, ac exemplo in Eccleſia primitiva, cujus mores, ac diſciplinam Monachi profitebantur. Cum autem iſti longo intervallo fuerint in Chriſtiana Republica ante ætatem Juſtiniani Imperatoris, ineptum eſt dicere, quod abdicatio temporalium in Monachis, & illorum dominii translatio ad Monaſterium inceperit tempore Juſtiniani, qui de hoc legem ſanxit; attento maxime, quod a Laico Principe leges emanatæ afficere nequibant Deo mancipatos, ut ſunt Monachi.

247 Septimum, & ultimum fundamentum eſt, quod communiter omnes Epiſcopi a Regularibus aſſumpti ſe tenent a Papa diſpenſatos, & ſe gerunt tanquam veros dominos fructuum menſæ Epiſcopalis, de quibus libere diſponunt, & hoc ſciente, & tolerante Papa: & proinde cenſetur per conſuetudinem introductam derogatum eſſe cuilibet contrariæ diſpoſitioni.

248 Reſpondetur primo, quod nulla conſuetudo contra jus Divinum tenet, *Text. in cap. final. de conſuet. Abb. in cap. Tua nobis num.* 8. *de decim.* obſervatio autem Votorum Religionis ſolemnium eſt de jure Divino: unde ſequitur, quod contra eam nulla unquam induci queat conſuetudo, quæ potius vocanda eſt corruptela, aut abuſus.

249 Reſpondetur ſecundo negando aſſumptum; ſiquidem quamvis aliquis Epiſcopus eſſe poſſit, *qui quærat quæ ſua ſunt*, non *quæ Jeſu Chriſti*, & qui medijs quandoque indirectis Epiſcopatum invaſerit non *vocatus a Deo tanquam Aaron*, ſed malis artibus ad regimen Ovilis Chriſti intruſus; & qui in Epiſcopatu ſuperbiens ſe gerat tanquam dominum, & pro libito Eccleſiaſticos redditus impendat aut in luxu, aut in pompa, aut in ditandis propinquis; tamen non ſic faciunt alij, qui reluctantes, ad Eccleſias vocati ſunt, & de gradu Epiſcopali non ſuperbientes, conſideraverunt ſe non eſſe bonorum Eccleſiæ proprietarios, ſed adminiſtros, nec poſſe de ijs, niſi prudenter, & rationabiliter diſponere pro ornatu, & fabrica Eccleſiæ, ac pauperum ſuſtentatione &c. Sequi-

quitur ex his, quod non vera est consuetudo, quæ supponitur, quamvis enim multi essent, qui taliter viverent, ab his non posset induci legitima consuetudo, tum quia est contra jus Divinum, ut dicebam; tum quia refragatur sibi aliorum vita, quæ divinæ legi, ac Sacris Canonibus est conformis.

250 Respondetur tertio, quod, ut supra diximus, Papa in promotione personæ Regularis ad Episcopatum nullo modo eam transfert a statu Religiosi, neque dispensat in Voto solemni Paupertatis, tum quia Papa non potest dispensare in iis, quæ sunt juris Divini, *Abb. in cap. a nobis 24. num. 4. de decim.* tum quia translatus de uno ad alium Ordinem ex dispensatione Papæ, sicut non dispensatur in Votis solemnibus (quia hæc omnibus Ordinibus Regularibus sunt communia) ita neque dispensatur in aliis Votis, ut de Voto non ambiendi Prælaturas nec intra, nec extra Religionem (quod in aliquibus Ordinibus Regularibus practicatur) post *Passerinum de stat. homin. quæst. 185. art. 8. num. 168. tom. 1. & tom. 3. qu. 189. art. 8. num. 160.* dat *Eustach. a S. Ubald. quolibet 11. dub. 17. n. 1172. & seq.* qui affert ad hoc declarationem *Urbani VIII. Const. cum sicut. 21. Maii* 1635. Decretum *Sacr. Congr. Episc. & Regul. 16. Decembr.* 1639. ac Doctores *Lauræa Thesaur. Caramuel. Lezan. Pellizzar. Pistach. apud a S. Ubald. loc. cit. num.* 1171. Et optima ad hoc est ratio, quam adducit *Thesaur. de pœn. Eccles. par. 2. vers. Relig. cap. 4. num.* 13. quod nempe omnia Vota censeantur principaliter ob cultum Dei, & absolute emissa, alias autem eorum causas secundarias esse impulsivas, sive extrinsecas, ut bonum, seu quies Religionis &c. prout a jure *Arg. cap. Ex parte. il 2. de convers. conjug. cap. Magnæ de Vot.* deducitur. Hinc est, quod quamvis per transitum ab una ad aliam Religionem mutetur causa impulsiva, sive secundaria alicujus Voti in priori Religione emissi, non tamen mutatur causa primaria, ac essentialis, nota cultus, & honor Dei; & proinde per mutationem Religionis non cessat obligatio prioris Voti compatibilis cum posteriori Instituto.

251 Ex dictis igitur infertur, quod si in transitu ad Religionem etiam laxiorem, & quæ non obligat ad tantam perfectionem, Papa non dispensat in Votis tum solemnibus, tum non, emissis in priori Religione, hoc idem dicendum est de translatione Regularis ad Episcopatum, qui dum obligat ad gradum perfectionis acquisitæ, nullo modo relaxata supponit Vota solemnia in Religione emissa, cum hæc tendant ad conservationem perfectionis, quæ in Episcopo supponitur acquisita. Et ideo, ut ab initio diximus, Regularis factus Episcopus adhuc manet in suo statu Religioso, permanentibus ejus Votis solemnibus; & hoc confirmat praxis universalis talium Episcoporum, qui in suis litteris patentibus, dimissorialibus, encyclicis, seu edictalibus semper apponunt titulum Religiosi, dicendo *Frater N. Episcopus &c.* perquem universalem morem ineluctabiliter confirmatur nostra conclusio principalis. Ita &c. salvo &c.

QUÆSTIO ULTIMA.

In quo Sepulcro sepeliendus sit Ejectus, si extra Claustra decedat.

SUMMARIUM.

252 *Ejectus est sui juris in electione Sepulcri.*
Si nullum Sepulcrum eligit, in Parochiali Ecclesia debet tumulari.

252 Respondeo, quod, cum Ejectus sit sui juris in electione Sepulcri, eo quia jure illo non privetur, debere sepeliri in Sepulcro a se nominato, ita *Antonius a Spiritu S. direct. regul. tract. 4. disp. 3. sect. 12. num.* 493. Quod, si nulla facta electione decesserit, sepeliri debet in Ecclesia Parochiali, non autem in Regulari; ita iste cum *Pellizario tract. 8. num.* 38. Ratio est, quia Ejectus ab Ordine sub jurisdictione Episcopi statuitur eo modo, quo cæteri Clerici illi subduntur: ergo eorum instar in Ecclesia Parochiali tumulabitur. Et ita finis hujus Operis ad Dei gloriam, Immaculatæ Virginis decus, & Seraphici Francisci laudem, in quo quæcunque censuram pati possunt, sint veluti non dicta, & omnia ibi contenta correctioni Sanctæ Matris Ecclesiæ humiliter subjicio, nec aliter intellecta esse volo. Amen.

FINIS.

TA-

TABULA

Capitum, & Quæstionum hujus Operis,

PARS PRIMA

De Incorrigibili expellendo.

Canones, *loquentes de expulsione Incorrigibilium ab Ordinibus Regularibus*. pag. 131.
Decreta *Sacræ Congregationis Concilii de Regularibus Apostatis, & Ejectis*. pag. 133.
Declaratio *prædicti Decreti per eandem Sacram Congregationem Concilii*. pag. 135.
Decretum *de Ejectis, & Eijciendis, editum sub Innoc. XII.* pag. 136.
Quæstio I. *Quid sit expulsio Regularis ab Ordine*. pag. 137.
Quæstio II. *Favore cujus fiat expulsio ab Ordine*. pag. 138.
Quæstio III. *An expediat Religionibus Incorrigibiles expellere*. pag. 138.
Quæstio IV. *Quænam præcedere debent expulsionem*. pag. 139.
Quæstio V. *Cujus generis debent esse delicta, ut per ea fiat locus expulsioni*. pag. 139.
Quæstio VI. *An ob unicum atrocissimum crimen, possit fieri expulsio Religiosi a proprio Ordine*, pag. 142.
Quæstio VII. *An ad incorrigibilitatem requiratur recidivatio in idem crimen specie an vero sufficiant alia delicta, specie diversa*. pag 145.
Quæstio VIII. *An tria delicta punita, licet minime judicialiter probata, sufficiant ad expulsionem*. pag. 145.
Quæstio IX. *An tria delicta, commissa, & non punita, nec judicialiter probata, sufficiant ad expulsionem*. pag. 148.
Quæstio X. *An tria delicta, commissa, & juridice probata, quibus a clementia Superioris, sive a generali abolitione indulta est venia, sufficiant ad expulsionem*. pag. 149.
Quæstio XI. *An post trinam punitionem de delictis, requiratur relapsus in eadem, vel similia, antequam decernatur carceratio ad probandam incorrigibilitatem pro expulsione*. pag. 150.
Quæstio XII. *An ante decretum carcerationis semestris pro expulsione audiri debeat Incorrigibilis, & defendi: Et num a tali decreto appellare possit*. pag. 152.
Quæstio XIII. *An semestre carceris probatorii integrum esse debeat, ac continuum*. pag. 152.
Quæstio XIV. *An expleto semestri carceris, statim expelli possit Incorrigibilis*. pag. 154.
Quæstio XV. *An Monialis incorrigibilis possit expelli a Monasterio*. pag. 155.
Quæstio XVI. *De Judice expulsionis*. pag. 156.
Quæstio Ultima. *An expulsio habeat locum ratione morbi gallici, & gravamini de ære alieno*. pag. 161.

PARS SECUNDA.

Praxis pro constructione Processus.

Quid prærequiratur, antequam initietur processus, pro expulsione Incorrigibilis. p. 163.
Praxis initiandi processum, pro expulsione Incorrigibilium. pag. 163.
Qualiter initietur processus si Expellendus sit in Conventu liber. pag. 164.
Quomodo examinandi Testes in præfato casu. ibi
Forma compulsanda ex Libro, aut Archivio Provinciæ copiam punitionum inflictarum Expellendis. pag. 164.
Forma examinandi Testes de punitionibus, in defectu authenticæ memoriæ de illis. pag. 164.
Forma convocandi Assessores ad decernendum carcerem formalem ad probandam incorrigibilitatem. 165.
Admonitio facienda Incorrigibili, antequam carceri mancipetur. ibi.
Forma excipiendi juramentum a Custode carceris, de fideli custodia Carcerati. pag. 165.
Qualiter reijcienda appellatio Appellantis a decreto carceris. ibi.
Descriptio Carcerationis per vim factæ. ibi.
Protestatio facienda a Superiore contra Expellendum, si in facto suæ carcerationis percutiat, vel lædat aliquem. pag. 165.
Provisio de Viro probo, ut durante carcere probatorio inserviat Expellendo pro Consiliario ad emendationem. pag. 166.
Forma explorandi mentem Carcerati, circa finem semestris. ibi.
Relatio facienda Judici expulsionis post talem explorationem. ibi.
Protestatio facienda Educto de carcere, qui emendationem promisit. pag. 167.
Decretum de prosecutione processus, si Eductus emendationem non promittit, aut signa sint dubia. pag. 167.
Praxis instituendi novum processum per viam inquisitionis mixtæ si Reus eductus e carcere, & si graviter non delinquat in moribus, tamen parum Religiosis prodit vitam non emendatam. pag. 167.
Forma examinandi Testes in præfato casu. pag. 168.
Forma concedendi copiam actorum, & Patronum Incorrigibili expellendo. pag. 168.
Forma describendi renunciationem Defensionum, & Advocati. pag. 168.
Forma describendi præsentationem defensionum pro Reo. pag. 169.
Decretum de constituendo Advocatum pro Fisco, contra Advocatum Rei. ibi.
Præsentatio allegationum Advocati Fisci contra Reum. ibi.
Consignatio allegationum Fisci Advocato Rei. ibi.
Forma Decreti de mittendis Judicibus, deputatis ad expulsionem Incorrigibilium, ad Superiorem Generalem, cum transumpto authentico actorum, dato quod non distet ultra tres dietas. pag. 169.
Forma Decreti pro convocatione Conjudicum ad expulsionem Incorrigibilis, apud Superiorem Provincialem, pro voto eorum in causa Rei, dum Superior Generalis distat ultra tres dietas. ibi.

For-

Forma voti mittendi ad Superiorem Generalem, per Judices ejectos ad expulsionem Incorrigibilium. pag. 170.
Qualiter describatur restitutio copiæ actorum præsentatorum per Conjudices Superiori Provinciali, cum duobus autographis Voti, in causa; quorum unum servetur cum actis, alterum transmittatur una cum copia processus ad Superiorem Generalem. pag. 170.
Forma Sententiæ ferendæ per Superiorem Generalem, si judicaverit Reum esse expellendum. ibi
Clausula addenda in sententia, si Expellendus non sit aliquo ordine insignitus. ibi.
Forma incboandi processum ad expulsionem, dum Reus est in carcere in pœnam tertij delicti. pag. 171.
Forma examinandi Testes in tali casu. pag. 171.
Forma incboandi processum od expulsionem, dum Reus fugijt e carcere, ubi detinebatur in pœnam tertij delicti. pag. 172.
Continuatio processus in tali casu. pag. 172.
Forma supplicis libelli ad Sacram Congregationem, pro dispensatione semestris carceris in tali casu ad probandam incorrigibilitatem Rei fugitivi. ibi.
Forma Summorij Processus jangendi cum supplici libello ad Sacram Congregationem. pag. 173.
Forma Decreti de servandis actis in Archivio, dato quod Sacra Congregatio non annuerit supplicationi factæ. pag. 173.
Forma Decreti de citando Reum absentem, qui fugijt e carcere. pag. 173.
Tenor Monitorij supradicti. ibi.
Forma recipiendi relationem de affixione ejusdem Monitorij. pag. 174.
Forma continuationis processus in supradicto casu. ibi.
Forma incboandi processum, pro expulsione Contumacis perseverantis in inobedientia. pag. 174.
Praxis continuandi processum, pro expulsione Contumacis. ibi.
Forma certiorandi Diœcesanum Episcopum, de expulsione Incorrigibilis ab Ordine Regulari. pag. 175.

PARS TERTIA.

De statu Expulsi.

Quæstio I. An Episcopus possit cognoscere de Sententia expulsionis. pag. 176.
Quæstio II. Cui Episcopo debeat se præsentare; & an pro libito possit mutare Diœcesim. pag. 178.
Quæstio III. Quo habitu incedere debet Expulsus. p. 179.
Quæstio IV. An Expulsus debeat enutriri ab Ordine, si cum eo litigat pro reversione. pag. 181.
Quæstio V. An Expulsus promoveri possit ad Sacros Ordines, vel in ijsdem dispensari, ut ministret. pag. 183.
Quæstio VI. An Expulsus obligetur ad vota essentialia Religionis, & ad alia vota sui Ordinis, nec non Regulares Observantias. pag. 185.
Quæstio VII. An Expulsus maneat post Sententiam ejectionis Religionis jurisdictioni subjectus. p. 189.
Quæstio VIII. An Expulsus teneatur ex voto ad obedientiam Episcopi, & Pontificis. pag. 190
Quæstio IX. An Religio possit revocare Ejectum, & ille teneatur redire. pag. 192.
Quæstio X. An Religio possit compelli ad receptionem Ejecti resipiscentis, & emendati. pag. 194.
Quæstio XI. An Expulsus teneatur se corrigere, ad finem, ut iterum ad Ordinem admittatur. p. 196.
Quæstio XII. An Expulsus sit tutus in conscientia, si procuravit expelli. pag. 197.
Quæstio XIII. An Expulsus possit cogi ad aliam Religionem, vel ipse sua sponte illam ingredi. p. 199.
Quæstio XIV. An qui primo noverat Religionem, deinde expellitur ab ea, in qua professus fuerat, teneatur quærere aliam. pag. 200.
Quæstio XV. Expulsus ab uno Ordine; & ad alium translatus, an si a secundo eijciatur, possit recipi in priori. pag. 201.
Quæstio XVI. An reversus debeat iterum vovere, ac si rediret a sæculo. pag. 203.
Quæstio XVII. An Expulsus gaudeat privilegijs Ordinis. pag. 203.
Quæstio XVIII. An Expulsus possit esse Apostata per dimissionem habitus Clericalis. pag. 204.
Quæstio XIX. An Reversus recuperet antianitatem, præeminentias, & gradus, quibus fruebatur ante ejectionem. pag. 205.
Quæstio XX. An per Sententiam expulsionis posset Ejectus imperari, ut exulet. pag. 206.
Quæstio XXI. An Expulso competat dominium, & administratio rerum temporalium. pag. 207.
Quæstio XXII. Cui acquirat bona sua Expulsus. p. 208.
Quæstio XXIII. An Ejectus possit venire contra renunciationem bonorum, a se factam in professione. pag. 213.
Quæstio XXIV. An Ejectus possit donare acquisita, ac de illis pro beneplacito disponere. pag. 214.
Quæstio XXV. An si Expulsus in illicita expendat, peccet contra votum, & debeant restitui. pag. 216
Quæstio XXVI. An Conventus, dum revocat, teneatur ad debito Ejecti. pag. 217.
Quæstio XXVII. An Ejectus, sed emendatus, debeat admitti ad Ordinem, si ex receptione timeatur infamia Religioni; Si Ejectus extra Religionem degens morbum gallicum contraxit; si redeat inhabilis ad Ordinis officia; si nequeat sine scandalo cæterorum innocentibus aggregari. pag. 218.
Quæstio XXVIII. An Ejectus, in alio Ordine receptus, transferat in illum bona donata primo, aut illi acquisita. pag. 220.
Quæstio XXIX. An Ejecto debeant resignari scripta, ab eodem composita. pag. 223.
Quæstio XXX. An Expulsus possit de acquisitis testari, vel facere donationes causa mortis. pag. 224.
Quæstio XXXI. An translatus ad dignitatem Episcopalem, si illi cedit, aut deponitur, teneatur ad Ordinem redire. pag. 225.
Quæstio XXXII. An Minorita, promotus ad Episcopatum, recuperet antiquum jus succedendi in bonis paternis, olim amissum, ob religiosam professionem. pag. 225.
Quæstio Vltima. In quo Sepulcro sepeliendus sit Ejectus, si extra Claustra decedat. pag. 236.

CONSTITUTIONES
ET
ORDINATIONES APOSTOLICÆ
NONNULLÆ.

Ad materiam Criminalem spectantes.

Breve Pij IV. de Bannitis, & Homicidiis non audiendis in Carcere non constitutis, & de probanda eorum innocentia super delicto, super quo habiti sunt pro confessis in vim fictæ confessionis Statutariæ, ut antea Julius II. decreverat.

P I U S   P A P A   I V.

Ad perpetuam Rei memoriam.



ET si cuncta, quæ ex multa Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum providentia processerunt, executioni debitæ demandanda esse censemus, illa tamen præcipue, quæ ad salubrem temporalis ditionis Apostolicæ indemnitatem prudenter ordinata comperimus, ut illibata, firmaque perpetuo subsistant, libenter non solum nostræ approbationis, verum etiam opportunæ innovationis munimine roboramur. Dudum siquidem cum fel: rec: Julius Papa II. Prædecessor noster ex plurimorum fide dignorum relatione percepisset, multa homicidia ab octo præcipue annis in Provincia nostra, tunc sua, Marchiæ Anconitanæ perpetrata, ex eo præsertim, quod ipsi tam atrocis criminis Rei per Procuratorem defendi solebant, & plerumque subdolis cavillationibus absolvi, & quod etiam tam a se, quam antecessoribus suis Romanis Pontificibus per commentitias, & minus veras narrationes, ac etiam sub prætextu obtentæ pacis, absolutionem, & cassationem Sententiarum, ac processuum desuper habitorum impetravissent. Quo exemplo plerique ad hujusmodi homicidia perpetranda proclíviores reddebantur. Adeout non tam in privatos, & Inimicos homines, sed & in fratres, & alios Propinquos, Prætores, & Officiales populorum, & (quod nimis grave erat) a Sacerdotibus manus impias non continebant. Dictus Prædecessor attendens, quod ex facilitate veniæ frequentius hujusmodi homicidia committebantur, salutareque remedium in his adhibere volens, sua firma, stabili, incommutabili, perpetuoque duratura Constitutione sancivit, & decrevit.

Ut nullus in causa criminali, ex qua capitis, vel sanguinis, aut alia quævis gravior arbitrio Judicis pœna infligenda esset, maxime in causa homicidii, per Procuratorem, excusatorem, vel alium quemlibet de populo, quovis pacto admitteretur, nec Pater pro Filio, nec Abbas pro Monacho, nec Prælatus, aut Dominus pro subjecto, vel contra audiretur, nisi reus seipsum prius in carcerem constituisset.

Et si forte Judex aliqua ratione inductus ad excusandum Rei absentiam, vel innocentiam, seu aliam ob causam aliquem ex prædictis duxisset admittendum, posset in quocunque judicii statu, & instantia causæ etiam ad conclusionem deductæ, ac etiam post Sententiam, si Reus supplicavisset, & in carcere constitutus innocentiam suam patefacere vellet (nisi forte extaret Statutum in loco, quod contumax haberetur pro confesso, quo casu non audiretur, nisi ex liquidissimis probationibus constaret Iudici, prætensum reum non commisisse maleficium, super quo habitus fuisset pro confesso in vim fictæ confessionis statutariæ) hujusmodi criminis reum, aut conventum coram se ad personaliter comparendum vocare; & tanquam veritatis conscium in carceribus audire. Qui si forte venire distulisset, Processus, & Sententia pro ipso reo lata, & inde sequuta quæcumque etiam Fisco, vel parte non agente, nullius essent roboris, aut momenti, prorsusque pro infectis haberentur. Quinimo Reus ipsis pœnis juris, & constitutionum dictæ Provinciæ, quemadmodum ante Processum, & Sententiam hujusmodi fuerat, esset obnoxius, quacumque ipsius Provinciæ consuetudine (quæ corruptela rectius dici poterat) non obstante. Quod ipsum extendi voluit ad causas criminales præfatas, tam in Curia Maceratensi, quam in aliis locorum dictæ Provinciæ Tribunalibus in quacunque instantia etiam per appellationem pendentes.

Dictæ propterea Constitutioni, & Sanctioni adjecit, quod si quis a se, vel a Sede prædicta, vel a Legato de latere pro tempore dictæ Provinciæ, vel S. R. E. Camerario hujusmodi veniam, & remissionem, sententiarumque & processuum desuper habitorum absolutionem, cancellationem, cassationem, & integram restitutionem, seu in pristinum statum repositionem impetravisset, etiam si in litteris super hujusmodi absolutione factis, certæ scientiæ, & proprii motus, aut quævis aliæ insolitæ clausulæ apponerentur; deberent litteras ipsas Legato, seu Gubernatori, Locumtenenti, Rectori, vel cuicumque ipsius Provinciæ Præsidi exhibere, illisque exhibitis de illarum veritate, vel subreptione docere, ipseque in carceribus, vel in alio loco pro car-

carceribus assignando , vel superioris arbitrio , datis fidejussoribus , vocatis vocandis audiri , de veritate precum docere legitime , ac narrata in literis ad gratiam obtinendam , & Principem leniendum, & facilius inducendum verificare , & super subreptione , vel obreptione impetratæ gratiæ judicio stare. Quibus non observatis , vel eis in probatione deficientibus , veniam , remissionem , sententiarumque , & processuum desuper habitorum abolitionem , cancellationem , cassationem , restitutionem in integrum , seu in pristinum repositionem pro nullis , nulliusque stabilimenti habendas esse , eosque ipsos Juris , dictarumque Constitutionum poenis adstrictos remanere voluit , & mandavit , dictis obtentis gratiis, & desuper etiam in forma Brevis expeditis literis non obstantibus . Et non solum remissiones deinceps faciendas , sed etiam literas Apostolicas in forma Brevis , aut alias jam obtentas, quæ nondum effectum cancellationis , & cassationis sortitæ fuissent sub eadem constitutione comprehendi statuit, super quo nec ætas junior annis viginti quinque homicidas ipsos excusaret , & homicida sic delinquens , qui vigesimum annum suæ ætatis attigisset , haberetur , & reputaretur pro majori in omnibus præmissis delictis , nec propterea a poenis juris, constitutionum , vel statutorum eximeretur , vel liberaretur , nec apud Judicem minoris ætatis hujusmodi consideratio alicujus esse momenti voluisset . Decernens irritum , & inane quidquid contra præmissa , seu eorum aliquod attentaretur , vel quidquid etiam a Legato de latere,seu a quovis alio dictæ Provinciæ Rectore in derogationem , modificationem , seu quamlibet aliam dispensationem omnium , & singulorum præmissorum imposterum contigisset attentari sine sua expressa licentia , quæ in scriptis ostendi posset . Nec Literas Apostolicas a Se , vel S. Sede prædicta pro tempore concedendas contra præmissa ,aut eorum aliquid cuiquam suffragari voluit , nisi per trinas literas interpolate emanatas suæ constitutioni hujusmodi in specie de verbo ad verbum , & specialiter fuisset derogatum , illasque contra mentem suam , & dictæ Sedis fore concessas ex tunc declaravit .

Et deinde piæ memoriæ Paulus Papa III. etiam Prædecessor noster per eum plurium fide dignorum testimonio accepto , quod nonnulli Civitatum, Terrarum , ac locorum eidem S. R. E. mediate , & immediate subjectorum, & præsertim Provinciæ nostræ Romandiolæ ad evitandum , seu differendum poenarum condemnationes , & solutiones , ad appellationes frivolas plerumque recurrebant,causasque appellationum hujusmodi coram diversis Judicibus ordinarijs , & delegatis etiam Romanæ Curiæ per diversa rescripta a se, vel a Signatura sua justitiæ extorta, introduci procurabant contra formam diversarum constitutionum plurimorum , præsertim Julij prædicti , & recol. mem. Leonis X. & Clement. VII. Romanorum Pont. prædecessorum suorum , quibus inter alia cautum fuerat , quod appellationes in causis condemnationum , & Fiscalibus , nisi facto deposito poenæ , ad quam appellans fuisset condemnatus non admitti potuissent, sed ad poenæ hujusmodi exactionem procedi debuisset . Idcirco idem Paulus prædecessor indemnitati Cameræ Apostolicæ hujusmodi in quantum potuit providere cupiens,per alias suas literas motu proprio ,& ex certa scientia constitutiones præfatas , & in eis contenta quæcumque confirmavit , & approbavit,illasque in quantum opus esset innovavit. Et nihilominus Motu & scientia similibus , ac de Apostolicæ potestatis plenitudine de novo statuit , & ordinavit , quod nullæ appellationes , & provocationes in causis Criminalibus , seu mixtis , ad Fiscum , & Cameram Apostolicam quomodolibet concernentes , non facto deposito poenæ, in qua delinquentes , aut illi , qui pro delinquentibus ipsis fidejussissent , vel ex contractu quoquomodo condemnandi venirent , aut eatenus condemnati fuissent , recipi , & admitti possent ; sed appellationes , & provocationes in causis hujusmodi interpositas , & in futurum interponendas , ac appellantes ipsos reijci debere , illas , ac quæcumque rescripta , & commissiones similium causarum ,ad cujusvis instantiam per quæcumque ad commissiones Signaturæ Justitiæ signandas deputatum etiam per se , & successores suos Rom. Pont. eatenus signata , & in futurum signandas,non facto dicto deposito nullius fore , & esse roboris , vel momenti , sed illis non obstantibus ad ulteriora in causis ipsis usque ad poenarum prædictarum effectualem exactionem procedi debere mandavit . Et insuper quod nullæ commissiones, Fiscum , & Cameram Apostolicam quomodolibet concernentes, per quemcumque a se, & Sede Apostolica ad commissiones in Signatura justitiæ signandas , ut præfertur deputandum , nec etiam per se , & successores prædictos signari possent , nisi Fisci , & Cameræ præfatæ Procuratore , & Thesaurario Provinciæ, de cujus etiam interesse ageretur , si in Rom. Cur. præsens foret, citatis, & aliter signatæ nullius roboris , vel momenti essent,prout in singulis literis præfatis plenius continetur .

Nos igitur, ne literæ prædictæ,ex eo quod illarum executio ab aliquibus neglecta fuit , seu propter earum forsan non usum in desuetudinem abijsse , a quoquam prætendi , seu aliter quomodolibet allegari , deque earum viribus hæsitari contingat , sed illæ (ut par est) suos debitos sortiantur effectus, & ab omnibus observentur , providere volentes : Motu , & scientia similibus præfatas , & alias quascumque (quarum & inde secutorum quorumcumque aliorumque circa præmissa latius etiam de necessitate exprimendorum tenores , ac si de verbo ad verbum similiter inserti forent , præsentibus pro sufficienter expressis haberi volumus) aliorum prædecessorum nostrorum super præmissis tam sub plumbo , quam in forma Brevis editas literas , & in eis contenta , ac inde sequuta quæcumque Apostolica authoritate tenore præsentium approbamus , & confirmamus , eisque Apostolicæ firmitatis robur adjicimus , ac ea valere , perpetuaque roboris firmitate subsistere , ac suos effectus plene sortiri , & ab omnibus , quos illa concernunt , & concernere poterunt quomodolibet in futurum , integre observari debere , decernimus, omnesque , & singulos tam juris , quam facti defectus , si qui forsan tunc intervenerint , & in eisdem supplemus .

Et nihilominus Motu,scientia, & authoritate præfatis per hanc nostram constitutionem in perpetuum valituram statuimus , & ordinamus : Quod nullus in pœnam capitis condemnatus , qui sub prætextu,quod ipse aliquem bannitum occiderit , aut alias quovis modo ad manus Curiæ pervenire fecerit, & propterea a dicta poena capitis , in qua condemnatus fuit , liberari , & absolvi debere, aut alium bannitum per ipsum condemnatum nominandum juxta formam bannimentorum desuper emanatorum remittere posse prætendit , per procuratorem , excusatorem , defen-

forem

forem, vel ut quemlibet de populo andiri, vel admitti possit, aut debeat, nisi prius reus ipse, qui liberationem, aut absolutionem, vel nominationem, & remissionem hujusmodi consequi, aut fieri posse, vel debere prætendit, se ipsum in carceribus juxta formam literarum Julii II. Prædecessoris nostri hujusmodi personaliter constituerit. Quodque literis prædictis, & huic nostræ dispositioni, nisi de ipsis clara, & expressa mentione facta, & per nostram, & successorum nostrorum Romanorum Pontificum manus propriæ signaturam derogari non possit. Sicque & non aliter in omnibus, & singulis præmissis, ac tam præsentibus, quam futuris causis, & litibus per quoscumque Judices, etiam S. R. E. Cardinales, & de latere legatos, ac Palatii Apostolici causarum, Auditores sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate judicari debere. Ac quidquid contra præsentium tenorem contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, & Provinciæ nostræ Marchiæ Anchonitanæ statutis, & consuetudinibus, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque indultis, & literis Apostolicis illi, ac Civitatibus, Terris, & locis præfatis, eorumque Gubernatoribus sub quibuscumque verborum formis, & tenoribus, ac cum quibusvis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, etiam motu, & scientia similibus concessis, etiam, iteratis vicibus approbatis, & innovatis. Quibus omnibus (illorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererétur præsentibus pro sufficienter expressis habentes) illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, &c. Dat. Romæ,&c. die10. Aprilis M.D.LXII.

Motus proprius particularis Pij IV. De executione sententiarum capto Bannito post sex Menses. Ac etiam de nonnullis alijs Capitulis Causas Criminales concernentibus.

PIUS PAPA IV.

Motu proprio; &c. Licet dudum per fel. rec. Paulum III. & forsan alios Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac deinde per Nos inter alia, justissimis rationibus tunc expressis provisum, ordinatumque fuerit, quod in causis criminalibus, seu mixtis Fiscum, & Cameram Apostolicam quomodolibet concernentibus, in quibus reos condemnari contingeret, appellationes, vel provocationes, nisi prius facto deposito pœnarum, in quibus ex delicto delinquentes ipsi, aut illi, qui pro eis fidejussissent, vel ex contractu quoquomodo condemnandi venirent, aut eatenus condemnati fuissent, omnino recipi, & admitti non possent, sed appellationes, & provocationes in causis hujusmodi interpositæ, & in futurum interponendæ, ac appellantes ipsi reijci deberent, aut si sententia esset in pœnam capitis condemnatoria, non admitteretur appellatio, neque aliter audiretur reus, nisi in carceribus constitutus. Et insuper quod quæcunque rescripta, & commissiones causarum similium appellationum, & provocationum ad cujusvis instantiam, per quemcumque ad commissiones Signaturæ Justitiæ signandas deputatum, aut etiam manu nostra, & successorum nostrorum non facto dicto deposito nullius essent roboris, vel momenti; sed illis non obstantibus ad ulteriora in causis ipsis usque ad pœnarum prædictarum effectualem exactionem deberet procedi. Quodque commissiones causarum, in quibus de interesse Fisci, & Cameræ prædictis ageretur, non deberent signari, neque expediri, nisi citato Procuratore Fiscali, Thesaurario Provinciæ, ex qua quælibet causa existeret, aliasque aliter prout in singulis, Pauli, & aliorum Prædecessorum, & nostris sub annulo Piscatoris sub die decima Aprilis 1562. expeditis literis, quarum tenores hic pro expressis haberi volumus, latius continetur. Tamen ordinationes, & dispositiones hujusmodi, nostraque & dictorum prædecessorum in illis edendis intentio, cavillantium calumnijs in dies eluduntur, & super rerum sinistris interpretationibus agentes pro Fisco, & Camera prædicta fatigant, & ex eo præsertim, quod nonnulli circa faciendum depositum prædictum contendant satisfactum esse statutis, & dispositionibus prædictis ex sola cautione in forma depositi, & quod citare Procuratorem Fiscalem, & Thesaurarium in expeditione singularum commissionum, tamquam nimis rigorosum videatur esse præter nostræ mentis intentionem. Insuper adversus obligationem constituendi reos appellatos in carcere diversas etiam cavillationes opponunt; Unde provenit, quod ipsi rei non coacti facere actuale depositum, non curant causas suarum appellationum expediri, sed potius de industria procurant illas in longum protrahi, maxime cum non citatis Procuratore Fiscali, & Thesaurario prædictis contingat per eos impetrari commissiones directas judicibus, vel in Alma Urbe existentibus negociorum multitudine impeditis, vel extra Curiam eorum amicis, & locis, in quibus non sunt qui jura Fisci tueri possint, aut velint, narrando etiam in ipsis commissionibus multa mendacia, ut illorum medio possint ad retardandā executionem, & causam intricandum inhibitiones ab ipsis Judicibus extorquere. Quæ omnia non solum tendunt in Cameræ prædictæ detrimentum (quod tollerabilius esset) sed etiam proveniente inde delictorum impunitate, datur alijs materia delinquendi, & universis populis scandalum non modicum.

Nos igitur calumnijs, & alijs inconvenientibus hujusmodi quantum cum Deo possumus obviare, & in his opportune providere volentes, hac nostra in perpetuum valitura declaratione, ordinatione, & constitutione statuimus, & ordinamus. Quod in supradictis seu criminalibus, aut civilibus, vel ex delicto, sive contractu, ut præfertur, procedentibus causis Fiscum, & Cameram prædictam, illiusque interesse quomodolibet concernentibus, non liceat alicui condemnato cujuscumque status, gradus, ordinis, qualitatis, & conditionis, etiam si Universitates, & Collegia fuerint, a condemnationibus hujusmodi, & Sententiis desuper latis, seu illæ diffinitivæ fuerint, sive interlocutoriæ, aut vim diffinitivæ habentes, appellare, provocare, aut de nullitate dicere, neque quomodolibet interpositæ appellationes, provocationes, & nullitatis dictiones hujusmodi per quosvis Judices ordinarios, vel delegatos in Romana Curia, vel extra commorantes, etiam per Camerarium nostrum, ac Præsidentes, & Clericos dictæ Cameræ, necnon ejusdem Cameræ Apostolicæ causarum generalem Auditorem moder-

nos, & pro tempore existentes, aut eorum aliquem sub indignationis nostræ, ac excommunicationis pœna recipi, seu admitti possiat, nisi prius eis, & eorum cuilibet per publica instrumenta constito, quod ante interpositam unamquamque appellationem, seu provocationem, vel nullitatis dictionem, si condemnatio contineat pœnam pecuniariam, seu pecunia æstimabilem, fuerit ejusdem poenæ, seu illius æstimationis factum integrale, actuale, & purum depositum in manibus Thesaurarii Provinciæ illius, ad quod quidem pœnale, & integrale depositum quoscumque teneri volumus, nisi forsan summa deponenda respectu personæ condemnatæ sit adeo magna, ut inspecta quantitate, & qualitate facultatum illius, non sine maximo dispendio in brevi temporis spatio provideri possit. Quo casu habita fide super hoc a Gubernatore, seu Vicelegato illius Provinciæ, quod consideratis præfatis condemnatus integre deponere non valeat, volumus ad medietatis, seu alterius minoris summæ, prout reorum facultates posse ferre per dictos Gubernatores, seu Vicelegatos judicabitur, depositionem omnino teneri, hoc casu præstent cautionem in forma depositi de solvendo residuum pœnæ, in qua condemnati fuerint infra annum, nisi absolutionem legitime obtinuerint, & de prædicta absolutione docuerint: Dummodo per Nos, vel Signaturam nostram aliud super dicto deposito, citato tamen semper Fisco, ordinatum, seu decretum non fuerit. Et si poena sit capitalis, pecunia non æstimabilis, nisi prius ipso condemnato in carceribus constituto, ac etiam facto deposito præfato, talium appellationum, provocationum, & nullitatum commissiones signari, aut alias jurisdictione ordinaria per Judices supranominatos, seu alios, inhibitiones, monitoria, aut citationes extra Curiam decerni, & expediri, vel per eorum Notarius scribi, & relaxari non possint, nisi prius antequam illarum singulæ signentur, aut respective decernantur, & expediantur cum competenti termino ad dicendum causam quare signari, aut expediri non debeant, ut moris est, Procurator Fiscalis, & Thesaurarius, vel Procuratores in Curia Romana existentes Thesaurarij illius Provinciæ, ex qua fuit condemnatio facta, conjunctim citati fuerint, & si signandæ veniant, nonnisi hic in Curia, vel in Curia generali, & loco residentiæ Præsidis illius Provinciæ, ex qua causa ipsa est, committi possit. Et si ob inadvertentiam, seu alias aliquas commissiones, seu inhibitiones, aut monitoria, & citationes super præmissis, aut aliquo præmissorum expediri contingat, Judices, quibus illa præsentabuntur respective illorum vigore ad inhibitionis decretum, aut ad aliquem alium actum sub simili indignationis nostræ, ac excommunicationis pœna non audeant, neque possint procedere, nisi prius, & ante omnia sibi apud acta legitime constito, quod depositum fuerit, ut præfertur, factum, quodque in expeditione commissionis, inhibitionum, monitorij, & citationum extra Curiam, citationes prædictæ intervenerint, & rei ipsi se in carceribus constituerint.

Et insuper quoniam eo hominum protervitas devenit, ut hi qui homicidium, vel maleficium aliquod committere deliberarunt, prius quærant eos, quos pro hostibus habent, treguæ, vel pacis prætextu assecurando decipere, quo facilior postea delicti perpetratio reddatur, expeditque propterea, ut quos Dei timor non retinet, pœnarum rigor deterrendo coerceat, populorum quieti consulere, & flagitiosos Sicariorum, ac scandalosorum ausus reprimere, nec non cavillationibus, quas ad solutiones pœnarum fugiendas hominum malitia in dies excogitat, subvenire volentes, quod poenæ conventionales pacis, & treugæ ruptæ, & fidejussiones de non offendendo stipulentur in futurum per Notarios in favorem Cameræ Apostolicæ, non Communitatum, vel alterius, & si aliter factæ fuerint, in ipsius Cameræ favorem stipulatæ censeantur. Quoque in causis treguarum, pacisve fractarum ipsi tractores, vel eorum fidejussores allegare non possint, quod offensa ex nova causa processit, nec allegata cuiquam suffragetur.

Et quia in cautionibus de non offendendo partes intendunt, ut sibi eo, quo melius fieri potest, modo cautum sit, ne offendantur impune, & ideo promittunt non solum pro se ipsis, sed etiam pro aliis eorum conjunctis, quod non offendent, neque offendi facient; sed aliquando Notariorum imperitia sensum, & intentionem partium pervertente, contingit eos scribere, quod partes promittunt non offendere per se, & alios, ubi scriptum oportuisset pro se, & aliis differentiam videlicet inter has voces, per, & pro, nescientes, vel confundentes, ac propterea præbentes ansam cavillosis, & delinquentibus prætendendi, quod facta offensione per unum ex comprehensis in fidejussione, non sit commissa stipulatione poenæ, nisi constet, quod ille, qui offendit, de mandato principalis offenderit, unde etiam infinita scandala eveniunt, illaque remanent impunita. Idcirco, quod si quis Notarius errorem hujusmodi commiserit, mille ducatorum auri Cameræ Apostolicæ applicandorum pœna plectatur. Et nihilominus, sive ex dictione, per, sive ex dictione, pro, stipulatio concepta, & offensa sequuta fuerit, principales promittentes ad poenam conventionalē perinde teneantur ac si ipsis mandantibus offensio emanasset, & de eorum mandato legitime constaret, iidemque Notarii sub simili poena in instrumentis fidejussionum de non offendendo apponant clausulam. Quod data contraventione alicujus comprehensi in stipulatione, si contingat talem contravenientem vere, & realiter confiteri, vel ficte propter contumaciam in non comparendo, pœna conventionalis committatur, & exigi possit a fidejussoribus, nulla excusatione, vel exceptione penitus admissa; Imo habeantur crimen, & contraventio, ac si per testes, vel alias legitime probatum, vel probata fuissent. Et si clausula hujusmodi in stipulatione omissa fuerit, illa nihilominus pro apposita, & contraventio pro legitime approbata habeantur. Et similiter si per principalem, vel alium in fidejussione comprehensum stipulationi contraventum, & offendens, seu contraveniens contumax, isque in meram contumaciam condemnatus fuerit, fidejussor statim ad solvendum pœnam conventionalem cogatur, nec possit audiri, suum principalem offendisse ex causa necessariæ defensionis allegando, & deducendo, ne videlicet delinquentes indirecte per Procuratorem, & interpositam personam audiantur, & quod dictum est in exemplo exceptionis hujusmodi, id etiam ad omnia alia extendatur. Et si talis clausula fuerit in prædictis stipulationibus omissa, nihilominus similiter apposita intelligatur, quod & ad legitimam per parentes solvendam extendimus, ut illam solvere teneantur, etiam si eorum filii in meram contumaciā de aliquo delicto condemnati, aut banniti fuerint, non obstante quocumque Statuto, aut forsan consuetudine in contra-

tra-

trarium existente, quibus omnibus Nos per præsentes in ampliori forma derogatum esse censemus, & decernimus.

Præterea, quoniam sæpe contingit, ut qui ex aliquo crimine in contumaciam condemnati fuerint, perdurant ad multos annos in contumacia, expectantes occasionem, ut per temporis diuturnitatem criminis probatio impossibilis reddatur, & tunc quærunt contumaciam sibi remitti, & super defensionibus audiri cum criminis probandi facultas est Fisco sublata, causam plerumque vel coram Judicibus in ipsos propensis, vel in locis, ubi jura Fisci deduci non possunt, introducentes, statuimus, quod Rei in contumaciam condemnati ad suas defensiones faciendas admitti non possint, nisi infra sex menses, quoad faciendas, videlicet a die condemnationis, quo vero ad jam factas condemnationes a die publicationis præsentium computandos, nec alibi quam in loca, ubi condemnatio sequuta est, vel in Curia generali Provinciæ, ubi delictum fuerit commissum. Et si secus fieri contingat, quæcumque absolutiones desuper obtinendæ, etiam si vigore commissionis signaturæ nostræ, nullius sint roboris, vel momenti, sed ad ipsarum condemnationum jam factarum executionem deveniri possit, & debeat. Quo termino sex mensium elapso, sententiæ in contumaciam latæ crimen notorium efficiant, & tanquam in rem judicatam transiverint, realiter, & personaliter executioni demandentur. Nec homicidis prosit minor ætas viginti annorum, dum tamen majores quatuordecim annorum extiterint. Quod si banniti hujusmodi in contumaciam condemnati veniant postmodum absolvendi, Judices sub poena mille scutorum, & infamiæ perpetuæ illos gratis, & sine ulla sportularum solutione absolvere debeant.

In causis Clericorum criminalibus mere ecclesiasticis Ordinarii Ecclesiastici privative ad seculares Judices cognoscant, sed in aliis mixtis sit locus præventioni inter Ordinarium, & Judicem secularem, dataque præventione ex parte Ordinarii Ecclesiastici, non nisi contra Clericos tantum procedere possit. Et si prætenderetur ratione connexitatis delicti, vel alias quomodocumque, laicum ejus forum sortiri debere, Judex tamen secularis ita præveniens, quavis inhibitione sibi facta non obstante, absque censurarum, vel similium pœnarum incursu procedere possit

Nec non quibuscumque appellationibus, provocationibus, nullitatum dictionibus, commissionibus, inhibitionibus, & aliis decretis contra formam superius traditam per quoscumque, etiam Judices præfatos pro tempore quolibet emanatis, & factis, non attentis, libere, & licite per Judices, a quibus ad suarum condemnationum totalem executionem, alias tamen legitime sub similis indignationis, & excommunicationis pœna procedi posse, & omnino debere, aut procedant præcipimus, & mandamus.

Et insuper tam Judicibus præfatis, quam Notariis sub eadem excommunicationis, ac indignationis nostræ, privationisque officiorum pœna ne contra præmissa, aut quicquam præmissorum facere, & attentare præsumant, districtius inhibemus. Sicque & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscunque &c. sublata &c. judicari, & interpretari in quavis causa, & instantia debere, irritum quoque &c. decernimus. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, statutisque, & consuetudinibus singularum Provinciarum prædictarum, Civitatum, Oppidorum, & locorum eorumdem, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Universitatibus, Communitatibus, & hominibus Provinciarum, Civitatum, & locorum prædictorum, ac etiam singulis prænominatis, & aliis quibuscumque Judicibus &c. per Nos, & Prædecessores nostros concessis, ac etiam iteratis vicibus innovatis, quibus omnibus &c. illorum tenores &c. hac vice latissime derogamus, cæterisque in contrarium facientibus quibuscumque cum clausulis opportunis, & consuetis. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Kal. Junii an. sexto. Publicat. die 26. Maii 1565.

Motus proprius Pii Papæ V. per quem præcedens Motus proprius Pii IV. moderatur.

PIUS PAPA V.

Motu proprio &c. Cum ob innumeras Rom. Pont. occupationes, ac particularium rerum quarumlibet status ignorantiam contingat ab eo quandoque literas emanare, quæ in magnum aliquorum præjudicium redundare noscuntur, minime reprehendendum esse videtur, si tamen præjudicio cognito literas hujusmodi, etiamsi per ejus Prædecessorem emanaverint, tamquam per inadvertentiam editas revocat, & limitat, aliasque desuper disponit, prout rerum, & temporum qualitate pensata conspicit in Domino salubriter expedire: Dudum siquidem fel. rec. Pius Papa IV. prædecessor Noster cupiens criminibus, & excessibus, qui in dies oriebantur, providere, per quasdam suas in formam Motus proprii editas literas inter alia statuit quod in causis treguarum, & pacis fractarum ipsi fractores, vel eorum fidejussores allegare non possent, quod offensa ex nova causa processisset, nec allegata cuiquam suffragaretur. Et etiam quod in causis mixtis inter Judicem Ecclesiasticum, & laicum locus sit præventioni, ita tamen, quod Judex Ecclesiasticus in casu præventionis non possit procedere contra laicum, sed illum debeat remittere ad Judicem laicū, & alias prout in eisdem literis plenius continetur.

Nos considerantes a ratione, & juris debito alienum esse eos, qui criminis innoxii fuerint, eorumque fidejussores, si tregua, pax, seu fidejussiones de non offendendo postea ex nova emergente occasione fractæ fuerint, earum occasione gravari debere, cum præcipue paces, treguæ, seu fidejussiones hujusmodi de non offendendo non ad offensionem ex futuris causis, sed ex præteritis tantum oriantur, literas præfatas quoad præmissa revocantes, cassantes, & moderantes, effectumque suum sortiri in præmissis non posse decernentes: Motu simili &c. novam causam in pacis, treguarum, seu fidejussionum hujusmodi fractione principales tantum, videlicet qui fuerunt in causa pacis, treguarum, seu fidejussionum de non offendendo hujusmodi factarum, seu faciendarum, præstitarum, seu præstandarum, si ipsi aliquo modo, seu aliquis eorum in dictis fractionibus intervenerint, seu intervenerit, videlicet si aliquis ex dictis principalibus aliquem ex comprehensis in pace, tregua, seu fidejussione de non offendendo offenderit, vel ipse ab aliquo ex ipsis comprehensis offendatur, non excusare. Si vero su-

prædicti principales, seu aliquis eorum in fractione pacis, treguæ, seu fidejussionis hujusmodi, ut supra non intervenerint, seu intervenerit, ipsos eorumque consanguineos, & fidejussores, ceterosque in pace, tregua, seu fidejussione de non offendendo comprehensos, & quemlibet eorum novam causam hujusmodi allegare posse, & ea probata excusari debere, & quoquomodo gravari, perturbari, aut inquietari non posse, neque debere, idque tam in causis motis, & indecisis pendentibus, quam etiam finitis, & in quibus etiam pronunciatum fuit (dummodo Sententiæ desuper latæ totaliter non sint executioni demandatæ) locum sibi vindicare posse, & debere declaramus.

Cumque etiam sæpe contingat partes ipsas contra quas in contumaciam procedi consuevit, vel ita negociorum more gravari, vel ita longe abesse, ut ipsorum contumaciam sex mensium spatio hujusmodi expurgare minime queant, terminum sex mensium ad annum prorogamus, & contumacibus hujusmodi defensiones non nisi post anni elapsi terminum denegari debere, ac quascumque aliter quam, ut præmittitur, ferendas Sententias nullas, inanes, nulliusque roboris, & momenti fore, & esse, prout Nos eas ex tunc tanquam contra juris debitum, & de facto latas annullamus, cassamus, & irritamus.

Quo vero ad præventionem inter Judicem Ecclesiasticum, & Laicum, declaramus illam habere locum in terminis, & statu prout ante dictum Motum proprium erat, ac ipsum ad terminos juris in hoc reducimus, & volumus, ut in præventionibus procedatur juxta formam juris, & sacrorum Decretorum, Concilii Tridentini, & non alias, aliter, nec alio modo, sicque & non aliter per quoscumque Judices &c., etiam S. R. E. Cardinales, ac causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata &c. judicari debere, irritum quoque &c. authoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, & ordinamus. Et nihilominus pro potiori præmissorum validitate omnibus, & singulis Judicibus tam ordinariis, quam delegatis, & subdelegatis, delegatis, ac eorum locatenentibus, & Notariis sub excommunicationis majoris, ac indignationis nostræ, officiorumque suorum privationis pœnis, ne contra præmissa, aut illorum aliqua facere, & attentare præsumant, districtius inhibemus. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quarumcumque Civitatum, provinciarum, & locorum etiam juramento &c. roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis, Universitatibus, Communitatibus, & hominibus Provinciarum, Civitatum, & locorum prædictorum quomodolibet concessis &c. Quibus omnibus &c. etiamsi de illis &c. illorum tenores &c. hac vice latissime derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque, cum clausulis opportunis. Publicat. die 20. Junii 1566.

Declaratio Pii Papæ V. quomodo Rei in contumaciam condemnati, & infra annum capti, admittendi, vel non admittendi sint ad faciendum eorum defensiones. Et de executione Sententiæ contra eos captos, si legitima ad inquirendum indicia præcesserunt.

PIUS PAPA V.

Motu proprio &c. Dudum postquam fel. rec. Pius Papa IV prædecessor noster cupiens subterfugiis delinquentium obviare, per quasdam suas in forma Motus proprii editas literas sub dat. Romæ apud Sanctum Petrum 12. Kal. Junii Anno sexto, inter alia statuisset, quod Rei in contumaciam condemnati ad suas defensiones sciordas admitti non possint, nisi intra sex menses quoad faciendas videlicet a die condemnationis, quo vero ad jam factas condemnationes a die publicationis earundem literarum computandos, per alias nostras etiam in forma Motus proprii emanatas literas, die 20. Mensis Junii Pontificatus nostri anno primo publicatas, terminum sex mensium hujusmodi ad annum prorogavimus, ac contumacibus hujusmodi defensiones non nisi post anni elapsi terminum denegari debere decrevimus. Cumque, sicut accepimus, a nonnullis ordinationem, & dispositionem hujusmodi, nostramque, & dicti prædecessoris in illis edendis intentionem variis calumniis eludere, & super earum sinistris interpretationibus agentes pro Fisco, & Camera Apostolica fatigare, & causas in longum protrahere, & illas intricare, sententiarumque executionem evitare satagentibus, sæpe in dubium verti contingat, licet ex verborum proprietate res clara sit, An scilicet tam sponte comparentes, de quibus loquitur Motus proprius præfati Prædecessoris, quam etiam capti intra dictum tempus, indistincte admitti debeant ad faciendum suas defensiones, maxime stantibus in eodem nostro Motu proprio appositis supra relatis verbis, videlicet ac contumacibus hujusmodi defensiones non nisi post anni elapsi terminum denegari debere, quæ indefinite prolata sunt, & videtur posse comprehendere tam sponte comparentes, quam Captos. Nihilominus considerantes, quod verb ipsa nihil aliud disponunt, quam prorogationem termini iis, quibus ex forma motus prædicti Prædecessoris denegari non poterat.

Nos igitur ad tollendum omne dubium, & absurdum evitandum, quod capti, & sponte comparentes paris essent conditionis, necnon calumniis, & aliis inconvenientibus hujusmodi, quantum cum Deo possumus obviare, omnemque disputandi materiam tollere, & in his opportune providere volentes, necnon singularum literarum prædictarum, ac inditiorum, inquisitionum, processuum, condemnationum, & Sententiarum desuper formatarum & latarum, ac formandarum, & promulgan. hujusmodi, aliorumque forsan latius exprimendorum tenores, continentias, formas, & compendia, ac reorum delictorum, criminum, & excessuum, ac pœnarum hujusmodi, & Judicum nomina, cognomina, gradus, & qualitates, ac quantitates, & loca pro plene, & sufficienter expressis habentes, & decernentes, necnon singulares præuarratas literas con-

confirmantes, & innovantes Motu simili &c. Quod Banniti, & in contumaciam condemnati in pœnam capitis, & ultimi supplicii, si capti ad manus Curiæ devenerint, per Judices ad novas, sive alias defensiones faciendas, etiam intra dictum tempus non admittantur, nisi habita a Nobis, vel Signatura nostra desuper gratia speciali, nec literæ ipsæ, quæ in eorum odium editæ sunt, eis in aliquo suffragentur, aut illis se juvare, seu defendere possint. Quinimmo quod Judices præfati sententias ipsas condemnatorias tam in Urbe, quam extra eam latas, & ferendas, si tamen legitimis præcedentibus indiciis ad inquirendum promulgatæ fuerint, executioni realiter, & corporaliter suis loco, & tempore congruis respective totaliter, & integre, contra sic captos demandent, & demandari faciant, hac nostra perpetuo valitura declaratione declaramus, & decernimus, & quatenus opus sit de novo statuimus, & ordinamus, & ita mentis, & intentionis nostræ fuisse, & esse attestamur.

Præterea Almæ Urbis nostræ Generali Gubernatori, cæterisque Judicibus, Ordinariis, vel Delegatis in Romana Curia, vel extra eam residentibus quibuscumque, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub indignationis nostræ pœna committimus, & mandamus, districte præcipiendo per præsentes, quatenus hujusmodi nostram declarationem, seu novam constitutionem, & ordinationem, nec non ipsas præsentes, & in eis contenta omnia, & singula in Causis Criminalibus, seu mixtis, ac aliis Fiscum, & Cameram Apostolicam, illiusque interesse quomodolibet concernen. nunc, & pro tempore pendentibus quibuscumque; etiamsi forsan aliqui capti nunc in Carceribus detineantur, perpetuo inviolabiliter observari mandent, & faciant, & illi observent, & ita, & non aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices, & Commissarios &c. etiam S. R. E. Cardinales, ac Palatii Apostolici Causarum Auditores, sublata &c. judicari, interpretari, & diffiniri debere, irritum quoque &c. decernimus. Non obstantibus præmissis, ac quibusvis Constitutionibus, Ordinationibus Apostolicis, Statutisque, ac Consuetudinibus Provinciarum, Civitatum, Oppidorum, & locorum quorumcumque etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, Universitatibus, Communitatibus, & hominibus Provinciarum, Civitatum, & Locorum prædictorum, ac etiam singulis prænominatis, & aliis quibuscumque Iudicibus &c. per Nos, & Prædecessores nostros concessis, & etiam iteratis vicibus innovatis. Quibus omnibus &c. illorum tenores &c. hac vice latissime derogamus, ac stylo Palatii, cæterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem, quod præsentis Motus proprii, etiam absque data, & registratura, sola signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extra, regula contraria non obstante, ejusque transumptis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ, seu literæ desuper breve nostrum expediri possint, etsi videbitur, cum omnium, & singulorum prænarratorum, & expressorum, aliorumque necessariorum specificatione, & insertione, & cum aliis clausulis opportunis, & consuetis.

Bulla Generalis Pij Papæ Quinti contra Homicidas, Bannitos, & alios facinorosos.

PIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX supernæ dispositionis arbitrio, gregis Dominici curæ præsidentes, inter varias animi sollicitudines, quæ ex pastoralis officii ministerio Nobis incumbunt, illam a Nobis potissime amplectendam esse putamus, per quam inter singulos gregis ejusdem fideles, præsertim vero Nobis, & Romanæ Ecclesiæ Subditos, pax, & concordia conserventur, seditiones sedantur, scandalis obviatur, & animarum salus procuratur. Unde ea, quæ sedulis meditatione hactenus a diversis Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris præmissorum ratione gesta fuisse, ac ordinata comperimus, quo sæpius fideles ipsi illa perspicient innovari, eo ferventius, ac promptius ad illorum observationem excitentur, confirmanda, innovanda, nostræque auctoritatis munimine roboranda esse censemus, aliasque desuper disponimus prout in Domino conspicimus expedire. Sane alias postquam felicis recordationis Pius Papa II. Prædecessor noster per eum acrepio, quod a certis tunc elapsis annis citra in terris, locis, & tenimentis dictæ Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectis quamplura, etiam ex levibus causis, commissa esse reperiebantur homicidia, idem Prædecessor attendens crimen hujusmodi inter alia perniciosum esse, & detestabile, & juxta canonicas sanctiones debere gravi animadversione puniri, & tanto severius puniendum, & extirpandum fore, quanto manifestius cognoscebatur, & eo scandala, & plura mala subsequebantur, ac cupiens, quod ejusdem Ecclesiæ mediate, vel immediate subjecti pacifici forent, & modesti, ac terras, & loca prædicta Sicariis expurgare, inter alia per suas literas statuerat, & declaraverat, quod omnes illi, qui pro delicto hujusmodi forent condemnati, aut alias de Civitate aliqua, seu Districtu ipsius Banniti, non possent ad Civitatem, seu Districtum hujusmodi quocunque tempore, seu in eis, vel eorum altero moram trahere, etiam habita pace ab hæredibus, & consanguineis, seu filiis ipsius occisi, nec Legatus, etiam de Latere, aut Gubernator, qui pro tempore foret, vel quivis alius posset auctoritate Apostolica, seu ex officio suæ Legationis aliquem Homicidam, seu Bannitum rebannire, & reducere, seu vocare ad Civitatem, vel Districtum, aut eorum alterum, seu ei licentiam, vel Salvum conductum concedere, seu morandi in eis, vel eorum altero, in perpetuum, vel ad tempus modicum, sive magnum, nec etiam ad diem unum, sive noctem. Quod si secus per quemcumque ex prædictis factum foret, ipso facto pœnam excommunicationis sine ulteriori sententia declarationis, a qua per alium, quam per Summum Pontificem, & tunc facta de hoc speciali expressione, non

pos-

possset absolvi, ac licentia, reductio, revocatio Salvus conductus, & cessatio processus, & banni hujusmodi essent ipso jure nulla, nullinsque roboris, vel momenti, incideretque etiam in pœnam ducatorum mille aur. Cameræ Apostolicæ applicandorum, quam Thesaurarius, cui hoc secrete, vel publice foret relatum, & denuntiatum, retineri faceret, & mandaret, nullo super hoc expectato, seu requisito Superioris mandato. Quod si non faceret ipse Thesaurarius eandem sententiam excommunicationis ipso facto cum eisdem qualitatibus incurreret. Ipseque rebannitus, reductus, sive quocumque alio modo reversus posset, deberetque capi, detineri, & incarcerari ac de ipso secundum sententiam contra eum latam, Justitia fieri per Gubernatorem, Potestates, vel alios Officiales, ad quos spectaret, & pertineret incontinenti sine ulteriori, sententiæ notificatione, requisitione superioris, vel alterius sub pœna ducentorum ducatorum auri, Cameræ præfatæ applicandorum, quam Thesaurarius præfatus simili modo, & forma, ac sub similibus censuris faceret retineri, & quod quæcunque appellationes interpositæ, vel interponendæ ab hujusmodi, vel aliis sententiis, sive gravaminibus contra Homicidas latis, vel a processu contra eos facto, & si lis, vel instantia super eis penderet, & inhibitiones vigore ipsarum emissæ forent per Auditorem Cameræ, vel alium quemcumque Ordinarium, vel Delegatum, essent nullæ, & invalidæ, nec ad ulteriora super his, & ipsarum vigore procedi posset, aut deberet. Quinimo appellationes, lites, & causæ hujusmodi censerentur avocatæ, extinctæ, & invalidæ, nec Potestates, seu Officiales, quibus inhibitum foret, mandatis, inhibitionibus litis pendentis, censuris, & pœnis in eis contentis astringerentur, immo tenerentur, & deberent ad executionem sententiarum latarum procedere: Posset tamen in casibus a jure, vel statuto permissis appellari ad Gubernatorem Civitatis, seu Provinciæ, qui infra mensem, causam diffinire tenerentur, quo elapso, inhibitio, & instantia super eis essent nullæ, & libere sine impedimento posset fieri executio sententiæ, vel banni, ac si non fuisset inhibitum, & appellatum, quodque Banniti, & condemnati propter hujusmodi crimen homicidii censerentur Banniti ab omnibus circumvicinis locis usque ad milliaria quinquaginta, infra quæ, si reperti forent, possent, & deberent capitalis sententiæ suæ condemnationis pecuniariæ executionis fieri contra eos per Potestates, & alios Officiales Civitatis, Districtus, & loco Præsidemes sub pœnis pecuniariis simili forma incurrendis, ita quod omnes, & singuli homicidæ, quorum delictorum notorium foret, vel de homicidio infamati, seu condemnati, etiā si de delicto hujusmodi ex forma statuti non posset inquiri, vel aliqua pœna imponi, vel etiam si ipsius delicti, vel pœnę pro eo impositę auctoritate Apostolica, vel alterius ab ea, vel a Romano Pontifice potestatem habente esset facta remissio, cassatio Processus, & Sententia annullata, vel alias quomodolibet dispositum per viam gratiæ, vel justitiæ remissionis in toto, vel in parte, non posset habere officia vel dignitates in quibuscunque locis, Civitatibus, & Terris, a quibus Banniti forent, & in quibus domicilium eorum, originemque haberent, seu alias moram traherent, vel residerent, etiam si forent absoluti, rebanniti, vel alias eorum sententia, seu condemnatio, sive processus irritati, vel alias pro infectis habiti, sed perpetuo essent infames, & omni officio, & dignitate privati, nec possent ferre testimonium, nec Tabellionatus officium exercere, neve admitterentur ad judicandum, seu aliud officium exercendum, & ab omnibus actibus legitimis essent perpetuo suspensi, quinimo si hujusmodi officia acceptarent, exercerent, seu alias ad ea exercenda admissi forent, tam ipsi, quam Gubernator, Legatus, aut superior, qui eum eligere, vocare, aut ipsum officium exercere, seu ei præesse pateretur, pœnam quingentorum ducatorum auri ipso facto incurrerent, & sua gubernatione privarentur, nec gesta in judicio, vel extra judicium, tam per eum, qui admissus foret ad officium, quam per eum, qui illud exercere passus foret, de cætero valida essent, & robur obtinerent, quinimo essent nullius roboris, vel momenti, & si Ecclesiasticæ personæ forent, sententiam excommunicationis ipso facto incurrerent sine ulteriori declaratione, a qua pœna non possent præterquam a Romano Pontifice cum speciali delicti seu homicidii hujusmodi expressione absolvi. Thesaurarius Cameræ sine ulteriori requisitione, seu notificatione, aut inhibitione, vel monitione salarium eisdem, vel alteri debitum retinere deberet, si ab eo deberetur. Si vero non deberetur, Potestati, Gubernatori, vel alteri, ad quem spectaret, ab eis, vel eorum altero exigi, & satisfieri sub eisdem literis, quas idem Prædecessor per omnes Civitates Ecclesiæ publico præconio publicari mandaverat.

Dum sæpius contingeret, quod offensionis ignarus, aut ob hujusmodi excessus plurimum condolens horribili immanitate, & furiosa dementia in vindictam injuriæ vulneraretur, & interdum occideretur, aut aliquis propinquorum offensi ad ultionem injuriæ propinqui sui, ut præmittitur, propinquum offendentis vulneraret, vel occideret, seu vulnerari, vel occidi faceret, inde quoque juxta damnabilem abusum Civitatis, utraque pars se domibus privatis includeret, quas in contemptum Summi Pontificis, videlicet Principis, ac etiam Magistratuum Civitatis armatis complebant, & inter suas fores Domorum, ac porticus steccatis communibant, ubi tanquam ad officinas, ac Asylum scelerum perditi homines, & scelesti ab utraque parte conveniebant, illic invida factio conjungeretur, atrocissima sceleris immanitate concordans, illic dementia, & furia esset venalis injuria, dum hi qui nulla erant injuria lacessiti ad vindictam offensorum insana mente, & servili crudelitate conjurarent, hi essent, quorum pedes veloces erant ad effundendum sanguinem, qui viam pacis non cognoverant, inter quos fœda, & obscœna commercia, alienarum pecuniarum effusio, patrimoniorum dissipatio, diræ blasphemiæ, & obscœni agebantur incestus, ex his oriretur regentium Rempublicam, & Magistratuum contemptus, ac seditiones nonnunquam suscitarentur. Et si quando hujusmodi rixæ, & dissensiones intercederent, non solum propinqui atque conjuncti, sed etiam extranei utrique parti se offerrent: Quod vulgo Apuleos, & materno vocabulo (*fare di bene*) nuncupabatur, ex quo plerumque totius Civitatis studia dividebantur, & non sine gravi nota Regentium, atque discrimine Reipublicæ armarentur adversus proximos miseri spiritu Diaboli repleti, occasione jus humanæ societatis, omnem charitatem, omnem civilem concordiam damnabili abusu subverterent, piæ memoriæ Paulus Papa II. etiam Prædecessor noster per suas litteras perpetuo statuerat, & ordinaverat, ut quicunque ex tunc deinceps Baro, aut Domicellus,

ac

ac Civis Romanus, vel quævis alia Ecclesiastica, secularisve persona cujuscumque conditionis, & qualitatis existeret, quacumque etiam atroci injuria lacessita, pro sua, vel amici, aut propinqui injuria vindicanda patrem, aut filium, fratrem, aut propinquum, vel alias amicum, vel domesticum offendentis vulnerare, mutilare, occidere, vel quocumque modo realiter, vel personaliter offendere præsumeret, aut alia fieri faceret, vel mandaret, similiter qui in Urbe Roma, vel ejus Districtu occasione rixæ, vel brigæ Domum communire, armatos receptare, aut tenere, vel adhærentes, & complices, ac fautores brigæ accersire, sive quamcumque conventionem, Congregationem, & collectam hominum ad ultionem injuriæ invocare, excitare, invitare, vel receptare præsumeret per se, vel per alium, crimen læsæ majestatis, rebellionis, & seditionis in Urbe concitatæ Reus censeretur, & haberetur, ac veluti talis a competentibus judicibus severissime puniretur; Ecclesiastici vero talis perpetrantes omni dignitate, honore, ordine, officio, & beneficio essent ipso jure privati, & perpetuo mancipàrentur, ac beneficia eorum libere per illos, ad quos collatio pertinebat, conferrentur: Omnesque præterea talia committentes tamquam Christianæ Religionis alieni, publicæ pacis æmuli, ab omni Populo, Civitate, Loco, & Terra dictæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjecta, essent perpetuo diffidati, eorumque bona tam mobilia, quam immobilia essent ipso jure Cameræ Apostolicæ confiscata: Nulli præterea talium alicujus aperiretur janua dignitatis, aut honoris Ecclesiastici, vel mundani, seu ad alicujus loci regimen esset ascensus. Et ut magis esset famosa eorum infamia, factio testamenti activæ, & passive esset eis interdicta, ad actus legitimos nullus eis pateret aditus, nulla porta panderetur, omni spe gratiæ, aut dispensationis adempta. Et præter prædictas pœnas sententiam excommunicationis, & perpetuæ maledictionis incurrerent, a qua absolvi non possent nisi per Romanos Pontifices, præterquam in mortis articulo constituti. Illi vero qui ipsis offensis, vel offendentibus, seu brigosis adhærere, favorem, opem auxiliumque promittere, aut in Domibus, vel Castris, Locis, seu fortalitiis suis receptare, aut qui juxta vulgare (*fare di bene*) ex tunc deinceps præsumerent, tanquam fautores scelerum, & conspiratores adversus publicam pacem omnino similis rebellionis, confiscationis, depositionis, privationis, inhabilitatis, ac excommunicationis, & anathematis pœnas incurrerent. Et præterea ut Domus, & habitationes principalium offendentium, qui vindictam in alios, ut præmittitur, sumere, & exercere, aut etiam qui ex utraque parte domos ipsas munire, aut Congregationes occasione brigæ, aut collectas hominum adunare, vel armis, aut armatis, seu steccatis, aut propugnaculis communire ausi forent, in detestationem tanti facinoris demolirentur, & usque ad solum ad perpetuam infamiam prosternerentur. Per hoc quoque Secularibus, aut aliis Judicibus suis competentibus non ademerat facultatem utendi Statutis, & legibus adversus tales editis, & edendis.

Et successive recolendæ memoriæ Sixtus Papa IV. similiter Prædecessor noster, accepto per eum quod contenta in literis Pii Prædecessoris hujusmodi a certis annis tunc elapsis citra non fuerant observata; & ex illorum non observantia subditi præfatæ Ecclesiæ procliviores erant ad homicidia committenda, ac fere passim quotidie perpetrabantur, & homicidæ præfati ideo ad illa committenda promptiores existebant, sperabant latere, & suorum excessuum remissionem consequi facile posse, ac detestabilem, & horrendam Sicariorum nequitiam talium ad aliorum cautelam juris remediis prosequi studio cupiens indefesso, habito super iis cum fratribus suis præfatæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, de illorum consilio per suas Literas, Statuta, decretaque Pii Prædecessoris hujusmodi, ac prout illa concernebant omnia, & singula in dictis Literis Pii Prædecessoris præfati contenta approbaverat, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decreverat, ac voluerat, & de eorundem fratrum consilio statuerat, & ordinaverat, quod condemnati eatenus, & quos in posterum condemnari contingeret ubilibet in Civitatibus, Terris, & Locis prædictis pro homicidio, sive ut principales, sive ut auxilium, consilium, vel favorem præstantes, suarum condemnationum remissionem, aut contra illas salvum conductum, licentiam secure in loco patrati criminis, vel infra quinquaginta milliaria (ut præfertur) propinquo nullatenus obtinere possent ab alio, quam a Romano Pontifice, qui pro tempore esset, & alicujus alterius etiam Legati de Latere remissio nemini suffragaretur, & si forsan contingeret, eundem Romanum Pontificem ad remissiones sive salvum conductum hujusmodi procedere, talis remissio per præoccupationem processisse censeretur, & nemini prodesse posset, nisi in illa verus literarum Sixti Prædecessoris hujusmodi tenor de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes inserius insertus foret, ac specifica, & determinata causa exprimeretur, quæ eundem Romanum Pontificem induceret ad derogandum eisdem literis Sixti Prædecessoris, quæ eum tam matura deliberatione ab eodem Sixto Prædecessore emanaverant.

Et subsequenter sanctæ memoriæ Julius Papa II. etiam Prædecessor noster habita super iis cum fratribus suis tunc, & dictæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, & de illorum consilio litera Pii, & Sixti Prædecessorum hujusmodi, prout illa concernebant, omniaque, & singula in eisdem literis contenta per quasdam approbaverat, innovaverat, ac robur firmitatis perpetuo obtinere debere decreverat, ac illas ad bannitos, seditiosos, & rebelles, aut alios pro quocunque alio crimine capitali a quibusvis officialibus tam in dicta Urbe, quam extra eam, & in terris eidem Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectis jus dicentibus, pro tempore condemnatos, & brigosos nuncupatos pacem juxta ordinationes dictæ Urbis Apostolica auctoritate approbatas facere recusantes; Necnon jus sibi met contra alius dicentes, aut cavalcatas sine Romani Pontificis, aut officialium suorum specia li licentia facientes, vel moventes, præfata auctoritate de eorumdem fratrum consilio extenderat, ac universis, & singulis, tam Laicis, quam Ecclesiasticis cujuscumque status, gradus, ordinis, excellentiæ, & dignitatis, Ducibus quoque, Comitibus, Baronibus, Domicellis, nec non Communitatibus, Universitatibus Civitatum, Terrarum, Castrorum, & aliorum quorumcumque locorum dictæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectorum, districte præcipiendo mandaverat, & inhibuerat, ne aliquis eorum homicidas, bannitos, exitiosos, & rebelles, aut pro alio capitali crimine condemnatos, aut brigosos pacem facere recusantes, seu jus sibi contra alium dicentes, aut cavalcatas facientes,

vel

vel moventes in eorum Civitatibus, Castris, seu aliis quibuscumque recipere, & retinere, seu auxilium, consilium, vel favorem directe, vel indirecte, publice, vel occulte, per se, vel alium præstare, aut in eorum Domibus, seu Castris, vel locis recipere, & receptare præsumerent, & si aliquis contra inhibitionem, & mandatum hujusmodi quovis modo directe, vel indirecte de cætero venire præsumeret, idem Julius Prædecessor omnes, & singulos sic Contravenientes excommunicationis majoris, & anathematis Sententiam, a qua non nisi ab ipso Julio Prædecessore, & ejusdem Successoribus (præterquam in mortis articulo constituti, & debita satisfactione præmissa) absolvi possent, incurrere, eosque omnibus, & singulis privilegijs, gratiis, libertatibus, indultis, exemptionibusque, immunitatibus realibus, & personalibus, ac Civitatibus, Castris, Terris, Locis, & Dominiis eorum, dignitatibus, & honoribus, juribus, & officiis, ac etiam feudis, & concessionibus quibuscumque, quæ a Romana præfata, & quibuscumque aliis Ecclesiis obtinere noscebantur, sub quacumque verborum forma, & tenore, ac cum quibusvis efficacissimis, & insolitis, etiam præservativis ab incursu privationis eo ipso privatos, & inhabiles, ac indignos ad illa, & quælibet alia in posterum obtinenda, & quoscumque actus legitimos exercendos fore nunciaverat, & illa per ipsum Julium Prædecessorem, & Successores suos, absque aliqua declaratione super incursu pœnæ privationis hujusmodi, aut citatione eorum, qui privationis pœnam incurrerent, facienda, aliis personis in feudum, seu Vicariatum, aut alias, ac si per lapsum temporis concessionis, aut finitam lineam ad dictam Cameram reversa essent, libere concedere, ac alias de illis disponere posse decreverat, & declaraverat. Necnon Civitates, Terras, Castra, & Loca prędicta Camerę prędictæ confiscaverat, incorporaverat, applicaverat, & appropriaverat, ac confiscata, incorporata, & appropriata esse, sicque contravenientes pro rebellibus ejusdem Ecclesię haberi, & censeri debere voluerat, eorum Subditos, ac Vassallos, & Arcium, Civitatum, Terrarum, Castrorum, & Locorum prędictorum, Castellanos, a quocumque fidelitatis juramento, quo ipsi essent quomodolibet astricti, penitus absolvens, Civitates quoque Terras, Castra, & Loca prędicta si ad ejusdem Ecclesię obedientiam se non reducerent, seu in prędmissis quomodolibet delinquerent, & etiam quemcumque eis auxilium, consilium, vel favorem quovis modo directe, vel indirecte, publice, vel occulte prędstantium, etiam quacumque Ecclesiastica, vel mundana, & regali prędfulgerent dignitate, & excellentia, ut præfertur, & ad quem eos declinare contingeret, Ecclesiastico subijciens interdicto, tamdiu firmiter observando, donec ibidem foret etiam per triduum post inde discessum. Illos quoque qui aliquem scirent culpabilem in prędictis, & eidem Julio Prędecessori, vel Successoribus suis intra trium dierum spatium non referrent, vel alicui, per quem ad eum fideliter referretur, similes pœnas incurrere voluerat. Et insuper per eundem Julium Prædecessorem accepto, quod cum nonnulli Civitatum, Castrorum, & Locorum tam Regni nostri tunc sul Siciliæ citra Pharum, quam aliarum partium dictæ Ecclesiæ subiectarum, etiam Urbi prædictæ adjacentium, quam propter homicidia, aliaque nefanda per eos perpetrata, excessus, crimina, & delicta, & alia eorum demeritis id exigentibus a Civitatibus, Terris, Castris, & Locis eorum, seu in quibus tunc morabantur exules, rebelles, & banniti, quod in illis propterea secure morari nequirent, alii de Civitatibus, Castris, & Locis dictæ Ecclesiæ subjectis ad Regnum, & alias adjacentes hujusmodi, alii autem ex Regno, & adjacentibus partibus prædictis, ad Civitates, Terras, Castra, & Loca eidem Ecclesiæ subjecta prædicta etiam dictæ Urbi adjacentia se transferrent, nonnulli Barones, Proceres, & Domini, seu Vicarii in temporalibus Civitatum, Terrarum, Castrorum, & Locorum, ac Regni, & partium adjacentium prædictorum, eorumque Officiales, & Subditi dictos homicidas, bannitos, criminosos, atque rebelles homines scienter receptare, & quod gravius erat, protegere, & defendere non formidabant, se reos tantorum scelerum per homicidas, & alios bannitos prædictos perpetratorum apud Deum constituentes, & tam ipsis homicidis, & malefactoribus, quam aliis similia, vel gravia delicta perpetrandi, & committendi audaciam, & scelerum hujusmodi impunitatem tribuentes, in animarum suarum periculum, justitiæ conculcationem, ac dictæ Sedis auctoritatis contemptum, & scandalum plurimorum; Idem Julius Prædecessor Motu proprio omnes, & singulos Barones, Proceres, Milites, ac Dominos, & Vicarios in temporalibus Civitatum, Terrarum, Castrorum, & Locorum eorundem, necnon nostros, & eorundem Baronum, Procerum, Militum, & Dominorum Vicarios, Officiales, & Subditos per suas literas requisierat, & monuerat, eisque, & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis latæ Sententiæ pœna, quam contrafacientes eo ipso incurrerent, districtius inhibuerat, ne homicidas, bannitos, criminosos, rebelles, aliosque infames homines præfatos, qui propter eorum delicta banniti in locis originis suæ, seu aliis Regnorum, Civitatum, Terrarum, Castrorum, & aliorum locorum prædictorum propter eorum malam vitam commorari non poterant, ex tunc de cetero nullatenus receptare, aut eis consilium, auxilium, vel favorem quovis quæsito colore præstare præsumerent. Quinimo tales ad eorum dominia declinantes, seu in eis commorantes capi, & ad forum, seu justitias, vel Officiales, ad quos punitio, & castigatio criminum, & excessuum per eos perpetratorum, ut præfertur, de jure, vel consuetudine pertinebant, & spectabant, destinare, aut si partibus læsis, & offensis utilitas ferret, illos juxta criminum, & excessuum per eos perpetratorum qualitatem, ad pœnas a jure statutas in locis, ubi deprehensi forent, procedere procurarent.

Præterea felicis memoriæ Leo Papa X. etiam Prædecessor noster, similiter per eum accepto, quod nequissimi Sicarii eo ad perpetranda homicidia, & mala omnia committenda proeliviores reddebantur, quod in opprobrium justitiæ, & animi sui indignationem non solum in Civitatibus, Terris, Castris, & locis ipsius Ecclesiæ dominio subjectis, & non subjectis dictæ Urbis convicinis, sed etiam in Urbe ipsa intra ædes, & Palatia retinebantur, recipiebantur, aut ob favorem Ducum, Marchionum, Comitum, Baronum, Domicellorum, Dominorum temporalium, armorum Capitaneorum, Doctorumque, & aliorum magnatum auxilium consovebantur, Judicum quoque, & Officialium animadversio in eos sæpe, & sæpius omissa fuerat, idem Leo Prædecessor Motu

simi-

simili, & ex certa scientia priores literas Julii Prædecessoris hujusmodi, ac omnia, & singula in eis contenta, per suas literas approbaverat, & innovaverat. Adijciens, & de Apostolicæ potestatis plenitudine statuens, quod si Duces, Barones, Marchiones, Comites, Domini temporales, Vicarii, Feudatarii, armorum Capitanei, Ductores, Magnates, Principes, Communitates, & Officiales civitatum, terrarum, & locorum, dictæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectorum, homicidas, bannitos, exitiosos, rebelles, aut pro quocumque crimine, capitali poena damnatos, nec non brigosos pacem facere recusantes, treguarum, sive induciarum violatores, seu fractores, jus sibimet contra alium dicentes, cavalcatas aut armatas, vel ultra numerum decem hominum coadunatas facientes propria auctoritate, vel moventes, ad eorum Terras, Civitates, Castra, Loca, Territoria, & Dominia declinantes, non solum reciperent, retinerent, vel eis auxilium, consilium, opem, favorem, tacite, vel occulte, directe, vel indirecte præstarent, aut contra mandata, & inhibitiones in ejusdem Julii Prædecessoris literis contentas devenirent, sed etiam si eosdem manu forti non acciperent, apprehenderentque, & captos ad mandatum Romani Pontificis pro tempore existentis, aut suorum Officialium exhiberent, traderentque, non solum omnes, & singulas sententias, ac etiam privationis pœnas in eisdem literis expressas, verum etiam læsæ Majestatis reatum, & verum, ac nulla juris aut hominis fictione confectum crimen eo ipso incurrerent, & in eos sic contrafacientes modo & forma, quibus in veros criminis læsæ Majestatis reos a jure procedi debere statutum erat, procederetur, & tam ad præfatas quam hujusmodi læsæ Majestatis criminis a jure inflictas pœnas executive deveniretur. Et insuper omnia, & singula per Julium Prædecessorem, & ut præfertur, per Leonem hujusmodi innovata, & de novo statuta, & illis adjecta perpetuæ firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter observari debere decreverat.

Porro ad notitiam similis memoriæ Clementis Papæ VII. pariter Prædecessoris nostri pervento, plures Urbis, Civitatum, Terrarum, Castrorum, Locorum, & Tenimentorum, ac Regni, & partium prædictorum contra literas Prædecessorum hujusmodi elata cervice devenire, & se adversus justitiæ clypeum, & tutelam rebelles constituere præsumant, ac censuras & pœnas præfatas, in eisdem literis contentas sensu reprobo parvi pendere non verebantur in animarum suarum perniciem, Divinæ Majestatis offensam, & Reipublicæ læsionem, idem Clemens Prædecessor, ne literæ præfatæ, quæ provida deliberatione ab ipsis Prædecessoribus manaverant, contemptibiles redderentur, sed excessuum perpetratores debita animadversione punirentur, opportunis remedijs providere volens, Motu proprio, non ad aliquorum eidem super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de sua mera liberalitate, & ex certa scientia, singulas Pij, Pauli, Sixti, Julij, & Leonis Prædecessorum literas hujusmodi, cum statuti, ordinationis, extensionis, additionis, inhibitionis, decreti, declarationis, confiscationis, incorporationis, applicationis, voluntatis, & mandati, ac ab omnibus, & singulis alijs in eis respective contentis clausulis, auctoritate Apostolica, per suas literas approbaverat, & innovaverat, ac perpetua roboris firmitate subsistere, & per singulos, quos literæ ipsæ concernerent, sub excommunicationis, anathematis, maledictionis, infamiæ, suspensionis, dimidiationis, criminis læsæ Majestatis, seditionis, rebellionis, confiscationis, depositionis, privationis, inhabilitatis, & interdicti, & alijs censuris, & pœnis ecclesiasticis, & temporalibus, in eisdem literis contentis, quas contravenientes eo ipso incurrerent, perpetuo inviolabiliter observari debere decreverat, illasque etiam ad hoc ut homicidæ, sicarij, exitiosi, criminosi, rebelles, alijque infames propter homicidia, aut alia nefanda per eos perpetrata, excessus, crimina, & delicta in Civitatibus, Terris, Castris, vel locis eorum, seu in quibus tunc morabantur banniti, & condemnati, etiam habita pace ab hæredibus, filijs, seu consanguineis occisorum, ac partium læsarum, non solum a locis circumvicinis usque ad quinquaginta milliaris, sed etiam ab omnibus & singulis Civitatibus, Terris, Castris, & Locis, etiam Regni, & partium prædictarum Nobis, & dictæ Romanæ Ecclesiæ quomodolibet mediate, vel immediate subjectis, banniti, & exules essent, & esse censerentur, nec in illis, seu eorum aliquo, etiam prætextu cujusvis licentiæ, salvi conductus, remissionis, reductionis, revocationis, vel alterius gratiæ per eos desuper quomodolibet pro tempore obtentæ moram trahere possent. Et si in eis residerent, vel reperti forent, capi, detineri, & incarcerari, ac juxta criminum, excessuum per eos perpetratorum qualitatem, vel literarum Pij Prædecessoris hujusmodi tenorem, sub pœnis in eisdem literis contentis, per Officiales Civitatis, Terræ, Castri, vel loci, in qua vel in quo deprehensi forent, debitis pœnis plecti, seu inde educi, & ad forum, seu Officiales, & ad quos criminum & excessuum eorundem punitio, vel de jure, vel consuetudine pertineret, remitti deberent, extenderat, & ampliaverat. Et nihilominus præmissa omnia, & singula prout per Pium, Paulum, Sixtum, Julium, & Leonem Prædecessores præfatos statuta, & ordinata, inhibita, decreta, & declarata fuerant, ita ut Duces, Barones, Marchiones, Comites, Domini temporales, Vicarij, Feudatarij, Capitanei, Magnates, Principes, Communitates, Cives, Officiales, & personæ, ac alij quos prædictæ literæ concernebant, ac ipsorum singuli, literas, & in eis contenta hujusmodi non observantes, & illis quomodolibet directe, vel indirecte contravenientes, ac eis adhærentes, eorumque fautores, & complices, singulas censuras, & pœnas prædictas eo ipso, absque alia declaratione incurrerent, & incurrisse censerentur. Quodque Duces, Barones, Marchiones, Comites, in temporalibus Vicarij, & Feudatarij Civitatum, Terrarum, Castrorum, & Locorum, etiam Regni, & partium prædictarum sibi, & eidem Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectarum, aliquos suos, & dictæ Ecclesiæ hostes, & inimicos, aut subditos, exules, bannitos, & facinorosos, cujuscumque status vel conditionis essent, publice, vel occulte ullo unquam tempore recipere, & acceptare nullatenus præsumerent. Et si aliquos ad eorum dominia, & territoria confugere contingeret, illos ex eorum dominijs, vel territorijs hujusmodi expellere, seu ad simplicem jussionem suam, vel successorum suorum quo voluisset, seu successores ipsi voluissent, tute conduci facere. Ac quod præmissa a suis subditis inviolabiliter observarentur, omni excusatione cessante cum effectu curare, sub similibus privationis, & rebellionis, ac criminis læsæ Majestatis pœnis si contrafacerent, eo ipso incurrendis. Necnon ut homici-

dæ fautores, & complices præfati facilius capi, & puniri possent, quod Communitates Civitatum, & Universitates Terrarum, Castrorum, & Locorum, in quibus, seu quorum territorio, districtu, & ditione dicta homicidia perpetrarentur, sub interdicti Ecclesiastici, & duorum millium per Communitates, ac mille ducatnrum per universitates, necnon Civitatum, Terrarum, & Locorum eorundem Domicelli, Barones, Vicarij, ac alij in temporalibus Domini, sub majoris excommunicationis latæ sententiæ, & quinque millium ducatorum auri Cameræ Apostolicæ irremissibiliter applicandorum eo ipso absque alia declaratione incurrendis pœnis, eosdem homicidas, complices, & fautores statim capere, & omnem exactissimam diligentiam, de qua per publica documenta fidem facere tenerentur, capi facere nequirent, statim commissum homicidium universitatibus, seu incolis, & habitatoribus oppidorum, & locorum circumvicinorum, ad quæ declinarent, aut declinare possent, notificari, Communitates vero, & Domini in temporalibus prædicti, ad quorum ditionem tales declinassent, cum primum id ad eorum notitiam devenisset, eos apprehendere, seu apprehendi facere, quod si non possent, similiter id universitatibus, seu incolis, & habitatoribus vicinorum, oppidorum, & locorum, ad quæ declinarent, aut verisimiliter declinare possent, insinuare, & captos ad eorum Judices ordinarios traducere, & tradere sub similibus pœnis tenerentur, & deberent, statuerat, ordinaverat, inhibuerat, & declaraverat. Et ne facilitas veniæ incentivum præbeat delinquendi, quibusvis dictæ Sedis Legatis etiam de latere, ac Nuncijs, & Provinciarum Rectoribus, necnon nostris, & dictæ Romanæ Ecclesiæ Vicarijs in temporalibus pro tempore existentibus, & præfatis Communitatibus, omnem super absolutionibus homicidiorum hujusmodi per Nos, & Prædecessores nostros Romanos Pontifices, & Sedem eandem, sub quavis forma, & verborum expressione concessam, approbatam, & innovatam auctoritatem, & facultatem revocaverat, cassaverat, irritaverat, & annullaverat. Et si quandn similes absolutiones per eum, & Succeslnres Suos Romanos Pontifices, ac Sedem præfatam concedi contingeret, illas per Judices, & Officiales, ad quos pertineret, nisi trinæ literæ Apostolicæ sub intervallo unius mensis pro singulis literis hujusmodi, cum expressa derogatione præsentium desuper emanarent, nullatenus admitti, vel observari voluerat.

Piæ memoriæ Pius Papa IV. similiter Prædecessor noster singulas Pii II., Pauli, Sixti, Julij, Leonis, & Clementis Prædecessorum literas hujusmodi cum Statutorum, Ordinationum, Extensionum, Ampliationum, Revocationum, Cassationum, Irritationum, Annullationum, Decretorum, Confiscationum, Incorporationum, Applicationum, Voluntatum, Hortationum, Requisitorum, & Mandatorum, ac omnibus, & singulis alijs in eis respective contentis clausulis, dicta auctoritate Apostolica, per suas literas approbavit, & innovavit, ac perpetua roboris firmitate subsistere, & per singulos, quos literæ ipsæ concernebant, & concernerent in futurum, sub excommunicationis, anathematis, maledictionis, infamiæ, suspensionis, diffidationis, criminis læsæ Majestatis, seditionis, rebellionis, confiscationis, depositionis, privationis, inhabilitatis, & interdicti, ac alijs censuris, & pœnis Ecclesiasticis, & temporalibus, ac corporis afflictivis in ijsdem literis contentis, quas contravenientes, eo ipso incurrerent, perpetuo inviolabiliter, illasque etiam ad homicidas, Sicarios, Exitiosos, Criminosos, Rebelles, aliosque infames propter homicidia, & alia nefanda per eos perpetrata, excessus, crimina, & delicta, etiam ad hoc, ut ipsi in Civitatibus, Terris, Castris, vel Locis eorum, seu in quibus tunc morabantur, Banniti, & Condemnati, etiam habita pace ab hæredibus, filiis, seu consanguineis occisorum, aut partium læsarum, non solum a Locis circumvicinis usque ad quinquaginta milliaria, sed etiam ab omnibus, & singulis Civitatibus, Terris, Castris, & locis etiam Regni, ac partium prædictorum Nobis, & dictæ Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate quomodolibet subjectis, banniti, & exules essent, & esse censerentur, nec in illis, seu eorum aliquo, etiam prætextu cujusvis licentiæ, Salviconductus, remissionis, reductionis, revocationis, vel alterius gratiæ, per eos desuper quomodolibet pro tempore obtentæ, moram trahere possent. Et si in eis residerent, vel reperti essent, capi, & detineri, incarcerari, ac juxta criminum, & excessuum per eos perpetratorum qualitatem, & literarum Pii II., & Clementis Prædecessorum hujusmodi tenorem, sub pœnis in eisdem literis contentis, per Officiales Civitatis, Terræ, Castri, vel Loci, in qua, vel in quo deprehensi forent, debitis pœnis plecti, seu inde educi, & ad forum, seu Officiales, ad quos criminum, seu excessuum eorundem punitio de jure, vel consuetudine pertineret remitti deberent, extendi, & ampliari debere, & in eis locum habere decreverit. Et nihilominus præmissa omnia, & singula, prout per Pium II. Paulum, Sixtum, Julium, Leonem, & Clementem Prædecessores præfatos statuta, ordinata, extensa, ampliata, revocata, cassata, annullata, inhibita, decreta, & declarata fuerant, etiam ad hoc, ut Duces, Barones, Marchiones, Comites, Domini temporales, Vicarij, Feudatarij, Capitanei, Magnates, Principes, Communitates, Civitates, Officiales, & Personæ, ac alii, quos prædictæ, & præsentes literæ concernunt, ac ipsorum singuli, literas, & in eis contenta hujusmodi non observantes, & illi directe, vel indirecte quomodolibet contravenientes, ac eis adhærentes, eorumque fautores, & complices, singulas censuras, & pœnas prædictas eo ipso absque aliqua declaratione incurrerent, & incurrisse censerentur. Ipsique Duces, Barones, Marchiones, Comites, Domini in temporalibus, Vicarij, & Feudatarij Civitatum, Terrarum, Castrorum, & Locorum etiam Regni, & partium prædictorum sibi, & eidem Ecclesiæ immediate subjectorum, aliquos suos, & dictæ Ecclesiæ hostes, & inimicos, aut subditos exules, bannitos, & facinorosos cujuscumque status, vel conditionis essent, publice, vel occulte ullo unquam tempore recipere, vel acceptare nullatenus præsumant. Et si aliquos ad eorum Dominia, & Territoria confugere contingeret, illos ex eorum Dominijs, vel Territorijs hujusmodi expellere, seu ad simplicem jussionē, vel requisitionem suā, & successorum suorū, quo vellet, & successores ipsi vellent tute cōduci facere. Ac quod præmissa ab ejus subditis inviolabiliter observarentur, omni excusatione cessante, cum effectu curare sub similibus privationis, & rebellionis, ac criminis læsæ Maiestatis pœnis, si contra fecissent, eo ipso incurrendis: Nec non ut homicidæ, fautores, & complices præfati facilius capi, & puniri possent, quod Communitates Civitatum, & Universitates Terrarum, Castrorum, &

Lo-

Locorum, in quibus seu quorum Territorio, Districtu, & ditione dicta homicidia perpetrarentur, sub pœnis interdicti Ecclesiastici, & duorum millium per Communitates, ac mille ducatorum per Universitates, necnon Civitatum, Terrarum, & Locorum eorundem Domicelli, Barones, Vicarii, & alii in temporalibus Domini sub majoris excommunicationis latæ sententiæ, & quinque millium ducatorum auri præfatæ Cameræ irremissibiliter applicandorum eo ipso, absque alia declaratione incurrendis pœnis, eosdem homicidas, complices, & fautores statim capere, ac omnem exactissimam diligentiam, de qua per publica documenta fidem etiam facere tenerentur, capi facere, etsi eos capere non possent, statim commissum homicidium Universitatibus, seu incolis, & habitatoribus Oppidorum, & Locorum circumvicinorum, ad quæ declinabunt, seu declinare poterunt notificari, Communitates, & Domini in temporalibus prædicti, ad quorum ditiones tales declinabunt, cum primum id ad eorum notitiam devenerit, eos apprehendere, seu apprehendi facere, quod si non potuerint, similiter id Universitatibus, seu Incolis, & habitatoribus vicinorum locorum, ad quæ declinabunt, aut verisimiliter declinare poterunt, insinuare, & captos ad eorum Judices ordinarios traducere, & tradere, sub similibus pœnis tenerentur, & deberent, de novo statuit, ordinavit, inhibuit, & declaravit. Et similiter quibusvis dictæ S. Sedis Legatis etiam de Latere, ac Nuncijs, & Provinciarum Rectoribus, necnon suis, & dictæ Romanæ Ecclesiæ Vicarijs in temporalibus pro tempore existentibus, & præfatis Communitatibus omnem super absolutionis homicidiorum hujusmodi per eum, & Prædecessores suos ac Sedem eandem, sub quavis forma, & verborum expressione concessam, approbatam, & innovatam auctoritatem, & facultatem revocavit, cassavit, irritavit, & annullavit. Et si quando similes absolutiones per eum, & Successores suos Romanos Pontifices, & Sedem præfatam concedi contingeret, illas per Judices, & Officiales, ad quos pertineret, nisi trinæ Literæ Apostolicæ sub intervallo unius mensis pro singulis literis hujusmodi cum expressa derogatione præsentium desuper emanarent, nullatenus admitti, vel observari voluit, prout in singulis literis prædictis plenius continetur.

Cum autem statim ubi Nos ad summi Apostolatus apicē divina cooperante providentia assūpti fuimus, ob earumdem literarum non observationem in eisdē Civitatibus, Terris, & Locis, sc etiam in Alma Urbe nostra varias dissensiones, discordia, & odia vigere, latrocinia, & homicidia, aliaque nefarissima perpetrari, ac præfatos Pium II., Paulum, Sixtum, Julium, Leonem, Clementem, ac Pium IV. Prædecessores, pro felici se tranquillo statu, & commodo personarum tam dictæ Urbis, quam aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum prædictorum, premissa statuisse, ordinasse, & peregisse perspexerimus: Idcirco Nos quoque eadem ratione, quietis videlicet, ac pacis moti, habita super his cum Venerabilibus Fratribus nostris ejusdem S.R.E. Cardinalibus deliberatione matura, ac de illorum unanimi consilio, & assensu singulas Pii II., & Pauli, ac Sixti, necnon Julii, Leonis, Clementis, & Pii IV. Prædecessorum literas hujusmodi, cum Statutorum, ordinationum, extensionum, ampliationum, revocationum, cassationum, irritationum, annullationum, decretorum, confiscationum, incorporationum, applicationum, voluntatum, hortationum, requisitionum, & mandatorum, omnibusque & singulis aliis in eis respective contentis clausulis, Apostolica auctoritate prædicta, tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adijcimus, ac ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, penitus, ac sub prædictis per contrafacientes irremissibiliter incurrendis pœnis observari volumus atque decernimus easdem literas ad hoc, ut si Homicidæ, Sicarii, Banniti in Civitatibus, Terris, Castris, & Locis prædictis cuiquam damna aliqua intulerint, ipsique damnis taliter illatis, a Civitatum Communitatibus, ac Terrarum, Castrorum, & Locorum hujusmodi Universitatibus capti, & deprehensi non fuerint, sed taliter delinquentes impune evaserint, Communitates, ac Universitates hujusmodi (præter hoc quod ad damnorum quorumcumque sic illatorum parti læsæ, damnaque hujusmodi patienti, eorumque hæredibus plenariam restitutionem, & satisfactionem omnino teneantur) ad tantundem, quantum damna illata hujusmodi æstimata fuerint, Cameræ Apostolicæ realiter, & cum effectu persolvendum omnino sint astricti, auctoritate, & tenore præfatis, extendimus, & ampliamus. Mandantes eisdem Communitatibus, & Universitatibus, quatenus ipsæ in virtute sanctæ obedientiæ, & sub majoris excommunicationis, ac aliis Nobis, & pro tempore existenti Romano Pontifice bene visis pœnis, eosdem Sicarios, & Bannitos in eorum Civitatibus, Terris, Castris, & Locis commorantes, seu per eas, & ea transeuntes capere, & ad Populum convocandum, & coadunandum campanas pulsare, eosque sic captos ad Carceres conducere, aut Curiæ temporali consignare omnino teneantur. Quocirca dilectis filiis Vitellotio S. Mariæ in via lata Diacono Card. Vitellio nuncupato, moderno, & pro tempore existenti ejusdem S. R. E. Camerario, & Cameræ prefatæ Thesaurario, Præsidentibus, Clericis, ac universis, & singulis Legatis, & Vice-Legatis Provinciarum nostrarum, & aliis Rectoribus, ac Officialibus Civitatum, Terrarum, & partium prædictarum Nobis, & dictæ Sedi mediate, vel immediate subjectarum districte præcipiendo mandamus, quatenus præsentes litteras solemniter in singulis Provinciis, Civitatibus, Terris, & Locis prædictis publicari, nec non omnia, & singula in eis contenta inviolabiliter observari faciant, & mandent. Contradictores quoslibet, & rebelles, cujuscumque status, gradus, & præeminentiæ fuerint, sententias, censuras, & pœnas præfatas damnabiliter incurrisse declarent, & declarationem hujusmodi per eos faciendam in libris maleficiorum conscribi, & annotari mandent, & faciant. Necnon capitales præfatas Sententias a Ministris justitiæ absque alicujus incursu irregularitatis exequi procurent, ac realiter & irremissibiliter exigant, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii Secularis. Necnon pro exactione pœnarum pecuniarum hujusmodi contra Communitates, & Universitates, ac in eorumdem inobedientium in temporalibus Dominorum Vassallos, propter eorum hujusmodi inobedientiam, represalias concedant, necnon & cum effectu exequi faciant. Attentius hortantes, & requirentes in Domino Barones, & Domicellos, ac in temporalibus Dominos dicti Regni, necnon illius Provinciarum, Civitatum, & Locorum Gubernatores, & Officiales pro tempore existentes, ut præfatos homicidas, & fautores, & complices originem traxerunt, conduci, & eis realiter consignari similiter

liter cum effectu faciant. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quæ dicti Prædecessores in præfatis eorum literis voluerunt non obstare, cæterisque contrariis quibuscumque: Aut si aliquibus communiter, vel divisim ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuscumque aliis Privilegiis, Indulgentiis, & Literis Apostolicis generalibus, vel specialibus super recipiendis bannitis, homicidis, & brigosis, ac aliis prædictis quorumcumque tenorum existant, per quæ præsentibus non expressa, vel totaliter non inserta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris literis mentio specialis, quæ quoad hoc cuiquam nolumus ullatenus suffragari. Volumus autem quod præsentes literæ nostræ postquam in valvis Basilicæ Principis Apostolorum, & in Campo Floræ de Urbe affixæ fuerint, omnes & singulos Cives Romanos, & alios in Urbe commorantes, effluxis quindecim diebus, alios vero Duces, Comites, Marchiones, Domicellos, Barones, & alios temporales Dominos, & Vicarios, Communitates, & Universitates Civitatum, Terrarum, & Locorum Sedi præfatæ mediate, & immediate subjectorum hujusmodi decurso mense arctent, & contrafacientes pœnas præfatas incurrant in omnibus & per omnia, perinde, ac si eis omnibus, & singulis contrafacientibus personaliter, & particulariter intimatæ fuissent. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, innovationis, adjectionis, decreti, extensionis, ampliationis, mandati, hortationis, requisitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, tertio Nonas Julii, Pontificatus nostri Anno Primo.

Ca. Glorierius.

H. Cumyn.

Ordinatio SS. D. N. D. Pii Divina Providentia Papæ V. ut ejus literæ contra Homicidas, Bannitos, & alios facinorosos, eorumque Receptatores editæ singulis annis legantur.

PIUS PAPA V.

Ad perpetuam Rei memoriam.

CUm Nos nuper pro nostri Pastoralis officii sollicitudine ad pacem, & quietem in universo Statu nostro Ecclesiastico inducendam, mala extirpanda, ac Civitates, Terras, & loca nostra Sicariisque, & aliis nefariis hominibus expurganda quasdam nostras sub plumbo desuper confectas literas contra Homicidas, Bannitos, & alios facinorosos, eorumque Receptatores, adhærentes, & fautores publicari fecerimus, volentesque literas hujusmodi ab omnibus, quos ipsæ concernunt, inviolabiliter observari, ne inobedientes ullo modo se excusare possint, Motu proprio, & ex certa scientia, maturaque deliberatione nostra, auctoritate Apostolica, tenore præsentium statuimus, ordinamus, ac sub indignationis nostræ, & mille ducatorum Cameræ Apostolicæ applicandorum per contrafacientes eo ipso incurrendis pœnis districte, præcipimus, & mandamus, quod quælibet Communitas, Universitas, & Populus quarumcumque Civitatum, Oppidorum, Terrarum, Castrorum, & Locorum nobis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediate, vel immediate subjectorum, statim cum dictæ nostræ literæ, sive earum transumptum impressum ad eos pervenerint, convocato eorum publico consilio in præsentia Officialium, Sindicorum, & curam maleficiorum habentium, eas ibi alta, & intelligibili voce, etiam vulgari sermone illas declarando, ut melius, & facilius ab omnibus percipi possint, legi facere, & deinde in eorum Archivio publico diligenter custodiri curare omnino debeant: ac successive singulis annis in principio cujuslibet anni perpetuis futuris temporibus similiter, ut præfertur, easdem literas in eorum publico consilio legendo reiterare teneantur. Quod si (quod non credimus) ab aliquibus prætermissum, vel contraventum fuerit, volumus, & sub excommunicationis, & aliis arbitrii nostri pœnis mandamus, quod loci Gubernator, Rector, & quilibet alius justitiæ minister, quocumque nomine nuncupatus, contra statutum, & ordinationem nostram hujusmodi non observantes ad executionem pœnarum prædictarum sine mora irremisibiliter procedat, ut quos obedientiæ bonum ad mandatis nostris parendum non adducit, pœnarum saltem metus a contraveniendo absterreat. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Præterea volumus præsentium literarum transumptis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis plenam, & indubiam fidem æque, ac originalibus ipsis, adhiberi debere. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub annulo Piscatoris die IV. Septembris M.D.LXVI Pontificatus nostri Anno Primo.

Motus proprius Pii Papæ Quinti super declaratione alterius Motus proprii fel. rec. Pii Papæ IV. quod Banniti non audiantur, nisi prius in carceribus constituti.

PIVS PAPA V.

MOtu proprio &c. Licet alias fel. recor. Pius Papa IV. Prædecessor noster Motu proprio, & ejus certa scientia, sua perpetuo valitura Constitutione sanciverit, nullum ab homicidio, seu alio quovis crimine, pro quo pœna corporalis veniret imponenda, ex aliqua causa, vel quia Bannitum occidisset, seu ab alio Banniti occisore juxta formam proclamatum, & Bannimentorum id promittentium, vel Constitutionum desuper editarum nominatus fuisset, sive etiam quia ab ipso occisus Bannitus, & condemnatus extitisset, & impune ex dispositione dictorum proclamatum, & Bannimentorum, seu Constitutionum occidi potuisset, se absolvi debere prætendens seu pro homicidio, aut alio crimine per eum commisso Bannitus, & condemnatus foret, sive nondum Ban-

Bannitus, & condemnatus, nec inquisitus existeret per se vel aliam personam pro eo quomodolibet comparentem ad absolutionem petendam admitti, vel audiri posse, nisi se prius in carceribus constituisset, & defuncti hæredes ab ipso citati fuissent; & in eventum quod quis ab homicidio per eum commisso, ex eo quod alium bannitum occidisset, vel ab alio banniti occisore nominatus foret, se absolvi obtineret, eum nihilominus ad locum, in quo occisi hæredes commorantur, quousque ab illis pacem obtinuisset, exulare debere, neque ad eum locum aliter, nisi pace ab illis habita, remitti posse, perpetuo statuerit, & ordinaverit, inhibens nihilominus omnibus, & singulis judicibus, tam secularibus, quam Ecclesiasticis etiam nostris de latere legatis sub indignationis sententiæ pœna, ne contra Constitutionis hujusmodi tenorem de coetero quempiam sic, ut premittitur, se absolvi petentem, nisi in carcere constitutum quoquomodo audeant, vel presumant, & ubi secus fecerint, taliter per eos habitos processus, & sententias desuper latas nullius fore momenti, ac nullitatis vitio subjacere, & illis non obstantibus reos sic absolutos pœnis debitis puniri, seu de novo inquiri posse, sicque per quoscunque Judices, & Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi facultate, & auctoritate, judicari debere; aliaque forsan fecerit prout in ipsius Pii literis desuper in forma Motus proprii signatis plenius continetur. Cum tamen a nonnullis in dubium revocetur; an literis Pii Prædecessoris hujusmodi comprehendantur etiam illi, qui ex aliqua criminali causa, pro qua pœna corporis afflictiva imponenda foret, in eorum contumaciam, & condemnationem hujusmodi admitti, vel audiri non debuerint, nec debeant, nisi prius se in carceribus constituerint. Nos omnes circa præmissa ambiguitatem e medio tollere, & penitus amputare volentes, nec non literarum hujusmodi tenores præsentibus pro expressis habentes, illisque nihil addentes, vel minuentes, Motu simili, ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine decernimus, & declaramus, eos omnes, & singulos, qui ex hujusmodi causis, licet in eorum meram contumaciam hactenus condemnati fuerint, & in futurum condemnabuntur sub eisdem literis omnino comprehensos fuisse, & esse, ac fore, ita ut non aliter ad purgandum dictas eorum contumaciam, & condemnationem admitti debuerint, vel debeant, nisi sese prius in carceribus constituerint, vel constituant, decernentes quod in quacunque instantia, casu, & causa se absolvi petant, licet forsan in aliqua se constituerint, nullo modo audiantur, nisi se prius in carceribus, servatis servandis, de novo constituerint, & novæ constitutioni hujusmodi ad plenum satisfecerint, ac omnes, & singulas absolutiones, remissiones, & quasvis alias gratias contra præsentium tenorem quomodolibet pro tempore impetratas, & a quibuscumque Judicibus cujuscunque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis existant, quovis prætextu, vel causa emanatas, nullatenus attendi debere; minusque cuiquam prodesse modo posse, sed tanquam nullas, & invalidas, nulliusque roboris, vel momenti rejiciendas esse, licereque præfatis, & aliis judicibus quibuscumque, illis non obstantibus, processus hujusmodi reassumere, & prout juris fuerit, terminare, præsentemque nostrum Motum proprium nullo unquam tempore subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam alio defectu notari, vel impugnari nullatenus posse, sed illum semper validum, & efficacem existere, suosque plenarios effectus omnimode sortiri; sicque in præmissis omnibus etiam per S. R. E. Cardinales, ac causarum Palatii Auditores, aliosque Judices &c. sublata eis &c. judicari debere, irritum quoque, & inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in futurum contigerit attentari, fuisse, esse, & fore, & vitio nullitatis penitus subjacere decernimus. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ idem Prædecessor in eisdem literis voluit non obstare, cæterisque contrariis quibuscunque. Volumus autem quod præsentis Motus proprii sola signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio, & extra, regula quacumque contraria non obstante, cum decreto quod præsentium transumptis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Placet Motu proprio, M.

Constitutio SS. D. N. Gregorii Divina Providentia Papæ XIV. super Immunitate Ecclesiarum.

GREGORIUS EPISCOPUS.

Servus Servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

CUM alias nonnulli Prædecessores nostri, & præsertim fel. rec. Sixtus Papa Quintus, necnon Pius etiam Quintus, sancto zelo ducti, diversas facultates, & indulta extrahendi etiam in casibus quibusdam, a jure non permissis, ab Ecclesiis criminosos, & delinquentes, compluribus Secularibus Principibus, eorumque Curiis, & Magistratibus sub variis modis, & formis concesserint, prout in illis plenius continetur, Experientia postmodum docuit, tum ob diversitatem, & differentiam hujusmodi Indultorum, tum quia plerique eorundem Principum Ministri, ex hoc ipso, illa diversimode, etiam latius, quam par erat, ad suum libitum interpretandi occasionem arripuerunt, illisque abuti cœperunt, subortam esse non mediocrem in aliquibus locis libertatis, & immunitatis Ecclesiasticæ perturbationem, & confusionem; alibi vero, ne ipsos quidem laicos indultis hujusmodi uti voluisse, aut potuisse, quod Populis inveterata erga Ecclesias reverentia, devotis, & assuetis, scandali potius, quam quietis occasionem præberent. Illud absurdum sæpenumero secutum est, ut infimæ interdum conditionis laici, non modo juris, sed etiam literarum penitus ignari, & imperiti, dum quasi potestates, aut Ministri Curiæ Secularis in aliquo Castro, aut Oppidulo Jurisdictionem exercebant, facultatum, & indultorum hujusmodi limites longe excesserint, eaque suo arbitratu in sensus minus rectos, & ab intentione concedentis omnino alienos detorserint, & illorum prætextu quidquid sibi in mentem venit at-

ten-

tentare præsumpserint, in grave Jurisdictionis, & Immunitatis Ecclesiasticæ præjudicium, locorum, & Personarum Divino cultui dicatarum contemptum, ipsius Divinæ Majestatis offensam, & scandalum plurimorum. Quare pro commisso Nobis a Domino Pastoralis officii munere, prædictis absurdis, & scandalis obviare, ac differentias hujusmodi ad uniformem regulam reducere, omnemque dubitandi, ac perperam interpretandi occasionem, dilucida declaratione submovere, abusus tollere, & ne Ecclesiastica jura plane conculcentur, & negligantur opportune providere decrevimus, prout etiam dictus Sixtus Prædecessor noster iisdem de causis motus statuere decreverat, licet morte præventus hoc adimplere nequiverit, ita tamen, ut quando præsens temporum calamitas, & nimia, quæ jam invaluit, perversorum hominum malitia id exposcit, aliquid etiam ad terrorem delinquentium, & ad coercenda illorum facinora ultra id, quod prisca illa majorum nostrorum disciplina, & vetus sacrorum Canonum norma præscripserat, in quibusdam casibus congrua moderatione adhibita permittamus. Hac itaque nostra perpetuo valitura Constitutione, omnia, & quæcumque privilegia, indulta, & gratias tam per prædictum Sixtum, ac Pium Quintum, quam alios quoscumque nostros Prædecessores, aut Nosmetipsos, Sedemque Apostolicam, ejusque Legatos super abducendis, vel extrahendis ab Ecclesiis, Monasteriis, Sacellis, Domibus Regularibus, & secularibus, locisve Sacris, aut Religiosis, aliasque in casibus a jure permissis hominibus certorum tunc expressorum, vel non expressorum criminum reis, aut fraudolentis decoctoribus, etiam in odium certorum delictorum, & pro bono, pace, & quiete publica, & ex causis urgentissimis, ac necessariis, & equipollentibus casibus in jure expressis, atque ex paritate, identitate, aut majoritate rationis extensis, perpetuo, vel ad certum nondum elapsum tempus, seu ad vitam alicujus Principis, aut beneplacitum, seu alias quomodolibet concessa, etiam iteratis, aut multiplicatis vicibus approbata, & innovata, ac usu recepta, literasque Apostolicas sub plumbo, aut in forma Brevis, seu alias quomodocumque desuper confectas, quarum tenores hic haberi volumus pro expressis, ac ad verbum insertis, sublata penitus omni differentia, ita ad unam tantum formam reducimus, & moderamur, ut laicis ad Ecclesias, locaque Sacra, & Religiosa prædicta confugientibus, si fuerint publici Latrones, Viarum Grassatores, qui itinera frequentata, vel publicas Stratas obsident, ac Viatores ex insidiis aggrediuntur, aut depopulatores Agrorum, quive homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committere non verentur, aut qui proditorie proximum suum occiderint, aut Assassini, vel hæresis, aut læsæ Majestatis in personam ipsiusmet Principis rei, Immunitas Ecclesiastica non suffragetur. Sed universis, & singulis Venerabilibus fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque Ecclesiarum, & Monasteriorum Prælatis, tam Secularibus, quam cujusvis ordinis Regularibus districte præcipiendo mandamus, & præcipimus, ut Laicos in casibus prædictis delinquentes ad eorum Ecclesias, Monasteria, Domos, & alia loca supradicta Sacra, seu Religiosa respective confugientes, & in eis se recipientes, atque morantes, qui prædicta delicta, eorumque aliquod judicio suo commisisse videbuntur, quando a Curia Seculari fuerint requisiti, & quilibet eorum fuerit requisitus, ministris, & officialibus Curiæ Sæcularis absque irregularitatis nota, aut alicujus censuræ Ecclesiasticæ incursu tradi, & consignari curent, & faciant, & quilibet eorum curet, & faciat. Ne autem Curiæ Sæcularis prædictæ Ministri facultate illos per se, & propria auctoritate extrahendi, & abducendi sibi olim, ut præfertur, attributa, & per præsentes revocata, abutantur, volumus, dictaque auctoritate decernimus, & declaramus, ut Curia Sæcularis, ejusque Judices, & Officiales ab Ecclesiis, Monasteriis, locisve Sacris prædictis Laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus supradictis, sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis, ad quos solos, & non alios Episcopo inferiores, etiamsi alias Ordinarii sint, aut nullius Diœcesis, aut Conservatores ab hac Sede specialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat. Occurrente autem casu in loco exempto, & nullius Diœcesis, tunc ad Episcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio, & non ad alios; capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dictæ personæ Ecclesiasticæ requisitæ illos in delictis superius expressis culpabiles, tradere, aut capturæ, & carcerationi intervenire, & assistere recusaverint, tumque reverentiæ Ecclesiæ, & locis Sacris debitæ memores, prædictos delinquentes minori, quo id fieri poterit, cum scandalo, & tumultu extrahere curent. Quodque delinquentes Laici prædicti, postquam, ut præfertur, ab Ecclesiis, locisve Sacris extracti, & capti fuerint, ad Carceres Curiæ Ecclesiasticæ reponi, & inibi sub tuto, & firmo Carcere, ac opportuna custodia data illis, si opus fuerit, per Curiam Sæcularem, detineri debeant; nec inde extrahi, Curiæque Sæculari prædictæ consignari, nec tradi possint, nisi cognito prius per Episcopum, seu ab eo deputatum, an ipsi vere crimina superius expressa commiserint, tuncque demum de mandato Episcopi, per Judicem Ecclesiasticum Curiæ Secnlari, quacumque appellatione postposita, consignentur. De crimine vero hæresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertineat, neque in ea Curia Sæcularis se quoquomodo intromittat: Sicut etiã prohibemus, ne contra Ecclesiasticas personas Sæculares, aut cujusvis Ordinis, vel Militiæ, etiam S. Joannis Hierosolymitani, Regulares quoquomodo, etiam vigore prædictorum privilegiorum, indultorum, aut concessionum, quę omnia ad terminos juris per pręsentes reducimus, procedant, aut se intromittant, illasve ab Ecclesiis, Monasteriis, Domibus, locisque Sacris, aut Religiosis, etiam in casibus in hac Constitutione expressis, extrahere, abducere, capere, carcerare, aut cognoscere de criminibus ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, alias quam de jure, & per privilegia eisdem Ordinibus, aut Militiis concessa permittitur, quomodolibet pręsumant. Quod si quis, quacumque dignitate, & auctoritate pręditus, pręmissorum, aut alio quovis pretextu, quicquam pręter, aut contra hujus nostrę Constitutionis tenorem attentare pręsumpserit, declaramus, eum ipso facto censuras, & pœnas easdem incurrere, quę contra libertatis, juris, & Immunitatis Ecclesiasticę violatores, per sacros Canones, & Conciliorum generalium, nostrorumque Pręcessorum Constitutiones sunt promulgatę.

gare. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, in quavis causa, & instantia judicari, & diffiniri debere, necnon irritum decernimus, & inane, si secus super his, per quoscumque quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus premissis tam Sixti, & Pii Quinti, quam aliorum quorumcumque Prædecessorum nostrorum literis Apostolicis, privilegiis, Indultis, & facultatibus, quibusvis personis, etiam Imperiali, Regia, Ducali, aut alia quavis dignitate, & auctoritate fulgentibus, aut Respublicis, Dominiis, Regnis, Provinciis, Civitatibus, Terria, & Locis, eorumve Curiis, Parlamentis, Senatibus, Consiliis, Communitatibus, Universitatibus, Collegiis, aut Præsidentibus, Progressibus, Gubernatoribus, Locatenentibus, Vicariis, Potestatibus, aliisque Magistratibus, Officialibus, Ministris, aut Consiliariis ex prædictis, vel aliis etiam gravioribus, & urgentioribus causis; tam illorum intuitu, & contemplatione, sive ad eorum preces, & instantiam, quam etiam Motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ac per modum statuti, & legis perpetuæ, etiam in vim contractus, & fratrum nostrorum consilio, sub quibuscumque tenoribus, & cum quibusvis præservativis, restitutivis, mentis attestativis, derogatoriarum derogatoriis, aliisque validissimis, efficacissimis, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis Decretis, etiamsi inibi caveatur expresse, quod illis, nisi sub certis modis, & formis, & nisi de expresso eorum consensu, ad quorum favorem concessæ fuerint, derogari possit, & aliter factæ derogationes nullius sint roboris, vel momenti, & alias quomodolibet concessis, etiam sæpius approbatis, & innovatis. Quæ omnia, & singula, ac illorum tenores pro expressis habentes, quatenus præmissis in aliquo adversentur, aut plures, quam superius expressos casus contineant, auctoritate, & tenore præmissis, omnino, ac perpetuo tollimus, & abrogamus, ac ad terminos præsentis Constitutionis, quoad superius descripta dumtaxat reducimus, & nolumus cuiquam de cætero suffragari, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali, per quæ præsentibus non expressa, vel ad verbum non inserta effectus earum quomodolibet valeat impedire. Ut autem præsentes Literæ ad omnium notitiam facilius deducantur, mandamus illas in Valvis Sancti Johannis Lateranen., & principia Apostolorum Basilicarum de Urbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ de more affigi, & publicari, earum etiam exemplis inibi affixis, & dimissis, ac post publicationem hujusmodi volumus, & decernimus, ut omnes, & singulos, quos concernunt, & concernent in futurum, perinde arctent, & afficiant, ac si eorum cuilibet personaliter intimatæ fuissent; earumdem vero præsentium transumptis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, eandem fidem in judicio, & extra illud ubique gentium, & locorum haberi volumus, quæ eisdem originalibus Literis haberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ moderationis, præcepti, mandatorum, decretorum, reductionum, declarationum, prohibitionis, sublationis, abrogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ in Monte Quirinali, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Nono Kalendas Junij, Pontificatus nostri anno primo.

L. Dat.

M. Vestrius Barbianus.

Registrata apud Marcellum Secretarium.

A. de Alexiis.

Prohibitio deferendi, & detinendi Pugiones, Cultellos, parvas Sicas, seu eos, qui vulgò appellantur Stortini, *& quodvis aliud genus Armorum brevioris mensuræ trium palmorum.*

ALEXADER EPISCOPVS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam Rei memoriam.

ET si cuncta quæ ex circumspecta Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum providentia processerunt, debitæ exequutioni demandanda esse censeamus, sollicitudini peculiari quadam ratione convenire existimamus, ut ea, quæ ad perniciosas committendorum homicidiorum occasiones submovendas provide, prudenterque constituta esse noscuntur, Apostolici muniminis nostri patrocinio constabiliamus, ac quatenus opus sit innovemus, illaque extendamus, & declaremus, ac alias desuper disponamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

Dudum siquidem fel. rec. Pius Papa IV. Prædecessor noster cum experientia compertum habuisset ex homicidiis hujusmodi quam plura ex illis tormentulis igneis, Archibusettis vulgariter nuncupatis (quæ occulte deferri possunt, ad necem inferendam aptiora, & fere inevitabilia esse videntur) in dies committi, & perpetrari, nec catenus ob proclamata etiam sub gravissimis poenis a Rectoribus Provinciarum, & Terrarum Nobis, tunc sibi, & S. R. E. subjectarum ab illis deferendis ob Sicariorum copiam, & audaciam cessari, & abstineri, quinimo passim, & indistincte non secus, ac cætera arma minus prohibita ab omnibus fere gestari, proditorium, & abominabile, ac detestandum armorum genus hujusmodi penitus, & omnino destruere, ac ab Alma Urbe, aliisque Terris nostris tunc suis prædictis in totum eliminare volens, per quasdam suas Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Pridie Nonas Martii, Pontificatus sui Anno Tertio expeditas literas perpetuo sancivit, nemini cujuscumque esset dignitatis, gradus, ordinis, conditionis, aut præeminentiæ licere genus armorum hujusmodi, quod brevioris duorum palmorum mensuræ existeret, publice, vel occulte tam per Urbem, Civitates, & loca prædicta, quam etiam in itineribus quoquomodo, aut quovis etiam Militiæ, aut exequutionis justitiæ prætextu deferre,

mi-

minusque in domibus, aut alibi retinere, vendere, emere, aut permutationis, in solutum dationis, pignoris, vel quocumque alio titulo recipere; quinimo quicunque illa habuissent, intra certum in eisdem literis præfixum terminum in eadem Urbe illius Gubernatori, in aliis vero locis prædictis Rectori, vel Præsidi, aut etiam Gubernatori, seu cuivis alio Superiori loci, in quo ea habentes fuissent, denunciare, ad eum perferre, seu perferri facere; ac penes ipsum in loco ad id deputando servanda dimittere tenerentur. Qui vero contrafecissent, dictumque genus armorum dicto termino elapso retinuissent, Crimen læsæ Majestatis, & Rebellionis, ac poenas pro illo a jure inflictas eo ipso incurrerent.

Et subinde recol. me. Pius Papa V. etiam Prædecessor noster vestigiis ejusdem Pij IV. Prædecessoris inhærens, necnon attendens, quod eadem ratio militabat etiam in alijs armis, veluti pugionibus, & alijs armorum generibus, quæ occulte deferri possunt, & cupiens quod metu ejusdem pœnæ a similium armorum delatione, & eorum usu quilibet abstineret, motu suo proprio, præfatæ Pii IV. Prædecessoris Constitutioni addens, perpetuo pariter sancivit, nemini cujuscumque dignitatis, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ existeret, licere pugiones, cultellos, nec aliud quodvis genus armorum brevioris mensuræ trium palmorum (exceptis tamen cultellis aptis ad incidendum panem, qui tamen esse non possent majoris longitudinis unius palmi, & sine cuspide, & ut vulgo dicitur *spontati*) in Urbe, Civitatibus, & Locis Status nostri, tunc sui Ecclesiastici præfatis, & Suburbijs quovis modo, aut etiam quovis Militiæ, aut exequutionis justitiæ prætextu deferre, Qui vero contrafecissent, dictumque genus armorum detulissent, poenas in prædicta Pii IV. Prædecessoris Constitutione expressas incurrerent, inhibendo præterea omnibus, & singulis etiam de latere Legatis, ne sub indignationis suæ, & quibuscumque Vicelegatis, Gubernatoribus, Rectoribus, Præsidentibus, ac alijs Ministris, & Sedis Apostolicæ, seu Civitatum, & Terrarum præfatarum Officialibus, ne sub suspensionis a divinis, ac excommunicationis latæ Sententiæ, aliisque arbitrio suo pœnis, cuiquam tale genus armorum sub quovis colore deferendi licentiam, & facultatem ad quodcunque etiam brevissimum tempus, concedere auderent, vel præsumerent, decernens nihilominus licentias, & facultates sic concedendas nullas penitus, & invalidas existere, ac illis non obstantibus eos, qui sub illarum clypeo dictum genus armorum detulissent, pœnam præfatam omnino incursuros, & alias prout in ipsius Pii V. Prædecessoris desuper pridie Idus Februarii Pontificatus sui Anno VII. emanatis litteris, quarum, & præfatarum Pii IV. Prædecessoris litterarum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis babere volumus, uberius continetur.

Cum autem sicut non sine animi nostri dolore accepimus, eo quia Justitiæ Ministri diligentia, qua supradicta Pii IV. Prædecessoris Constitutio exacte hactenus observata, & exequutioni demandata fuit, exequutioni pariter, & observantiæ alterius Pii V. etiam Prædecessoris Constitutionis supradictæ similiter invigilare neglexerunt, tametsi ejusdem observantia in omnibus a Congregatione pro tempore existentium S. R. E. Cardinalium Consultationibus negotiorum ditionis temporalis ejusdem S. R. E. Præpositorum, necnon a pro tempore pariter existentibus dictæ Urbis Gubernatoribus emanatis generalibus bannimentis demandetur, quamplura homicidia præfatis brevioribus armis, quæ insidiose celantur, talique celeritate, ut eorum ictus pene inevitabiles sint, impugnantur, facillime, & frequenter perpetrari soleant: Hinc est, quod Nos quieti, & tranquillitati nostrorum, & ejusdem Sedis in temporalibus Subditorum consulere, ac malis hujusmodi, & occasioni homicidiorum præfatorum, quæ animarum saluti, ac Reipublicæ bono adeo sunt perniciosa, occurrere, ac alias in præmissis, quantum in Deo possumus, providere volentes, Motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Constitutionem per præfatum Pium V. Prædecessorum desuper, ut præfertur, editam, omniaque, & singula in ea contenta, & expressa perpetuo approbamus, confirmamus, & quatenus opus sit, innovamus, eaque inviolabiliter inconcosse, & perpetuo servari, & exequi volumus, & mandamus.

Et insuper decernimus, & sancimus, nemini cujuscumque Dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ, etiam speciali monitione, seu nota digno licere in Urbe præfata, ejusque Districtu, & in toto Statu Ecclesiastico Nobis, & dictæ Sedi, tam immediate, quam mediate subjecto, comprehensis etiam quatuor Legationibus, ac Civitatibus Bononien., Ferrarien., Beneventana, aliisque Civitatibus, Terris, & locis etiam specialem, & individuam expressionem, ac nominationem requirentibus, Pugiones, & Cultellos, ac parvas Sicas, seu eos, qui vulgo nuncupantur *Stortini*, ac aliud quodvis genus armorum breviora mensuræ trium palmorum, mensuræ vulgariter denominatæ *Canne Romane*, ad usum mercatoris sub pœnis læsæ Majestatis, & rebellionis irremissibiliter exequendis (exceptis dumtaxat cultellis aptis ad incidendum panẽ, qui tamen majoris longitudinis unius palmi esse non possint. Sintque sine cuspide, & ut vulgo dicitur *Spontati*, nec non aliis instrumentis ad usum propriæ artis, quam quisque exercet necessariis, & in actu exercitii ejusdem artis, & non alias deferre.

Ad hæc hujusmodi genus armorum, quæ sunt propria Sicariorum, & apta ad committenda delicta, ullo unquam tempore Reipublicæ deservisse posse considerantes, sub iisdem pœnis illorum retentionem domi, in apothecis, & alibi, introductionem in dictum Statum Ecclesiasticum, fabricationem, venditionem, permutationem, in solutum, vel in pignus dationem, seu receptionem, & quodcumque aliud genus contractus prohibemus, volentes, & mandantes, quod quicumque in Urbe, & districtu præfatis etiam in locis Baronalibus commorantes, intra viginti dierum spatium a die publicationis præsentis Constitutionis in infrascriptis locis faciende computandum, ad Tribunal præfatæ Urbis Gubernatoris, in aliis vero locis totius Status Nostri Ecclesiastici etiam mediati intra triginti dierum spatium a die publicationis supradictæ computandum, ad Legatos, & Gubernatores, Superiorem in Provincia non recognoscentes eadem arma deferre teneantur, ut statim frangantur, & fracta subinde ad Dominorum beneplacitum restituantur.

Considerantes præterea quantum Sacris Canonibus adversetur, noceatque disciplinæ Ecclesiasticæ, quod Clerici, quorum arma sunt lacrymæ, & orationes, hu-

hujusmodi arma deferant, declaramus, & quatenus opus sit, decernimus, sub præsenti, ac supradictis Pii IV. ac Pii V. Prædecessorum Constitutionibus, tam Clericos, quam alias omnes, & singulas Personas Ecclesiasticas, etiam quomodolibet exemptas tam Sæculares, quam cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam de necessitate specialiter exprimendi, necnon Militiarum quarumcumque etiam Hospitalis Sancti Joannis Hierosolymitani, Regulares, vel alias immunitate personali quomodolibet fruentes, & gaudentes comprehendi. Mandantes propterea, & enixe præcipientes Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, ac respectu Regularium, pro delatione tamen, seu retentione dictorum armorum intra claustra delinquentium, eorum Superioribus Regularibus, quatenus præmissa omnia exequi curent, & faciant, & contra transgressores ad majorem poenam, quam Tribunal Ecclesiasticum pro quocumque graviori, & atroci delicto imponat, seu imponere valeat, irremissibiliter procedant.

Declarantes, & mandantes, quod ad sese eximendum a poenis præfatis allegari non suffragabitur, non constare de dolo, vel mala contravenientium qualitate; nec relevabunt, seu proderunt familiaritates, literæ patentes, inhibitiones, licentiæ concessæ, & concedendæ, seu privilegia cujuslibet Congregationis, Judicis, & Tribunalis etiam Supremi, ac Officialium, Ministrorum, & Executorum Justitiæ in quocunque actu, & servitio, nullo prorsus excepto, necnon cujuscunque Militiæ etiam illius, quæ nuncupatur *di L-va*, seu alterius nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis actuali servitio destinatæ, Castellanorum, Gubernatorum Armorum, aliorumque Officialium Majorum, ac quocunque Militari munere, etiam Supremo fulgentium, Almæ Domus Lauretanæ, necnon cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, seu Instituti, vel Militiarum quarumcumque, etiam Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani, & quarumvis personarum, etiam in eminenti statu constitutarum, & alia quavis, sive Ecclesiastica, sive mundana dignitate fulgentium, & alias quomodolibet qualificatorum, facultatis Cameralis, ac Ministerii, seu Ministrorum etiam principalium Cameræ nostræ Apostolicæ, tametsi prædicti, vel aliqui ex eis essent speciali nota, seu expressione digni, nullisque personis privilegiatis, & privilegiatissimis exceptis.

Volentes, præmissis non obstantibus ad exequutionem præfatarum poenarum irremissibiliter contra omnes, & singulos contravenientes esse omnino deveniendum, & tam ad Fisci nostri instantiam, quam ex officio, & per inquisitionem, ac omni meliori modo posse procedi.

Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, assertis consuetudinibus, quas, si quæ forent, per præsentes improbamus, nullasque, & invalidas esse declaramus, privilegiis quoque, Indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis, & innovatis: Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, ad effectum præsentium, illisque alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat harum serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque, volentes, quod in aliis, quam præmissis privilegiati, seu habentes literas patentes, omnibus aliis exemptionibus, & privilegiis legitime competentibus perfruantur, ea tamen conditione, quod realiter, & cum effectu registrari curaverint, vel curent in Cancellariis Legatorum, & Gubernatorum privilegia, literas patentes, & titulos exemptionis ad formam, & tenorem Edictorum de mandato Romanorum Pontificum nostrorum Prædecessorum, & signanter piæ mem: Clementis X. sub datum die vigesima octava Julii anno Domini 1674., & Innocentii XI. sub dat. die septima Novembris anno 1676. publicatorum, quæ exacte observari, suumque plene effectum habere, ac si hic de verbo ad verbū inserta existerent, ordinamus.

Volumus autem, quod lapsis decem respectu dictæ nostræ Urbis, & viginti diebus respectu totius præfati Nostri Status Ecclesiastici, postquam præsentes valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum ejusdem Urbis, & in Acie Campi Floræ, per aliquem ex nostris Cursoribus affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & singulos, tam in Urbe, quam in Statu præfatis existentes perinde obligent, & arctent, ac si unicuique eorum personaliter, & nominatim intimatæ fuissent; Quodque earum transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eisdemmet præsentibus, si exhibitæ, vel ostensæ essent, adhiberetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, innovationis, voluntatis, mandati, decreti, sanctionis, extensionis, prohibitionis, declarationis, & derogationis infringere, seu ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo, Idibus Augusti, Pontificatus Nostri Anno Primo.

B. Card. Prodatarius.

Visa d. Curia I. Sacripantes.

J. F. Card. Albanus.

Confirmatio, Extensio, & Moderatio respective Constitutionum Pii II. Sixti IV. Clementis VII. Pii IV., & Pii V. super prohibitione quamcunque remissionem, compositionem, vel gratiam homicidis, illorumque fautoribus auxiliatoribus, consultoribus, vel complicibus, necnon Ministrorum Justitiæ, querelantium, & testium offensoribus

concedendi absque Romani Pontificis speciali mandato.

INNOCENTIUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

VIros sanguinum, & dolosos, qui inhumana sevitia, & iræ, seu vindictæ furore succensi, nedum corporibus mortem dare, sed non raro etiam Salvatoris Nostri Jesu Christi pretiosissimo Sanguine redemptis animabus, si non sint armis spiritualibus, Divina preveniente gratia, præmunitæ, æternam perditionem procurare non perhorrescunt, cum Domino abominantes, Nostrorumque, & Sanctæ Sedis etiam in temporalibus immediate, & mediate subditorum tranquillitati, & paci, ac eorundem, & Ministrorum Justitiæ majori securitati ejusdemque Justitiæ liberiori exercitio, quantum Nobis ex Alto conceditur, consulere cupientes, inter alias Apostolicæ solicitudinis curas, quibus incessanter urgemur, in illam præcipue incumbimus, ut perditos nequitiæ filios, qui a quorumcunque homicidiis, & a Rectorum, & Ministrorum Justitiæ, necnon querelantium, & testium offensionibus virtutis amore abstinere detrectant, formidine saltem pœnæ, & quidem irremissibilis retrahamus. Cumque ex spe remissionis, compositionis, gratiose rebannitionis, cassationis processus, seu banni, aut alterius gratiæ assequendæ delictorum hujusmodi facilitatem, & frequentiam etiam procedere, experientia rerum magistra docuerit, ut hanc quoque detestabilem, & perniciosam spem magis, magisque adimamus, & recidamus, ac delicta hujusmodi, quantum fieri potest, arceamus, ea, quæ a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus desuper statuta, & provide ordinata fuisse comperimus, ut eo majorem obtineant firmitatem, quo sæpius fuerint Apostolico præsidio communita, nostræ confirmationis patrocinio roboramus, eaque de novo statuimus, seu alias ampliamus, immutamus, & in honorem eximiæ S. R. E. Cardinalium de latere Legatorum dignitatis respective moderamur, prout rationabiles causæ persuadent, & in Domino conspicimus salubriter expedire.

Alias siquidem felic. recordationis Pius Papa II. Prædecessor Noster, ad cujus audientiam pervenerat, quod in Terris, Locis, & Tenimentis tunc sibi, & Romanæ Ecclesiæ mediate, & immediate subjectis, quamplurima etiam ex levibus causis commissa esse reperiebantur homicidia, idcirco subditos suos, & Ecclesiæ Romanæ prædictæ mediate, & immediate subjectos pacificos fore, & modestos, ac loca prædicta sicariis, homicidis, & malafactoribus expurgare desiderans, inter cætera statuit, & decrevit, quod omnes illi, qui pro delicto homicidii fuissent condemnati, seu alias de Civitate aliqua, & districtu illius banniti, non possent ad Civitatem, seu districtum hujusmodi quocunque tempore redire, seu in eis, vel eorum altero moram trahere, etiam habita pace ab heredibus, vel consanguineis, seu filiis ipsius occisi, nec Legatus etiam de latere, aut Gubernator, qui pro tempore fuisset vel quivis alius posset auctoritate Apostolica, seu ex officio suę Legationis aliquem homicidam sic exbannitum rebannire, reducere, seu revocare ad Civitatem, seu districtum, aut eorum alterum, seu ei licentiam, vel salvum conductum concedere redeundi, seu morandi in eis, vel eorum altero in perpetuum, vel ad tempus modicum, sive magnum, nec etiam per diem unum, sive noctem; Quod si secus per quemquam ex prędictis factum fuisset, incideret in pœnam excommunicationis ipso facto sine ulteriori Sententia declarationis, a qua per alium, quam per Summum Pontificem, & tunc facta de hoc speciali expressione, non posset absolvi, ac reductio, licentia, revocatio, salvus conductus, & cassatio processus, & banni hujusmodi essent ipso jure nulla nulliusque roboris, & momenti, adjectis aliis pœnis, inhabilitationibus, censuris, & decretis, & alias prout in ejusdem Pii, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo sexagesimo primo quinto Kal. Februarii Pontificatus sui Anno quarto expeditis literis plenius continetur.

Et successive rec. mem. Sixtus Papa IV. similiter Prædecessor Noster, accepto per eum quod contenta in literis Pii Prædecessoris hujusmodi a certis temporibus tunc elapsis non fuerant observata, & ex illorum non observantia subditi prædictæ Ecclesiæ procliviores erant ad homicidia committenda, jamque fere passim homicidia quotidie perpetrabantur, & homicidæ præfati ideo ad illa committenda promptiores existebant, quia sperabant latere, & suorum excessuum remissionem consequi facile posse; ac detestabilem, & horrendam talium Sicariorum nequitiam ad aliorum cautelam opportunis juris remediis prosequi studio cupiens indefesso, habita super his cum Fratribus suis prædictæ Ecclesiæ Cardinalibus deliberatione matura, & de illorum consilio per suas Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo octuagesimo, quarto Kalendas Aprilis Pontificatus sui Anno Nono expeditas literas, statuta, & Decreta Pii Prædecessoris hujusmodi, & prout illa concernebant omnia, & singula in dd. literis ejusdem Pii Prædecessoris contenta, Apostolica auctoritate approbavit, & robur perpetuæ firmitatis obtinere debere decrevit, ac voluit, & præfata auctoritate de eorumdem Fratrum consilio statuit, & ordinavit, quod condemnati eatenus, & quos in posterum condemnari contigisset ubilibet in Civitatibus, Terris, & Romanæ Ecclesiæ, mediate, & immediate subjectis, pro homicidio, sive ut principales, sive ut consilium, auxilium, & favorem præstantes, suarum condemnationum remissionem, aut contra illas salvum conductum, & licentiam secure in loco patrati criminis, vel infra quinquaginta milliaria, ut præfertur, propinquo nullatenus obtinere possent ab alio, quam a Romano Pontifice, qui pro tempore esset, & alicujus alterius etiam Legati de Latere remissio nemini suffragaretur. Et si forsan contingeret, eundem Romanum Pontificem ad remissionem, seu salvum conductum hujusmodi procedere, talis remissio per præoccupationem processisse censeretur, & nemini prodesse posset, nisi in illa vere earundem literarum Sixti Prædecessoris hujusmodi tenor de verbo ad verbum, non autem per clausulas idem importantes, insertus foret, ac specifica, & determinata causa exprimeretur, quæ eundem Romanum Pontificem induceret ad derogandum iisdem literis Sixti Prædecessoris, quæ cum tam matura deliberatione ab eodem Sixto Prædecessore emanaverant.

Dein-

Deinde piæ mem. Clemens Papa VII. etiam Prædecessor Noster facti notorietate edoctus, plures Urbis, Civitatum, Terrarum, Castrorum, Tenimentorum, partium, & locorom tonc sibi, & dictæ Romanæ Ecclesiæ mediate, & immediate subjectorum contra eorundem, & aliorum Prædecessorum literas elata cervice deveoire, se censuras, & pœnas in illis contentas, sensu reprobo, parvi pendere non vereri, sceleratorum insolentiis salubriter reprimendis inteodens, & criminosorum temeritatem, oltrice justitia, cohibere, ne literæ prædictæ, quæ provida deliberatione ab ipsis Prædecessoribus emanaverant, contemptibiles redderentur, sed excessuum perpetratores debita animadversione punireutur, opportunis remediis providere volens, inter cœtera Motu proprio singulas prçfatorum, & aliorum Prçdecessorum inibi relatas cum omnibus, & singulis in eis contentis, pari auctoritate approbavit, & innovavit, & per singulos, qoos literç ipsç coocernebant, sub censuris, & pœnis in eis contentis, quas contravenientes eo ipso incurrerent, perpetuo inviolabiliter observari decrevit; illisque etiam ad hoc, ut homicidç, sicarii, exitiosi, criminosi, rebelles, aliique infames propter homicidia, & alia nefanda per eos perpetrata excessus, crimina, & delicta in Civitatibus, Terris, Castris, vel locis eorum, seu in quibus tunc morabantur banniti, & condemnati, etiam habita pace ab hçredibus, filiis seu consangoineis occisorum, aut partium lçsarum, non solum a locis circumvicinis usque ad quinquaginta millisria, sed etiam ab omnibus, & singulis Civitatibus, Terris, Castris, locis, & partibus tunc sibi, & dictç Romanç Ecclesiç quomodolibet mediate, vel immediate subjectis, banniti, & exules essent, & esse censerentur, nec in illis, seu eorum aliquo, etiam prçtextu cujusvis licentiç, salvi conductus, remissionis, reductionis, revocationis, vel alterius gratiç per eos desuper quomodolibet pro tempore obtentç, moram trahere possent, si in eis resedissent, vel reperti fuissent, capi, detineri & incarcerari, ac juxta criminum, & excessuum per eos perpetratorum qualitatem, & literarum Pii Prçdecessoris hujusmodi tenorem, sub pœnis in iisdem literis contentis, per Officiales Civitatis, Terrç, Castri, vel loci, in qua, vel in quo deprehensi fuissent, debitis pœnis plecti, seu inde educi, & ad forum, seu Officiales, ad quos criminum, & excessuum eorundem punitio de jure, vel consuetudine pertinebat, remitti deberent, extendit, & ampliavit. Et nihilominus omnia, & singula, prout per Pium, Sixtum, & alios Prædecessores prædictos statuta, ordinata, inhibita, decreta, & declarata fuerant, itaut Duces, Barones, Marchiones, Comites, Domini temporales, Vicari, Feudatarii, Capitanei, Magnates, Principes, Communitates, Cives, Officiales, & personæ, ac alii, quod ipsius Clementis, & aliorum Prædecessorum præfatorum literæ coocernerent, ac ipsorum singuli literas, & in eis contenta hujusmodi non observantes, & illis quomodolibet directe, vel indirecte contravenientes & eis adhærentes, eorumque fautores, & complices, singulas censuras, & pœnas prædictas eo ipso absque alia declaratione incurrerent, & incurrisse censerentur de novo. Et ne facilitas veniæ incentivum præberet delinquendi, quibusvis dictæ Sedis Legatis etiam de latere, ac Nunciis, Provinciarum Rectoribus, necnon tunc suis, & dictæ Romanæ Ecclesiæ Vicariis in temporalibus pro tempore existentibus, & præfatis Communitatibus omnem super absolutionibus homicidiorum hujusmodi per eundem Clementem, ejusque Prædecessores Romanos Pontifices, ac Sedem eandem sub quavis forma, & verborum expressione concessam, approbatam, & innovatam auctoritatem, & facultatem revocavit, cassavit, irritavit, & annullavit; & si quando similes absolutiones per eundem Clementem, ejusque successores Romanos Pontifices, Sedem præfatam concedi contigisset, illas per Judices, & Officiales, ad quos pertinent, nisi trinæ literæ Apostolicæ sub intervallo unius mensis pro singulis literis hujusmodi cum expressa derogatione earundem ipsius Clementis Prædecessoris literarum desuper emanassent, nullatenus admitti, vel observari voluit, & alias prout in ejusdem Clementis literis Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo vigesimo quarto, Pridie Idus Junii, Pontificatus sui Anno Primo desuper expeditis uberius continetur.

Postmodum ejusdem memoriæ Pius Papa IV. pariter Prædecessor noster habita super his cum Fratribus suis S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, & de illorum unanimi consilio, & assensu, iisdem modis, & forma prædictis, quibus idem Clemens Prædecessor literas suorum Prædecessorum confirmaverat, & extenderat, ipse pariter literas memoratas ejusdem Clementis, & aliorum Prçdecessorum cum eadem expressione, & extensione, cum simili, ut prçfertur, revocatione, cassatione, irritatione, & annullatione omnis auctoritatis, & facultatis dictç Sedis Legatis etiam de latere, aliisque prçdictis, super absolutionibus homicidiorum hujusmodi per Pium Papam IV. ejusque Prçdecessores Romanos Pontifices, ac Sedem eandem sub quavis forma, & verborum expressione concessç, approbatç, & innovatç, necnon cum eadem, ut prçfertur, voluntate, seu decreto, si & quando similes absolutiones per eundem Pium IV. ejusque Successores, & Sedem prçdictam concedi contigisset, per quasdam suas Anno Incarnationis Dominicç millesimo quingentesimo sexagesimo primo, octavo Idus Januarii Pontificatus sui Anno Secundo expeditas literas approbavit, & innovavit.

Cumque idem Pius Prædecessor accepisset, nonnullos ex Gubernatoribus, & Officialibus per eum in diversis Civitatibus, Terris, & locis Status Ecclesiæ constitutis, & deputatis, forsan suæ voluntatis ignaros, aut alias, prætendere pœnarum remissionem inquisitis, bannitis, & condemnatis super homicidiis per eos pro tempore perpetratis, per eos remitti, gratiamque fieri, & exinde ab eis compositionem exigi posse. Idcirco ad tollendum omne dubium, quod exinde exoriri potuisset, & ne Gubernatores, & Officiales prædicti, ac quicumque alii ignorantiæ ejusdem suæ voluntatis, aut quovis alio prætextu in illis se intromittere præsumerent, veriores dictarum suarum literarum tenores, ac si de verbo ad verbum insertæ fuissent, pro expressis habens, decrevit, & declaravit, gratias, seu remissiones, aut compositiones quibusvis inquisitis, condemnatis, aut bannitis, ex causa, vel occasione homicidii, animo deliberato, vel casu fortuito, aut in rixa, vel alio quovis modo pro tempore perpetrati, pro quo pœna ordinaria, vel extraordinaria imposita, vel imponenda fuisset, per quoscunque in Civitatibus, Terris, & locis prædictis, Sedis Apostolicæ Legatos, Vicelegatos, Gubernatores, vel alios Officiales deputatos, & deputandos, fieri in posterum nullatenus posse

posse, & illas tantum compositiones, & gratias cum inquisitis, condemnatis, & bannitis hujusmodi, ut supra, ab inde faciendas valere, illisque suffragari, qui habuissent supplicationes desuper sua manu signatas, & per Datarium pro tempore existentem datas, prout in Cedula Motus ejus proprii, sub Datum sexto Kalen. Maij Anno Pontificatus ipsius quinto, continetur. Post hæc simil. memoriæ Pius Papa V. habita super his cum Venerabilibus Fratribus suis ejusdem S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, ac de illorum unanimi consilio, & assensu, inter cætera ibidem per ipsum decreta, & sancita, singulas prædictorum Pii II., Clementis, & Pii IV., & aliorum Prædecessorum literas, cum omnibus, & singulis in eis respective contentis, Apostolica auctoritate approbavit, confirmavit, & innovavit, illisque perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adjecit, ac ab omnibus & singulis, quos illæ concernebant, poenitus, ae sub ibi relatis per contrafacientes, irremissibiliter incurrendis poenis, observari voluit, & decrevit, & alias prout in ipsius Pii V. Prædecessoris desuper Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto Tertio Nonas Julii Pontificatus sui Anno primo emanatis literis, quarum, & præfatarum earundem Pii II., Sixti, Clementis, & Pii IV. Prædecessorum literarum, & Cedulæ tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habere volumus, uberius continetur.

Nunc vero Nos nequitiis hujusmodi salubriter reprimendis, ne criminosorum invalescat præsumptio, illorumque perversitas quoquomodo remaneat impunita, quin ultrice justitia perpetuo retundatur, sedulo intendentes, ac simul quieti, & tranquillitati præfatorum nostrorum, & ejusdem Sedis in temporalibus subditorum, necnon majori justitiæ Officialium securitati, ac ejusdem justitiæ liberiori exercitio providere volentes, Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, singulas eorundem Pii II., Sixti, Clementis, Pii IV., & Pii V. Prædecessorum literas hujusmodi, cum omnibus, & singulis, quæ præmissa, & infrascripta concernunt, & concernere possunt, tenore præsentium approbamus, confirmamus, & innovamus, illisque perpetuum, & inviolabilis firmitatis robur adjicimus, ac ab omnibus, & singulis, quos illæ concernunt, penitus, & sub inibi contentis per contrafacientes irremissibiliter incurrendis poenis, & censuris, & cum omnibus inibi decretis, & sancitis observari volumus, atque decernimus, firmis, & in suo robore, & statu remanentibus cæteris in iisdem literis, statutis, sancitis, & decretis.

Et nihilominus hactenus inquisitos, processatos, condemnatos, aut bannitos, sive uti principales, sive uti mandantes, vel mandatarios, sive uti complices, aut auxilium, vel consilium, vel favorem præstantes, ex causa, vel occasione homicidii, pro quo poena ordinaria, vel extraordinaria imposita fuerit, vel erit, seu imponenda foret, & quos quibuscumque futuris temporibus similiter inquiri, processari, condemnari, seu banniri contigerit, ubilibet in quibuscumque Civitatibus, Terris, & locis, Nobis, & Sanctæ Sedi mediate, & immediate subjectis, comprehensis etiam quatuor Legationibus, & Civitatibus Bononien., Ferrarien., Beneventana, aliisque etiam specialem, & individuam expressionem, & nominationem requirentibus, nullo umquam tempore, vel modo, ex aliqua gratia, seu compositione, vel per viam cassationis processus, remitti, seu quoquomodo gratiose rebanniri, habilitari, seu dispensari, minusque illis aliquem salvum conductum, præterquam pro vero, reali, & necessario servitio justitiæ, & tunc pro eo dumtaxat tempore, quod hujusmodi servitio congruat, concedi per quoscumque locorum, & Civitatum Gubernatores, & justitiæ Officiales, Provinciarum Rectores, dictæ Romanæ Ecclesiæ in temporalibus Vicarios, & quoscumque alios quantumvis speciali, & individua nota dignos, ac etiam ipsos de latere Legatos infrascripta distinctione, seu moderatione, etiam pace ab hæredibus, vel consanguineis, aut filiis occisi habita, sine nostra, & Romanorum Pontificum pro tempore existentium, speciali mandato, omnino prohibemus; Ita tamen, ut pro hujusmodi mandato certa, seu præcisa forma non requiratur, prout in superius relatis literis, quibus in hac parte opportune derogamus, & derogatum esse volumus, cavebatur, sed quocumque legitimo modo illud apparere, seu probari sufficiat.

Ad hæc omnes, & quaslibet facultates quibuscumque locorum, & Civitatum Gubernatoribus, justitiæ Officialibus, Provinciarum Rectoribus, dictæ Romanæ Ecclesiæ Vicariis in temporalibus, & quibuscumque aliis quantumvis speciali, & individua nota dignis, ac etiam ipsis de latere Legatis; salva tamen quo ad eosdem Legatos infrascripta distinctione, seu moderatione, super hujusmodi gratiarum, compositionum, cassationum processuum, remissionum, habilitationum, dispensationum, & salvorum conductuum concessione, etiam per Nos, & Prædecessores Nostros, ac Sedem eandem, sub quavis forma, & verborum amplitudine concessas, innovatas & approbatas, omnino revocamus, cassamus, irritamus, & annullamus, & pro revocatis, cessatis, irritatis, & nullis, ac si concessæ non fuissent, haberi volumus, & decernimus, & quascumque facultates, si quas in posterum concedi contigerit, servata hujus nostræ Constitutionis forma, intelligi, & observari debere omnino volumus, & mandamus.

Verum quia in relatis Prædecessorum Nostrorum literis cæteris omnibus Officialibus, & personis præfatis æque ac ipsis de latere Legatis hujusmodi gratiæ, & actus indistincte prohibentur, omniumque facultates pariformiter revocantur, sive de homicidiis animo deliberato, sive casu fortuito, vel in rixa, vel alio quovis modo patratis agatur, Nos eximiam Legatorum de latere S. R. E. Cardinalium dignitatem præ oculis habentes, eosque facultatibus, ea qua decet circumspectione, usuros esse sperantes, præfatas Constitutiones moderari, illasque, & præsentem nostram sanctionem quoad præsentes, & pro tempore existentes de latere Legatos ejusdem Romanæ Ecclesiæ Cardinales locum habere decernimus pro homicidiis animo doloso, & præmeditato commissis, iisdem de latere Legatis, ut sibi concessis, seu concedendis facultatibus, quas Nos juxta præscriptam in iisdem præsentibus formam, etiam harum serie, opportune concedimus, quoad gratias, & actus prædictos uti possint, & valeant, quotiescumque de homicidiis casu fortuito, vel in rixa seu alias similiter sine dolo, & præmeditatione commissis agi contigerit; iisdemque Constitutionibus in hac parte amplissime derogamus, opportune derogatum esse volumus, & mandamus, firmis tamen, & in suo robore quoad quoscumque alios remanentibus omnibus, & sin-

& ſingulis, quæ in præſatis, & præſenti noſtra Conſtitutione, quo ad omnia homicidia etiam, in rixa, vel caſu ſortuito, vel alias commiſſa, ſtatuuntur, & decernuntur.

Volentes præterea, delinquentibus, eorumque fautoribus, occaſione tum homicidiorum, tum aliorum delictorum, anſam eo magis amputare, ne Curiæ, & Fiſco eoſdem inquirendi, & proceſſandi, condemnandi, banniendi, & quoſcumque juſtitiæ actus explendi impedimentum præbeant, & e converſo Nuntios, Birruarios, Notarios, Promotores, ſeu Procuratores Fiſcales, Judices, ceteroſque juſtitæ Officiales, & miniſtros ad eorum operam attentius navandum, ac querelantes ad opem juſtitiæ tutius implorandam, & teſtes ad veritatem liberius propalandam, ſpe, & præſidio majoris ſecuritatis excitare, præſatas, & præſentem noſtram Conſtitutionem ſic extendimus, & reſpective locum habere mandamus, ut omnes & quicumque in pœnam ultimi ſupplicii, vel ad triremes perpetuo condemnati, ex cauſa præſatorum juſtitiæ miniſtrorum, & officialium, ſeu partis querelantis, vel teſtium offenſionis, a nemine ex prædictis Gubernatoribus, Officialibus, Rectoribus, Vicariis in temporalibus, & quibuſcumque aliis, ſpeciali, & individua nota dignis, & nec ab ipſimet de latere Legatis S. R. E. Cardinalibus remitti, ſeu ullam ex gratiis, & actibus ſuperius expreſſis, minuſque aliquem ſalvum conductum, præterquam pro vero, reali, & neceſſario ſervitio juſtitiæ, & tunc pro eo duntaxat tempore, quod hujuſmodi ſervitio congruat, ſine expreſſo, ut præfertur, noſtro, ſeu Romani Pontificis pro tempore exiſtentis mandato, obtinere ullatenus poſſint, & valeant, omneſque, & quaſcumque facultates quoquo modo conceſſas, quæ præſentibus adverſarentur, penitus, & omnino, ut præfertur, revocamus, & annullamus, iſtoque caſu, & ad hunc effectum, ut indiciis ad tranſmittendam inquiſitionem ſufficientibus, ex proceſſu reſultantibus, judices, ad quos ſpectat, ſervatis ſolitis terminis, ad condemnationem delinquentium hujuſmodi expedite procedere teneantur, omnino volumus, & decernimus.

Mandantes hujuſmodi noſtram Conſtitutionem, ac omnia, & ſingula in eis contenta, per quoſcumque etiam ſpeciali nota dignos, inviolabiliter obſervari ſub omnibus cenſuris, & pœnis, quæ in ſuperius relatis Prædeceſſorum noſtrorum literis imponuntur, & continentur; ſicque & non aliter in præmiſſis per quoſcumque Judices tam Ordinarios, quam Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, irritum quoque, & inane, quidquid ſecus ſuper omnibus, & ſingulis præmiſſis, vel circa ea a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, & aliis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, quibuſcumque conſuetudinibus, ac omnibus, & ſingulis illis, quæ dicti Prædeceſſores in præſatis eorum literis voluerunt non obſtare, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuſcumque aliis privilegiis, facultatibus, indultis, & literis Apoſtolicis, etiam motu proprio ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, & cum quibuſvis clauſulis, & decretis in genere, vel in ſpecie, & alias quomodolibet per Prædeceſſores noſtros Romanos Pontifices, ac etiam Nos conceſſis, innovatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecalis, ſpecifica, individua, & expreſſa, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes mentio, ſeu quævis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſervanda foret, tenores hujuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſervata, inſerti forent, eiſdem præſentibus pro plene & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, ad effectum præſentium, illis alias in ſuo robore permanſuris, ac vice duntaxat harum ſerie derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Volumus autem quod lapſis viginti diebus, poſtquam præſentes Valvis Eccleſiæ Lateranenſis, & Baſilicæ Principis Apoſtolorum, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex noſtris Curſoribus affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & ſingulos tam in Urbe, quam in Statu præfatia exiſtentes perinde obligent, & arctent, ac ſi unicuique eorum perſonaliter, & nominatim intimatæ fuiſſent; quodque earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu Notarii publici ſubſcriptis & ſigillo alicujus perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eiſdemmet præſentibus, ſi exhibitæ, vel oſtenſæ fuiſſent, adhiberetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc noſtrarum approbationis, confirmationis, innovationis, annullationis, mandati, conceſſionis, & extenſionis infringere, ſeu ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Domin. milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo ſecundo ſeptimo. Idus Maii Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Loco ✠ plumbi.

B. Card. Prodatarius.

J. F. Card. Albanus.

Viſa de Curia I. Sacripantes.

I. Ciampinus.

Conſtitutio SS. D. N. Benedicti Divina Providentia Papæ XIII. Qua San. M. Gregorii Papæ XIV. Literæ Apoſtolicæ certa excipientes delicta, & caſus, in quibus Inquiſiti Laici Eccleſiaſtica Immunitate gaudere non debent, confirmantur, declarnatur, & ad alia etiam delicta, & caſus extenduntur, ac ampliantur

tur: Necnon Curiis Ecclesiasticis forma in eorumdem Inquisitorum extractione a locis immunibus observanda præscribitur, cum aliis Ordinationibus, & clausulis derogationibus opportunis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

EX quo, divina disponente clementia, ad supremum universi Christiani populi regimen assumpti fuimus, considerantes debitum, quo obstringebamur, Ecclesiarum, Sacrorumque Locorum Immunitatem, sartam tectam, inviolatamque ubique custodiendi inter graviores suscepti Apostolici Ministerii curas merito recenseri; diu, multumque rationes, ac media Nobiscum expendere non omisimus, quibus ipsa Immunitas in pristinum venerationis, & reverentiæ locum restitui posset, ac in omnibus Orbis Catholici Regionibus ita observaretur, quemadmodum prisca illa Majorum nostrorum disciplina, & vetus Canonicarum Sanctionum norma præscripsit. Dum hæc sollicito animo revolveremus, in oculos primum incurrit celebris illa Constitutio a fel. rec. Gregorio Papa XIV. Prædecessore nostro edita, quæ incipit. *Cum alias*.. qua quidem Constitutione idem Gregorius Prædecessor pro Pastorali zelo suo hunc ipsum in scopum intendens, facultates & indulta a quibusdam Romanis Pontificibus, ac præsertim a S. Pio V., Prædecessoribus itidem nostris, tunc suis, concessa aliquibus Principibus, eorumque Officialibus, & Magistratibus extrahendi, ac abducendi ab Ecclesiis, aliisque locis immunibus certorum criminum Reos, & Delinquentes, reformavit, moderatusque fuit; Simul autem delictorum frequentiæ, unde publica tranquillitas maxime perturbatur, occurrere volens, ac impedire, quantum licebat, ne aliqua graviora a pravis hominibus patrarentur sub certa impunitatis spe, quam ex confugio ad loca immunia sibi parabant, nonnulla expressit, & explicavit crimina, & casus, in quibus laicos delinquentes Ecclesiastica Immunitate nequaquam gaudere voluit, & decrevit; ac insuper Judices constituit, qui in occurrentibus casibus, an delictum esset, nec ne in eadem Gregoriana Constitutione exceptum, cognoscere, & declarare deberent; certamque demum formam in extractione prædictorum delinquentium a locis immunibus observandam stabilivit, & inviolabiliter ab omnibus perpetuo observari mandavit, quemadmodum in prædicta Constitutione anno Incarnationis Dominicæ 1591. Nono Kal. Junii promulgata ulterius continetur.

Quoniam vero post editam hujusmodi Constitutionem ob varias Doctorum eam interpretantium sententias, & variam itidem Curiarum Ecclesiasticarum in illius executione praxim, multiplices contentiones super vero, rectoque eius sensu inter Ecclesiastica, & Secularia Tribunalia exortæ fuerunt; quamplures Romani Pontifices, ac præsertim piæ mem. Clemens IX. Clemens X., & Clemens XI. Prædecessores similiter nostri de præfatis contentionibus dilucida casuum exceptorum explicatione submovendis non semel, sicut accepimus, deliberarunt, facilioremque insuper eos probandi, & declarandi methodum, ut ejusdem Gregorii Prædecessoria mens plenius executioni demandaretur, Curiis Ecclesiasticis præscribere cogitabant; sed ab aliis distracti curis, ac interim morte præventi, destinata perficere nequiverunt. Hinc igitur est, quod Nos omnino expedire arbitrantes, ut ejusmodi controversiis finis aliquando imponatur, eorundemque Prædecessorum pio, atque salubri proposito inhærentes, Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, in primis providam memorati Gregorii Prædecessoris Constitutionem cum omnibus, & singulis in ea contentis, atque dispositis amplissime confirmamus, approbamus, & innovamus, & quatenus opus sit, criminum in illa exceptorum Reis, & delinquentibus Immunitatem Ecclesiasticam suffragari nequaquam debere iterum, ac de novo decernimus, & declaramus. Præterea non absque gravi animi Nostri dolore animadvertentes ob auctam, atque in dies invalescentem perversorum hominum malitiam sæpe, ac sæpius nonnulla alia gravia crimina perpetrari, quæ non minus, quam illa in Gregoriana Constitutione, ut præfertur, excepta, publicam quietẽ perturbant, perinde ac delinquentium audaciam, ac ejusmodi delictorum frequentiam, quantum fieri poterit, coercendam, pro Apostolici muneris nostri debito, ea, quæ inferius explicabuntur, statuenda censuimus.

Cum itaque prædicta Gregoriana Constitutione cautum sit, ut publicis Latronibus, viarumque Grassatoribus, qui itinera frequentia, vel publicas stratas obsident, aut viatores ex insidiis aggrediuntur, Immunitas Ecclesiastica minime suffragetur; non levis autem inter Doctores emerserit controversia, an quis ex unico actu publicus Latro, & Grassator dici possit, vel plures ad id actus requirantur: Nos ejusmodi controversiam dirimere intendentes, unicam tantum grassationem in via publica, aut vicinali admissam sufficere ad hoc, ut quis publicus Latro, & Grassator dici valeat, dummodo tamen Grassati mors, aut membrorum mutilatio secuta fuerit, tenore præsentium definimus, & declaramus.

Insuper ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excludimus, atque repellimus, & pro exclusis, atque repulsis haberi volumus nedum eos, qui homicidia, aut mutilationes membrorum in Ecclesiis, earumve Cœmeteriis committere audent, quemadmodum in Gregoriana Constitutione sancitum est; verum etiam eos, qui stantes in Ecclesia, vel Cœmeterio, interficiunt stantes extra Ecclesiam, vel Cœmeterium, aut iis membrum mutilant: ac eos tandem, qui Confugientibus vim inferunt, atque ipsos ab Ecclesia, aliove loco immuni violenter extrahunt, & abducunt: Declarantes in quatuor præmissis casibus ejusmodi Reos non illius tantum Ecclesiæ, quam violarunt, sed cujuscunque etiam alterius Ecclesiæ Immunitate gaudere nequaquam posse, aut debere.

Ad hæc in crimine Assassinii non modo Mandatarios, qui in ipsamet Gregoriana Constitutione aperte excipiuntur, sed etiam mandantes, qui certum præmium, aut mercedem sive in pecunia, sive in aliis rebus tradiderint, aut promiserint, quamvis promissio nullum habuerit effectum, dummodo Assassinium re ipsa patratum fuerit, ab Ecclesiasticæ

Immu-

Immunitatis beneficio excludimus , ac pro exclusis perpetuo haberi volumus , & mandamus .

Excludimus pariter , reppellimus , atque privamus ejusdem Immunitatis privilegio Interficientes Proximum suum animo præmeditato, ac deliberato: Falsificantes Literas Apostolicas ; Ministros Montis Pietatis , vel alterius Tellonii , aut Banci pro depositis Principis , privarumque personarum destinati , furtum , aut falsitatem in prædictis locis committentes , cujus ratione Arca pecuniaria ita minuatur , ut pœnæ ordinariæ locus sit : Conflantes , adulterantes, vel tondentes quascumque Monetas aureas , vel argenteas , etiam Principum exterorum , quotiescumque in loco , aut Provincia , ubi crimen admittitur, liberum habeant usum , & commercium : vel ipsas monetas conflatas , adulteratas , aut detonsas scienter ita expendere , & erogare præsumentes , ut fraudis conscii , atque participes censeri possint : Illos demum, qui sub nomine Curiæ sese introducunt in alias domos animo ibidem perpetrandi rapinas , easque re ipsa committunt cum homicidio , aut mutilatione membrorum alicujus ex domesticis earumdem ædium , vel etiam extranei , quem ibi forte reperiri contigerit , dummodo homicidium , vel membrorum mutilatio sequatur ,

Ceterum cum diuturna experientia compertum fuerit, Curias Ecclesiasticas in casibus , qui hactenus evenerunt , difficulter probare , & consequenter declarare potuisse delictum , pro quo quis ad Ecclesiam confugerat , fuisse comprehensum in numero exceptorum , propter variam earumdem Curiarum praxim , & varias pariter opiniones Doctorum , qui antedicti Gregorii Prædecessoris mentem quoad normam præscriptam recipiendi probationes , & procedendi ad declarationem criminum exceptorum , interpretari voluerunt, statuimus, præcipimus , & mandamus, nullam in hoc de cætero haberi rationem cujuscumque interpretationis ejusdem Gregorianę Constitutionis , quæ a quocumque Doctore prodierit, neque praxis a quibuslibet Curiis , aut Tribunalibus invectæ , imo nec quarumcumque declarationum , quæ ab hujus Almæ Urbis nostræ Tribunalibus, sive etiam a Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Immunitati Ecclesiasticæ præpositorum emanaverint , quatenus præsenti nostræ Constitutioni adversentur ; sed in occurrentibus casibus normam hic a nobis præscribendā inviolabiliter ab omnibus observari volumus, & sancimus.

Quotiescumque igitur Curia Ecclesiastica a Curia Sæculari fuerit requisita , ut Laicum aliquem delinquentem e loco immuni extrahi , ac illi consignari faciat , eaque super delicti excepti qualitate , ac personæ reiteratæ subministrata , vel acquisita sint indicia , quæ ad capturam decernendam sufficere videantur ; tunc Curia Ecclesiastica ad ejusdem Delinquentis extractionem ab Ecclesia , aliisve locis immunibus , ope , ac medio suorum Executorum , implorato etiam , quatenus opus sit , brachii secularis auxilio , & cum interventu Personæ Ecclesiasticæ ab Episcopo deputandæ , procedere teneatur , extractumque ad suos Carceres asportari , ac ibi sub tuta custodia detineri curet , & faciat . Ubi vero ex Processu informativo desuper conficiendo constet de crimine excepto , ac insuper ad versus eumdem Extractum talia resultant indicia , ut crimen ab eo fuisse patratum moraliter credi possit (quæ quidem indicia juxta regulas Juris vocantur ultra torturam) eo tandem casu præfatum Extractum Ministris , & Officialibus Curiæ Sæcularis tradere , & consignare possit, ac debeat , exacta tamen , receptaque prius ab ipsis obligatione in forma Juris valida restituendi Extractum Ecclesiæ sub pœna excommunicationis latę sententiæ Nobis , ac pro tempore existenti Romano Pontifici reservatæ , quatenus idem Extractus indicia contra ipsum acquisita in suis defensionibus purget , ac diluat . Quod si ea minime purgaverit , & vere delinquens repertus fuerit , Curiæ sæculari in ipsum tali casu , ut juris esse censuerit, agere , atque procedere liceat .

Præterea considerantes sæpedictum Gregorium Prædecessorem in sua Constitutione optimo quidem jure sanxisse, ut soli Episcopi , & non alii Episcopis inferiores , etiamsi locorum Ordinarii sint , aut nullius Dioecesis , aut Conservatores a Sede Apostolica specialiter , vel generaliter deputati , cognoscere , & declarare valeant , an delicta , pro quibus Inquisiti ad loca immunia confugerunt , & in eis se receperunt , sint , necne de genere , ac numero exceptorum ; Nos providam ejusmodi dispositionem approbantes , & confirmantes , eique inhærentes , Motu , scientia , ac potestatis plenitudine similibus , tenore præsentium quibuscumque Magistratibus , Officialibus , & Ministris Secularibus , necnon quibusvis aliis personis cujuscumque gradus , & conditionis existant , etiamsi Imperiali , Regia , Ducali, aut alia quavis mundana Dignitate , aut auctoritate præfulgeant , districte interdicimus , ac inhibemus , ne hujusmodi causis , vel conficiendo processus, vel Inquisitos extrahendo a locis immunibus , vel declarando Crimina ab eis admissa esse de exceptis in Gregoriana , aut in præsenti nostra Constitutione , ullo pacto sese ingerant , aut immisceant . Quod si secus quidquam attentare præsumpserint , ex nunc omnia in contrarium premissorum gerenda irrita , & inania , nulliusque roboris , vel momenti perpetuo fore , ipsosque attentantes in Censuras , & alias pœnas a Sacris Canonibus , & Constitutionibus Apostolicis adversus eos , qui Jurisdictionem Ecclesiasticam quoquo modo lędunt , ac violant , inflictas incurrere decernimus , & declaramus : volentes , intendentes , ac expresse mandantes , quod omnimoda cognitio , atque judicium de Criminibus in Gregoriana Constitutione exceptis , & a Nobis superius explicatis , tum etiam de aliis , quæ in præsenti nostra Constitutione adijcienda , & similiter excipienda duximus , quemadmodum , ut præfertur , adjecimus, & excepimus , ad Episcopos tantum , privative quoad omnes alios , perpetuo spectet , atque spectare debeat ; & donec ipsi in occurrentibus casibus declaraverint delictum esse de exceptis , & cætera omnia a Nobis superius constituta adimpleverint , Inquisitos Ecclesiæ , vel alterius loci sacri , ad quem confugerunt , immunitate gaudere tuto debere : ac in ea conservandos , & manutenendos esse statuimus, præcipimus , & mandamus .

Universos demum , & singulos Venerabiles Fratres nostros Patriarchas, Primates , Archiepiscopos, & Episcopos, quos hujus nostræ Constitutionis Executores deputamus , in visceribus Domini nostri Jesu Christi hortamur , & paterna auctoritate admonemus , ut quanti momenti sit hoc negocium , serio cogitantes in occurrentibus casibus qualitatem testium , & probationum pondus summo studio , ac vigilantia scrutentur , omnemque fraudem , dolum procul arcere satagant ; quin etiam Sacerdotali pectore , quotiescumque opus fuerit , iis omnibus obsistan-

sistant, qui ejusdem præsentis Constitutionis executionem, ac observantiam quomodocumque temerario ausu impedire præsumerent. In reliquis porro casibus tam in hac nostra, quam in Gregoriana Constitutione non exceptis, memores quam aeriter semper, & qua eximia, ac prorsus singulari animi fortitudine Majores nostri pro Ecclesiastica libertate, ac Immunitate pugnaverint, nihil de illa immінui permittant, neque sacris juribus labem ullam irrogari patiantur, sed ea pari sane zelo, atque constantia tueri curent; ab omni tamen tumultu, ac perturbatione caventes, ne jactantiæ causa potius, quam miserationis, & justitiæ titulo, Ecclesiastica Privilegia asserere velle videantur.

Decernentes easdem præsentes Literas, & in eis contenta quæcumque semper valida, firma, & efficacia existere, ac fore, suosque integros, atque plenarios effectus sortiri, & obtinere, ac omnibus, & singulis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter, & inconcusse observari; Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet, quavis præeminentia, & potestate fungentes, ac functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane si quid secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibuscumque Cancellariæ Nostræ Apostolicæ Regulis, necnon quorumcumque Prædecessorum nostrorum Literis Apostolicis, Privilegiis, Indultis, & facultatibus, quibusvis Personis etiam speciali mentione dignis, & quavis quantumcumque sublimi dignitate & auctoritate fulgentibus, & quibusvis etiam gravibus, ac urgentissimis causis, sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, illisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio facienda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, & occasiones, ac alia etiam speciali expressione dignas, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, ac servatis respective habentes, hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem præsentes Literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, & nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earam exempla ad Valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari; sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perinde arctare, & afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent: Utque ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis originalibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostræ voluntatis, sanctionis, declarationis, confirmationis, præcepti, decreti, mandati, prohibitionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romę apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicę millesimo septingentesimo vigesimo quinto, sexto Idus Junii Pontificatus Nostri anno Secundo.

F. Card. Oliverius.

P. M. Card. Pro-Datarius.

Visa de Curia I. C. Archiepiscopus Amasenus.

Loco ✠ Plumbi.

L. Martinetus.

Constitutio Benedicti Papæ XIII. Qua Depositarii, Arcarii, Custodes, Subcustodes, Exactores, Rationarii, Computorum scriptores, aliique Officiales & Ministri æris publici, & particularis, rem, & pecuniam alienam, sibi creditam, & depositam, usurpantes, ac damno publico, & privato fraudantes, vel usurpari, & fraudari scientes, tanquam infames, ac veri fures, & latrones, debitis pœnis ultimi supplicii tam in Urbe, quam in toto Statu Ecclesiastico, lege lata subjiciuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

JAmdudum non sine ingenti dolore aures nostras perturbat frequens rumor de nonnullis in hac alma Urbe nostra alieni æris, & pignorum Depositariis, Arcariis, Custodibus, Subcustodibus, Exactoribus, Rationariis, & Computorum scriptoribus, aliisque huius generis Officialibus, & Ministris, qui fide sibi data, suique muneris commodo nefarie abutentes, ut voluptatibus, aliisque execrandis male agendi occasionibus, causisque, improbe obtemperarent, vitiisque alacrius, & liberius indulgerent,

rum

rem ac pecuniam sibi creditam, & depositam, inque arca servatam, pro arbitrio usurpantes, pignora apud se custodita iterum oppigneraverint: quod non solum in Cameræ nostræ Apostolicæ, sed in Montis Pietatis, & publicarum ad nummularios pertinentium mensarum, ceterorumque locorum, & piorum operum damnum longe gravissimum redundavit, propterea quod infames, & fraudulenti hujusmodi Officiales, qui rem suam decoxerant, omnino impares essent integrandis, & restituendis pecuniis, quas ipsi, proprio, vel alieno commodo inservientes, antea pessumdedissent, scientibus, & de compacto cum iis participantibus, doloque operam suam conferentibus rationariis, computorum scriptoribus, subscriptoribus, aliisve earumdem mensarum, & locorum piorum Ministris, & Officialibus.

Nobis etiam innotuit, jamdictos officiales, maximæ suæ temeritati confisos, ut actionem criminalem vaferrime declinarent, vel saltem sua crimina callide palliarent, seque justis poenis, in quas incurrissent, prava arte subducerent, permultos speciosos, & omnino falsos prætextus excogitasse, quibus judicium impedirent, poenasque effugerent, quas ob suas culpas se mereri, optime ipsi agnoscebant.

Nos propterea, quibus ex pastorali officio, humilitati nostræ divinitus injuncto, maxime incumbit invigilare, & sollicite providere, ne hujusmodi crimina impune committantur; opportunum, & necessarium duximus his de rebus sententiam exquirere a nobis speciatim indictæ particularis Congregationis nonnullorum hujus nostræ Curiæ Romanæ præsulum, multa rerum cognitione, integritate & doctrina præstantium, quorum sæpe numero coram dilecto filio nostro Hannibale Tituli sancti Clementis Presbytero Cardinali, & S. R. E. Camerario congregatorum, suffragiis ad Nos accurate perlatis, undequaque inhærentes, in ejusmodi fraudulentos ministros acriter insurgendo, ipsumque juris rigorem etiam acriorem efficiendo, justum in eos judicium promulgare decrevimus.

Nos ergo vestigiis decessoris nostri Pii Papæ V. insistentes, qui præ ceteris in sua Constitutione incipiente, *Postquam*, Kalendis Novembris anni millesimi quingentesimi septuagesimi, in lucem edita, decoctores, luxoriose viventes, propriisque absumtis substantiis, aliena appetentes, qui variis coloribus grande æs alienum, spe restitutionis faciendæ extorquentes, proximo suo illudunt, ceu veros fures, & latrones, ultimo supplicio puniendos mandavit, hac nostra perpetuo observanda Constitutione in quoscumque hujus generis delinquentes paribus quoque poenis, tamquam in veros fures, & latrones, animadvertendum esse decernimus: idque effectu ipso omnino fieri volumus, & mandamus.

Itaque statuimus, & jubemus, ne ullus ex depositariis, vel arcariis æris publici Cameræ nostræ Apostolicæ, & præsertim depositariæ generalis, vectigalium generalium, & particularium, utriusque Annonæ, frumentariæ nimirum, & Grasciæ vulgo dictæ, Depositariæ Urbanæ, Montisque Pietatis, ac mensæ Sancti Spiritus, & Datariæ Apostolicæ, summam quantulamcumque ejusmodi æris, & pecuniarum in suum, vel alienum commodum quovis modo convertere umquam possit, inque usum ab eo diversum transferre, ad quem generatim in iisdem locis, tamquam sub tuta, & fideli custodia, servantur; itaut si aliquis ex jamdictis depositariis, & arcariis hanc legem nostram quomodocumque prævaricatus, eamdem pecuniam in usum, & commodum proprium, vel alienum convertere ausus fuerit, tamquam reprobus, & infidelis minister, interque infames, & rei publicæ proditores connumerandus, damnari, & puniri possit ac debeat, ut gravissimi furti, & latrocinii reus, secundum leges communes, & Romanæ Urbis, statusque Ecclesiastici edicta, contra latrones jam promulgata, ratione habita pecuniarum, quas in suum, vel alienum usum & commodum clam, & furtive convertit; idque ad easdem regulas in iisdem Edictis etiam in furto magno præscriptas fieri debeat; quotiescumque tamen Camera nostra Apostolica, vel quispiam ex locis piis, ac mensis supradictis, & quilibet Dominus, ac creditor pecuniæ, vel rei depositæ, damnum subiisse compertus fuerit. Ubi vero nullum damnum illatum inde fuerit, nihilominus jamdicti depositarii, & arcarii, inter ipsam s habendi, ob culpam infidelitatis, duplicata poena pecuniaria summæ, quam in suum, vel alienum commodum converterint, puniri debeant. Sed præterea poenis etiam corporalibus gravibus, & gravissimis, arbitrio judicum cumulate plectantur, ratione habita qualitatis, & circumstantiarum singulorum casuum, & factorum, quas deprehendi contigerit.

Similiter volumus, decernimus & jubemus, ne computorum & rationum scriptores Montis Pietatis, & mensæ Sancti Spiritus recipere, aut recipiendum, & solvendum curare, vel facere possint quodcumque mandatum, vel scriptum illorum, qui nullas pecunias re ipsa ibidem depositas, vel servatas habuerint. Si autem habuerint, eadem mandata & scripta recipi, & solvi possint pro ea tantum summa, quæ deposita ibidem extiterit. Quod si jamdicti computorum scriptores, & rationarii contrafecerint, tunc in eos procedi possit & debeat poenis, a Nobis in arcarios & depositarios statutis.

Præterea sancimus, & declaramus, hæc, quæ a Nobis lata lege disponuntur, in eos pariter locum habere, qui auxiliatores, cooperatores, & quocumque alio modo conscii, complices ac participes infidelitatis eorumdem arcariorum & depositariorum extiterint: qui quidem conscii, complices ac participes, secundum suam complicitatem & participationem in singulis factis & casibus, iisdem poenis omnino puniri debeant, quibus puniendi essent, vel punirentur præcipui & principales rei, eadem forma, quæ statuta reperitur in publicis edictis superius memoratis, contra reos cooperatores, auxiliatores, complices & participes olim vulgatis.

Quia vero gravissimum esset crimen infidelitatis, ab iis computorum scriptoribus & rationariis commissæ, qui, ut facilius pecuniam, sub bona & publica fide sibi creditam & depositam, in proprios, vel alienos usus converterent, vel curarent, ut ab aliis converti posset, sive alia quacunque de causa, in consuetis codicibus & libris, ut scripturarum regula ab ipsis pro illorum officio bene exercendo postulat, nomen vel nomina depositorum nequaquam describerent; hac Nostra pagina, perpetuum robur habitura, declaramus, decernimus & statuimus, singulos & quoscunque rationarios & computorum scriptores, qui hoc modo in suo officio exercendo peccasse, vel factum simile fraudis & infidelitatis commisisse, vel committendum curasse comperti fuerint, vel qui cujuspiam nominis veritatem describendo, seu minorem summam ea, quæ vere

depoſita eſſet, tam Noſtræ Cameræ Apoſtolicæ, quam alterius cujuſcunque domini, & creditoris pecuniæ depoſitæ, in codicibus & libris deſcripſiſſent, damno, in re ſequuto, vel non ſequuto, judicari, & re ipſa puniri debeant ad regulam & gradum pœnæ pecuniariæ & corporalis, ſuperius impoſitæ in factis & caſibus contra depoſitarios & arcarios, ſecundum qualitatem & circumſtantias eorum inflictis. Ad hæc ſancimus & ſtatuendo declaramus, factum commiſſionis vel omiſſionis, tanquam doloſum & fraudulentum, ſemper habendum, maloque animo & fine cogitatum, quotieſcumque culpæ obnoxius contrarium non probaverit, & conſtare curaverit.

Ne autem exactores camerales, ii præcipue, qui in vectigalibus generalibus, & particularibus utriuſque annonæ, frumentariæ & graſciæ, inque Monte Pietatis, & menſa Sancti Spiritus pecunias a debitoribus exigere, exactaſque principalium dominorum arbitrio ſervandas, deponere debent, fide ſibi data, ſuique officii commodo abuti, ſive æs & pecunias exactas, perque eos non depoſitas, in ſuum vel alienum commodum convertere unquam poſſint, præſentium tenore diſtricte mandamus, ut totas integre, & prompte, quemadmodum ex officio tenentur, ſtatimac per illos exactæ fuerint, deponere debeant, decernentes, ut qui eas non depoſuerint, vel in alienos uſus pro arbitrio converterint, ſecuto in re, vel non ſecuto damno Cameræ noſtræ Apoſtolicæ, vectigalium utrinſque annonæ, frumentariæ, nimirum & graſciæ, Montis pietatis, & menſæ ſancti Spiritus, in ſingulis caſibus ſevero judicio judicentur & puniantur ad legem & normam a Nobis decretam & ſtabilitam contra depoſitarios, arcarios, rationarios & computorum ſcriptores, ut ſupra.

Volentes etiam pro Noſtris viribus impedire, ne fraudes, quæ compluries factæ fuerunt in cuſtodia pignorum Montis Pietatis, rurſus imposterum fiant & committantur, præſentium tenore jubemus, cuſtodes & ſubcuſtodes pignorum ejuſdem Montis, æque ac judicialium depoſitariæ Urbanæ, æſtimatorum, ſubæſtimatorum, aliorumve miniſtrorum, ad ſervitium pii operis Montis Pietatis in memorato officio depoſitariæ Urbanæ electorum, qui fide ſibi data, commodoque, quod eis proprium munus ſubminiſtrat, inique abutentes, clam & doloſe pignus aliquod, etiam parvi pretii, ſubtraxerint, vel ex una cuſtodia in aliam tranſtulerint priuſquam, vel poſtquam oppigneratum fuerit, illudque ſibi uſurpaverint, vel aliis tradiderint, inque alia cuſtodia oppigneraverint, vel ejus ſpeciem & qualitatem immutaverint, remve oppigneratam confinxerint, ſive unam pro alia deſcribentes, dolum & fucum fecerint, fraudemve quamcumque, falſitatem, aliamve ſimilem actionem circa dicta pignora commiſerint, ipſo facto pœnam ultimi ſupplicii incurrere debeant, nulla eis excuſatione ſuffragante, etiam parvi pretii & valoris rei, in qua delictum commiſerint. Judices vero in pœna ferenda qualitatem & circumſtantias facti reſpicient.

Decet quammaxime, ut præ oculis noſtris ſimiliter debitum ſollicitudinis habeamus, quod Nobis, ut in ceteris, incumbit erga opera & loca pia, quorum Nobis, ut patri & tutori, cuſtodia commiſſa eſt. Quare præſentibus Noſtris volumus & ordinamus, ut omnes depoſitarii, ſyndici, rationarii & exactores eccleſiarum, capitulorum, collegiorum, domuum, conventuum, monaſteriorum regularium utriuſque ſexus, & cujuſcumque loci & operis pii, vel congregationis, aut capituli, qui in proprio officio & miniſterio exercendo, aliquam ex prædictis actionibus & fraudibus committentes, quæ damnantur & puniuntur in depoſitariis, arcariis, rationariis & exactoribus Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ, in vectigalibus generalibus & particularibus, utriuſque Annonæ, frumentariæ & graſciæ, ac Montis Pietatis, menſa Sancti Spiritus, & depoſitaria Urbana inſervientibus, aliiſve officialibus ſupra commemoratis, quovis modo deliquerit, omnes & ſinguli iiſdem pœnis cum ſuis complicibus omnino ſubjaceant, quæ in eoſdem depoſitarios, arcarios, exactores camerales, alioſque ſuperius nominatos inflictæ fuerunt, itaut de utriſque par judicium feratur, iiſdem modis, & formis, quæ ſuperius præſcriptæ fuerunt.

Quia vero zelus juſtitiæ, quo intus incendimur, Nos monet, ut has proviſiones noſtras pleniſſimo effectui mandandas quamprimum curemus, Nos ſupradictis reis omnia ſubterfugia & prætextus eripere decrevimus, quos ſæpenumero judicium criminale ſagaciter declinaturi, vel rigorem pœnarum vitaturi, ſtudioſe conquirunt, mala & falſa quarumdam regularum legalium interpretatione freti, quas ſuis factis peſſime aptant; propterea decernimus & ordinamus, ne ullus ex jamdictis depoſitariis, arcariis, exactoribus, rationariis, ſyndicis & cuſtodibus, aliiſve ex nominatis officialibus & miniſtris, qui quocumque modo contrafecerit, & quamcumque ex memoratis, expreſſe illicitis, vetitis ac criminoſis actionibus commiſerit, unquam poſſit eſſe vel haberi immunis, & liber ab actione criminali, & eo minus excuſari in aliqua parte delicti, neque abſolvi, aut liberari a quacumque pœna ſub prætextu cujuſvis ſecuritatis ab eo datæ pro indemnitate Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ, Montis Pietatis, menſæ Sancti Spiritus, vel alterius loci, piique operis prædictorum. Nullo pacto etiam ei poſſit aut debeat ſuffragari ſpecioſum velamen adminiſtrationis, calculorum faciendorum, & rationum non redditarum, ſimileſque emendicatæ exceptiones, & prætextus: quæ omnia frivola, levia, leviſſima, & nullius vis & momenti eſſe declaramus, tanquam dolo malo delinquentium ſuggeſta & excogitata. Quotieſcumque ergo aliquis alienam ejuſmodi pecuniam in proprium vel alienum uſum & commodum convertere auſus fuerit, vel ei ſolvendam curaverit, qui in Monte Pietatis, vel in menſa Sancti Spiritus nullam antea pecuniam vere depoſuerit, quive rei & pecuniæ depoſitæ & exactæ eſſe debitor deprehenſus fuerit, atque impos comperius rei ablatæ ſtatim & ſine ulla mora reſtituendæ, de eo, tanquam de homine infami ac vero latrone, judicabitur, & omnino ad diſpoſitiones edictorum punietur, ut dictum eſt ſupra, nulla ei prædictarum, & ſimilium diſpoſitionum pacto ſuffragante.

Si aliquis ex ſupradictis miniſtris, officialibus, depoſitariis, arcariis, exactoribus, ſyndicis, aliiſve ſuperius nominatis debitor extiterit, inque aliquod ex delictis jam expreſſis inciderit, aliena pecunia depoſita, exacta, vel in arca ſervata pro arbitrio ſuo uſus, rationario, & computorum ſcriptore id ſciente, nec præſidi, & ſuperiori patefaciente, cui ea omnia patefieri volumus; tunc rationarius, etiamſi facti conſcius non fuerit, pœnis etiam corporalibus & graviſſimis, ad qualitatem & circumſtantiam facti puniatur, niſi clare, & evidenter oſtenderit, ſe rem eidem præſidi, & ſuperiori antea patefeciſſe.

Quia noſtra intentio fuit, & eſt, præſenti Conſtitutione providendi Cameræ noſtræ Apoſtolicæ atque

homi

hominum sanctæ Romanæ Ecclesiæ imperio subditorum indemnitati, non tam pro factis in hac nostra alma Urbe imposterum, fortasse eventuris, quam pro quibuscumque aliis, quæ in toto Statu Ecclesiastico, tam mediate, quam immediate Nobis, & huic sanctæ Sedi Apostolicæ subjecto, comprehensis etiam quatuor S. R. E. Legationibus, Bononiæ, Ferrariæ, Romandiolæ & Urbini, evenire possint; ideo volumus & decernimus, ut hæc eadem Constitutio nostra in omnibus & singulis suis partibus & dispositionibus, inque omnibus & singulis casibus, & factis in ea comprehensis & expressis, locum, robur, vim, & vigorem habere, & plenæ executioni mandari debeat, etiam extra hanc almam Urbem nostram, in omnibus Civitatibus, & locis Status Ecclesiastici; itant delinquentes in iisdem quatuor Legationibus severo judicio judicentur secundum leges & Edicta, quibus in iisdem legibus judicantur & puniuntur latrones, & ad normam & tenorem præsentis nostræ Constitutionis, ut decrevimus & ordinavimus supra.

Quandoquidem pariter nostra intentio omnino est, ut provisiones hucusque memoratæ, inque hac alma Urbe nostra, totoque Statu Ecclesiastico vim habituræ, pro nostra Camera Apostolica, Monte Pietatis, mensis publicis, locis & operibus piis unam eamdemque vim & robur semper obtineant, culpasque, fraudes & damna impedire debeant, quæ in præjudicium Communitatum totius Status Ecclesiastici committi possint; hinc Nos in casibus & factis congruis mandamus & ordinamus, ut omnes & singulæ dispositiones, superius expressæ, locum habeant contra exactores, camerarios, depositarios, aliosque ministros & officiales cujuslibet Communitatis nostri Status Ecclesiastici, aliquam ex prædictis actionibus & delictis committentes, contra quos propterea judicari, & procedi debeat, non auditis, neque attentis frivolis exceptionibus & prætextibus superius enumeratis; scilicet ea forma & modo, quæ contra officiales, & ministros Camerales, aliosque superius nominatos præscribuntur.

Quamvis ordinamenta & sanctiones præsentibus literis nostris hactenus recensitas, contra delinquentes in casibus imposterum eventuris promulgaverimus; non ideo tamen intendimus a debitis pœnis, justisque animadversionibus eximere eos rationarios, computorum scriptores, arcarios, exactores, custodes, depositarios, syndicos, camerarios, aliosque officiales & ministros jam enunciatos Cameræ nostræ Apostolicæ, vectigalium generalium & particularium utriusque Annonæ, frumentariæ nimirum & Grasciæ, Montis Pietatis, mensarum publicarum, Datariæ Apostolicæ, Depositariæ Urbanæ, & Communitatum Status nostri Ecclesiastici, qui olim quomodocumque aliquam ex supradictis actionibus & fraudibus commisissent, de quibus facta est mentio in omnibus & singulis casibus expressis. Volumus enim, ut iidem ob delicta olim commissa iisdem pœnis omnino puniantur, quæ secundum leges communes vel municipales, & edicta locorum & provinciarum contra tales fraudatores & delinquentes inflictæ essent.

Itaque pro omnium & singulorum præmissorum celeri & omnimoda executione mandamus dilecto filio nostro S. R. E. Cardinali Camerario, necnon Thesaurario generali Cameræ nostræ Apostolicæ, nunc & pro tempore existentibus, ut contra omnes & singulos prædictos ministros & officiales, qui aliquod ex memoratis delictis in damnum & præjudicium ejusdem Cameræ nostræ Apostolicæ directe vel indirecte redundans, illorumque officia respiciens, quoquo modo, ut dictum est supra, commiserint, aut committi & perpetrari curaverint, vel in illorum perpetratione rem & complicitatem aliquam habuerint, cujuscumque conditionis & qualitatis extiterint, videlicet tam seculares, quam ecclesiasticos, & quomodolibet privilegiatos & exemptos, ad debitas in eos pœnas, tam per se, quam per suos Locatenentes, Judices, atque alios arbitrio illorum, prout necessitas casuum exegerit, in partibus etiam delegandos & subdelegandos, procedant, procedique mandent, & juxta præsentem nostram Constitutionem, justitia mediante, deveniant, & deveniri faciant.

Injungimus itidem pro ulteriori præmissorum implemento, tam hujus almæ Urbis nostræ Gubernatori, & Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali Auditori, ceterisque Urbis Judicibus, ad quos de jure spectat; quam omnibus etiam & singulis nostris, & Sedis Apostolicæ in quibuscumque provinciis, legatis, & vicelegatis, necnon quarumcumque civitatum, terrarum, oppidorum & locorum, Nobis & eidem Sedi, tam mediate, quam immediate subjectorum, gubernatoribus, prætoribus, capitaneis, commissariis & aliis quibuscumque judicibus, quavis, etiam subdelegata potestate fungentibus, ut præsentes nostras inviolabiliter in suis judiciis observent, necnon contra delinquentes prædictos, suæ jurisdictioni subjectos, ad formam earumdem præsentium omnino procedant, omniaque in eisdem literis contenta plenariæ executioni demandent.

Postremo decernimus, has literas nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu notari, minusque sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus comprehendi, vel illis derogari ullo modo tacite, vel expresse unquam posse, nisi de illis, earumque totis tenoribus, ac datis de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio & expressio facta fuerit, aliterque factas derogationes nullius roboris, & momenti fore, & tanquam tales a nemine attendi, nec ulli suffragari posse: atque ita per quoscumque judices tam ordinarios, quam delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, & de latere legatos, judicari & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi & interpretandi facultate; decernentes irritum & inane quidquid secus in præmissis, & quolibet præmissorum, atque hac nostra Constitutione contentorum & statutorum, vel circa ea a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari; non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, legibus, ac Urbis, & Romanæ curiæ tribunalium, aliarumque curiarum nostri ecclesiastici status, ac legationum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, stylis & consuetudinibus, quas, si quæ forent, per præsentes improbamus, nullasque & invalidas esse declaramus; privilegiis quoque, indultis & literis Apostolicis in contrarium præmissorum forsan quomodolibet concessis, approbatis & innovatis. Quibus omnibus & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia ex-

expressio habenda, aut aliqua exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihilo penitus omisso, & forma in illis tradita, observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene & sufficienter expressis & insertis habentes, ad effectum præsentium, illisque alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut elapsis tribus respectu dictę nostrę Urbis, & quindecim diebus respectu totius prędicti nostri status Ecclesiastici, postquam præsentes valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum ejusdem Urbis, & in Acie campi Floræ per aliquem ex nostris Cursoribus affixæ, & publicatæ fuerint, omnes & singulos, tam in Urbe, quam in toto statu Ecclesiastico, & legationibus existentes, perinde obligent & arctent, ac si unicuique eorum personaliter & nominatim intimatæ fuissent, utque earum transumptis, etiam impressis, manu notarii publici subscriptis, & Sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ eisdemet præsentibus, si exhibitæ vel ostensæ essent, adhiberetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, sanctionis, legis, statuti, decreti, declarationis, dispositionis & jussionis infringere, vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Apostolorum Petri & Pauli se noverit incursurum.

Datum Romæ apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo nono VI. Kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno sexto.

J. B. Archiepiscopus Nisibenus Subdatarius.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

Lucas Martinettus.

R gistrata in Camera Apostolica.

Antonius Cajetanus Frosius R. C. A. Sec.

Constitutio SS. D. N. Clementis XII. Pont. Max. contra Homicidas, ac deferentes Arma prohibita in Alma Urbe, & reliquo statu Ecclesiastico.

CLEMENS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

IN Supremo Justitiæ solio, meritis licet imparibus, per ineffabilem Divinæ Sapientiæ, atque bonitatis abundantiam constituti, tametsi Subditos nostros Charitatis potius vinculo, quam Legum severitate in Officio continere semper optavimus, considerantes tamen erebra, quæ in temporali S. R. E. Ditione, ac etiam in hac Alma Urbe nostra patrantur Homicidia, ac succrescentem in dies Virorum Sanguinum immanitatem, qui posthabitis gravissimis Prædecessorum nostrorum Sanctionibus, ac omnis divini, humanique Juris plane obliti, quinimo vel Feris ipsis animantibus, utpote in genus suum minime sævientibus crudeliores, passim sævissima etiam quandoque de causa Proximum suum depascuntur, ejusque cruore quasi musto inebriantur, nedum Corporibus mortem inferentes, sed non raro Animabus quoque pretiosissimo Domini, & Salvatoris Nostri Jesu Christi Sanguine redemptis (si non sint armis spiritualibus divina pręveniente gratia munitæ) æternam perditionem procurantes; cogimur, licet inviti, nova, validioraque quærere, & adhibere remedia, quibus tam exitiale, ac detestabile flagitium de eadem Urbe, ac finibus universæ Ditionis præfatæ, cujus peculiaris cura, ac tutela Nobis a Domino commissa est, propulsetur, atque exterminetur: Eas in primis ineundo rationes, per quas omnis spes, ac fiducia impunitatis, quæ illecebra peccandi per sæpe esse solet, Delinquentibus adimatur, ut quos a tam atroci scelere nec Dei timor, neque humana necessitudo, nec fraterna charitas retrahit, pœnarum temporalium, sibi quocumque præcluso effugio, ac evadendi aditu, necessario subeundarum formidine deterriti, tandem ab effundendo Proximi sui sanguine manus abstineant.

Hinc est, quod Nos non minus ex injuncto Nobis divinitus Apostolicæ sollicitudinis munere, quam publicæ tranquillitatis, ac securitatis studio, multorumque ad Nos identidem delatis querimoniis excitati, post maturam, quam super ea re cum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, & dilectis Filiis Romanæ Curiæ Prælatis, ad id a Nobis specialiter deputatis, qui rem ipsam jussu nostro diu, atque accurate discusserunt, habuimus deliberationem, de illorum consilio, ac etiam motu proprio, & ex certa scientia Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hæc in Urbe prædicta, aliisque Civitatibus, Terris, Locis, Nobis, & eidem S. R. E. in temporalibus mediate, vel immediate subjectis, perpetuo valitura Constitutione, quæ infra sequuntur, ut serpenti morbo hujusmodi occurramus, statuenda, & ordinanda duximus.

Ac primum quidem omnes, & singulas Constitutiones a fel: rec: Pio II., Paulo II., Sixto IV., Julio II., Leone X., Clemente VIII., Julio III., Pio IV., Pio V., Gregorio XIII., Sixto V., Gregorio XIV., Innocen. XI. Innocen. XII., ac Benedicto XIII., & quibusvis aliis Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris adversus Homicidas saluberrime editas (quarum tenores præsentibus literis pro plene, & sufficienter expressis, de verbo ad verbum insertis haberi volumus) cum omnibus, & singulis in eis contentis, quæ ipsis præsentibus contraria non sunt, harum serie approbamus, confirmamus, & innovamus, illasque adversus quemcumque non usum, seu contrarium usum, qui quovis modo prætendi, vel allegari posset, restituimus, & plenarie reintegramus, atque deinceps omnino, ac inviolabiliter observari præcipimus, & mandamus

Et quia haud satis est delicta prohibere, nisi etiam quę illa patrandi occasionem, ac commoditatem præbent, provide submoveantur, omnes propterea, & quascumque prædictorum, ac præsertim Pii IV., & Pii V., necnon rec. mem. Alexandri Papæ VIII., quarum initium est: *Etsi Cuncta &c.* Aliorumque Antecessorum literas, & ordinationes, quibus vetantur delatio, retentio, & venditio sclo-

pulo-

pulorum .. *Archibusetti*.. vulgariter nuncupatorum, Pugionum, Cultrorum, parvarum Sicarum, aliorumque Armorum mensuræ brevioris tribus palmis, utpote ad cædem clam, & dolose inferendam aptorum, prout quoque Edictum Kalendis Januarii MDCCIII. de mandato piæ memoriæ Clementis Papæ XI. Prædecessoris quoque Nostri promulgatum, cæteraque Bannimenta hucusque publicata, antedicta, aliave similis, vel alterius generis Arma in Urbe, ac Ditione præfatis sub diversis etiam capitalibus pœnis prohibentia (quæ itidem præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis haberi volumus) ac omnia, & singula in eis contenta similiter approbantes, ac innovantes, ne pœnarum per eorumdem Decessorum literas, Edictum, & Bannimenta adversus illorum transgressores cujusvis in illis expressæ qualitatis, & conditionis fuerint, statutarum executio ullatenus impediatur, tenore præsentium districte interdicimus quibuscumque Tribunalibus, Magistratibus, ac Judicibus tam Urbis præfatæ, quam aliarum Civitatum, Terrarum, & Locorum Nobis, & Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjectarum, ac quibusvis ejusdem S.R. E. Cardinalium Congregationibus qualibet quantumvis ampla potestate, & auctoritate suffultis, perinde ac ipsis S. R. E. Cardinalibus etiam de latere Legatis, ne in causis delationis, ac retentionis istiusmodi Armorum ulli Delinquenti pœnas, quas quomodolibet incurrerunt, gratiose remittant, aut componant, ac vel in minima etiam parte moderentur, sed ea dumtaxat, quæ stricti juris fuerint, juxta precisam formam, & dispositionem Literarum, Edicti, & Bannimentorum præfatorum decernant, & exequantur. Quod si ex peculiaribus quandoque facti circumstantiis, vel ex qualitate personarum, gratiæ, compositioni, aut pœnæ moderationi locum esse, æquitate ita suadente, prudenter existimaverint, nihilominus neque tunc ad concessionem gratiæ, compositionem, aut moderationem pœnæ devenire possint, nisi prævia nostra, ac Romani Pontificis pro tempore existentis expressa approbatione, sub nullitate gestorum, ac inde sequutorum, & quoad Judices præfatos sub pecuniariis insuper, aliisque etiam corporalibus, nostro, & ejusdem Pontificis arbitrio infligendis pœnis, memoratisque Cardinalium Congregationibus, ac Cardinalibus etiam de latere Legatis quamcumque facultatem, quæ eis de jure, usu, vel consuetudine, seu alias quomodolibet competere posset, in dictis Causis delationis, aut retentionis Armorum arbitrandi, gratiam impertiendi, & componendi, ac moderandi pœnas hujusmodi, harum serie abrogamus, & revocamus.

Præterea, sicuti in Bannimentis generalibus pro Urbe præfata, ac universo Statu nostro Ecclesiastico editis cavetur, Homicidas non excusari a pœna ordinaria, etiam pro homicidio in rixa commisso, si ex processu constiterit, rixam ex causa irrationabili, seu bestiali, ut vocant, ortam fuisse, ita quia tantum Legibus addendum venit, quantum rixarum, & homicidiorum frequentia excreverit, statuimus, ut in Urbe, ac quibuscumque Civitatibus, Terris, & Locis Nobis, & Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjectis prædictis, comprehensis etiam quatuor Legationibus, ac Civitatibus Bononien., Ferrarien., & Beneventan., aliisque etiam specialem, & individuam mentionem requirentibus, Occisor pœna pariter ordinaria puniatur, licet homicidium sequutum sit in rixa, si homicida rixæ auctor fuerit: atque calor iracundiæ a pœna ordinaria delinquentem nusquam eximat, ubi inter tempus rixæ, ac patratum homicidium sex horarum spatium intercesserit, quod sufficere volumus, ut Reus ad actus extraneos diverterit, vel divertisse debuerit; declarantes quod, ubi luculenter ex processu hujusmodi constiterit in actu homicidii nullam adfuisse rixam inter occisum, & occisorem, nec pro parte Occisoris probetur, intra dictum intervallum sex horarum homicidium immediate precedentium aliquam ortam fuisse rixam, Interfector pœnæ ordinariæ omnino subjiciatur. Neve prætextu erroneæ, & nunquam approbatæ consuetudinis, sive interpretationis, quispiam decipiatur, ad omnium, & singulorum memoriam serio revocamus, prædicta pœna ordinaria teneri nedum ore proprio homicidium confessos, sed etiam qui de commisso homicidio juxta juris Canonici, ac Civilis dispositionem, quam in cæteris quibuscumque delictis sartam, tectamque fore volumus, convicti fuerint, quibusvis prætensis usu, & stylo, rebusque judicatis in contrarium minime attentis.

Cumque ad reprimendam sanguinariorum hominum audaciam, quæ jam tunc invalescebat, idem Innocentius XII. Prædecessor in supradicta sua Constitutione incipien. .. *Viros sanguinum &c.* .. inter alia expresse ac omnino prohibuerit, inquisitos, processatos, condemnatos, aut bannitos, sive uti principales, sive uti mandantes, vel mandatarios, sive uti complices, aut auxilium, aut consilium, vel favorem præstantes ex causa, seu occasione homicidii, pro quo pœna ordinaria, vel extraordinaria imposita fuisset, seu imponenda foret, & quos quibuscumque futuris temporibus similiter inquiri, processari, condemnari, seu banniri contigisset in Urbe, & universa Ditione Ecclesiastica, nullo unquam tempore, vel modo, ex aliqua gratia, seu compositione, vel per viam cassationis Processus remitti, seu quoquomodo gratiose rebanniri, habilitari, seu cum eis dispensari, minusque illis aliquem salvum conductum, seu liberum commeatum (præterquam pro vero, reali, & necessario servitio Justitiæ, & tunc pro eo dumtaxat tempore, quod hujusmodi servitio congrueret) concedi per quoscumque Civitatum, & Locorum præfatorum Gubernatores, Provinciarum Rectores, dictæ Romanæ Ecclesiæ in temporalibus Vicarios, & Justitiæ Officiales, & quoscumque alios quamvis speciali, & individua mentione dignos, ac etiam ipsos Cardinales de latere Legatos, quorum tamen respectu dictam suam Constitutionem locum habere decrevit in homicidiis animo doloso, & præmeditato commissis. Quamvis nulla suboriri possit dubitatio, quin prædicti Cardinales de latere Legati pro eorum eximia Dignitate, ac laudabili Justitiæ zelo semper ea, qua decebat moderatione, ac prudenti circumspectione antehac usi sint facultate sibi præservata, quoties de homicidiis in rixa, aut alias sine animo doloso, & præmeditato sequutis actum fuit; attamen quia præconcepta spes veniæ consequendæ perversos homines animosiores, proniores que reddit ad rixas, & contentiones excitandas, & confovendas, earumque calore cædes patrandas, quo damnabilis hæc præsumptio ex eorum animis penitus evellatur, eorumque sævitia irremissibilium pœnarum metu compescatur, enarratam Constitutionem, ac prohibitionem, quam idem Innocentius XII. Prædecessor quoad Cardinales de latere Legatos in homicidiis animo doloso, & præmeditato locum sibi vindicare voluit, sicut præmittitur,

titur, ad homicidia etiam in rixa, & sine præmeditatione commissa præsentes extendimus, & ampliamus, itaut de cætero non liceat eisdem Cardinalibus de latere Legatis, neque etiam ipsis Cardinalium Congregationibus, sine Nostro, & Romani Pontificis pro tempore existentis speciali Mandato inquisitos, processatos, & condemnatos, aut bannitos ex causa, vel occasione homicidii etiam in rixa, & absque præmeditatione patrata, ex gratia, seu compositione, vel per viam cassationis Processus remittere, seu gratiose rebannire, habilitare, seu cum eis dispensare, neque illis aliquem salvum conductum, præterquam pro vero, reali, & necessario servitio Justitiæ, & tunc pro eo dumtaxat tempore, quod hujusmodi servitio congruat, concedere, etiamsi pacem ab hæredibus, vel consanguineis, aut filiis defuncti habuerint.

Venerabilibus quoque Fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis Filiis Locorum Ordinariis in Ecclesiastica Ditione præfata consistentibus, in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub nostræ, & Romani Pontificis pro tempore similiter existentis indignationis pœna earumdem tenore præsentium præcipimus, ne in causis homicidii, sive qualificati, & animo doloso, & præmeditato, sive in rixa commissi, quibuscumque Reis eorum Jurisdictioni, & Foro quavis causa subjectis jam condemnatis; seu bannitis, sive quos in futurum per eorum Curiam inquiri, processari, condemnari, seu banniri contigerit, nullam similiter gratiam, absolutionem, compositionem, cassationem Processuum, pœnæ remissionem, seu moderationem, habilitationem, dispensationem, & salvum conductum, liberumve commeatum (excepto dumtaxat dicto reali, & necessario Justitiæ servitio pro congruo illius tempore) imposterum impertiantur: nisi post elapsum a die admissi delicti quinquennium, & tunc in ejusmodi causis ea tantum, quæ stricti juris Canonici fuerint, exequantur: decernentes quidquid contra hanc nostram prohibitionem ab eis, eorumque Curiis, necnon etiam a dictis Cardinalibus de latere Legatis, ac Cardinalium Congregationibus factum fuerit, cum inde pariter sequutis, ipso jure nullum ac irritum, nullius roboris, & momenti fore, nec tam in Judicio, quam extra illud Delinquenti, etiam ad effectum inducendi, & allegandi bonam fidem ullatenus suffragari posse, & debere.

Ad hæc ne ulla actio ad necẽ tendens, seu præordinata inulta remaneat, sancimus, & ordinamus, ut pro Armorum ignitorum explosione Delinquens si deliberate exploserit, & subsequuta sit offensio, ultimi supplicii pœnam incurrat, sin autem non deliberata explosione aliquem offenderit, Triremium pœnam in perpetuum subeat, & si animo quidem deliberato, sed absque alicujus offensione ejusmodi arma laxaverit, pœnæ Triremium per decennium obnoxius sit, ac demum ubi nec præmeditatio, nec offensio intervenerint, simplex tamen explosio quinquennali remigatione vindicetur.

Ad nominationes quoque, quæ sunt pro liberatione Reorum jam damnatorum a promerito supplicio, nostræ dirigentes considerationis intuitum, in eo, quod attinet ad illas nominationes, quibus nonnullæ Archiconfraternitates, aliæque Societates, Urbis, & Ditionis hujusmodi ob egregia, quæ assidue exercent Pietatis, & Christianæ Charitatis opera, ex speciali Sedis Apostolicæ concessione, quæ tamen sit in viridi observantia, potiuntur, quæque Satellitibus, seu Curiæ Apparitoribus pro Bannitorum, & in contumaciam condemnatorum captura in præmium laboris concedi consueverunt, nihil præter consuetudinem innovandum decrevimus; at nominationes eorumdem Bannitorum, & in contumaciam damnatorum, quas ex gratia dictæ Urbis Gubernator, Cardinalium Congregationes, ac ipsi Cardinales de latere Legati Executoribus Justitiæ, ac aliis quibuscumque attribuere solent, vires deinceps nolumus obtinere, nec nominatis ex causa homicidii in aliquo prodesse, nisi Nobis, seu eodem Pontifice pro tempore existente prius consultis, habitoque desuper nostro, vel ejus assensu.

Et quoniam experimento compertum est, administrationem, ac cursum rectæ, & expeditæ Justitiæ, qua Reipublicæ salus præcipue innititur, summopere obturbari, vel ab excessivo numero Privilegiatorum vulgariter *Patentati* nuncupatorum, vel a minus recta intelligentia Privilegiorum concessorum; proinde salvis, firmisque remanentibus Decretis, ac Resolutionibus, quæ temporibus fel. pariter rec. Urbani Papæ VIII., & dictorum Innocent. XI., ac Innocent. XII. Prædecessorum, aut alias quandocumque ea super re emanarunt, volumus, quod privilegium Fori nemini quorumcumque Privilegiatorum hujusmodi tam in Urbe, quam in reliquo Statu Ecclesiastico prædictis (Officialibus, aliisque Privilegiatis a Congregatione pro tempore existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium contra hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum, ac Ministris necessariis actu inservientibus Archiepiscopis, Episcopis, ac Ordinariis præfatis, eorumque Curiis dumtaxat, exceptis) pro crimine homicidii suffragetur, sed dicti Privilegiati, quatenus Clericali Charactere insigniti, Ecclesiasticæ, & quatenus Laici fuerint, Sæculari Jurisdictioni subjaceant: reservantes Nobis facultatem declarandi, quinam, quotque esse debeant veri familiares dictorum Archiepiscoporum, Episcoporum, & Ordinariorum, ac Officiales necessarii Curiis Ecclesiasticis verum, & actuale servitium præstantes.

Insuper quia ex illis etiam, qui in sortem Domini vocati sunt, quique aliis irreprehensibilis, & ab omni culpa, & macula immunis vitæ, ac virtutum exemplo prælucere deberent, aliqui interdum reperiuntur adeo suæ vocationis immemores, ut impellente humani generis hoste, pluribus etiam homicidiis manus suas cruentare non perhorrescant: Nos perversorum quorumcumque malitiæ obviandum esse, non indulgendum probe intelligentes, ad istorum quoque frænandã pervicaciam perpetuo itidem statuimus, quod Clericus primæ Tonsuræ nullum Beneficium Ecclesiasticum obtinens, tametsi conditiones Clericis hujusmodi a Concilio Tridentino præscriptas servaverit, ac servet, pro duobus tamen homicidiis animo deliberato, & præmeditato per eum patratis, privilegio Fori, & Canonis in odium tanti excessus, & ad aliorum terrorem exuatur, & uti incorrigibilis omnino Sæculari potestati subjiciatur, ab ea tamquam Laicus legitimis pœnis plectendus: Clericus quoque in minoribus Ordinibus constitutus, nec pariter Beneficiatus, nec præscripta a Concilio Tridentino servans, tam cœlebs, quam conjugatus in Causis homicidii dicto Privilegio Fori non gaudeat, eoque privatus remaneat, neque a proprio Episcopo, seu Ordinario repeti, minusque habitum Clericalem, quem indigne abjecit reassumere possit, nisi post totaliter expiatam admissi de-

licti

licti poenam. Declaratio autem, an Reus ante patratum homicidium requisita a Concilio Tridentino servaverit, ad Episcopum, aliumve loci Ordinarium omnino spectet, non retardata interim Delinquentis assecuratione, facienda etiam per Judicem Laicum nomine Ecclesiæ, qui illum pariter Ecclesiæ nomine ad illius dispositionem retinere possit, ac debeat, donec dicta declaratio prodierit, quacumque diversa, ac etiam contraria juris Canonici, & Apostolicarum Constitutionum dispositione, seu interpretatione, necnon consuetudine haud refragante.

Porro cum idem Benedictus Prædecessor animadvertens homicidia hujusmodi suo etiam tempore increbescere, nec minus quam alia facinora in celebri Constitutione dicti Gregorii XIV. etiam Prædecessoris, quæ incipit.. *Cum alias &c.*.. recensita publicæ quieti officere, pro commissi sibi Apostolici Officii debito per prædictam suam anno Incarnat. Dominicæ MDCCXXV. Sextus Idus Junii, cui initium est. *Ex quo divina &c.*.. evulgatam Constitutionem Laicos animo præmeditato, ac deliberato proximum suum interficientes ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio excluserit, & repulerit, & pro exclusis, atque repulsis haberi voluerit; Nos ob gliscentem in dies quorumdam Ecclesiasticorum nequitiam, qui nulla proprii Status habita ratione, non raro in adeo nefarium, detestandumque crimen prolabuntur, ipsorum Gregorii, & Benedicti Prædecessorum Constitutionibus, quas supra confirmavimus, atque innovavimus inhærentes, & quatenus opus sit, criminum in illis exceptorum Reos Immunitate Ecclesiastica nequaquam juvari iterum decernentes, eamdem Benedicti Prædecessoris Constitutionem, Laicos animo præmeditato, ac deliberato proximum suum, sicut præmittitur, interficientes, a beneficio Immunitatis Ecclesiasticæ excludentem, ad ipsos Ecclesiasticos cujuscumque gradus, ordinis existant in Urbe, universa Ditione Nobis, & Sedi Apostolicæ mediate, vel immediate subjecta, homicidium animo similiter præmeditato, ac deliberato patrantes extendimus quoque, & ampliamus, dummodo tamen causa simili per eos homicidii ab illorum Judice Ecclesiastico competente cognoscatur, & ab eo, si reperti fuerint, circa poenam Sanguinis ad præscriptum Sacrorum Canonum condigna puniantur animadversione.

Ulterius ad varias Doctorum, qui ejusdem Benedicti Prædecessoris mentem quoad personas in dicta ejus Constitutione comprehensas interpretari, ac explicare voluerunt, Sententias, & opiniones dirimendas, declaramus, homicidii Reos natu minores viginti quinque, majores vero viginti annis tam Laicos, sive Clericos, qui mandatum, consilium, instigationem, auxilium cooperativum, aut aliam operam Occisori præbuerint, ex quorum singulis parvis actibus homicidium evenerit, in dicta Benedicti Prædecessoris Constitutione comprehensos esse, ac deinceps censeri debere, eamque quatenus opus sit ad ipsos pariter extendimus; ita scilicet, ut illorum extractio e loco immuni, atque traditio Curiæ Sæculari, quoad Laicos ad ejusdem Curiæ Secularis requisitionem, fiat a Curia Ecclesiastica, & Clerici ab ipsa Curia Ecclesiastica ex officio omnino, extrahantur juxta normam infra dicendam.

Item declaramus omnes, & singulos prædictos tam Laicos, quam Ecclesiasticos, qui in Urbe, ac Ditione præfatis, ex causa, & occasione homicidii, etiam in rixa commissi, cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum inquisiti, & processati, vel in contumaciam banniti, & condemnati fuerint, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem, Immunitatis præfatæ beneficio minime etiam gaudere.

Utque Reorum ratione homicidii, ut præfertur, excepti Inquisitorum, seu Bannitorum, & in contumaciam condemnatorum extractio ab Ecclesiis, aliisque locis immunibus, atque traditio suo cuique Judici competenti legitimis, modo, & forma a Curia Ecclesiastica fiant, volumus, & ordinamus, ut quotiescunque Judici Ecclesiastico competenti innotuerit, aliquem Laicum, seu Ecclesiasticum ex causa homicidii excepti inquisitum, atque processatum ad Ecclesiam, seu locum immunem confugisse, ibique moram trahere, ac ea super delicti qualitate, ac personæ reitate subministrata, vel acquisita suppetant indicia, quæ ad capturam decernendam sufficere videantur, tunc itidem Judex Ecclesiasticus ex officio ac nemini etiam requirente, si delinquens sit Clericus, sin vero Laicus, postquam a Curia Sæculari requisitus fuerit, ad ipsius delinquentis extractionem ab Ecclesia, seu loco immuni, implorato etiam ad hoc, quatenus opus sit, auxilio brachii Sæcularis, & cum interventu personę Ecclesiasticæ ab Episcopo devenire teneatur, Extractumque ad suos, si tuti, & securi fuerint, sin minus ad Curię Secularis carceres asportari, ibique sub tuta custodia detineri curet, & faciat; Ubi vero ex processu informativo desuper conficiendo quoad Inquisitum nondum condemnatum, dictus Judex Ecclesiasticus ex acquisitis, seu subministratis indiciis ad torturam tantum sufficientibus ab Extracto homicidium a præfata Benedicti Prędecessoris, & hac nostra Constitutione patratum fuisse cognoverit, ad declarationem, quod scilicet de casu ita excepto constet, progrediatur, Extractumque, si Laicus sit, Ministris, & Officialibus Curiæ Sæcularis, si autem Clericus, ejus competenti Judici Ecclesiastico tradere, & consignare possit, ac debeat, exactis tamen, receptisque in actu traditionis, & consignationis hujusmodi a Judice, quidem Sæculari juramento, & ab Ecclesiastico promissione in verbo veritatis de restituendo Extractum Ecclesiæ, locove immuni, sub poena Excommunicationis latę Sententiæ Nobis, & eidem Romano Pontifici pro tempore existenti reservatę, quatenus Extractus in suis defensionibus, quæ ad tramites Juris, & Ordinationum Apostolicarum ei competunt, præfata elidat, seu diluat indicia, & si illa minime eliserit, seu diluerit, & delinquens repertus fuerit, Judici suo, scilicet Ecclesiastico in Clericum, Sæculari in Laicum, ut juris esse censuerit, animadvertere liceat.

Quoties autem de jam bannito, aut in contumaciam damnato ex causa homicidii superius excepti sive Laico, sive Ecclesiastico agetur, quilibet Judex Ecclesiasticus, ut præfertur, competens, ad illius, Laici nimirum instante Curia Sæculari, & ex officio extractionem ab Ecclesia, locove immuni cum interventu quoque personę Ecclesiasticę ab Episcopo deputandæ, ac traditionem suo respective Judici, sicut mox dispositum est, faciendam, procedat, solamque Sententię contumacialis, & actorum, quibus illa fundatur, exhibitionem ad hoc sufficere decernimus, ut dictus Judex Ecclesiasticus ex illorum inspectione dumtaxat agnito, num istiusmodi Sententia contumacialis legitime, justeque prolata sit ad formam Constitutionum Apostolicarum, pronuncia-

re.

re, ac declarare queat, & debeat, an bannitus, & in contumaciam damnatos consignandus veniat, necne. Exactis pariter, & receptis, quatenus consignetur a Judice Sæculari juramento, si Delinquens sit Laicus, ab Ecclesiastico vero, si fuerit Clericus, promissione ipsum ut supra restituendi Ecclesiæ, locove immuni, sub antedicta poena Excommunicationis, si Extractus in suis similiter defensionibus, ei ad præscriptum præfatarum Constitutionum Apostolicarum competentibus, nullitatem, & injustitiam, contumacialis Sententiæ prædictæ ostenderit, & sceleris indicia diluerit; quod si id præstare nequiverit, & ex eisdem Sententia, & actis rite, & recte gestis Reus repertus fuerit, Judex ejus competens Sententiam, & quando aliquem in poena irrogata excessum deprehenderit, etiam moderari valeat; ita quod quæcumque declaratio a prædicto Judice Ecclesiastico facta in Judicio Ecclesiasticæ immunitatis, super consignatione banniti, & in contumaciam damnati, ejusque denegatione nullatenus deservire, & a nemine allegari possit in alio diverso, ac separato judicio, in quo scilicet de præfatæ Sententiæ contumacialis executione postmodum disputari contingeret, ad quem effectum dicta declaratio Judicis Ecclesiastici perinde habeatur, ac si non emanasset, nec ullus exinde scrupulus animo Judicis competentis in cognoscenda, & eruenda validitate, seu nullitate, justitia, seu injustitia ejusdem Sententiæ contumacialis ingeratur.

Hanc autem methodum, & formam sic nobis stabilitam exacte, & inconcusse ab omnibus deinceps observari volumus, & mandamus, quacumque alia Prædecessorum dispositione, aut contraria interpretatione, ac praxi in quibusvis Curiis Urbis, & Ditionis præfatarum quomodolibet, & quandocumque invecta, necnon declarationibus a Tribunalibus dictæ Urbis, ac etiam a Congregatione pro tempore quoque existentium ejusdem S. R. E. Cardinalium immunitati Ecclesiasticæ, & Controversiis jurisdictionalibus præposita etiam iteratis vicibus emanatis haud quaquam obsistentibus.

Cæterum quæ memoratis Constitutionibus Gregorii XIV., & Benedicti XIII. Prædecessorum in cunctis Christiani Orbis partibus juxta earum tenorem, ac dispositionem inviolabiliter retinendis, ac custodiendis, per modum extensionis, & ampliationis adjicienda duximus, nusquam ad cæteras Regiones, utpote sicut in Domino gaudentes accepimus, non adeo multiplicia grassantur homicidia, neque ultra Ditionem Ecclesiasticam præfatam extendere, & ampliare intendimus.

Decernentes easdem præsentes literas, & in eis contenta quæcumque semper, ac perpetuo firma, valida, & efficacia, existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere tam in Urbe, quam in reliquis omnibus Civitatibus, Terris, & locis Nobis, ac S. R. E. mediate vel immediate subjectis, comprehensis etiam quatuor Legationibus, ac ipsis Bononien., Ferrarien., ac Beneventan. Civitatibus, aliisque etiam specialem, & individuam mentionem requirentibus præfatis, ac generaliter in quibuscumque Curiis tum Ecclesiasticis, tum Sæcularibus, etiam Baronalibus respective, nullis exceptis, atque ab omnibus & singulis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, plenissime observari; sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ipsius Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiam de latere Legatos, eorumque Cardinalium Congregationes, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & ordinationibus, necnon etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, Stylis, Usibus, & Consuetudinibus etiam immemorabilibus, ac quorumcumque Prædecessorum nostrorum Literis, Privilegiis, Indultis, & facultatibus quibusvis etiam dictis Cardinalibus, eorumque Congregationibus sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibuslibet etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis, etiam motu, scientia, & potestatis, plenitudine similibus, etiam consistorialiter, vel alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut lapsis decem respectu dictæ Urbis, ejusque Districtus, ac viginti diebus respectu totius reliqui Status nostri Ecclesiastici, postquam præsentes Literæ Valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, & in Acie Campi Floræ de eadem Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris affixæ, & publicatæ fuerint, omnes, & singulos tam in Urbe, quam in Statu præfatis existentes perinde arctent, ac si unicuique eorum personaliter, ac nominatim intimatæ fuissent; utque ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & Sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides in Judicio, & extra illud ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrorum approbationis, confirmationis, & innovationis, prohibitionis, abrogationis, ordinationum, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo trigesimo quarto, Kalendis Februarii, Pontificatus nostri Anno Quinto;

A.

A. Card. Pro-Datarius. F. Card. Oliverius.
VISA
De Curia I. Archiepiscopus Ancyranus.

Loco ✠ Plumbi.

I. B. Eugenius.

DICHIARAZIONE

Sopra la Bolla degl' Omicidj, nella quale si dichiara che le Donne sono comprese nella Bolla sudetta.

Giuseppe del Titolo di S. Tommaso in Parione della S. R. C. Prete Card. Firrào della Santità di Nostro Signore Segretario di Stato.

Rimostrando l' odierna sperienza alla Suvrana, e indefessa vigilanza della Santità di Nostro Signore felicemente Regnante, quanto sin ad ora sia stata, e sia per essere profittevole a preservare la vita de proprij Sudditi da ogni sinistro incontro di mano Micidiale la Pontificia Sua Costituzione, che comincia.. *In Supremo Justitiæ Solio*. emanata, e di suo ordine publicata sotto li 22. Febrajo 1735. in Roma, in tutto lo Stato Suo Ecclesiastico contro li Rei d' Omicidio, e Delatori d' armi proibite, colla quale si è dato il possibile, e conveniente riparo alla frequenza di così grave Delitto, perche il buon uso della medesima, e il rimedio, che sperasi tuttavia a sì gran male dalla puntuale osservanza d' una disposizione cotanto salutevole, non venghi intervertito dalle controversie solite ad eccitarsi in qualsivoglia Legge più chiara, la Santità Sua, udito prima il parere della Congregazione già deputata sopra gl' Omicidj per organo nostro dichiara, che in tutte, e singole cose, e Capitoli espressi in detta Sua Costituzione le Donne Delinquenti egualmente che gl' Uomini siano comprese, e soggiacino a tutte, e singole disposizioni, e pene in quella comminate, come se delle medesime fosse stata fatta in essa speciale, & individua menzione, ed in quanto alla pena della Galera non conveniente al loro sesso, s' intenda commutata a proporzione in quella della Carcere o perpetua, o a tempo, come in essa Costituzione viene disposto, restando però ferme l' altre pene eseguibili contro di esse nel caso e modo, che sono in quella stabilite, e notificate.

E la presente dichiarazione affissa, e publicata, che sarà in Roma, e ne luoghi soliti, vuole, che abbia il medesimo vigore, come se fosse stata publicata in ciascuno luogo dello stato Suo Ecclesiastico, e nel termine di giorni tre in quanto a Roma, e Suo Distretto, e di giorni trenta nel rimanente dello stesso Stato, comprese anche le Legazioni di Bologna e Ferrara, e la Città di Benevento ed altre, che avessero d' uopo d' una speciale, ed individua menzione come se a ciascuna Persona dell' uno, e l' altro sesso fosse stata personalmente presentata, ed intimata.

Dato in Roma li 5. Ottobre 1736.

G. Card. Firrào.

Girolamo de Bardi Segretario.

ALTRA

DICHIARAZIONE

Sopra la Bolla degl' Omicidj, circa la comprensione de' Soldati.

SILVIO del Titolo di S. Prisca della S. R. C. Prete Card. Valenti della Santità di Nostro Signore Segretario di Stato.

Riconoscendo la Santità di Nostro Signore felicemente regnante quanto sia necessaria l'esecuzione della Bolla, che comincia: *In supremo Justitiæ Solio*: fatta dalla San. Mem. di Clemente Papa XII. suo Antecessore, e publicata il dì 22. Febraro 1735. nella quale fra l'altre disposizioni, per evitare la frequenza degl'Omicidj, viene imposta la pena della Galera per anni cinque contro i Rei di spari d'Archibugiata senz'offesa, benchè in rissa, e la Galera perpetua, quando da tali spari eissosi ne siegua l'offesa della Persona, e volendo rimuovere ogni dubbio eccitato, o da eccitarsi sopra la comprensione de'Soldati delle Milizie ancor d'Ordinanze, e stipendiate di tutto lo Stato Ecclesiastico, comprese ancora le quattro Legazioni d' Urbino, Romagna, Ferrara, Bologna, e la Città, e Ducato di Benevento, udito ancora il parere d'alcuni del la Congregazione già deputata sopra le materie di detta Costituzione, dichiara per Organo nostro che nella medema restino compresi tutti li soldati di dd. Milizie, come sopra, e che in dd. pene incorreranno tutti, e singoli Soldati sudetti per i spari d' Archibugiate con ferite, o senza, benche in rissa, e calor d' ira, senza che possa in modo alcuno suffragargli per evitar dd. pene il Privilegio militare, non essendo mai stata mente, ee del sudetto Papa Clemente XII., ne degl' altri suoi Predecessori di stendere i Privilegj militari a quei Delitti, per li quali s' impone la pena della Galera, derogando in quanto faccia di bisogno in questa parte ai Privilegj militari sudetti, quali però restino fermi in tutte l' altre parti.

Volendo, che la presente dichiarazione affissa, e publicata, che sarà in Roma, e ne' luoghi soliti, abbia lo stesso vigore, come se fosse stata publicata in ciascun luogo dello Stato suo Ecclesiastico nel termine di giorni trè in quanto a Roma, e suo Distretto, e di giorni trenta nel rimanente dello stesso Stato, comprese anco le Legazioni d' Urbino, Ravenna, Ferrara, e Bologna, e la Città, e stato di Benevento, ed ogn' altro luogo, che avesse bisogno d' una speciale, & individua menzione, come se a ciascuna persona fosse stata personalmente presentata, & intimata. Data in Roma questo dì 13. Giugno 1741.

S. Card. Valenti.

Girolamo de Bardi Segretario.

EDITTO

Contro il Delitto di Stupro

FR. GIO. ANTONIO del Titolo di S. Martino de' Monti della S. R. C. Prete Card. Guadagni della Santità di Nostro Signore Vicario Generale &c.

NON v' essendo cosa, che maggiormente stia a cuore alla suprema vigilanza del Principe, quanto la vita, e l' Onore de' proprj Sudditi, dal buon regolamento de quali principalmente dipende l' Onor di Dio, e la publica, e privata quiete; ed essendosi alla sicurezza dell' una dato conveniente riparo dalla Santità di Nostro Signore colla salutevole Costituzione contro gli Omicidj, volendosi dal suo indefesso Paterno zelo provvedere alla sicurezza ancora dell' altro; giachè per la corruttela de' nostri tempi s'è introdotta una troppo invereconda Libertà di costume, d' onde specialmente deriva l' intacco dell' onore di tante Famiglie per la frequenza de' stupri volontarj, ch' alla giornata si commettono in Roma, e per tutto lo Stato.

Quindi è, che la medesima Santità di Nostro Signore, riflettendo essere la sorgente di tanto male non solo la malizia degl' Uomini nel tender insidie all' onestà delle Giovani, e la troppa facilità di queste nel lasciarsi sedurre sulla speranza del consegnimento della Dote, o del Matrimonio; ma specialmente la negligenza de Parenti nel custodirle, e forse talora, così a Dio non piaccia, la loro infame connivenza; e doppo avere al lume dell' Apostolico suo zelo considerato; non potersi conseguire il fine di togliere la frequenza de' Delitti, se non coll' indurre maggior severità nelle leggi a proporzione della maggior malizia degl' Uomini, come per esperienza s'è veduto nel buon effetto prodotto dal rigore della mentovata Costituzione contro gl' Omicidj: ha creduto parte indispensabile della sua Pastorale sollecitudine d' apprestare ancora in questo genere opportuno rimedio con nuove salutevoli Provisioni, acciò dal timor della pena si rendano in avvenire meno audaci gl' Uomini nell' insidiar l' onestà delle Zitelle; queste all' incontro più caute nel conservarla illibata, e nello stesso tempo sieno maggiormente astretti i Parenti alla diligente custodia delle medesime.

Per tanto doppo matura deliberazione avutasene dalla Congregazione particolare a ciò deputata, a tenore delle risoluzioni della medesima, la Santità di Nostro Signore coll' oracolo della sua viva voce espressamente ci ha incaricato di publicar il presente Editto, da inviolabilmente osservarsi in tutti i Tribunali di Roma, ed eseguirsi sotto le pene in esso contenute, ed espresse.

In esecutione dunque della sovrana determinazione, e volontà Pontificia primieramente, per togliere all' Uomo la facilità di dar compenso al proprio delitto collo sborso semplice della Dote, o coll' effettuazione del Matrimonio, la qual facilità di redimersi da' Reati ha reso sempre più agevole strada a commetterli, e per esser conveniente, che dal reo si dia la dovuta soddisfazione al Fisco, come negl' altri Delitti si suol praticare: si ordina, che il Deflorante, oltre le pene stabilite de Sacri Canoni, la disposizione de' quali si lascia nel suo pieno vigore, ed osservanza, in avvenire sia soggetto ancora alla pena afflittiva del corpo, da estendersi nei Laici sino alla Galera, e rispetto a' Chierici sino all' Ergastolo, o sia Relegazione ad arbitrio del Giudice secondo le diverse circostanze de' casi, grado, e condizione, e specialmente secondo la maggiore, o minor seduzione usata dal medesimo Deflorante, oltre la refezzione de danni, & interesse a favor delle Parti, la quale si lascia sotto la disposizione di ragione.

In secondo luogo, siccome l' esperienza ha fatto conoscere, che la sicurezza dell' Impunità goduta dalle Giovani Deflorate, e la speranza all' incontro, che da loro si ha, di poter a costo dell' onore conseguir la Dote, o l' effettuazione del Matrimonio, non solo rende le medesime meno accorte nel custodir la propria pudicizia, ma forse talora serve d' incentivo alla loro prostituzione; sembrando per altra parte diritto della Giustizia distributiva, che alle Deflorate eziandio, come Corree del Delitto, venga data, ad esempio dell' Uomo, una qualche soddisfazione al Fisco; così viene espressamente stabilito, ed ordinato, che in avvenire le Deflorate sieno punite ancor' Esse colla pena del corpo afflittiva, da estendersi fino alla Carcere, ad arbitrio del Giudice, secondo le diverse circostanze de' casi, grado, e condizione, come sopra, e specialmente secondo la maggiore, o minor seduzione patita, o respettivamente usata dalla medesima Deflorata.

Volendo inoltre che in caso di Stupro sotto promessa di Matrimonio non possa la Deflorata avere azione all' adempimento del medesimo in vigore della promessa, qual' ora non faccia costare in Giudizio per mezzo di pruove legittime, ed affatto concludenti l' obligazione con somigliante promessa contratta, restando però ferma ogni altra azione, che di ragione gli potesse competere.

Dichiarando ancora, che non ostante una tale concludente, e legitima prova, non sia tenuto, ne possa esser astretto il Deflorante all' adempimento della promessa, quante volte sieno i Contraenti di tal disparità di condizione, che dall' effettuazione del Matrimonio ne fosse per seguir grave scandalo, e derivarne ignominia alle Parentele.

In tal caso però non s' intenda il Deflorante immune, ed esente dall' obligo, che li corre per la reintegrazione de' danni, ed interesse, a favor delle Parti, com' è di ragione.

In terzo luogo considerandosi, che in vano si sarebbono stabilite le sin qui espresse ordinazioni, se non si venisse ad impedir la sorgente del male, che principalmente deriva dalla cattiva educazione de' Parenti, Congiunti, o d' altri, a' quali dalla natura, o dalle Leggi è stata commessa la custodia delle Zitelle, e che scordevoli ben spesso del timore di Dio, e dell' onor del Mondo danno a quelle occasione di male colla loro trascuraggine nel custodirle, e qualche volta a bello studio il permettono colla loro connivenza, se non ancora il cagionano tal' ora con lenocinio effettivo, per puro motivo d' interesse, o di vantaggio di condizione sulla speranza delle future Nozze: Perciò si dichiara, che i Padri, Madri, Fratelli, o altri, a' quali spetti de Jure d' invigilare, come sopra, alla cura delle Zitelle, e per conseguenza appartenga la querela, ed accusa dello stupro, quante volte si trovassero rei, o di lenocinio, o di connivenza, perdano di tutto l' azione di poter domandar la Dote a nome della Deflorata, (restando però illese le ragioni, che a questa competono) ed altra qualunque azione, che a loro favore potesse intentarsi in ordine a' danni, ed interesse, volendosi in tal caso, che l' importo de' detti danni, ed interessi dovuti dal Delinquente, e da tassarsi ad arbitrio del Giudice secondo le diverse circostanze, come sopra, debba esigersi dal Fisco, e da questi erogarsi in usi Pii a suo arbitrio.

Ma perchè la pena della perdita dell' interesse non sarebbe proporzionata alla colpa, se non si costituisse in oltre una positiva condegna punizione; perciò viene contro de' medesimi prescritta parimente a

mi-

misura della diversa gravità del reato la pena afflittiva da inviolabilmente osservarsi, come siegue.

I Padri, le Madri, Fratelli, gl'altri tutti dell'uno, e dell'altro sesso, a' quali de Jure spetta la custodia delle Zitelle, nel caso, che sieno rei d'aperto lenocinio, incorrano irremissibilmente la pena di dieci anni di Carcere secondo la diversità del Sesso.

Se saranno colpevoli non d'aperto lenocinio, ma di sola connivenza, debbano condannarsi alla Galera, o respettivamente alla Carcere per sett'anni; lasciandosi all'arbitrio del Giudice, da regolarsi secondo la diversità de' casi, e delle persone di punire la semplice negligenza.

Li Servidori, Serve, ad altri famigliari Salariati, o Mercenarii, col mezzo, ajuto, consiglio de' quali sia seguito lo Stupro, vengano condannati alla Galera per sett'anni, o respettivamente alla Carcere, come sopra.

Tutti gl'altri poi generalmente, i quali, benchè non fossero all'attual serviaio nella Casa della Deflorata, si trovassero però rei di Lenocinio, sieno soggetti alla pena della Galera per cinque anni, o della Carcere come sopra; lasciando però all'arbitrio del Giudice di poter'estender ancor'a maggior tempo una tal pena secondo le diverse circostanze de' casi &c.

In tutti poi, e singoli casi sopra espressi di connivenza, o di Lenocinio, i Delinquenti prima d'esser mandati alla Galera, o alle Carceri, si debbano condurre intorno per la Città ne' Luoghi soliti nelle forme consuete con Mitra, e Cartello d'infamia, ove stia scritta la specie del Delitto.

Con dichiarazione però, che le pene fin qui espresse s'intendano unicamente contro i Rei di semplice Lenocinio: poichè nel resto debba aver luogo la pena dell'ultimo supplicio de' casi individuati dalle Costituzioni delle fel. mem. di P o o IV., o Sisto V., le quali la Santità di Nostro Signore ordina, e vuole rimanghino nel loro pieno vigore, ed in caso di bisogno espressamente l'innova, e ne inculca a Giudici la puntuale, ed esatta osservanza.

Avvertino dunque tutti coloro, a' quali si ha relazione nel presente Editto, di non commettere veruno degl'accennati Delitti, perchè contro i Delinquenti, e colpevoli si procederà irremissibilmente alle pene di sopra stabilite.

Volendo, ed ordinando inoltre, che il presente Editto affisso, publicato ne' luoghi di questa Città di Roma, astringa ciascuno alla precisa osservanza di quanto in esso si contiene, come se a ciascuno fosse stato personalmente intimato.

Dato in Roma dalla nostra solita Residenza questo dì 13. Settembre 1736.

Fr. G. A. Guadagni Card. Vicario.

J. M. de Rossi Segr.

Reos convictos per indicia indubitata, quamvis non confessos, pœnis ordinariis multandos esse statuitur.

E D I T T O

Francesco Ricci Referendario dell'una, e altra Signatura, di Roma, e suo Distretto Generale Governatore, e Vice Camerlengo.

LA Santità di Nostro Signore Papa BENEDETTO XIV. felicemente regnante, che con il suo Paterno Zelo non cessa d'invigilare alla publica quiete, e salvezza de suoi diletti Sudditi desiderando d'apportar qualche opportuno rimedio alla frequenza dell' Omicidj, & altri Delitti, che si commettono in quest' Alma Città di Roma, e nel suo Stato Ecclesiastico, ci hà ordinato di convocare avanti di Noi una particolar Congregazione, in cui essendosi proposti alcuni Dubbj circa li Rei confessi ne' Tormenti, e non ratifici, ed altresì negativi, ma legitimamente convinti, ne sono emanate le Risposte espresse nel seguente Chirografo, col quale la Santità sua approvandole, e confermandole vuole, che in avvenire tanto in Roma, che nel suo Stato Ecclesiastico si debbano osservare, come Legge commune, e secondo le medesime giudicare nelli casi espressi da tutti li Tribunali, che esercitano le sue Veci. Onde Noi in adempimento de' Supremi Ordini della Santità Sua datoci a bocca con il presente Editto notifichiamo a ciascuna Persona di qualsivoglia stato, grado, sesso, o condizione, benchè Ecclesiastica, Claustrale, e Regolare, che in avvenire doppo la publicazione del presente tanto in tutti li Tribunali Supremi di Roma, che dello Stato Ecclesiastico si darà pronta esecuzione alle Supreme Determinazioni di Nostro Signore espresse nel Chirografo, che qui sotto si vede impresso. Dato dal Palazzo della Nostra solita Residenza questo dì 13. Gennaro 17.3.

Francesco Ricci Gov., e Vice-Cam.

Bernardino Rossetti Not. per la Carità.

Tenore del Chirografo.

Monsignor Francesco Ricci della Nostra Città di Roma, e suo Distretto Generale Governatore, e Vice-Camerlengo.

AVendovi Noi con Viglietto di Segretaria di Stato in data delli 29 Aprile del cadente anno 1712. espressamente ordinato, che per apportare qualche opportuno rimedio alla frequenza delli Omicidj, & altri Delitti qualificati, che si commettono in Roma, e nel Nostro Stato Ecclesiastico da' Rei sulla confidenza di non poter essere condannati alla Morte, se spontaneamente non confessino il loro Reato, o confessandolo ne' Tormenti non ratifichino poscia la lor Confessione, doveste convocare avanti di Voi una Particolar Congregazione, con l'intervento de' Monsignori Bardi Segretario della Sacra Consulta, Fabretti, e Clarelli Ponenti della medesima, Toppi Fiscale Generale, & Avvocati Mocci Luogotenente dell' A. C., Dessini Luogotenente del Cardinal Vicario, Michilli, e Mirogli Luogotenenti del vostro Tribunale del Governo, e de Angelis Giudice de' Malefizj di Campidoglio, e sentirne sopra di ciò il di lei sentimento, ci avete rappresentato, che doppo essersi più volte adunata avanti di Voi la detta Congregazione, sianfi in essa maturamente considerati li seguenti Dubbj, e con essersi inteso tanto in voce, che in scritto anche il Parere dell' Avvocato de Poveri, ne siano emanate le soscritte Risposte *Primo: An duo, vel tres Testes concludenter pernecessario Delictum, & aliquas patientes exceptiones praeter illas, pro quibus Testes de Jure in totum repelluntur a testificando, possint sup-*

pleri tam ex aliis indiciis, & conjecturis probatis per Testes minus habiles, & idoneos, quam ex numero Testium ad effectum imponendi pœnam ordinariam? Responsum... Attentis frequentia Delictorum, & facilitate, qua Rei negativi evadant promeritas pœnas, esse consulendum Sanctissimo, ut declaret in Tribunalibus Supremis, & suas vices gerentibus, ac in Delictis atrocissimis, Homicidiis appensatis, & Furibus famosis posse suppleri tam ex Indiciis, quam ex numero etiam per Testes minus habiles, & idoneas... Secundo: An idem servandum sit in Delictis sequutis in Lupanaribus, Custodiis Birrariorum, aliisque locis, ubi nec actu, nec habitu solent intervenire, aut intervenerint alii Testes, quam Personæ infames? Responsum... Affirmative dummodo suppletio fiat per indicia, & conjecturas, quæ probentur per alios Testes... Tertio: An contra Convictum indiciis indubitatis concludentibus peru cesse taliter, ut adimant ab animo Iudicis omnem rationabilem hæsitationem, quod res aliter se habere potuerit, deveniendum sit ad pœnam ordinariam? Responsum: Affirmative -- Quarto: An concurrentibus duabus semiplenis probationibus possint hæ insimul conjungi ad impenendam pœnam ordinariam? Responsum: Negative -- Quinta: Demum an in constitutionibus facinoris Reis, quando Indicia sunt de illis proximis indubitatis, possint reticeri aliquæ circumstantiæ ad hoc, ut in casu, quo Rei tormentis subiiciantur, & tales circumstantias non contestatas fateantur, haberi possint pro verificationibus a parte post Confessionis, taliter ut opus non sit ratificatione ad imponendam pœnam ordinariam? Responsum; Negative. Onde Noi considerando esser molto profittevole non meno alla Giustizia, che al publico, e privato interesse la punizione de' Delinquenti, e che più facilmente potrà venirsi al conseguimento di questa ogni volta, che diasi esecuzione alle Risposte emanate sopra li proposti Dubbj, con il presente Chirografo di Nostra certa scienza, pienezza di Volontà, e Podestà assoluta confermando, ed approvando quando faccia di bisogno le sudette Risoluzioni, dichiariamo, e commandiamo, che in avvenire tutti li Tribunali Supremi, e che esercitano le Nostre veci tanto in Roma, che in tutto lo Stato Ecclesiastico, comprese anche le Legazioni di Bologna, Ferrara, Ravenna, Urbino, e Benevento, debbano giudicare, e venire alla condanna, e totale esecuzione delle Pene nelli sovra espressi Casi a tenore di dette Risoluzioni, quali vogliamo, che abbiano piena forza di Legge universale, che debbano inviolabilmente osservarsi, come se provenienti fossero dal Gius commune, Canoni anche conciliari, Costituzioni Apostoliche, Decreti, Statuti, & Opinioni approvate de' Dottori, e perpetuamente durare a beneplacito della Santa Sede Apostolica, derogando per tal' effetto, quando mai facesse di bisogno a qualunque cosa, che potesse fare in contrario; e che per l'adempimento di questa Nostra volontà trasmettiate copia del presente Chirografo a tutti i Capi de' Tribunali sudetti, acciò debbano farla conservare nelle loro Cancellarie, e giudicare nella contingenza de' casi secondo l' espresse Risoluzioni. Volendo in oltre, che il presente Chirografo colla sola Nostra sottoscrizzione vaglia, & abbia il suo pieno effetto, & esecuzione, benche non sia registrato nei Libri della Camera, ne in altro modo sia servata la forma delle Costituzione di Pio IV. *De registrandis*, alla quale per questa volta deroghiamo, che contro di esso non si possa opporre di obrezzione, subrezzione, mancanza della Nostra volontà, & intenzione e qualsivoglia altro difetto, benche degno di speciale, & individua menzione, e qualsivoglia altro difetto, ne si possa diversamente interpretare, benche l' interpetrazione provenisse da' Canoni anche Conciliari, Leggi, Costituzioni, Decreti, & Opinioni approvate, perche tale è la Nostra volontà, e così vogliamo con la clausola *Sublata*, e Decreto irritante, ed in ogn' altro modo. Dato dal Nostro Palazzo Apostolico Quirinale questo dì 2. Gennaro 1743.

BENEDICTUS PP. XIV.

SS. D. N. Benedicti Papæ XIV. Constitutio super Reformatione Tribunalium Urbis in Judiciis Criminalibus, & quoad expeditiones Commissionum, cum opportunis ordinationibus.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam rei memoriam.

R*Erum humanarum conditio fert, ut etiam quæ recte ac sapienter olim sunt constituta, novam semper, & assiduam Rectorum curam, & vigilantiam exposcant; ut dum ipsa vel temporum vicissitudine, vel hominum vi ios sensim labefactantur, ad debitum integritatis statum supremi moderatoris diligentia, & auctoritate revocentur. Hinc est, quod licet Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum providentia, non solum Ecclesiam Christi Pastorali eorum regimini commendatam, verum etiam temporale Patrimonium eorundem potestati concreditum, optimis justissimisque legibus instruxerint, sæpe tamen cogimur exorientes abusus, & inordinationes, a parvis initiis in magnum corruptelam, cum justitiæ injuria, & populorum damno, quotidie succrescentes, novis promulgatis legibus emendare, & ne in posterum similia accidant, quantum Nobis ex alto conceditur, providere. Quam ob rem quum plures tum Venerabilium Fratrum Nostrorum hujus S. R. E. Cardinalium, quam Dilectorum Filiorum Curiæ Nostræ Officialium, & Ministrorum Consultationes partim constitutas invenerimus, partim pro Apostolici ministerii Nostri Officio, publicæque utilitatis studio, Nos ipsi statuerimus; quarum ope, & consilio occurrentes vel Ecclesiarum vel temporalium Ditionum Nostrarum necessitates intelligere, iisque opportune consulere valeremus, magnum in dies fructum percipere Nos agnoscimus ex instituta Congregatione Particulari super Æconomica Apostolicæ Cameræ, & Ærarii Nostri administratione, pro cujus erectione Apostolicas Literas dedimus xiv Kalen. Maji anni MDCCXLVI., qua nempe Congregatione suggerente, quum cognoverimus non paucos abusus in Criminalibus Iudiciis Tribunalium Almæ Urbis invectos, atque diuturna, sed non minus prava consuetudine firmatos, ex quibus tum Apostolicæ Cameræ Nostræ Ærarium, tum publicæ justitiæ administratio, tum Reorum, & damnatorum salus*

at-

atque substantiæ, magna, & indebita accipiebant detrimenta; non omisimus opportuna statim mandata atque præcepta ad eorum correctionem singulis ad quos pertinebat dirigere; quæ deinde complexi sumus in Schedula nostri Motus proprii die xxx. elapsi mensis Septembris Nostra manu signata, die vero ij. mensis Octobris in plena Camera exhibita, & præsentata, deindeque in sequenti Camera die xvij. mensis Novembris, in executionem Decreti dictæ plenæ Cameræ, ac Constitutionis fel. record. Pii Papæ IV. Prædecessoris Nostri de registrandis, admissa, & in Libro Signaturarum Nostrarum in actis dilecti Filii Gregorii Castellani unius ex prædictæ Cameræ nostræ Apostolicæ Secretariis, & Cancellariis existentis fol. 58., & seq. *registrata, quæ est tenoris sequentis videlicet;*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Motu proprio &c.

DOpo aver Noi largamente provveduto con diverse Nostre Costituzioni al buon ordine, ed Amministrazione della Giustizia nelle Cause Civili; Era ben giusta, e convenevole, che rivolgessimo gli occhi della nostra Paterna providenza sopra le Cause, e Processure Criminali, quali interessano non solo sostanze, ma la estimazione, la libertà, e non rade volte anche la vita degli Uomini. Sapendo pertanto li molti aggravj, che soffrivano, non meno gl' Inquisiti di qualche delitto, che la nostra Camera Apostolica, e le Communità del Distretto di questa nostra Città di Roma, dalle frequenti spedizioni de' Commissarj, che si facevano dal Governo, e da altri Tribunali di essa Città, e specialmente col prolungarsi più assai del necessario le medesime Commissioni, come pure dall'essere per più mesi trattenuti a marcire in queste Carceri prima di essere trasmessi a Civita Vecchia quei miserabili, che sono condannati alla pena della Galera: Ordinammo alla Congregazione dei Cardinali, e Prelati da Noi specialmente deputata nella nostra Costituzione, che incomincia - *Apostolici Ærarii* - sopra le materie Economiche della Camera, e dello Stato, che cercasse, e suggerisse il modo più adequato, con cui restasse proveduto all'uno, e l'altro capo, non meno alla buona amministrazione della Giustizia, che alla indennità del nostro Erario: Lo che avendo la medesima Congregazione puntualmente, ed esattamente adempiuto *fin' dalli* 8. Novembre, e 6. Decembre dell' anno prossimo passato 1746., con aver anche intesi, e consultati li Ministri principali de suddetti Tribunali, ci contentammo per allora di notificare per mezzo della nostra Segretaria di Stato al Reverendissimo Cardinale Vicario, a Monsignor Governatore di Roma, ed a Monsignor Uditore generale della Camera, le risoluzioni providamente prese di essa Congregazione, con ordine di dare alle medesime fin da principio dell' anno, pronta, e puntuale esecuzione. Oggi poi, che mediante la prova, ed esperimento fattone in tutto questo tempo di mezzo abbiamo veduto e riconosciuto essere le medesime Risoluzioni del tutto corrispondenti alla intenzione, e desiderio Nostro; Vogliamo che le medesime sieno, e restino stabilite e fissate in perpetuo.

Che però di Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra Suprema Podestà, inerendo alle suddette Risoluzioni, come sopra, prese dalla detta nostra Congregazione, e confermando, ed approvando gli ordini già dati per mezzo della nostra Segretaria di Stato, ordiniamo in primo luogo, e commandiamo che in avvenire per servizio del Tribunale del Governo di Roma vi sia sempre un numero certo, fisso, e determinato di Giudici, e Notarj, e non più con stipendj, ed emolumenti incerti, ma ciascuno col suo mestruo salario, e provisione fissa, e determinata, come in appresso, cioe - Nella Classe, e numero *de' Giudici*, due Luogotenenti: Il primo con il solito salario *di scudi cinquanta il mese*, e colla mancia parimenti solita di altri *scudi cinquanta* l'anno per le Feste del Santissimo Natale; E parimente il secondo con il solito salario di *scudi quaranta* il mese, e colla solita mancia di altri scudi *cinquanta* ogni anno nella solennità suddetta. *Due Sostituti Luogotenenti*, il primo con salario di *scudi trenta*, ed il secondo di *scudi venticinque* ogni mese. *Quattro Sostituti Fiscali numerarj*, col salario di *scudi quindici* il mese per per ciascheduno; *E sei Sostituti Fiscali sopranumerarj col salario* di mestrui *scudi dieci* per ciascheduno, senz' altra mancia dentro l'anno. E perchè oggi si trovano al servizio del Governo altri due Sostituti Sopranumerarj, vogliamo, che questi, cioè li due che sono gli ultimi in ordine di admissione, possano, se vogliono, continuare al servizio di esso Governo per loro commodo, ed insegnamento, ma però senza salario alcuno, e colla sola mancia di *scudi dieci* l'anno nelle Feste suddette di Natale, come hanno goduto finora. Subito poi che questi due, o alcuno di loro, saranno proveduti di altro impiego, o pure passeranno nel numero delli detti sei sopranumerarj salariati, non dovranno più ammettersi altri in luogo loro; Volendo Noi, che il numero de' Giudici del Governo resti sempre fissato, e stabilito, colli Salarj, e Provisioni suddette, in Luogotenenti, due Sostituti Luogotenenti, quattro Sostituti Fiscali numerarj, e sei Sostituti Fiscali Sopranumerarj, e che oltre questi non possa, ne debba ammettersi verun' altro, sotto qualunque nome, titolo, e pretesto, ancorchè protesti, e dichiari da principio di voler servire senza mancia, salario, ed emolumento alcuno, per aver dimostrato l'esperienza del passato, che questi Sopranumerarj non salariati, per lo più Giovani, ed inesperti, altro non producono, che disordine, e confusione, e non potendo pretender Salario, si procacciano tuttavia con altre maniere poco giuste il necessario loro mantenimento. Che se mai in avvenire contro questo Nostro divieto, e proibizione, ardiranno li detti Luogotenenti, o altri chiunque sia, eziandio lo stesso Governator di Roma pro tempore, ammettere alcuno sopra il detto numero di dieci, vogliamo, che sia tenuto a pagarli del proprio il Salario di scudi dieci il mese, senza che possa mai ripeterlo dalla nostra Camera.

Così pure *nella Classe de Notarj* del medemo Tribunale del Governo, vogliamo, & ordiniamo, che oltre il *Capo Notaro*, e suo *Sostituto* primario, quale fà ancora le funzioni di *Segretario*, non si tenga in avvenire maggior numero di *dieci Notari Sostituti*, con il Salario mestruo di *scudi dieci* per ciascheduno, oltre gli emolumenti, che provengono dalle licenze di portar Armi, quali dovranno fra di essi ripartirsi, come finora sono stati ripartiti, a tenore del Chirografo segnato da Urbano VIII. Nostro Prede-

decess-

decessore li 29. Novembre 1640., a cui nelle parti non contrarie alla presente Nostra Cedola di Moto Proprio, vogliamo, che si abbia piena relazione. E se il Capo Notaro, o altri chi che sia, ardirà ammettere alcuno sopra il suddetto numero di dieci, sia parimente tenuto a pagarli del proprio scudi quattordici il mese senza eccezzione alcuna, e senza poterli mai ripetere, ne direttamente, ne indirettamente dalla nostra Camera.

Correspettivamente a questi accrescimenti, e nuovi assegnamenti, quali facciamo ben volentieri alli Giudici, e Notarj del suddetto Tribunale del Governo di Roma, affinche ciascuno di essi abbia un salario corrispondente all' Impiego, e fatica sua, e più non sia, come prima, costretto a procacciarsi il vitto, e mantenimento dalle Commissioni Criminali: Vogliamo, ordiniamo, e commandiamo, che tanto li Giudici, che li Notarj suddetti, e ciascuno di essi, abbiano, ed abbia l'obbligo, e peso di andare in tutte le Commissioni, che saranno loro ordinate da Monsignor Governatore di Roma pro tempore, eziandio fuori del Distretto, tanto per cause proprie del Tribunale, quanto per cause, e per ordine della Congregazione della Nostra Consulta, senza che alcuno di essi Giudici, e Notarj possa per alcuna benchè laboriosa, e laboriosissima Commissione, domandare, e pretendere Viatici, Cavalcature, o altra veruna ricognizione, e pagamento, eccettuate le sole, e semplici Cibarie, per le quali assegniamo, e vogliamo, che si paghino dalla Nostra Camera alla Massa di tutti li suddetti Giudici, e Notarj del Governo uniti assieme, e per modo di corpo, e Collegio, la somma di scudi ottocento ottanta annui. Quali scudi 880. dovranno in primo luogo erogarsi, per la rata, che sarà necessaria, *nelle spese* dei Chirurghi, o altri Periti in occasione di riconoscere li corpi di delitto, e per ogni altra spesa eventuale, ed incerta, quale per qualunque causa, e ragione, e sotto qualunque nome, o titolo, occorrerà farsi in congiuntura di dette Commissioni. In secondo luogo dovranno erogarsi *per le Cibarie* di quelli Giudici, e Notarj, che andaranno effettivamente in Commissione fuori di Roma, da tassarsi un tanto il giorno dal suddetto Governatore pro tempore, ma però nella somma la più ristretta, che sia possibile, affinchè li detti Giudici, e Notarj per godere il vantaggio di dette Cibarie, o pure per stare assenti da Roma, ed in conseguenza dal peso delle loro ordinarie incombenze, non prolunghino più del bisogno, come finora più volte è accaduto, con grave danno della Camera, delle Communità, e degl' Inquisiti, le medesime Commissioni. Ed in terzo luogo, se dopo le spese, e Cibarie suddette avanzarà qualche parte di detti scudi ottocento ottanta, dovrà l'avanzo ripartirsi ugualmente in fine di ogni anno tra li suddetti Giudici, dodici Sostituti, e dieci Notarj salariati come sopra. E nondimeno ad effetto che li medesimi vengano sempre più animati a fare il loro dovere, vogliamo di più, & ordiniamo, che oltre li suddetti scudi ottocento ottanta da erogarsi, come sopra, si paghino ogni anno dalla Nostra Camera nelle mani di detto Monsignor Governatore pro tempore altri scudi cento, ad effetto di rimunerare con essi ad arbitrio suo quelli, che averanno usato nel decorso dell' anno celerità, diligenza, ed attenzione maggiore nelle loro Commissioni.

Non intendiamo però con questo nostro nuovo provedimento di liberare, o esimere gl' inquisiti dall' obbligo, che hanno, di pagare li viatici, secondo la disposizione di ragione, e delle Costituzioni, & ordinazioni de' nostri Predecessori; Ma dove prima dovevano pagarli alli Giudici, e Notarj, perche non erano salariati, o non avevano salarj corrispondenti alle loro fatiche, vogliamo che in avvenire sieno tenuti pagarli alla nostra Camera Apostolica in rimborso delli salarj, e somme suddette, E che a tal' effetto quei Giudici, e Notarj del suddetto nostro Tribunale del Governo, che andaranno in commissione, subito che gl' Indizj siano sufficienti per trasmettere l'Inquisizione, o pure la tortura, debbano, sotto pena della rimozione dall' Uffizio, e di essere tenuti del proprio, fare esatta, e diligente descrizione di tutti li Beni, tanto Mobili, che Stabili dell' Inquisito, o Inquisiti, e quella allegare in Processo, e denunciare con intimazione giudiziale al Commissario generale della nostra Camera, o suo Sostituto Commissario, ad effetto che possa esiggere, e far esiggere i Viatici dagl' Inquisiti dopo seguita la condanna. Con che li nostri Sudditi restaranno grandemente sollevati, perche in questo modo non saranno più soggetti alla dispersione, e perdita de' loro Beni, prima che sieno trovati veramente colpevoli.

E perche il Capo Notaro del Governo con questo nuovo metodo viene a perdere la quarta parte degli utili, che ritraevano li Notarj suoi Sostituti, nell' andare in commissione: Perciò in compenso di detta quarta parte, assegniamo, e vogliamo, che si paghi dalla nostra Camera al medesimo Caponotaro la somma fissa, e stabile di scudi *cinquecento* ogni anno, con che però il medesimo, per la mancanza di detti utili provenienti dalle Commissioni, non possa chiedere, o pretendere dall' Archiconfraternità della Carità alcuno sbasso, o defalco dell' annuo affitto convenuto colla medesima per detto Uffizio, e Notariato, ma anzi debba puntualmente osservare in tutto, e per tutto, ciò che hà promesso nell' Istromento di detto Affitto.

Da questi provedimenti, che riguardano il Tribunale del Governo per le Commissioni Criminali tanto proprie, quanto della Congregazione della Nostra Consulta, passando agli altri due, di Monsignor Uditore Generale della Nostra Camera, e del Reverendissimo Cardinale Vicario di Roma, e parimente inerendo alle Risoluzioni prese dalla detta Congregazione Economica, e confermando gli Ordini già dati in principio del corrente anno per mezzo della Nostra Segretaria di Stato, vogliamo, ordiniamo, e commandiamo, che restando fermi si per l'uno, che per l'altro Tribunale, li Giudici, Notarj, e Ministri, che al presente vi sono, colli Salari, e provisioni, che attualmente gode ciascuno di essi, nelle Cause Criminali, nelle quali vi è l' Accusatore, o Aderente al Fisco, se questi chiederà in alcuno di detti due Tribunali, quando per altro sia competente, che si spedisca un Giudice Commissario fuori di Roma, potranno in tal caso da essi Tribunali spedirsi Giudici, Notarj, e Birri, purche però l' Accusatore, o Aderente al Fisco, abbia preventivamente fatto il deposito delle spese, Cibarie, o Viatici in somma congrua, e conveniente, e per il di più, che quelle possino importare, dia, & abbia dato sigurtà idonea di pagare, e supplire l'intiero in fine della Commissione, con dichiarazione espressa da inserirsi, e registrarsi nel

Pro-

Processo della Causa, che non debba, ne possa l'Accusatore, o aderente al Fisco ripetere dagli Accusati, o Inquisiti, li Viatici, che averà depositati, o pagati, se non dopo seguita la condanna.

Quando poi non vi sia Accusatore, o Aderente al Fisco, o pure che questi non vogliano, o non possano depositare, ed obbligarsi in sigurtà come sopra; Vogliamo, ed ordiniamo, che in questo caso, e casi, ne l'uno, no l'altro di detti due Tribunali spediscano più da Roma ne Giudici, nè Notarj, ne Birri; Ma ciascuno di essi appoggi, ed incarichi delle Commissioni, che occorreranno, gli Ordinari Ecclesiastici, o Vicarii generali, oppur anche altre Persone a suo piacimento, costituite però in Dignità Ecclesiastica, di quelle istesse Diocesi, ove dovrà farsi il Processo, con trasmetter loro unitamente alla Commissione quelle Istruzioni, che stimera opportune, affinchè il Processo si faccia nelle forme di ragione. E se mai avvenisse qualche caso particolare, in cui si stimasse necessario per la buona amministrazione della Giustizia, o commettere il Processo ad alcuni de Vescovi, o Ordinarii più vicini, o pur anche spedir da Roma Giudici, o Notarj; Vogliamo che in tal caso se ne prenda da Noi, e da nostri Successori Commissione speciale segnata di nostra propria mano, con il *Visa* di Monsignor Uditore pro tempore Nostro, e de nostri Successori, come Segretario di detta Congregazione Economica: Di modo che senza tal Commissione speciale (in luogo della quale vogliamo che non possa supplirsi, ne per via di semplice rescritto, ne in altra qualunque forma) li Giudici, e Notarj, e Birri non possano pretendere ne Viatici, ne Cibarie, ne Cavalcature di sorta alcuna, ed ogni spesa, o grande, o piccola, vada a danno, e carico di chi averà data la Commissione contro la disposizione di questo nostro Moto proprio: Monsignore Uditore poi, e Segretario pro tempore di detta Congregazione, prima di porre *il Visa*, dovrà seriamente esaminare, se sia veramente necessario concedere la detta Commissione speciale, o quando così creda, dovrà avvertire, che nella Commissione s'ingiunga espressamente al Commissario, e suo Notaro, il peso di fare, e d'inserire nel Processo la descrizione de' Beni tanto mobili, che stabili degl'Indiziati, o indiziandi; sotto pena, che in mancanza di tal descrizione, nulla possano pretendere dalla nostra Camera a titolo di Cibarie, o Cavalcature, o per altra qualunque causa, o pretesto.

Provveduto in tal guisa alle Commissioni Criminali, resta ora da provedere all'altro capo di pregiudizio, e danno, il quale hanno finora sofferto tanto li Condannati in pena della Galera, quanto anche la nostra Camera, ed Erario, dall'essere li medesimi Condannati, senz'alcun giusto, e legitimo motivo, ma per sola mancanza di pronto trasporto, trattenuti lungo tempo a marcire nelle Carceri di Roma; Onde anche in questa parte inerendo alla risoluzione presa dalla prelodata Congregazione Economica, e confermando, ed approvando gli ordini già dati a Monsignor Governatore per la nostra Segretaria di Stato: Vogliamo, ordiniamo, e comandiamo, che in avvenire il Bargello pro tempore di Roma sia tenuto, ed obbligato condurre per terra a tutte sue spese, tanto di Uomini, e loro Cavalcature, che di Carri, Cavalli, Cibarie, Stallatici, e finalmente ogni altra spesa certa, o pure incerta, da Civita Castellana a Roma, e poi da Roma a Civita Vecchia (come in virtù degli Ordini suddetti si è già principiato a practicare con felice successo) tutti coloro, che sono, e saranno condannati alle Galere da qualsivoglia Giudice, e Tribunale, sì di Roma stessa, che dello Stato Ecclesiastico mediato, & immediato, con dare a detti Condannati il solo riposo *di tre giorni* dopo giunti a Civita Castellana, *e di tre altri giorni* dopo giunti in Roma, purche quivi non sieno arrestati con ordine in iscritto di legitimo Superiore, quale abbia facoltà di arrestarli; E che per tal'effetto l'Uffiziale chiamato Commissario dei Galeotti, sotto pena irremissibile della perdita della carica, ed altre eziandio corporali ad arbitrio, subito giunti in Roma li suddetti Condannati nelle Provincie, e respettivamente subito dopo publicata la sentenza contro quelli, che sono condannati in Roma, debba sollecitare la spedizione, e dentro li suddetti tre giorni di riposo, prendere, ed aver presa la solita lettera da Monsignor Commissario pro tempore del Mare.

In compenso poi, e correspettività dell'obbligo, e peso sudetto di condurre e trasportare a tutte sue spese, come sopra; Vogliamo che si assegni, e si abbia per assegnata al medemo Bargello di Roma pro tempore, come Noi in virtù del presente Nostro Moto proprio assegniamo, ed abbiamo per assegnata l'annua, e ferma somma di scudi *Mille*, da pagarseli la rata parte ogni mese dalla Nostra Camera con mandati del Reverendissimo Cardinale Camerlengo, di maniera che il suddetto Bargello, atteso questo assegnamento, non possa pretendere, ne domandare a titolo di detto trasporto, e spese, che in qualunque modo bisognano, e bisogneranno per il medesimo, altra somma, o ricognizione veruna. Intendiamo però, che la suddetta Condotta sempre si faccia sotto la direzione, ed ordine di Monsignor Governatore di Roma pro tempore, quale strettamente, e caldamente incarichiamo di attendere, e vegliare con tutta diligenza, che li sudetti Condannati non sieno strapazzati nel viaggio, ma anzi trattati dal Bargello ed Uomini suoi con tutta la maggior carità. Per la qual ragione vogliamo ancora, e dichiariamo, che il suddetto trasporto debba farsi, e continuarsi, senza rilasso o ritardo, in tutto il decorso dell'anno, eccettuati però *li trè mesi d'estate*, affinchè li suddetti miserabili già condannati, e chi li conduce, o trasporta, non incorrano il pericolo della vita, o di grave malattia per la mutazione dell'aria.

In sequela, ed esecuzione di questo Nostro Moto proprio, ordiniamo al Reverendissimo Cardinal Camerlengo, Monsignor Tesoriere generale, e loro Successori, che facciano puntualmente pagare dalla Nostra Camera per mezzo della Depositaria generale li Salarj, ed assegnamenti suddetti, e che all'incontro non permettano, che detta Nostra Camera, ne per causa di detti trasporti da Civita Castellana a Roma, o da Roma a Civita Vecchia, ne per causa di dette Commissioni Criminali, che spediranno li più volte nominati Tribunali di Roma, sia gravata di verun'altra benche minima spesa, eccettuate le sole Commissioni speciali, che saranno segnate di Nostra propria mano, e de' Nostri Successori, per li due Tribunali del Reverendissimo Cardinal Vicario, e di Monsignor Uditore della Camera, nella forma, che si è detto di sopra: Per il qual'effetto ordiniamo, ed ingiungiamo al Computista generale di essa Camera, che sotto pena di esser tenuto del proprio, non passi in avvenire, e non ammetta alcun'

cun' Ordine, o Mandato de' Tribunali suddetti, o di altro chiunque sia, ancorchè degno di speciale, e specialissima menzione, per conto di detti trasporti, e Commissioni, se non che nell'unico, e solo caso di qualche Commissione speciale segnata come sopra, nel qual caso vogliamo, che neppure debba spedire alcun Mandato di pagamento, se la nota, e lista delle giornate impiegate dai Commissari non sarà stata prima approvata, e sottoscritta dal Luogotenente Criminale di quel Tribunale, che averà ottenuto la Commissione, non solo colla espressione di averla attentamente verificata col processo originale, ma inoltre coll'altra, che in esso Processo è stata fatta, ed inserita la descrizione de' Beni degl'Inquisiti, secondo la forma di questo Nostro moto proprio, e non altrimenti.

Oltre li riferiti provedimenti, quali fin qui abbiamo preso, a consiglio e suggerimento di detta Congregazione particolare, essendo giunti a nostra notizia altri abusi, e disordini in passato occorsi con strapazzo, ed aggravio de' Nostri Sudditi, e tal volta ancora innocenti, o per essersi fatto lecito li Notarj, o altri Ufficiali, e Ministri inferiori de' suddetti, e forse anche di altri Tribunali di Roma, ad istigazione, o querela di una parte, ordinare la Cattura dell'altra, e similmente a loro arbitrio fare delle perquisizioni in Case civili, ed oneste, senza ordine, e saputa delli Capi di essi Tribunali, o de' loro Luogotenenti: Oppure per essersi lasciati lungo tempo marcire gl'Inquisiti nelle Carceri Segrete senza mai costituirli, ed esaminarli; E volendo Noi onninamente rimediare a somiglianti abusi, e che per calunnia de' Malvaggi non restino danneggiati gl'Innocenti; Perciò di simile Nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra Suprema Podestà ordiniamo in primo luogo, e commandiamo, che nelle Cause, nelle quali si procede criminalmente per denuncia, istigazione, o querela di una Parte, in qualunque sia Tribunale di Roma (niuno affatto eccettuato, ancorche per li suoi particolari privilegj fosse degno di speciale, ed individua menzione) veruno de' Ministri, ed Ufiziali subalterni, e veruno de' Notarj di esso Tribunale ardisca in avvenire ordinare la Cattura dell'altra Parte denunciata, o querelata, e molto meno alcuna perquisizione in Casa, o anche Magazzeno, o Bottega, senza ordine precedente, ed in scritto, da inserirsi nel Processo, firmato, e sottoscritto di propria mano, o dal Capo del Tribunale, o dal suo Luogotenente Criminale, sotto pena in caso di contravenzione della perdita dell'Ufizio, e di anni cinque di Galera, da potersi estendere anche alla Galera in vita, se vi saranno circostanze che aggravino la detta contravenzione.

Strettamente poi incarichiamo l'onore, e le coscienze di detti Capi di Tribunali, e dei loro Luogotenenti Criminali, che non sottoscrivano, e non rilascino nelle Cause predette, a denuncia, istigazione, o querela di una Parte, verun'ordine di Cattura, o perquisizione contro l'altra, se non dopo essersi probabilmente assicurati, che la denuncia, ed istigazione non proceda da spirito di odio, malignità, o calunnia, come pur troppo spesse volte avviene, e che la querela sia a sufficienza verificata; Ne gli rincresca di adoprare in ciò da loro stessi le dovute diligenze, e di non stare alle semplici verbali relazioni de' Notarj, o di detti Ministri, dovendo piuttosto considerare, che per obligo di loro Ufizio, essi debbono del pari invigilare, che non restino impuniti li Rei, e che non sieno aggravati gl'Innocenti.

Per la medema ragione vogliamo ancora, che rispetto agl'Inquisiti ristretti nelle Carceri segrete, si osservi onninamente la Riforma di Paolo V. Nostro Predecessore, nella quale si dispone, che debbano questi costituirsi, ed esaminarsi dentro il termine di tre giorni, dopo che sono stati ristretti in dette Carceri; E perche in detta Riforma si eccettua il caso, nel quale concorra qualche causa speciale, per cui non convenga constituire l'Inquisito dentro il termine suddetto; E quindi è nato l'abuso di fargli tutti per lungo tempo marcire indistintamante nelle dette Segrete senza mai costituirli, ed esaminarli: Perciò vogliamo, e comandiamo, che al Giudice della Causa non sia lecito a piacere, ed arbitrio suo differire l'esame, e costituto oltre i predetti tre giorni, sotto colore, e pretesto, che si tratti di caso, in cui convenga fare diversamente: Ma debba sopra di ciò ottenerne licenza, e permissione speciale firmata, e sottoscritta dal Capo del Tribunale, a cui privativamente ad ogni altro, ancorchè Luogotenente, Uditore, o altro Ministro principale, riserviamo la facoltà di dare detta licenza, quale però neppur vogliamo, che si dia per tempo indeterminato, ma solamente si dia per tempo determinato, ed il più ristretto, che sia possibile, ad effetto che non resti perciò ritardato il corso della Giustizia.

E siccome in questa parte abbiamo già Noi medesimi incaricato in voce Monsignor Governatore di Roma, e suoi Luogotenenti, l'Avvocato, e Procuratore de' Poveri, e li Deputati della Carità; Così colla presente Cedola di Nostro Moto proprio torniamo ad incaricare tanto il suddetto Monsignor Governatore di Roma, e suoi Luogotenenti, quanto li Capi, e Ministri di ciascun'altro Tribunale di Roma, e generalmente tutta la piena Visita, che veglino attentamente sopra la puntuale esecuzione di questa Nostra disposizione, e volontà, ne si contentino del solo *formatur*, ò *continuatur Processus*; Ma costringano il Giudice della Causa a dire precisamente, se l'Inquisito è stato mai costituito, e quante volte; E quando non sia stato constituito dentro li primi tre giorni, ad esibire la suddetta licenza in iscritto: Specialmente poi ordiniamo all'Avvocato e Procuratori de' Poveri, sotto pena della Nostra indignazione, ed alli suddetti Deputati della Carità per obbligo del loro pio, e lodevole Istituto, che quante volte nella Visita delle Segrete trovino alcun Carcerato, che senza la proroga, o licenza predetta data in iscritto dal Capo del Tribunale non sia stato costituito, ed esaminato dentro i tre giorni, o, essendovi la proroga, dentro il termine prorogato, debbano tutti, e ciascun di loro rappresentarlo senza ritardo a Noi, e Nostri Successori, o almeno alli Nostri Uditori pro tempore, ad effetto di restarne prontamente intesi, e di prendere contro quelli, che averanno mancato, ulteriori provedimenti.

Finalmente vogliamo, e commandiamo, che le Cause, e Processi contro i Contumaci sieno ancor essi per quanto è possibile, sollecitati, e disbrigati; E perciò ordiniamo al Fiscale Generale di Roma, che almeno due volte il mese si faccia render conto dalli suoi Sostituti delle Cause, e Processi suddetti; di più invigilare, che questo Nostro proprio Moto subito che sarà dato alle stampe, resti per sempre affisso in luogo a tutti commodo, e visibile nella

Can-

Cancellaria delle Carceri Nuove, e di Campidoglio, ed in ciaſcheduno degl' Uffizj Criminali di Roma; laſciando al Computiſta generale della Cammera la cura e peſo di tenerlo ſimilmente affiſſo nella ſua Computiſteria, per eſſer così mente, e volontà Noſtra preciſa; Volendo, e decretando, che la preſente Noſtra Cedola di Moto proprio, da ammetterſi, e regiſtrarſi in piena Cammera, e ne'ſuoi Libri, a tenore della Bolla di Pio IV. Predeceſſore Noſtro *de regiſtrandis*, e tutto ciò che in eſſa abbiamo come ſopra voluto, diſpoſto, ed ordinato, vaglia, e debba aver ſempre, ed in ogni futuro tempo il ſuo plenario effetto, eſecuzione, e vigore colla noſtra ſemplice ſottoſcrizzione, ancorche non vi ſiano ſtati chiamati, citati, ne ſentiti li Capi de' ſuddetti Tribunali, loro reſpettivi Luogotenenti, Giudici, Notarj, e Miniſtri, il Fiſcale Generale, Monſignor Commiſſario Generale della Noſtra Camera, e quali ſi ſiano altri, benche degni di ſpecial menzione, che vi aveſſero, o pretendeſſero d'avervi intereſſe: Non oſtanti le Conſtituzioni di Paolo II. Paolo IV., e del detto Pio IV. *de rebus Eccleſiæ, & Cameræ non alienandis*, la Regola della Noſtra Cancellaria *de Jure quæſito non tollendo* e quali ſi ſiano altre Coſtituzioni, ed Ordinazioni Apoſtoliche Noſtre, e de' Noſtri Predeceſſori, Leggi, Statuti, ſtabilimenti, Riforme eziandio delli ſteſſi Tribunali, uſi, ſtili, conſuetudini, ed ogni altra coſa, che faceſſe, o poteſſe fare in contrario, alle quali tutte, e ſingole, avendone il tenore qui per eſpreſſo, e di parola, in parola inſerito, e ſupplendo Noi colla pienezza della Noſtra Suprema Podeſtà a qualunque vizio, e difetto quantunque ſoſtanziale, e formale, che nelle coſe premeſſe poteſſe intervenire, queſta volta ſola, ed all' effetto predetto, ſpecialmente, ed eſpreſſamente deroghiamo. Dato dal Noſtro Palazzo Apoſtolico Quirinale queſto di 30. Settembre 1747.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ut igitur provida hujuſmodi mandata, atque præcepta in publicam omnium, ad quos pertinet, ſeu pertinebit in futurum, notitiam deducantur, & propenſiori hac voluntatis Noſtræ ſignificatione perennem atque inviolabilem obſervantiam, & firmitatem obtineant; eadem Apoſtolicis hiſce Noſtris Literis inſerta, atque earumdem tenore, ac ſimili Motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine iterum confirmata ac roborata, perpetuæ univerſorum memoriæ commendare voluimus: Mandantes præfatis Dilectis Filiis Noſtris S.R. E. Cardinalibus Vicario noſtro in Urbe, nec non ejuſdem S. R. E. Camerario, ac Dilectis pariter Filiis Gubernatori Urbis ipſius S. R. E. Vice Camerario, item Cauſarum Cameræ Noſtræ Apoſtolicæ Auditori Generali, ejuſdemque Cameræ Commiſſario, & Ratiocinatori generali, nec non Auditori Noſtro præfatis, eorumque in Officiis hujuſmodi ſucceſſoribus pro tempore futuris, ut omnia & ſingula a Nobis in præcitata ſchedula noſtri Motus proprii diſpoſita atque ſtatuta, tam ipſi, in quantum eorum reſpective Officia concernunt, exacte obſervent, quam etiam ab aliis ſibi ſubjectis, ad quos pertinet ac pertinebit in poſterum, exactiſſime impleri & obſervari faciant, ſub pœnis ibi contentis.

Ac decernentes, præinſertam Schedulam, nec non præſentes Noſtras Literas perpetuo validas firmas, & efficaces eſſe, & fore, quibuſcumque juris, ſeu facti, defectibus, qui adverſus illas, etiam quorumvis privilegiorum a Sede Apoſtolica conceſſorum prætextu ad effectum impediendi, ſeu retardandi earum executionem, quovis modo, ſeu quavis ex cauſa, opponi ſeu objici poſſent, minime refragantibus, ſuos plenarios & integros effectus ſortiri, & obtinere, eaſque propterea, omnibus & ſingulis quomodolibet afferendis impedimentis penitus & omnino rejectis, ac nequaquam attentis, ab illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quomodolibet ſpectabit inviolabiliter & inconcuſſe obſervari debere; Ac irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis Auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus omnibus his, quæ in ipſa præinſerta Schedula non obſtare voluimus, & quibuſvis aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque contrariis quibuſcumque.

Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Noſtræ Confirmationis, mandati, decreti, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLVII., decimo ſeptimo Kal. Januarii, Pontificatus noſtri anno Octavo.

D. Card. Paſſioneus.

J. Datarius.

VISA

de Curia J. C. Boſchi.

J. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Regiſtrata in Secretaria Brevium.

SS. D. N. Benedicti PP. XIV. Conſtitutio, qua confirmantur in Ordine Minorum pœnæ contra recurrentes extra Ordinem, & certus modus præſcribitur in cauſis recurſus, & appellationis.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Ad perpetuam rei memoriam.

SAcroſancti Apoſtolatus Officium, quod inſcrutabilis divinæ Sapientiæ, atque Clementiæ altitudo humilitati noſtræ, meritis licet imparibus, committere dignata eſt, ſalubriter exequi jugi vigilantia ſatagentes, in eam præcipue curam, ſollicitis ſtudiis incumbimus, ut Chriſtifideles Altiſſimi obſequiis ſub ſuavi Religionis jugo mancipati, ſublatis iis, quæ Regularium eorum Obſervantiæ, atque diſciplinæ detrimentum afferre noſcuntur, juxta Regularia eorum inſtituta proſpere dirigantur, illiſque firmiter inſiſtentes, multipliciter in dies, benedicente Domino, proficiant incrementis. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecit Dilectus Filius *Raphael a Lugagnano* Miniſter Generalis Ordinis Fratrum Minorum S. Franciſci de Obſervantia nuncupato-

rum, quod dudum San. Mem. Pius Papa V. per quasdam incipien. *Pastoralis Officii* XXVIII. Maij MDLXXI., ac Rec. Mem. Gregorius PP. XIII. incipien. *Consuevit* XXIX. Aprilis MDLXXIX., Paulus PP. V. XVIII. Octobris MDCXIX., & Urbanus PP. VIII. Prædecessores nostri incipien. *Admonemur* XXIX. Junii respective diebus MDCXXXIX. suas respective expeditas Literas, Constitutionibus ejusdem Ordinis auctoritate Apostolica confirmatis inhærentes statuerunt, mandarunt, ac præscripserunt, & inhibuerunt, ne Fratres dicti Ordinis ad Sæculares, vel alias Personas extra eundem Ordinem constitutas, sive pro obtinenda commissorum criminum debitæ eis penæ remissione, sive pro assequendis in præfato Ordine gradibus, vel cujuscumque generis gratiis recurrere auderent, sub nonnullis præscriptis, & præsertim excommunicationis ipso facto incurren., incarcerationis, ac perpetuæ inhabilitationis ad Officia pœnis; Ac insuper memorati Paulus, & Urbanus Prædecessores in virtute sanctæ Obedientiæ, ac sub eadem excommunicationis pœna præceperunt itidem, & mandarunt supradicti Ordinis Superioribus pro tempore existentibus, ne ad instantiam, & requisitionem quarumcumque Personarum tam Ecclesiasticarum, quam Laicarum cujuscumque qualitatis, extra dictum Ordinem constitutarum, cuivis ejusmodi Ordinis Religioso ullam gratiam concedere, aut pœnam remittere præsumpsissent, & alias prout in supradictis eorumdem Pii, Gregorii, Pauli, & Urbani Prædecessorum literis, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus, uberius dicitur contineri. Præterea, quod per alias sæpedicti Ordinis Constitutiones pluries renovatas, & confirmatas cautum, præscriptumque reperitur sub pœna privationis suffragiorum per triennium, & Carceris per bimestre, ne Fratres ipsius Ordinis quemcumque recursum, vel appellationem aliquam peragant nisi gradatim, nempe de Guardiano ad Ministrum Provincialem, de Provinciali ad Commissarium Generalem Familiæ (si de negotio agitur dicti Commissarii Familiam concernente) de Provinciali, seu Commissario prædictis ad Ministrum Generalem, ac tandem ad S. R. E. Cardinalium Congregationes, vel ad Apostolicam hanc Sanctam Sedem. Cum autem, sicut eadem expositio subjungebat, dictus Raphael Minister Generalis, qui (ut asserit) præmissis non obstantibus, ac quodam particularis tunc existentium S. R. E. præfatæ Cardinalium Congregationis a Fel. Rec. Sixto PP. V. pariter Prædecessore Nostro deputatæ Anno MDLXXXVII. edito decreto tenoris sequentis, videlicet - *Quoniam nonnulli Regulares vagandi studio, sive dum imminentem ad missorum Criminum pœnam ex suis Constitutionibus, aut alias debitam sibi metuunt, falsa, & commentitia gravamina exusciti, non ad immediate sui Ordinis Superiores, scilicet, a gravamine Prioris ad Provincialem, a Provinciali ad Generalem, a Generali ad Protectorem, prout cujusque Religionis Constitutiones disponunt, sed ad hanc Romanam Curiam absque licentia sæpius fugiunt potius, quam recurrant, ex quo Ordinum disciplina relaxatur, Prælati contemnuntur, & ipsi in dies audaciores evadunt. Placuit Sacræ Regularium Congregationi ex Ordine Sanctissimi statuere, ut si quis Regularium imposterum temere, levive ex causa Almam Urbem, seu Curiam absque Superioris licentia, & supradicta forma prætermissa adire præsumpserit, ad suos eosdem Superiores, severiorique pœna plectendus mittatur* - compertum habet, quod nonnulli dicti sui Ordinis Alumni, Constitutionum præfatarum immemores, illasve exoletas, & antiquatas esse credentes, tum favores personarum extra præfatum Ordinem constitutarum pro obtinendis gratiis, pœnisve fugiendis sibi procurare, tum non servata forma pro recursibus, & appellationibus, sicut præmittitur, præscripta, ad Superiores mediatos, sive Prælatos majores Ordinis prædicti, ac etiam ad eamdem Sedem recurrere, & appellare, tum denique a decretis suorum Superiorum contra Constitutionum Apostolicarum, ac dicti Ordinis, & præinserti decreti tenorem, & dispositionem, ad Sæcularia Tribunalia ausu temerario recurrere non prætermittunt, unde Regularis disciplinæ detrimentum, immediatorum Superiorum, eorumque jurisdictionis contemptus, ac non raro impunitas delinquentium, aliaque multiplicia incommoda oriuntur, nec non Almæ Urbis Tribunalia non levibus afficiuntur molestiis, & Sæculares non sine admiratione, & stupore Religiosos, qui strictam paupertatem, & rigorosam tam suis Superioribus, quam Sedi præfatæ Obedientiam in sua professione præstiterunt, litigantes, & inobedientes observant; atque propterea sibi omni ratione adnitendum proposuerit, ut quælibet via præcludatur ambitioni, & debita respective Subditorum erga Prælatos, & Sedem præfatam obedientia, exactaque Regularis Observantia in dicto Ordine conserventur, & sicubi exciderint, restituantur, opportunum gliscentibus malis, & abusibus ejusmodi remedium adhiberi; & alias in præmissis salubriter a Nobis, ut infra, provideri summopere desideret, prout alias a Nobis pro Ordine Fratrum Sancti Francisci de Paula Minimorum, & a Recol. itidem Memor. Benedicto PP. XIII. pro Ordine Fratrum Prædicatorum confirmasse, & renovasse supradictum decretum, & alias Romanorum Pontificum suorum, & nostrorum Prædecessorum literas, appellationem, accusationem, & recursum, præscripto ordine minime servato, prohibentes, ac pro Ordine Fratrum Eremitarum Sancti Augustini præcepisse, ut recursus, & appellationes gradatim fierent a Superiore Locali ad Provincialem, deinde ad Generalem, & tandem ad Sacram Congregationem, necnon a Clemente PP. XII. Prædecessoribus quoque nostris pro Ordine Fratrum Minorum Sancti Francisci Cappuccinorum nuncupatorum extendisse, ac præcepisse Cardinalium Congregationibus, ne Causas, & Lites dicti Ordinis reciperent, nisi gradatim a Superioribus definitæ fuissent, ac dictam prohibitionem extendisse etiam pro memorato Ordine ejusdem Sancti Augustini, ac pro Ordine ejusdem Sancti Augustini Excalceatorum nuncupatorum, necnon pro Congregationibus Monachorum Silvestrinorum, & Clericorum Regularium Matris Dei Scholarum Piarum, & Ordine memorati Sancti Francisci Conventualium concessum, extensum, & provisum fuisse memoratur. Nos, qui aliunde ex diutina rerum experientia probe novimus, quot, & quanta Regularibus Ordinibus ex prædictarum, & similium Ordinationum inobservantia, & infractione eveniant incommoda, ipsius Raphaelis Ministri Generalis piis postulatis, hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, supplicationibus ejus nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, memoratas Pii, Gregorii, Pauli, & Urbani Prædecessorum nostrorum literas,

ac

ac præinſertum ejuſdem Congregationis Regularium decretum cum omnibus, & ſingulis in eis contentis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium confirmamus, & approbamus, ac innovamus, & quatenus opus ſit, omnibus, & ſingulis dicti Ordinis tam de Obſervantia, quam Reformatis, Recollectis, & Diſcalceatis, aut quocumque alio nomine reſpective nuncupatis profeſſoribus nunc, & pro tempore ſub obedientia, regimine, & adminiſtratione dicti Miniſtri Generalis exiſtentibus, ne futuris temporibus ſub quovis prætextu, cauſa, ratione, & occaſione ad Sæculares, vel alias Perſonas extra dictum proprium Ordinem pro obtinenda aliqua intra præfatum Ordinem gratia, vel vitanda pœna, nec non Generalibus, vel Provincialibus, cœteriſque Ordinis hujuſmodi Superioribus cujuſvis ſtatus, gradus, & qualitatis nunc, & pro tempore itidem exiſtentibus, ne ipſi ad inſtantiam, & requiſitionem quarumcumque Perſonarum tam Laicarum, quam Eccleſiaſticarum extra dictum Ordinem conſtitutarum, etiam Cardinalatus honore, ac quacumque Sæculari dignitate, & præeminentia Ducali, Regali, & Imperiali fulgentium, cuicumque ipſius Ordinis profeſſori ullam gratiam, ullumque gradum, aut dignitates, vel officia, & adminiſtrationes concedere, vel pœnam aliquam remittere, & condonare audeant quovis modo reſpective, ſeu præſumant, ſub excommunicationis pœna eo ipſo abſque alia declaratione incurren., auctoritate, & tenore præſentis interdicimus, & prohibemus, ac præcipimus quoque, & mandamus. Præterea in caſibus, in quibus Fratribus dicti Ordinis de jure, vel juxta illius Conſtitutiones appellare, aut recurſus habere licet, id non aliter deinceps fieri poſſe, auctoritate, & tenore præſentis ſtatuimus, & ordinamus, ut gradatim, a gravamine ſcilicet Guardiani ad Provincialem, a Provinciali ad Commiſſarium Generalem Familiæ (ſi de negotio, & Cauſa agatur Familiam dicti Commiſſarii concernente, alias immediate ad Generalem.) & ab iſto ad Miniſtrum Generalem, itaut Cauſæ appellationis hujuſmodi antequam ab eodem Miniſtro Generali cognitæ, & definitæ fuerint, extra dictum Ordinem deferri, & agitari nequeant; Quam quidem legem non ſolum in appellationibus, ſed in quibuſcumque recurſibus, & querelis, aut Cauſis inter dictos Ordinis hujuſmodi profeſſores quoquo modo agitandis inviolabiliter obſervari, ſub pœnis per memoratas ejuſdem Ordinis Conſtitutiones præſcriptis, & in illis contentis ipſo facto abſque alia pariter declaratione incurrendis. Demum omnibus Romanæ Curiæ Tribunalibus, ac Judicibus, & quibuſvis Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. præfatæ Cardinalium Congregationibus, nec non Sedis Apoſtolicæ Nunciis nunc, & pro tempore exiſtentibus, ne Fratrum dicti Ordinis recurſus, aut appellationes ſuper cujuſcumque Cauſæ cognitione admittant, Cauſaſque ipſas cognuſcant, niſi prius eis legitime conſtiterit, illas juxta præinſertum decretum per dictos Superiores præſcripto ordine ſervato cognitas, & definitas fuiſſe, ſub pœna nullitatis actorum inde ſecutorum, auctoritate, & tenore præſentis itidem harum ſerie interdicimus. Ac omnibus, & ſingulis Ordinis præfati profeſſoribus ſub pœnis in ſupradictis Gregorii Prædeceſſoris literis contentis, & contra inobedientes inflictis eo ipſo irremiſſibiliter incurrendis, ne ipſi ad Sæcularia Tribunalia adverſus ea, quæ a dicti Ordinis Superioribus, vel ab hac Sancta Sede acta, aut decreta fuerint, ſub quovis prætextu appellare, aut quovis modo recurrere audeant quoque, ſeu præſumant, ſeu per interpoſitas perſonas præmiſſa peragere curent, & faciant dicta auctoritate prohibemus. Decernentes eaſdem præſentes literas, & in eis contenta quæcumque ſemper firma, valida, & efficacia exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis ad quos ſpectat, & pro tempore quandocumque ſpectabit pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari. Sicque in præmiſſis per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores, ac dictæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales etiam de Latere Legatos, & Sedis præfatæ Nuncios, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Conſuetudinibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & ſingulis illorum tenores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, ad præmiſſorum effectum hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cœteriſque contrariis quibuſcumque. Volumus autem, ut earumdem præſentium literarum tranſumptis, ſeu exemplis, etiam impreſſis, manu Procuratoris Generalis, ſeu Secretarii Generalis dicti Ordinis ſubſcriptis, & Sigillo Ordinis præfati munitis eadem prorſus fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præſentibus ipſis adhiberetur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris die 11. Auguſti 1748. Pontificatus noſtri Anno Octavo.

D. Cardinalis Paſſioneus.

Sanctiſſimi D. N. Benedicti Papæ XIV. Conſtitutio, qua circa Immunitatem Localem nonnulla dubia declarantur, poſt Conſtitutiones Benedicti XIII., & Clementis XII. excitata, aliaque opportune ſtatuuntur, & præcipiuntur.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

Officii Noſtri ratio non eam modo ſollicitudinem Nobis imponit, ut Sacrorum Canonum Leges, & Prædeceſſorum Noſtrorum Romanorum Pontificum Conſtitutiones, in quarum interpretatione nihil dubium, aut perplexum occurrit, exactiſſime ſervari, & impleri curemus; ſed id etiam a Nobis expoſcit, ut exorientem circa aliquas ex

illis dubiorum segetem, quæ earum debitæ executioni multis modis officere dignoscitur, opportunis editis declarationibus aut definitionibus, amputare ac removere studeamus.

Sane fel. recor. Prædecessor Noster Gregorius Papa XIV., providam Juris Canonici sanctionem præ oculis habens, qua scilicet, sub *Tit. De homicidio voluntario, vel casuali cap.* 1. innovatum fuit vetus præceptum Legis a Deo in Exodo latæ — *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias, ab Altari meo evelles eum, ut moriatur* —; per suam Anno Incarnationis Dominicæ MDXCI. nono Kalendas Junii editam Constitutionem, quæ incipit — *Cum alias* —, iis, qui proditorie proximum suum occidissent, ad Ecclesias, Locaque Sacra, & Religiosa confugientibus, Ecclesiasticam Immunitatem minime suffragari decrevit. Tum vero piæ memoriæ Prædecessor quoque Noster, ac Dignitatis Nostræ amplificator Benedictus Papa XIII. Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXV. sexto Idus Junii, edita Constitutione quæ incipit — *Ex quo Divina*, non eos tantum, qui proditorie, ut præfertur, homicidium patrassent, verum etiam interficientes proximum suum animo præmeditato ac deliberato, ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio exclusit, & repulit. Demum fan. mem. proximus Decessor Noster Clemens Papa XII. in sua Constitutione, quæ incipit — *In supremo Justitiæ Solio* — Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXXIV. Kalendis Januarii edita, eos etiam, qui homicidium in rixa commisissent, dummodo homicidium non fuisset casuale, vel ad propriam defensionem, Immunitatis prædictæ beneficio minime gaudere voluit, atque decrevit.

Insuper iidem proxime memorati Prædecessores Benedictus, & Clemens, ad ea, quæ in jure Canonico, & in Gregoriana Constitutione recensebantur, nonnulla alia delicta addiderunt, quæ, si qui commisissent, eos a prædicto beneficio asyli, & confugii apud Ecclesias, ac Loca Sacra, & Religiosa, exclusos fore statuerunt, variasque a Doctoribus, ac dicti Iuris, & Constitutionum Apostolicarum Interpretibus, de Immunitate locali agentibus, excitatas quæstiones, & controversias, declarando ac definiendo sustulerunt; ut ex eorundem Constitutionum tenore colligere licet, atque etiam ex una e Nostris Institutionibus, quam olim dum Archiepiscopalem Bononiensem Ecclesiam præsentes moderabamur, pro illius Populi curæ Nostræ concrediti instructione, edidimus, quæque impressa extat *Tom. II.* Editionis Italicæ *num. xxj.* in Latina vero Editione *num.* XLI.

Ad hoc autem ut Curia aliqua Ecclesiastica, in casu alicujus ex delictis exceptis hujusmodi, ad extractionem Delinquentis e loco immuni procedere, eumque ad suos Carceres transferre posset, quum præfatus Benedictus Prædecessor satis esse voluisset, ut super delicti excepti qualitate, ac personæ reitate, ea suppeterent indicia, quæ ad capturam decernendam sufficientia reputari solent; ut vero extractum hujusmodi Ministris, & Officialibus Curiæ Sæcularis tradere, & consignare valeret, ea decreevisset indicia ex processu informativo adversus extractum ipsum confecto resultare debere, quæ, juxta regulas Iuris, vocantur ultra torturam; alter deinde Prædecessor Clemens XII., ampliando declaravit, ut quoties Ecclesiastico Judici, ex indiciis, non quidem ultra torturam, sed ad torturam tantum sufficientibus, de delicto excepto per extractum commisso constaret, posset idem extractum hujusmodi Curiæ sæculari tradere, & consignare. Ceterum iidem Prædecessores nec auctoritatem Ecclesiasticam ullo pacto per præmissa imminui, nec inde ullam Justitiæ lædendæ occasionem captari posse voluerunt. Siquidem extractiones Delinquentium hujusmodi e loco immuni nunquam sine auctoritate Episcopi, & interventu Personæ Ecclesiasticæ ab ipso Episcopo deputandæ, fieri posse statuerunt; nec unquam extractos ipsos, prædictis etiam concurrentibus indiciis, Curiæ sæcularis Officialibus tradi, & consignari, nisi ea lege, sub gravissimarum censurarum pœnis servanda, ut Ecclesiæ, seu Loco immuni restituerentur, quatenus in progressu Causæ iidem extracti indicia hujusmodi purgarent, atque diluerent.

Cum autem ea, quæ per Clementem Prædecessorem prædictum, Juris communis, & Gregorianæ, ac Benedictinæ Constitutionum sanctionibus addita fuerunt, ultra fines temporalis Dominii Apostolicæ Sedis minime extenderentur; visum est Nobis, eadem ad alias quoque Regiones, quarum Supremi Principis id postulassent, opportune ampliari posse. Itaque in Concordatis, tum, quæ Anno MDCCXLI. cum Carissimo in Christo Filio Nostro Carolo utriusque Siciliæ Rege Illustri, tum quæ Anno sequenti MDCCXLII. cum alio pariter Carissimo in Christo Filio Nostro Carolo Emanuele Illustri quoque Sardiniæ Rege sancita fuerunt, præmissas, aliasque in Clementis Literis præfatis contentas dispositiones, in eorundem Regum Dominiis locum habere concessimus; mox etiam ad alia Principum id expetentium dominia, peculiaribus respective editis Literis, quarum exemplum videre est in *Tomo* 1. *Bullarii Nostri Constitut. LXXXVIII.*, quæ incipit — *Alias feliciis* — extendimus, & ampliavimus.

Verum, quum tot ista per Prædecessores Nostros prædictos, ac per Nos ipsos adhibita studia, non omnes quæstiones, quæ in Tribunalibus excitari solent, tam super qualitatibus homicidiorum, quæ pro exceptis haberi debeant, quam super modo exequendi præfatas Constitutiones in variis homicidiorum hujusmodi, aliorumque exceptorum delictorum casibus, de medio tollere, seu penitus avertere valuerint; id adhuc oneris Nobis relictum esse judicavimus, ut constitutas in hoc rerum genere agendi regulas, ad quas sæpissime tam Ecclesiasticorum, quam secularium Judicum acta expendere, & exigere necesse est, nequaquam ultra difficultatibus, & dubiis involutas remanere pateremur. Itaque, omnibus mature pensatis, auditisque nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, aliorumque gravium Virorum, Jurisque Canonici peritorum, & in criminalibus judiciis versatorum consiliis, Motu proprio, ac de Apostolicæ, qua fungimur, auctoritatis plenitudine, Nostram, & Prædecessorum Nostrorum mentem, in hunc, qui sequitur, modum declarare, & quædam etiam ex integro, ut infra, statuere decrevimus.

Ac primum quidem, cum in memorata Gregorii Prædecessoris Constitutione, quæ incipit — *Cum alias* —, dum ea delicta enumerantur, quæ ab Ecclesiasticæ Immunitatis beneficio exclusa censeri debent, de Laicis delinquentibus dumtaxat mentio habeatur; deque his etiam tantummodo loquutus fuerit alter Prædecessor Benedictus in supracitata Constitutione, quæ incipit — *Ex quo Divina* —; placeat

cuit laudato Prædecessori Clementi XII. hujusmodi Constitutiones per suam, quæ incipit — *In supremo Justitiæ solio* —, ad Ecclesiasticos etiam cujuscunque gradus, & ordinis, homicidium animo præmeditato ac deliberato patrantes, extendere, & ampliare; itaut nec ipsi, in hujusmodi casu, Ecclesiastica Immunitate juvari possint; dummodo tamen commissi per eos homicidii Causa ab eorum Judice Ecclesiastico competente cognoscatur, ipsique ab eo, si rei reperti fuerint, citra pœnam sanguinis, ad præscriptum Sacrorum Canonum condigna puniantur animadversione. Cum autem dubitatum fuerit, an sub hac Clementia Prædecessoris ampliatione, & extensione, Regularium quoque Ordinum Professores, & Alumni comprehendantur; Nos, ad omnem super hoc dubitationem tollendam, decernimus, & declaramus, omnes, & singulos cujuscunque Ordinis, Congregationis, Militiæ, & Instituti Regulares, tam in ipsis expresse Professos, quam illis quomodolibet adscriptos, cujuscunque gradus, & conditionis extiterint, etiamsi ex ipsorum Ordinum Privilegio, seu alias, quælibet expressa, & individua mentio de ipsis, eorumque Ordinibus, ad hoc ut sub præsentis, aut præmissarum Constitutionum censura comprehendantur, habenda foret; si qui unquam, quod Deus avertat, homicidium animo præmeditato ac deliberato patraverint; a beneficio Immunitatis Ecclesiasticæ, juxta formam earundem Constitutionum Benedicti, & Clementis, exclusos fore, & censeri.

Et quoniam prædictus Clemens Prædecessor speciali Decreto edito die v. Octobris anni MDCCXXXVI. expresse declaravit, Mulieres etiam, quæ aliquod delictum ejusmodi commisissent, quod inter excepta, & ab Immunitatis localis beneficio exclusa, juxta præmissa, haberi debeat, pari jure hac in re cum Viris censeri, & sub dispositione ipsius Literarum incipien.: *In supremo Justitiæ Solio*, æque in omnibus comprehendi debere; Nos hujus nostræ Constitutionis tenore declarationem prædictam approbamus, & confirmamus, eique inviolabilis legis, juxta quam in occurrentibus casibus judicari omnino debeat, plenarium robur adjicimus: Decernentes similiter, ac declarantes, sub ejusdem Clementis, nostræque hujus Constitutionis dispositione, etiam Milites in omnibus, & per omnia comprehensos esse; nec ullum militare privilegium, hac in parte, ipsis suffragari posse, aut debere.

Præterea quum in præfata Clementis Decessoris Constitutione ab Immunitatis prædictæ beneficio excludantur omnes, & singulis tam Laici, quam Ecclesiastici inquisiti, & processati, vel in contumaciam banniti, & condemnati, *ex causa, & occasione homicidii, etiam in rixa commissi cum armis, seu instrumentis suapte natura aptis ad occidendum, dummodo homicidium non fuerit casuale, vel ad propriam defensionem*; sæpe disputari contigit, an is, qui non casu, vel ex propriæ defensionis necessitate, homicidium in rixa commiserit baculo, aut saxo quæ scilicet vel arma non sunt, vel si ita appellari possent, non tamen arma suapte natura ad occidendum apta reputari solent; ab Immunitatis localis beneficio exclusus haberi debeat. Nos igitur super hujusmodi dubio, definiendo decernimus, quemcumque Homicidam, sive Virum, sive Mulierem, sive Laicum, sive Ecclesiasticum secularem, aut cujusvis Ordinis Regularem, qui etiam baculo, aut saxo proximum suum occiderit, Ecclesiastici confugii beneficio minime gaudere, ubi ex delicti circumstantiis dignoscatur, illius actum, quamvis in rixa commissum, non casu, aut ex necessaria defensione, sed ex odio, & nocendi animo, ac voluntate prodiisse. Quæ quidem definitio nostra conformis est Divinæ Legis quæ habetur in Libro Numerorum *cap. xxxv.*, ubi, designatis Civitatibus refugii pro iis, qui sanguinem proximi nolentes effudissent, ita subjungitur — *Si quis ferro percusserit, & mortuus fuerit qui percussus est, reus erit homicidii, & ipse morietur. Si lapidem jecerit, & ictus occubuerit, similiter punietur; Si ligno percussus interierit percussoris sanguine vindicabitur. Propinquus occisi Homicidam interficiet; statim ut apprehenderit eum, interficiet. Si per odium quis hominem impulerit, vel jecerit quippiam in eum per insidias, aut cum esset inimicus, manu percusserit, & ille mortuus fuerit, percussor homicidii reus erit; cognatus occisi, statim ut invenerit eum, jugulabit: quod si fortuito, & absque odio, & inimicitiis, quidquam horum fecerit, & hoc audiente populo fuerit comprobatum, atque inter percussorem, & propinquum sanguinis quæstio ventilata, liberabitur innocens de ultoris manu, & reducetur per sententiam in Urbem, ad quam confugerat, manebitque ibi, donec Sacerdos Magnus, qui Oleo sancto unctus est, moriatur.*

Accidit autem in homicidiis, id quod in aliis delictis exceptis locum non habet, ut qui percussus, aut ictus fuerit, non statim moriatur, sed plerumque per aliquot horas aut dies spiritum trahat. Interim percussor ad Ecclesiam, aliumve locum immunem confugiens, asyli jure gaudet, quo privari non potest, ut homicida, quamdiu percussus ab eo in vivis agit; dumque ex ipso loco immuni de saucii vita sollicite explorare non desinit, si eum diutius victurum intelligit, a capto asylo nequaquam discedit; ubi vero illum ex accepto vulnere vitam amittere agnoscit, arrepta fuga, Magistratuum diligentiam prævertens, tempestive sibi consulit, meritasque pœnas evadit. Quod quum ab iis, qui justitiæ administrandæ præpositi sunt, Nobis expositum fuerit per sæpe evenire, & quidem non sine magna publicæ tranquillitatis pernicie, ob impunitatis spem, quam facinorosi homines ex hujusmodi evasionis fiducia concipiunt; iidemque postularint, hujusmodi malum opportunis providentiæ nostræ remediis submoveri.

Ideo Nos, de prædictorum Fratrum nostrorum, aliorumque prudentium consilio, per præsentes decernimus, ac mandamus, ut percussore ad Ecclesiam, aliumve Sacrum, aut religiosum locum confugiente, si Chirurgi ad inspiciendum vulnus acciti, *grave vitæ periculum* adesse retulerint, percussor ipse e loco immuni servatis servandis extractus, carceribus mancipetur; hac tamen lege, ut Ecclesiæ omnino restituatur, ubi is, qui vulneratus fuerit, ultra tempus a legibus constitutum superstes vivat, & quidem sub iisdem pœnis, quibus in memoratis Benedicti, & Clementis Literis ii subjiciuntur, qui delinquentem ex indiciis ad torturam sufficientibus sibi traditum restituere recusent, postquam is in suis defensionibus hujusmodi indicia diluerit.

Quod vero in citata Gregorii Predecessoris Constitutione, circa facultatem demandandi extractionem delinquentium e loco immuni in casibus exceptis, statutum fuit; ut scilicet ea ad solos Episcopos, aliosque Episcopis superiores Prælatus pertineat; non vero ad alios Episcopis inferiores, etiamsi alii

Ordi-

Ordinarii sint, aut Nullius Diœcesis; ita ut, occurrente casu in loco exempto, & Nullius Diœcesis, tunc negocium hujusmodi ad viciniorem Episcopum devolvatur; id quod ab alio quoque Prædecessore Benedicto in superius allegata ipsius Constitutione, confirmatum fuit; id ipsum Nos quidem præsentium Literarum tenore approbamus, & confirmamus. Sed quoniam nonnullæ ad Nos querelę super hoc delatæ fuerint, quod quędam Curiæ Ecclesiasticæ pro parte Officialium Curiæ Sęcularis requisitæ, extractionem delinquentium in casibus exceptis hujusmodi, diutius quam par est, protrahere consueverunt; Nos ipsis Venerabilibus Fratribus Episcopis, aliisque Superioribus Ecclesiarum Pręsulibus, enixe studioseque suademus, & respective mandamus, ut omnem querelarum occasionem in hoc rerum genere studeant amovere, & quoties de delinquentibus in casibus exceptis hujusmodi agatur, ad opportuna indicia adversus eos colligenda animum intendere, non recusent; sique ea, quæ juxta præmissa requiruntur, revera suppetere agnoscant, eorundem delinquentium extractionem e loco immuni quam primum decernant, ut vel Episcopalibus Carceribus nomine Ecclesiæ detineantur, vel etiam ad Curiæ Laicalis Carceres ejusdem Ecclesię nomine retinendi, cum debitis cautelis transferantur. Nec enim Ecclesiastici zeli officium in eo statuendum est, ut justitię cursus per Apostolicas Constitutiones præscriptus adversus facinorosos homines impediatur; verum in Ecclesiæ immunitate, aliisque omnibus Ecclesiasticorum locorum, & personarum juribus asserendis, & substinendis, quam ea, contra Sacrarum legum præscriptum, infringi, ac violari contingat. Quum tamen hujusmodi moras tunc maxime intervenire putemus, quum præfata delicta, excepta non in Civitatibus, sed per Diœceses, in locis a Curiæ Ecclesiasticæ residentia remotis, perpetrantur; idcirco Nos per easdem præsentes prædictis Episcopis, aliisque superioribus Prælatis facultatem concedimus, & impertimur, ut, quoties in hujusmodi casibus pro parte Curiæ Laicalis requisiti fuerint, Vicariis suis Foraneis, sive etiam aliis personis Ecclesiasticis ad id per ipsos Antistites deputandis, committere possint, ut indicia ad extractionem necessaria juridice colligant; ut his nimirum inspectis, iidem Antistites, prout juris erit, ad delinquentium hujusmodi extractionem quantocius decernendam procedere valeant.

Et quidem hæc omnia, quæ per præsentes hucusque declaravimus, definivimus, atque statuimus, tam in hac Urbe nostra, & in Bononien., & Ferrarien., & Beneventana aliisque omnibus Civitatibus, Terris, & Locis, Nobis, & Sanctę Romanæ Ecclesię mediate, vel immediate subjectis, etiam specialem, & individuam mentionem requirentibus, eorumque Curiis Ecclesiasticis, & Sęcularibus, etiam Baronalibus, quam etiam in aliis Regnis, Provinciis, atque Ditionibus, ad quas dictæ Prædecessorum Nostrorum Constitutiones, sive peculiaribus concessionibus, ut supra, sive per viam *Concordati*, extensæ, & ampliatæ fuerunt, quatenus nimirum congruere dignoscantur cum eisdem concordatis, quibus nulla in re derogare intendimus locum perpetuo habere, suosque debitos effectus sortiri, & obtinere, & ab omnibus, & singulis Ditionum, Regnorum, Locorum hujusmodi tam Ecclesiasticarum, quam Sæcularium Curiarum Judicibus, Magistratibus, Officialibus, & Ministris, aliisque omnibus, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, per omnia observari volumus, atque decernimus:

Illud etiam, quod in præallegatis Nostrorum Prędecessorum Constitutionibus, sub gravissimarum poenarum interminatione, districte vetitum fuit, ne scilicet Curiæ Sęculares, eorumque Magistratus, Judices, & Officiales quicumque ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque Sacris, aliquem delinquentem, etiam in casibus exceptis, sine Ecclesiasticæ auctoritatis interventu, capere, extrahere, aut incarcerare; neve ad declarandum, crimina a prędictis admissa esse de exceptis in eorumdem Prædecessorum Constitutionibus (quum id ad solos, ut præfertur, Episcopos pertinere dignoscatur) quoquo modo procedere audeant seu præsumant; Nos quoque iisdem motu, auctoritate, ac tenore confirmamus, & innovamus; atque, ab omnibus, ad quos pertinet, seu pertinebit in posterum, inviolabiliter etiam perpetuo observari præcipimus, contrafacientes quoque, & transgressores, easdem omnes pœnas, quæ in præallegatis Constitutionibus indictæ fuit, omnino incurrere statuimus atque sancimus: Decernentes, in numero transgressorum hujusmodi eos etiam esse & censeri, qui in spretum Ecclesiasticæ auctoritatis, & Canonicarum Sanctionum, præscripto ad Superiores Ecclesiasticos recursu posthabito, Ecclesias, & Loca immunia obsidere præsumunt, ac impediendo ne ad illos, qui Sacro confugio se tuentur, alimenta deferantur, sive aliter, eosdem in Curiæ *Secularis* potestatem se dedere cogunt; Nos enim eos, qui talia ausi fuerint, sive confugientes hujusmodi de exceptis delictis, sive de aliis non exceptis inquisiti sint, omnes & singulas pœnas atque censuras adversus Ecclesiasticæ immunitatis violatores, in jure, ac in prædictis Constitutionibus Apostolicis latas atque statutas, incurrere decernimus ac declaramus. Sane hujusmodi artes atque violentias aliis etiam retro temporibus intentari consuevisse non ignoramus; Sed simul etiam ab Ecclesia damnatas semper atque proscriptas fuisse comperimus; idque satis demonstrant ea, quæ in pluribus Provincialibus Conciliis, labentibus Decimotertio, ac Decimoquarto Ecclesiæ Sæculis, statuta leguntur; (a) ibi enim, expositis Ecclesiarum circumsessionibus, interceptione alimentorum, aliisque artibus, quibus iis, qui ad Ecclesias confugerant, ad deditionem adigebantur, qui-

(a) *Concilium Provinciale Lambethense hab. Anno 1261. tom. 11. part. 1. Labbeanæ Collectionis Conciliorum col. 810. Concil. Exoniense Anni 1287. tomo 11. part. 2. dictæ Collectionis col. 1281. tit. 15. Concil. Provinciale Nugaroliense Anni 1303. dicto tom. 11. parte. 2. ejusdem Collectionis col. 1479. can. 6. Concil. Palentinum Anni 1322. dicto Tom. 11. part. 2. præfatæ Collectionis col. 1697. cap. 7. Concilium Vallisoletanum Anni 1322. Tom. 3. Collectionis Conciliorum Hispaniarum Cardinalis de Aguirre pag. 564. tit. 18. num. 51. Concilia Marcianense, & Sylvanectense Anni 1326. supracitato Tom. 11. part. 2. d. Collectionis Labbeanæ col. 1751. tit. 11. & col. 1770. cap. 5. Concilium Vaurense Anni 1368. eodem tom. 11. part. 2. dictæ Collect. col. 2012. tit. 93.*

quicumque ſimilia attentare præſumpſerint, anathematia mucrone feriuntur. Et Nos igitur, qui Eccleſiæ ſpiritum circa præmiſſa toties aperte declaratum, atque a Prædeceſſoribus Noſtris conſtanter ſervatum, exuere neque poſſumus, neque volumus, eidem per omnia inhærentes, decernimus, & declaramus, omnes, & ſingulos, qui ſub Eccleſiaſticæ immunitatis tutela degentibus, hujuſmodi ratione, vim inferre auſi fuerint, præter alias pænas atque cenſuras adverſus ejuſdem Immunitatis violatores, ut præfertur, latas atque ſancitas, ſine alia declaratione incurrendas, omni beneficio ac privilegio Eccleſiaſtici confugii, & Aſyli tam apud Eccleſias, & Loca Sacra, & Religioſa, indignos, atque privatos fore, & habendos eſſe, non ſecus ac alii omnes, *qui confugientibus vim inferunt, aut ipſos ab Eccleſia, aliove loco immuni, violenter extrahunt, & abducunt*, quos ſcilicet laudatus Prædeceſſor Benedictus XIII. in ſua allegata Conſtitutione, *non illius tantum Eccleſiæ, quam violarint, ſed cujuſcumque etiam alterius Eccleſiæ immunitate gaudere nequaquam poſſe, aut debere* declaravit; & quorum Nos numero ſupradictos etiam jure, & merito accenſendos eſſe decernimus.

Denique quum, ſicut accepimus, inter temporalis Dominii Noſtri, ac nonnullarum finitimarum Ditionum Curias, reciproca quædam conſuetudo inoleverit, ut qui certi generis delicta in alterutra ex Ditionibus hujuſmodi commiſerint, & intra fines alterius ſe receperint, inſtante Curia illius Ditionis, in qua delictum commiſſum fuit, capiantur, eidemque Curiæ tradantur, cumque, ſicut etiam Nobis expoſitum fuit, hujuſmodi traditionibus aliquando moram afferri contingat, propterea quod delinquentes hujuſmodi, in Terris, ad quas confugerunt, ſub Eccleſiæ alicujus, vel alterius loci immunis tutela ſe receperint: idcirco Nos, Eccleſiaſticæ Immunitatis rationes cum recta Juſtitiæ adminiſtratione, & Reipublicæ tranquillitate, opportune copulare volentes, decernimus, & mandamus, ut ſi hujuſmodi confugientes delictum aliquod ex iis, quæ in Apoſtolicis Conſtitutionibus præfatis excepta ſunt, in temporali Romanæ Eccleſiæ dominio patraverint, Indicia ad capturam requiſita ab Epiſcopo Diœceſano, ſeu reſpective viciniori illius loci, in quo delictum commiſſum fuit, excipiantur, ſeu cumulentur; eaque ad Epiſcopum alterius loci, in quo delinquens Aſylum cœpit, ſine mora tranſmittantur; ut hinc nimirum, quatenus traditioni præfatæ locus eſſe debeat, extractionem delinquentis e loco immuni, auctoritate ſua, & cum interventu perſonæ Eccleſiaſticæ, fieri mandet. Eademque ratione, ſi in præfatis aliorum Principum Ditionibus, in quibus traditionis prædictæ conſuetudo viget, ejuſmodi delictum commiſſum fuerit, quod, ſive in vim Gregorianæ aut Benedictinæ Conſtitutionis, ſive ratione *Concordati* cum Apoſtolica Sede initi, ſive extenſionis alterius Conſtitutionis Clementis XII. ab eadem Apoſtolica Sede ſpecialiter impetratæ, pro excepto haberi debeat; volumus, & ſtatuimus, ut Epiſcopus ille, ad quem ratione loci delicti commiſſi, id pertinere dignoſcitur, memorata indicia ad capturam requiſita cumulari faciat, eaque tranſmittat ad Epiſcopum Ditionis Eccleſiaſticæ, intra cujus Juriſdictionis fines illius delicti reus Aſylum delegit; ut hujus ſcilicet Antiſtitis auctoritate, aliiſque ſervatis ſervandis, a confugii loco extrahi, ac, ſi ita res feret, externæ poſtulanti Curiæ valeat conſignari. Volumus tamen in quolibet ex præmiſſis caſibus, in quibus de delictis, ut ſupra, exceptis tantummodo agitur, prædictarum Benedicti, & Clementis Conſtitutionum, ſeu Concordatorum reſpective leges, atque tenores, inviolabiliter obſervari; tum ſcilicet in eo, ut delinquens Eccleſiæ nomine in carceribus retineatur; tum etiam in eo, ut per Epiſcopos dumtaxat, privative quoad omnes alios etiam Eccleſiaſticos Judices, ex indiciis, ut præfertur, ad torturam ſufficientibus, declararetur, an delictum, de quo eſt quæſtio, inter excepta connumerari debeat, necne; tum denique in eo quod pertinet ad obligationem reſtituendi reum ad formam dictarum Conſtitutionum, quatenus is in progreſſu cauſæ, indicia hujuſmodi ſibi adverſantia purgaverit, atque diluerit.

Ipſas demum præſentes Literas, & in eis contenta quæcumque, perpetuæ firmitatis vim, & robur habere, ſuoſque integros atque plenarios effectus, in locis atque Ditionibus prædictis, ac reſpective ubilibet locorum, & gentium, ſortiri, & obtinere, ab omnibus, & ſingulis, ad quos ſpectat, & quoquomodo pro tempore ſpectabit in futurum, etiam ſub ſtatutis pœnis atque cenſuris per contravenientes ipſo facto incurrendis, omnino ſervari: Sicque, & non aliter, in præmiſſis, per quoſcumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Cardinalium hujuſmodi Congregationes, & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, nec non ſæculares Curias, & Magiſtratus, etiam Supremos, alioſve quoslibet, quacumque præeminentia, & poteſtate fungentes, & functuros, etiam ſpeciali nota, & mentione dignos, ſublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, decernimus, ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obſtantibus præmiſſis, aliiſque quibuslibet Apoſtolicis Conſtitutionibus, Regulis, & Ordinationibus, nec non quarumcumque Eccleſiaſticarum aut Sæcularium Curiarum legibus, edictis, ſtylis, uſibus, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus: Privilegiis quoque, Indultis, & facultatibus, quibuſvis perſonis etiam ſpeciali mentione dignis, & quavis quantumcumque ſublimi dignitate, & auctoritate fulgentibus, & ex quibuſvis etiam gravibus, & urgentiſſimis cauſis, ſeu quibuſcumque Regularium Ordinibus, etiam Mendicantium, & Militaribus, etiam S. Joannis Hieroſolymitani, ſeu Monachorum, aut Clericorum Regularium Congregationibus Societatibus, & Inſtitutis, etiam Societatis Jeſu, aliiſque quibuſvis, etiam ſub quibuſcumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuſcumque clauſulis, & decretis, etiam motu, & poteſtatis plenitudine ſimilibus, ſeu conſiſtorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmiſſorum conceſſis, ac pluries confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & ſingulis, illorum tenores, formas, & cauſas præſentibus pro bene, & ſufficienter expreſſis, atque etiam inſertis, ac reſpective ſervatis habentes, ad præmiſſorum effectum, hac vice dumtaxat, prædictis motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcumque: ſeu ſi aliquibus communiter aut diviſim ab hac eadem ſit Sede indultum, quod nullo in caſu, ſeu extra certos caſus, certiſque de cauſis excommunicari, ſuſpendi, aut interdici non poſſint, niſi per Literas ejuſdem Sedis, facientes plenam, & expreſſam ac de

ver-

verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, Ut autem præsentes Literæ, & in eis contenta hujusmodi, ad omnium notitiam perducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætendere valeat, volumus easdem ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ, aliisque locis solitis, & consuetis ejusdem Urbis per Cursores nostros, ut moris est, publicari, earumque exempla affigi, sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent; earum quoque Transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eandem fidem in judicio, & extra illud ubique haberi, quæ ipsis præsentibus haberetur, si originaliter exhiberentur, & ostenderentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum declarationum, definitionum, ordinationum, confirmationum, prohibitionum, mandatorum, decretorum, & voluntatum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLIX. Idibus Martii, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA

De Curia J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

SS. Domini Nostri BENEDICTI Papæ XIV. Constitutio, qua confirmantur, & declarantur Romanorum Pontificum Constitutiones super Vetita Armorum delatione.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei

Ad perpetuam rei memoriam.

Securitatem atque tranquillitatem Populorum & Personarum Apostolicæ Sedi in temporalibus subjectarum tueri & asserere volentes Prædecessores Nostri Romani Pontifices, non modo severissimas Leges adversus Homicidia, & cujuscumque generis vim ediderunt, verum etiam ad ea submovenda, quæ hujusmodi delictis facile perpetrandis occasionem & commoditatem præbere possent, omnium armorum ad necem clam & dolose inferendam aptorum delationem, retentionem, & venditionem, gravissimarum pœnarum interminatione, vetuerunt; quemadmodum ex providis felicis recordationis Pii Papæ IV, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo sexagesimo primo, nonis Martii, & Sancti Pii V, pridie Idus Februarii illius Pontificatus Anno septimo, editis Constitutionibus, patet.

Quorum vestigiis inhærens recolendæ memoriæ Prædecessor quoque Noster Alexander Papa VIII, per suam Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo nonagesimo, Idibus Augusti, editam Constitutionem, quæ incipit *Etsi cuncta*, prædictorum ante se Pontificum Leges, atque Sanctiones confirmans & innovans, decrevit & sanxit, nemini cujuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ, etiam speciali mentione seu nota digno, licere in Alma Urbe, ejusque Districtu, & in toto Statu Ecclesiastico tunc sibi & dictæ Sedi tam immediate, quam mediate subjecto, comprehensis etiam quatuor Legationibus, ac Civitatibus Bononiensi, Ferrariensi, Beneventana, aliisque Civitatibus, Terris, & Locis, etiam specialem, & individuam expressionem, & nominationem requirentibus, ejusmodi arma in præmissis Constitutionibus expresse vetita, & alia quæcumque brevioris mensuræ trium Palmorum, illius mensuræ, quæ vulgariter denominatur *Canna Romana* ad usum Mercatoris, sub pœnis lesæ Majestatis, & rebellionis irremissibiliter exequendis, (exceptis dumtaxat cultellis aptis ad incidendum Panem, qui tamen majoris longitudinis unius palmi esse non possent, ac sine cuspide, & ut vulgo dicitur, *spuntati* esse deberent; nec non aliis instrumentis ad usum propriæ artis, quam quisque exercet, necessariis, & in actu exercitii ejusdem artis, (& non alias) deferre, seu Domi, aut in Apothecis, vel alibi retinere, sive in ipsum Statum Ecclesiasticum introducere, fabricare, vendere, permutare, aut aliud contractus genus super ipsis inire.

Cumque sub suæ hujusmodi, ac præcedentium Constitutionum censura, tam Clericos, quam alias omnes & singulas personas Ecclesiasticas etiam quomodolibet exemptas, Seculares, & cujusvis Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, etiam de necessitate specialiter exprimendi, nec non Militiarum quarumcumque, etiam Hospitalis Sancti Joannis Jerosolymitani, Regulares, vel alias immunitate personali quomodolibet gaudentes, comprehendi voluisset, & contra transgressores, si qui etiam ex his reperti fuissent, per Ordinarios Locorum, aliosque competentes Judices, ad majorem pœnam, quam Tribunal Ecclesiasticum pro quocumque graviori, & atroci delicto imponere soleat & valeat, irremissibiliter procedi mandasset.

Hoc insuper decrevit, & declaravit, ut ad eximendos transgressores a pœnis præfatis minime suffragaretur allegare, quod non constaret de dolo, vel mala eorumdem contraventientium qualitate; nec etiam ad hujusmodi effectum ullæ Familiaritates, Literæ patentes, & Licentiæ concessæ, aut concedendæ, seu Privilegia cujuslibet Congregationis, Tribunalis, aut Militiæ, seu Judicum, Officialium Militarium, & Ministrorum etiam Justitiæ, aut Ministerii Cameralis, Almæ Domus Lauretanæ, & cujusvis Ordinis etiam Militaris, Congregationis Societatis, & Instituti, aut quarumvis Personarum

qua-

quacumque Ecclesiastica, seu mundana dignitate fulgentium, quidquam prodessent, aut relevarent; prout latius aut distinctius in præcitatis ejusdem Alexandri Prædecessoris Literis continetur.

Pari justitiæ a lo, & publicæ quietis studio incensus Sanctæ Memoriæ immediatus Prædecessor Noster Clemens Papa XII. per suam anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo trigesimo quarto, Kalendis Februarii, Pontificatus sui Anno quinto, editam Constitutionem, cujus Initium est — *In Supremo justitiæ Solio*, inter alia, quæ pro recta justitiæ administratione, ac delictorum coercitione provide constituit, prædictas Pii IV., Pii V., & Alexandri VIII., aliorumque Antecessorum Literas & Ordinationes, nec non Edictum Kalendis Januarii Anni Domini Millesimi septingentesimi octavi, de mandato piæ memoriæ Clementis Papæ XI. promulgatum, cæteraque Bannimenta eousque publicata, quibus eorumdem, seu aliorum armorum in Urbe, & Ditione Ecclesiastica præfatis delatio, retentio, introductio, aut venditio, sub diversis etiam capitalibus pœnis prohibentur, omniaque, & singula in eis contenta, similiter approbavit, & innovavit; Et ne pœnarum in ipsis adversus transgressores statutarum executionem ullo modo impediri contingeret, quibuscumque Tribunalibus, Magistratibus, & Judicibus tam Urbis præfatæ, quam aliarum Civitatum, Terrarum, & Locorum eidem Apostolicæ Sedi immediate, ac etiam mediate subjectorum, nec non quibusvis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus etiam de Latere Legatis, districte prohibuit & interdixit, ne in causis delationis ac retentionis hujusmodi armorum, ulli delinquenti pœnas, quas quomodolibet incurrissent, gratiose remitterent, aut componerent, vel in minima etiam parte moderarentur, sed ea dumtaxat, quæ stricti juris essent, juxta præcisam formam & dispositionem Literarum, Edicti, & Bannimentorum hujusmodi decernerent, & exequerentur.

Quod si ex peculiaribus quandoque facti circumstantiis, vel ex qualitate personarum, gratiæ, compositioni, aut pœnæ moderationi locum esse, æquitate ita suadente, prudenter existimarent; voluit nihilominus, neque tunc per eosdem Magistratus & Judices ad concessionem gratiæ, compositionem, aut moderationem pœnæ deveniri posse, nisi prævia sua, ac Romani Pontificis pro tempore existentis expressa approbatione; sub nullitatis gestorum, ac omnium inde sequutorum, &, quoad Judices præfatos, sub pecuniariis, aliisque etiam corporalibus, suo, & ejusdem Pontificis arbitrio infligendis pœnis; & consequenter quibuslibet Cardinalium Congregationibus, ac Cardinalibus etiam de Latere Legatis, quamcumque facultatem, quæ ipsis de jure, usu, vel consuetudine, seu alias quomodolibet competere posset, arbitrandi, gratiam impertiendi, & componendi, ac moderandi pœnas hujusmodi, in dictis causis delationis, aut retentionis armorum, abrogavit, & revocavit.

Et Nos igitur dictorum Prædecessorum consilium ac prudentiam magnopere commendantes, ejusque necessitatem pro felici Populorum regimine in dies magis magisque agnoscentes, præcitatas eorum Constitutiones, quarum totos & integros tenores præsentibus pro insertis de verbo ad verbum haberi volumus, atque omnes & singulas dispositiones, prohibitiones, declarationes, & extensiones in eis contentas, Nostris Motu proprio, ac certa scientia, per hanc Nostram perpetuo valituram Constitutionem, Apostolica auctoritate approbamus, confirmamus, & innovamus, & secundum eas per quoscumque Judices, ac in omnibus, & singulis earumdem Urbis, ac Ditionis Tribunalibus, & Curiis, omnino procedi volumus & mandamus.

Verum quia in hujusmodi causarum tractationibus sæpe contingit, ut pro parte reorum, ab ipsis, aut ab eorum Advocatis & Defensoribus, allegetur, eorum pravam intentionem, seu dolum, in delatione aut retentione armorum hujusmodi, & personarum malam qualitatem, a Fisco minime probari; ac, deficientibus horum probationibus, contendatur, justam & fundatam præsumptionem bonæ qualitatis eisdem Reis semper assistere; ideoque locum esse æquitati, quam præcitata Clementis XII. Constitutio insinuare videtur, ut scilicet Supremo Principi consilium detur pro gratia, aut compositione, seu moderatione pœnæ in præmissis Constitutionibus, Edictis, & Bannimentis respective statutæ; Nos hujusmodi ratiocinationes, non modo ad reos a promeritis pœnis eximendos, cum præmissarum Legum eversione, & publicæ quietis detrimento, tendentes, verum etiam earumdem Alexandri, & Clementis Constitutionum literæ & spiritui adversantes, de medio tollere, ac debitam earumdem Constitutionum observantiam, & executionem asserere volentes; Simili motu, scientia, & auctoritate, ac earumdem præsentium tenore, decernimus, & declaramus, nil aliud oneris Fisco incumbere ad fundandam actionem suam, pro urgenda, obtinendaque condemnatione reorum ad formam dictarum Constitutionum, quam ut ipsum contraventionis delictum, videlicet delationem, vel retentionem, seu respective introductionem, fabricationem, aut venditionem armorum in supradictis Pii IV., Pii V., Alexandri VIII., & Clementis XII. Constitutionibus, aliisque Edictis, & Bannimentis per eosdem Prædecessores confirmatis & innovatis, vetitorum & proscriptorum, plena, & valida probatione constare faciat. Quod si excipiendo contendatur, eam esse delinquentis qualitatem, vel tales in peculiari facto circumstantias concurrere, quæ consulendum Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti pro gratia, aut compositione, vel moderatione pœnæ, merito suadeant, onus erit ipsius rei, seu illius defensorum, hujusmodi exceptionis subsistentiam, concludentibus, & juridicis probationibus demonstrare, quemadmodum ipsa Clementis XII. Constitutio, cum præcedenti Alexandri VIII. Lege collata, satis aperte indicat; & ne super hoc in posterum hæsitari contingat, Nos earumdem tenore præsentium, ejusmodi probationum astruendarum onus in ipsos reos, eorumque Defensores, expresse refundimus; eoque non adimpleto, memoratas exceptiones delinquentibus nullatenus suffragari volumus, quominus omnibus, & singulis pœnis, etiam læsæ Majestatis, & rebellionis, in præfatis Prædecessorum Sanctionibus constitutis, subjiciantur, & cum effectu plectantur & puniantur.

Sicque, & non aliter in hujusmodi causis censeri, atque ita per quoscumque Judices, Ordinarios & Delegatos, tam in Urbe, quam in universo Statu Ecclesiastico, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, aliosque quoslibet, quacumque præeminentia, & potestate fungentes & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter

ter judicandi & interpetrandi facultate, adversus quoscumque in præmissis delinquentes, etiam speciali nota & expressione dignos, prout in præcitatis Prædecessorum Nostrorum Constitutionibus exprimuntur & nominantur, judicari & definiri debere decernimus & mandamus.

Non obstantibus contrariis quorumcumque Tribunalium & Judicum resolutionibus, & defensionibus, aut Curiarum usibus, stylis, & consuetudinibus, seu inveteratis Doctorum opinionibus & Sententiis, nec non Urbis præfatæ, aliarumve Civitatum, Terrarum, atque Locorum Statutis, seu eorumdem, & quarumcumque Personarum, & Universitatum Privilegiis, Exemptionibus, & Indultis, cæterisque omnibus, quæ uterque Pius, Alexander, & Clemens Prædecessores prædicti suarum Constitutionum observantiæ, & executioni decreverunt non obstare.

Volumus autem, ut præsentium Literarum exemplis, etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, & Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ Sigillo munitis, eadem fides, in judicio, & extra, ubicumque opus fuerit, habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si originaliter exhiberentur, seu ostenderentur.

Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostrarum approbationis, confirmationis, innovationis, decreti, declarationis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quinquagesimo secundo, decimo octavo Kalendas Februarii, Pontificatus Nostri Anno Tertiodecimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA

De Curia J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

SS. Domini Nostri Benedicti Papæ XIV. Constitutio, per quam Tribunali Auditoris Generalis Cameræ Apostolicæ certa methodus in Iudiciis Criminalibus servanda præscribitur; cum Deputatione duorum Prælatorum Sac. Consultæ Ponentium, & ejusdem Tribunalis Assessorum, aliisque ordinationibus pro expedita, & recta Causarum Criminalium Decisione.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Ad perpetuam rei memoriam.

AD coercenda delinquentium flagitia Nos sedulo intendere cogit Supremi Legislatoris Officium, quo & temporali Ditioni Apostolicæ Sedis Dominio subjectæ, & spirituali Gubernio Catholicæ Ecclesiæ toto Terrarum Orbe diffusæ, ex juribus Beati Petri Apostolorum Principis, Dei ordinatione præsidemus. Quum enim sperandum non sit, communis corruptionis vitia, quæque ex iis sæpe prodeunt facinora, & crimina, ab hominum universitate penitus tolli posse; necesse est iis, qui in Leges peccant, statutas Legibus pœnas, ratione duce, sapienter infligere; ut vel eorum salubri rigore emendati, (quod magis cupimus,) ad justitiæ cultum revocentur; vel saltem ulterius delinquendi facultate privati, a perturbando Societatis ordine desistant, & cæteris exemplo sint, ne Sanctissimarum Legum instituta violare liberum sibi putent, aut impune fore confidant. Quam in rem, quum paucis ante annis, ad optimum hujus Almæ Urbis, ejusque Districtus regimen stabiliendum, plura præscripserimus in Tribunali Gubernii ejusdem Urbis observanda, quæ primum in Schedula Nostri Motus proprii late digessimus, deinde vero in Apostolica Constitutione Nostra, quæ incipit *Justitiæ Gladium*, data, anno Incarnationis Dominicæ MDCCXXXXIX. undecimo Kalendas Junii, per extensum inserta solemniter confirmavimus; cumque ex eorum observatione in eo Tribunali jam constituta perspicuum recti ordinis, & utilitatis publicæ fructum nos collegisse gaudeamus: Nunc consentaneam pariter agendi methodum firmare deliberavimus in Tribunali Auditoris Generalis Causarum Curiæ Cameræ Nostræ Apostolicæ, cujus jurisdictio non solum in Civilibus, sed etiam in Criminalibus Causis latius extenditur: Ne Delinquentes, & Inquisiti, ad hujus Tribunalis Forum peculiariter pertinentes, seu undecumque ad ipsius, & Sedis Apostolicæ judicium confugientes, in casibus per Sacros Canones, & Apostolicas Constitutiones statutis atque permissis, aut ibi delictorum impunitatem inveniant, unde Justitiæ exequendæ normam desumi, & Ecclesiasticæ disciplinæ præsidium, inferioribus autem Judicibus, & Tribunalibus auxilium impendi maxime decet; aut adversus vim, & oppressiones promptum debitumque remedium in hoc communi innocentiæ asylo frustra requirere, vel diutius, quam par est, expectare cogantur. Itaque omnibus mature perpensis, auditisque super his prudentum virorum consiliis, infrascriptas Leges, & Ordinationes in dicto Auditoris Generalis Causarum Curiæ Cameræ Nostræ Apostolicæ Tribunali perpetuo servandas condidimus, atque complexi fuimus in quadam Schedula Nostri Motus Proprii non ita pridem Chirographo nostro subscripta; cujus tenor talis est, videlicet: -- BENEDICTUS PAPA XIV. -- *Motu Proprio &c.* -- Fra i molti e gravissimi pesi del Nostro Apostolico Ministero abbiamo sempre annoverato quello, che ci obbliga a vegliare incessantemente sopra la retta, e ben ordinata amministrazione della Giustizia in ogni sorta di Cause Civili, e Criminali, le quali in grado di appellazione, e tal volta ancora in pri-

prima istanza, debbano giudicarsi nei Tribunali di questa Santa Sede. Più d' ogni altro però ei è stato sempre a cuore il Tribunale dell' Uditore Generale della Nostra Camera, quale da tempo antichissimo i Sommi Pontefici Nostri Predecessori hanno costituito Giudice Ordinario con amplissime facoltà, non solo delle Appellazioni, che nelle Cause appartenenti al Foro Ecclesiastico, vengono alla Santa Sede da tutte le parti del Mondo Cattolico, ma pur anche in certe cause privilegiate di prima istanza, e specialmente in quelle Cause Criminali, nelle quali l' Inquisito o Reo viene a costituirsi spontaneamente di persona a disposizione di essa Santa Sede, come apparisce da diverse nostre Costituzioni, e particolarmente da quella, che incomincia -- *Ad Militantis Ecclesiæ* -- impressa nel primo Tomo del nostro Bollario Constit. XLVIII. nella quale fù da Noi provvidamente stabilito, e dichiarato, quando, ed in qual forma fosse lecito all' Uditore della Camera, secondo il prescritto del Sagro Concilio di Trento, e delle Costituzioni Apostoliche, ammettere le Appellazioni, inibire gli Ordinarj de Luoghi, e avocare da essi le Cause di prima istanza.

Ma nondimeno essendo l' animo Nostro sempre più eccitato dal desiderio di ridurre all' ultima possibile perfezione questo gran Tribunale del Mondo Cattolico, ci siamo determinati, sull' esempio di simile provvedimento da Noi parimente dato all' altro Nostro Tribunale del Governatore di Roma, di renderlo, come in appresso, più nobile, decoroso, e rispettabile in rapporto alle Cause Criminali, provvedendo nel tempo stesso, che gl' Inquisiti, e Processati nelle Curie dei proprj Ordinarj, trovino bensì in esso il giusto, e dovuto asilo quando sono innocenti, ma non mai alcuna impunità, o alcun fomento alla loro disubbidienza, quando sono colpevoli.

Avendo pertanto in questa Nostra Cedola per espresse, e di parola registrate tutte, e singole facoltà, giurisdizioni, prerogative, e preeminenze, delle quali, per concessione de Nostri Predecessori, e Nostra, gode, e può godere l' Uditore Generale della Nostra Camera Apostolica, e quelle in forma amplissima confermando, ed approvando, senz' alcuna, benchè menoma restrizione, o diminuzione: Come pure avendo per espresso lo stato presente del di lui Tribunale in Criminalibus, il numero degli Officiali, e Ministri, che lo compongono, e di quelli, che hanno luogo, e voto nella di lui Congregazione, e finalmente le facoltà, ed incombenze di cadauno di essi.

Di nostro Moto proprio, certa scienza, e pienezza della Nostra suprema, ed Apostolica Potestà, ad esempio di quello che già ordinammo per il detto Tribunale del Governo di Roma nella nostra Costituzione, che incomincia -- *Justitiæ gladium* -- publicata li 21. Maggio 1749., vogliamo similmente, & ordiniamo, che in avvenire, al solito, & ordinario numero dei Prelati Ponenti di Consulta se ne aggiungano altri due, quali abbiano, e debbano godere tutti gli onori, privilegj, esenzioni, e preeminenze, che godono gl' altri Ponenti, di modo che compongano con essi uno stesso corpo, o sia Collegio, ma però in vece di essere Ponenti di una delle nostre Provincie, sieno, e debbano essere ambidue Ponenti, ed Assessori del Tribunale dell' Uditore Generale della Nostra Camera; e che debbano intervenire a tutte le Congregazioni Criminali, quali si terranno avanti di esso; Come pure vogliamo, che alle medesime Congregazioni Criminali debba intervenire (come prima si costumava) l' Uditore pro tempore in Civilibus di esso Monsignore Uditore della Camera, anch' egli come Assessore del medesimo in Criminalibus, dichiarando, che questo debba sedere immediatamente dopo li sudetti due Ponenti di Consulta, quali sederanno immediatamente dopo l' Uditore Generale della Camera, secondo l' ordine fra di loro della propria Prelatura, o Anzianità.

Nella risoluzione delle cause, che si proporranno in detta Congregazione Criminale. Avranno voto decisivo, il sudetto Monsignor Uditore della Camera pro tempore, coll' arbitrio però di astenersi, quante volte così gli piacerà; li trè Assessori sudetti, & il Luogotenente Criminale Generale: Quanto poi alli trè Sostituti Luogotenenti, ancorchè in passato abbiano avuto il voto decisivo, vogliamo, che in avvenire non abbiano, se non che il semplice Voto consultivo.

Li Processi dovranno compilarsi come per lo passato, tanto nelle Cause di prima istanza, quanto anche, quando occorra, nelle Cause di Appellazione, dalli tre Sostituti Luogotenenti, secondo il ripartimento, che ne faranno fra di loro per Turno di Settimana in Settimana, salvo però all' Uditore della Camera, e suo Luogotenente Generale, in qualche caso particolare, il diritto di commettere la Processura fuori di detto Turno, e con espressa dichiarazione, che li suddetti Sostituti processanti siano sempre tenuti di prendere di mano in mano dal suddetto Luogotenente Generale nella formazione de' Processi le opportune istruzioni.

Sarà ancora peso di essi Sostituti Luogotenenti il formare a suo tempo il Ristretto di ciaschedun Processo, che dovrà proporsi in Congregazione, con tutta attenzione, e fedeltà; ma questi Ristretti non dovranno mandarsi in giro all' Uditore della Camera, nè agli altri tre Assessori, come si dirà in appresso, se non dopo che saranno stati firmati, e sottoscritti da quel Sostituto, che gli avrà formati; e successivamente riconosciuti, e confrontati col Processo dal medesimo Luogotenente Generale, quale ancor' egli dovrà restar debitore della integrità, e sincerità de' medesimi, e perciò sarà tenuto ancor esso sottoscriverli, ed approvarli di proprio suo pugno.

Gli atti ordinatorj di qualunque Giudizio si faranno tutti, come si è costumato fin' ora, avanti il Luogotenente Generale, e quando alcuna delle Parti si crederà gravata da qualche Decreto del medesimo, non dovrà citare per la reposizione avanti lo stesso Uditor della Camera, com' è stato di recente introdotto con inutile prolungamento; ma dovrà immediatamente ricorrere o all' Uditor della Segnatura di Giustizia, o all' Uditore pro tempore del Papa, in arbitrio de' quali, quando cada nell' ordinatoria alcun grave Articolo, come tal volta cade, sarà di rimetterlo alla Decisione della piena Congregazione: Ben inteso però, che al sudetto Luogotenente Generale non sia mai lecito, sotto pena di nullità, pronunciare per Sentenza sopra Articoli meramente or-

,, ordinatori, e che similmente alle Parti non sia
,, mai lecito di ricorrere in Cause Criminali alla
,, piena Segnatura di Giustizia: essendo stato già
,, dichiarato prima da Innocenzo X. Nostro Prede-
,, cessore, e poi anche da Noi in Segnatura di Gra-
,, zia, in occasione di una Causa *Alatrina*, che la
,, piena Segnatura di Giustizia non può ne deve in-
,, gerirsi nelle Cause Criminali, ne rispetto alla per-
,, tinenza anche tra il Giudice Civile e Criminale,
,, ne rispetto alle Commissioni.

Ogni quindici giorni almeno, nel giorno di Lu-
,, nedi dovrà l'Uditore della Camera adunare avan-
,, ti di se la Congregazione Criminale, a cui, oltre
,, li tre Assessori suddetti, dovranno intervenire
,, tutti quelli, che sono descritti nel publico Elenco
,, di essa Congregazione, ed al medesimo Uditore
,, della Camera Capo del Tribunale spetterà pari-
,, menti destinare le Cause, che dovranno propor-
,, si in ciaschedna Congregazione. Ma quindici
,, giorni prima dovrà la proposizione di ogni Causa
,, intimarsi dal Luogotenente alle Parti interessate,
,, con Intimazione in iscritto, acciò possano in det-
,, to tempo dedurre sì in scritto, che in voce le loro
,, ragioni; e respettivamente ciascuna di esse Par-
,, ti, tre giorni almeno avanti la Proposizione,
,, dovranno distribuire alli Votanti, e comunicar-
,, si vicendevolmente tra di loro nella Sala di esso
,, Monsignor Uditore della Camera le proprie
,, Scritture, & allegazioni, sotto la pena in caso
,, di contravenzione di essere i respettivi Difensori
,, inabilitati a scrivere, e comparire nel Tribuna-
,, le, ad arbitrio di detta Congregazione.

Nel decorso similmente di detti quindici giorni
,, saranno tenuti li Sostituti Luogotenenti, che
,, avranno formati i Ristretti de' Processi da propor-
,, si su Congregazione firmati e sottoscritti, come
,, sopra, mandare in giro li medesimi Ristretti in
,, primo luogo al sudetto Monsignor Uditore della
,, Camera, e dappoi di mano in mano a ciascuno de'
,, sudetti tre Assessori, l'ultimo de' quali dovrà
,, rimetterli nelle mani de i respettivi Sostituti Luo-
,, gotenenti, che gli avranno formati, per essere da
,, essi riferiti in Congregazione.

Affinche poi il detto Tribunale dell'Uditore della
,, Camera riesca e sia, come di sopra abbiamo det-
,, to, e Noi assolutamente vogliamo, di giusto pre-
,, sidio agl'innocenti, ma non mai di sutterfugio,
,, e fomento ai colpevoli, in dispregio de' loro im-
,, mediati Superiori, e in rilassamento della Disci-
,, plina Ecclesiastica: Considerando, che le Cause
,, Criminali vengono all'Uditor della Camera o in
,, grado di appellazione legitimamente interposta,
,, o anche in prima istanza, quando specialmente
,, gl'Inquisiti si costituiscono personalmente nelle
,, Carceri a disposizione della Santa Sede, e per essa
,, dell'Uditor della Camera: Perciò rispetto alla
,, Cause d'appellazione confermiamo di nuovo la
,, sudetta Nostra Costituzione XLVIII. che inco-
,, mincia -- *Militantis Ecclesiæ* --, incaricando il
,, medesimo Uditore della Camera perche sia nel
,, suo Tribunale pienamente ed esattamente esegui-
,, ta; E solamente aggiungiamo, che quante volte
,, avvenga il caso, come non di rado avviene, che
,, qualcuno appelli dal Decreto, o Giudicato del
,, proprio Ordinario, dopo che in virtù di quello
,, stesso Giudicato, o Decreto, dal quale appella,
,, e stato rilasciato dalle Carceri formali, o da altro
,, qualunque luogo, che prima di esso Giudicato, o
,, Decreto gli era stato assegnato in luogo di Carce-
,, re: In tal caso l'Uditor della Camera, e suo Luo-
,, gotenente Generale, non debba ammettere l'ap-
,, pellazione, ne rilasciare alcuna inibizione, ne
,, ordinare la trasmissione degli atti, se prima l'
,, Appellante non sara ritornato nelle Carceri for-
,, mali, o in altro luogo assegnatoli per Carcere,
,, e che con idonea cauzione non siasi obligato a re-
,, starvi sino all'esito della Causa. Non essendo giu-
,, sto, che l'Inquisito nel tempo stesso, che im-
,, pugna per via d'appellazione il Giudicato del
,, suo Ordinario, voglia goderne il beneficio nella
,, parte che riguarda il suo rilascio dalle Carceri.

Quindi passando all'altre suddette Cause di prima
,, instanza, benche i Nostri Predecessori, e spe-
,, cialmente Benedetto XIII. di felice ricordanza,
,, con sei Decreti, che si trovano impressi dopo il
,, Concilio Romano *fog.* 207. *& seqq.*, abbiano da-
,, to in questa parte utilissimi provvedimenti; non-
,, dimeno per accorrere, in quanto possiamo, alla
,, malizia degli Uomini, quali sempre trovano nuo-
,, ve maniere per contravenire impunemente alle
,, Leggi anche più sante.

Approviamo in primo luogo, e confermiamo in
,, tutto e per tutto li primi tre Decreti del preloda-
,, to Benedetto XIII., nei quali si dispone come in
,, appresso -- I. *Recipi possint, & dumtaxat in Tri-*
,, *bunali Auditoris Cameræ Constituta Reorum in*
,, *causis primæ instantiæ, in quibus de pœnis corpo-*
,, *ralibus agitur, habita ratione ad titulum inquisi-*
,, *tionis; Non vero in Causis Censurarum, vel sim-*
,, *plicis mulctæ, vel declarationis irregularitatis,*
,, *sive in aliis Causis, in quibus dicta pœna corpora-*
,, *lis non intrat* -- II. *Regularium Constituta nun-*
,, *quam recipiantur* -- III. *Hujusmodi Constituta fie-*
,, *ri tantum possint coram A. C. in Criminalibus, non*
,, *vero coram alio Judice Appellationis, neque in Ur-*
,, *be, neque extra eam, nec etiam in Sacra Congre-*
,, *gatione negotiis Episcoporum, & Regularium*
,, *præposita* --.

Confermiamo parimente, ed approviamo gli altri
,, tre sussegnenti Decreti, nei quali si ordina -- IV
,, *Constitutus Reus coram A.C. debeat statim in Car-*
,, *ceribus formalibus Urbis detineri; Deinde primum*
,, *expediantur in ejus Tribunali Literæ inhibitio-*
,, *riales, & compulsoriales (absque eo quod Consti-*
,, *tutus juret se suspectum habere Ordinarium) pro*
,, *transmissione Actorum coram dicto Ordinario, nec*
,, *possit Reus habilitari per Urbem & extra Carceres*
,, *formales, nisi visis & discussis Actis, & quate-*
,, *nus de jure sit locus dictæ habilitationi, audita*
,, *Parte offensa, vel ejus Procuratore, si in Curia*
,, *sit præsens, necnon Fisco R. C. A., & quatenus*
,, *Causa sit cum Procuratore Fiscali Curiæ Ecclesia-*
,, *sticæ, audito Promotore Fiscali Curiarum Episco-*
,, *palium in Urbe, atque insuper facto desuper ver-*
,, *bo in plena Congregatione Criminali A. C.* --. V.
,, *Si Acta vel non incæpta coram Ordinario, vel*
,, *sufficienter impinguata non fuerint, non commu-*
,, *nicentur Reo, sed eo retento in Carceribus forma-*
,, *libus, committatur Ordinario Processus informa-*
,, *tivi compilatio, vel respective impinguatio fa-*
,, *ciendi expensis Partis querelantis, vel Fisci Ec-*
,, *clesiastici, si ea non adsit* -- VI. *Actis sufficien-*
,, *ter impinguatis, servatis servandis, procedatur*
,, *ad expeditionem Causæ prout de jure, audita sem-*
,, *per Parte offensa, vel ejus Procuratore, necnon*
,, *Fisco R. C. A., & Curiarum Episcopalium, ut*

su-

supra, in quolibet actu: Districte injungente Sanctitate Sua, ut coram semetipso A. C. tractari & expediri faciat hujusmodi Causas juxta meritum justitiæ, ne Rei inquisiti, Forum Ordinarii declinantes in prima instantia, in Urbe quærant reatuum præsidium.

Ma perche contro il vero senso del terzo, e quarto de' riferiti Decreti si è andato a poco a poco introducendo l'abuso di accordare il benefizio dell'Abilitazione per Roma anche nei Casi, nei quali de jure non deve accordarsi, col solo apparente motivo, che l'Inquisito prima di costituirsi personalmente avanti l'A. C. era stato similmente abilitato dal proprio Ordinario ad avere il Palazzo, o la Città in luogo di Carcere; non si fa distinzione fra delitto e delitto; non si discutono gli atti, anzi per lo più delle volte neppur possono vedersi, ed esaminarsi, perche erano appena incominciati, quando l'Inquisito è fuggito a Roma; la Parte offesa o non vi è, o non si cura di comparire; il Promotore Generale delle Curie Ecclesiastiche deputato da Benedetto XIII. poco o nulla operava, e perciò si è lasciato di deputarlo; e finalmente il Fiscale Generale di Roma, e suo Sostituto, benche sia citato, si contenta di fare in piè della citazione una semplice protesta generale, e questa fatta, aggravato da altre incombenze del proprio Uffizio, non si prende altra Cura: dal che avviene che gl'Inquisiti, benche consapevoli a loro stessi del delitto, o delitti commessi, nondimeno animati da forte speranza di essere abilitati per una Città così vasta, come è Roma, vengono francamente a costituirsi avanti l'A. C., e si veggono passeggiare impunemente, e darsi bel tempo, per tacere altri più gravi disordini, de'quali non conviene far menzione.

Quindi è, che Noi, volendo restringere dentro i termini della ragione, e dell'equità cotesta soverchia condiscendenza; ordiniamo, e comandiamo, che quante volte nè in Partibus, nè in Curia è stato compito, e publicato il Processo informativo, o sia fiscale, non debba mai abilitarsi l'Inquisito fuori delle Carceri formali, benche prima di costituirsi fosse egli stato abilitato dal proprio Ordinario; ma debba onninamente osservarsi ed eseguirsi il sudetto *Quinto* Decreto, nel quale si ordina non solo, che quegli atti, che vi sono, non vengano communicati al Reo, ma inoltre, che si commetta all'Ordinario la compilazione, e respettivamente l'impinguazione del Processo informativo, da farsi a spese della Parte Querelante, quando vi sia, e quando questa non vi sia, a spese del Fisco Ecclesiastico, e che intanto l'Inquisito si ritenga nelle Carceri formali: Avvertendo bene che tal commissione si dia sempre all'Ordinario, ancorche l'Inquisito dica, e giuri d'averne perorrescenza; imperciocche restando a lui, dopo pubblicato il Processo informativo, l'arbitrio di ripetere, e ripulsare i Testimonj Fiscali, e di fare le sue difese, tanto basta per escludere qualunque pretesto di perorrescenza.

Ed avvertendo in oltre, che quando mancano alla perfezione di esso Processo informativo, come per lo più mancano, gli esami, e Costituti degl'Inquisiti, perchè questi non possono più farsi dall'Ordinario, dopo che quelli sono partiti dalla Curia loro; debba in tal caso l'A. C. perfezionarlo in questa parte, con esaminare, o costituire l'Inquisito sopra gl'indizj acquistati nel Processo de Partibus, e debba nelle solite forme contestargli il delitto, del quale viene imputato; ne prima di tutto ciò possa venirsi alla pubblicazione del Processo, e molto meno alla proposizione, e risoluzione della Causa.

Che se all'incontro il Processo informativo sarà stato già compito, e pubblicato in Partibus prima che il Reo venisse a costituirsi, oppur dopo che sarà compito, e pubblicato come sopra in Roma: In tal caso, se il Reo citato, secondo il costume, vorrà ripetere i Testimonj Fiscali, ovvero dichiarando di aver quelli *pro rite, & recte examinatis*, vorrà fare il Processo defensivo; allora solamente abbia la piena Congregazione le facoltà ed arbitrio di concedere l'abilitazione, che gli sarà domandata, ma non mai il solo Luogotenente. Con che però la medesima Congregazione regoli quest'arbitrio a misura degl'indizj, e delle prove, che risultano dal Processo Fiscale, e purchè inoltre non si tratti ne di delitto di Carne, ne di aborto, ancorchè si dica non animato, ne di Omicidio, ne di falsità con danno grave, ne di furto magno, o sacrilego, ne finalmente di altro delitto enorme, volendo Noi, che in questa sorta di delitti non si accordi mai l'abilitazione fuori delle Carceri formali.

Che se l'Inquisito dopo essere stato compito, e pubblicato, come sopra, il Processo informativo o in Partibus, o in Roma, non chiederà che si faccia altro Processo ripetitivo, o difensivo, ma crederà col solo informativo potersi spurgare dal preteso delitto: Siccome in tal caso cessa ogni motivo d'abilitarlo extra Carceres, quale tutto consiste nella lunghezza del tempo che si richiede per la compilazione di tali Processi; così l'A. C. potrà bensì accelerare la proposizione della Causa, e procedere al Decreto, o Sentenza definitiva, con ricavere ancora le Fedi de Testimonj, o altri documenti, che piacerà al Reo di produrre in sua difesa, considerandoli per suo lume, come Atti, e Testimonj estragiudiziali; ma non dovrà abilitare il Reo, se non quando ad istanza del Fisco, o suo aderente, si dovesse procedere alla compulsa di detti Atti, e respettivamente all'esame de Testimonj prodotti a difesa, giacchè allora solamente risorgerebbe il motivo della lunghezza del tempo necessario per la sudetta compulsa, ed esame.

In qualunque caso però si creda dalla piena Congregazione esser luogo all'arbitrio di abilitare l'Inquisito per Roma, vogliamo e dichiariamo, che non perciò sia lecito al Reo abilitato il celebrare la Santa Messa, o esercitare in altro modo gli Ordini, essendo troppo giusto, che ne resti sospeso fino a che la Causa Criminale venga del tutto terminata in suo favore, e che intanto, non ostante l'abilitazione, si abbia l'Inquisito a riputare, come se fosse carcerato nelle Carceri formali; Per lo che sarà cura del Luogotenente Generale, prima ancora, che si pubblichi il Decreto d'abilitazione, di mandarne con suo Viglietto l'opportuno avviso alla Curia del Nostro Reverendissimo Cardinal Vicario, o suo Vicegerente, affinche resti eseguita la sudetta sospensione.

Ingiungiamo intanto, e strettamente incarichia-

,, chiamo Monsignor' Uditore Generale *pro tempore*, che nella discussione, e risoluzioni delle Cause Criminali si abbia sempre dal suo Tribunale tutto il rispetto, che si deve a' i Vescovi, ed altri Ordinarj; e che perciò non così facilmente si venga a condannare le Curie Ecclesiastiche al risarcimento de' danni, e delle spese, ma quante volte dal Processo informativo risultino indizj sufficienti alla Cattura; la Congregazione si astenga da simili condanne, bastando tali indizj per escludere nel Giudice quella vera e propria calunnia, che si ricerca per condannarlo.

,, Molto più deve attendere, che i Difensori tanto in scritto, quanto in voce si portino con tutta modestia non solo fra di loro, ma ancora e molto più in rapporto a i Giudici, ed altri Ministri di dette Curie Ecclesiastiche; E nel caso, che alcuno contravenga, a lui specialmente raccomandiamo di punirlo severamente, o con sospenderlo dalla facoltà di attitare, e scrivere nel suo Tribunale, o anche con procedere alla carcerazione, fattane parola nella piena Congregazione.

,, Finalmente ricordiamo al medesimo Monsignor' Uditore, che insista ed invigili sopra la puntuale ed esatta osservanza delli Regolamenti da Noi dati nel Nostro Moto proprio delli 12. Maggio 1749. inserito e confermato nella detta Bolla, che incomincia -- *Justitiæ gladium*, e specialmente in quella parte, che riguarda la Tassa degli Emolumenti, che possono giustamente esigersi da i Giudici, e Notari per gli Atti Criminali; e che in questa parte non si faccia punto da' Ministri, e Notari del suo Tribunale, quali si lasciano facilmente sedurre dall' avidità di maggior lucro, ma di quando in quando ne senta ex Officio, e ne interroghi egli stesso i Curiali; e venendo ad iscoprire, che qualcuno abbia contravenuto, proceda ouninamente alle pene comminate in esso Moto proprio; essendo così mente, e volontà Nostra espressa.

,, Volendo e decretando, che alla presente Cedola di Moto proprio, benche non esibita, nè registrata in Camera, e ne' suoi Libri, non possa mai darsi, ne opporsi di surreazione, orrezione, ne d'alcun' altro vizio, o difetto della Nostra volontà, ed intenzione, ne che mai fosse tali, o altri pretesti, quantunque validi, validissimi, e giuridichi, anche di Jus quesito, e pregiudizio del Terzo, possa essere impugnata, moderata e rivocata, ridotta ad viam Juris, o concedersi contro di essa l'aperizione Oris, o altro qualunque rimedio, e che così, e non altrimenti, debba sempre, ed in perpetuo giudicarsi, definirsi ed interpretarsi da qualsisia Giudice e Tribunale, benche Collegiale, Congregazioni anche de' Reverendissimi Cardinali, Camerlengo di S. Chiesa, Tesoriere, Rota, Camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e Giurisdizione di definire, ed interpetrare in contrario: Dichiarando Noi fin d'adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità scientemente o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse di giudicare contro la forma e disposizione della presente Nostra Cedola di Moto proprio; quale vogliamo, che vaglia, e debba avere sempre ed in perpetuo il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice Nostra sottoscrizione, benche non vi siano state chiamate, sentite, o citate qualsiasiano Persone ancorche privilegiate, e privilegiatissime, Ecclesiastiche, e Luoghi Pii, che avessero, o pretendessero avere interesse, nella presente Nostra disposizione, e che per comprenderle fosse bisogno di special menzione.

,, Non ostante la Bolla di Pio IV. Nostro Predecessore *de Registrandis*, la Regola della Nostra Cancellaria *de jure quæsito non tollendo*, e non ostanti ancora tutti, e qualsisiano Chirografi, Brevi, Ordinazioni, e Costituzioni Apostoliche Nostre, e de' Nostri Predecessori, Bandi, & Editti, in virtù d'essi, & in qualunque altro modo emanati, affissi, e publicati, Leggi, Statuti, Riforme, stili, usi, consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario: Alle quali tutte e singole, avendone il tenore qui per espresso, e di parola in parola inserto, e registrato, e supplendo colla pienezza della Nostra Potestà Pontificia ad ogni vizio, e difetto quantunque sostanziale, e formale, che vi potesse intervenire; per questa volta sola, e per la piena e totale esecuzione di quanto si contiene nella presente Nostra Cedola di Moto proprio, amplamente, ed in ogni più valida forma deroghiamo. Dato dal Nostro Palazzo di Monte Cavallo questo di 14. Settembre 1753.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Cum autem præmissa omnia ad augendam dignitatem dicti Tribunalis Auditoris Generalis Causarum Curiæ Cameræ Nostræ Apostolicæ, simulque ad rectam in eo justitiæ administrationem futuris temporibus asserendam, opportuna & apta fore conspiciamus; ne eadem ullo unquam tempore debitis fraudentur effectibus; Nos eandem præinsertam Schedulam, omniaque, & singula in ea contenta & expressa, & a Nobis per eam ut præfertur sancita, volita, & ordinata, Motu, scientia & potestatis plenitudine paribus, harum literarum Nostrarum tenore confirmamus, & approbamus, eisque perpetuum & inviolabile præsentis Nostræ perpetuo valituræ Sanctionis robur & firmitatem adjicimus; atque iterum & ex integro ea omnia & singula in omnibus & per omnia, juxta præinsertæ Schedulæ seriem, continentiam & tenorem, eadem Apostolica auctoritate statuimus, volumus, & ordinamus; eademque ab iis, ad quos spectat, & pro tempore spectabit in futurum, perpetuo observari & exactissime impleri jubemus, atque præcipimus.

Mandantes propterea dilectis Filiis, Nostro, S. R. E. Cardinali Camerario, dictoque Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Auditori Generali, ejusque Assessoribus, & Auditori, ac Locumtenenti in Criminalibus pro tempore existentibus & futuris, aliisque ad quos pertinet, seu pertinebit in posterum, ut præmissa omnia & singula observent, ac ab omnibus ad quos spectat, & quandocumque spectabit, exactissime observari faciant; inobedientes vero opportunis juris & facti remediis coerceant & compescant, tam ex Officio, quam ad instantiam Advocati Pauperum, Procuratoris Fisci, Commissarii Cameræ, & Procuratorum Pauperum pro tempore existentium, seu Partis querelantis, & aliorum

rum quorum interest, omni & quaecumque appellatione, sive recursu, adversus præmissorum observantiam, & executionem forsan interponendis, omnino postpositis, & remotis.

Ac decernentes præinsertam Schedulam, necnon præsentes Nostras Litteras perpetuo validas, firmas & efficaces esse, & fore, ac quibuscumque juris, seu facti defectibus, qui adversus illas quovis modo, seu quavis ex causa opponi, seu objici possent, minime refragantibus, suos plenarios & integros effectus sortiri, & obtinere; easque propterea, omnibus & singulis impedimentis penitus rejectis, ac neutiquam attentis, ab illis ad quos spectat, & pro tempore quomodolibet spectabit, sublata præfatis omnibus, aliisque quibuslibet aliter statuendi & interpretandi facultate, inviolabiliter & inconcusse observari debere; Ac irritum & inane decernentes, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus omnibus iis, quæ in ipsa præinserta Schedula non obstare voluimus, & quibusvis aliis Constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, ejusdemque Tribunalis facultatibus, stylis, usibus, & consuetudinibus etiam immemorabilibus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam Nostræ confirmationis, approbationis, roboris, adjectionis, sanctionis, ordinationis, jussionis, præcepti, mandati, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, Kalendis Octobris, Pontificatus Nostri Anno Quarto decimo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA

de Curia J. C. Boschi.

Loco ✠ Plumbi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

CONSTITUTIO BARBERINA circa terminos substantiales ab Officialibus Status Ecclesiastici in causis contumacialibus servandos.

EMinentissimus & Reverendissimus Franciscus Cardinalis Barberinus negotiis Status Ecclesiastici Præfectus Generalis gravia animadvertens præjudicia provenientia ex nullitate sententiarum, quæ contra reos contumaces in Tribunalibus ejusdem Status feruntur, ac sæpe causam habentia ex mala terminorum substantialium formatione, qui sententiis præmitti debent: ob quas nullitates impediuntur subinde earumdem sententiarum executiones, hisque incommodis occurrere volens, tum certam præscribendo formam servandam in quocumque Tribunali Status Ecclesiastici immediati, ac mediati, exceptis Roma, Bononia, Ferraria, ejusque Ducatu, Avenione, ac Benevento, in quibus Civitatibus, ac locis stylus usque adhuc usitatus retinebitur, tum etiam pœnarum timore, quas transgressores incurrent, de expresso summi Pontificis mandato infrascriptas provisiones statuit, atque præscribit.

Ac primo quidem, cum Reus aliquis quærelatus, denunciatus, aut inquisitus de aliquo delicto, & contumax, ita inditiatus fuerit, ut indicia ad formandam, ac Reo trasmittendam inquisitionem sufficiant, formetur inquisitio cum expressione, & circumstantiis delicti, de quo Reus inditiatus erit; inquisitio autem in particulari extendatur, ac describatur libro, qui Inquisitionum liber nuncupabitur, & sub unaquaque Inquisitione adnotetur commissio citationis.

2. Inquisitione contra Reum formata, idem Reus a Cursore, Nuntio, aut Ballivo ad domum suæ solitæ habitationis citetur, ut Inquisitioni contra ipsum instructæ respondeat, & ab illa se defendat, intra quinque dies, quorum tres pro primo, alii duo pro secundo, ac peremptorio termino ipsi assignentur, eidemque inquisitionis copia citationi inserta transmittatur: post executionem Cursor, Nuntius, aut Ballivus Notario Primario, aut Cancellario criminali, vel alteri Notario Cancellariæ, aut officii criminalis verbaliter referet, se executum fuisse citationem ad domum solitæ habitationis Rei, dimissa, ut supra, inquisitionis copia: relatio autem sub citationis commissione adnotanda erit, cui quidem relationi, aliisque, ut infra a Cursoribus, Nuntiis, Balivis, ac Præconibus, faciendis, & a Notario Primario, Cancellario, aut Notario, adnotandis, jubet Eminentissimus Cardinalis plenam adhiberi fidem, etiam si coram testibus peracta non fuerint.

3 Elapso quinque dierum termino in citatione præfixo, formetur Bannum, & hoc a Judice, & a Notario Primario, aut Cancellario criminali, vel Notario subscribendum erit, & in Banno summarie, & substantialiter exprimatur delictum, propter quod Reus proscribitur, necnon delicti pœna, qua in sententia contumaciali damnandus erit: & in illo, quinque dierum terminus illi assignetur, ad comparendum, seque a dicto Banno defendendum, & inseratur citatio ad sententiam pro primo die juridico immediate sequenti post elapsum dictorum quinque dierum terminum.

4 Hoc Bannum cum inserta citatione ad sententiam a Cursore, Nuntio, Ballivo, aut Præcone, elata voce publicandum erit ad valvas Palatii Gubernatoris, Potestatis, Commissarii, aut alterius Officialis, coram quo causa pendet, ac præter dictam publicationem, Bannum etiam cum inserta citatione ad sententiam intimetur ad domum solitæ habitationis Rei, copia intimationis, & Banni dimissa.

5 Publicationis, & intimationis Banni, ac dimissionis copiæ ejusdem in illo, is, qui illud publicaverit, & intimaverit, relationem verbaliter faciet Notario Primario, vel Cancellario criminali, aut Notario, qui relationem, ut supra adnotare debebit.

6 Elapso quinque dierum termino in Banno præfixo, a die intimationis prædictæ computando, Judex die juridico, in quem citatio ad sententiam incidet, sententiam contumacialem proferre debebit scribendam, & subscribendam in sententiarum libro, cum

cum rogitu, & publicatione illius,

7 Quoniam vero sæpe contingit, ut delicta ab extraneis committantur, nisi in processu tales esse constiterit, mandat Eminentissimus Dominus Cardinalis, ut, præcedente Cursoris, Nuntii, aut Ballivi relatione de diligentia ab ipso peracta, ut domum consuetæ habitationis Rei reperiret, eam tamen non invenisse, citationes, & intimatio contra prædictas perficiantur ad valvas Palatii Gubernatoris, Potestatis, vel Commissarii, aut in alio consueto loco, copia non solum citationum, & intimationis, sed etiam inquisitionis, ac Banni affixa. At si alio modo legitime in processu extraneos esse constiterit, supradicta omitti perquisitio poterit, & contra eosdem extraneos citationes, & intimatio peragentur, & una cum inquisitione, & Banno, ut supra, affigentur.

8 Quod si termino præfixo, ut supra, Reo in citatione ad respondendum inquisitioni, vel in intimatione Banni ad se defendendum, aut ad sententiam decurrente, aliquis compareret petens terminum ad perquirendum, certiorandum inquisitum, & faciendum, ut idem compareat, talis terminus ad Judicis arbitrium ipsi assignetur: quo elapso, iterum Reo terminus circumductus intimetur, sive fuerit ad respondendum inquisitioni, sive ad se defendendum, & ad sententiam in Banni intimatione, ac subinde procedatur, ut supra statutum est.

9 Declarans, quod, servatis terminis contumacialibus, modo supra in præsentibus ordinationibus expresso, non possint sententiæ sub quocumque prætextu vel colore tamquam nullæ traduci; etiamsi a Constitutionibus Marchiæ, particularibus locorum Statutis, etiam a Summis Pontificibus confirmatis, aliter disponeretur, aut a longa consuetudine, etiam immemorabili inductum esset, quibus de expresso Summi Pontificis mandato in hac parte derogatur.

10 Ut autem quisque Judex, Notarius Primarius, Cancellarius, & Notarius has Ordinationes attentius & accuratius observet, D. Eminentissimus Cardinalis statuit, ut Judices, qui sententias contumaciales pronuntiabunt, & Notarii Primarii, qui eas rogabunt, si in aliqua re quoad prædictorum Ordinum observantiam defecerint, pœnam 500. scutorum monetæ, Reverendæ Cameræ Apostolicæ applicandorum, & privationis officii incurrant.

11 Sub eadem pœna Primariis Notariis, & Cancellariis imperat, ut has Ordinationes registrent, & scribant in libris Cancellariarum cujuscumque Civitatis, Terræ, Castelli, & loci Status prædicti, easque etiam affixas in loco publico in eorum Officiis, aut Cancellariis criminalibus retineant, & Gubernatoribus, Potestatibus, Commissariis, Locumtenentibus, Auditoribus, aliisque Officialibus notos faciant in suorum Guberniorum, & Officiorum ingressu, de qua re rogationem exhibeant.

12 Declarans, quod, licet prædicta affixio, & notificatio præstita non fuerit, nihilominus Judices teneantur præsentes Ordinationes servare, transgressores autem supra dictis pœnis subjiciantur; vult enim, atque declarat, ut præsentium Ordinationum publicatio, Romæ in consueto loco Campi Floræ ab uno ex Cursoribus Summi Pontificis facienda, afficiat, atque obstringat quamcumque personam cujuscumque status, gradus, & conditionis, in omnibus Civitatibus, Terris, Castellis, & locis Status Ecclesiastici immediati, ac mediati, post 15. dies a dicta publicatione, perinde ac si in singulis prædictis locis, & cuicumque solemniter, & personaliter intimatio facta fuisset.

Datum Romæ 25. Maii 1641.

F. Card. Barberinus.

Fetius Contelorus Secret.

Formula omnium terminorum contumacialium in Statu Ecclesiastico servandorum pro hujus BARBERINÆ Constitutionis observatione.

PRimo: Inquisitio, quæ Reo, legitimis præcedentibus indiciis, transmittenda est, formari, & conscribi debet in peculiari inquisitionum libro, ad hoc præcipue constituto; atque ibidem singillatim adnotandæ sunt citationes, quæ committi debent juxta formam prædictæ Constitutionis, & alii termini, de quibus datur infrascripta Formula per extensum.

Inquiratur ex Officio Curiæ ad instantiam Fisci, & ad querelam NN. de tali loco (*si fuerit porrecta*) in, de, & super eo, quod, &c. seu Hæc est quædam Inquisitio, quæ fit, & fieri intenditur contra, & adversus NN. in eo, & super eo, quod, &c. *&* *hic inferatur tota delicti series cum eis circumstantiis, de quibus Reus erit indiciatus. Deinde concludatur verbis, videlicet*.

Et prædicta omnia, &c. super quibus, &c. *& bene faciet Judex, si eam subscribet*.

Post hac subnectatur dies, mensis, & annus, in quibus fuit formata, & inchoata, ut sequitur.

D.e Mensis Anni

Inchoata, facta, & formata fuit, &c.

Deinde committatur citatio ad respondendum Inquisitioni cum transmissione totius tenoris inquisitionis prædictæ, quæ commissio in dicto libro adnotetur prout infra.

Instante Fisco commissa fuit citatio contra dictum N. Inquisitum ad respondendum Inquisitioni prædictæ infra terminum quinque dierum cum tenore totius Inquisitionis in ea inserto.

Et scribatur tenor prædictæ citationis in libro prædicto, qui erit infrascriptus, videlicet.

De mandato D. N. Gubernatoris, &c. Instante D. Procuratore Fiscale.

Citetur NN. de tali loco ex adverso principalis ad personaliter comparendum coram eodem D. & respondendum infrascriptæ Inquisitioni contra ipsum formatæ, & ab ea se defendendum, infra terminum quinque dierum, quorum tres primi pro primo, reliqui vero duo pro secundo, & ultimo peremptorio termino sibi assignatur, alioquin, in quorum, &c. Dat. &c. hac die.

Cujus inquisitionis tenor talis est, qui sequitur, videlicet. Inquiratur ex officio, &c.

Et hic inseratur totus tenor inquisitionis, & reo transmittatur subscripta a Notario.

Die Mensis Anni

Executa fuit supra dicta citatio contra dictum NN. Inquisitum, domi suæ solitæ habitationis in Civitate N. dimissa copia citationis prædictæ, cum toto tenore inquisitionis in ea inserto, per N. publicum mandatarium Curiæ, ut mihi retulit, &c, in fidem &c.

NN. Notarius, & Cancellarius rog.

Elapsis

Elapsis integre dictis quinque diebus, non computato dir, quo fuit facta executio, Reus praedictus, nisi quid obstet, ponatur in banno, & commissi o banni pariter adnotetur in eodem libro inquisitionum, ut infra sequitur.

Die Mensis Anni

Commissio banni Fisco instante contra dictum NN. inquisitum cum citatione ad sententiam pro prima die juridica juxta formam dictae Constitutionis

Bannum etiam erit pariter adnotandum in libro praedicto, & sic concipiendum, videlicet.

Essendo stato citato NN. dal tal luogo, &c. a rispondere all' inquisizione contra di lui formata, per havere, &c. *& hic substantia delicti apponatur concludendo*, & come meglio apparisce, e si legge nel processo contra di lui formato, & inquisizione trasmessa al medemo, alli quali s'abbia relazione, ne essendo mai comparso, però.

D'ordine del Signor N. Governatore si pone in Bando in pena, *& hic apponatur poena, qua Reus inquisitus erit puniendus, deinde subsequen to dicatur* Et in tanto se li assegnano altri cinque giorni di termine a comparire, e difendersi dal presente Bando, qual termine passato, e non comparendo, si cita e chiama adesso per il primo giorno giuridico immediatamente seguente, ad udire la sentenza condennatoria da darseli in detta causa, non ostante la sua assenza, e contumacia. In fede &c. Dat. hac die

Hic est necessaria subscriptio Judicis, & Notarii juxta formam dictae Constitutionis, & bannum est publicandum ad valvas Palatii Domini Gubernatoris, seu Judicis, coram quo causa pendet.

Die Mensis Anni

Bannum praedictum publicatum fuit ad valvas Palatii D. Gubernatoris, seu in loco solito, & alta, & intelligibili voce, me Notario legente, per NN. publicum mandatarium, seu tubicinem, ut etiam mihi retulit, & in fidem, &c.

NN. Notarius, Cancellarius rog.

Post publicationem banni praedicti committatur intimatio, cujus forma erit infra videlicet.

Die Mensis Anni

Instante Fisco commissa fuit intimatio banni praedicti cum insertione ejusdem banni, & citatione ad sententiam, ut in banno praedicto continetur.

De mandato D. N. Gubernatoris, &c. Instante D. Procuratore Fiscali.

Intimetur NN. de tali loco, &c. ex adverso principalis qualiter fuit positus in banno, & ei lem assignatus terminus quinque dierum ad comparendum, & se defendendum ab eo, tenoris sequentis, vi licet.

Et hic inferatur tenor banni, in quo inest citatio ad sententiam pro prima die juridica.

Die Mensis Anni

Executa fuit supra dicta intimatio contra supra dictum NN. inquisitum domi suae solitae habitationis in Civitate N. dimissa copia dictae intimationis cum toto tenore banni, & citatione ad sententiam in ea infertis per N. publicum mandatarium dictae Civitatis, ut mihi retulit, &c. in fidem, &c.

NN. Notarius, & Cancellarius rog.

Transactis quinque diebus post intimationem executam, prima die juridica immediate sequente feratur sententia condemnatoria stipulanda coram testibus per Notarium Cancellarium in libro peculiari sententiarum.

Quod si Reus inquisitus citandus erit forensis, sed non constabit in processu, quod sit forensis, tunc mandatarius Curiae debet facere diligentias reperiendi domum dicti Inquisiti, & si illam non reperit factis diligentiis, referre debet a se non fuisse repertam, & tunc ad valvas Palatii Gubernatoris, seu in loco solito dictam citationem, cum inquisitione, & successive bannum, & illius intimationem cum affixione copiae exequi debebit, & referre, prout in formula infra scripta. Praefatae tamen diligentiae non exiguntur, si eundem Reum inquisitum ex processu legitime constet esse forensem.

Die Mensis Anni

N. publicus mandatarius Civitatis N. retulit mihi Notario, & Cancellario infra scripto, se fecisse diligentias reperiendi domum solitae habitationis supradicti N. Inquisiti, & illam non reperisse, ideo praedictam citationem cum toto tenore inquisitionis in ea inserto executum fuisse per affixionem ad valvas Palatii D. Gubernatoris, seu in loco solito, ibique copiam dimisisse, & ita retulit mihi, &c. isto, & omni &c.

NN. Notarius, & Cancellarius rog.

Die Mensis Anni

N. publicus mandatarius Curiae Civitatis N. retulit mihi, &c. hac die praedicta contra dictum N. Inquisitum exequutam fuisse intimationem cum toto tenore banni, & citatione ad sententiam in ea inserta ad valvas Palatii D. Gubernatoris, & ibique copiam affixisse, & dimisisse, prout habuit in mandatis, & ita retulit, &c.

NN. Notarius, Cancellarius rog.

Ad supremo dicta, ne quae imposterum Judicibus circa has materias difficultas exoriri queat, libet hic nonnulla, quasi pro corollario, ac velut i appendicis in modum attexere.

Primo, si ad alicujus instantiam infra terminum citationis ad respondendum Inquisitioni, seu intimationi banni concessa fuerit dilatio ad perquirendum, seu certiorandum ipsum Reum: illa elapsa, iterum exequenda erit citatio, seu intimatio praedicta, & in libro Inquisitionum erit pariter adnotandum, fuisse iterum executam dictam citationem, seu intimationem, eo quod altera circumducta fuerit.

Secundo, si contingat, quod prima dies post lapsum termini intimationis banni, sub qua cadit citatio ad sententiam, fuerit feriata ad cultum Dei, vel Sanctorum, & propterea pronunciari non possit, adnotandum erit in libro Inquisitionum, sententiam non fuisse latam prima die post transactum terminum quinque dierum, quia erat feriata in honorē &c.

Tertio, si plures ejusdem criminis correi sint citandi, quorum alter distet a loco Curiae inquirentis, alter vero ibi commoretur, erit animadvertendum, ut citationes cadant in eadem die, ne plures in eadem causa ferri sententias contingat, si tamen hoc commode fieri poterit.

Quarto, & quatenus per incuriam Judicis, & Notarii, vel alia de causa non feratur sententia die juridica, in qua cadit citatio, tunc poterit committi particularis citatio pro prima die juridica ad sententiam, & fieri debebit relatio, ut supra absque eo, quod de novo transmittatur bannum cum insertione citationis ad sententiam.

DECLARATIO cum additione ordinationum Substantialium, quae ab Officialibus Status Ecclesiastici servandae sunt in causis contumacialibus.

CUM praxi, & experientia compertum ſit, literalem obſervantiam Ordinationum 25. Maij 1641. promulgatarum ſuper terminis ſubſtantialibus ſervandis in cauſis criminalibus, quæ contra contumaces inſtruuntur, graves afferre difficultates in exequendis contra delinquentes ſententiis contumacialibus, ideoque, ut plurimum, poſtquam in fortiis Curiæ devenerint, a condignis punitionibus immunes evadere. Idcirco Eminentiſſimus, & Reverendiſſimus Dominus Cardinalis Sacchettus huic incommodo conſulere intendens, de expreſſo Summi Pontificis mandato, ſtatuit, atque declarat;

Primo, ut acta contumacialia ſuffragentur, etiamſi in foliis volantibus, non autem in aliquo libro regiſtrata, atque deſcripta reperiantur.

2. Executiones citationum, tam ad reſpondendum inquiſitionibus, quam ad ſententiam, ac etiam intimationis Banni, præſumantur factæ ad domum ſolitæ habitationis Rei, etiamſi in relatione Nuncii id expreſſum non fuerit, quotieſcumque, ſi oppoſitum non conſtet, dictus Nuncius retulerit, ſe executionem peregiſſe ad domum dicti Rei, exprimendo Civitatem, Caſtellum, Terram, Pagum, vel alium ſimilem locum, ubi ſita ſit domus, in qua executio facta fuerit.

3. Eodem modo præſumendum erit, prædictas rationes executas fuiſſe, dimiſſa copia ad domum Rei, quamvis in executionis relatione non exprimeretur, executas fuiſſe, dimiſſa copia.

4. Præſumendum quoque erit, citationes executas contra inquiſitos, qui habitationem non habebunt ſub juriſdictione Judicis inquirentis, ut ſupra, executas fuiſſe per ipſarum citationum affixionem ad valvas Palatii Gubernatoris, vel Judicis inquirentis, aut ad valvas Eccleſiæ Cathedralis civitatis, vel Eccleſiæ Matricis, ſeu Parochialis loci, ubi Gubernator, aut Judex cauſæ reſidebit, etiamſi in relationibus executionum dictarum citationum non exprimeretur, citationes ipſas executas fuiſſe per affixionem, dummodo in dicta relatione appareat, dictas citationes executas fuiſſe ad valvas Palatii, vel Eccleſiæ.

5. Relationes, a Curſoribus, Nuncio, aut Ballivo faciendæ Cancellario criminali, aut alteri Notario, vim habeant, licet adnotatæ non ſint ſub commiſſione citationum, vel in libro inquiſitionum, cum ſatis ſit, ut a dicto Cancellario, vel Notario adnotatæ reperiantur in quocumque ſuorum actorum loco, etiamſi in foliis volantibus, dummodo cum tali declaratione factæ ſint, ex qua executio illius actus particularis inſeratur.

6. Tam inquiſitiones, quam Bannum ſuffragentur, licet a Notario ſubſcripta non ſint: Cum pro eorum validitate ſufficiat, ut, vel a Judice ſubſcripta fuerint, vel præcedens ejuſdem Judicis commiſſio eorum appareat; itaut, ſi vel ſubſcriptio, vel commiſſio adſit, alterutra pro earum validitate ſit ſatis, & ad hunc effectum commiſſio conſtare cenſebitur, dum in citationibus adnotatum appareat, eaſdem juſſu Judicis factas fuiſſe.

7. Præterea, nullitatis vitio non erit tribuendum, ſi in prædictis citationibus dies datæ ipſarum non adnotabitur, dummodo in relationibus executionis earumdem citationum ſit appoſita dies, in qua executæ fuerint. Neque nullitas inducetur, ſi adnotata non apparuerit dies executionis citationis ad reſpondendum inquiſitioni, quemadmodum circa hanc, & alias citationes ſupra dictum eſt.

8. Banni publicatio cum inſerta citatione ad ſententiam fieri, non ſolum elata voce, ſed etiam per affixionem, aut alio æquipollenti modo poſſit.

9. Suffragetur ſententia, licet in libro ſententiarum non regiſtrata, & quoties a Judice ſubſcripta ſit, ejuſque ſolum in Cancellaria reperiatur, aut apud Notarium cauſæ, præſumatur, & habeatur tamquam lecta, & publicata.

10. Quoniam vero multoties a Reis allegata fuit nullitas actorũ, eo quod decreta promulgata, aut citationes, vel intimationes executæ fuerunt, aut earum relatio facta fuit die non juridica, ſtatuit Eminentiſſimus Cardinalis, ut pœnis, in prædictis ordinationibus appoſitis, ſubjiciantur Judices, Fiſcales, Notarii, & alii, qui commiſſionem, vel executionem, vel relationem alicujus ex citationibus, vel intimationibus præſcriptis ab iiſdem ordinationibus peragent, aut fieri jubebunt die feſto, qui, vel ex Sanctæ Eccleſiæ præcepto, vel ex conſuetudine, aut conſtitutione particulari loci, debeat in honorem Dei, aut Sanctorum obſervari. Ac præter dictas pœnas, vult, ut Notarii primarii, eorumque Subſtituti, huic Capitulo non obtemperantes, pœnam triremium per decennium, incurrant irremiſſibiliter exequendam.

11. Statuitur præterea, ne, ob præcedentes declarationes, Gubernatores, Poteſtates locorum, Notarij, Cancellarij, & alii, ad quos pertinet, liberi ſint ab exacta obſervantia omnium, & ſingularum rerum in dictis ordinationibus ſub 25. Maij 1641. publicatis conſtitutarum; ſed ut omnes, & ſinguli Officiales, in iis comprehenſi teneantur, ratione eorum Officii, atque obligentur ad illas cuſtodiendas, & executioni mandandas ſub iiſdem pœnis, quæ in ipſis continentur, quos Eminentiſſimus Cardinalis irremiſſibiliter exequi jubet, ac ſi præcedentes declarationes publicatæ non fuiſſent, utpote quæ pro faciliori ſententiarum contumacialium executione fiunt, non autem ut major in Officialibus incuria inducatur. Et quoniam ulterius exigitur, ut præſertim Judices, & Notarii diligenter ſuper rerum dictarum obſervantia invigilent, declaratur pariter, quod, quoties in quocumque proceſſu aliquod contra earumdem ordinationum, aut præſentis Edicti diſpoſitionem actum repertum fuerit, devenietur ad pœnas ſupra poſitas contra Judicem, qui commiſerit, aut ſubſcripſerit inquiſitionem, vel citationem, aut Bannum, aut ſubſcripſerit ſententiam contumacialem; necnon contra Notarium, qui quodcumque ex actis ſupra nominatis rogaverit, & contra Notarium Primarium, aut Cancellarium Officii, licet Fiſcus non probet, defectum juſſu, aut participatione alicujus ex ipſis commiſſum fuiſſe.

Declarat præterea Eminentiſſimus Cardinalis, harum declarationum publicatione, in conſueto loco Campi Floræ facienda, obligari, infra 15. dies, quamcumque perſonam cujuſcumque ſtatus, gradus, vel conditionis, & in quocumque loco Status Eccleſiaſtici mediati, aut immediati, perinde ac ſi in unoquoque loco publicatæ, & unicuique perſonæ intimatæ fuiſſent.

Dat. Romæ hac die 10. Maij 1656.

I. Card. Sacchettus,

Cæſar Raſponus Secr.

Anno-

Adnotatio Ioannis Zuffi I. C. Romani ad Conſtitutionem BARBERINAM.

SVMMARIVM.

Conſtitutio Barberina eſt male obſervata. num. 1.
Ficta confeſſio generatur ex contumacia. n. 2.
Dividitur Conſtitutio in multa membra, & quæ. n. 3.
Libellus Inquiſitionis differt ab inquiſitione, & quomodo. n. 4.
Libellus inquiſitionis quæ continere debet. num. 5.
Libellus inquiſitionis debet ſubſcribi, vel a Judice, vel conſtare debet de ejus commiſſione. nu. 6.
Libellus inquiſitionis deſervit, ut reo abſenti notificetur actio, qua Fiſcus agere intendit. nu. 7.
Libellus inquiſitionis magis petitio, quam inquiſitio dicitur. num. 8.
Tranſmittitur Libellus, ut reo magis aperta ſit via deffenſionis. num. 9.
Libellus inquiſitionis quam concluſionem continere debet. num. 10., *&* 15.
Concluſio duplex eſt, & quæ. num. 11., *&* 14.
Lex concludit in criminalibus, & eſt invariabilis. num. 12.
Sufficit, quod libellus concludat ſecundum leges. n. 13.
Defenſio denegatur Reo poſt terminum lapſum. nu 16.
Judex conſiderat ſolum modum, quo lex conclu-dit. num. 17.
Probationes ad libellum inquiſitionis tranſmittendum quæ requiruntur. num. 18.
Indicia ſunt in duplici genere, & quæ. nu. 19.
Indicia ad tranſmittendum libellum inquiſitionis, & præſumptiva, & vehementia eſſe debent. n. 20.
Immo debent eſſe ſufficientia ad inquirendum. nu. 21.
Libellus inquiſitionis debet continere facti criminoſi narrationem. num. 22.
Libellus inquiſitioni. non debet deficere ab iis, quæ poſſunt auferre Reis defenſionem. num. 23.
Ideo debet eſſe certus, & clarus, non alternativus, nec inveriſimilis. n. 24.
Si quid a libello inquiſitionis detrahi oporteat, debet Reis intimari. num. 25.
Commiſſio citationis debet præcedere, cum citatio ſit executio commiſſionis. num. 26.
An commiſſio citationis fieri poſſit die feriata. nu. 27. *& ſeqq.*
Feriæ in honorem Dei quæ ſint. num. 29.
Citatio facta die feriata pro non feriata in tantum valet, in quantum dies feriata fuerit inducta ad favorem hominum. num. 30.
An commiſſio citationis præſumi poſſit. num. 31.
Citatio duo continere debet, & quæ. num. 32.
Lis ſubſtantiatur per interrogationem, & reſponſionem. num. 33.
Contumacia operatur idem quod reſponſio. n. 34.
Abſens connumeratur inter reos per citationem ad reſpondendum n. 35.
Terminus alius expectativus, alius peremptorius, & qui. num. 36.
Terminus peremptorius datur ad dirimendum. n. 37.
Verbum peremptorium debet apponi in citatione. n. 39.
Dilationes quotuplices ſint, & quæ. num. 40.
Tres monitiones habent vim peremptorii, etiamſi non dicatur. num. 41.
Alternativa vel importat ordinem non electionem. num. 42.
Nuncio in criminalibus non creditur de commiſſione citationis. num. 43. *Secus in civilibus. num.* 44.
Nuncius unius Baronis non poteſt exequi citationes in loco alterius Baronis. num. 45.
Quis non poteſt capi in Territorio alieno. num. 46.
An citatio exequi poſſit in Eccleſia. num. 47.
In Eccleſia non poteſt fieri recognitio cadaveris, & teſtes examinari. num. 48.
Citatio duo habet, nempe principium, & medium, & quæ. num. 49.
Laicis Judicibus non eſt licitum citare in Eccleſia, niſi de licentia Epiſcopi, & quando agitur de pœna pecuniaria. num. 50.
An Epiſcopis licitum ſit citari facere in Eccleſia. num. 51.
An exul a ſeculari in Eccleſia refugiatus frangat exilium maxima inter DD. eſt altercatio. n. 53.
D. Nicolaus Antonius Hiſpanus pro ſua tractatu de exilio laudatur. n. 54.
Referuntur DD. affirmantes exulem in Eccleſia de Territorio vetito refugiatum exilium frangere, qui tamen refelluntur. num. 55.
Exul non poteſt in loco per exilium prohibito ſepeliri. num. 56.
Occidens Bannitum in Eccleſia præter pœnas excommunicationis ad aliud non tenetur, contrarium verius. num. 57.
Reus poteſt in Eccleſia de mandato Iudicis ſecularis citari, & condemnari. num. 58. *Contrarium. num.* 92. *de communi.*
Bannitus citandus in Eccleſia per Rectorem invenitur, & Nuncio præſentatur. num. 59.
Citari poteſt in Eccleſia etiam in pœnis pecuniariis. num. 60., *&* 93. *Concilia. num.* 95.
Exul a ſeculari in Eccleſia de Territorio vetito refugiatus non frangit exilium. nu. 61.
Peguer. Capoblanc. Baron., & Paſchal. ſupra n. 55. *pro contraria opinione allegati reprobantur a* Moder. Pilaia. *num.* 62.
Et hanc eſſe communem opinionem teſtatur Sperell. *num.* 63.
Eccleſia poſita in Territorio Principis ſecularis reputatur nihilominus extra illud, in quo Bannitus non poteſt puniri. num. 64.
Statutum ſeculare certas ſolemnitates adhiberi mandans non comprehendit actus factos in Eccleſia. num. 65.
Epiſcopus non habet Juriſdictionem in Eccleſia exempta, licet in ſua Diœceſi poſita. num. 66.
DD. ſuperius allegati non feciunt punctum quæſtionis propoſitæ. num. 67.
Caſus præſens eſt de exilio injuncto Clerico refugiato in Eccleſia Diœceſis Epiſcopi exulantis. n. 68.
Epiſcopus licet Diœceſim habeat, caret tamen Territorio; ſed diſtinctio hujuſmodi Diœceſis, ac Territorii uti ventoſa confutatur. num. 69., *& ſeqq.*
Epiſcopus tam de jure, quam ex Concilii Tridentini diſpoſitione habet Territorium. num. 70.
Omnes Eccleſiæ in Territorio poſitæ, ſuæ præſumuntur. num. 71.
Card. Tuſc. *in objecta allegatus, quod Epiſcopus Diœceſim non Territorium habeat, reprobatur etiam a ſemet ipſa. num.* 62.
Diœceſis Epiſcopo aſſignata ſtat loco Territorii. n. 73.
Epiſcopus in ſuo Territorio habet merum, & mixtum imperium cum regalibus. nu. 74.
Epiſcopus habet Juriſdictionem in ſuis Eccleſiis, tam voluntariam, quam contentioſam. nu. 75. *Li-*

mitam. nu. 112. 113. & 114.

Episcopus potest Clericum in Ecclesia verberare, & capi facere secundum aliquos. n. 76.

Episcopus, seu ejus Vicarius potest Clericum in Ecclesia refugiatum præceptare, ut Ecclesiam teneat loco tuti Carceris sub pænis secundum aliquos. &c. n. 77.

Episcopus potest Parochum in Parochiali domo cum Concubina repertum extrahere, ac punire simul cum concubina. num. 78. Intellige. n. 130.

Amplia maxime stante consuetudine. num. 79. & 82.

Amplia præsertim post Gregorianam. num. 80.

Lim. supradictam conclusionem de consuetudine, non de jure procedere. num. 81.

Religiosus potest capi in Ecclesia, & Monasterio propriæ Religionis, non ut puniatur corporaliter, sed ad correctionem. num. 82.

Clericus stante consuetudine potest de ordine Episcopi in Ecclesia capi. 83. Contrarium. nu. 115.

Alias actum esset de disciplina regulari, & Clericali. nu. 84.

Coercitio tamen, seu carceratio debet fieri per Ministros Ecclesiasticos non seculares. num. 85.

Fractura exilis intrat, probata refugiatione exulis in Ecclesia de Territorio exulantis, supposito, quod Episcopus exulans habeat ibidem Iurisdictionem. num. 86.

Contraventio probatur ex ipso, quod egressus a Territorio prohibito iterum illuc rediit, & in Ecclesiam se refugerit. num. 87.

Ideoque de jure intrat incursatio cautionis præstitæ de servando exilium num. 88.

Reus exul in Ecclesia refugiatus debet ab omni pænarum genere esse tutus. num. 89.

Ampl. procedere etiam in ejus fidejussore, & ratio assignatur. n. 90.

Refelluntur exempla superius pro contraria adducta. num. 91.

Citatio contra refugiatum in Ecclesia non potest fieri de mandato Iudicis seculari. n. 92.

Nec sub pæna pecuniaria Fisco applicanda, & ratio affertur. nu. 93.

Citatio in Ecclesia potest exequi de mandato Judicis Ecclesiastici, & in causis Ecclesiasticis, secus in aliis. nu. 94.

Conciliantur opiniones. num. 95.

Tex. in cap. Inter alia, & cap. Reum in object. supra allegat. nu. 60, *intelliguntur de Compositione pro damnis parti illatis, non cum Fisco n. 96.*

Abb. in cap. Inter alia, cum Asseclis supra allegatis *sic intelligendus. n. 97.*

Occidens Bannitum in Ecclesia potest puniri corporaliter de communi. n. 98.

Fidejussor exulis non apprehensi in loco vetito, non potest urgeri. num. 99.

Ampl. ut nec Testes de visu ad probandam contraventionem admittantur. num. 100.

Distinctio Statuti punientis arma asportantem, vel invenientem, uti vana communiter rejicitur. num. 101.

Simili pragmatica super armorum asportatione publicata Neapoli, ob clamorem Populi tumultuantis fuit illico suspensa. num. 102.

Capoblanc. de Baron. pro distinct. allegat. *rejicitur. num. 103.*

Apprehensio est necessaria pro contraventione exilii probanda, sicuti in delatione armorum. n. 104.

Ampl. de communi observantia in tota Republica Christiana, nu. 105.

Contraventio exilii non probatur contra fidejussorem ex sola exulis confessione. n. 106.

Confessio correi regulariter non nocet correo debendi in Civilibus. num. 107.

Ampl. ut nec noceat correo credendi. nu. 108.

Ampl. idem procedere in criminalibus, rejectis Roland. Carth. *contrarium sentientibus. nu. 109.*

Cautela Criminalistarum procedendi contra transgressores exilii absque apprehensione refertur. n. 110.

In præsenti non fuit adhibita cautela, ideoque fidejussor non tenetur. nu. 111.

Jurisdictio, quam habet Episcopus in Ecclesia, restringitur ad causas spirituales, non autem contentiosas. num. 112.

Conciliantur sub distinctione DD. pro contraria oppositione adducti supra. num. 75. num. 113.

Barbos. de offic. Paroch. *absolute negat Episcopo Iurisdictionis contentiosæ exercitium in Ecclesia. num. 114.*

Refelluntur DD. contrarii, uti contra communem loquentes. num. 115.

Comprobatur rejectio Abbatis cum asseclis, tam in theo., quam praxi. nu. 116.

Consuetudo contra Immunitatem Ecclesiarum est potius corruptela non attendenda. num. 117.

Ampl. quamvis fuerit a Papa tolerata. n. 118.

Episcopus nec ad correctionem potest extrahere Clericum in Ecclesia refugiatum. num. 119.

Ampl. ut nec pro facienda pace, evitandis scandalis &c. num 120.

Religiosus invitus non potest extrahi ab alia Ecclesia non suæ Religionis. num. 121.

Ampl. quamvis occideret suum Superiorem n. 122.

Ampl. Imo, & si proprium Generalem secundum aliquos. num. 123.

Secus si delinquat intra septa Monasterii, reprobato Garubac. *num. 124.*

Depositus in Ecclesia loco carceris, potest etiam invitus extrahi, & ratio assignatur. n. 125.

Ampl. etiamsi depositus sit a Curia seculari de mandato Episcopi. num. 126.

Reus ductus per Ecclesiam a Satellitibus, non gaudet Immunitate. num. 127.

Opinio supra dicta non solum de jure, verum etiam ex mente omnium Sac. Cong. procedit. n. 128.

Abb. d. cap. Inter alia *bis supra reprobatus, iterum & tertio reprobatur. n. 129.*

Gennet. sup. alleg. *tenens contrarium ex consuetudine reprobatur. nu. 130.*

Parochus post delictum confugiens ad Ecclesiam Parochialem gaudet immunitate ex mente S. Congregat. Immunitatis. nu. 131.

Resolutiones Sacrarum Congregationum habent vim legis in tota Christiana Republica, & ligant in conscientia. num. 132.

Ampl. etiamsi non publicatæ uti notoriæ. n. 133.

Intellige dummodo authenticæ exhibeantur, vel insertæ in monitorio A. C. in eadem causa, & inter easdem personas emanatæ. n. 134.

Ampl. procedere etiam ex Decreto Urbani VIII. n. 135.

Casus fractionis exilii est nimis levis, in cujus remissione partis consensus non requiritur. n. 136.

A transgressione exilii, uti materia pænata, & odiosa qualibet causa excusat. n. 137

Exul a fractione exilii excusatur, ob amorem, ac timorem inimicorum in exeundo inventorum. n. 138.

Ampl. etiam ex causa Infirmitatis Parentum, ipsorum-

rumq. visitationem .n. 139.
Relatio debet fieri apud acta. n. 140.
Sententia lata, non expectata relatione Nuncii, est nulla. numer. 141.
Relatio licet sit de processu, tamen non est de ordine judicii, & quare. n. 142.
Relatio fieri potest absentibus partibus. n. 143.
Relatio an fieri possit die feriata in honorem Dei. numer. 144. & 147.
Arbitrator potest declarare pretium rei die Dominico. num. 145.
Relatio est quoddam testimonium Nuncii. n. 146.
Feriæ in honorem Dei sunt in duplici differentia, & quæ. num. 148.
Dies Dominici non comprehenduntur in derogatione feriarum. nu. 149.
Feriæ aliæ sunt ad commodum hominum, aliæ sunt reverentiales ad honorem Dei. n. 150.
Statutum disponens, quod omni tempore etiam feriato possit fieri executio, non comprehendit ferias in honorem Dei. n. 151.
Relatio citationis potest fieri etiam post terminum citationis. num. 152.
Citatio carens die præsumitur facta die relationis. num. 153.
Relatio citationis debet continere fuisse executam domi solitæ habitationis. n. 154.
Citatio ad domum ingerit scientiæ præsumptionem. num. 155.
Relatio citationis factæ domi sine qualitate solitæ habitationis non suffragatur. n. 156.
Qualitas solitæ habitationis ponitur ad differentiam hospitii. num. 158.
Hospitium est domus in motu, & peregrinationis. num. 159.
Citationes, quæ fiunt ad hospitium contra forenses, non tenent. num. 160.
Habitator est, qui residendi animo sive in suo, sive in conducto, sive in gratuitu consistit, & differt ab hospite. num. 161.
Qualitas solitæ habitationis simpliciter relata a Nuncio suffragatur, etiamsi citatus habeat duas habitationes. num. 162.
Dubitatio resultans inter duo extrema non vitiat, si quodlibet extremorum sit ejusdem naturæ. n. 163.
Domus solitæ habitationis intelligitur illa, quam inhabitat tempore citationis. nu. 164.
Bannum est hominis diffidatio. num. 165., & est comminatoria. num. 167.
Diffidatio est licentia quædam offendendi. n. 166.
In Banno exprimi debet summarie delictum, quia delictum est causa Banni. num. 168.
De Commissione Banni apparere debet. n. 169.
Pœna in Banno exprimi debet. n. 170.
Pœna expressa in Banno præsumitur expressa in sententia, fortasse sine pœna lata. n. 171.
Bannum terminum continere debet, quo elapso inducta videtur confessio. n. 172.
Confessio ficta acceptata tolli non potest. n. 173.
In quo differat Constitutio Barberina a Constitutione Marchiæ in cap. 10 lib. 4. n. 174.
Bannum debet publicari alta voce ad valvas Palatii Gubernatoris, vel Potestatis. n. 175.
Bannum debet intimari domi solitæ habitationis, dimissa copia. nu. 176.
Bannum est maximi præjudicii n. 177.
Reo comparente in termino banni resolvitur bannum in simplicem citationem. n. 178.
De publicatione, & intimatione, ac copia banni dimissa debet fieri relatio apud acta. n. 179.
Negatio Rei fuisse citatum non facit vacillare Nuncii relationem. n. 180.
Terminus Banni computatur a die executæ intimationis. nu. 181. & quare. ibidem
Terminus Banni a nostra commissione præfixus non potest a Judice minui. n. 182.
Contra forenses debent fieri diligentiæ de reperiendo domum, ubi habitare potuerint. n. 183. alias ad valvas fieri debet citatio. n. 184.
Forensis quis sit. nu. 185.
Paria sunt forum sortiri, & statuto ligari. n. 186.
Forensis fit de foro illius civitatis, in qua deliquit. num. 187.
Clericus ligatur statuto illius loci, ubi litigat, quoad ordinatoria. nu. 188.
Terminus ad perquirendum reum citatum assignari potest. num. 189.
Procurator in criminalibus non admittitur. n. 190.
Salvus conductus aliquando contumacibus conceditur, & in quibus casibus. n. 191.
Contumacibus condemnatis salvus conductus offerri debet. num. 192.
Damnatus dicitur, qui morte, exilio ve coercitus est. num. 193.
Contumacibus accusatis, vel denunciatis debet offerri salvus conductus n. 194.
Differt salvus conductus oblatus condemnato ab illo, qui offertur reo accusato, & in quo. n. 195.
Salvus conductus non offertur pro levi causa, & in damnum Reipub. n. 196.
Reo enunciato criminoso, seu facinoroso in libello inquisitionis debet offerri securitas. n. 197.
Qui habet securitatem, si ei aliquid triste denunciatur, excusatur si non comparet. n. 198.
Ad Judicem facilis esse debet aditus nu. 199.
Contumax non dicitur, qui timet ire ad Judicem. n. 200
Judex ignorans reum damnatum, vel delinquentem non tenetur ei offerre securitatem, si non petatur. num. 201.
Citatus pro uno delicto, si timet molestari pro alio, potest petere salvum conductum. n. 202.
Salvus conductus beneficium est. n. 203.
Citatus, ut veniat ad Judicem, habet securitatem a lege. n. 204.
Securitas proveniens a simplici citatione est securitas interpretativa. n. 205.
Assicuratus cum literis salvo conductu munitis non tenetur accedere, & quare. n. 206.
Salvus conductus est fragilis cautio. n. 206.
Reus non tenetur comparere, nisi ei data fuerit certa securitas. num. 208.

NON minus provida, quam necessaria fuit hæc Constitutio, sed adhuc ab imperitis male observata, & tamen facilem posuit modum observandi.

Verum quia in præsenti Tractatu de Legitimatione Criminalis Processus inter alios modos legitimandi numeravimus legitimationem resultantem ex ficta confessione, quam, servatis terminis dictæ Constitutionis, generat contumacia, ideo visum fuit opportunum aliqua super ea notare.

Dividitur hæc Constitutio in multas partes, seu potius in quamplura membra distinguitur, nimirum in libellum inquisitionis, in citationem ad respondendum prædictæ inquisitioni, in terminum in prædicta citatione assignandum, in commissionem de citando, in

in executionem præ lictæ citationis, in relatiouem faciendam de dicta executione factam in bannum cum insertione citationis, in intimationem banni, ac tandem in sententiam condemnatoriam.

De Libello inquisitionis.

SCiendum est, quod libellus Inquisitionis differt ab ipsa inquisitione, quoniam libellus est potius titulus criminis, quam inquisitio dicitur, ut notat *Clar. in quæst. 31. num. 8. vers. sive titulus &c.* & continere debet nomen Judicis inquirentis, & ejus officium, nomen inquisiti, & totam seriem facti, tempus, & locum, & subscriptionem Judicis inquirentis, ut *notat Ambrosin. in ejus tract. de modo formandi proc. informativum lib. 5. cap. 1. n. 26.*

Quoad subscriptionem Judicis fuit provisum ab Eminentissimo Card. Sacchetto de ordine Sanctissimi, quod sufficiat vel subscriptio Judicis, vel commissio Judicis, dummodo appareat notatum in citatione, factam fuisse de ordine Judicis; ut in dicta declaratione num. 6. ibi: *che tanto l'Inquisitioni, quanto il bando suffragbino, ancorche non sottoscritti dal Notaro, bastando per loro validità, che siano sottoscritti dal Giudice, o che n'apparisca la commissione precedente del medemo Giudice, di modo, che essendovi o la sottoscrizione, o la commissione, una di esse basti, per la loro validità, & a quesso effetto si itnerà constare della commissione, mentre apparisca notato nelle citationi esserssi fatto le medeme d'ordine del Giudice.*

Sciendum tamen est, quod libellus iste inquisitionis deservit, ut Reo notificetur actio, qua Fiscus agere contra eum intendit; nam sicut in civilibus actor debet edere Reo actionem, ut possit deliberare, an velit cedere, vel contendere *l. 1. ff. de edendo*, ita in criminalibus oportet, quod Fiscus inquisito, & precipue absenti manifestet suam actionem criminalem, & ut evadat instructus de omnibus, quæ contra eum prætendit Fiscus *l. 1. num. 5. ff. de edendo ibi debet dari copia inquisitionis*; & sic ut deliberet, an velit cedere fatendo, vel contendere negando, & reo absenti trasmittitur ad instar libelli accusationis, quo fit, ut magis petitio, quam inquisitio dicatur, ideo debet esse certior, & magis coarctans ad hoc, ut reo, cui transmittitur, fit magis aperta via defensionis, nam ignorans non videtur fateri, nec consentire, *Bald. in l. unum. n. 17. ff. si certum petatur.*

Dubitari tamen potest, an libellus iste continere debeat conclusionem, eo quia trita Doctrina est, quod in criminalibus non concludatur, *Bal. in l. communis num. 5. C. de accusat. & inscript. & in l. & si severior C. ex causis infam. irrogat.*

Sed distinguendo dicimus, quod cum conclusio duplex sit, una tacita, altera expressa, regula supra dicta procedere in conclusione expressa, non in tacita, quia si esset in potestate libellantis expresse concludere, posset petere, quod homicidio imponeretur pœna, vel gravior, vel mitior secundum animi sui affectum, quod pareret magnum inconveniens, & derogaret legi, quæ semper in criminalibus concludit, & est invariabilis, *cap. qualiter, & quando de accusat. & cap. licet Heli de Simon. Bald. in l. si quis num 3. C. de accusat. & inscrip.* si vero loquimur de tacita conclusione, quæ fit a lege, utique dicendum posse fieri, ut notant *Bart. & Alex. in l. 1. §. fin. ff. de quæstionibus, Ang. in auth. jubemus C. de judiciis Add. ad Bald. in d. l. si quis litt. C. de accusat. & inscript.* & cum libellus legibus inhærere debeat, sufficit, quod concludat secundum legum dispositiones, *Bald. in rub. de rebus cred. num. 5. vers. si competeret, & in l. 11. in 6. ff. de lib. & posth.*

Sed iterum distinguas, quod conclusio duplex est una probationum, altera accusationum, & differunt inter se, quia conclusio probationum ponit terminum ipsis probationibus, sed conclusio accusationis ponit terminum pœnis infligendis, ac proinde in libello accusationis, seu inquisitionis, non debet concludi, nisi tacite ad normam legum, prout etiam in probationibus concluditur, & tacite, & expresse, veluti quando finit reus, vel Fiscus, tempora data ad probandum, vel defendendum sibi; defensio enim post terminum denegatur, eo quia alias frustra daretur terminus, si nihil operaretur, *l. 2. §. si ad diem ff. de re milit. cap. coram de restit. in integr. Bald. in l. si ea num. 13. C. de his, qui accusar. non poss.* Ideo Judex non debet considerare, nisi modum, quo lex concludit juxta qualitatem delicti, *Bald. in l. & si severior C. ex quibus causis infam. irrog.*

De probationibus requirentibus ad transmittendam inquisitionem.

QUæri etiam potest, quæ probationes requirantur ad trasmittendum hunc inquisitionis libellum, & dico, quod aliqui voluerunt requiri probationes plenas, & convincentes, ut inter cæteros licet *Marsil. in practica crimin. in §. postquam num. 48.* & alii, quos citat *Farin. qu. 11. num. 16. per textum in l. raptores C. de Episcopis, & Clericis, & in l. unica C. de rapto*, ibi: *post legitimas juri cognitas probationes*, sed alii, & melius dicunt requiri, quod probationes sint ex indiciis legitimis resultantes: ideo scias, quod indicia sunt in duplici genere, quædam ad inquirendum, quædam ad trasmittendam inquisitionem, sufficientia indicia ad inquirendum, sufficit, quod sint dumtaxat præsumptiva, ut per *Angel. de Malef. in verb. hæc quædam inquisitio §. 2. num. 3. & ibi Augustin. in addit. Bossi in tit. de inquisit. num. 8.* Indicia vero ad transmittendam inquisitionem, non solum præsumptiva, sed etiam magis vehementia esse debent, ac ex probabilibus argumentis resultantia, ut *per Clarum in q. 20. vers. ad formandum, Farin. quæst. 9. num. 20. vers. sed quæ sint, & qu. 1. num. 48.* ubi dicit, quod hæc procedunt de jure Constitutionis Pii V. la 137. Ad effectum transmittendi inquisitionem sufficiunt indicia ad inquirendum, ibi: *si tamen legitimis indiciis ad inquirendum*, & ita sentit *Joannes Plotus cons. 72. num. 16. inter cons. crimin. lib. 2. & Farin. cons. 5. num. 99.* & ratio est, ne sit in arbitrio Judicis quoscunque vexare, ut dicit *Guazz. defens. 9. n. 1*

Quæ continere debeat libellus inquisitionis.

JAM supra diximus, quod cum libellus iste habeat vim libelli accusationis, continere debet facti criminosi narrationem, item tempus, locum commissi delicti, *Cator. de capto bannito cap. 1. num. 386. 388. Clarus qu. 31. vers. quæro nunc & vers. quæ nunquid Farin. cons. 86. num. 15. & 58.* item qualitatem facti, quoniam si fuerit formata inquisitio de consilio, & persuasione, & formari debeat de mandato utique esset nulla, *Bero. cons. 170. nu. 3. cons. 55. num. 6.* & hæc omnia requiruntur, ut defensiones reis sublatæ non censeantur, qui si velint probare suam

ſuam innocentiam, habeant, quæ deducere poſſint, *Farin. dicta conſ. 86. num. 15. & conſ. 111. nu. 7. Vermigl. conſil. 246. num. 13.*

Item debet eſſe certus, & clarus, non autem alternatim factus, nec inveriſimilia, ſeu impoſſibilia continere, ut *idem Farin. dicit in d. conſ. 36. num. 59. & 60.* & tandem ſi non conſtet de corpore delicti, formari libellus iſte minime poteſt, *Farin. conſ. 23. num.* -.

Verum quia aliquando evenit, quod ex iſto libello tranſmiſſo aliquid detrahi debet, puta qualitas aſſaſſinii, vel proditionis, quæ forſan in proceſſu probata non exiſteret, ut probat *text. in l. delictis §. ſi detracta ff. de Novalibus Farin. quæſt. 1. num. 23.* tunc, ut hæc detractio afficiat, debet ipſi reo intimari *Angel. Aretin. in verbo qui Dominus Judex num. 2. & 3.* & late dixi *in quæſt. 4. num. 9. & 10.*

De Citatione ad reſpondendum inquiſitioni.

QUoad citationem ad reſpondendum inquiſitioni, deſideratur, quod præcedat commiſſio Judicis, nam nemo citari debet, quin præcedat iſta commiſſio, *Angelus in l. neminem num. 1 C. de cuſtodia reorum, Clarus quæſt. 31. num. 4.* quocirca citatio dicitur executio commiſſionis, ut dicit *Bald. in leg. nec quicquam §. ubi decretum num. 9. ff. de off. Proconſulis.*

Et circa hanc commiſſionem citationis duo notanda ſunt, quæ ſæpius vidi in quæſtionem veniſſe, unum ſcilicet, an fieri poſſit die feriata, alterum an præſumi poſſit.

Quoad primum *Bald. in l. ſi feriatis num. 4. ff. de feriis* dicit, hanc quæſtionem tractaſſe *Innocent. in cap. conqueſtus de feriis, & Cyn. in l. dies feſtus C. eod.* ſed ipſe dicit, quod aut ille actus commiſſionis requirit cauſæ cognitionem, & non poteſt fieri die feriata, aut non requirit hanc cauſæ cognitionem, & tunc fieri poteſt die feriata, quoties in tempus juridicum conferatur, *arg. textus in l. in tempus ff. de hæred. inſtituen.* quod tamen dicit verum, niſi eſſent feriæ in honorem Dei, quia tunc indiſtincte non valet prædicta commiſſio, quia lex reſiſtit principio, ut *dicta l. dies feſtus, C. de feriis* & facit *textus in ſui ratione in l. ſi minor ff. de ſervis exportandis*, & hic opportune notandum eſt, quod feriæ in honorem Dei non ſolum ſunt illæ, quæ immediate celebrantur ad Dei honorem, ut ſunt dies Paſcatis, Natalis, & hujuſmodi, ſed etiam dies feſtus Sanctorum, immo & feriæ repentinæ, quæ celebrantur in honorem Summi Pontificis, quia reverentia, quæ fit Summo Sacerdoti, fit ipſi Deo, *l. non diſtinguimus §. Sacerdotio, ff de arbitris, Bald. in l. ut proponis num. 1. C. quomodo, & quando*, ubi non facit differentiam inter ferias Sanctorum, & illas in honorem Dei celebrandas, juxta *illud glorioſus Deus in ſanctis ejus*: ideo citatio facta die feriata in tantum valet, in quantum dies feriata fuerit inducta favore hominum, quia tunc non eſt prohibita citatio, quamvis non ſit juſta comparitio, ut *in l. 1. in principio ff. de furtis*, quod non eſt ſic in feriis inductis in honorem Dei, & Sanctorum, in quibus eſt impoſitum ſilentium ipſi præconi, *l. dies feſtus C. de feriis, Bald. in l. in tempus 62. ff. de hæred. inſtituen.*

Quoad ſecundum, ſcilicet, an commiſſio citationis præſumi poſſit, dicendum, quod non, quia hæc eſt ſolemnitas, quæ debet prævenire actum citationis *l. 1. C. de fid. inſtrum. Abb. cap. 1. num. 33. verſ. an autem de judiciis*, & ſic cum ſit extrinſecæ ſolemnitatis non præſumitur, *l. quæcumque §. ultimo ff. de pub. in rem act.* & ita videtur tenere *Menoch. de præſumpt. præſumptione 24. lib. 2.* ubi extendit, & declarat per plures caſus, quamvis per Declarationem Eminent. Sacchetti aliter diſpoſitum ſit ut dixi.

Modo de ipſa citatione dicendum eſt, quæ duo continere debet, unum conſiſtens in monendo reum ad reſpondendum, alterum in præfigendo terminum ad comparendum, & quod terminus ſit certus, & peremptorius.

Quoad monitionem, ut reus reſpondeat, ſciendum eſt, quod lis ſubſtantiatur per interrogationem, & reſponſionem *l. 1. C. de litis conteſtatione*; at cum inquiſitio tranſmiſſa habeat vim libelli, cui reſpondendum eſt ad effectum conteſtandi litem, ut *ex Bald. in l. 1. num. 6. ff. de edendo*, & quamvis reus citatus, ut plurimum efficiatur contumax in non reſpondendo, nihilominus prædicta contumacia idem operatur, quod reſponſio, ut dicit *Bald. in l. prius num 30. C. de his, qui accuſar. non poſſ.* & ſic operatur idem, quod litis conteſtatio, ut alias dixi *in quæſt. 60. num. 16.* ac proinde neceſſarium videtur citare reum abſentem, ut reſpondeat inquiſitioni ſibi tranſmiſſæ, ut per iſtam litis conteſtationem abſens inter reos connumeretur, *Clarus qu. 14. num. 13.*

Quo vero ad terminum, ſcias, quod alius eſt terminus expectativus, alius peremptorius, primus datur ad deliberandum ſuper reſponſione ad interrogata *l. qui interrogatur ff. de interr. act.* ut ſciat ſuper quo debeat reſpondere, *l. de ætate §. ex cauſa ff. eod.* & citatio continens terminum expectativum non poteſt dici peremptoria, ut dicit *Bald. in l. ut perfectius num. 11. C. de anna. except.* Secundus vero datur ad dirimendam diſceptationem, hoc eſt ultra non pateretur contumacem tergiverſari, & dicitur terminus peremptorius, quia eſt excluſivus rei abſentis ad poſtea reſpondendum, *Bald. in l. ad peremptorium ff. de judic. & ubi quis, &c.*

Verbum autem peremptorium debet apponi in citatione, quia aliter ſummaria citatio non haberet vim peremptorii, & *Bart. notat. in l. ſi finita §. Julianus C. de damno infecto*, quod idem ſit dicere una pro omnibus, & dicere peremptorie, nam verbum *pro omnibus* eſt verbum Judicis, & verbum *peremptorie* eſt verbum legis, imo idem eſt dicere una pro tribus, quam peremptorie; *Bald. in l. conſentaneum num. 3. C. quomodo, & quando.*

Quocirca eſt de forma citationis contra abſentem habere verbum peremptorie, quia abſens debet arctari ad reſpondendum, nam ubi eſt præſentia perſonarum, ibi non requiritur peremptorium *l. ceſſante ubi Bald. C. quomodo, & quando*, neque neceſſaria eſt dilatio ad deliberandum, *idem Bald. in l. cum falſum num. 2. ff. de acquir. hæred.* & hoc fundatur in diſtinctione, quam refert *Sanfelicius in deciſ. 235. num. 5.* auctoritate *Bart. in d. l. ceſſante verſ. duo nota ex iſta lege*: diſtinguit enim *Bart.* quod quædam ſunt dilationes, quæ dantur ad probandum, & ibi omnis dilatio eſt peremptoria, etiamſi non dicatur; quædam eſt dilatio, quæ datur ad allegandum, & iſta non eſt peremptoria, niſi dicatur *auth. jubemus C. de judiciis*; quædam eſt dilatio expectatoria ad veniendum, & hæc dilatio, ſi datur a Judice, ſemper intelligitur peremptoria, etiamſi non dicatur, *ſecundum ultimam gloſſam in d. l. ceſ-*

ſante

sante: a vero [illegible] per Nuncium, vel per [illegible] lam, vel per Edictum, tunc si sunt tres monitiones habent vim peremptorii, etiam si non dicatur *l. tres C. quomodo, & quando*; si vero præcedit una tantum citatio, non habet vim peremptorii, nisi dicatur, huc idem tenuit *Angel. in dicta leg. cessante*.

Formata hac citatione, mandatur Nuntio, ut illam una cum libello inquisitionis præsentet Reo domi solitæ habitationis, vel personaliter, vel ad valvas Curiæ. Et scias, quod hæc alternativa, ordinem, non electionem significat juxta ea, quæ docet *Farin. in quæst.* 11. *num.* 41. *Bart. in l.* 3. §. *prætor ait n.*12 *&* 13. *ff. de damno infecto, Vant. de nullitate ex defectu citat. num.* 83. *Nellus de Bannitis* 3. *p.* 1. *temporis*. Et hic nota, quod licet Nuncius non possit, nec debeat citare aliquem, nisi præcedente Judicis commissione, seu ejus mandato, de qua commissione, seu mandato debet constare, tamen quoad fidem Nuncii, illi non creditur de tali commissione, *Bald. in l. neminem num.* 2. *&* 3. *C. de exhib. reis* ubi dicit auctoritate *Jo. Butr.* hoc esse verum in criminalibus, sed in civilibus sufficere, quod Nuncius referat se citasse de judicis mandato, seu commissione, quod tamen non procedit, quando ipsi Nuncio dirigitur commissio, scilicet quando judices dicunt Nuncio, cites talem personaliter, si eum personaliter inveneris, alioquin ad domum solitæ habitationis, & nuncius refert citasse domi, quia personaliter non invenit, tunc statur ejus relationi *Bald. in l. properandum* §. *& si quidem num.* 13. *C. de Judiciis*.

Scias tamen, quod Nuncius unius Baronis non potest exequi citationes in loco alterius Baronis, eo, vel ejus officiali irrequisito: *Boer. decis.* 8. *in fine. Foller. in practica crimin. in verbo fiat relatio nu.* 17. *Rovit. pragm.* 1. *de jurisd. in vicem non turb. num.* 16. & ratio est, tum quia non potest unus Judex citare per nuncios alterius Judicis, *Bald.* in *l.* 1. *num.* 13. *ff. de offic. Præfecti prætorio*. Tum quia quis non potest abduci de loco alieno ad locum alterius, & per consequens in territorio alieno quis capi non potest, *cap. ex parte, il. primo, de verb. signif. Bald. in l. qui sit fugitivus* §. *apud Laleonem ff. de ædilitia edicto, & in l. extra terminum* num. 15. *ff. de jurid. omn. jud.*

Et hic opportune venit illa quæstio, an in Ecclesia citatio exequi possit, & ratio dubitandi est, quia cum Ecclesia sit exempta a jurisdictione laici Judicis, non idcirco videatur sejuncta, & remota a territorio jurisdictionis secularis, cum dicatur Regia Civitatis, vel Castri, in quibus est ædificata: *Bald. in l. satisque num.* 1. *ff. de in jus vocan.* Nihilominus cum in ea fieri non possit recognitio cadaveris, nec in ea testes examinari, ut dicit *Guazz. defens.* 4. *cap.* 2. *num.* 10. *in fine, & defens.* 20. *cap.* 9. *num.* 39. videtur dicendum, quod neque citatio in ea exequi possit.

Sed pro resolutione dicas, quod citatio habet in se duo, primo scilicet principium, nempe commissionem quæ residet in Judice, & hæc, ut dixi, sicut non potest fieri die feriata in honorem Dei, ita non potest fieri in Ecclesia; secundum habet medium, quod est ministerium executoris, scilicet Nuncii, & hoc sicut fieri potest die feriata, nisi fuerit dies Dominicus, ita potest fieri in Ecclesia, *Bald. in lib.* 3 *nu.*5. *C. quibus ex causis in integrum &c. & in l. omnes qu.* §. *verum nu.* 2. *C. de Episc. & Cleric & in l. satisq. sub nu.* 1. *ff. de in jus vocan. & in l. plerique ff. eod.*

Verum quia per supra dicta laicis Judicibus non est permissum citare in Ecclesia, nisi de licentia Episcopi, ut dicit *Rovit. in d. prag. nu* 17. & quando agitur de inferenda pœna duntaxat pecuniaria, ut firmat *Abb. in cap. inter alia nu.* 8. *de Immun. Valer. consult.* 81. *per totum Sanfelicium decis.* 141. *n.* 4. operæ pretium est videre, an eisdem Episcopis licitum sit hoc facere, & ad hujus quæstionis decisionem consideretur brevis, & eloquens consultatio super non fractione exilii a proprio Episcopo cuidam Clerico injuncti a tota Diœcesi, ac servari ex promissi sub cautione scutorum mille auri non obstante, quod in Ecclesia se refugerit, Domini Tarquinii Urbani J. V. D. Collegialis Romani Protonotarii Apostolici, olim de tempore san. mem. Innocentii X. in Regno Neapolitano Legatorum Piorum Generali Collectori.

Controversa quæstio celebris est a paucis tacta, & nondum resoluta, An exulare jussus a Diœcesi per proprium Episcopum sub cautione sc. 1000. Auri de illud servando, si receperit se in aliqua Ecclesia de Diœcesi prohibita, possit contra ipsum uti exilii fractorem d. cautio incusari, & ad solutionem urgeri, quamobrem Consultus, ut pro veritate respondeam, fretus rationibus, ac auctoritatibus infra scriptis negative respondere cogor.

Pro intelligentia quæstionis placet in primis advertere, quod in præsenti non agitur de exilio injuncto a Principe, seu curia seculari, in qua maxima inter DD. est altercatio, inter quos etiam magni nominis non defuerunt firmantes exulem a Curia seculari in Ecclesia tutatum in eiusdem Territorio positam exilium fregisse. *D. Nicolaus Antonius Hispanus in Urbe pro Maiestate Catholica dignissimus Residens, nostri temporis celebris Iurisconsultus in suo eleganti tractatu de exilio lib.* 2. *cap.* 34. *num.* 33. *Sarp. de Jure Asil. cap.*5. *fol.*53. *Decian. tract. crim. lib.* 6. *cap.* 30. *num.* 15. *Paschal. de vir. Patr. potest. par.* 3. *num.* 25. *qui præ cæteris quatuor argumentis totis viribus hanc opinionem firmare conatur, Capoblanc. de Baron. cap.* 34. *num.* 6. *tom.* 2. *Baron. de effect. Inimic.* 45. *nu.* 5. *Pegner. dec. cathal.* 260. *n.* 9. *Sperel. dec. forens. Eccles.* 51. *num.* 27. imo, & exulem decedentem non posse in loco prohibito propter exilium sepeliri a *Capollan. de Baron. pragmat.* 8. *num.* 73. *to.* 1. *Novar. de grav. in. Vassallorum grav.* 313. *num.* 2. *Guazzin. ad defens. def.* 33. *cap.* 27. *num.* 21. *Gizzarell. dec.* 15. *ubi de Angel. num.* 2. *Baron. de eff. inimicit. eff.* 45. *num.* 24. *prout, & alii* comprobare præsumunt, exemplo Bannitum occidentis in Ecclesia refugiatum impune ex edicto, seu bannimentis Principis secularis occidi mandantis, ut præter pœnas excommunicationis ad alias pœnas pro homicidio inflictas, nullatenus teneatur, ut quis reperto in Ecclesia posita in Territorio bannientis, *Decian. tract. criminal. lib.* 6. *cap.* 26. *num.* 8. *ante med. Clar. in prax. lib.* 5. §. *homicidium num.* 158. *Peregrin. de immunit. cap.* 5. *num.* 11. *Squillant. de obligat. Cleric. par.* 5. *dub.* 14. *num.* 9. *Farinacc. de delict. quæst.* 23. *nu.* 15. *quæst.* 103. *num.* 348. *Ventigl. in prax. notab. Eccles. par.* 2. *Mar. Antonin. var. resolut.* 15. *num.* 1. *lib.* 3.

Quinimo criminis Reum in Ecclesia refugiatum de mandato Judicis secularis posse ibi personaliter moneri, citari, ac in pœnas debitas condemnari *l. præsenti, ubi Bart. num.* 3. *C. de his, qui ad Eccles. confug. Bald. in l.* 2. *nu.* 9. *C. de Sacros. Eccles. Valasc. consult.* 81. *nu.* 4. *Farinac. de Immunit. in ap-*

pen-

pendic. cap. 3. num. 57. Sanfelic. decis. Eccleſ. 141. num. 4. lib. 1. Vbert. de citation. cap. 7. num. 197. par. 1. ubi in Eccleſiæ domibus citandum latitantem debere, per Rectorem inveniri, ac Nuntio citanti præſentari, vel ſaltem ad pœnas pecuniarias per text. in cap. inter alia de immun. Eccleſ. cap. reum 17. quæſt. 4. ibi Reum ad Eccleſiam fugientem nemo extrahere audeat, tamen legitime componat.

Et nihilominus tam ex numero DD. quam ex pondere rationum prævalet prædictis communis opinio pro non fractione exilii a Curia ſeculari injuncti, ut de communi Alciat. de præſumpt. 33. num. 5. Guazzin. ad defenſ. tom. 1. def. 1. cap. 38. num. 54. Clar. in prax. crim. §. fin. quæſt. 3. ubi Baiard. n. 8. Barbos. de jur. Eccl. cap. 3. n. 150. Cochier. de Jurid. p. 4. quæſt. 65. n. 2. Craſſ. de effect. Cler. 1. n. 617. Farinac. cons. 214. n. 8. & ex Neotericis Dian. de Immunit. par. 4. tract. 1. reſol. 92. per tot. Del Bene de Immun. cap. 16. dub. 24. ſect. 17. n. 13. par. 2. Caſtropal. oper. moral. trac. 11. reſol. 31. to. 2. Donat. de Aſil. reſol. 71. n. 6. Ciarlin. contr. for. cap. 10. n. 15. Donat. Anton. de Marin. reſol. Jur. c. 116. n. 7. & reprobatis Pegner. 62. Capoblanc. Baron. & Paſchas. firmat. Pilaja decis. Pontific. 4. n. 90. in fin. lib. 2. quam opinionem, uti communem, contrariis fugatis, pleno calamo ſequitur Sperell. decis. for. 63. Eccl. 127. an. 18. & ſeqq., & ratio eſt quia cum Eccleſia prorſus ſit exempta a Juriſdictione ſeculari, reputatur quoad ipſum perinde, ac ſi fuiſſet extra ejus Territorium, in quo Bannitus non poteſt puniri, cap. cum Epiſcopus de offic. ordinar. in 6. cap. 1. de privil. eod. lib. Cinus in aut. ſi quis poſt Card. l. Jul. de adult. l. præſenti C. de his, qui ad Eccleſ. confugiunt, Bald. l. cunctos populos num. 13. C. de Sum. Trinit., & fid. Cathol. Bellet. diſquiſit. Cler. tit. de exempt. Cler. a ſtat. ſecular. c. 4. num. 34. & 37. Federic. de Senis conſ. 99. num. 1. Cald. conſil. 13. de Judic. Rolan. conſ. 33. num. 46. lib. 3.

Hinc eadem ratione dicimus, ſtatutum ſeculare jubens ſervari in contractu, ſeu Teſtamentis quaſdam ſolemnitates, non comprehendere defectu poteſtatis contractum, ſeu Teſtamentum factum in Eccleſia, uti exempta ab illius diſpoſitione, & juris fictione extra ſtatuentis Territorium, Angel. de P ruſ. conſ. 233. num. 2. Zuccard. conſ. 75. num. 26. Apont. conſ. 148. num. 18. ſeqq. vol. 2. Bombin. conſil. 8. num. 39. Rot. decis. 193. num. 15. 16. p. 9. recente & in Romana, ſeu Januen. Lucorum Montium 26. Junii 1648. coram Reverendiſſimo Cerro Decano.

Pront etiam in fortioribus obſervamus, Epiſcopum non habere Juriſdictionem in Eccleſia exempta, licet in ſua Diœceſi, ſeu Territorio poſita, quæ remanet nullius, & perinde, ac ſi extra illius Diœceſim cap. luminoſa 12. qu. 2. cap. 1. de privileg. in 6. Farinacc. de Immunit. cap. 22. num. 35. in appendic. Caſtrenſ conſil. 18. num. 7. Ciarlin. contr. for. cap. 10. num. 21. Donat. de Aſil. cap. 71. num 7. & 8. Sperell. decis. for. Eccleſ. 3. num. 12. Rot. decis. 342. num. 3. p. 1. recent.

Sed nec ex prædictis, adhuc cardo noſtræ quæſtionis tangitur, animadverſo, quod præfati DD. omnes, vel loquuntur in exilio injuncto a curia ſeculari, vel ſi de injuncto ab Eccleſiaſtica, loquuntur de exule refugiato in Eccleſia exempta, quæ ex prædictis non eſt ſub juriſdictione ratione Diœceſis, nec Territorio Epiſcopi exulantis, quorum propterea neuter eſt caſus noſter, in quo agitur de exilio injuncto Clerico refugiato in Eccleſia Diœceſis Epiſcopi exulantis, non aliter exempta, in qua propterea non cadit dubitatio eſſe de illius Territorio, Craſſ. effect. Cler. 1. nu. 617. Ciarlin. contr. for. 10. nu. 16. lib. 1. Farinac. cons. 214. nu. 3. Sperell. dec. 27. nu. 18. vanaque, nimiſque ventoſa ſemper fuerit reputata aliquorum diſtinctio, quod licet Epiſcopus Diœceſim habeat, careat tamen Territorio, ut per Boer. decis. 364. n. 8. Peregrin. de jure Fiſci lib. 1. tit. 2. nu. 110. verſ. unde infertur, Card. Tuſcus verb. confiſcatio conclus. 722. nu. 1. Urſell. in exam. Apum concl. 139. num. 17.

Cum tam ex Sac. Canonibus, quam ex diſpoſitione Sac. Concilii Tridentini cap. 3. ſeſſ. 25. de reformat. quæſtio hæc prorſus ſopita remanſit; Epiſcopus enim de jure non ſolum habet Territorium, ut de communi contrariis rejectis Guazzin. de confiſcat. quæſt. 2. ubi Modern. Aſculan. ad l. n. 15. & 16. per text. cap. animarum de conſtit. in 6. Modern. Pilaja decis. Pontiſ. 4. nu. 90. lib. 2. ſed omnes Eccleſiæ in eo poſitæ de ſuo Territorio præſumuntur, cap. omnes Baſilicæ §. 16. quæſt. 7. Donat. de Aſil. reſol. 171. per tot. Mar. Antonin. var. reſol. 14. nu. 1. lib. 3. Del Bene de Immunit. Eccleſiaſt. cap. 10. dub. 8. nn. 2. & 3. Campanil. diverſ. jur. rub. 12. cap. 13. nu. 8. Craſſ. de eff. Cler. 1. n. 617. Farinacc. cons. 214. num. 3. lib. 1. Ciarlin. controv. for. cap. 10. nn. 16. lib. 1. Card. Tuſc. verb. Immunitas concluſ. 59. n. 16. Guazzin. ad defenſ. reor. lib. 1. cap. 8. nu. 28. Sperell. decis. 127. num. 18., & decis. 3. n. 9., & 10. & decis. 4. num. 7. ubi reprobans Cardinalem Tuſcum in objecto allegatum, refert, ſic determinatum coram ſan. mem. Pio V. ratione ſcilicet, quia Diœceſis Epiſcopo aſſignata ſtet loco Territorii, Ruin. conſ. 22. nu. 5. lib. 1. Cardin. Tuſc. verb. Epiſcopus concl. 253. nu. 1. Mart. de Juriſd. par. 4. caſ. 151. num. 7., & num. 13. ultro firmat Epiſcopum habere Territorium cum mero, mixtoque imperio cum regalibus.

Quinimo, & non ſolum habere Juriſdictionem hujuſmodi in toto ſuo Territorio, ſed etiam in qualibet Eccleſia illic poſita, tam voluntariam, de qua non dubitatur, quam etiam contentioſam Azor. Inſtit. mor. part. 2. lib. 9. cap. 9. quæſt. 2. fol. 622. Caſtropal. op. mor. to. 2. tract. 11. diſp. unica punct. 3. n. 2. & 3. fol 91. Durd. in Bulla Cœnæ cap. 15. q. 16. nu. 35. Sperell. decis. 51. nu. 29. & magis in ſpecie, quod Epiſcopus habeat Juriſdictionem contentioſam in Eccleſia, quam valeat illic cum verberibus exercere in Clericum etiam capere faciendo Abb. cap. Inter alia nu. 13. de Immunit. Eccleſ. quem refert pluribus comprobans Jo. Jacob. Martin. in objectis tamen conſ. 30. nu. 32. ſeqq. late Donat. de Aſil. reſolut. 69. n. 17. ubi poſſe Epiſcopum, imo Vicarium præcipiare Clericum, illic refugiatum, ut Eccleſiam teneat loco tuti carceris ſub pœna pecuniaria locis piis applican., & in ſubſidium excommunicationis, & Parochum in Domo Parochiali cum concubina repertum poſſe per Epiſcopum extrahi, ac puniri ſimul cum concubina, ſeq. Abb. d. cap. inter alia nu. 13. de Immunit. Eccleſiaſt. Donat. de Aſil. reſol. 46. n. 3. Quam opinionem extante conſuetudine eſſe uti veriorem tenendam firmat ex Anteſignano Abb. Diaz. in prax. cap. 115. ubi Lopez. nn. 28. Gutierez. pract. quæſt. p. 2. lib. 3. quæſt. 3. n. 3. affirmans, contrarium ſervatum, neo ſervari vidiſſe, Gennen. in prax. cap 22. nn. 9. ubi hanc opinionem hodie a Gregoriana remanere approbatam, Cevall. comm. opp. quæſt. 689. nu. 4. par. 2. ubi nunquam de Clerico audiviſſe con-

trarium, saltem de consuetudine, licet secus de Jure, & de Religioso ab Ecclesia extrahendo, idem decis. 182. par. 3. non ut puniatur pœna aliqua corporali, sed ad correctionem, & pœnitentia salutari, ex Abb. d. cap. inter alia nu. 13. de Immun. Eccles. Decian. tract. criminal. lib. 6. cap. 27. num. 3. Clar. in prax. criminal. lib. 5. §. finali quæst. 30. num. 16. & generaliter, quod stante consuetudine Judices Ecclesiastici possunt capi facere in Ecclesia suos Clericos ibidem existentes, Crass. eff Ecl.Cler. 38. n. 1. Bellet. disquisit. Cler. person. §. 15. per totum Peregr. de Immunit. cap. 12. n. 3. Ciarlin. contr. for. cap. 12. num. 3. Ciarlin. contr. for. cap. 10. num. 14. 18. ubi alias Clericos, ut plurimum in Ecclesia existentes evadere impunibiles, & nu. 20. firmat extractionem fieri debere per Ministros Ecclesiasticos.

Hoc jacto fundamento, quod Episcopus habeat Jurisdictionem contentiosam, etiam in eademmet Ecclesia exercendam, corollarie sequitur, quod probata refugiatione exulis in Ecclesia de Territorio, & jurisdictione exulantis intret contraventio, & fractura exilii Giurb. cons. crim. 34. n. 2. 34. Pisebal. de vir. Patr. potest par. 4. cap. 3. nu. 24. vers. considerandum fuit; licet in casu suo contraventio probata fuit, ex quo non ut in casu nostro exul statim excarceratus Ecclesiam adierit, sed quia egressus e Territorio prohibito, iterum illic rediit, ac in Ecclesiam se refugerit, &c.& in consequens incursatio cautionis præstitæ cum solutione pœnæ scutorum 1000. & in specie respondet Ripa de pest. tit. de remed. ad conservan. ubert. quæst. 9. num. 103. Prat. respons. criminal. 9. num. 40.

Verum nec supra dictum fundamentum in jure subsistit ad firmandam contraventionem exilii, quia dum Reus exul in Ecclesia refugiatus ab omni pœnarum genere debet prorsus esse tutus, & exemptus, cap. reum, & cap. id constituimus 17. quæst. 4. cap. Inter alia, ubi gloss. verb. ad pœnam de Immunit. Eccles. Ita & taliter, ut nec ejus fidejussor pro pœna urgeri possit, ratione contraventionis exilii, ne per indirectum tutatus in Ecclesia ab illa exire, & mandatis curiæ parere cogatur pro eximendo, seu relaxando a pœna fidejussorem, Donat. Ant. de Marinis resolut. jur. cap. 44. n. 4. 5. 11.

Contra igitur exempla non urgent, nam eductum ex citatione etiam pœnata in Ecclesia contra refugiatum exequenda de mandato Curiæ secularis, ultra quod quæstio non est pacifica, cum contrarium firment ex tex. in cap. quando ii de probat. & cap. licet 2. n. 6. de Imm. Eccl. in 6. Tiraquell. de retract. lignag. ad fin. tit. nu. 82. Barbos. de potest. Parochi par. 1. cap. 13. num. 14. Ripoll. var. resol. cap. 3. nu. 146. & 147. Ricc. in collectan. decis. 109. lib. 1. Piloja decis. Pontif. 4. n. 20. lib. 2. & de magis communi, ut nec sub pœna considerabili pecuniaria Fisco applicanda pro causa criminali, possitque in Ecclesia citari, ne sub hoc timore solutionis pœnæ combinatæ, sit adinventus modus sic per indirectum, quem immunitate privare, fugatis contrariis, firmat Donat. Anton. de Marin resolut. jur. cap. 44. nu. 3. 8. 11. seqq. Donat. de Asil. resol. 18. 37. per tot. 204. nu. 4. & melius conciliando contraria, ut opinio affirmativa procedat in causis Ecclesiasticis, & citationibus emanatis ab Ecclesiastico, secus in profanis emanatis a seculari, firmat Ludov. Peguer. in prax. crimin. rub. 6. n. 77. & var. ref. cap. 3. n. 148. usque ad 151. Piloja decis. 4. n. 20. lib. 2.

Tex. autem in cap. inter alia, & cap. reum supra in contrarium adducti n. 8. contrariantur, enim loquantur, ac intelligi debeant de compositiore, non pro pœna delicti Fisco applicanda, sed pro damnis inflictis parti sese resarciendis, ut distinguit de Marinis ubi sup. n. 8. 9. ubi ultro sic intelligendos monet Abb. in cap. Inter alia, & Valasc. decis. 81. contrarium sentire apparentes, & sic etiam declarant Archidiacon. d. cap. reum n. 1. 3. 17. quæst. 4. per tex. cap. id constituimus 17. quæst. 4. ibi: Ita ut ei, cui reus fuit criminosus de satisfactione conveniat. Ital. de Imm. lib. 1 cap. 6. §. 3. Donat. de Asil. resolut. 31. num. 5.

Exemplum de bannito impune in Ecclesia occidendo ex edicto, statuto, seu Bannimento Principis secularis, non adversatur, cum in contrarium vigeat communis, ut nempe ultra pœnas speciales excommunicationis, etiam temporaliter, ac corporaliter, occisor plecti possit Menoch. de arbitr. Judic. lib. 1. quæst. 90. n. 6. Cavalcan. decis. 11. n. 24. p. 5. Dian. de Immunit. Eccles. par. 6. tract. 1. resol. 35. per tot. Del Bene de Immunit. cap. 16. dub. 64. sect. 17. n. 15. seqq. Donat. de Asil. resolut. 71. n. 3. resol. 98. num. 1. & per tot. Sperell. decis. 104. n. 67. & 69. par. secunda.

Ex quibus licet satis, superque constet fidejussorem non esse molestandum pro pœna per Fiscum Ecclesiasticum prætensa ex causa fractionis injuncti exilii, placet etiam aliud solidissimum fundamentum annectere, quia ad pœnam hanc a fidejussore exigendam, non sufficit exulem in loco prohibito existere visum fuisse, nisi ultro a curia fuerit ibidem vere, & realiter apprehensus, cum aliter in genere non dicitur constare de corpore delicti, text. est in l. Bursatorem ubi Bart. n. 1 C. de fidejussor. in puncto Novar. quæst. for. 3. per tot. de Marin. resol. Jur. c. 116 n. 1. & 2 Farinacc. cons. 122. num. 31. Giurb. cons. crimin. 34. n. 13. 15. Prat. resp. criminal. 9. n. 36 Cavalcan. de brach. reg. par. 2. n. 240. In tantum, ut in hujusmodi materia exilii, & contraventionis probatio per testes de visu exulis non admittatur, ne remaneret aperta via calumniis, duobus, falsis testibus exulis in prohibito existentiam probare, nulla in reliquis remanente reo defensione in negativa, ut respondet de Marin. d. cap. 116. n. 2. rejiciens ultro tanquam vanam, & ineptam distinctionem ab aliquibus factam de statuto puniente arma asportantem, ut non requiratur apprehensio, secus si loquatur de inveniendo cum armis ex Capoblanc. de auct. Baron. prag. 7. n. 43. & tom. 2. cap. 34. n. 1. Peguer. dec. Cathalon. 90. n. 2. seqq. eum istorum opinio, uti aperiens viam calumniis, ac querelis, nimisque propterea perniciosa Reipublicæ, sit undique reprobata Donat. Ant. de Marin. ubi sup. n. 2. referens, quod publicata simili pragmatica Neapolis super prohibitione delationis armorum, ad clamorem populi tumultuantis fuit illico suspensa Bellon. sec. de communi cons. 49. n. 4. Alex. cons. 152. n. 2. & 216. n. 2. lib. 6. Corn. cons. 10. lib. 3. & rejecto Capoblanc. superius allegato hanc opinionem sequitur Thor. in compend. dec. reg. p. 1. verb. pœna fidejussoris fol. mihi. 393. Baron. de eff. inimic. 45. n. 29. Prat. resp. Crimin. 9. n. 52. 53. ut magis in specie, quod pro pœna ob contraventionem exilii, vel armorum asportationis sit necessaria apprehensio, sicque in tota Christiana Republica servari testatur Covarr. pract. qq. 33. in fin. Anad a Ponte de Syndic. nu. 9. Marsil. in prax. Crimin. §. pro complemento n. 24. Petra super rit. magn. Cur. Vicar. rit. 68. n. 9. Ricc. decis.

for.

for. Eccles. 257. *per tot. par.* 1. *Mart. decis. Tijan.* 80. *nu.* 4. *Prat. resp. crimin.* 9. *n.* 53. 58. 64. & quidquid sit de juris rigore, de æquitate semper inconcusse servari, ut contra non inventum a Curia, nec apprehensum cum armis, vel cum istis delinquentem non procedat, firmat de communi *ex Thorica Bald. Sanfelic. decis. Eccles.* 43. *per totum lib.* 1. Imo quod plus nec ex propria confessione exulis super hujusmodi sua contraventione exilii posset legitime convinci, nec fidejussor ad pœnam expromissam condemnari, ut in specie *Vermigl. cons.* 305. *n.* 4. 5. cum regulariter confessio Rei in civilibus nec correo debendi noceat, *Bald. cons.* 43. *num.* 1. *lib.* 5. *Surd. decis.* 218. *n.* 4. *nec correo credendi Surd. decis.* 229. *n.* 31, 32. *Vermigliol. ubi supra n.* 5. minusque in criminalibus, ad effectum, ut pœnæ conventionales a correo credendi exigantur, ut rejectis *Roland. cons.* 94. *n.* 24. *lib.* 3. *Carth. de exequut. sent. cap.* 1. *nu.* 305. de communi firmat pluribus allegatis, *Farin. quæst.* 107. *num.* 107. & 108.

Hinc inolevit cautela per callidos criminalistas adinventa pro procedendo contra transgressorem exilii absque apprehensione apponendi scilicet in obligatione facienda per exulem de exilium servando, & non transgrediendo sub certa pœna in casum contraventionis etiam per Testes probandæ *de Marin. 1. cap.* 116. *n.* 2. *in fine*, cumque in præsenti nec dicta cautela intervenerit, minusque apprehensio, versamur igitur extra difficultatem, ut fidejussor datus urgeri minime valeat.

Quinimo, & apprehensio exulis prorsus in præsenti impossibilis redditur, dum semper fuit, & est in Ecclesia, in qua licet Episcopus ex supradictis habeat jurisdictionem voluntariam, & contentiosam, hæc tamen restringi debet quoad causas spirituales tantum concernentes utilitatem Ecclesiæ vel Divini Cultus augmentum, non autem alias strepitum Judicialem requirentes in alterius punitionem tendentes, *Dec. in cap. quæ fronte nu.* 4. 6. *extra de appellat. Decian. tract. criminal. lib.* 6. *cap.* 24. *n.* 10. *Navar. tit. de orat. & hor. can. cap.* 5. *n.* 35. *vers. tertio* sequitur Modern. *Pilaja decis. Pontif.* 4. *n.* 20. *lib.* 2. sub qua distinctione conciliando Dec. per antea reprobatum firmat *Sperell. dec. for. Eccl.* 51. *n.* 29. *Barbos. de offic. Paroch. p.* 1. *cap* 13. *nu.* 16. *seqq.* qui absolute negat Episcopo exercitium hujusmodi contentiose Jurisdictionis in Ecclesia, & solum voluntariam permittens.

Doctores autem in contrarium supra allegati *n.* 83. qui etiam quod sint conantes firmare saltem de consuetudine recepta posse Episcopum contra Clericum in Ecclesia refugiatum, Jurisdictionem, ac punitionem exercere sua ordinaria auctoritate, non sunt attendendi, ut quia contra communem loquantur, *Zabarell. clem.* 1. *n.* 9. *in* 6. *de pœnit. & remiss. Roman. cons.* 126. & 231. Et *Abbate* contrariæ opinionis Antesignano rejecto, firmat *Decian. tract. Crim. lib.* 6. *cap.* 25. *n.* 1. *Guazzin. ad defens. reorum defen.* 1. *cap.* 37. *n.* 48. & *cap.* 98. *n.* 18. *Villagut. de Immunit. Eccl. lib.* 4. *cap.* 11. *nu.* 5. *Mirant. ref.* 51. *n.* 1. & 2. *lib.* 2. *Barbos. de Jur. Eccles. lib.* 2. *c.* 3. *n.* 137. *Dian. de Immun. Eccl. resol.* 26. *par.* 6. *tr.* 1. *Ambrosin. de Immun. cap.* 12. *n.* 4 *Farinacc. quæst.* 28. *nu.* 7. & *in appendice n.* 36. *in fin. Vernigh. in prax. notab. Ecc. de Immun. annot.* 28. §. 1. *n.* 28. *Ciarlin. contr. foren. cap.* 10. *nu.* 19. *Vermigliol. cons.* 103. *nu.* 14. & *quam pluribus relatis Pilaja decis. Pontif.* 4. *num.* 54. *lib.* 2. Istorumque opinio nec salvari

potest aliqua consuetudine etiam Immemorabili, quæ contra Ecclesiarum, Templorumque Immunitatem de Jure divino debitam, uti potius corruptela, nec veniet attendenda, *cap. cum causa extra de sent. & re Jud. cap.* 1., & 2. *dist.* 11. *cap. Clerici extra de Jud. Decian. tract. crimin. lib.* 4. *cap.* 9. *an.* 10. *ad* 14. *Donat. de Asil. resolut.* 209. *a n.* 3. *usq. ad* 10. & in specie respondet *Marin. cons.* 30. *nu.* 35. & 36. ubi opinionem Abbatis tam in theorica, quam praxi prorsus reprobatam *Cardin. Tusc. litt. E. concl.* 9. *num.* 17. *Sperell. decis.* 2. *num.* 126., & *decis.* 37. *a nu.* 20. *usq. ad* 39. utrobique ultro firmans, quamvis hujusmodi immemorabilis consuetudo fuisset a Papa tolerata, *Rota decis.* 10. *de consuetud. in antiq. decis.* 241. *num.* 3. *post secundum vol. consil. Farinacc.* In tantum, ut nec ad correctionem, & pro injungenda pœnitentia salutari possit ab Episcopo Clericus in Ecclesia refugiatus extrahi, ut reprobatis contrariis *Farinacc. de carcer.*, & *carcerat. quæst.* 28. *n.* 7. *in med. Dian. in prax. canon. cap.* 115. *Vermigliol. cons.* 103. *num.* 14. *seqq.* sicuti nec minus pro pace danda, & facienda, seu pro evitandis scandalis forsan exoriendis potest refugiatus Clericus ab Ecclesia extrahi, *Peregrin. de Immun. cap.* 5. *num.* 12. *Danza pugna DD. de Immun. Eccles. cap.* 7. *nu.* 8. *tom.* 1. *Ventrigl. in prax. Eccles. annot.* 23 §. 1. *num.* 22. *par.* 2. *Vermigliol. cons.* 104. *per totum*.

Idemque de communi contraria opinione rejecta affirmandum est de Religioso in alia Ecclesia, seu Monasterio alterius ordinis refugiato, ut ab ea invitus ordinaria auctoritate, seu a regularibus Superioribus extrahi non valeat, sed Immunitate gaudeat, *Pater Candid. disq. moral. disq.* 5. *art.* 4. *dub.* 25. *num.* 28. *fol. mihi* 331. *Ventrigl. in prax. Eccl. de Immun. annot.* 23. §. 1. *nu.* 29. *par.* 2., & in fortioribus de Regulari occidente suum Superiorem, confugiente ad aliam Ecclesiam, seu Monasterium, gaudere immunitate, mirabiliter firmat *Bordon. resol.* 1. *num.* 25. *Donat. de Asil. resol.* 1. 3. *nu.* 3. 4. *Trullenen. in decal. tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 11. *dub.* 3. *num.* 24.

Quinimo, & *Dian. par.* 7. *tract.* 11. *resol.* 37. *Castropal. oper. moral. to.* 2. *tract.* 11. *disp. unica num.* 43. ampliant, & extendunt etiam ad Generalem Religionis propriæ.

Quidquid secus dicendum esset, quando Regularis intra septa proprii Monasterii deliquisset, tunc salva Immunitate ab illius Superioribus licite constringi posse, ne alias disciplina Regularis de facili corruat, firmat *Diana de Immunitate parte prima resol.* 25. *vers. sed contra reprobans Gambacurtam contrarium tenentem*, & *parte sexta tract.* 1. *resol.* 25. *vers. quartodecimo*, *Candid. in suis disquisit. to.* 4. *a.* 4. *dub.* 24. *num.* 27. *seqq. Donat. de Asil. resol.* 70. *per totum*, & *resolut.* 172. *num.* 3. *Farinacc. de carcerib. & carcerat. quæst.* 28. *num.* 68. *Ital. de immunit. lib. primo cap.* 3. §. *primo num.* 17. *vers. ex his ergo apparet*; Vel in alia Ecclesia, seu Monasterio loco Carceris assignati depositus esset, quia tunc non gaudet Immunitate ut quia liber ad Ecclesiam non accessit, sed a Curia depositus, *Archidiacon. cap. definivit* 17. *qu.* 4. *Giurb. consil.* 30. *nu.* 16. ubi de reo deposito in Ecclesia a Curia seculari de mandato Episcopi, *Donat. de Asil. resol.* 207. *n.* 1., & 2. & *de conducto per Ecclesiam a Curia Cartar. decis. Crimin.* 7. *num.* 5. *Tiber. Decian. tract. Criminal. lib.* 6. *cap.* 28. *num.* 30. *Gama decis. Lusit.* 141. *numero unico*, *Franch. March. decis.* 987. *nu.* 1. *parte*

prima, *Boer. decis.* 110. *nu.* 8. *decis.* 179. *num.* 13.

Supradicta opinio a nobis firmata tot auctoritatibus, ac Sacris Canonibus non solum de jure procedit, verum etiam ex mente Sacrarum Congregationum Concilii, Immunitatis, ac Episcoporum, ut firmat *Pater Candid. disquis. moral. p. 4. disq. 5. dub. 23. fol. mihi 331. & infinitis relatis pro ea lubitata, ex decretis Sacrarum Congregationum firmat Pilaja decis. Pontif. 5. num 55. lib. 2.* rejecta prorsus opinione Abbatis cum suis adeclit, ut in resolutionibus relatis per *Donat. de Asil. ref. 67. num. 11.* ibi: *è stata seguita l'opinione contra l'Abbate*, & *nu.* 12. rejicit *Genuensem* ex consuetudine contrariam tenentem, ut quia illa recesserit ab Aula, & per *Dian. de Immun. par. 7. tract. 1. 25. vers. quarto decimo*, ibi; *cum in hoc opinio Abbatis sit reprobata*.

Imo quidquid in contrarium dicatur, nec Parochum post delictum ad propriam Domum Parochialem confugientem, gaudere Immunitate, resolvit *Sacra Congregatio Immunitatis in una Marsica 1. Junii 1630. relat. per extensum a Donat. de Asil. resol. 47. num. 9.*

Quibus stantibus parum, aut nihil curandum de contrariis, cum hujusmodi resolutiones Sac. Congregationum, quæ secundum quamlibet materiam, pro qua fuerunt erectæ, vim legis haberent in tota Republica Christiana, ultro etiam in conscientia ligantes, *Garz. de benef. part. 1. cap. 5. num. 133. Marant. resp. 14. num. 8. 9. 17. & respons. 24. num. 12. p. 1. Zerol. in prax. part. 4. verb. absolutio §. 1. Scacc. de sent. & re Judicat. gloss. 14. quæst. 24. num. 18. Minal decis. 39. num. 8. Gam. decis. disc. 225. & dixit Rota coram Card. Cavalier. decis. 628. num. 8. & coram bon. mem. Buratto decis. 479. n. 20. 21.* Quamvis non fuerint publicatæ, cum sint notoriæ, adeo quod non sint meræ opiniones Doctrinales, ut aliqui voluerunt, non arctantes ad sic judicandum, ex relatis per *Castropal. tract. 3. disp. 5. punct. 3. §. 1. a num. 3. sem. tom. 1. Dian par. 1. tit. de praxper. Religiosa tract. 6. resol 32.* Dummodo tamen authenticæ exhibeantur, nempe subscriptæ, & sigillatæ ab Eminentissimo Congregationis Præfecto, vel insertæ in Monitorio A. C. pro illarum observatione obtento, illuque in eadem causa, & inter easdem personas emanatum, *Trullench. super Bull. Concil. dub. 3. num. 9. fol. 17.* referens quomodo debeant esse, ut probent *Barbos. de Jure Eccles. lib. 1. cap. 4. asserens decretum S. mem. Urbani Octavi editum super hoc 2. Augusti 1631. Diam. resolut. Moral. part. 4. tractat. 2. resol. 235. tom. 1., & tract. 5. resol. 2. Salzed. de r tom. Bullar. par. 2. cap. 3. §. 5. nu. 5. relatum per Castropal. ubi sup. nu. 6.*

Addo pro Coronide, quod licet versemur in casu prætensæ fractionis exilii, materia ex se nimis levi, ut quia nulla partis offensio intret, & in illius compositione, nec partis consensus requiratur, *Franch. decis. 395. nu. ul. Sanfelic. decis. 320. per tot. tom. 2. Caravit. tit. 272.* negari tamen non potest, quin nihilominus pœna sit odiosa, a qua propterea quælibet causa justæ, vel injustæ credulitatis excuset, ut in omnibus de exule amore corr pio late *Gizarb consult. 27. num. 8. & cons. 81. num. 12. Novar. de gravam. Vassall. grav. 73. & 74. num. 4. lib. 2.* ubi late causæ enumerantur excusatoriæ *Baron. de eff. inimic. 45. num. 32. & item. num. 1.* Exul. excusatur, ex quo existens inventis inimicis redit aufugiens ad locum vetitum, *Sanfelic. decis. 256. num. 2. 3. & 4.* ubi excusatus fuit exul ab exilii inobservantia ob adversam valetudinem Matris, vel Parentum, istorumque visitationem *per text. in l. qui cum uno testiculo in fin. ff. de re militar.*

Executa tandem per Nuncium citatione, oportet deinde ea fieri relationem, quæ cum sit actus extrajudicialis, ut obtineat effectum, necessarium est, ut apud acta producatur, *Abb. in cons. 112. lib. 2. Tondutus de præventione part. 2. cap. 43.* in tantum quod si Judex fecit sententiam contra contumacem, antequam Nuncius referat se citasse, sententia esset nulla, quia ignoraret, quod est substantiale ad pronunciandum contra absentem, & sic Judex legitime non procederet, & idcirco debet semper expectare relationem Nuncii, *Bald. in l. quod si dubitet §. cum autem num. 2. ff. de acquir. hæreditate*.

Nihilominus sciendum est, quod quamvis relatio Nuncii sit de processu causæ, *cap. quoniam de probat.* tamen non est de ordine judicii, seu inquisitionis, tum quia quandoque potest omitti, veluti quando utraque pars compareat; verum si abest citatus tunc non valeret sententia, quia Judex posset dubitare in eo, de quo debet sibi constare, *Bald. in l. prolatam nu. 22. C. de senten. interlocutiva*: tum quia cum relatio fieri possit absentibus partibus non videtur facta in figura judicii, ut idem *Bald. dicit in l. si feriatis num. 5. & ibi add. ff. de feriis*, & idcirco dubitari modo potest, an hujusmodi relatio à Nuncio fieri possit die feriato, & ratio dubitandi est, quia cum non fiat in figura judicii utique fieri posse videtur die feriata, imo cum sit actus extrajudicialis, ut supra dixi, eo magis videtur fieri posse die feriato, *arg. eorum, quæ dicit Bald. in leg. si ut proponis num. 2. C. quomodo, & quando*, ubi dicit, quod arbitrator die Dominico potest declarare pretium Rei, quia solummodo in judiciis habent locum feriæ, non in extrajudicialibus; sed in contrarium est veritas, quia licet relatio non fiat in figura Judicii, fieri tamen debet die juridico *Bald. in l. dies festus sub nu. 1. 3. C. de feriis, Ubertus de citation. cap. 10. num. 252. & cap. 12. n. 295. Guazz. defension. 10. cap. 3. nu. 9. Bajard. ad Clarum qu. 31. num. 16. Campana resolut. 18. num. 1.*, & ratio est, quia relatio Nuncii, est quoddam testimonium ipsius Nuncii, *cap. cum dilectus de appellat. Marant. de ordine Judic. part. 6. vers. concipiatur citatio n. 55. Roland. cons. 47. num. 69. lib. 2.*

Dices, quod vigore *Constitutionis Ægydianæ in cap. 33 vers. citatio quoque lib. 2. fol. mihi* 109. relatio fieri potest etiam die feriato in honorem Dei, juxta etiam ea, quæ tradit *Alex. in cons. 1. num. 2. vers. 2. principaliter lib. 2.* qui dicit executionem fieri posse etiam die dominico, ergo & relatio. Respondetur, quod feriæ in honorem Dei sunt in duplici differentia, quædam sunt mediatæ, ut feriæ Sanctorum, quædam sunt immediatæ, & habent quid speciale ultra ferias Sanctorum, ut sunt dies Dominici, Paschatis, & Natalis, & alii hujusmodi, unde si consideramus dispositionem dictæ Constitutionis, quoad ferias mediatas in honorem Dei, nempe Sanctorum, utique procedit ejus dispositio, sicut & consuetudo hoc idem introducere potest, *Alex. cons. 1. num. 3. vers. secundo principaliter lib. 2.* si vero consideramus dispositionem ejusdem Constitutionis quoad ferias Dominicas, & immediatas in honorem Dei, utique super illis non potuit disponere, quia dies Dominici non comprehenduntur in derogatione feriarum, *Bald. in cap. conquestus sub n. 2,*

de

de feriis, *&* *in l. more Romano n. 2. ff. de feriis*.

Dices, quod in criminalibus non debeant attendi feriæ, cum scriptum sit, justitiam facias omni tempore. Respondetur, quod feriæ sunt in duplici differentia quædam ad commodum humanum, ut sunt feriæ messium, & vindemiarum, & hæ feriæ non habent locum in criminalibus, *Bald. in l. soler ff. de feriis*; quædam sunt feriæ reverentiales in honorem Dei, & Sanctorum, & hæ feriæ habent locum etiam in criminalibus, unde reformatio, seu statutum disponens, quod omni tempore etiam feriato possit fieri executio, seu relatio non comprehendit ferias in honorem Dei, ut dicit *Alex. cons.* 53. *nu.* 11. 12. *lib.* 5., & auctoritas scripturæ intelligi debet de justitia consistente in bene operando ad honorem Dei, & virtuose vivendo, non de justitia, quæ consistit circa commutationes, & administratur judiciis.

Notandum etiam est, quod licet terminus sit appositus ad citationem exequendam, nihilominus relatio executionis prædictæ fieri potest etiam post terminum, ut dicit *Ball. in l. qui fundum num. 2. ff. de contrahen. empt.* immo si citationis executio careat die, præsumitur facta die relationis, *Farinacc. cons.* 86. *num.* 25 *vers. præsumitur Baron. de citat. quæst.* 43. *nu.* 10.

Unum tandem adverte, quod cum nostra Constitutio disponat, quod relatio executæ citationis debeat continere fuisse exequutam domi solitæ habitationis inquisiti cum dimissione copiæ inquisitionis, & ratio sit, ut inquisitus sciat, quid contra se in judicio agitur, & cum citatio ad domum ingerat hanc scientiæ præsumptionem, ut dicit *Farin. cons.* 86. *num.* 45. idcirco Nuncius cautus esse debeat in ejus relatione, quoniam si referat se ad domum Rei sitam in tali loco citasse sine alia additione solitæ habitationis, talis citatio tanquam incerta, & indiscreta non suffragatur *Eugen. cons.* 2. *num.* 7. *lib.* 1. *Guazz. defens.* 10. *cap.* 2. *num.* 7. *Farin. quæst.* 11. *num.* 41. *in fine Bart. in l.* 4. §. *Prætor. ait nu.* 12. *ff. de damno infecto*, *Alex. cons.* 2. *num.* 8. *lib.* 3. cum ista qualitas solitæ habitationis ponatur pro forma, ita quod si citatio exequi debeat ad domum, & exequuta sit ad apothecam non teneat *Bart. in l. lex cornelia* §. *si tamen ff. de injuriis*, at vero *Sacchettana declaratio aliter disposuit ut in num.* 2. & dicitur domus solitæ habitationis ad differentiam hospitii, quia domus solitæ habitationis est illa, in qua quis habitat, ut in residentia, atque ut in situ, & termino *Bald. in leg. inter minores num.* 9. *circa finem ff. quod metus causa*. Hospitium vero est domus ut in motu, & peregrinationis *Bald. in l. Prætor in add. sub nu.* 2. *ff. de his, qui dejec. vel effud.* & sic habes, quod domus duplex est, una habitationis, alia peregrinationis, unde citationes, quæ fiunt contra forenses inquisitos ad hospitium, de jure non subsistunt *Bald. in l. ea quæ num.* 9. *C. quomodo*, *&* *quando*, *Osasch. decis.* 71. *num.* 20. Ergo habitator est, qui residendi animo, sive in suo, sive in conducto, sive in gratuito consistit, hospes vero, qui temporis causa tantisper, dum in viam redeat, aut quiescendi, aut negotii expediendi gratia divertit, & commoratur, unde *Cic. de senectute: Commorandi enim natura diversorium nobis non habitandi dedit*.

Quid si reus citandus habeat duas domus solitæ habitationis, si nuncius referat citasse ad domum habitationis, & non faciat mentionem, ad quam domum, an valeat citatio? Et dicendum, quod sic, ut ex *Bald. in l. quod si dubitet num.* 2. *ff. de acquiren. hered.*, & ratio est, quia ubicumque fiat citatio, semper est ejusdem naturæ, & non mutatur ejus finis; nam dubitatio resultans inter duo extrema non vitiat, si quodlibet extremorum sit ejusdem naturæ, certum enim est, quod utrobique potest citari, ut notatur in *Clem. de elect. in cap. causam*, nec effectus citationis variatur: bene verum est, quod quando permittitur de jure fieri citationem domi, intelligitur de domo quam inhabitat tempore citationis *Caputaquen. decis.* 117. *num.* 2.

De Banno

BAnni verbum, ut notat *Gail. in tract. de pace pub. c.* 1. *est barbarum vocabulum*, & multipliciter explicari potest, sed studendo brevitati ad propositum nostrum nihil aliud est quam hominis diffidatio, ut dicit *Farinacc. consil.* 101. *num.* 13. *in fine Angel. cons.* 14. *sub num.* 3. quæ non importat aliud, quam ponere aliquem extra protectionem Judicum, atque legum, & est licentia quædam offendendi, *Bald. in l. data opera num.* 62. *C. de iis, qui accusar. non posse*, *&* *in l. etiam num.* 3. *C. ad l. falcid.* & ideo quando aliquis diffidatur, videtur induci bellum, nedum contra eum, sed etiam contra ejus complices, & auxiliatores, *Bald. in l. si apud n.* 76. *C. de servat. & aqua*.

Sed adverte, quod bannum est diffidatio comminatoria, quæ non facit reum actu diffidatum, sed potius dicitur Judicis denunciatio minas diffidationis continens, quæ vim rei judicatæ non habet, ut toto *tit. C. commin. Epist. lib.* 10. *ubi Bald. num. vers. pro una*, ac proinde in eo summarie, & in substantia exprimi debet delictum, pro quo reus ponitur, seu poni debet extra protectionem Judicis, & legis; Delictum enim est causa banni, quod non potest emanare, nisi ex causa secundum ea, quæ tradit *Bald. de percept. in l. quod ait sub num.* 1. *ff. de iis qui not. infam.* & illud Judex committat, seu mandat fieri, de cujus commissione in actis apparere debet, ut post *Bart. tradit Gabr. cons.* 167. *num.* 57. *lib.* 2. *Cartar. de capto bannito cap. fin. num.* 186. *sub vers. prout e ium in fin.*

Item in banno delicti poena exprimi oportet, ut notat *Farin. quæst.* 11. *num* 44. *ver. affert. autem*, *&* *Caball. casu* 181. *num.* 4. *Cartar. de capto Bannito cap.* 1. *num.* 426. *&* *num.* 448. *vers. & propterea bannum Bald. in l.* 1. *num.* 22. *vers. & sic apparet C. de hære l. instit.* quamvis contrarium teneat *Scaccia de Judiciis cap.* 97. *num.* 38. *vers. quarto quæro* sub qua conclusione videu. ea, quæ dixi *in Tractatu quæst.* 206. *per totum*.

Et hujus poenæ expressio operatur, ut imposita censeatur in sententia diffinitiva, quæ fortasse simpliciter sine poenæ expressione lata fuerit, & sic ex precedenti banno comminatio declarata remanet *l. Titia* §. *idem respondit ff. de verb. obligat. l. pacta novissima C. de pactis*, *Cartar. de capto bannito cap. fin. num.* 290.

Pariter bannum istud debet terminum continere, qui quidem terminus ideo præfigi oportet, ut eo elapso ficta confessio inducta videatur, *Cepoll cons.* 63. *num.* 18. *&* 19. *Bald. in l. judemus C. de judiciis*, quocirca reus positus in banno caveat infra dictum terminum comparere, ne incidat in prædictam confessionem, quæ postquam acceptata fuerit tolli minime

me potest, nisi per contrariam probationem *Innoc. c. cum dilecti. de accus. et Jo. Andreas in cap. 2. de confess. lib. 6. Cartar cap. 1. num. 154. & 426. in d. tract. de capto bannito*: Ideo citatur inquisitus ad sententiam pro prima die juridica immediate sequenti post dictum terminum elapsum, quæ quidem citatio inseritur in ipso banno, & in hoc hæc nostra constitotio se conformat cum Constitutione Marchiæ *in cap. decimo lib. 4. & cap. 26. in princ. eod. lib.* licet de jure secus dicendum est *per tex. in l. accusatorem ff. de pub. judic.* ex quo enim quod quis est positus in banno, & per consequens ficte confessus, dicitur constare de delicto, & vult dicta Constitutio, quod absque nova citatione possit reus post lapsum dictum terminum banni condemnari, *Cartar. d. cap. 1. n. 430.*

Et ultra supra dicta oportet, quod bannum fuerit publicatum alta voce a Nuncio, vel Cursore ad valvas Palatii Gubernatoris, vel Potestatis *Decian. cons. 18. num. 159. & 216. lib. 1.* hoc est, quod fuerit proclamatum, & evolgatum publico in loco *l. 41. ff. ad l. Aquil.* regula enim est, quod illud, quod a Prætore proclamatur, id publicari dicitur, nam cum bannum contineat jus pro Fisco, quod in secreto informationis repositum erat, oportet, ut publice evulgetur, ne inquisitus ignorantia se excusari possit, sum omnibus patens *arg. text. in §. consequens Instit. de suspectis tutorib.*

Et ut magis, ac magis bannum reum contumacem efficiat, ultra prædictam publicationem oportet, quod illud intimetur domi solitæ habitationis, & quod copia dimissa illud præsentetur, quæ cedula veluti Nuncius haberi oportet, ut licit *Bald. in l. Procurator in add. n. 2. de procur. & defens.* & facit præsumere in reo citato scientiam banni *Farin. cons. 86. num. 45.*

Et si quæras, cur requiratur tanta diligentia? Respondetur requiri tantam diligentiam, quia cum bannum sit maximi præjudicii ex eo, quod lapso termino, & acceptato exequi oportet, & postea non datur venia comparenti *Cartar. de capto bannito cap. 1. n. 158.* bene verum est, quod si reus infra terminum compareat, bannum resolvitur in simplicem citationem, ut notat *Bart. in l. 1. in fin. ff. de requirend. reis Bald. in l. 1. C. de postulan. Cartar. de capto bannito cap. 1. num. 125.*

Et de hujus publicationis, intimationis, ac copiæ banni dimissionis actu fieri debet relatio in voce apud Notarium, qui illum actum notare debet sub commissione banni, & ratio est, quia cum hujusmodi relatio sit actus extrajudicialis, ut obtineat efficaciam, necesse est, ut apud acta producatur *Alb. cons. 112. lib. 2. Tondutus de præventione. p. 2. cap. 43.*

Unum tandem notandum est, quod si Nuncius referat se citasse, & pars neget se citatam, negatio ista non facit vacillare Nuncii relationem, quia in propria causa non statur negationi, *Bald. in l. omnibus §. si quis neget n. 4. quemadmodum testamen. aper.*

Verum quia supra diximus bannum juxta dispositionem nostræ Constitutionis continere debere terminum quinque dierum, scias, quod iste terminus computari debet a die intimationis exclusive, eo quia tendit ad condemnationem, ut recte declarat *Barbos. de dictionibus usu freq. dict. 1. n. 3.* imo cum sit a prædicta Constitutione tempore quinque dierum determinatus, non potest a Judice minui, nec augeri, ut notat *Cartar. de capt. bannito cap. 1. n. 152. & n. 127.* & eo elapso Judex potest in die tamen juridico sententiam proferre contumacialem, & diffinitivam in pœnam delicti jam in banno taxatam atque declaratam *Cartar. dicto tract. de capto bannito cap. 127., & seqq.*

Sciendum tamen est, quod aliquando, imo sæpius delicta patrantur a forensibus, seu aliis, qui ignorantur esse forenses, ideo oportet, quod fiant diligentiæ illorum domum solitæ habitationis reperiendi, quæ quidem diligentiæ, ut suffragentur requiritur, quod nullus locus, ubi habitare potuerit, remaneat irrequisitus *l. 1. ff. de lib. agnos. Uber. de citat. cap. 7. nu. 237., & seq.* & Nuncius referat perquisisse, & non reperiisse illorum domus solitæ habitationis, *idem Ubertus d. cap. 7. num. 71., & cap. 11. n. 333.* Et tunc sufficit, quod contra dictos forenses exequantur citationes, atque banni intimationem ad Januam Palatii Gubernatoris, seu Potestatis, aut ad alium solitum locum, & ibi copias affigere.

Hic nota, quod forensis non est ille, qui licet sit diversæ Civitatis, attamen cum dicta Civitas sit sub communi alterius Civitatis, ibi dicitur habere forum, *Bald. in auth. qua in Provincia n. 7. C. ut i de crimin. agi oport.* ubi exemplificat in eo, qui est de Castro Centi Communitatis, & Diœcesis Bononiæ, & Statutum loquens de forense, intelligi debet de forense, qui forum in loco habitationis sortitus est, quia paria sunt forum sortiri, & statuto ligari: *Menoch. consil. 74 nu. 3. lib. 1.* & forensis per delictum patratum fit de foro illius Civitatis in qua deliquit, *Clarus quæst. 38. num. 4. circa finem, ubi citat. Bart. in l. 1. num. 13. ff. de municip. Paul. de Castro in l. actor Rei n. 1. C. ubi in rem act.* & ligatur Ordinationis illius Civitatis *Surd. decis. 13. n. 7.* ubi determinat de Clerico litigante coram seculari Judice, & dicit Clericum istum ligari statuto illius loci, quoad ordinatoria litis, licet non sit subditus.

Notandum denique, quod si pendentibus supra dictis terminis inquisitionis, scilicet, & banni in uno illorum compareat aliquis instando pro perquisitione Rei absentis ad effectum illum comparere faciendi, Judex ei assignare debet terminum ejus arbitrio, & quamvis regulariter in criminalibus non admittatur Procurator, ut notat *Gail. tract. de pace pub. c. 10. num. 1., & seqq.* attamen admittitur in hoc casu, licet vere non sit procurator, cum non suscipiat defensionem, sed consulit indemnitati Rei citati, ne banno capitali subjaceat, & ut comparendo innocentiam suam detegat *argum. text. in cap. veniens de accusat.*

Modo sciendum est, quod aliquando de ipsis contumacibus ad tollendas eorum executiones, & cætera impedimenta ne compareant, offeruntur salvi conductus, idcirco de illius oblatione aliquid dicendum existimo opportunum.

Et primo animadvertendum est, quod salvi conductus vel sunt petendi a Reo contumace, vel sunt ei offerendi ab ipso Judice.

Secundo advertendum etiam est, an solos libellus Inquisitionis, seu bannum, aut monitorium, sine alia oblatione salvi conductus sufficiat ad securitatem contumacis.

Quoad primum sciendum est, quod delinquentes contumaces aut sunt de alio delicto condemnati, hoc casu necessarium est, quod eis offeratur securitas *facit text. in l. sed & si quis §. sciendum, si quis cautio,* ubi *Vulpianus* disponit, quod *eum, qui idcirco non sistit quia capitis reus factus est in ea, causa esse, ut exceptione uti non possit. Damnato enim datur exceptio.*

Damnatus autem ille dicitur, qui morte, exilio-

ve

ve coercitum est, *d. leg. si quis* quocirca exiliatus non minus excusatur, si non compareat, quam si fuerit morte damnatus, ita *Campana resolut. 17. sub n. 1. & facit textus in l. Papinianus ibi exuli reverto, & ibi gloss. exuli ff. de minoribus, Bald. in l. non exigimus in add. in princ. vers. 2. casu, ibi vide, quia hoc fecit pro expulsis, & extitiis terrarum &c. ff. si quis cautio &c.* ergo quanto magis offerri debet bannito, & condemnato non petenti illam *Farin. quæst. 11. num. 58. ibi in addit.*

Vel contumaces ultra delictum, de quo inquiruntur, sunt de alio, & diverso crimine dumtaxat accusati, seu denunciati, & hoc etiam casu debet a Judice offerri securitas, secundum *Petrum Præmum in ejus tractatu de securitate quæstione prima*, differt ab illa, quæ offertur condemnato, quia securitas, seu salvus conductus, qui offertur condemnato, seu bannito, continet mixturam securitatis ad locum non tutum, & habilitatis ad Civitatem accedendi; securitas vero, seu salvus conductus, qui conceditur non condemnato, continet simplicem securitatem, & fiduciam; conveniunt tamen in necessitate oblationis, cum tam condemnatus, quam non condemnatus necessario abesse dicantur: ut dicit *Bald. in l. ab eo nu. 1. vers. si quis autem C. quomodo, & quando*, ideo necessario etiam offerri debent dummodo non pro levi causa, ut dicit *Simfelicius decis. 226.* nec in damnum Reipublicæ offerantur, ut tradit *Bald. in l. 1. §. non fuit ff. de dolo.*

Vel reus contumax in eodem libello inquisitionis; vel in monitorio ultra delictum, de quo inquiritur, enunciatur simpliciter criminosus, seu facinorosus, & hoc etiam casu debet ei offerri securitas, seu salvus conductus, quia hoc quoque casu Reus potest juste timere comparere coram Judice inquirente, eo quia ei aliquid triste enunciaverit, & sic facto Judicis redditus fuit non tutus, ut dicit *Guazz. defens. 6. cap. 4. num. 18.* quo fit, ut sicut excusatur ille, qui habet securitatem, si aliquid ei triste denunciatur, quo minus ad judicium secure accedere possit, ut dicit *Angelus cons. 363. num. 2.* ita pari modo, & multo magis excusari debet, quando a Judice, cujus aditus facilis esse debet, ut dicit *Abb. in cap. 1. sub n. 2. de Immunitate*, aliquid triste comminatur, & faciunt ea, quæ dicit *Farin. quæst. 11. nu. 57. circa fin.* ubi dicit, quod contumax non dicitur, qui citatus a Judice non comparet, quia timet ire ad eum, etiam ex levi suspicionis causa, *Bald. in l. deberi num. 2. C. de fideicom. libert.*

Quoad secundum de reo contumace, qui licet sit condemnatus, seu accusatus, seu alio crimine irretitus, sed a judice ignoratus, quia non sit sub ejus jurisdictione damnatus, vel quia a Judice omnino ignoratur delinquisse, hoc enim casu Judex non tenetur offerre securitatem, sed inquisitus tenetur Judici notificare ejus præjudicia impedientia ejus accessum, pro qua conclusione facit *cons. Farin. 59. n. 50.* ubi dicit, quod si quis sit citatus pro uno delicto, & dubitat molestari super alio; potest salvum conductum petere, & hoc idem dicit *in cons. 53. num. 22. & 28. Campana d. resolut. 17. num. 7. Clarus qu. 32. num. 12. Nullus tract. de Bannito p. 1. primi temporis 3. par.* & ratio est, quia securitas, seu salvusconductus beneficium est, quod non competit, nisi ope exceptionis ad tradita *per Caravit. ritu 269. num. 7.* & ideo necesse est, ut opponatur de impedimento, *l. 2. in princ. ff. de except.*

Dices, quod non sit necessarium offerri salvumconductum, nec illum ab inquisito peti, quia si verum sit, quod citatus, sive monitus veniret, ut Judici pareret, non potest molestari in itinere, cum tunc censeatur habere securitatem a lege, ut tenet *Mars. in tract. de Bannito in verbo capti num. 13. & seqq.* Respondetur, quod securitas proveniens ex simplici citatione est securitas interpretativa, non certa, ideo non illi fidendum, saltem quoad punitionem, & processum faciendum super præjudiciis in judicium non delatis, quocirca quamplures volunt, quod assicuratus cum literis de salvoconductu expressis munitis, non teneatur accedere, ut est *textus in cap. accedens, il secondo, Ut lite non contestat.* per quem textum dicit *gloss. in cap. ex parte, in verbo periculosum est de appellat.* quod ubi citatur quis ad locum non tutum non tenetur credere literis supra dictis, ut per illum textum, quem singularem, & menti tenendum dicit *Felin. n. 2. tradit Imol. in. l. nam quod, in l. ille a quo §. non omni num 13. ff. ad Trebel. & in l. is, qui reus col. ult. ff. de pub. judic.* refert, & sequitur *Afflict. decis. 289. num. 21.* nam salvusconductus est fragilis cautio, *l. quin ita, §. 1. ff. ad Trebell.* & ideo excusatur si non compareat *l. de ætate ff. eodem*, ergo quanto minus fidendum esset salvoconductui interpretativo, & non certo resultandi ex simplici citatione, quo fit, ut semper metus accedendi illum contorqueat, idcirco nisi ei certa, & indubitabilis securitas data sit, non tenetur comparere, quæ omnino est offerenda, vel petita concedenda ad tollendam in reo omnem ambiguitatem, & excusationem, *Salycet. in l. reus C. de accusat. alex. in d. l. de ætate num. 5. & in l. quid Julianum §. non omnis ff. ad Trebell. Felin. in dict. cap. accedens, il secondo num. 4. ut lite non contest. Bald. in l. omnes §. si vero, C. de Episc. & Cler. Petrus Præmus d. tract. de securitate quæst. 7. fol. mihi 69. in fin.*

Jo. Bapt. Gallucci

JOANNIS BAPTISTÆ GALLUCCI

JURISCONSULTI, CAUSARUM CRIMINALIUM PATRONI, ET IN ALMA URBE ADVOCATI.

Additiones, seu Observationes theorico-practicæ ad nonnullos titulos Operum Criminalium P. Ludovici Mariæ Sinistrari de AMENO Strictioris Observantiæ Minorum; quibus nonnullæ excitantur, & resolvuntur quæstiones ad materiam Criminalem pertinentes.

OPUS NOVUM, ET ANTEA NON IMPRESSUM.

Par. I. Ad Titul. 1. ſſ. 1. num. 5. De Judice Ordinario competenti ad coercenda Crimina.

OBSERVATIO I.

SUMMARIUM.

1 *De Judice Ordinario competenti ad Crimina coercenda.*
2 *Judex domicilii per accusationem in Subditum extra ejus jurisdictionem delinquentem procedere potest; sed qua pœna eum punire ? hic ostenditur.*
Quid per Inquisitionem, seu ex officio.
3 *Opinio affirmativa refertur.*
4 *Opinio Negativa.*
5 *Distinctionis fædere inter se diffidentes opiniones conciliantur.*
6 *Quid si crimen admittatur in territorio eidem supremo Principi subjecto.*
7 *Rationes expendantur.*
8 *Mordicus impugnatur opinio* Dominici Raynaldi *adversum hanc distinctionem insurrexentis.*
9 *Commemoratur speciale privilegium, quod Baronibus concedi solet, procedendi, & animadvertendi in subditos, extra illorum Jurisdictionem delinquentium.*
10 *Judex domicilii nullam offensionem patitur ex delicto alibi commisso.*
11 *Aliquandiu tales delinquentes in exilium mittuntur ad expurgandam Civitatem malis hominibus, non ratione admissi criminis.*
12 *Legibus, non exemplis est judicandum.*
13 *Exempla per* Raynald. *adducta, conveniunt in casu quo per accusationem proceditur.*
14 *Judex domicilii nequit aggratiare, neque absolvere subditum alibi delinquentem.*
15 *Contrarium dicendum in Judice admissi delicti.*



1 QUAMVIS notissimum sit in Civilibus controversiis forum considerari oportere aut ratione originis, aut domicilii juxta terminos *Text. in L. Incola ff. ad Munic.*, & *in l. 2. C. de jurisd. omn. judic.*; Et quandoque etiam ratione rei sitæ, ratione contractus, & similium de quibus abunde per integrum tractatum *Angel. Scyaloja de for. compet.* Nihilominus in criminalibus ille erit competens Judex in inquirendis, & coercendis criminibus, qui ordinariam exercet jurisdictionẽ in loco, seu territorio, in quo crimen admissũ est, etiam si Delinquens alterius jurisdictioni addictus foret, ut jura sunt satis aperta tam de jure Canonico *in C. licet ratione de for. compet. in C primo de raptor. & in C. primo de privil. in 6.* quam de jure Civili *in L. non est dubium §. illud ff. d. Cust. reor. in L. 1. & in auth. qua in provincia Cod. ubi de crim. agi oport. & in §. si vero quis Auth. ut nulli judic.*

2 Hoc posito quæritur an Judex Domicilii per inquisitionem procedere possit contra subditum in alieno territorio delinquentem? Quod per accusationem procedere possit conveniunt omnes ad sensum Textus *in L. 2. Cod. ubi de crim. agi oport.* -- in illis verbis -- *ibi degit ibi causam cognoscet* -- *ubi glos. in verb. degit* optime *Covar. pract. quæst. cap. 11. num. 6. versic. 6. in med.* -- intellige tamen quoad pœnam extraordinariam, non vero ordinariam, ita ut etiam in delictis gravibus, & atrocissimis, non nisi extraordinaria exilii, vel saltem triremium practicari possit, *ut allegatis Thesaur. Tondut. Carleval.*, & *Calvin. nonnullas resolutiones refert Sabell. in Summa divers. tractat. § judex versic. quod in dominio, & versic. non obstante Altimar. de nullit. rubr. 9. quæst. 26. num. 103. ubi alios allegat.*

3 Cardo difficultatis est an id per inquisitionem (intellige in delictis in quibus suapte natura ex officio procedi potest) facere valeat? In hoc, DD. opiniones inter se digladiantur. Pro affirmativa sunt *Farin. controv. lib 9. cap. 20. per tot. ubi* contrariis satisfacit argumentis *Anton. Math. de crimin. lib. 48. ff. tit. 13. cap. 5. num. 3.* ubi præsertim hanc sententiam locum sibi vindicare suadet, cum ex delicto Jus divinum simul, & gentium violetur *Covar. loco cit.* ubi hanc opinionem admittit tam inspecto Jure Canonico, quam Civili *Magon. decis. Lucen. 70. per tot. & Gamma decis. Lusit. 53. num. 1. ubi ita decisum* fuisse testatur.

4 Negativam vero sententiam amplectuntur *Albert. Gandin. de Malefic. rubr. An in loc. origin. vel domic. possit inquiri num. 1. & seqq.* -- ubi disputato Articulo ita concludit, & contrariis respondet *Roland.*

lund. a valle conf. 19. a num. 8. & seqq. libro 2. Decian. tract. crimin. lib. 4. cap. 16. num. 2. ubi hanc opinionem tamquam veriorem prædicat, & remissive *Didac. de Muri in add. ad Grammat. decis. 26. num. 17. nec non Bonifac. de furt. §. contrectatio num. 30. & seqq.*

5 Mihi autem summopere arridet distinctio sequens: si delictum admissum fuerit in eo loco, qui subjicitur principi supremo, cui etiam subjicitur locus domicilii, & tunc per viam Inquisitionis posse Judicem domicilii procedere contra subditum esto in alieno territorio, extra jurisdictionem Inquirentis delictum committentem, quo casu bene procedit superius relata sententia affirmativa: exemplum est. Si Vassallus alicujus Baronis Ditionis Ecclesiasticæ crimen admitteret extra jurisdictionē Baronis, in loco tamen intra Ecclesiasticam dictionem existente.

6 Si vero locus delicti non existit sub imperio ejusdem Principis, tunc Judex Domicilii nullo modo potest contra Delinquentem per Inquisitionem procedere: discriminis ratio est, quia Oppida, & Civitates alicujus Regni, sive alicuius supremæ Ditionis unum corpus efficium, ideirco quando locus delicti; & Domicilii eidem Principi subjiciuntur, ad unius Reipublicæ corpus rediguntur. Et quilibet locus Regni, vel Ditionis offenditur ex delicto alibi commisso. Hinc ratione offensæ Universalitatis permittitur Judici Domicilii per Inquisitionem contra delinquentem procedere; verum in crimine extra Regnum, vel aliam quamcumque supremam ditionem admisso, quia locus domicilii nullo modo offenditur, silet inquisitionis potestas.

7 Distinctio hæc non obscure colligitur *ex Vulpian. respons. in L. 7. §. idem ff. de accus.* ibi -- *Imperator rescripsit, ibi puniendos, ubi deliquisse arguatur, dominumque eorum non posse revocare in Provinciam suam, sed ibi oportere defendere, ubi deliquerunt* -- ex altero Pomponi *in L. 43. ff. de noxal. action. Modestini in L. 3. ff. de Re milit.* nec non ex Justiniano *in Auth. qua in Provincia C. ubi de crim. agi oport. & in Auth. ut nulli judicum liceat §. Si quis vero collat. 9.* -- Et cum jure Civili concordant quoque Canonicæ Sanctiones *in C. 13. de for. compet. in C. 14. eod. tit. in C. 1. de raptor. in C. ibi 3. qu. 6. in C. si peccaverit 2. quæst. 1. & in C. si illic. 23. quæst. 4.* -- Et superius expressam distinctionem mirifice comprobant *Carleval. de judic. disput. 2. quæst. 7. Section. 1. num. 748. & Joann. Baptista Mucci in addit. ad decis. Sanfelic. dilucid. 138. num. 7. ubi ita vidisse suo tempore servari* testatur.

8 Adversus hanc distinctionem insurgit *Raynald. observ. crim. cap. 7. §. 6. num. 4.* dicens, Doctores hanc quæstionem disputantes intellexisse de jurisdictionibus sub diversis Principibus, nam sub una, eademque jurisdictione Principis supremi, quæstio esset de re indubitabili: at salva ejus pace, decipitur *Raynald.* siquidem etsi territorium sit sub uno, codemque supremo Principe in sensu universali sumptum, distinctum tamen videtur inter Barones eidem Principi subjectos; Nam unusquisque in feudo suo jurisdictionem exercet, & distinctam habet in prima Instantia erga subditos, etiam privative quoad supremum Principem (ut nonnulli aeriter tuentur in feudis titulo oneroso habitis) hinc sicuti quæstio dari potest, quod unius Baronis Vassallus ex domicilio in jurisdictione alterius Baronis delinquat, ex quo ambo procedere satagunt, unus ratione domicilii, ratione delicti alter, licet sub uno, eodemque Principe Supremo, ita quæstio cadere potest non de re indubitabili, ut perperam opinatur *Raynald.* sed de re dubitabili, ob distinctas jurisdictiones, quas iidem Barones sub eodem Principe supremo habent; prout quæstionem hanc movent *De Franch. decis. 66. Sanfel. dec. 68. & 138. & alii.*

9 Non immerito aliquibus Baronibus speciale privilegium a Principe impartitur cognoscendi subditos originarios, vel domiciliarios etiam de delictis extra Baronis territorium patratis, ad tradita per Eruditissimum *Philipp. Maresc. de Leg. public. jud. in princ. gloss. 1. post num. 10. in med.* Hinc frustraneum esset specialissimum hoc privilegium concedere, si nulla caderet quæstio inter Baronem Domicilii, & Baronem delicti, ad quod magis comprobandum adeatis *Philipp. Mared. in singul. rer. judic. singul. 396. cum observ. nec non Sarn. in pract. crim. cap. 32. per tot. ubi Scopp. Add.*

10 Insurgit 2. *Raynald.* authumans Judicem Domicilii quoque offendi ex crimine per subditum extra jurisdictionem admisso. At bona ejus pace, hujusmodi gratis asserta offensio nullibi digna legis consideratione visa extitit, sed unice tantum legum latores Judicis delicti offensionem intuentes, ad eum tantum criminis coercitionem direxerunt, poenitus exclusis Iudicibus originariis, & domiciliariis, ut latius patet *tum in pandectis, tum in Codice, & Authenticis Voluminibus, tum in Sanctionibus Pontificiis* de quibus supra n. 7. Nec ad probandam prætensam hanc offensionem movet *Text. per Raynald. allegat. in Leg. nullum C. de Testibus,* siquidem contra ipsum retorquetur, quippe ibi præscribit Imperator, quod Judex delicti aliis præferri debeat, tribuendo etiam Iudici Civili (criminalem jurisdictionem minime habenti) falsi testis coram eo deponentis animadversionem, tum ratione criminis, tum offensæ eidem Judici factæ, quod si hoc *Raynaldus* sedulo perpendisset, utique dictum Textum non allegasset.

11 Hinc si quandoque admittatur expulsio talium delinquentium a loco domicilii, id fit ratione malæ qualitatis ad removendos subditos Delinquentes, ne in posterum delicta in loco domicilii sequi possint *ad text. in L. congruit 13. ff. de offic. Præsid. & in Cap. placuit. dist. 90.* minime autem ratione offensionis; nam nullo modo offenditur respublica domiciliaria ex delictis alibi commissis, ut præter adductos *num. 4.* tuentur *Concer. var. resol. par. 2. cap. 2. num. 77. in med. & Cevall. comm. contra commun. pract. quæst. 678. num. 9. & seqq.*

12 Insuper non movent exēpla relata per eumdem *Raynald.,* quibus probare conatur, processum fuisse per Judices Domicilii adversus domiciliarios in exteris Regnis delinquentes; Nam ultraquamquod exempla movere possunt animos Rabularum, & Pragmaticorum lævis notæ, non Jurisconsultorum, quia legibus, non exemplis judicandum est *L. sed licet ff. de off. Præsid. L. Nemo C. de sent., & interloq. omn. judic. cap. 1. de postul. Prælat.* hoc unum est, quod exempla relata per *Raynald.* toto cœlo inapplicabilia videntur ad decidendam quæstionem ad Tramites Inquisitionis.

13 Nam in casu relat. a *Basilico dec. 25.* Reus fuit accusatus in loco domicilii a fratre, & sorore Reginæ Tunetanæ; prout etiam in *casu Bachmani* Rei fuerunt accusati apud judicem Domicilii, ut *idem Raynald.* refert. Sic extra controversiam, nam præmissum est *nu. 3,* Iudicem Domicilii per Inquisitionem procedere haud posse; per accusationem tamen

ab offensis porrectam, vel ejus hæredibus, quibus jus accusandi competit, bene posse (semper tamen quoad pœnam extraordinariam) nam inquisitio pertinet ad publicam vindictam Reipublicæ, quæ non datur ubi Respublica non est offensa; accusatio vero ad privatam, quæ admittenda est, parte offensa Querelam porrigente apud Judicem domiciliarem Delinquentis *ex Text. in C. si illic num. 3. q. 4.*

14 Adverte tamen, quod in casu, quo Judex domicilii per accusationem procedere possit adversus subditum alibi delinquentem, delictum remittere nequit, multoque minus suum subditum aggratiare, ut late probat *Novar. de gravam. vasall. lib. 1. gravam. 401. num. 13. & seqq.* & ita bis consuluisse refert *Ricc. collect. decis. 2946.*

15 Judex vero delicti vice versa potest delinquentem aggratiare, & absolvere; hinc absolutus, vel aggratiatus in loco delicti non potest molestari in loco domicilii, ut tuetur *Novar. loc. cit. & in tract. de del., & variat. for. sect. 4. q. 12. & seqq.* E contra vero Judex delicti molestare potest delinquentem aggratiatum, vel absolutum in loco domicilii *Novar. loc. cit., & Altimar. de nullit. rubr. 9. q. 26. nu. 103., & seqq.*

Ad Tit. 1. §. 13. n. 113.

De Judice Delegato.

OBSERVATIO II.

SUMMARIUM.

1. *Judex delegatus procedens ante habitas delegationis literas nulliter procedit.*
2. *Ejus acta, & sententia minime validationem recipiunt ex literarum supervenientia.*
3. *Non creditur assertioni Judicis, & Notarii attestantium de literis delegatoriis, nisi de illis evidenter in Processu constet.*
4. *Ampliatio ad regulam etiam in Judice magnæ auctoritatis.*
5. *Limitatio existente Delegantis præsentia.*
6. *Quid agendum literis delegatoriis deperditis, aut ablatis.*
7. *Copia delegationis inserenda est a Delegante in citatione, seu monitorio.*
8. *Sufficit quod inseratur exemplum, nec requiritur originale, dummodo non petatur.*
9. *Limitatur conclusio, existente stylo in contrarium.*
10. *Quomodo probetur stylus, remissive.*
11. *Opinio* Mauri Burg. *non procedit nisi cum posita declaratione.*
12. *Plures alias limitationes remissive.*

1 ADeo exacte tenentur omnes Judices Delegati literas sibi jurisdictionem tribuentes edere antequam ad aliquem jurisdictionis actum procedant, ut nullam convalidationem recipiant ex superventu delegationis; hinc aliquis asserendo factam sibi fuisse delegationem alicujus negocii, aut causæ, & literis minime exhibitis, & receptis, in eo procedere incipiat; licet postea delegatio superveniat, retrotrahi minime potest, ut confirmet processum, vel alia acta ab ipso uti Judice delegato antea fabricata, multo minus sententiam quam tulit, juxta doctrinam *gloss. in l. licet verb. deducta ff. de judic. Bald. in l. unic. nu. 6., & ibi Cyn. num. 4. & seqq. C. qui pro sua jurisd. Guid. Papa dec. 286. n. 2.* ubi plus subdit.

2 Quod etiam si delegatus procederet, & non esset exhibita, & præsentata; adhuc ejus præsentatio subsequens non retrotraheretur ad confirmandum processum, vel sententiam præcedentem, sive alia acta ipso jure nulla, ex notatis per *Bald. in l. eum qui q. 4. ff. de jurisd omn. judic.* ea ratione, quod delegatus ante præsentationem suæ Commissionis nullam habet jurisdictionem, *cap. super eo il 2. de appell. gloss. in L. 1. C. de jur. fisc. lib 10. Anna allegat. 24. n. 7. & 9.*

3 Ampliatur prædicta Conclusio pro nullitate actorum, etiamsi Judex, & Notarius assererent literas delegatorias vidisse, & legisse, ut *ex Ferret. & Soccin. necnon ex* pluribus Rotæ decisionibus probat *Gratian. discept. forens. cap. 877. num. 7. & 8. tom. 5.* quæ decisiones Rotales impressæ reperiuntur apud *Marchesan. de Commiss. qu. 1. f. 637. & 639.*

4 Ampliatur etiam, ut nec Judici cujuscumque fuerit auctoritatis, & præeminentiæ credatur, nisi commissionem ostenderit, *ad Text. in cap. Cum o nobis de testibus optime Rovit. in const. 33. num. 3. ubi loquitur de Nuntio Apostolico & Jo. Bapt. Ferret. cons. 75. lib. 1.* ubi loquitur de Legato a latere *Maur. Burg. de mod. proced. ex abrupt. quæst. 76. num. 9.* ubi quod nec etiam creditur asserenti, habuisse dictam potestatem a Principe sibi concessam vivæ vocis oraculo.

5 Limitat tamen idem *Maur. Burg.* quando Princeps esset in loco, & ab eo facile posset cognosci veritas, quia tunc creditur asserenti habere præmissam potestatem a Principe, quia non esset præsumendum, quod id sciens facile posse se de mendacio redargui, velit mendacium dicere, ut ex multis *Farin. quæst. 97. num. 62. & seqq.* ubi quoque contrarios refert, & *Decian. tract. crim. lib. 4. cap. 25. num. 58.*

6 Agit hic *Cl. Auctor nu. 114.* quid faciendum literis delegatoriis deperditis, aut ablatis? Quamvis enim conclusio sit, quod commissio, seu rescriptum Delegationis testibus probari non possit, quia omnino scripturam requirit, *ad text. in L. 1. C. de mandat. Princip. & ibi Barbos. n. 1. & seq. Mascan. cons. 18. num. 8. lib. 2. Cavalcan. decis. 11. num. 2. & 3. q. 1. & Borell. in summ. decis. tom. 2. tit. 2. num. 65. & seq.*; in casu tamen rescripti deperditi, seu ablati distinguendum videtur; aut rescriptum fuit præsentatum in actis, & inde deperditum, & tunc testibus probari potest; aut non apparet fuisse præsentatum in actis, ex quo illa non sunt admissa, & ex his constat nunquam fuisse præsentatum, & tunc testes ad illud probandum non admittuntur, ut late probat *Cammar. respons. 12. lib. 2. & cum eo Altimar. in observ. ad cons. 33. Rovit. num. 5. tom. 5.* & latius *in tract. de nullit. rubr. 9. quæst. 4. num. 55. & seqq.* idcirco summopere extollenda videtur cantela, quam *Cl. Auctor tradit in decis. num. 114.* ad fugienda omnia incommoda, & præcavenda pericula, in casu deperditi, vel ablati Rescripti Delegationis.

7 Regulare est, quod Judex Delegatus citans aliquem absentem, vel uti testem, vel uti Reum ad comparendum, tenetur in literis citatoriis tenorem delegationis, seu Commissionis inserere, alias citatus comparere minime obstringitur, nec moneri potest, *Petr. Barbos. in L. si quis ex aliens num. 7. & seqq. ff. de Judic. Bovadill. lib. 2. Polit. cap. 21. num 63. Guido Pap. decis. 286. num. 4.* Hinc non sufficit, quod Judex in citatione, vel Monitorio se asserat delegatum, sed precise debet inserere in citatione, vel Monitorio copiam suarum literarum commissio-

missionalium ut ex pluribus *Maur. Burg. loc. cit. quæst. 90. num. 14., & seqq.*

8 Notandum tamen, quod licet non teneatur Delegatus inserere literas originales, sed sat est si delegationis exemplum transmittat, *Mising er. pract. observ. centur. 3. observ.* 1. nihilominus testis, vel Reus comparens coram Delegato potest instare, ut sibi ostendantur literæ originales delegatoriæ ad effectum, ut magis certus sit de jurisdictione delegata, antequam respondeat, *ad tradita per Burg. dec. quæst. 90. n. 14. Gratian. discept. 170. num. 19. Ricc. in prax. regul. 62., & regul. 424. num. 2. Salgad. de supplicat. ad SSmum par. 2. cap. 31. §. 4. nu. 30.*

9 Existente tamen stylo, vel consuetudine non inserendi copiam delegationis, in citatione, aut aliis monitoriis, dicto stylo, & consuetudine standum est, *Menoch. cons. 100. post. num. 63. & 64.* ubi testatur de consuetudine in Genuæ statu, *Gratian. loc. cit. num. 16. Raudens. cons. 18. num. 93. par. 1. & Decian. cons. 18. num. 158. tom. 1.* Verum stylus, & consuetudo omnino probanda est per eum, qui in ipso se fundat ad limitationem Regulæ.

10 Quomodo autem probatio styli sit peragenda, explicat *Joseph. Amend. in prax. part. 2. tit. 19. num. 12.* ubi -- quod maxima probetur ex inspectione aliorum Processuum ejusdem loci, verum usus non debet esse difformis, alias stylus non inducitur *Petra in Ritibus M. C. V. p. num. 73.*

11 Existimat *Maur. Burg. d. quæst. 90. nu. 16.* cum adductis, quod Delegatus positus in dignitate, secundum veriorem, & receptiorem sententiam non teneatur inserere in Citatione, seu alio Monitorio tenorem suæ Delegationis, ea forsan ductus ratione, quod illius assertioni credendum sit; Verum cum hujusmodi opinio adversetur dispositioni *text. in C. cum a nobis de Test.* de quo supra *num.* 4. ejus opinioni ad hærendum haud esse puto, nisi in casu tantum superius relato *num.* 5.

12 Plures casus, in quibus editio Delegationis minime sit necessaria, latissime recenset *Altimar. de nullit. rubr. 9. quæst. 4. a num. 20. & seqq.* ad quem recurre in facti contigentia.

Ad §. 14. ejusdem Primi Tituli n. 15.

De Judice Delegato.

OBSERVATIO III.

SUMMARIUM.

1. *An potestas procedendi extra ordinarie contra delinquentes extendatur ad delinquentes ante dictam delegationem, ubi de illis expressa non sit mentio.*
2. *Modus procedendi extra ordinem est odiosus.*
3. *In delegationibus nulla admittitur extensio præsertim in extraordinariis.*
4. *An Delegatus cognoscere, & procedere valeat super reconventione, seu recriminatione.*
5. *Reconventio quando est quid accessorium causæ principali.*
6. *Quid dicendum contra Accusatoris voluntatem, si fuerit causa delegata.*
7. *De teste falsum deponente an a Delegato puniri possit.*
8. *Prætermissa distinctione, quæstio resolvitur quo ad pœnam extraordinariam.*
9. *An commissa alicui causæ cognitione, quoque sententiæ ferendæ eidem potestas tributa censeatur.*
10. *Quæstio distinctionis fœdere vindicatur.*
11. *An in delegatione quoque carcerandi tributa potestas videatur, quoties de ea nulla sit mentio.*
12. *Rejicitur distinctio, & concluditur negative.*

1 QUia agit hic Auctor ad quæ se extendat Judicis Delegati Jurisdictio, opportune de nonnullis quæstionibus breviter, & succincte differendum existimavi: *Et Primo.* An data alicui Commissione, ut procedat extra ordinem, vel alio modo *contra fures, nempe, vel Contrabannerios, aut similes facinorosos homines*, an inquam dictus Delegatus procedere possit tam contra Delinquentes tempore communicatæ potestatis, quam etiam contra Delinquentes ante dictam tributam potestatem? Hanc quæstionem *ex Bald. & aliis* decidit *Fabius Monteleon. in prax. arbitral. part. 6. quæst. 8. nu. 7. & seq. fol. mihi* 494. dicens, posse procedere tantum contra nominatos in dicta Commissione, qui deliquerunt tempore habitæ delegationis, & non ante, ea ratione, quod delegatio non trahitur ad præterita, sed ad futura, nisi de præteritis fiat expressa mentio ut a simili tradit *Text in Cap. fin. de Constit. in Cap. cognoscentes eod. tit. & in L. leges C. de Legibus ubi DD. communiter Marta vot.* 143. cum aliis quamplurimis adductis per *Vasquez de success. creat. l. 2. §. 18. requis. 29. num. 273. & seqq.*

2 Accedit altera ratio: nam cum dicta delegatio procedendi extra ordinem sit summopere odiosa, eo quia talis procedendi modus contra juris dispositionem a Supremis Principibus, ex quadam dispensatione introductus videtur, ex congestis per *Chartar. in prax. interr. Reorum lib. 4. cap. 1. n. 203. & Aven. decis. 15. num. 1.* -- Verba delegationis strictissime intelligi debent absque ulla interpretatione, tam extensiva, quam comprehensiva.

3 Imo neque per sub auditum intellectū tollenda videtur hujusmodi extensio, ut dicunt *DD. in cap. cum olim de offic. deleg. Peregrin. in tract. de offic. delegat. n. 39.* unde oritur illud adagiū: Non dixit; ergo noluit, *L. quicquid adstringendæ ff. de verb. oblig.* Potissimum quia etiam in delegationibus ordinariis utpote arctissimi juris, & odiosis, nec minus extensio aliqua admittenda venit de re ad rem, nec de persona ad personam, *L. 1. §. qui mandatum ff. de offic. ejus. Anguian. de legibus lib. 3. controv. 33. num. 23. Ricc. decis. 60. num. 3. part. 3.*

4 *Secundo quæritur:* An delegata alicui causæ criminalis cognitione, & definitione, Delegatus recognoscere quoque possit causam reconventionis, seu recriminationis intentatam per Reum contra accusatorem ex detecta calumnia? Præmisso quod in Criminalibus locum habeat reconventio, ad late tradita per *Theophil. Gisbert. in erudit. ejus tract. de reconvent. c. 16. per tot.* Distinguendum est inter delegationem obtentam ad petitionem, & instantiam Accusatoris, & tributam proprio motu Superioris Delegantis. In primo casu omnes conveniunt reconventionis, sive recriminationis causam tacite in delegationis rescripto comprehensam esse.

5 Fundamentum est, quod reconventio, uti accessorium, recipiat in rescripto extensionem, *Text. in Cap. prudentiam, & in Cap. præterea de offic. deleg. Anton. Perez. in Cod. lib. 7. tit. 45.*

num. 18. *Mirant. distinct.* 6. *nu.* 17. *Misinger. centur. observ.* 90. *num.* 1. *Alex. Trentacinq. de reconvent. num.* 4. *& alii communiter.*

6 In altero vero casu, hujusmodi extensionem contra voluntatem accusatoris admittendam haud esse in rescripto delegatorio tradunt *Jason. in L.* 3. *in princ. ff. quod quisq. jur. num.* 15. *Petr. Barbos. in L. qui prior. n.* 50. *ff. de judic. Zas. in L.* 3. *ff. quod quisq. Jur. & cum Cancer. Berlich. Misinger. & aliis perbelle Philip. Maresc. in tract. de reconvent. enarrat.* 2. *num.* 35. *& seqq.* ubi rationem expendit. Discriminis fundamentum in eo potissimum residet, quod ex consensu Accusatoris delegationem postulantis tacite inest in primo casu delegationis extensio, quantum ad reconventionem tamquam accessoriam; Verum dicto consensu non existente, tolleranda minime videtur in altero exemplo delegationis extensio, *Larrea decis. Granat.* 4. *num.* 4.

7 *Tertio dubitatur:* Num testis falsum deponens coram Judice delegato, ab ipso puniri valeat? Nonnulli in causa criminali distinguunt Delegatum a Principe, a Delegato Inferioris: primum posse, alterum minime, sed falsitatis cognitionem spectare ad Ordinarium, *ita Clar. Caball. Grass. & alii apud Seidloj. de for. compet. cap.* 41. *de for. falsar. num.* 6. *versi. sed tunc.*

8 At hujusmodi distinctione prætermissa, indistincte posse Delegatum quemcumque sive a Principe, sive ab inferiore animadvertere in testes falsos, validis rationibus probat *Jo. Petr. Surd. cons.* 42. *num.* 17. *& seq.* nisi enim Delegatus posset falsum testem punire, semper impediretur sua jurisdictio, ea quia nunquam testis diceret veritatem, & Judicem sperneret, *Dec. in Cap. præterea num.* 5. *de offic. deleg.* ubi disputata quæstione ad partes, *in hac* residet, *Campan. resol.* 29. *num.* 3. *& seq.* Intellige tamen hanc indistinctam conclusionem in Delegato in causa criminali, non autem Civili, *ut ex Covar. & Peguer.* subdit idem *Campan. num.* 3. & intellige quoque quoad poenam extraordinariam, non ordinariam, ut decisum refert *Peguer. decis.* 60., *&* 79. *num.* 3. *Oril. ad Campan. loc. cit. observ.* 29. *nu.* 17. ubi allegat *Covar. Misinger. Borell. & alios.*

9 *Quarto vocatur in quæstionem:* Num delegata alicui certa causæ cognitione, an quoque ferendæ sententiæ potestas eidem mandata intelligatur? Negative respondet *glos. in L.* 57. *verb. peragrare ff. de Procurat.* cui assentit *Uldric. Zas. in L.* 15. *ff. de Re judic.* Alii vero contrariam partem tuentur, eo nixi fundamento, quod cognitionis verbum complectatur etiam sententiæ dictionem, & causæ definitionem, *ex text. in L.* 5. *ff. de judic. & in L.* 99. *ff. de verb. signific.* allegant quoque *text. in L. de qua re* 24. *in princ. ff. de judic.* ubi Julianus jurisconsultus ait -- *de qua re cognoverit Judex pronunciare cogendus est.*

10 In hoc DD. conflictu ita distinguendum puto, aut agitur de causa Civili, & secunda opinio verior est prima; si de causa criminali, & tunc procedit opinio *glos. in dict. L.* 57.; Enim vero Textus est punctualis *in L. solent* 6. *ff. de offic. Proconf.* Siquidem mandata causæ criminalis cognitione legato Proconsulis, non etiam definitio, & sententiæ pronunciatio illi mandata dicitur, ut inquit ibidem *Domit. Vulpian. lib.* 6. *de offic. pro consul.* atque ita intelligendus *Misinger. practicar. observ. centur.* 4. *observ.* 93. *indistincte loquens.*

11 *Demum quæritur:* An Delegato, cui commissa causa fuit criminalis ad effectum Inquirendi, & Processum construendi, impartita quoque tacite censeatur facultas Reos carcerandi, & sic eos realiter citandi, quoties de ea expresse in delegatione mentio haud fiat? Rejecta distinctione, quod Delegatus ad unam causam Reorum Carcerationem demandare possit post litem contestatam, & non ante.

12 *Indistincte* verior opinio est, quod non possit nec ante, nec post litis contestationem, eo quia potestas aliquem in vinculis conijciendi jure Magistratus, Ordinariis tantum Judicibus tribuitur, *Bartol. in l. imperium nu.* 8. *ff. de jurisd. omn. judic. & in L.* 2. *n.* 1. *&* 2. *ubi Jason. num.* 4. *ff. eod. tit. Bald. in L. consentan. C. quomodo, & quando Jud.* perbelle *Anton. Bellon. in tract. de mandat. jurisd. cap.* 8. *qu.* 19. *num.* 32. *& seqq.* ubi disserte probat, & contrariis satisfacit argumentis *Thor. in Cod. rer. judic. allegat.* 23. *nu.* 16. *& Marsil. in tract. de Bannit. verb. Capo num.* 51. ubi optimam tradit rationem.

Ad §. 16. ejusdem Tit. 1. de Duratione Jurisdictione Judicis Delegati.

OBSERVATIO IV.

SUMMARIUM.

1. *An defuncto, vel amoto Delegato, transeat delegatio ad successorem.*
2. *Quid dicendum in Vicario Episcopi; & affirmative concluditur.*
3. *Declaratur Conclusio secundum expressionem nominis factam in delegatione.*
4. *Quæstio resolvitur super delegatione cum Clausula*, ut aliquem in possessionem inducat, inductum defendat & manuteneat, Contradictores compescendo, *an duret post traditam possessionem?*
5. *Opinio Negativa refertur.*
6. *Opinio affirmativa.*
7. *Opinio distinguens.*
8. *Refertur opinio Card. Zabarell.*
9. *Distinctio inter Judicē Ordinarium & Delegatū*
10. *Ordinarius habens Jurisdictionem ordinariam utraque uti potest in procedendo, & condemnando.*
11. *Sed qua Jurisdictione uti in dubio videtur? refertur opinio distinguens.*
12. *Alia de delegatione remissive.*

1 Regulare est, delegationem alicui factam sub nomine dignitatis, non expresso nomine proprio; & mortuo, vel amoto ab officio, transire ad successorem ejusdem dignitatis, ut firmat *Text. in C. quoniam Abbas ubi glos. & Canonistæ omnes de offic. deleg. & in §. & hoc versic. jubemus. auth.* ut nulli judicum; siquidem dignitas nunquam moritur *Cap. si gratiose de Rescript. in* 6. *Cap. liberto il* 2. *in quæst.* 2. *Menoch. de arbitr. quæst.* 68. *num.* 21. *& seq.* ubi ampliat etiamsi negocium minime inceptum fuisset a Defuncto Delegato, & res esset integra, *Sperell. decis.* 166. *num.* 16. *& seqq.*

2 Hinc delegatio facta in personam Vicarii Episcopi, eo defuncto, vel amoto, transit in Successorem in Vicariatu, maxime quando delegatio facta sit

Epis-

Episcopo sive Vicario *Sbroz. de offic. vicar. qu. 49. num. 1. & 2. lib. 3. Gargias. de ben fic. part. 6. cap. 2. num 34. & seqq. Noal. in tract. de transmiss. cap. 5. num. 4.* ubi contrariam opinionem rejicit, referens quamplurimas Rotæ decisiones *Sperell. decis. 31. num. 13. & decis. 156. num. 6. Rot. decis. 12. nu. 4. part. 2. divers.*

3 Quid dicendum si in delegatione nomen proprium & dignitatis expressum esset? Distingue: si præcedit nomen proprium, delegatio censetur personalis, & ad Successores non transit; si vero præcedit nomen dignitatis intelligitur esse realis, & ad Successores transit, *per Text. in L. si communis servus ff. de stipul. servor. Bartol. Jason. Dec. Sanchez & alii apud Nicol. Noal. in d. tract. de transmiss. cas. 50. num. 16. & seqq.* ubi banc tradit rationem quod ordo scripturæ designat ordinem voluntatis etiam in rescriptis, *gloss. in C. cum. dilecta verb. transponentes de rescript.* Alias amplationes, & limitationes ad suprapositam regulam latissime recenset idem *Noal. d. cas. 50. eli consule in facti contingentia.*

4 Modo quæritur, quantum duret potestas Judicis Delegati, cui literæ diriguntur per Delegantem, ut aliquem in possessionem mittat, addita clausula *in possessionem inducatis, inductam defendatis, & manuteneatis, Contradictores compescendo:* an post traditam possessionem possit turbantes punire, & contradictores compescere? *Joan. Andr. in C. pro illoram de præbend.*

5 Docet se audivisse Curiam tenere, quod si aliquando ductus in possessionem pacifice possidet, expirat Delegati potestas, ne præjudicetur potestati ordinariæ, & eum sequitur *Abb. in d. Cap. pro illorum num. 12.* ubi quoque *Innoc. num. 3.* subdit, quod quando in literis delegatoriis mandatur aliquem recipi in Canonicum, poterit compescere contradictores authoritate hujus clausulæ, Contradictores compescendo, quousque recipiatur in Canonicum, sed ex quo receptus est, quamvis postea molestetur super Canonicatu, vel aliis, non poterit eos compescere, alias videretur ejus Ordinarius esse. Hanc eamdem sententiam substinet *Stephileus in tract. de liter. Apostol. in form. brev. de vi, & effect. clauf. §. sequitur num. 1. & seqq. & Rebuff. in tract. de concord. tit. de forma mandat. Apostolic. fol. mihi 612. versic. item facta executione,* ubi alios allegat *& confert. Text. in 6. in literis 9. de offic. & jurisd. judic. delegat.* ubi Iudicis Delegati authoritas, & jurisdictio cessat, cum per se, vel per alium rem sibi commissam executioni mandavit, & nonnullas alias rationes recenset, sed non sequitur *Marius Giurb. cons. crim. 39. num. 1. & seq.*

6 Contrariam tamen sententiam tuetur *Giurb. loc. cit. num. 24.* motus authoritate Text. *in L. 1. ff. de vi fiat ei --* ubi P. C. inquit -- *quod frustra in possessionem quis mittitur, rei servandæ causa nisi missus tueretur, & prohibentes venire in possessionem coerceret,* (quem Textum salva pace dicti authoris locum tantum sibi vindicare in judice Ordinario, non autem in Delegato. aperte patet ex verbis legis) alias superaddens rationes ad ejus comprobandam opinionem, quod factum nempe non dicitur, nisi duret, & executio cum effectu durationis. intelligenda sit *L. acceptis ff. ad L. faleid.* eo quia non videtur possessionem adeptus, qui eam retinere non potest *L. fin. §. fin. C. de bon. quæ liber.* subdens, quod Delegatus vigore clausulæ *in possessionem inducatis, inductamque defendatis --* tamquam Conservator habendus sit, ejusque officium etiam post traditam possessionem duret, ut nedum contra dejectum si perturbet, sed etiam contra tertium turbantem procedere possit, eusque compescere, *Macerat. lib. 1. resol. 112. cas. 6.*

7 Alii vero censent, quod vigore Clasulæ *in possessionem inducatis, inductumque manuteneatis, & defendatis --* non tribuitur Delegato perpetua jurisdictio, sed quousque gratia plene fuerit exequuta, ad annum usque, *ex cap. conquærenti de offic. deleg. Zabarell. cons. 10. num. 4. --* unde si post annum nova oriretur perturbatio, Delegatus, qui officio functus est, non se intromittat amplius, ne ordinarius effici videretur, sed apud Judicem Ordinarium pro dicta perturbatione agendum, *Campanil. in divers. jur. Can. rubric. 11. cap. 13. num. 238. Tusch. litt. C. conclus. 218. --* Sic Delegati Jurisdictio ad illud usque tempus, & non ultra extenditur, *Henric. Boich. in cap pro illoram de præbend. Marches. de Commiss. par. 1. §. 1. num. 177. fol. 939.*

8 Subdit tamen *Cardin. Zabarell. in d. cons. 10. num. 4. versic. dicit tamen,* quod respectu molestiæ, quæ sit ex causa antiqua, quando contradicit is, cui fuerat impositum silentium, ex æquitate jurisdictio durat etiam post annum, ex doctrina *Joann. Andr. at eum refert Marta de clausul. par. 1. claus. 60. nu. 2.*

9 Mihi tamen placet distinctio, quod si talis exequutio committatur Judici Ordinario sub nomine dignitatis, vel Officii, & non simplici privato, ejus potestas duret perpetuo; nam tunc cessat præjudicium Jurisdictionis ordinariæ, in quo se fundant DD. ad delegatam jurisdictionem coarctandam, *Ancharan. cons. 92. n. 4. Marta d. claus. 60. n. 3. versic. in Judice Ordinario:* Optime tamen se gereret in hoc casu Judex Ordinarius, si utraque jurisdictione ordinaria, & delegata se procedere asserat ad evitandas controversias, quæ oriri possent ex conflictu hujusmodi opinionum.

10 Etenim Judex Ordinarius ordinariam, & delegatam habens jurisdictionem potest utraque jurisdictione ordinaria, & delegata uti in procedendo, *ad Text. in C. significa. de corpor. vitiat. ibi -- Nostra, & tua authoritate --* ubi. *Abb. nu. 1. & in C. nisi essent de præbend. Felin. in C. cum ex officiis num. 3. 19. 20. de præscript. Bald. in L. 1. C. de furt. Trivis decis. 1. nu. 8. lib. 1. Boer. dec. 151. num. 8. & Aviles in L. Prætorum 9. glos. commission. nu. 10*

11 Disputant tamen *DD.* an in hoc casu Judex usus dici possit ordinaria, an delegata Jurisdictione, & & quomodo præsumendum? Distingue: aut est Delegatus ab Inferiore a Principe, & præsumitur quod tamquam Ordinarius processerit ex rationibus adductis a *Felin. in d. cap. cum ex officiis num. 33. Bovadill. lib. 2. politic. cap. 21. num. 30. Petr. Cened. Canon. quæst. 34. num. 8.* cum aliis adductis a *Giurb. d. cons. 39. num. 5.* Unde appellatio in hoc casu ad Judices Ordinarios appellationis interponenda est non ad Delegantem; si vero est delegatus Principis, & tunc præsumitur processisse tamquam Delegatum, quia Delegans Principis est major ipso Ordinario; idcirco appellandum est, in hoc casu ad ipsum Principem Delegantem, ejusque suprema Tribunalia, ad latè tradita per *Menoch. de præsumpt. lib. 2. præsump. 17. num. 4., & seq.*

12 Qui vero plura, quoad delegationis materiam exoptat, adeat inter cæteros *Henricum Bocor. in singular. tract. de jurisd. cap. 6. per tot.* nec non *Peregrinum in singular. tract. de Judice Delegato,* ultra repetentes ad titulum *Decretal. de offic., & potest. Judic. deleg.*

Ad

mare hoc modo, ideoque permittebatur Accusatori & Reo ex numero missorum Judicum in urnam, rejicere, quos putaverint sibi inimicos, aut ex aliqua re incommodos, *Cujac. lib. 3. observat. 23.*, eo enim tempore Magistratus creabantur, aut delectu, aut sorte, aut utroque simul, *Petr. Gregor. lib. 4. de Republic. cap. 5. num. 40. & seqq.*; Paurmeist. *lib. 1. de Jurisdict. cap. 24.*, *& Ossuald. in Donell. l. 17. comment. cap. 7. litter. I.*, quod non obscure colligitur ex Textu in *L. 7. C. de Judeis ibi — Sortiri eorum Judicium Jure publico non verentur*, Sigon. *l. 2. ad antiq. Jur. civil. cap. 18. fol. 134. & seqq.*

3 Originem sumpsit Judicis recusatio, nam cum causæ cognitio tres requirat comites, Justitiam Judicium, & veritatem; hæc utique in Judice suspecto deficiunt, quia valde periculosum est coram eo litigare, ut probatur in *cap. quod suspecti 3. q. 5.* ibi enim inquit Summus Pontifex — *Nam quodammodo naturale, est suspectorum Judicum insidias declinare, & inimicorum Iudicum semper vela refugere nam quid gratius, & amabilius dare quis inimico potest, quam si ei ad impetendum commiserit, quem lædere forte voluerit?*

4 Jure merito recusationis hæc exceptio, tanquam naturalem defensionem tangens, involvensque secum irreparabile præjudicium, & naturæ repugnantiam nequit juxta communiorem opinionem per legem, statutum, sive alia municipali sanctione tolli, ad tradita per *Xamar. de offic. Iudic. par. 1. q. 22. nu. 131. Roceb. de offic. rubr. 12. num. 51.*, & per alios apud *de Graff. except. 24. num. 15.* alia vero reservamus *in observat. seqq.*

OBSERVATIO VII.

SUMMARIUM.

1. *Statutum recusationem probibens intelligitur de frivola, non de legitima.*
2. *Ampliatur Conclusio maxime in Criminalibus.*
3. *Quid operetur clausula, recusatione remota.*
4. *Expenditur quo jure naturæ recusatio introducta videtur.*
5. *Recusationi Judicis licitum est renunciare.*
6. *Non addita clausula*, recusatione remota, *non censetur recusatio sublata etiamsi Princeps causam committeret notorie suspecto.*
7. *Quæstio an probibita appellatione, vetita quoque censeatur Judicis recusatio: ubi opinio negativa.*
8. *Sententia negativa.*
9. *Enumerantur casus in quibus appellare non licet, verum recusatio admittitur.*
10. *Elucidatur* Text. in C. 12. de appell. *in quo sensu procedat, & conciliatur dispositio eiusdem* Textus *cum altero* in C. 36. eod. tit.

1 EAmdem prosequendo recusationis materiam, quamplurima observatione digna videntur, etiam ad explicationem eorum, quæ in num. 4. præcedentis observationis indistincte præmissa fuere; Primo, quod quotenus esset statutum de facto specialiter, & expresse recusationis exceptionem rejiciens, illud sane intelligendum esset de recusatione frivola, & inani, non autem quæ fit ex justa, & legitima causa: ita explicant *Franch. in Cap. postremo num. 5. ubi Dec. num. primo de appell. Butr. in C. pastoralis in princ. de appell. Barbat. in C. ad hæc num. 46.*, *& seqq. de rescript. Felin. in C. cum inter num. 8. de except.* nec non alii apud *Schrader in tract. de feud. part. 10. sect. 3. nu. 9.*

2 Et hoc potissimum in Criminalibus, in quibus statutum recusationis exceptionem ex justa, & legitima causa prodeuntem tollere haud potest, ea ratione, quia justa, & legitima recusationis exceptio a jure approbata descendit quodammodo a jure naturali positivo, quia defensionem respicit, ut loquitur *Text. in C. quod suspecti 3. q. 5.* ibi — *quodammodo naturale est* — *& in C. 2. requires 41. de appell* ibi — *Ipsa namque ratio dictat, quod suspecti, & inimici Iudices esse non debeant* — idcirco statuto tolli nequit, ne quis notabile detrimentum pateretur, prout animadvertunt *Lancellott. Contad. in templ. omn. judic. lib. 2. cap. 1. §. 4. de Imperat. rit. jus positivum tolli num. 16. Barbat. in tract. de Cardin. a later. qu. 4. Pinell. de rescind. vendit. par. 1. in rubr. cap. 2. num. 2. versic. si verius, & de Graff. de except. 24. num. 27.*

3 Conferunt ad rem tradita *per Joan. Zanger. de except. cap. 4. num. 7.* ubi causa per Principem commissa cum clausula Recusatione remota accipienda est de suspicione levi, & frivola, non autem de gravi, & legitima, qualis est, si commodum aliquod ad Judicem redundaret sententia pro actore lata, ut si esset Reo inimicus Capitalis, & si quæ similes, hæ enim causæ ejusmodi sunt, ac si recusatio judicis non admitteretur, irreparabile damnum inde Reus sensurus esset, cum Principum rescripta ita intelligenda veniant ne uni prosint, alteri noceant, *L. ex facto 43. ff. de Vulgar. & pupillar. L. 4. C. de emancip. liber. De Marsil. Singul. 292. Mysinger censur. 3. observat. 63. & Gail. lib. 2. observ. 33. num. 5. & seqq.*

4 Hinc ex fonte hujusmodi distinctionis fileut apud Pragmaticos inter se dissidentes Doctorum opiniones, an Principi supremo licitum sit recusationem tollere? Alii in negativam, alii in affirmativam abeuntes sententiam, quam utramque recenset *Farin. in fragm. crim. litt. 1. verb. Judices num. 954. & seqq.* affirmativam amplectendo, quam tamen mordicus impugnat *Didac. Guerrer. in tract. de Recusat. lib. 1. cap. 2. num. 8. & seqq.*. Sed pro affirmativa tuenda opinione mirifice faciunt quæ doctissime *tradit Petr. Maria Passarin. in prax. formand. process. quæst. 3. art. 1.* ubi eleganter explicando, an Recusatio sit de jure naturæ præceptivo, an nunquam de jure naturali dominativo, seu positivo, descendit *in art. 2.* ad quæstionis decisionem in affirmativum sensum, contrariis objectis satisfacendo, explicat tamen *nu. 19. & seqq.* — quod prædicta conclusio affirmativa locum sibi non vindicaret in recusatione legitima, propterea *num. 24.* subdit, quod clausula, recusatione remota, intelligi debet, ut non excludat recusationem quæ fit ex causa in jure expressa, & approbata, *per Text. in C. Pastoralis de appellat. gloss. in L. apertissimi verb. recusare C. de judic.* late *Imm. in process. judic. thes. 1. direct. 1. num. 55. & seqq. Rebuff. ad Const. Gall. tit. de recusat. in præfat. num. 9. & seqq. & Petra in comment. ad Rit. M. C. V. rit. 265. num. 52. tom. 2.* ubi nonnullas frivolas causas recenset rejiciendas adsensum dictæ Clausulæ.

5 Firma propterea remanente conclusione, quod Recusatio non sit de jure naturali positivo tantum sequitur, cuilibet permissum esse, valide, & licite hujusmodi recusationi renunciare, *ad Text. in Leg. si quis in conscribendo C. de pact. Panormit. in C. inter*

Mo-

Monasterium 20. *num.* 3. *de judic.* & *Fermosin. in C. si quis contra* 4. *quæst.* 4. *num.* 1. *de for. compet. rejecta opinione Pasqualig. decis.* 349. *num.* 6. contrarium authumantis. Siquidem verissimum est, recusationi Judicis suspecti locum esse non tantum expresse, verum etiam tacite, quoties qui Judicem recusavit, iterum coram eo compareat, ob Regulam, quod Judex approbatus ab una, vel altera parte recusationem non admittit, *ut ex Rot. firmat Lancellot. de attent. par.* 2. *cap.* 6. *n.* 52.

6 Nota tamen, quod nunquam Princeps intelligitur removere Recusationem, nisi clausulam apponat, Recusatione remota, etiamsi Princeps ex certa scientia, & motu proprio causam committeret Judici notorie suspecto, nam per hoc non intelligitur recusationem prohibere, ut ex dispositione *Text. in C. accedens il* 1. ut lite non contestata firmant *ibi Panormit.* & *Felin.* & *in C.* 5. *de except. nu.* 8. in quam quoque, allegatis Marchesano, & Scaccia, pertransit Sententiam *Passerin. dict. art.* 2. *num.* 26. ampliando etiam si Princeps valde commendaret personam Judicis deputati.

7 Sed quæritur: An prohibita appellatione, prohibita quoque censeatur recusatio? Nonnulli censent recusationem sub eadem appellationis prohibitione contineri, per Text. express. in C. postremo 36. de appell. ubi Lucius III. Galtero Episcopo ita rescripsit -- *hujusmodi Delegatus non immerito poterit recusari, quamvis appellatione remota ei negotium fuerit delegatum*, atque ita sentiunt itidem *gl. ff. in fi gur. cas. dec. num.* 1. *Anchoran. nu.* 4. *Panorm. n.* 1., & 2. -- imo ad hunc effectum sententiam eorum probant non tantum de jure Canonico, sed etiam de jure Civili, allegando *Text. in L. fin.* §. *cum enim C. de sent.* & *interloc. omn. judic.* & *ibi gl. ff verb. si de certa distinctione*, & *in l.* 1. §. *interdum verb. ab eo provocare C. eod tit.*

8 Alii vero sub hac prohibitione quoque recusationem comprehendunt, moti ex decreto Alexandri III., *in C. super eo* 12. *eod. tit. ibi: unde in causis Ecclesiasticis, ubi appellationis remedium tollitur, utrumque remedium denegatur*, & *ideo sicuti appellationi, ita recusationi non est aliquatenus deferendum*, ea ratione, quia appellatio, & recusatio equiparatæ videntur, unde disposita in uno, etiam in æquiparato locum sibi vindicare debent, juxta *glos. in L.* 20. *C. de fur.* & *in C.* 33. *de elect.*

9 In hoc conflictu a priori sententia recedendum haud esse puto, siquidem verba, & regula Text. in *d. C.* 12. sane intelligenda videntur secundum ea, quæ inferius recensentur, & non simpliciter: enim vero non sequitur, quod ubi appellari nequit, nec minus Judex recusari potest, nam ab exequutore appellari nequit, nisi fines mandati excedente, & tamen recusari potest *Cap. super quæstionum* §. *Verum de offic. deleg.* -- Insuper a Judice non appellatur, nisi gravet; ac bene potest recusari, & si non gravet. Rursus appellare permissum est a Judice, in quem quis consensit, & nihilominus eum recusare non potest, nisi nova superveniente causa, *ut in C. insinuante de offic.* & *potest. Judic. deleg.* Rursus notorius delinquens appellare minime valet, attamen recusare non prohibetur, *C. cum speciali* §. 1. *de appellat.*

10 Mens igitur Alexand. *d. C.* 12. ea est, ut quemadmodum secundum Canones non admittatur appellatio sine rationabili causa, *C. cum in Ecclesi* & *C. ut debitus eod. tit.* Ita nec recusatio *ut in C.* 2. *nequitis* §. *fin.* & *in C. cum speciali* §. 1. *appell.* -- hinc verba illa Textus tantum modo formalitatem, & modum respiciunt, quasi dicat, sicut appellatio frivola non admittitur, ita nec recusatio; & sic deferendum est rationabili recusationi, ita ut quoad formalitatem, & modum æquiparantur tantum, non vero in reliquis; propterea minime æquiparantur, ut remota appellatione, quoque recusatio remota censeatur, ut ad rem *ex glos. advertit Hostiens. in d. C.* 12. *num.* 3. *quem sectantur Jo. Andr. ibi num.* 9. *Antr. num.* 10. & *seqq. Præposit. num.* 12., & alii communiter, alias enim nimis durum esset, ut Princeps removendo appellationes, cogeret quem litigare coram Judice suspecto, *argum. cap. cum inter. de except.* Ergo tantum æquiparatio admittitur, ut etiam frivola recusatio non admittatur, eo modo quo frivola removetur appellatio, ut declarant *Abb.* & *Præposit. in d. C.* 12. & *novissime Reiffen. stud. in jus Canonicum lib.* 2. *tit.* 28. §. 12. *num.* 318. *addo Passerin. in prax. qu.* 3. *art.* 2. *post. num.* 8. ubi aliam interpretationem tradit.

OBSERVATIO VIII.

SUMMARIUM.

1. *Recensentur ab Auctore causæ, quæ Judicem uti suspectum removent.*
2. *An sit causa suspicionis, si Judex esset ejusdem Patriæ, vel Nationis cum aliquo ex litigantibus in exteris locis?*
3. *Quid dicendum in concive Judicis cum extero litigante? Affirmative quo ad Delegatum.*
4. *Sed quo ad Judicem ordinarium, negative respondendum.*
5. *Recusatur Judex ad petitionem Partis datus; Superiores non debent dare Judicem ad partis petitionem, quia res mali exempli est.*
6. *Recusatur insuper, cum ipsemet pro Judice se impetrari procurat in illa causa.*
7. *In propria causa quis Judex esse nequit declaratur; quænam sit causa propria; delinquens contra Baronem ab eo cognosci nequit, neque ab ejus officialibus.*
8. *Judex offensus uti Judex procedere, & punire potest delinquentem.*
9. *Advocatus si esset Consanguineus, vel Amicus Judicis ubi recusari possit ab altera parte?*

1 RECenset eximius Auctor *in* §. 2. & 3. causas quibus Judex suspicionis nota affici potest eas redigendo ad Inimicitiam, ad excommunicationem, ad gravamen per appellationem definitum, ad consanguinitatem, affectionem, familiaritatem, Juris ordinem non servatum, modum commissionis excedentem, votum suum manifestantem, & minantem, de quibus omnibus *a num.* 39. *ad* 55.; Verum recusationum causas magis prolixe refert *Stephan. Aufrer. in tractat. de recusat. Judic.*, ubi 92. causas enumerat, quæ tamen ad tres principaliores reducuntur, *amorem, nempe, odium*, & *alios actus mixtos*, *Marant. in specul. aur. par.* 6. *act.* 2. *num.* 25. & *seq.*, & *Jacob. Ægid. in tractat. de reprobat. test. num.* 36.

2 Sed dubii est: An sit causa recusandi Judicem uti suspectum, si Judex sit ejusdem Patriæ, vel Nationis cum aliquo contra exterum causam habentem in partibus longinquis? Et affirmative concludendum videtur, attentis verbis Innoc. III. *in cap. accedens* 4.

ut lit. non conq̄st. — *Et Magister P. de Terra Uxoris suæ oriundus existat, nimis favens eidem*, ubi Glossa in verbo oriundus, ibi — *& ita est sufficiens causa recusationis, quia isti Iudices erant de districtu ipsius Comitis*, & ex Bartol., & Abbate docet Ioan. Segnra Daulus *in direct. Iudic. cap. 9. num. 7.* ubi quod eadem natio suspicionem inducit; Stephan. Aufrer. *in d. tractat. de recus. Iudic. n. 30.*, ubi quod Compatriotæ extra Patriã plus solito se diligere solent, ex Joan. Andrea specul., & aliis ibidem adductis Nepos a monte Alban. *de except. tit. 3.* & Pelſ. *in process. Iudic. tit. 16. num. 50.*

3 Verum an id procedat in duobus concivibus in propria Civitate; quando inquam Iudicis concivis in propria Patria cum extero litigat, num exterus Iudicem tanquam sui adversarii concivem recusare valeat? Distingue Judicẽ Delegatum ab Ordinario; enimvero primus recte in hujusmodi casu suspectus haberi potest, juxta Textum expressum in *cap. statutum §. 2. de rescrip. 12. 6.*, In quo Bonifacius VIII. ita decrevit — *Cum autem Actor, & Reus, Civitatum, & Diœcesium fuerint diversarum, si Actor in Civitate, vel Diœcesi Rei, Iudicem habere recuset, ipsum non in sua, sed in alia Civitate, vel Diœcesi libere impetrare valeat, Reumque trahere ad eandem.*

4 At Ordinarius nullo pacto ex tali causa suspectus haberi potest; alias quilibet Forensis volens convenire civem, de facili recusaret omnes Ordinarios, quod esset contra mentem Iurium, præscribentium Actorem debere forum Rei sequi, ut animadvertit *Abbas in d. cap. accedens num. 7.*, quem sequuntur Ioan. Pelſ. *in process. Iudic. tit. 16. num. 51.*, & *Aufrer. in d. tractat. de recusat. Iudic. nu. 31.*

5 Insuper alia causa recusandi Judicem est, quoties datus fuerit ad petitionem unius ex litigantibus, ex traditis per *Bald. in Leg. qui Jurisdictionem ff. de Iurisd. omn. Iudic.*, *Marant. in d. actu. 2. n. 52.*, *Marchesan. in tract. de commiss. seu rescript. commis. 3. cap. 1. num. 26. Trivisan. decis. 64. num. 7.* idcirco advertant Superiores omnes, nec non Ordinarii, ne unquam assentiant, Judicem ab ipsa parte nominatum dare, juxta monitum Textus in *Leg. observandum ff. de Iudic.*, ubi Callistratus inquit — *Observandum est, ne Iudex is detur, quem altera Pars nominatim petit, id enim iniqui exempli esse divus Adrianus rescripsit.* Intellige tamen, quod recusari potest per aliam Partem: siquidem qui illum petiit, amplius eum recusare nequit, nisi nova superveniente causa, ut explicant *Trivisan. loc. citat. num. 4. Goffred in summ. decretal. tit. de rescript. num. 35. & in tit. de offic., & potest Iudic. delegat. num. 31.*, *Ioan. Pelſ. d. tit. 16. num. 37.*

6 Quodque ille, qui procurat se impetrari pro Judice in aliqua causa, adhuc recusari possit, tradunt *Specul. in titul. de Iudic. deleg. §. superest versu Item si Ipse; Ioann. Andr., Archid. & alii in cap. si contra unam de offic. deleg. in 6.*, *Bald. in cap. de causis eod. titul. Marant. loc. cit. n. 60.*, & *Aufrer. de recus. Iudic. num. 57.*

7 Inter recusationum causas, cum ea afferatur, quoties Judex de proprio ageret interesse, sicque Judex in propria causa esset, refragante *Text. in l. 1. C. nequis in sua caus.*, *in l. Nullus*, *in l. omnes C. de testib.*, & *in l. qui Iurisdictioni ff. de Iurisd. omn. Iudic.* intellige causam propriam, quoties ad ipsum commodum, & incommodum principaliter spectaret, juxta *Text. in l. 1. §. propriam ff. quand. appell.*, & *in cap. biduum 2. quæst. 6.* opportune resolvitur, quod delinquens in Terra Baronia contra ipsum Baronem, qui ex hoc offensus remanserit, nequit ab ipso Barone cognosci, multoque minus a Judice Ordinario ejusdem Curiæ Baronalis, nec ab alio ab eodem Barone deputando, ut latissime probat *Carleval. de Iudic. lib. 1. tit. 1. disp. 2. num. 785. & seqq.* & contrariis argumentis respondet.

8 Nota tamen, quod Judex offensus non ut Persona privata, sed ut Judex, recte potest de offensa sibi facta cognoscere, & Jus vindictæ sibi assumere in causa propria contra delinquentem, per *Text. in l. nullum C. de testib. Gaill. practic. observ. lib. 1. observ. 39.*, *Bovadill. in politic. lib. 3. cap. 2. n. 33.*, *Sanleger. de prævent. Iudic. part. 2. cap. 56.*, *Prax. respons. crimin. 17. num. 8. & seqq.*, In dubio tamen offensa facta præsumitur odio particulari, ut majus delictum excludatur, & ideo Judex Superior debet avocare, *Cancer. var. p. 2. cap. 2. num. 235. & seqq.*; Adeatis *Conciol. resol. crimin. verbo Iudex num. 1. & 8.* explicantem, quando injuria, seu offensa, intuitu Officii, vel ratione Personæ facta dicatur.

9 Sed quæres: An Judex legitime recusetur, cum Advocatus Partis adversæ, sit ejusdem Judicis consanguineus, aut Amicus strictissimus? Rejecta sententia contraria, negativa est amplectenda opinio, quam magis veriorem, & communiorem predicant *Franc. in cap. postremo num. 17. ubi Innoc. de appell. Marant. d. act. 2. num. 46. & seqq.*, *Aufrer. loc. citat. n. 35.*, & *De Grassis in tract. de except.*, *except. 24. num. 112.*, ubi alias recusationis causas recenset.

Ad Tit. 12. §. 2. n. 55.

OBSERVATIO IX.

SUMMARIUM.

1. *Recusans, & causam non probans, actione injuriarum conveniri potest.*
   Excipiens contra testes, & succumbens de injuria tenetur.
2. *Iniuria committitur, quando infertur convitium in Iudicio, ad causam non pertinens, vel non probatum.*
3. *De deposito faciendo a Recusante in Regno Neapolis; & cui applicatur depositum in casum succumbentiæ.*
4. *Seclusa lege particulari nequit in Curiis decretari depositum summæ applicandæ fisco in casum succumbentiæ.*
5. *De Iure Civili, & Canonico nulla pœna dictata reperitur adversus Recusantes.*
6. *Quid dicendum de Iure municipali? ubi nonnullæ leges particulares recensentur.*
7. *Excusantur a deposito, seu cautione Pauperes, qui ad juratoriam cautionem admittuntur.*
   Excipe Pauperes malis moribus laborantes.
8. *Sed quomodo probetur Paupertas?*
9. *Probatio hæc fieri potest coram Iudice recusato.*

1 JUdici Recusato competere actionem injuriarum, quando recusatio est scandalosa, ignominiosa, seu injuriosa, & non vera, rationibus demonstratur; quemadmodum enim contra testes excipiens, illos infamando, injuriarum actione tenetur quoties infamatoriam exceptionem minime probaverit, ut præter adductos a *Farin. quæst. 105. n. 233.* tradunt per *Pax. in praxi. tom. 1. par. 1. num. 22.*

Pegas.

Pegas. ad ordin. lib. 1. tit. 65. §. 25. n. 81. Ayllon ad Gomez de delict. c. 6. n. 2., & cum aliis *Mendes in praxi. p. 2. lib. 4. cap. 13. n. 4.* ita, & multo magis, hujusmodi actione tenetur, si in probatione recusationis infamatoriæ defecerit; absurdum enim esset, quod testis melioris conditionis esset, quam Iudex.

2 Accedit, quod injuria dicitur illata in judicio animo injuriandi, quando infertur aliquod convitium, quod non pertinet ad causam, aut minime probatur; *Ayllon loc. cit. n. 3. Pegas. d. §. 25. n. 80.*, *& lib. 2. ordin. tit. 20. §. 24.* ubi *Barbos.* advertit, Advocatos a canina facundia se temperare debere, & decidit in terminis *Pegas. in d. §. 25. n. 80.* idcirco recusans impunis evadere non debet ob injuriam, quam Judici intulit, quem honorare, venerari, & timere tenetur: enim vero Iudices dicuntur Partes corporis Principis, *in l. quisquis C. ad leg. Iul. majest.*: Sacerdotes nuncupantur in *l. 1. ff. ad justit. & jur.*: Nobilissimi in *l. 2. §. fin ff. de excus. tutor.* Amici Principis, in *l. divi C. locat.* & Patres Iudicis in *l. 1. C. de excus. artific. lib. 10.*, suntque Iudices Ministri divinæ Iustitiæ, & simulacra Dei in terris, *Can. 15. q. 1. cap. non solum, cap. qui malos 23. q. 5.* Propterea recusatio proponi debet honestis verbis, & cum reverentia, alias proponens puniri potest, & recusationis capita rejiciuntur, ut decisum refert *Petra* relatus ab *Amendol. in prax. p. 1. tit. 10. de Iudic. suspect. q. 5. n. 89.*

3 Hinc in nonnullis Tribunalibus, ex vi legis particularis illius dominii, non admittitur recusatio, nisi formiter Recusans depositum fecerit, prout hujusmodi lex viget in Regno Neapolitano ex vi Pragmatic. relat. per *Mirad. ad pragm. observ. 72. §. 24. num. 5.*, & sancita est pœna ducatorum bisentum *ex pragm. 15. §. 2.*, *& 3. de suspic. Judic.* contra capita suspicionum non probantes, cujus medietas liberatur Fisco, altera medietas Judici allegato suspecto, ut in *d. pragm. 15. §. 2.* de quo deposito late idem *Amendol. loc. citat. num. 91.*, *& seq.*, *& num. 95.* ubi suspicio Iudicis notoria absque deposito recipi debet.

4 Seclusa tamen prædicta *Pragm.* vigente, ut dixi, in Tribunalibus secularibus Regni Neapolis, alibi, & signanter in Curiis Ecclesiasticis, non est tollerandum d. depositum, multoque minus interponi potest decretum, ut fiat depositum, prout ex pluribus resolutionibus S. Congregationis, docet *Nicol. in lucubrat. utriusq. Iur. libr. 4. tit. 6. de action. num. 28. versic. amplia V.* ibi — *Decretum, quo qui vult allegare suspectum Iudicem, vel alium officialem, debeat facere depositum certæ quantitatis applicandæ Fisco, si legitimam suspicionis causam non probet, censetur repugnans, tam canonibus, quam legibus, cap. cum speciali 61. de appell. cap. 2. eod. titul. 126. l. apertissime C. de Iudic.*, eadem *S. Episc. Congregatio 1602 Lettere 19. Augusti 95.*, *27. Octobris 125.*, *Amalfi 27. Octobri 125.*

5 Sed ut resolutionem superius positam altius expendam, præmittendum est, quod quamvis ex *Romanorum Jure* nulla poena imposita fuerit Judici recusanti, imo permisit causam simpliciter allegare, addito juramento non calumniæ causa agere, sed ut jus tueatur, teste *Gloss. in d. l. apertissimi, verbo recusare, Bovad. in polit. lib. 3. cap. 8 num. 125. lit. C.*, *& num. 122. tom. 2. Mysinger. centur. 3. obs. 33. num. 14.*, *& Damboud. in prax. cap. 112. num. 17. & seqq.*, & Ius canonicum strictius procedendo decreverit, causam esse exprimendam, & probandam, nulla adjecta poena ad coercendos hujusmodi Recusantes, *cap. 2. requiris §. 1. ubi Gloss. verbo coram de appell.*

6 Nihilominus gliscente postmodum litigantium malitia, agnoscentes Regnorum moderatores, hujusmodi suspiciones, ut plurimum, affectate fieri ad protelandas causas, diversas sanctiones promulgarunt; ut apud Hispanos extat *l. 22. tit. 4. par. 3. & cap. 44. Prætor Hisp.* Apud Gallos constitutio extat Caroli VIII. quam exornavit *Rebuff. ad Constitut. Galliæ de recus.* Apud *Lusitanos*, *extat ordinat. l. 3. tit. 22.* ubi cautio præstanda est, vel depositum apud Notarium, ad coercendos temere Judices recusantes, de quo *Pereyr. 12. in promptuar. Jur. verbo Judex num. 90.* Ferrariæ extat *statutum 39. in lib. 2. statutor.*, & in Alma Urbe *statut. 186. lib. 1. in quo Galganet. in gloss. plura exornat.*

7 Pro explicatione tamen dictarum legum particularium, cautionem, vel depositum demandantium, notandum est, quod ab hujusmodi onere pauperes liberantur, tum quia Princeps pauperum protector esse debet, illisque consulere, & providere, ex *l. privilegia C. de Sacros. Eccl.*, tum quia regulariter Pauperes, ab omni præscripto deposito, & cautione liberentur, & absque eo audiri debeant, *ex l. hoc Jure 5. ff. de Iustit. & Jur. Pereyr. de revis. cap. 74. num. 4. Pegas. resol. Forens. cap. 7. num. 49. & Valasc. de privil. Paup. r. q. 47. per tot.* Verum non effugiunt juratoriam cautionem, juxta Textum *in auth. generaliter C. de Episc. & Cler. Gloss. in l. 1. ff. qui satisd. cogant.*; *Faber in Cod. lib. 2. tit. 35. d. fin. 9.*, excipe tamen pauperes, qui malis moribus laborant, ad tradita per *Bald. in auth. cui relictum versu. Attende C. ind. vid. toll.*; hinc Plaut. in Pe.

Ubi ad paupertatem accessit infamia
Gravis Paupertas fit, fides sublectior.

8 Paupertas autem in hoc casu non probatur juramento recusantis, sed probanda est per testes vicinos, & familiares, *Barbos. in l. 1. par. 4. n. 161. ff. solut. matrim. Bovadil. lib. 3. polit. cap. 15. n. 64. Carleval. de Judic. tit. 5. disput. 2. n. 562. & seq. & Pereyr. de revis. cap. 58. per tot.*, sic enim præberetur occasio Recusantibus evitandi depositum, sive cautionem, nam omnes se pauperes esse assererent, etiam spreta Jurisjurandi religione.

9 Sed insurgit dubium: An prædicta probatio paupertatis fieri debeat coram Judice recusato, aut alibi? Ratio dubitandi est, quia hæc justificatio cognitionem requirit, sic recusans, litigans post recusationem coram Iudice delegato, videtur in eum consentire, & per consequens recusationi renunciare; Verum hoc minime refragante, hujusmodi probationem fieri debere coram Judice recusato dubium haud est; nec movet dubitandi ratio, siquidem hæc paupertatis probatio est dispositio ad recusationem, & ad eum finem tota tendit, idcirco præparare ea, quæ ad recusationem necessaria sunt, consensum minime inducunt, ut a simili videtur de eo, qui a Judice postea recusando reportaverit chartulam securitatis, ne molestetur; non enim ex hoc in eum consensisse censeri debet, ad tradita per *Themud. dec. 72. n. 6. & Pereyr. in promptuar. Jur. verbo Judex quo ad recusationem n. 907.*

Ad Tit. 111. §. 14. n. 76.

Quando Recusatio proponenda.

OBSERVATIO X.

SUMMARIUM

1 *Recusationis causa existens ante judicium, quando proponenda?*
Adducitur limitatio ad regulam.
2 *Comparens coacte coram Judice suspecto non censetur in eum consentire.*
3 *Litis contestatio an fiat in criminalibus?*
4 *Judicis recusatio an possit deduci post oppositam declinatoriam fori?*
5 *Judex ex se ipso se reddere suspectum nequit.*
6 *Recusationis exceptio opponi potest per Procuratorem, sed requiritur speciale mandatum.*
Mandatum generale cum potestate recusandi non sufficit.
7 *Procurator absque speciali mandato domino præjudicare nequit, in Judicem consentiendo.*
8 *Judex tenetur ad interesse, si est in culpa in expedienda suspicionis causa.*
9 *Quid de Baronibus, an queant suspicionis causas eorum officialium cognoscere?*

1 TRadit hic Auctor quando, & quo tempore recusationis exceptio proponenda sit, eamque opponendam esse ante litis contestationem firmat, quoties recusationis causa præcesserit, ne litem contestando in Judicem consentire videretur; At excipiendi sunt ab hac regula, & præsumpto consensu, *Rusticus, Minor, Mulier, aut similes aliæ Personæ*, quæ non censentur in Judicem consentire, propter ignorantiam Juris, quæ in dictis Personis præsumitur, ex *Angel. in l. final. C. de except.*, *Iason. in leg. si convenerit ff. de Iurisd. omn. Iudic. Pacian. de probat. lib. 2. cap. 45. nu. 7.*

2 Excipiendi sunt qui non libere, & spontanee comparent, sed metu coacti; Nam hi nullo modo consentire in Judicem videntur, etsi nullam protestationem ob Judicis reverentiam emiserint, *Iranco de protestat. cap. 4. num. 7. & seqq.*, *Salgad. de supplicat. ad Sanctiss. part. 2. cap. 17. num. 5.*, quæ limitatio apprime in criminalibus congruit, ubi Rei semper metu coacti comparent, & adversus Judices criminales protestationes emittere pavescunt.

3 Et quamvis in criminalibus causis litis contestationem non servari, scriptum reliquerit Marc. Ant. Blanc. *in practic. crimin. §. mortuo homine num. 6.*, ejus tamen opinio nonnisi cum modificatione intelligenda venit, quod nempe litis contestatio minime fiat cum solemnitatibus servari solitis in causis civilibus; Verumtamen per interrogationem Judicis, & responsionem Rei, induci in criminalibus litis contestationem, esto quod per accusationem procederetur, & Accusator absens esset, tradunt *Bald.*, *Clar. Farin.*, & alii apud *Pellegrin. in praxi Vicar. part. 4. sect. 9. num. 55.*, ubi latius explicat, *& Majoran. in opoprax. criminal. lib. 2. cap. 2. n. 5.*

4 Hoc prænotato, quæstio insurgit; Utrum recusationis exceptio proponi debeat ante illas exceptiones, quæ judicium infirmant, & prorsus illud evacuant, ut est exceptio incompetentiæ, & fori declinatoria? Omissa latiori disputatione, de qua late *Andreol. controv. 430. num. 22. & 23.*, veritas est, quod recusationis exceptio, licet non proposita antedictas exceptiones, opponi quoque postea valeat, etiam si fuerit secuta super competentia Judicis sententia, Fundamentum est, nam qui Judicis incompetentiam opponit, Jurisdictionis carentiam apponit, unde nihil habet quod eum recusare primo debeat, quia non entis nullæ sunt qualitates ex *vulgatis*, idcirco cum de illius competentia pronunciatum fuerit, quia reducit Jurisdictionem ad suum esse, jure merito post sententiæ competentiam, recusationis judicium instituendum videtur; exceptio enim, tu non es meus Judex competens, semper præcedit recusationis exceptionem, quæ in Judice supponere debet competentiam, & Jurisdictionem, ex doctrina *in l. exceptione C. de probat.*, & ita firmant, *Pacian. de probat. lib. 2. cap. 45. num. 19. & seqq.* ac cæteri relati a *Carol. Anton. de Luca in praxi Judic. cap. 19. n. 4.*

5 Hic autem incidenter inquiritur, an Judex possit se ipsum reddere suspectum, se a cognitione causæ abstinendo, absque eo quod a Partibus recusetur? Negative respondent *Michael. Ferrer. in part. 3. observ. cap. 513. Anton. Faber. in Cod. lib. 3. tit. 4. defin. 1. Mastrill. decis. 151. nu. 20. part. 2.*, ea ratione, quod Judex abstinere se non debem ab ejus muneris exercitio, nisi recusatus, secundum *Bald. in l. unic. num. 4.*, *C. si quacumque præd. potest.*, esto quod esset unius ex litigantibus consanguineus, ea ratione, quod cum recusatus minime fuerit, altera in eo confidit Pars; *Rebuff. in tract. de recus. artic. 2. Gloss. 1.*, *Topia in lib. 3. de Iur. Regn. tit. de suspect. offic. num. 25.*, ubi ita decisum refert, ac pariter judicatum testatur *Mastrill. ind. decis. 151. num. 16.* loquendo de consanguineo alterius Partis in primo gradu, qui non fuerat recusatus ab altera Parte, quæ hujusmodi consanguinitatis plenissimam scientiam habebat.

6 Nota, quod Judicis recusatio opponi potest non solum per se, sed etiam per Procuratorem; verum in hoc casu requiritur speciale mandatum, restrictum ad certam causam, & ad certum Judicem recusandum, alias generale non sufficeret, ut est Textus *in l. 39. §. final. ff. de procur.* ibi — *nec facile per Procuratorem quis suspectus accusabitur, quoniam famæ causa est, nisi constet ei mandatum nominatim*, *& in l. 3. §. Procurator ff. quod quisq. Iur.*, *Thomas Vaus alleg. 96. in 19.*, *Merla in empor. Iur. tit. 2. num. 179.*, *& post alios Hiltropium de Process. Iudic. par. 2. tit. 13. per tot.*, Hinc non tuta videtur opinio eorum, qui admittunt mandatum generale cum potestate Judicem recusandi, de qua *Fontanella decis. 4. num. 13.*, *& Cancer. var. tom. 1. cap. 21. num. 46. & seqq.*

7 Hinc ex eodem fonte descendit, quod Procurator absque speciali mandato, domino præjudicare nequit, consentiendo in Judicem suspectum, licet impartita esset illi facultas in ventre mandati comparendi coram quocumque Judice, ut in individuo firmant *Golin. de Procur. part. 2. cap. 5. num. 99. & 102.*, *Mansuis. de Procur. num. 208.*, *& Carleval. de Iudic. tom. 1. disput. 2. nu. 1143.* ubi DD. ad saturitatem cumulat.

8 Pro coronide adverte, quod Judex, cujus culpa suspicionis causa expedita non fuit, Partibus ad interesse tenetur, ex doctrina *Bartol. in l. final. n. 2. ff. de var. & extraord. cognit.*, *Barbos. ad ordinat. Reg. lib. 3. tit. 21. §. etiam 21. num. 2. Farinacc. quæst. 111. num. 538. & 555.*

9 An Barones valeant cognoscere suspiciones eorum Officialium? Pro affirmativa concludit *Rovit. in pragm. 2. de suspec. offic. num. 2.*, Pro negativa *Caravit in rit. 265. num. 2. & 3.*; Adeatis *Novar. de gravam. Vassall. lib. 3. gravam. 32.*, *& Ricc. in collect. decis. 1612.*

Ad

Ad Tit. 111. §. 15. n. 91., & seqq.

Qui Recusari possunt.

OBSERVATIO XI.

SUMMARIUM.

1. *Excommunicatus an Judicem recusare possit?*
2. *Recusans in judicio recusationis pro Reo habendus est.*
3. *An Monasterium, Capitulum, vel aliud Collegium, seu universitas Iudicem causa Inimicitiæ recusare valeat?*
4. Excomunicatio in *Universitatem proferri nequit.*
5. *Explicatur quæstio.*
6. *Recusatio unius Correi suffragatur aliis in delicto individuo.*
7. *Quis nam dicatur Iudex ingratus, de quo loquitur* Iustinianus *in auth. de exhib. Reis.*
8. *Recensentur qui Iudices sunt ingrati, seu malæ gratiæ.*
9. *Omnes Iudices recusari posse, pro regula firmatur.*
10. *Iudices supremi distinguuntur ab Inferioribus.*
11. *Quid de Iudice Ordinario an recusatur?*
12. *Quandoque de Iure Canonico datur Ordinario Adjunctus.*
13. *Examinatur in hoc Iuris civilis dispositio.*
14. *Sed an Ordinarius, cui commissa fuit aliqua informatio, recusari possit?*
15. *Delegatus, ex utroque Iure recusatur.*
16. *An Prorex, seu alterius Provinciæ Præses recusari valeant.*
17. *Quando Episcopus suspicionis nota affici possit.*
18. *Qui alii recusari, & tanquam suspecti habendi sunt, remissive.*

1 DIfferte examinat *in hoc* §. per plures distinctas quæstiones *Cl. Auctor*, qui recusari valeant, & nequeant in Judicio Regulari: cujus exemplo, nonnullis præmissis quæstionibus, qui recusari possint, nec ne tum in foro Seculari, tum Ecclesiastico disquiritur in presenti observatione. *Et primo dubitatur*, utrum Excomunicatus Judicem recusare valeat? Ratio dubitandi est, quia excommunicatus incapax est standi in Judicio tanquam Actor, *ex cap. exceptionem, cap. cum inter, §. fin. de except. & cap. decernimus de sentent. excomm. in 6.*, Verum in contrarium est veritas, nempe ab Excomunicato Iudicem recusari posse, siquidem præsumendum minime est, Sedem Apostolicam Excomunicato denegare recusationis remedium, a Jure naturali, tanquam defensionis speciem introductum, ut respondit *Innoc. III.* Monachis Farsen, relatus *in cap. cum inter 5. de except.* ibi — *Procurator Monasterii allegavit Parti ejusdem Nobilis (cum esset VINCULO EXCOMUNICATIONIS adstrictus) exceptionis hujusmodi beneficium interdictum; Inquisitioni vestræ duximus respondendum, quod prædicto Nobili legitima defensio in Judicio reservatur, & maxime Judicis recusatio, cum periculosum sit coram suspecto Iudice litigare, ac suspectis Iudicibus Sedes Apostolica causam de certa conscientia non committat, unde in talibus non excomunicati favor attenditur, sed æquitas Iudicantis*; subdens ibidem Summus Pontifex in §. Porro — *Porro cum excomunicato, quando in causa absolutionis existit, non sit justa deneganda sententia, nec interdici debeat eidem appellationis remedium, si contra justitiam condemnetur, qua ratione in uno, eodemque negotio ipsi alia subtrahantur suffragia, non videmus*, & in hunc sensum conveniunt *Hostien. in d. cap. 5. n. 6., Bald. in princip., Butr. num. 3., Anchar. & Abb. num. 3.*, quos refert, & sequitur *Anton. Ricciull. de Iur. person. extr. gremi. Eccles. exist. lib. 4. cap. 33. n. 12. & seqq.*

2 Neque ratio dubitandi refragatur, enim vero licet inter se dissentiant DD., an in causa recusationis Recusans, pro Actore, vel Reo haberi debeat? Communis tamen sententia est, quod potius Reus sit, quam Actor, alioquin Excomunicatus tanquam Actor recusare haud posset, ita concludunt *Merend. lib. controvers. 22. cap. 26. num. 5., & Amat. Consil. 27. per tot.*; licet Rovit. *in decis. 81. num. 14.* in eam partem inclinet, quod in hujusmodi casu Excomunicatus non voluntarie agit, sed necessario, & causative periculo coactus, quod litigantes sub suspecto Judice subeunt.

3 *Secundo in controversiam vocatur*, an Monasterium, Universitas, Communitas, Capitulum, aut Congregatio Judicem ex causa Inimicitiæ recusare valeat? Pro quæstionis resolutione præmittendum est, quod etsi Universitas, Monasterium, vel & Collegium in se generice loquendo incapax sit inimicitiam contrahendi, ex Rota coram *Seraphin. dec. 531. num. 3.*, nihilo tamen minus Communitas, Collegium, aut Monasterium nomine singulorum recusare Judicem ex Inimicitiæ capite potest, si omnes, vel major illorum pars, inimicitiam cum Judice ducat; ratio est, quia major pars Communitatis illam repræsentat, & factum a majori parte in Collegiis, Capitulis & Universitatibus prævalet, & habetur tanquam sibi ab ipsa Universitate inventum, ex Textu *in cap. omnes de constit.*, *in cap. 1. de his, quæ fiunt a major. part. capit. in l. quod major. pars. ff. ad muncip.*, *in l. nominationum C. de decurion. lib. 10. Ganaver. decis. 37. n. 13.* & sic fundatur causa suspicionis non in abstracto respectu corporis Collegii, vel Universitatis, sed respectu singulorum, vi argumenti de parte ad totum, juxta *Text. in l. quæ de toto ff. de rei vindic.*

4 Hinc quemadmodum in Universitatem in genere sumptam excommunicationis sententia proferri nequit, ex *cap. Romana §. in Universitate ubi, late Barbos. de sentent. excom. in 6.*, bene tamen proferri potest contra Universitatis singulos, eorum nomina exprimendo, quia culpabiles reperti sunt, *Ugolin. de censur. lib. 1. cap. 26. n. 4. Cortiad. cum aliis per eum adductis decis. 27. n. 52.*, ita a simili etsi Universitas ex capite Inimicitiæ genericæ Judicem recusare non valeat, tamen ex capite Inimicitiæ singulorum bene poterit Iudicem recusare.

5 Addo insuper, quod si Iudex sit Inimicus Communitatis, Collegii, seu cujuscunque alterius Universitatis ex causa tangente Universum Ordinem, poterit ipsum Iudicem Communitatis, seu Collegii nomine recusari, vel quia Iudex voluit Collegium, seu Religionem ingredi, & non fuit admissus, vel jam admissus fuit ejectus contra suam voluntatem, vel nomine Collegii, seu Ordinis recepit injuriam in Persona, vel damnum in bonis, quia tunc totius Communitatis, seu Ordinis Inimicus censetur, & tanquam talis removeri potest, ut ex *Petra tit. 265. n. 162.* tradit *Carol. Anton. de Luca in prax. Judic. cap. 19. n. 16. versic. si Iudex fol. mihi 86.*

6 Ter-

6 *Tertio quæritur*, quoties existunt plures Correi, ex uno, & individuo delicto, an Judex per unum ex Correis recusatus, haberi quoque debeat suspectus in tota causa, etiam quo ad alios Correos? Et affirmative respondendum est, exemplo appellationis, quæ interposita ab una, eademque sententia condemnatoria plurium, cæteris prodest Condemnatis in causa communi, & pro crimine junctim admisso, ex *Text. in l. 1. C. si unus ex plurib. ubi late Barbos. in l. si quis separatum §. final. ff. de appellat. 2. q. 6. Mendes. in praxi p. 1. lib. 3. cap. 20. & Pereyr. de revis. cap. 85. & 87. per tot.*, atque in hunc sensum apprime congruit regula deprompta ex Text. *in cap. super eo 12. de appell.* ubi appellatio, & recusatio pari passu procedunt.

7 *Quarto in dubium revocatur*, quis ille dicatur Iudex ingratus, de quo loquitur Iustinianus in §. *illud quoque Auth. de exhibend. Reis in illis verbis --sub Judice constitui forsan suspecto, & forsan ingrato:* Respondet Rovitus *in pragmat. 1. de suspic. offic.*: quod verbum illud *ingratus* idem importat, ac esse de mala gratia, hæc subdens verba *n. 72. Imo Judex est allegandus suspectus, nedum quando de eo suspicatur aliquid mali ex ejus qualitate, sed etiam quando est simpliciter ingratus, hoc est de mala gratia, quod Ego intelligo cum grano salis, scilicet ut non sufficiat sola illa mala gratia ad justam causam recusandi Iudicem; nam si hoc esset satis, pauci Iudices remanerent ad judicandum; sed ut Pars, quæ habet Iudicem sibi ingratum, & de mala gratia possit investigare aliquam juxtam causam illum recusandi, & sic erit consilium, ut Iudex ingratus*, idest non gratus, sed malæ gratiæ *recusetur, non autem est legitima causa recusationis per se*.

8 Quinam autem sint Iudices malæ gratiæ ex aspectu cognoscuntur, & ex Phiseognomia naturali recepta, intellige quo ad puras inclinationes probabiliter, quæ vinci possunt per contrariam bonam consuetudinem, vel frænum rationis, illa scilicet quæ ex pilorum, & membrorum corporis, colore, habitudine, & proportione, temperie, valetudine; quædam etiam de moribus, ingenio, & animi affectionibus indicat, ut legitur apud *Hippocr.*, *& Galeni lib. 6. phisiol. Aristot. lib. de natur. signis ad Polemon. Wipian. lib. de sign. cap.* 8. 9. 10. nam hæc scientia est naturalis, quia ex effectu naturali potest argui causa ejus, ad tradita per *Aristot. lib. 2. Physiolog.* Hinc Pytagoras ex faciei inspectione discipulos admittebat, & reprobabat, teste *Aulio Gellio noctium acticar. lib. 1. cap. 9.* Et de specialibus signis *Saturninis*, *Jovialibus*, *Martialibus*, *Solaribus*, *Venereis*, *Mercurialibus*, *& Lunaribus* plenius agit *Torreblanc. de* Magia *lib. 1. cap. 9. de divinat. Physeognom.*, & prolixius *in tract. de Iur. spirit. lib. 7. cap. 7. per tot. signanter a num. 22.*, *& seqq.* ubi a capite ad pedes physeognomiam latissime explicat.

9 Superius præmissis quæstionibus, modo descendendo ad eos, qui recusari possunt, regulam constituo affirmativam. Omnes cujuscumque sint generis Judices, ut suspectos posse declinari, Jura sunt manifesta, tum in corpore Juris Canonici, *Cap. licet de for. compet.*, *cap. cum speciali*, *cap. postremo*, *cap. secundo requiris de appell.*, *cap. legitima de appell. in 6.*, *cap. suspicionis*, *cap. causam quæ*, *cap. insinuante de offic. & potest Iudic. deleg.*, *cap. Iudex de offic. deleg. in 6.*, *cap. 2. ut lit. non contest. cap. cum. inter de except.*, *& cap. quod suspecti 3. quæst. 5.*, tum in corpore Juris civilis, Text. *in l. apertissimi*, *& l. final. C. de Iudic.*

10 Sed pro majori dilucidatione præmittendum est, quod Judicum alii sunt Supremi, Superiorem non recognoscentes; alii Inferiores, & horum alii Ordinarii, alii Delegati, nec non cæteri, in quos cadat Justitiæ administratio, ex ponderatis *per Marium Mut. in pragm. Regni Sicil. tit. 4. de recus. Iudic. num.* 28. Certum autem est, Principes supremos nulli subjectos, recusari non posse; cum enim ipsi superiorem Iudicem non habeant, a quo possint judicari, hos recusare, non esset, nisi recusare Judicium, & a nullo velle judicari; ipsi namque quoties inordinatus amor impelleret, aut odium, per se ipsos, vel per alios ita agere tenentur, ut coram Deo, & coram hominibus eorum justitia appareret, omneque scandalum tolleretur, & eorum judicium undequaque æquitate splenderet; hoc namque modo ostendunt, quod Supremi Principes nec odio, nec amore ad judicandum moventur, ut optime tradunt *Pereyr. de revis. cap. 60. num. 6.*, *Barbos. ad rubric. ordin. lib. 3. tit. 21. n. 4.*, *& Pegas ad princip. ordin. lib. 1. tit. 9. n. 2.*

11 Quo vero ad Inferiorem Judicem Ordinarium contradistinguitur Jus canonicum a Jure civili; *De Iure canonico* Ordinarius, sive sit Judex civilis, sive criminalis recusatur in totum, nec ei admittitur Adjunctus per Jura superius expressa, ut præter adductos a *Farin. in fragmen. crimin. verbo Iudex n. 687.*, tradunt *Carafe. ad leges recopil. cap. 9. n. 94. & 95.*, *Morla in empor. Iur. par. 1. tit. 2. in præmiss. n. 175. & seqq. Xamar. de offic. Iudic. part. 1. quæst. 14. n. 118.*, *& Brart. in specul. visit. cap. 6. post n. 5.*

12 Quandoque tamen etiam Jure canonico attento, datur Ordinario recusato Adjunctus per Signaturam Sanctissimi, tam in Romana Curia, quam extra, subsistente legitima causa, ut testatur *Mandos. in praxi commiss. 8. verbo Adjunctum*; Hinc in causa quadam Mediolanen. quia Vicarius Archiepiscopi allegatus fuerat *suspectus*, de ordine Sanctissimi mandatum fuit, ut scriberetur S. Carolo Borromeo tunc Archyepiscopo, ut Vicario daret Adjunctum confidentem Reo convento, juxta relata per *Fagnan. in cap. nostr. nu. 22. de elect.*, *& Passerin. in praxi crimin. qu. 3. artic. 3. num.* 36.

13 At de Jure civili JudexOrdinarius non recusatur in totum, sed ei datur Adjunctus, nempe alius Vir bonus non suspectus, qui causam simul cum Recusato Judice cognoscat, & judicet, ut præscribit Justinianus *in auth. si vero contigerit C. de Iudic.*, Gloss. *in l. apertissimi verbo Iudices C. de Iudic.* DD. longa serie relati *per Farin. loc. cit. nu. 733. & 736.* Qui Adjunctus Judici suspecto datur, vel a Superiore, ut cum ab Episcopo datur Adjunctus Vicario suspecto, vel Judex ipse ordinarius sibi adjungit Socium, ad tradita per Fermosin. *in cap. si quis contra de for. compet. quæst. 1. num. 42. & quæst. 12. nu. 2.*, vel secundum praxim locorum, & statuta municipalia Judici adjungitur, ut subdit *Passerin. in d. art. 3. num. 35.*, qui *num. 37.* nonnullos recenset casus, in quibus etiam de Jure civili Ordinarius in totum recusatur, eique non datur Adjunctus; concludens quod quoque de Jure civili arbitrarium est, vel dare Adjunctum Judici suspecto, vel eum in totum tollere.

14 Sed insurgit quæstio non spernenda, utrum JudexOrdinarius, cui commissa fuerit aliqua informatio ad effectum informandi super aliqua re, vel de-

licto

licito recusari valeat? Pro affirmativa stat *Escobar. in tractat. de purit. part. 1. quæst. 6. §. 6.*, & cum *eo Bovadill. lib. 3. politic. cap. 8. nu. 125.* ea ratione, quod quemadmodum hujusmodi Informator ex sua informatione aliquem gravare valde potest, ita recusatio admittenda ex regula, quod omnis gravare valens recusari potest, *Præposit. in cap. cum parati num. 22. de appellat.* quæ opinio mihi placet, rejecta contraria, quam substinere conatur *Pegas ad ordin. lib. 1. tit. 5. §. 13. gloss. 17. num. 5. & sequent.*, in eo se fundans, quod hæc causa non pendet in Judicio, nec proprie est causa, sed actus est extrajudicialis; Verum, salva illius pace, ratio hæc non concludit, siquidem ex hujusmodi actu extrajudiciali quis magnum incommodum, & præjudicium reportare posset a suspecto Informante.

15 Nunc deveniendo ad Delegatum, ex utroque Jure hic recusari potest, quoties in aliqua causa delegatus extiterit, etiam si commissio sibi a Supremo Principe directa fuerit, ut de Delegato Summi Pontificis definitum est *in cap. Judex de offic. delegat. in 6.*, *&* de Delegato Imperatoris extat *Textus in l. apertissimi C. de Iudic.*: excipe Delegatum ad Universitatem causarum, siquidem cum hic habeatur ad instar Ordinarii, eadem conveniunt, quæ tradita sunt de Judice Ordinario, ut illi detur Adjunctus, *Fermosin. in cap. si quis contra quæst. 9. num. 3. de offic. delegat.*, *Passerin. in dicto artic. 3. nu. 32. & 39.* ubi alios recenset.

16 Sed an Prorex alicujus Regni, aut Præses Provinciæ possit ex justa suspicionis causa recusari? Pro affirmativa latius, & diserte quæstionem examinat *Ioseph. Ramon. in consil. 3. post num. 28. & seqq.* videndus, nam nonnulla alia notabilia refert.

17 Etsi verum sit, Episcopos, & alios Judices Ecclesiasticos recusari posse, justa suspicionis concurrente causa, *ex cap. 4. de offic. deleg. & cap. 67. de appell.*; hoc tamen locum sibi non vindicat in Episcopo visitante, tam si aggrediatur generalem, quam specialem Visitationem, ita namque resolutum per S. Congregationem Concilii refert *Fagnan. in cap. conquerenti nu. 37. de offic. Ordin.* dummodo tamen sine strepitu, & figura Judicii procedat, nec excedat in corrigendo, *Passerin. loc. citat. nu. 38. versic. colligitur*.

18 Alii supersunt qui recusari solent, ut Legati a latere, Regis Auditores seu Senatores, Inquisitores, Concilia Provincialia, & similes, sed ne recusationis conficiam tractatum, consule *Ramon. in d. consil. 3. Farin. in fragm. litter. 1.*; *Passer. Sciuloy. de for. suspect.*, *Carocc. de except. 120. & alios* de recusatione prolixius tractantes.

Ad Tit. 3. §. 15. qu. 6. n. 120.

Quæ Causæ censeantur Frivolæ in Recusatione.

OBSERVATIO XII.

SUMMARIUM.

1. *Causæ frivolæ, & non legitimæ in recusationibus tolerandæ minime veniunt.*
2. *Alloquutio ad aures Judicis an dicatur causa frivola, vel legitima?*
3. *Judex Advocatum in causa audire nolens quando recusatur; quid in Procuratore.*
4. *Renuens Partem salutare quando recusari valeat?*
5. *Disseritur quando appellatio inter causas recusationum numeretur?*
6. *In notoriis, & manifestis recusatio non admittitur.*
7. *Declarantur Textus* in cap. 6., & 24. de appellat.
8. *Convivii occasione an Judex suspectus haberi possit?*
9. *Ex libello, vel scriptura injusta rejecta, Judex non allegatur suspectus.*
10. *Recusari nec minus poterit si aliquando cum Parte luserit.*
11. *Quid dicendum de Judice, cujus Jurisdictio fuerit declinata, an suspectus habendus ei sit?*
12. *Quando ex actu carnali cum muliere recusatio Judicis locum obtineat.*
13. *Remissive enumerantur legitimæ recusationis causæ.*
14. *Notarius cum iuramento suspectus allegari potest.*

An hodiernis temporibus in Urbe, & statu Ecclesiastico, eligi in recusationibus soleant Arbitri? remissive.

Inseritur celebre responsum eximii Iurisconsulti Viti Scaramuccia super Xeniis, & muneribus datis substitutis Notariis.

1 AD dignoscendum, quæ causæ dicantur Frivolæ, & haud legitimæ ad Judicem recusandum, ad effectum ut Iudex Recusationi non deferat, & pronunciet, causam esse frivolam, iuxta hic docte ponderata per Auctorem; opportunum duxi nonnullas referre, ne recusationis remedium umbraculum esset injustis recusationibus in dedecus Judicum, & Partium damnum; utque Judices frivolis recusationibus aures minime præbeant, ad tradita per *Abb. in cap. cum speciali de appell.*, *Paz. in praxi par. 1. cap. 6. num. 23. tom. 2.*

2 *Primo* Frivola judicanda erit causa, si Pars ad aures Iudicis alloquatur, quoties Judex non esset ex Inferioribus, sed ex Supremis Principis Tribunalibus, seu ex aliquo Senatu, ob rationem a Iurisconsulto expressam in *Leg. unic. §. his cunabulis ff. de offic. Præfect. Prætor.* ibi -- *Credidit enim Princeps, eos qui ob singularem industriam, explorata eorum fide, & gravitate, ad hujus officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos esse pro sapientia ac luce dignitatis suæ, quam ipse foret judicaturus*; Fides enim, & gravitas hujusmodi Officialium removet penitus quamlibet suspicionem ex simplici allocutione ad aures forsan male perceptam, imo etiam in Inferioribus Judicibus talis allocutio nec minus suspicionis præbet adminiculum, quoties Judex patefecisset publice, quod sibi ad aures alloquutum fuerat, ut perbelle docet *Francisc. Carafa. ad leg. Recopil. cap. 9. num. 197., & 315.*

3 *Secunda* frivola quoque habenda est, cum Judex recusatur, eo quod Advocatum in causa audire nolit, ad tradita per eumdem *Caraf. loc. citat. n. 317.* cujus verba hæc sunt -- *Reprobandus est Maranta dum inquit, recusari posse Judicem, qui non vult audire Advocatum in causa, etiam si sit clara, quia nec de forma, nec de substantia Justitiæ est audire Advocatos, maxime quando lites sunt claræ; nec distinctio, nec regula constitui potest, quando claræ sunt lites, vel obscuræ, & ita potius ad dictamen conscientiæ ju-*

judicandum, *quam ad recusationem sunt prædicta et lucenda*, *arg. a n. gloss. in cap. statutum §. Assessor verbo relinquitur de rescript. in 6.*; *Nam quemadmodum Conscientiæ Judicis ibi relinquitur*, *an sit necessarius ei Assessor*, *pari modo relinqui*, *hoc debet*, *an sit necessaria informatio Advocati*, *nec de hoc*, *si denegatur*, *conqueri Pars potest*; At meo judicio hæc Carafc. doctrina cum grano salis intelligenda est, ut procedat tantum in Advocato, qui informare intendit Judicem in Jure, non autem in Procuratore ad Judicem accedentem, ut sibi factum maxime illi ignotum pandat; etenim Judex supplere potest in his, quæ sunt Juris, non vero, quæ sunt facti, *ex vulgatis*, alias audire facta, quæ proponuntur, audire requens, defensiones tollere videtur, & maxima suspicione notatur.

4 *Tertio* pariter inter Frivolas adscribit *Carafc. d. cap. 9. num. 316.*, quæ insurgit eo, quod Judex salutatus non respondeat, non enim inquit ob tam levem causam debet Jurisdictionis exercitium removeri, cum salutatio consistat in mera Urbanitate, & non necessitate. Verum hæc *Carafc.* opinio indistincte amplectenda non est, sed restringenda quoties Judex antea solitus esset illum salutare, nam inde, differendo salutationem, Inimicus censendus est, & merito recusatur, ad tradita per *Barbos. in cap. cum Hadrianus num. 1. & 2. distinct. 64.*, ubi ex *gloss. ibi Verbo ad salutandum* tradit signum esse inimicitiæ, quando is qui salutare consueverat, non amplius salutat, subdens ex *Mastrill.*, *Gratian. & aliis ibidem allegatis* Judicem in hoc casu justa de causa recusari posse; atque in hunc sensum loquitur *Aufrer. in tract. de recusat. Judic. num. 41.* ibi -- *Intelligunt Doctores*, *quando consuetus erat salutare*, *vel si salutatus consueverit respondere*.

5 *Quarto* Monet *Carafc. num. 312.* Frivolam, imo frivolissimam existimat causam, exortam ab interposita appellatione, nam non ideo (censet) in aliis causis eumdem Judicem recusari posse, quia Judici appellando non fit injuria; sed pace dicti Doctoris ejus sententia nec minus indistincte amplectenda venit, quippe pendente appellationis causa licite recusatio excitatur etiam in Ordinarium, ut expressis verbis præscriptum legitur ab *Alexandr. III. in cap. ad hæc de appellat.* ibi -- *Ad hæc si in una causa quis appellaverit*, *& pendente appellatione aliquod crimen committat*, *vel prius commisisse dicatur*, *vel modo etiam accusatur*, *aut conveniatur de aliis rebus per qua non sit appellatum*, *& illam proferri contingit ad audientiam Judicis a quo in alio negotio appellavit*, *eum potest si voluerit tamquam suspectum vitare*, ET IN CAP. PROPOSUIT 24. eod. tit. ibi -- *Proposuit nobis M. Clericus*, *quod sæpe contingit*, *ut cum aliquis super aliqua causa appellat*, *in aliis causis*, *in quibus non est appellatum*, *respondere recuset*; *super quo consultationi tuæ taliter respondemus*, *quod licet per illam appellationem non minus teneatur in aliis*, *super quibus appellatum non est*, *respondere*; *Judex tamen*, *a quo appellatur* (*quia illi omnino suspectus est*) *eum non debet ad respondendum super aliis compellere*.

6 Et quamvis ibi subdat Summus Pontifex -- *Nisi pro crimine adeo gravi*, *& manifesto*, *quo ipso actu merito sit damnandus*, nihilhominus ibi recusationem limitat ratione notorietatis, & manifesti, non ad correctionem regulæ, Nam in notoriis, & manifestis recusationi locus non est; sicut nec appellationi, *ex cap. cum sit*, *& cap. consulit. de appellat.*, *gloss. in d. cap. proposuit verbo Manifesto*.

7 Advertit glossa tamen in *eod. cap. proposuit 24. verbo non debet in med.*, quod recusatio, de qua loquuntur *præfati Textus*, pendente priori appellatione est in pendenti; nam si pronuncietur *bene appellatum* apparet, quod eum gravavit, & sic admittitur recusatio in secunda causa; si autem pronunciatur *male appellatum*, apparet, quod illum non gravavit, unde remittitur ad primum Judicem, *ex cap. cum in Ecclesiis*, *& in cap. ut debitus eod. titul.*, quo casu non poterit eum recusare in alia causa, & hanc eamdem distinctionem amplexus est *Auctor noster in tit. 2. §. 2. post num. 47. versic.* Tertia causa, ubi doctæ discurrit, sed de hoc late *tractat. Aufrer. loc. citat. num. 44. & seqq.* quamplurimas superaddens declarationes; quapropter in casu superius præmissu, proposita per Appellantem recusatione ratione appellationis pendentis, mandari debet Judici Recusato; ut supersedeat in procedendo in altera causa, usque ad exitum causæ appellationis, qua inde terminata, pronunciabitur, an Recusationi locus esset, nec ne, considerata resolutione super appellatione, an bene, vel male appellatum extiterit.

8 *Quinto* Frivola censenda est recusationis causa, que promovetur prætextu convivii in aliquo Monasterio, vel domo honesta, tum maxime si fiat occasione officii potius, quam Personæ ob auctoritatem dignitatis; vel Officii, quia ex hoc non contrahitur amicitia considerabilis ad recusandum, cum debeat esse magna, & non ordinaria, ut ex doctrina *Abbat.*, *Calderin.*, *Tusch.*, *& aliis docet Carafc. d. cap. 9. num. 319. & 320. & nu. 321.*, ubi quod quæcumque fiunt ratione officii publici sive a Parte, sive a Judice, non præstant recusationis causam; & in hoc sensu concordat etiam *Aufrer. in d. tract. de recusat. Judic. num. 1.* nam requirit, ut Judex sit nimis amicus Partis.

9 *Sexto* Frivola, & non admittenda erit recusationis causa, si Judex libellum, vel aliam scripturam injuste, & male conceptam respuat, vel non recipiat; quia ei hoc licet, quando ei talia offeruntur, que admitti non debeant, ex doctrina gloss. communiter recepta *in l. 1. ff. de offic. assess. in verbo libellis*, idem est si aliqua verba corrigat, vel deleat, ut legi non possint, si cum injuria fuerint scripta, vel Judici, seu Parti adversæ aliquod sequatur obbrobrium, quod non faciat ad Justitiam proferentis, quia Jure, & lege permittente fit, *Carafc in dict. cap. 9. num. 323.*

10 *Septimo* Frivola causa erit, si Judex aliquando cum Parte luserit, nam ex hoc etiam si semel, & bis pluriesque luserit cum aliquo ex litigantibus, non exinde poterit recusari, quia non agitur de amicitia contrahenda, sed de ludendo, & lucrando, & quod principaliter agitur attendendum est; *l. si quis nec causam ff. si certum petat*, *cum similibus*, sic non veniet in considerationem lusisse, vel non cum litigante, nam aut lucratur, & propria sorte, & artificio lucrari existimat, aut amittit, & potius indignationem sumit in Vincentem; Si tamen gravis causa est, (admonet *Carafc. loc. citat. num. 324.*) melius est, ut, lite pendente, Judices se abstineant ab hujusmodi rebus, ne forsan scandalum, vel saltem invidiosa suspicio oriatur inter Partes, quæ delicate, & maxima calliditate solent ad Judices, & eorum motus attendere, & prospicere.

11 *Octavo* Frivola causa erit, si Judex recusatur eo sub prætextu, quod ab ejus Jurisdictione sit decli-

clinatum, nam Judex in cognoscendo, an sua sit jurisdictio, suspectus non redditur, ex ponderatis per *Laurent. in tractat. de Judic. suspect. cap. 1. num. 6.* Declara tamen ad instar eorum, quæ superius dicta sunt de appellatione; Siquidem si pronunciatum fuit, non esse in illa causa competentem, & bene declinatum fuisse, utique poterit in alia causa suspectum haberi, prout etiam recusari poterit, pendente discussione articuli super declinatoria, & Judex superior mandare debet Recusato, ut se abstineat, & supersedeat, usque ad exitum illius articuli, *juxta hic superius tradita num. 7.*

12 *Nono* existimat *Carasc. in d. cap. 9. post n. 358.*, quod frivola erit causa recusationis, si opponatur, Judicem solutam, vel conjugatam Mulierem carnaliter cognovisse; nam ex hoc, si non sit frequens, & assidua ejus conversatio cum dicta Muliere, non poterit ex dicto unico concubitu recusari; subdit tamen, quod hoc cogitandum relinquit, ut visis, & consideratis circumstantiis, Superiores arbitrentur; etenim si Judex eamdem Mulierem maximo prosequitur amore, causam non video cur recusari non possit.

13 Pro complemento notabis, quod suspiciones frivolæ, & frustratoriæ dicuntur omnes illæ, quæ non sunt in Jure expressæ, nec majores, nec similes illis, *Carocc. de except. cap. 122. num. 41.*, Hinc in Jure expressas duodecim enumerat *Jason. in l. apertissimi num. 5. & seqq. C. de Judic.*; quadraginta recenset *Philip. Franc. in cap. postremo num. 20. de appellat.*; totidem congerit *Marant. de Ordin. Judic. part. 6. de appell. num. 27. & seqq.*; quinquaginta quinque *Bertachin. in tractat. de Episcop. lib. 4. part. 4.*; octuaginta quatuor *Novar. in prag. n. 15. collect. 6. num. 46., de suspicion. official.*; nonaginta novem *Carasc. ad leg. recep. cap. 9. num. 96.*, & nonaginta tres *Anfrer. in tractat. de recusat. Judic. per tot.*

14 De Notario, seu Scriba causæ, quod possit etiam recusari simplici juramento dato coram Judice, *ex Rota* docet Auctor in *dicto tit. 3. num. 119.*, & an hodie in Urbe, & toto Statu Ecclesiastico fiat electio Arbitrorum pro decidendis recusationum causis? Vide *Farin. in fragment. crimin. liter. I num. 929.*, *Scacc. de Judic. lib. 1. cap. 101. n. 28. & Passerin. in cap. si contra num. 4. de offic. delegat. in 6.*, *& in praxi quæst. 3. num. 150.*

15 Occasione, quod de Notariis mentio in hac observatione facta sit, inserere existimavi celebre responsum *eximii, & clarissimi Jurisconsulti*, *Viti Scaramuzza*, e Regno Neapolis oriundi, (in quo semper celeberrimi Jurisconsulti floruere) olim Primi Almæ Urbis Gubernatoris in criminalibus Locumtenentis super Xeniis, donis, seu muneribus, quæ ex liberalitate illustrium Personarum dantur Notariis substitutis post completos Processus, an pertineant ad Notarium Principalem Officii criminalis Conductorem?

DUBIUM.

An Xenia, dona, seu munera, quæ ex liberalitate Illustrium Personarum, completis Processibus dantur Notariis substitutis Officii Charitatis, sint in fructu nec ne? proindeque an ipsis acquirantur, vel potius ad Notarium ipsum Conductorem Officii pertineant?

RESPONSUM PRO VERITATE.

Effractis nocturno tempore de mense Aprilis labentis anni, non minus tecto domus Illustrissimi Domini Rutilii Parracciani, quam subregulano cellæ vestiariæ tabulato, subtracta eidem fuerunt complura vascula argentea, cum avito stemmate, Clava scilicet Cardinalitia, eius claræ mem. dignissimi Patrui, quatuor candelabra striata, seu ut vulgus appellat, scannellati, totidem triangularia, decem lances, pollubrum cum suo aquali, pyxis denique saponaria, excedent. in totum valorem scut. 1000.

Latuit quidem aliquantulum improbissimus fur, tempusque habuit, res partim distrahendi, partim alio asportandi; verum quia in præsens sub tanto Principe, cui, ut Poeta accinit, ipsi cuperent servire Catones, tam vigili cura, tantaque gloria Almam Urbem moderatur Illustrissimus, & Reverendissimus Dominus meus Alexander Falconerius, ut nihil officiat benignitati severitas, nihil humanitati potestas, nihil publicæ utilitati disciplinæ gravitas, constructo tandem processu, compertum plane fuit, quis furtum fecerit, quis opem præstiterit, quis aliquot ex rebus furtivis coemerit, quis alias receptaverit, ac distrahendas curaverit; ac nonnullæ quidem, quæ in manus Curiæ pervenerunt, fuerunt Domino restitutæ, aliarum loco, pretium, & quidem in notabili quantitate, sc. 800. fuit persolutum.

Memor propterea idem Dominus accepti beneficii, ex mera animi sui liberalitate, & munificentia, perpensis extraordinariis, & non mediocribus laboribus, in processu Causæ factis per D. Bartolomæum Zannettinum, unum ex Notariis substitutis Charitatis, dono eidem dedit sc. 50. eiusque arbitrio commisit, ut quatenus existimaret, aliquid dandum D. Ceccarello pariter substituto, qui, ipso absente, eius vicem suppleverat, pro libito propriæ voluntatis largiretur; quamvis autem istiusmodi arbitrium, utpote liberum, tam in disponendo, quam in exequendo, importaret effrænatam voluntatem faciendi quidquid vellet, ut ex *Menoch.* monet, & aliis tradit *Barbos. de claus. usufreq. claus. 11. num. 4. in fin.*, & relatis aliis antiquioribus *Farinacc. in repertor. judic. quæst. 44. num. 11., & seqq.* nihilominus noluit Zannettinus illo uti, sed munifice etiam se gerendo, dono dedit eidem Ceccarello sc. 12.

Re delata ad aures D. Io. Caroli de Felicibus Notarii Charitatis, controversiam is excitavit super participatione ex duplici fundamento. Primo, quod ipse habeat Notariatum in Officium publicum a Charitate concessum, ut per eius organum transeant omnia negotia criminalia, ceteri sint ejus substituti, & adiutores, qui ex publica Principis auctoritate, & permissione, ita exigente ipsius Officii natura, ac necessitate, retinentur, non ut nomine proprio acta criminalia conscribant, sed nomine ipsius Officii capitis, ut animadvertit *Card. de Luca in relat. Cur. Romanæ disc. 47. num. 9., & de testam. disc. 78. num. 15., & 16.* Secundo, quod ex processu compilato per D. Zannettinum, nullum emolumentum reportaverit; sicque melioris conditionis

esset substitutus, quam ipse, qui sustinet pondus diei, & æstus; cumque placuerit eidem Illustrissimo Almæ Urbis Gubernatori, eandem mihi pro veritate discrimen iam committere, propterea inter amicissimos judicium laturus, libere illud in scriptis protuleram. *Commodissimum quippe est quam laxissimas habenas habere amicitiæ, quas, vel adducas, cum velis, vel remittas*, ut inquit Cicero in Lælio.

Pendet istiusmodi controversiæ decisio ab examine difficilis articuli, an scilicet huiusmodi dona, Xenia, & id genus munera, fructuum appellatione comprehendantur? Qui quidem cum sit a DD. longa disputatione in utramque partem controversus, operæ pretium erit, quo res tota ex certissimis juris nostri principiis patescat, & dispares illorum sententias, & fundamenta, quibus innituntur, breviter recensere.

Prior itaque Sententia illorum est, qui arbitrantur, istiusmodi dona nihil commune habere cum fructibus, proindeque adveniente casu restitutionis, restitui non debere, neque fructuum conductori, aut emptori consignari.

Sic in terminis, Episcopi, alteriusve Prælati, qui locavit fructus sui Episcopatus, vel Prælaturæ ad decennium, vel aliud tempus, orta controversia, utrum Episcopo, an conductori, debeantur Xenia, illi præstari solita occasione jucundi adventus, firmant *Castren. in l. Divortio 8. §. quod in anno ff. solut. matrim. ibi -- Ultimo, iste vers. inducitur secundum Pe. Si Prælatus locavit fructus suæ Prælaturæ ad decennium, vel aliud tempus, utrum conductori debeatur illud, quod consuevit dari Prælato in ejus adventu, & facit iste Text. quod sic. Contrarium dicit Oldrad. fuisse determinatum, quasi iste non sit in fructu, qui reiteratur &c., & quia potius contemplatione personæ censetur dari.*

Sic de Prælato, qui vendidit *Iacob. in l. si proprietati num. 6. ff. de jur. dot. ibi -- Quidam vendidit omnes fructus suæ Præbendæ, vel sui Episcopatus per tempus quinque annor., & Homines illius Terræ, ubi erat Episcopatus, vel præbenda, solebant solvere in jucundo adventu ipsius Episcopi &c. certos capones, vel Xenia; utrum talia Xenia pertineant ad emptorem fructuum? an vero ad ipsum Episcopum &c. Concludit, quod nullo modo pertinent ad ipsum emptorem fructuum; quia in usufructu, solum veniunt ea, quæ ex necessitate debentur, non autem ea, quæ ex voluntate, & gratia --* Quod quidem ex eadem ratione sequitur *Alberic. de Rosat. in l. Usufructu legato ff. de usuf. in fine ibi -- Item quæro de alia quæstione. Quidam vendidit omnes fructus præbendæ suæ, vel Castri ad certum tempus, & de consuetudine consueverat recipere gallinas certas, & alia Xenia, cui veniebat ad locum: quæritur, an emptor fructuum, istas gallinas, & Xenia recipere debeat? Dic, quod non, quia solum videntur vendita, quæ ex necessitate debebantur, non illa, quæ ex mera liberalitate -- Boer. decis. 19. num. 6. ibi -- Et etiam, quod dicit Oldrad. cons. 129. quod si Episcopus omnes sui Episcopatus fructus in censum dederit, quod firmarii accensatores, non possunt capere illud, quod datum fuerit eidem Episcopo pro suo jucundo adventu.*

Sic in puncto Archidiaconi, qui locavit fructus Archidiaconatus *Bald. in d. l. Divortio §. quod in anno ff. sol. matrim. ibi -- Tertio nota, quod id, quod supra ordinariam præstationem præstatur, ut plantatio lignorum in quinquennii fructu connumeratur, & hoc facit ad quæstionem, super qua fuit consultus Oldrad. a D. Papa Io. quia Archidiaconus de Capua, locaverat Archidiaconatum suum, quærebatur, utrum illud, quod præstatur Archidiacono in suo jucundo adventu includatur in illa locatione? Iste Text. est in argumentum, quod sic, tamen non allegatur per Oldrad. sed ipse determinavit contrarium, quia ista præstatio, concernit personam, non autem concernit patrimonium Archidiaconatus &c. Item quia ista dona non sunt uniformia &c. Item quod præstatur in ingressu, non dicitur in fructu.*

Petrus Barbos. in d. §. quod in anno num. 6. ibi -- Ex quo inferebat Bald. hic, quod si Archidiaconus locavit fructus sui Archidiaconatus, quod ad conductorem etiam pertinebit, illud quod extra ordinem præstatur pro suo jucundo ingressu, refert tamen contrarium consuluisse Oldrad. cons. 129. &c. cum qua decisione ipse videtur transire, & eam probat, etiam Alex. hic &c. neque repugnat is Textus, quod, id quod extra ordinem præstatur, tamquam augmentum pensionis datur, & ideo sequitur naturam &c. Est nihilominus advertendum fundamentum Oldrad. ex d. l. Sejo § medico, parum urgere, quia Tex. ille loquitur in illis, quæ extra ordinem Dominus præstabat medico liberaliter; de his enim in generalitate verborum non videtur intellectum. Nos autem agimus de his, quæ ex necessitate præstantur Archidiacono pro suo jucundo adventu, unde generalis conductio hanc præstationem debuit comprehendere, quantumcumque extraordinariam, juxta notata &c. & in speci idem Oldrad. cons. 216. in princ. resolvit, quod, id quod præstatur ex mera præstantium voluntate in bonis, & fructibus Ecclesiæ non computatur &c. Ex alio tamen Decisio Oldradi defendi potest, advertenda, quod illud, quod præstat ut Archidiacono pro jucundo ingressu semel ei datur in vita; unde, cum neque actu, neque aptitudine renascatur, non potest considerari uti fructus juxta regulam, & consequenter non pertinebit ad conductorem fructuum, & quia id datur in honorem Personæ Archidiaconi, unde tamquam Personale, non transibit ad conductorem, nisi id sit expressum.

Novar. de gravam. Vassallor. tract. 2. præclud. 3. num. 13. seqq. ibi -- Unde Jacob in. in l. si proprietat. ff. de iur. dot. merito affirmavit, præstita ex voluntate, & gratia, fructuum appellatione, minime venire; quo in loco ex Oldrad. cons. 129. rationabiliter ejus verat in locatione facta a quodam Archidiacono de omnibus fructibus Archidiaconatus, non venire dona Archidiacono in suo adventu præstari solita &c. ubi, & alias reddit rationes, inter quas illam quoque recenset, quia ipsa dona non sunt uniformia, & ea, quæ certam formam annuæ erogationis non habent, sed incertam voluntatem, in fructu esse non dicuntur ex l. Sejo §. Medico &c.

Sic in puncto Archidiaconi, qui vendidit omnes fructus sui Archidiaconatus, tradidit.

Imol. in d. l. Divortia §. quod in anno ibi -- Item nota, quod in fructu dicitur id, quod præstat semper ordinariam præstationem, & sic facit ad quæstionem de Archidiacono, qui vendit fructus Archidiaconatus, an intelligatur vendidisse in d. venditione illud, quod sibi datur in ejus jucundo adventu, seu ingressu? Iste Text. facit, quod sic, sed contrarium dicit Bald. Oldrad. determinasse per l. Sejo §. Medico infr. ann. legat.

Alexander ibidem in §. ob donationes num. 9. ibi -- Ultimo Bald. cum quo transit Imol., & Paul. hic inducit istum Textum in vers. Item si locatio, ad quæ-

stio-

stionem utrum si Archidiaconus vendidit redditus suos, intelligatur vendidisse illud, quod in jucundo adventu suo, consuetum erat donari a Populo, vel amicis, & sic talis præstatio dicatur esse in fructu, vel redditu, & dicit, quod iste Textus facit, quod sic. Contrarium concludit per l. Sejo §. medico infr. de ann. legat., & ita consuluit Oldrad. conf. 192. Non obstat iste Textus, quia istud, quod hic ultra ordinariam præstationem dabatur, habebat limitatam, & uniformem præstationem, quia non minus, vel plus uno anno, quam alio præstabatur, sed in quæstione Baldi præstatio, quæ fieri consueverat in tali adventu, non erat aliquo modo limitata, sed penitus difformis, ergo.

Mantica de tacit. lib. 4. tit. 18. num. 3. ibi -- *Sed quæritur, si Archidiaconus, vel alius in dignitate Ecclesiastica constitutus vendidit fructus beneficii sui, an donarium, quod ei præstari consuevit, quando ad locum beneficii accedit, in venditione comprehendatur, & quidem Oldrad. &c. respondit in locatione non comprehendi, & quod dicitur de locatione, idem esse intelligendum de venditione, quæ eisdem regulis consistunt &c. nam hoc donarium, magis ratione Personæ, & dignitatis, quam beneficii præstatur, & ideo in fructu non debet computari.*

Baer. decis. 133. num. 4. ibi -- ut de Archidiacono & eo, quod datur sibi in suo jucundo adventu, quod cedat etiam firmario facit mentionem Oldrad. conf. 129. Gloss. pragm. Sanct. tit. de annatis §. volunt. tamen in verbo fructibus in fine, ubi dicunt, quod in venditione, seu firma fructuum Archidiaconatus non venit jucundus adventus, qui potius debetur Personæ Archidiaconi, quam Archidiaconatui -- Et molius *decis. 180. num. 9. ibi -- Hinc est, quod dicit Oldrad. de Laude in conf. 129. incipien. in quæstione, qua quæritur, quod in censu, & firma, seu donatione fructuum Archidiaconatus vel Episcopo in suo jucundo ingressu, vel adventu datur &c.* Et idem *Alberic. de Rosat. in d. l. usufructu legato de usufruct. in ultima quæstione, ubi tenet, quod si Clericus vendiderit, seu accensaverit omnes fructus suæ præbendæ, vel castri sui ad certum tempus, qui de consuetudine consueverat certas recipere gallinas, & alia Xenia, cum veniebat ad locum, firmatium recipere solum debere illa, quæ ex necessitate debentur, sed non illa, quæ ex mera liberalitate dantur.*

Sic in specie munerum, quæ dantur Baroni Pupillo in signum lætitiæ, & grati adventus, non esse a tutore decimanda, post *Boez. de decim. Tutor. cap. 25. num. 7. & seqq.* tradit *Gutierez. de tutel. par. 9 cap. 28.* -- *Et quidem ex supradictis decidenda venit hæc quæstio in hunc modum, ut si quidem Minori aliqua a Vassallis annuatim, & per intervalla, ordinarie, vel extraordinarie præstentur; eaque Vassalli præstare jure, vel consuetudine obligati sunt, & sic ex necessitate præstant, Tutor, vel Curator eorum decimam habere debet, & deducet; quoniam non est liberalitas Vassallorum, sed potius obligatio præcisa, & sic redditus ad Pupillum pertinens dici potest, & sive sit annuus, sive per temporis intervalla debitus, eadem versatur æquitas, quæ in annuis redditibus, eademque viget legis mens, tunc nempe cessant verba, & dispositio d. §. Medico, quia in necessitatibus nemo liberalis existit, ut in regula Juris vulgari: si tamen ea non sint necessario offerenda, sed tantum dantur in signum lætitiæ, & semel tantum, prout est illud, quod Vassalli Domino offerunt: & præstant pro ejus prospero adventu, & similibus, non decimabuntur per Tutorem, vel Curatorem, quia est quædam donatio, & liberalitas spontanea, quam non decimat Tutor, vel Curator, quoniam est augmentum, & non fructus, quia non renascitur ex natura sua: neque, qui semel donat, tenetur iterum donare, quæ distinctio profecto vera est, atque tenenda.*

Sic in quæstione super munere, quod datur Baroni, ex quo unum ex Oppidis suæ jurisdictioni subjectis declaraverit Cameram secretam, proindeque immunem ab excipiendis hospitio militibus nisi per transitum: juxta gratiam Baronibus Regni ab inclyto Rege Hispaniarum factam, illud fructuum appellatione non venire, ideoque ex eo non esse solvendum relevium, scripsit *Capan. de jur. Relevii part. 2. num. 8. 9. & 10.* ex sequentibus rationibus ibi -- *Primo donationem factam Baroni pro nominatione prædicta, appellatione fructuum non venire, sed sub obventionum vocabulo contineri, fructus namque sunt ii, qui ex re immediate percipiuntur, l. Item si fundi ff. de usufruct. Obventiones vero dicuntur, quæ occasione rei, & propter rem perveniunt &c. Porro id, quod dicitur fructus, & obventiones contradistingui, probatur ex Text. in l. venationem ff. de usur. &c. ubi statuitur, venationem, quæ ex fundo immediate non percipitur, in fructu non esse, nisi fructus fundi ex sola venatione constent; cum ergo donatio, de qua agitur, non percipiatur immediate ex feudo, sed ejus occasione, ut inferius dicetur, ergo ex ea relevium aliquod solvi non debet. Secundo deducitur, nam fructus suapte natura dicuntur ii, qui singulis annis renascuntur &c. quo fit, ut relicto usufructu hæreditatis non veniant redditus provenientes ex exemplatione protocollorum Notarii, ex quo illi sunt incerti, nec renascuntur, veniunt tamen sub nomine redditum, seu obventionum: quo argumento ductus Chassaneus &c. dixit, successiones manus mortuæ, quæ deferuntur Dominis, non venire sub vocabulo fructuum, cum ea non percipiantur, nisi semel. At quia hujusmodi donationes non renascuntur, quia sunt incertæ, & ad beneplacitum universitatis, idcirco summo jure de eis relevii solutio denegatur. Tertio, probatur a simili, enim vero distributiones quotidianæ, quæ obventiones nuncupari possunt, non dicuntur appellatione fructuum venire &c. cujus dicti duplex ratio. Prima, quia cum similes distributiones dantur ex assistentia in Divinis Officiis, & sic propter operam personæ, licet canonicus eas percipiat occasione præbendæ &c. Secunda ratio, & validior, quam assignat idem Oldrad. &c. est, nam tales distributiones pendent ab incerto eventu, nec sunt stabiles, & firmæ, idcirco nullam similitudinem habent cum fructibus, qui sunt certi.*

Sic in muneribus, quæ per Vassallos dantur Baronibus, vel in creatione novi Principis, vel in nativitate Filiorum, vel pro jucundo adventu firmat *Gall. de Fruct. disp. 6. num 91.* ibi -- *Decimotertio, quæro, an donaria pro jucundo adventu sint in fructu? Aut quæ in creatione novi Principis, vel in nativitate Filiorum exibentur?* Pro affirmativa primo adducitur *Textus in l. 8. §. quod in anno ff. solut. matrim.*, cujus verba -- *Item si locatio agri talis sit, ut super annuam mercedem aliquid amplius præstetur -- & sic illud, quod est supra mercedem, est in fructu. Secundo, quia hujusmodi donaria præstantur intuitu Superioritatis, alias non darentur, & sic sunt fructus.* Et hanc opinionem tenet *Bald. in d.*

§. *quod in anno*. *Bertrand. conf.* 202. *lib.* 2. Contrarium, quod non sint in fructu *Alberic. &c.* Tenendo hanc secundam, uti veriorem, respondetur ad contraria &c.

De Marin. lib. 1. *Quotid. cap.* 125. *n.* 2. & 3. ibi -- *Sed pulchra se affert dubitatio, an hic emptor, dum fructus a corporibus feudalibus perceptos restituit, teneatur etiam venditori restituere donativa, quæ a Vassallis, tam in communi, quam in particulari recipit, quod, ut plurimum in adventu novi Domini ab universitatibus, & subditis particularibus, in signum benevolentiæ peragitur* -- Et negative a Doctis Viris resolutum fuisse scio, ex dictis per *Oldrad.* in *illo solenni suo consilio* 129. ubi respondit, *in locatione facta a quodam Archidiacono de omnibus fructibus sui Archidiaconatus, non venire dona, quæ Archidiacono in suo adventu præstari solita sunt &c.* assignat rationem *Oldrad.*; *cum dona hæc non officium, sed propriam respiciant Personam*, argumento *Text. in l. si vero* §. *Item quidquid ff. solut. matrim.* vel *secundum Bald. in d.* §. *quod in anno*, *quia ipsa dona non sunt uniformia, & ea, quæ certam formam annuæ erogationis non habent, sed incertam voluntatem, in fructu esse non dicuntur l. Seja* §. *Medico ff. de ann. legat.* vel *secundum Iacobin. in d. l. si Proprietati*; *ideo sic dicendum, quia ea, quæ ex voluntate, & gratia præstantur, fructuum appellatione non veniunt*. *Vel denique secundum Paulum de Castro in d.* §. *quod in anno*, *quia dona illa non reite antur ad Text. in eadem l. Divortio* §. *si vir. ubi lapis, qui non renascitur, in fructu non est*. *Si igitur ex supradictis, dona hæc fructuum appellatione non veniunt, dum sententia condemnatoria dicit, quod restituat emptor rem una cum fructibus, ergo donativa novo feudi emptori facta, vel a Communitate, vel a Particularibus, in fructuum liquidatione non veniunt* -- Idemque firmat *lib.* 2. *resol. Iur. cap.* 84. *per totum, & præsertim num.* 8.

Franch. decis. 172. *num.* 7. ibi -- *Dicebat insuper Secretarius, quod ipse erat in tuto, & quod sententia erat pro se, quia fuit ipse condemnatus ad restitutionem fructuum, & clarum est fructuum appellatione contineri id, quod singulis annis nascitur, & renascitur l. Divortio* §. *si vir in fundo ff. solut. matrim. l. si fundum eod. Tit. &c., sed dona non sunt hujusmodi, quæ dantur ex mera liberalitate, nec habent certam formam annuæ erogationis, sed incertam voluntatem*, ut dicit *Bald. &c.* *ergo non comprehenduntur in sententia, de fructibus loquente*.

Sic denique in similibus oblationibus, emolumentis, & obventionibus, ex iisdem rationibus tenent cum aliis *Valenzuel. conf.* 128. *num.* 132. *Gratian. discept. forens. Tom.* 2. *cap.* 399. *num.* 26. *Escobar. de ratiocin. in cap.* 29. *num.* 19. ubi, quod funeralium proventus, & aliæ similes oblationes, & obventiones non sunt in fructu, neque in congruam imputantur, ex quo sunt prorsus incertæ, & voluntariæ. Idemque de fructibus incertis, seu pede Altaris, ut appellant, adnotarunt *Barbos. in cap. de Monachis* 12. *vers. illud sub num.* 6. ubi quod venter non debet pendere ab incerto, cum non patiatur dilationem. *Rebuff. de congr. num.* 83. & 86. *Bellet. disquisit. Cleric. part.* 1. *Tit. de Cleric. debit.* §. 16. *num.* 3. *Escobar. de ratiocin. cap.* 129. *num.* 18. ubi, quod ii ex arbitrio fortunæ quodammodo dependent *Mantic. decis.* 22. *num.* 2. *Rot. decis.* 5. *num.* 3. & *seq. par.* 2. *diver.* & *decis.* 420. *n.* 2. *par.* 1. & 449. *num.* 6. *par.* 2. *Rec.* Et de successionibus manus mortuæ, quæ deferuntur Dominis, nec percipiuntur nisi semel, *Chassan. ad consuet. Burg. rubr.* 4. §. 17. *vers.* 1. *quæro. Capan. de relevio part.* 2. *quæst.* 2. *n.* 9. Et de distributionibus demum quotidianis, sunt *Text.* *aperti in cap. licet vobis de præben. cap. fin. de rescript. in* 6. *cap. unico de Cleric. non resid. eod. lib.*

Præter tot auctoritates, & solida fundamenta, quibus constabilita remanet prior hæc negativa sententia, non desunt singulares ad rem Textus, in specie quoad restitutionem minime faciendum.

Probatur nempe hoc. Primo *ex l. si vero negotium* 64. §. *Item quidquid. ff. solut. matrim.* ubi *Ulpianus verba habens de Servo Dotali manumisso a Marito*, tamquam Domino, quærit an eo nomine aliquid sit restituendum Mulieri soluto Matrimonio? Responditque his verbis -- *Item quidquid ad eum ex bonis liberti pervenerit, æque præstare cogetur, si modo ad eum, quasi ad patronum pervenerit. Cetarum si alio jure, non cogetur præstare. Nec enim beneficium, quod in eum libertus contulit, hoc uxori debet, sed id tantum, quod Jure patronatus assequitur, vel assequi potuit*. Si itaque beneficia, quæ in patronum libertus manumissus contulit, is mulieri restituere non cogitur, similiter neque dona, neque beneficia in restitutionem venire debent.

Probatur rursus *ex l. Socius* 60. §. *Socius cum resistere ff. pro Socio, ubi Pomponius I. C. ait*, quæsita per socium, quamvis occasione societatis, non venire in medium ibi -- *Nam nec compendium, quod propter societatem ei contigisset, veniret in medium, veluti si propter societatem hæres fuisset institutus, aut quid ei donatum esset* -- Et ratio quidem est, quia licet societas causa sit, ut socius hæres instituatur, vel aliquid ei dono detur, tamen hæc causa accidentalis est: finalis namque donandi, instituendive causa, a liberalitate Donatoris, testatorisque dependet, non a societate, ut advertunt etiam *Menoch. de præsumpt. lib.* 3. *præs.* 26. *nu.* 4. *Hect. Felic. de Societ. cap.* 13. *num.* 3. & 4. *Noguerol. alleg.* 8. *nu.* 51. & *allegat.* 11. *num.* 122. *Lagunez. de fructib. part.* 1. *cap.* 14. *num.* 57.

Probatur porro ex *Text. in l. si hæres institutus ff. ad l. Falcid.* ubi *Paullus I. C. ait*, quod si Testator, cum solvendo non esset, hæredem aliquem instituerit, ab eoque legaverit, & hæres cum creditoribus transegerit, ne solidum solveret, quidquid remissum est, hæredi, non item hæreditati acquiratur, quia licet propter illam hæreditatem, ex propria tamen industria acquirit ibi -- *sed & si is, qui solvendo non est, legaverit, & hæres cum creditoribus decideerit, ne solidum solveret, & ob eam decisionem factum sit, ut aliquid retineret, nihil tamen legatariis debiturum, quia eam pecuniam, non ex hæreditate, sed ex decisione habet* -- Ubi decidere est, decisionem, & pactionem facere, transigere, & litem dirimere, translatione sumpta ab iis, qui rem controversam scindunt, ut quisque partem æquam sortiatur, & a controversia discedatur, ut apud *Cic. de Provinc. Consul.* Sicque illum textum ad rem expendunt *Pont. conf.* 28. *per tot. Fusar. de subst. quæst.* 6. 27. *num.* 6. *Marescott. lib.* 2. *var. cap.* 17. *per tot. Salgad. labyr. credit.* 2. *part. cap.* 9. *nu.* 92. *cum seqq. Olea de cess. Jur. tit.* 5. *quæst.* 9. *num.* 5. *Valeron. de transact. tit.* 4. *quæst.* 6. *num.* 42. *cum seqq.* & *ex num.* 52. *Noguerol. alleg.* 8. *nu.* 51. *Lagunez. de fructibus d. cap.* 14. *num.* 21. & 66.

Probatur item ex *Text. in l. Sejo* §. *Medico ff. de ann. legat.* ubi Papinianus ita inquit -- *Medico Sem-*

pre-

pronio, quæ viva præstabam, dari volo, ea videntur relicta, quæ certam formam erogationis annuæ, non incertam liberalitatis voluntatem habuerunt -- Quoniam vero non præstabat ei certam erogationem annuam, puta, tot aureos, vel tot culleos, vel cados Vini, vel tot pondo argenti, sed modo hac, modo illa re, & modo largius, modo parcius quotannis medicum munerabatur, cum quæsitum fuisset ex causa Fideicomissi supradicti, quid ei deberetur, responsum fuit nihil deberi, quia incertum est Fideicommissum, & incerta liberalitatis voluntas: Legatum nempe, aut Fideicommissum rei incertæ, inutile est, *l. cum. post. §. Gener. ff. de Jur. dot. Paul. 3. sentent. tit. de legat.* ibi -- *Legatum, nisi certæ sit rei, nullius est momenti*; & ita salarium incerte pollicitationis dicitur non deberi, *l. qui mutuam §. Salarium ff. mandat*. Nec Votum incertæ pecuniæ apud *Liv. lib. 31.* Ergo similiter illud, quod extra ordinem, ex incerta liberalitatis voluntate præstatur Episcopo, alterive Prælato, Archidiacono, Baroni, Socio, & aliis, quia non habet certam formam annuæ erogationis, ad ipsos pertinet, non ad emptores, conductores, consocios, ut communiter DD. illum Textum intelligunt, *Bald. in l. Divortio §. quod in anno 2. 2. vers. item quin ista dona non sunt uniformia ff. solut. matr.* ibique *Imol. ver. Item nota*, quod in fructu dicitur. *Alex. in §. ob donationes num. 9. vers. contrarium concludit. Petr. Barbos. n. 6. vers. ex quo inferebat Baldus. Jacobin. in l. si proprietati num. 6. ff. de Jur. dot. Noguerol. alleg. 8. num. 53. Lagunez. de Fructibus d. cap. 14. num. 5. Gall. eodem tract. disp. 6. num. 91. & seqq.*

Probatur plane ex *l. Item veniunt 20. § sed si vendidit. vers. nam, & Julianus ff. de petit. hæredit.* ubi Ulpianus ex Juliani sententia statuit, quod si hæres quid indebitum exegerit, illud restituere non debet, nec imputare, si quid indebitum persolverit; & ratio est quia ubi quid indebitum exigit, non ab ipsa hæreditate, nec jure hæreditario provenit, sed ex propria industria, & liberalitate illorum, qui solvunt, licet hæreditatis occasione petitum fuerit; ubi similiter indebitum solvit, imputare non debet, quia suo nomine, non hæreditatis solvit, ut in primo casu optime declarant *Marescott. lib. 2. var. cap. 17. num. 5. cum seqq. Mutie. de Tacit. & Ambig. lib. 26. tit. 5. num. 2. vers. & hoc, & num. 6. Salgad. labyr. credit. 2. part. cap. 9. num. 93. Valeron. de transact. quæst. 6. num. 53. & his relatis Lagunez. de fruct. d. cap. 14. num. 68.* In secundo casu *Dionysius Gothofred. ad. d. l. Item veniunt §. sed si vendidit vers. quia suo nomine ff. de hæredi petit.*

Probatur demum ex *l. Debitor 59. §. final. ff. ad S. C. Trebell.* cujus species hæc est. Mulier in danda dote pepigit cum marito, ut si ipsa moreretur, superstitibus Marito, & matre, dotis partem dimidiam, maritus matri restitueret, & forte subjecit stipulationem conceptam in personam matris: Mater autem, eo nomine nullam stipulationem interposuit: Mater, non est stipulata, dotis partem sibi reddi. Moriens Filia, matrem, & maritum suum hæredes scripsit, & matrem rogavit, ut hæreditatem, idest portionem suam *l. Titio* restitueret sub conditione aliqua, vel ex die aliquo certo. Post mortem ejus inter matrem, & maritum, sive inter socerum, & generum sumptus est arbiter, vel Judex Familiæ ereiscundæ. Judex, inquit Paulus, addictus, hoc est datus hæreditati dividendæ inter matrem, & maritum, qui quidem Judex nesciens pactum initum favore matris, nulla ab ea, stipulatione interposita, esse nullum, prout liquet ex *Text. in l. Inter §. penult. ff. de pacto dotal.* imperitia lapsus, quasi utile esset pactum matris, partem dotis matri, pro parte adjudicavit, idest pro parte hæreditaria, ex qua mater hæres scripta est. Quæsitum fuit, an ea portio matri, per imperitiam adjudicata ex causa Fideicommissi, præstanda esset *Lucio Titio Fideicommissario?* Et J. C. respondit non teneri, optima quidem ratione, quia Mater hæreditatem tantum restituere rogata est, & pars illa dotis, ab illa, non quasi hærede, sed quasi matre, accepta est, nec occasione hæreditatis, sed propter errorem, & imperitiam Judicis, qui eam quasi ex pacto debitam matri adjudicavit. Ergo pariter dona, quæ acquiruntur extra ordinem, ex incerta liberalitatis voluntate, licet occasione Episcopatus, Archidiaconatus, Præbendæ, Feudi, Societatis, & similiter acquirantur, nihilominus, quia non ex re, sed propter rem, & potius ex industria personæ acquiruntur, non veniunt in restitutionem, ut expendens eumdem Textum notat *Gloss. ibid. & Lagunez. de fructibus d. cap. 14. sub num. 21.*

Sed hactenus quidem negativa Sententia, de qua primo loco dicebamus. Posterior eorum est, qui tuentur, omnia id genus munera fructibus accensenda esse, proindeque ubi ex aliqua causa, restitutionis casus venerit, restituenda esse, ut videre est apud *Isern. in Const. Regni quam plurimum vel alii exponunt*, ibi -- *Quia hæc subventio fructus est, & si eam lucrifaciat ex pacto, vel a Lege, suus erit* -- *Tuseh. pract. conclus. lit. F. Conclus. 464. num. 11. August. Barbos. in Appellat. 2. fructus nu. 9. Barbat. de divis. fructuum part. 2. cap. 14. nu. 31. cum seqq. Frerc. de subfeud. lib. 2. in quæst. per ipsum relat. post authorit. 2. nu. 10. fol. mihi quidem 178. Capyr. decis. 184. per tot.* ubi quod usufructuarius tales obventiones, & adjutoria lucretur.

In comprobationem istiusmodi sententiæ affertur primo. *Textus in l. Divortio 8. §. quod in anno ff. solut. matrim.* cujus verba sunt -- *Item si locatio agri talis sit, ut super annuam mercedem aliquid amplius præstetur* -- quasi quod supra mercedem est, in fructu etiam sit, ut ibidem docent *Bald. Alex.*, & communiter antiquiores, quos referunt, & sequuntur *Baez. de decim. tut. cap. 25. num. 11. Petr. Barbos. in d. §. quod in anno n. 6. Guttirrez. de tutel. 3. p. ca. 28. n. 2.*

Secundo Textus in *l. qui proprio §. Qui procurator ut cæteris ff. de Pror. & l. si quis negotia ff. de negot. gest.* in quibus cavetur, quod si quæ per procuratorem, vel negotiorum gestorem indebite fuerint recepta, ipsis dominis sunt restituenda.

Tertio *Text. in l. cum autem 25. §. cum redhiberetur 9. cum suis versic. & l. sequenti ff. de Ædilit. Ædict.* ubi Ulpianus ita scribit -- *Cum redhiberetur mancipium, si quid ad emptorem pervenerit, vel culpa ejus non pervenerit, restitui oportet, non solum si ipse fructus percepit, mercedesve a servo, vel conductore servi acceperit, sed etiam si a venditore fuerit idcirco consecutus, quod tardius ei hominem restituit: sed, & si a quovis alio possessore fructus accepit emptor, restituere eos debebit: sed, & si quid fructuum nomine consecutus est, id præstet: item si legatum, vel hæreditas servo obvenerit: neque refert, potuerit hæc consequi venditor, an non potuerit, si servum non vendidisset: ponamus enim talem esse, qui capere aliquid ex testamento non potuerat, nihil hæc res nocebit. Pedius quidem etiam illud non putat esse spe-*

ftandum , cujus contemplotione teftator fervum hæredem fcripferit , vel ei legaverit , quia & fi venditio remanfiffet , nihil hæc res emptori proderot , & per controrium , inquit , fi contemplatione venditoris inftitutus proponeretur , tamen diceremus , reftituere emptorem non debere venditori , fi nollet eum redhibere. Si enim facta fervi redhibitione, non folum fructus , ex perfona fervi percepti , puta operæ , vel mercedes, aliaque fimilia, funt reftituenda , fed, & hæreditas , vel legatum , nulla habita ratione , nom venditor potuerit , an non potuerit hæc confequi , fi non vendidiffet ; nulla item , cujus contemplatione hæreditas , vel legatum fervo obvenerit ; fimiliter] & de muneribus dicendum erit,ea in reftitutionem venire , nolla habita ratione , cujus contemplatione data fuerint ,

Ultra tamen hæc jura , non defunt, & alia fundamenta a ratione petita : primo quippe huic fententiæ adftipulari poteft , quod hujufmodi obventiones,five dona , & fi non immediate ex re percipiantur , puta Epifcopatu , Archidiaconatu , Prælatura , Feudo , focietate , tamen propter rem percipiuntur , ideoque hoc fufficere debet , ut faltem improprie in fructu effe dicantur . Adftipulatur ulterius , quod fimilia dona præftantur intuitu fuperioritatis , nam alias non darentur , proindeque inter fructus recenfenda funt , Adftipulatur demum, quod licet ea fint incerta quo ad quantitatem, nihilominus certa funt quo ad præftationem , quia ftatis temporibus dari folent , ideoque cum renafcantur, & certam formam perpetuæ erogationis habere videantur , optima ratione in fructu effe dicenda funt.

Reijcit hanc pofteriorem fententiam *Gallus de fructibus difput. 6. num.* 91. se priorem , uti veriorem amplectens , refpondet etiam nonnullis argumentis , quæ in contrarium afferuntur , fed longe melius *Lagunez eodem tract. dict. cap.* 14. *num.* 41. *feqq.* pro conciliatione diffidentium iftiufmodi opinionum , ita diftinguendum cenfet ibi -- *Aut munera , & donativa annuatim per Vaffallos Baronibus, five Dominis jure , aut jufta confuetudine , vel alia legitima caufa præftantur , itaut neceffitate obligati id faciant , & ad id quotannis cogi poffint , vel nullo jure, aut confuetudine cogente , fed potius ex mera liberalitate Vaffalli ea præftant , veluti cum in fignum lætitiæ, vel pro profpero Domini adventu, aut fimilibus caufis moti aliquando ea Domino offerunt . In primo cafu abfque dubio talia munera, & dona inter fructus feudi , aut Oppidi annumerari debere judicarem , cum omnino certa fint , certamque formam annuæ præftationis habeant , & confequenter etiam in genere , faltem renafci dici debeant . In fecundo vero cafu , nullo modo inter fructus habenda , verius cenfeo , quia incerta funt , cum non ex certa , & præcifa caufa, aut jure, fed ex Vaffallorum liberalitate dependeant , in quorum voluntate , ac libero arbitrio confiftunt .*

Et fane hæc diftinctio , non folum probatur *ex Text. in d. l. Sejo l. Medico ff. de ann. leg.* ibi -- *Ea videntur relicta , quæ certam formam annuæ erogationis ; non incertam liberalitatis voluntatem habuerunt* -- fed etiam a compluribus ex DD. fopra relatis , nam que .

Iacobin. in d. l. fi proprietati num. 6. ff. de jur. Dot. inquit -- *Quia in fructu , folum veniunt ea, quæ ex neceffitate debentur , non autem ea , quæ ex voluntate , & gratia .*

Alberic. de Rofate. in d. l. ufufructu legato 7. ff. de ufufr. in fin. -- *Dic inquit , quod non , quia folum videntur vendita,quæ ex neceffitate debebantur , non illa , quæ ex mera liberalitate .*

Alex. in l. Divortio §. ob donationes num. 9. ff. folut. matr. ita fcribit -- *Non obftat ifte Text. quia iftud , quod hic alternotdinariom præftationem dabatur , habebat limitatam , & femper uniformem præftationem , quia non minus uno anno , quam olèo præftabatur , fed in quæftione Baldi præftatio &c. non erat aliquo modo limitata , fed penitus difformis.*

Petr. Barbof. in d. l. quod in anno ff. eodem hæc habet . *Nos autem agimus de his , quæ ex neceffitate præftantur &c. Unde generalis conductio hanc præftationem debuit comprehendere &c. Et in fpecie idem Oldrad. conf. 216. in princip. refolvit , quod id quod præftatur , ex mera præftantium voluntate in bonis , & fructibus Ecclefiæ non computatur.*

Novar. de gravam. Vaffall. tract, 2. prælud. 3. num. 13. fic ait -- *Unde Jacobin. &c. merito affirmavit, præftita ex voluntate, & gratia, fructuum appellatione minime venire &c. quia ipfa dona non funt uniformia , & ea , quæ certam formam annuæ erogationis non habent , fed incertam voluntatem , in fructu effe non dicuntur .*

Marin. d. lib. 1. quotid. cap. 125. nu. 3. præter alias rationes fupra relatas has etiam affert -- *Vel fecundum Baldum in d. §. quod in anno , quia ipfa dona non funt uniformia , & ea , quæ certam formam annuæ erogationis non habent , fed incertam voluntatem , in fructu effe non dicuntur &c. Vel fecundum Jacobin. quia ea , quæ ex voluntate , & gratia præftantur , fructuum appellatione non veniunt .*

Neve omnia fuperius adducta , iterum repetere , & inculcare videamur , eandem diftinctionem fequuntur *Capyc. Galeot. lib. 2. contr. 42. num. 14. & feqq. Baez. de decim. Tutor. cap. 25. num. 7. , & feqq. Gutierez. de tutel. 3. parte quæft. 2 . Efcobor. de ratiocin. cap. 26. num. 18. & 19. Gratian. difcept. For. tom. 2. cap. 399. a num.* 18. ubi contrariam opinionem , quam fequitur a *num.* 15. intelligi in voluntariis obventionibus , non autem in iis , quæ etiam ab invitis extorqueri poffunt *Franch. decif.* 172. Hæc namque non folum funt neceffaria , fed per quam neceffaria : Ejufdem naturæ funt donativum Principibus faciendum , de quo *Giurb. dec.* 118. Donativum , feu contributio fubditorum de quo *Ramon. conf.* 87. Donativa Regi facienda ex certis caufis , de quibus *Rocc. de Offic. tit. de donativ. Reg. facien. §. 5.* Donativum tempore Belli de quo *Sonfelic. in fin. Suar. decif. 1. partis*. Donativa præftanda ob Principum calamitates , de quibus *Maradei ad Staiban. refolut. 200. num.* 8.

Nihilque negotii faceffunt fundamenta , quæ pro pofteriori fententia allegantur . Ad primum quippe defumptum ex *l. Divortio 8. §. quod in anno ff. folut. matr.* facili momento refpondetur ; ideo enim J. C. refpondit , id , quod fupra mercedem eft , in fructu etiam effe , quia ita conventum inter partes fuerat , ut clare ex verbis Textus elicitur ibi -- *Si locatio agri talis fit , ideft tali pacto inita , ut fuper annuam mercedem quinquennio quoque anno aliquid amplius præftaretur* -- Ut in fpecie refpondent *Gall. de fruct. d. difp. 6. num. 93. Lagunez. eodem tract. d. cap. 14. num.* 7.

Eademque facilitate collabefcit etiam fecundum argumentum, quod elicitur ex *l. qui proprio §. Procurator , ut in cæteris ff. de procur. & l. fi quis negotia 23. ff. de negot. geft.* , quippe quia procedit

earum

earundem Legum dispositio, ubi quis veluti procurator alterius, negotiorumve gestor aliquid exegerit, secus vero cum proprio nomine, ut in specie *Text. in l. Item veniunt §. sed vendidit vers. Iulianus ff. de petit. hæredit.* ubi hæres, qui proprio nomine quid indebitum exegit, restituere non cogitur, ut notat *Gloss. in d. l. qui proprio §. Procurator. vers. nomine, & in d. l. si quis negotia 23. ff. de negot. gest. gl. Gothofred. in l. l. Item veniunt §. sed si vendidit ff. de petit. hæredit. lit. C.* ibi -- *Quia suo nomine exegit, non alieno, ut in l. 23. supra de negot. gest.* Et in specie huic objecto occurrit *Lagunez. d. c. 14. num. 69. Franchis. decis. 172. num. 6.*

Minori tamen labore prosternitur tertium fundamentum innixum *Textui in l. cum autem redhibetur mancipium ff. de ædilit. ædict.* ubi facta servi redhibitione, non solum fructus ex persona servi percepti, veluti operæ, mercedes, & similia in restitutionem veniunt, sed etiam legatum, vel hæreditas si occasione servi, emptori obvenerint: provenit namque hoc ex servili conditione, provenit ex Ædilitio ædicto, provenit ex dicto, vel promisso contrahentium, ex lege contractus, proindeque rescissa venditione, non solum fructus, sed & accessiones in restitutionem veniunt. Ex contractu siquidem emptionis, & venditionis, tercen sunt actiones empti, aut venditi, quæ, aut civiles sunt, empti, scilicet, & venditi, de quibus *tot. tit. ff. & C. de actionibus empti, & venditi*: aut ædilitiæ, scilicet Redhibitoria, & æstimatoria: Redhibitoria rescindit venditionem in totum, Æstimatoria in aliquid. In actione redhibitoria, quæritur an sit redhibitioni locus, ob morbum, vitiumve latens rei venditę, restituuntur res in integrum, redditur pretium *d. l. cum autem §. Iulianus ait l. facta redhibitione 60. ff. de Ædilit. ædicto*: In actione æstimatoria quæritur quanto minoris res valeat, ex ea fit pretii restitutio in partem. Redhibitoria, non solum tendit ad restitutionem rerum, sed etiam accessionum *d. l. cum autem 23. §. 1. l. quod si nolit 31. §. redhibitus l. Proinde Pomponius §. si vendita ff. eodem tit.* Utraque competit duplici ex capite, ex reticentia, & promisso: Ex reticentia, ut si venditor morbum, aut vitium rei venditæ, quod emptor nesciebat, reticuerit: Ex promisso, ut si venditor dixit illum servum, furem non esse; si dixerit literatum, vel artificem, & nec literatus, vel artifex sit, quæ actio dicitur in libris nostris adversus dictum, promissumve, sive contradictum *l. Quod venditor ff. de dolo l. quid sit fugitivus l. final. l. Ædiles 38. §. non tantum l. si Hominem 7. l. Labeo 64. §. 1. ff. cit. tit.* Utraque demum poenalis est *d. l. cum autem 23. §. si servus ff. eodem*, quia nisi pareatur Judici, cujus arbitrio fit redhibitio, erescunt in duplum, & ita poenam continent, *l. Redhibitoria 45. ff. eodem.* Quo respiciens Horatius, poenæ securum ait esse eum, qui in vendendo servum, excepit fugam.

Det nummos, excepta, nihil, te si fuga, lædat.
Ille feret pretium pœnæ securus, opinor.
Prudens emisti vitiosum, dicta tibi lex est.

Nec disparis conditionis est quartum, quod scilicet dona, sive munera, ceteræque, id genus obventiones, percipiantur propter rem, proindeque saltem improprie dicantur esse in fructu. Fructus namque sunt ii, qui singulis annis immediate ex re percipiuntur. *l. Item si fundi ff. de usufruct.* qui singulis annis renascuntur *l. Divortio 8. §. si vir in fundo ff. solut. matr. Gloss. notabilis in l. si ex lapidicinis ff. de Jur. dot. Jas. in l. quædam §. 1. ff. de Edem.* Obventiones vero dicuntur, quæ non ex re, sed propter rem, vel occasione rei proveniunt, *Jas. in l. si Urbana n. 6. ff. de condict. indeb.* itaque etiam *Alciat. in l. Usufructu legato ff. de usufruct. Barbos. in d. l. Divortio 8. §. si vir num. 38. Capan. de Jur. relev. part. 2. quæst. 2. num. 8.* Nec quidquam commune habent cum fructibus, ut probat *Text. in l. Venationum ff. de usur. juncta l. Usufructuarium venari* ubi *Gloss. ff. de usufr.* ubi venatio, quæ non immediate ex fundo, sed propter fundum percipitur, non dicitur esse in fructu, nisi fundi fructus in sola venatione consistant, quod etiam advertit *Capan. de Jur. relev. loc. cit.*

Ad eamdem classem pertinet quintum, quod hujusmodi dona præstantur intuitu superioritatis, nam, aut illa habent certam formam annuæ erogationis, veluti quia necessario ex jure, vel consuetudine statis temporibus sunt præstanda, & cum quodammodo renasci videantur, ea procul dubio sunt in fructu, ut dicebamus; aut fiunt ex mera liberalitate, & munificentia, nullo jure, aut consuetudine cogente, & hæc nullo pacto dici possunt in fructu, licet intuitu superioritatis erogentur, quia habent incertam voluntatem, & ex mera gratia fiunt, suntque velut lapides, qui non renascuntur, quia qui semel donat, non tenetur iterum donare, ut innuunt *Castren. in d. l. Divortio §. quod in anno ff. solut. matr.* ibi -- *quasi iste non sit in fructu, quia resteratur. Jacobin. in l. si proprietati num. 6. ff. de Jur. dot.* ibi -- *Quia in usufructu solum veniunt ea, quæ ex necessitate debentur, non ea, quæ ex voluntate, & gratia -- Petr. Barbos. in d. §. quod in anno sub num 6.* ibi -- *Quod præstatur Archidiacono pro jucundo ingressu semel ei datur in vita, unde cum neque actu, neque aptitudine renascatur, non potest considerari uti fructus -- Guttierez. de tutel. part. 3. cap. 28.* ibi -- *Quoniam est argumentum, & non fructus, quia non renascitur ex natura sua, neque qui semel donat, tenetur iterum donare -- Capan. de Jur. relev. part. 2. qu. 2. num. 9.* ibi -- *Relicto usufructu hæreditatis, non veniunt redditus provenientes ab exemplatione protocollorum Notarii, ex quo illi sunt incerti, nec renascuntur --* & paulo post ibi -- *Et quia hujusmodi donationes non renascuntur, quia sunt incertæ, & ad beneplacitum universitatis, idcirco summo jure decis relevii solutio denegatur -- Marin. lib. 1. quotid. cap. 125. nu. 3.* ubi omnibus hisce rationibus cumulatis subdit -- *Quia dona illa non reiterantur ad Text. in eadem l. Divortio §. si vir, ubi lapis qui non renascitur, in fructu non est.*

Eademque responsione refellitur & sextum argumentum, quod scilicet hujusmodi dona, & si incerta quo ad quantitatem, sunt tamen certa quo ad præstationem. Nam ea quidem, quæ fiunt jure cogente, vel consuetudine, habentque semper eamdem, & uniformem præstationem, talia dici possunt, non tamen ea, quorum præstatio difformis, & incerta, tam in materia, quam in summa facta reperitur, ut ex *cap. quærelam de elect.* tradit *Cuneus*, quem sequitur *Bart. in l. solent §. non vero in 4. ff. de offic. Proconf.* ubi *Baldac. dicit*, quod ex rei veritate ex incertis certa obligatio depromi non potest; & sequitur *Alex. conf. 127. num. 4. lib. 5. Dec. Conf. 214. Menoch. lib. 3. præsumpt. cap. 131. num. 88. Vasq. Contr. Illustr. lib. 2. cap. 84. num. 34. limit. 6.* Non item ea, quæ sunt meræ liberalitatis, nam hæc non sunt in bonis, quia, qui semel donat, non cogitur ite-

iterum donare, ut inquit *Guttierez. de tutel. dist. part. 3. cap. 28.*

Sicque secundum hanc distinctionem, neque eulogiæ sunt in fructu. *Conc. Meldense can. 45.* ibi -- *Presbyteros cum voluntariis eulogiis tempore congruo visitare, & venerari Episcopos suos -- Hincmarus Episcopus Rhemensis -- Nolite, inquit, quasi pro aliquo adjutorio ad quamcumque rem denarios apud Presbyteros postulare, nec eulogias exigatis, sed sicut forte commodum fuerit aliquid offerre, cum gratiarum actione suscipite.* Erant autem eulogiæ munuscula quædam voluntaria, quæ vel Clerici Episcopis suis in signum venerationis, & superioritatis recognitionem mittere solebant, de quibus loquitur *Text. in cap. de Eulogiis 18. dist.* Vel Episcopi suis subditis, cæterisque Fidelibus, per vicos, & pagos dispersis transmittebant, ut sic in unius Orthodoxæ Religionis Christianæ communione vivere crederentur, ut observarunt *Albaspin. lib. 1. observ. cap. 8. Benedict. Ephrenus l. 4. disq. monast. tract. 4. disq. 4.*

Neque strenæ, utpote pariter arbitrariæ, in fructu existimandæ sunt, prout nec pacti solatia, de quibus in *l. laudabile 4. C. de Advocat. diver. Judic.* Ea siquidem, non a conventione proficiscebantur, neque pacti solatia, sive pacta solatia erant, ut voluit *Cujac. 13. observ. 1.* sed a liberalitate Principum ortum habebant, certo scilicet, & solemni die, certa quadam solemnitate, ac nominatim solemni festivitate Kalendarum Januariarum, ut testatur Lex illa, vel Natalitiis Principum, vel Natalibus Romæ, & Constantinopolis; Principes nempe illis temporibus in solio sedentes, munera, sive strenas elargiri solebant Palatinis, ut in *l. ult. C. Theodos. de privil. eorum, qui in Sacro Palatio l. Olim XI. C. eodem de Palatin.* Agentibus in rebus, de quibus est elegans hic *Ammiani Marcellini locus l. 16. p. 68. -- In ludis, inquit, quadrien solemnitates Agentibus in rebus in consistorium, ut aurum acciperent, inter alios quidam ex eorum consortio, non, ut moris est expansa clamyde, sed utraque manu cavata suscepit, & Imperator, Rapere, inquit, non accipere sciunt Agentes rebus --* Militibus, ut videre est in *Novell. 31. Theodos. Imperatoris*, & apud *Sozomen. lib. 5. cap. 16.* Togatis denique, seu Advocatis fisci in foro Præfectorum Prætorio, ut diserte testatur dicta Lex *laudabile*.

Sed hæc quidem quo ad discussionem articuli in abstracto; nunc ad nostram controversiam redeundo, haud ambigendum crediderim, quin nullum jus competat D. Notario Charitatis super munere præstito D. Zannettino ejusdem substituto, & si occasione Officii, quod exercet, illud habuerit; Si enim consideretur ratio, quam assignat *Oldrad. cons. 129.* quem sequitur *Mantic. de Tacit. & ambig. lib. 4. tit. 18. num. 3.* donum hoc, non officium, sed personam respicit ipsius Zannettini, ut palam profitetur ipsemet donans, sicque illi omnino quæsitum dicendum est. Donum nempe illi acquiritur, cujus contemplatione datum fuit, *l. Profectitia §. 1. ff. de Jur. dot. l. sed si plures §. in arrogato ff. de Vulg. & pubill. l. Datem dedit ff. de collat. bonor. l. Additio §. 1. ff. de acquir. hered. l. final. cum ibi notat. C. de usufr. l. cum oportet C. de bon. quæ liber. Bartol. in l. Filio familias 2. ff. de condit. & demonstr. & in l. si Filio 2. n. 2. ff. de donat. caus. mort. ibique Cort. num. 1. Covas. part. 1. num. 62.* & omissis antiquioribus *Giurb. obser. 6. num. 1.* ubi de dono dato infanti a Compatre, sive Patrino ipsum suscipiente e Sacro Fonte.

Si ratio, quam afferunt *Bald. in l. Divortio §. quod in anno ff. solut. matr. & Alex. ibidem §. ob donationes num. 9.* donum hoc, utpote non uniforme, non est in fructu, proindeque nullum petendi jus competit; ex incertis quippe certa obligatio depromi non potest, *Bald. in l. solent §. non vero n. 4. ff. de Offic. Proc. Alex. cons. 127. nu. 4. lib. 5. Dec. cons. 214. Menach. de præsumpt. cap. 131. num. 88. Vasq. contr. Illustr.* Et generaliter incertitudo vitiat possessionem, tollitque petendi Jus, *l. 3. §. incertam ff. de acquir. poss. Tiraquell. de Jur. constit. par. 3. lim. 19. num. 1.* quia Jura incerta jus non agnoscit, ut inquit *Gratian. disceptat. For. lib. 2. cap. 399. num. 16.* nec super incertis aliqua cadit possessio, ut inquit *Menoch. cons. 178. num. 25. lib. 2.* & in puncto muneris, quod exigere contendebat Baro ab Universitate Terræ Lauri, firmat *Galeot. cont. lib. 2. cap. 42. per tot. & præsertim a num. 11.*

Si ratio, cui innititur *Jacubin. in l. si proprietati num. 6. ff. de Jur. dot. & Petr. Barbos. in d. l. Divortio §. quod in anno ff. solut. matrim. sub. num. 6. Vers. & in specie idem Oldrad.* illud ex mera liberalitate, & munificentia datum fuit Zannettino; sicque neque in fructu est, neque a Domino Charitatis Notario quidquam peti potest, & si is longæva ceteroquin præscriptione, per malam hypothesim suffultus esset, quia, quæ sunt meræ liberalitatis, nullo temporis lapsu præscribi possunt, juxta *Text. in l. viam publicam ff. de via public.* ubi *DD. Can. possessiones 16. quæst. 1. Canonistæ in cap. significante de appellat.* Et super iis, quæ ex mera gratia, & liberalitate fiunt, nullum jus acquiritur, neque in possessorio, neque in petitorio *Gratian. discept. for. cap. 113. nu. 61. Pignatell. consult. 49. nu. 4. tom. 7. Seraphin. dec. 1089. num. 1.*

Si denique ratio, qua movetur *Paul. de Castr. in d. §. quod in anno in fin.* hoc donum non est in fructu, quia non reiteratur, nec enim si quis millies amicum hospitio exceperit, cogendus est in futurum excipere, nec si quis semel donaverit, debet iterum donare, ut advertunt *Capye. Galeot. contr. lib. 2. cap. 42. num. 2. Guttierez. de tutel. part. 3. cap. 28.* Munera nempe plane voluntaria sunt, & arbitraria; Solaque excipiuntur munera solemnia, hoc est, non ea, quæ semel in anno præbentur, ut perperam interpretatur *Galeot. ibid.* sed quæ solis parentibus, aut cognatis exhibentur, Hæc quippe non tantum necessaria, sed, & perquam necessaria sunt; sive ut Græci ajunt *ευρημα, και νομιζόμενα*, ut colligitur ex *Textu in l. cum plures 12. §. cum Tutor. ff. de administr. tut.* ibi -- *Solemnia munera parentibus, cognatisque mittet --* Et *χαρίστια* etiam dicebantur teste *Valer. lib. 2.* quia ut *Tertull. inquit lib. de idolatr. -- Cara cognationis honoraria exigit --* Unde *Martial. 9.*

Cara daret solemne tibi cognatio munus.

Ovid. 2. Fast.

Proxima cognati dicere χαρίστια cari.

Si igitur ex supradictis, donum illud arbitrarium donatum Domino Zannettino ab Illustrissimo D. Rutilio Paracciano, nullo pacto dici potest in fructu, profecto non debet D. Notarius Charitatis, illud pro parte, vel in totum petere, tamquam ad ipsum pertinens, uti Conductorem, ac caput Officii Charitatis; ad ipsum namque pertinent fructus, & emolumenta certa Officii, non dona, quæ, & si honeste quandoque fiant ipsius substitutis, propter extraordinarium laborem, quem fortasse subeunt, ex liberalitate tamen procedunt. Hæc enim illis acquiruntur, quorum contemplatione fiunt, ipsaque perso-

na

na contemplata attenditur, *l. servi. & l. seq. ff de usufr. l. servo legato §. si testator. ff. de leg. 1. §. Isti quidem §. final. ff. quod met. caus. l. 3. §. nunc in affectu l. siquis reum §. 1. ff. de liber. legat. l. Sejo amicus ff. de ann. legat. l. Si vero negotium §. 1. ff. solut. matr.* Eique competit actio, cujus contemplatione actus geritur, *l. Si cui legatur 49. §. si Titio ff. de legat. 1. Imol. in l. Filius familias num. 2. ff. de condit. & demonstrat. Gratian. disceptat. 131. num. 17. Andreol. contr. 4. num. 5.*

Hæc omnia facilius procedunt concurrente observantia subsecuta in consimilibus causis, in quibus numquam venit in mentem D. Notario Charitatis aliquid lucri ex similibus Xeniis captare. Ea siquidem est optima interpres in quaecumque materia, etiamsi talis intellectus, ex observantia deductus, esset minus verus, & a regulis juris aberraret, *l. si de interpretatione ff. de Legibus Surd. cons. 382. n. 12. Onded. cons. 92. num. 30. lib. 1. Caren. res. 102. num. 9. addon. ad Greg. decis. 184. num. 8. Hier. de Leo decis. Valens. 29. num. 8. & seqq. Rot. diversor. decis. 256. num. 6. part. 2. Burat. decis. 944. nu. 6. Royas decis. 343. num. 11. S. Me. Alexand. VIII. decis. 165. num. 20. Card. Cels. decis. 139. num. 6.* In puncto Xeniorum *Rocca disp. jur. cap. 87. n. 22.*

Nec quidquam adversatur, quod in Officio Charitatis acta conscribantur nomine ipsius Notarii, tamquam Officii Capitis, quodque proinde dono, de quo agitur, viam aperuerit meritum, & ipsius Officii intuitus. Facile enim est respondere, quia donum, non ab aliquo Officii merito originem traxit, cum Officium pro implemento Justitiæ hæc facere teneatur, absque eo, quod a Fisco adhærentibus quidquam petere possit, sed a mera liberalitate donantis, quæ est causa magis proxima, & immediata, sive, ut etiam dici solet, finalis; ideoque, quamvis officium ipsum fuerit aliquo modo causa accidentalis, causa mediata, causa remota, & occasio potius, quam causa, ut inquit *Tiraquell. in tract. cess. caus. limit. 20. num. 3. in fin.* non ideirco compendium, quod ex dono isto provenit, quidquam pertinet ad Officium, ejusve caput, vel quia incertam liberalitatis voluntatem habuit, ut inquit Papinianus in *l. Sejo §. Medico ff. de ann. legat.* Vel quia, non jure officii, sed ex propria industria, vel liberalitate donantis illud acquisivit, argumento *Text. in l. Item veniunt 20. §. sed si vendidit vers. nam; & Julianus ff. de petit. hæred.* Vel quia non ex officio, sed propter officium, sed occasione officii, a liberalitate donantis, nulla habita contemplatione officii, illud assecutus fuit, ut de donatis socio respondit *Pomponius in l. socium 60. §. Socius cum resisteret ff. pro soc.* & de remissis hæredi, non ex hæreditate, sed ex pactione, *Paul. in l. si hæres ff. ad l. Falcid.* Et de acquisitis ab hærede, non ex hæreditate, sed propter errorem, & imperitiam Judicis, idem *Paulus J. C. in l. Debitor 59. §. fin. ff. ad Senatus C. Trebell.* & in puncto de acquisitis occasione Officii, *Noguerol. alleg. 8. num. 51.* Vel denique quia in remunerationibus, semper debet attendi causa magis propinqua, immediata, & finalis, quam remota, & accidentalis, *arg. l. Publius §. 1. ff. de condit. & demonstr. l. si vivo Matre vers. nam licet C. de bon. matr. l. 2. in princ. ff. de interd. & relegat. Grat. cons. 77. num. 7. vol. 1. Lagunez. de fructibus cap. 14. n. 56. Solorzan. de Jur. Indiar. lib. 2. cap. 8. nu. 73.* ubi de Xeniis datis Legatis Principum, quamvis occasione legationis erogentur, firmat, quod ipsis Legatis, non Principibus illa acquiruntur, idemque tradit *Lagunez loc. cit. num. 59.* ubi solum hoc limitat, si nominatim, contemplatione ipsorum principum Xenia data fuerint.

Nihil etiam officere poterit, quod istiusmodi munus receptum fuerit contra ea, quæ expresse disposita sunt per Constitutiones Apostolicas Bonifacii VIII. Gregorii XIII. Alexandri VII. Innocentii XII. super datis, & receptis, & per Chirographum Sa. Me. Urbani VIII., quod per extensum refert *Scannaroll. in appendic. ad tract. de visit. carcerat. cap. 23. §. 1.* Quod enim attinet ad prædictas Bullas, eæ locum non habent contra Tabelliones, ut probant *Consal. ad l. Unic. C. si quis Imper. maledix. §. 10. n. 51. fol. mihi qui le n 75. Bonif. Nep. ad bannim. general. cap. 47. num. 14.* ubi, quod quidquid datur Tabellionibus, non datur principaliter pro obtinenda gratia, vel Justitia, sed pro mercede eorum laboris.

Quod plane spectat ad dictum Chirographum, illud profecto sic ait -- *Detti Notarj siano contenti di questa provisione, di modo che occorrendo gl'emolumenti legitimi, che concedono le tasse, e riforme di Paolo V. nostro Predecessore, non possino, sotto qualsivoglia pretesto ricever denari, robba, o promesse, etiam spontaneamente offerte da carcerati, loro Procuratori, Parenti, & Amici, e similmente dall' aderenti al Fisco sotto pena della privazione dell'Offitio &c.* sed cessat ejusdem dispositio in hypothesi, tam quia D. Zannettinus illud munus recepit, benigne annuente Illustrissimo Domino Almæ Urbis Gubernatore, tum etiam quia terminata causa, nedum Notarii, sed etiam Judices possunt recipere munera, cum tunc cesset quodcumque periculum subversionis recti Judicii, ut post alios tenent *Caroce. de locat. & conduct. part. 1. quæst. 7. de Sportul. num. 25. fol. mihi 21. Menoch. de arbitr. cas. 117. num. 7. Pisscr. in cap. statutum §. insuper quæst. 5. artic. 5. num. 386. cum tribus seqq. de Offic. Ordin. in 6. Phœb. lec. Lusit. 110. num. 19. ad 21.* dummodo sponte mittantur, & nulla prævia pactione præcedenti. Nam aliter incidunt in censuram, *Text. in l. prima §. qui autem in fin. ff. de calumniat. l. final. C. ad l. Julian de repetund.* de qua *Caldero decis. 98. num. 39. & 40.*

Et quatenus per possibile ambigendum veniat, an sit illicite receptum, quod non asserendum, non idcirco competere poterit jus illud petendi D. Notario Charitatis, vel ex eadem prohibitionis lege, quæ & ipsi officere debet, vel quia hoc casu proderit D. Zannettino dispositio *Text. in l. 2. §. solet ff. de hæred. vel act. vend. lit.* cum quo concordat *Text. in l. si possessor bonæ fidei 49. ff. de petit. hæred.* ubi, quod illud, quod indebite pervenit ad venditorem hæreditatis, vel ad hæredem putativum, emptor hæreditatis, & verus hæres non habebunt, sed cedet lucro ipsorum venditoris, & hæredis putativi, prout, & per eos indebite solutum, eorum damno cedit, ut in terminis pragmaticarum Regni ponderat *Franch. decis. 172. sub num. 13. vers. accedebat prædictis.* Vel denique, quia se tuebitur eum dispositione *Textus in l. item veniunt §. sed si vendidit vers. nam, & Julianus ff. de petit. hæditat.* ubi quoque, ut supra innuimus, *Ulpianus* juxta mentem *Juliani J. C. respondit*, quod si hæres quid indebitum exegerit, illud restituere non debet, nec eidem imputari, siquid indebitum persolverit, ex quo, non jure hæreditario, sed ex propriæ personæ industria, ac liberalitate illorum, qui solvunt, exigit, vel suo

nomine solvit,

Et ita juris esse censeo, salvo semper &c.

VITUS SCARAMUZZA

Ad Tit. III. nu. 26.

De Appellatione,

OBSERVATIO XIII.

SUMMARIUM.

1. *Auctor de appellatione agit ante sententiam, ordinem Textus Religionis insectando.*
2. *De utilitate, & beneficio appellationis agitur.*
3. *De illius origine apud Romanos ex lege 12. tabularum.*
4. *Lex 12. tabularum refertur appellationem apud milites probibens.*
5. *Verbum appellationis, prisco Iure, quid contineat?*
6. *Omnibus appellandi facultas impartitur, Regula plurimis sanctionibus canonicis exornatur.*
7. *Cum Iure Canonico concordat Jus civile, maxime in criminalibus.*
8. *In quibus casibus de Iure civili in criminalibus non admittitur.*
9. *Alii recensentur casus, in quibus appellatio in criminibus vetita est.*
10. *Explicatur Textus* in leg. addictos C, de appellat,
11. *Traditur interpretatio ad Textum* in leg. 18. C, de pœnis,
12. *An in Tribunali Gubernii Urbis admittuntur appellationes in criminalibus.*
    Referuntur verba Constitut. Leonis X. *de facultate Gubernii Urbis,*
13. *Agitur de præminentia dicti* Tribunalis.
14. *Rationes dubitandi in contrarium recensentur.*
15. *Nullitas, & appellatio inter se differunt, suntque inter se duo remedia separata.*
    In odiosis nulla admittenda est extensio,
16. *Verba dictæ Constitutionis explicantur.*
17. *Appellatio in eodem Tribunali, non indistincte in omnibus sententiis probibetur.*
18. *Dictio* quomodolibet *quomodo intelligenda.*
19. *Observantia est optima legis interpres ostenditur, quod Tribunal Gubernii Urbis est summæ auctoritatis, innumeris præminentiis a summis Pontificibus in dies condecoratum.*
20. *Explicatur observantia relata* a Fariu. *in quo sensu accipienda est,*
    Ex constitut. Clement. XII. etiam convicti per testes pœna ordinaria afficiuntur.
21. *Confessi in criminalibus non appellant.*
22. *Sententiæ capitales, quoque in aliis Tribunalibus exequuntur, rejecta appellatione.*
23. *Quid hodie dicendum ubi ad capitale supplicium devenitur per indicia indubitata.*

1 TAmetsi ex recto judicii ordine de Appellationis, seu Provocationis præsidio post titulum de sententia agendum esset, ne judiciaria methodus præposteretur, quia tamen Auctor noster juxta ordinem *Textus Religionis* simul cum recusatione appellationem intexuit, eius ordinem insequendo nonnulla hic quoad vastissimam appellationis materiam adnectenda existimavi.

2 Appellandi usus, quam sit frequens, quam sit necessarius nemo est tum in Criminalibus, tum in Civilibus subselliis qui nesciat; ex eo namque Judicantium iniquitas, vel imperitia corrigitur, licet nonnunquam bene latæ sententiæ in pejus reformantur; siquidem non semper melius pronunciat, qui novissimus sententiam laturus est, ut inquit *Domitius Vlpianus in L. 1. ff. de appellat.*, & pro appellationis nomine sæpe Jurisconsultus provocationis vocabulo utitur, *ut in L. 1. §. fin. ff. ad S. C. Turpill. in L. 2, §. fin. ff. de pœnis, & in L. 6. ff. de appellat.*

3 Origo ejus antiquissima est, quippe lex duodecim Tabularum prima apud Tullium *lib. 3. de Legibus* per hæc verba se habet -- *Justa Imperia sunto, bisque cives modeste, & sine recusatione parento, Magistratum nec obedientem, & noxium Civem mulcta, vinculis, verberibusque coercento in par majorum potestas, populusque probibessit ad quem provocato esto.* Hanc de provocatione legem primo M. Valerius Publicola Cos. deinde Viri decem a *Solone* habuerunt; quomodo autem, & qua ratione a Romanis fuerit recepta appellatio docet *Livius l. 1, decad. 1, f. 687.* ubi de provocatione agit ad Populum adversus Magistratus, *& in lib. 3. de Lege Tribunitia.* Quodque hæc provocationis sanctio ad Populum fuerit, ut de mulcta a Magistratu imposita, damnato conquærente cognoscere posset apud *Livium* probatur *lib. 2. Belli. punic. ubi Sp., & L. Cirvil, Tribunus Plebi;* cum ducentum milium æris mulctam *M. Posthumio* dixissent, causa ejus per provocationem certante, populus per suffragium convenit eamque revocavit, præterea Flacco Martiali Flamin, Populus Romanus mulctam remisit, quam Crassus Consul ei, si a Sacris discessisset dixerat, ut *Cicero* refert *in Antonian. 11,*

4 Alia tamen lex in iisdem 12. Tabulis lata, quam refert idem *Cicero lib. 3. de Legibus*, vim Magistratuum militiam coercentium, a quibus provocare licitum non erat, sic exprimebat -- *Militiæ ab eo, qui imperabit provocatio non esto* -- idque non irrationabiliter, quia primo Imperatori, inde Consulibus, vel Dictatori cura totius exercitus mandabatur, sub quibus Legati erant, hi publice eligebantur, eorumque opera, & consilio Imperator teste *Var.* utebatur; unde cum in Judæos Vespasianus proficisceretur, interLegatos Titum majorem filium assumpsit. Insuper erant apud Athenienses Judices dicti *Octoginta capitalium Causarum*; Quinquaginta majores singulari opinione probitatis dicti *Ephetæ*, a quibus non dabatur provocatio, jus dicentes vel in Palladio, vel in Prytamneo, vel Delfinio, vel in Phreate, ut testatur *Suidas in verb. Ephetæ.*

5 At observatione dignum est, quod de prisco Quiritorum jure non omnis appellatio interponebatur judicii certandi æquo jure causa, sed interdum auxilii, & intercessionis gratia, ut *apud Cicer. in Orat. pro Pub. Quint.* -- *Videtur ne* inquit *intercessisse appellatio non more, sed auxilii causa*; Appellabatur id non fiebat more servato in causis, quia qui ita appellabat, se causa cognosci nolebat, & se æquo jure certare non posse clamabat. *Ita Cicer. in Vatin. ei objicit* quod appellaverit Tribunos, ne causam diceret; *Et Asconius Pædianus in Orationem Ciceronis contra Antonium, & Lucium Catilinam* Antonium dicit appellasse Tribunos, ne causam diceret, quod-

que

que æquo jure uti non posset. *Adrian. Turneb. l. 18. animadv. cap.* 22. plura de appellationibus provocando a jussu, vel decreto Principis ad eundem Principem exemplo *Machetæ*, qui a Philippo Macedonum Rege temulento (quia mero bibacior erat) ad Philippum Regem sobrium appellavit æquiorem sententiam reportando, nec non de aliis perbelle tradit *P. Erod. rer. judicatar. lib.* 10. *de appell. fol. mihi* 1345. *vol.* 2.

6 His prænotatis Regula est, omnibus provocationem esse concessam, ac nemini appellandi viam esse præcludendam, ut ex plurimis Summorum Pontificum sanctionibus constat fere per *tot. titul. decreti caus.* 2. *q.* 6. ita *Fabianus Papa ad Hilarium Episcopum relatus in cap.* 1. *Anacletus Epist.* 1. *relatus in cap. omnis* 3. *Marcellus in cap. Romanum* 6. *Victor. in c. si quis putaverit* 7. *Julius in c. placuit* 9. *Sixtus secundus in cap. si quis* 15. -- quod non tantum in Civilibus; verum etiam in Criminalibus caussis expresse inquit *idem Fabianus in c.* 20. ibi -- *licet etiam in Criminalibus caussis appellare, nec appellandi vox denegetur ei quem supplicio sententia destinavit* -- potissimum appellatione ad Sanctam Sedem interposita *juxta Text. in cap. si quis* 2. *q.* 6. ibi -- *si quis vestrum pulsatus fuerit* (sunt verba Sixti Papæ ad omnes Ecclesiæ Rectores directa) *in aliqua adversitate, hanc Sanctam, & Apostolicam Sedem appellet, & ad eam, quasi ad caput suffragium habeat, ne ipse Innocens damnetur*. Magis comprobat *Zepherinus Urbis Episcopus in cap. ad Romanam* 11. *ead. quæst.* ibi -- *ad Romanam Ecclesiam ab omnibus, maxime tamen ab oppressis appellandum est, & concurrendum quasi ad Matrem, ut ejus uberibus nutriantur, authoritate defendantur, & a suis oppressionibus relevantur, quia non potest, nec debet Mater oblivisci filium suum*, & denique *Julius Papa in c. ideo* 18. *ead. quæst.* ibi -- *ideo huic sanctæ Sedi* (sunt ejus verba) *præfata privilegia specialiter concessa sunt, ut ab ea omnes auxilium oppressi, & injuste damnati restitutionem sumant*.

7 De Jure Civili extat elegans rescriptum Imperatoris Alexandri, de quo I. C. Paulus *lib.* 20. *respons.* (ut in L. 25. ff. de appellat.) ibi *provocare quidem qualiter quisquam a jus dicentibus prohibeatur non video* -- Extant quoque Imperatorum Rescripta *in L.* 19. 20. & 24. *C. de appellat.* imo Judices puniuntur appellationes respuentes *L.* 21. *C. eod. tit.* -- quod appellationis præsidium tum damnatis, tum etiam aliis, illorum nomine in Capitalibus Caussis provocantibus benigne jura indulserunt, ita Ulpianus *in L. non tantum* 6. *ff. eod. tit. ibi* -- *non tantum ei, qui ad supplicium ducitur provocare permittitur, verum alii quoque nomine ejus, non tantum si ille mandaverit, verum quisquis alius provocare voluerit credo enim humanitatis ratione* (quæso innuenda sunt verba) *omnem provocantem audiri debere*: ac etiam reluctante eodem damnato, ut prosequitur Juris Consultus *d. L.* 6. §. 2. *ibi* -- *quid ergo si resistat qui damnatus est adversus provocantem, nec velit admitti jus appellationem, perire festinans? adhuc putem differendum supplicium*, quod ampliandum etiam, si quia ex speciali Principis rescripto in caussa processisses *Tex. in L.* 2. *C. de appellat. ibi* -- *Novum quod postulas non est, quod etsi rescripti mei* (loquitur Alexander ad Plautiam) *authoritas intercessit, provocandi tamen facilitas tibi non denegatur*.

8 Hoc adeo verum est, ut in tribus tantum casibus de jure Pandectarum vetita in Criminalibus fuerit appellatio *juxta Modestinum lib.* 6. *differentiarum de quo Textus in L.* 6. *ff. eod. tit. ibi* -- *Constitutiones, quæ de recipiendis nec appellationibus loquuntur, ut nihil novi fiat, locum non habent in eorum persona, quos damnatos statim punire publice interest ut sunt insignes latrones, vel seditionum Concitatores, vel Duces factionum*, dummodo tamen de dictis criminibus convicti, & confessi essent, ut ibi explicat *Gloss. in verb. vel Duces* -- Insignes autem latrones ii sunt, de quibus *Text. in. L. Capitalium* §. *famosos ff. de pœnis*. Seditionum autem Concitatores ii, de quibus *in d. L. Capitalium* §. *solent in L. si quis aliquid* §. *authores ff. eod.*, & *in L.* 1. *C. de seditios.*. Duces vero factionum accipiuntur pro Proditoribus, & sic Caporales dicuntur alicujus proditionis *L. si quis C. ad L. Jul. Majest.*

9 Inde vero de Jure Codicis appellatio denegata fuit Virginum, aliarumque honestarum Mulierum Raptoribus, *ut in L.* 1. *C. de rapt. Virg.* ibi -- *quibus etsi appellare voluerint, nullam damus licentiam*. Item in crimine falsæ Monetæ *L.* 1. *C. de fals. Monet.*, ibi -- *appellandi etiam privato licentia denegetur* -- Rursus homicidis, Veneficis, Maleficis, omnibusque aliis, qui manifestam violentiam admiserint, si tamen convicti, confessique fuissent, ut *Text. est in L.* 2. *C. quorum appellat. non recip.* -- *observare curabis* (sunt verba Constantini ad Catullium appellationis præfectum) *ne quis homicidarum Veneficorum, Maleficorum, Adulterorum, item eorum, qui manifestam violentiam commiserunt* (in quo concordat *Text. in L. quoniam multa C. ad L. jul. de vi pub.* ubi appellatio denegatur) *argumentis convictus, testibus superatus, voce etiam propria vitium scelusque confessus audiatur appellans* -- Verum si confessus haud esset, aut tormentorum formidine fateretur, ei provocationem Imperator minime denegavit, ut ibi subdit -- *Sicut enim hoc observari disposuimus ita æquum est, Testibus productis, instrumentisque prolatis, aliisque argumentis præstitis, si sententia contra eum lata sit, & ipse qui condemnatus est, aut minime voce sua confessus sit, aut formidine tormentorum territus, contra se aliquod dixerit, provocandi licentiam ei non denegari*.

10 Atque in hunc sensum intelligenda est, de memoratis Criminosis minime confessis, Constitutio Imperatoris *Archad.*, & *Honor. relata in Text. in L. addictos C. de appell.* -- ubi hæc habentur sequentia verba summopere menti imprimenda -- *Addictos supplicio, & pro criminis immanitate damnatos, nulli per vim atque usurpationem vindicare liceat, ac tenere, quibus in caussa Criminali humanitatis consideratione interponendæ provocationis copiam non negamus, ut ibi diligentius examinentur, ubi contra hominis salutem per errorem, vel gratiam cognitoris oppressa putatur esse justitia*.

11 Prout etiam ad sensum superius adducti *Textus in L.* 2. *C. quor. appell.* intelligenda est altera ejusdem Constantini Constitutio relata *in L.* 18. *C. de pœnis* his verbis -- *Cum Reis manifesta probatione convictis spatium temporis ante sententiam datur facultas supplicandi, vel quibusdam malignis artibus tam Præsidis, quam Officialium pœnas evitandi criminosissimis patet, cum & in homicidii crimine, & in aliis detectis gravioribus caussis differenda non sit*. Aperte enim loquitur ibi Imperator de convictis, & confessis, attentis verbis illis -- *manifesta probatione convictis* -- & in his tantum ultionem differendam haud esse præscripsit, tanquam appellationis præsidio destitutis.

12 Hæc autem de jure Pandectarum, & Codicis seu de jure Romanorum antiquo; etenim de jure Municipali novissime refert *Farin. quæst.* 100. *nu.* 98. in Urbe a Sententiis latis ab illius Gubernatore, seu ejus Locumtenentibus in causis Criminalibus appellationem, seu reclamationem non dari, nisi proprio motu Sanctissimi vi *Constitutionis Leonis X. incipien. & si pro cunctarum de facult. Gubern. Urbis §. statuentes* 10. (quam per extensum refert *Ridolphin. post. prax. de litter. apostolic. f. mihi* 20. *in ædit. Senat.*) cujus verba hæc sunt -- *Statuentes Processus tuos, vel Auditorum, vel Locumtenentium tuorum in causis præmissis, vel sententiis ferendis ob juris ordinem telamque judiciariam dictæque Cameræ, & Romanæ Curiæ stylum, vel consuetudinem, illis non servatis, per viam nullitatis, vel alias quomodolibet impugnari, seu revocari non posse, nec a processibus, & sententiis hujusmodi &c. in causis criminalibus nullatenus per aliquem appellari, vel reclamari posse* -- propterea que ipse *Farin.* subdit, quod dicta Constitutio tempore suo erat in viridi observantia (prout etiam hodie servatur) cum non solum non obstante quacumque appellatione dictus Gubernator, & ejus Judices Sententias prædictas contra condemnatos exequantur, sed etiam in vim earundem facultatum absque ulla prorsus Citatione sententiam pronunciant, & condẽnant, adeo quod pauperes Carcerati ignoranter, & ex improviso ad furcas diriguntur.

13 Quam præeminentiã a Summo Pontifice prædicto Tribunali elargitã fortasse quis diceret non ratione, quod agitur de causis criminalibus, nam in dicto §. 10. *in versic, nec a Processibus* etiam in causis civilibus usque ad summam ducatorum decem auri, & mercedum, appellatio, & reclamatio prohibetur, sed quia illud consideravit consimile antiquo Præfecto Prætorio, a quo nec etiam de jure Pandectarum, & Codicis ob præeminentiam provocatio admittebatur, juxta *Textus in L.* 1. *§. scire* 2. *ff. a quibus appellari non licet in L. unic. §. bis ff. de offic. Præfect. Prætor, in L.* 17. *ff. de minor. in L.* 1. *C. de sent. Præfect. Prætor. in L.* 19. *&* 35. *C. de appellat.* -- credit enim Princeps eos qui ob singularem industriam, explorata eorum fide, & dignitate, ad hujus officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos esse pro sapientia, ac luce dignitatis suæ, quam ipse foret judicaturus, ex docte ponderatis per *Ioannem Melchior. Cleze in tract. de appellat. cap.* 4. *num.* 44. *&* 67. -- De facto *LEO X.* Gubernatorem Urbis in exordio, seu *in §.* 1. d. Constitutionis summopere commendat, *quoad Doctrinã, integritatem, circumspectionem*, & alia, quæ ibi videri possunt cum declarationibus ibi expressis.

14 Sed si de appellatione expressa mentio facta non fuisset in præfata Constitutione, hæsitari contingeret, an ex verbis illis -- *per viam nullitatis, vel alias, quomodolibet impugnari, seu revocari non posse*, quoque appellatio continetur? & negative respondendum esset; prout etiam declaranda est prælaudata Constitutio, quo ad actum suspensivum tantum, non autem devolutivum, ut explicat *Farin. d. q.* 100. *n.* 100. licet quo ad ultimum supplicium observantia est, quod ad utrumque effectum appellatio reijciatur; sed an inde hæredes damnati provocare possint; & quibus in casibus infra suo loco examinabitur.

15 Et Revera quoad primam partem conveniunt omnes quod nullitas, & appellatio sunt duo juris remedia invicem separata, & ex diversa causa orientia, siquidem nullitas adinventa est ad irritandum actum de quo quæritur *L. non dubium C. de legibus L. unic. C. qui pro sua jurisdictione cum similibus* -- Appellatio vero ad corrigendam judicis imperitiam, vel ejus iniquitatem, *L.* 1. *ff. de appell.* taliter ut remoto uno aliud remaneat, nec ultra ex uno ad alterum extendi debeat prohibitio, tamquam a jure communi exorbitans, & odiosa, ut punctualiter se habet Doctrina *Bald. in L. eos §. ne temere C. de appellat.* -- ubi lex pœnalis prohibitiva nullitatis, ad appellationem, quæ seorsim a nullitate examinatur ad appellationem non extenditur, alias videretur præclusa via quibusvis defensionibus, & sequerentur mille absurditates, & inconvenientia contra *Text. in C. erit autem Lex dist.* 4. *in L. si in L. quoties & in L. rescripta C. si contra jus &c. Vantius de nullit. rubr. qui possit dicere de nullitate n.* 33. *& seq. & cum aliis Cancer. variar. lib.* 3. *c.* 18. *n.* 21. *& seqq.*

16 Potissimum quia cum verba prælaudatæ Constitutionis aperte indicent *ordinem judiciarium, telamque Judiciariam*, in quibus potissimum fundatur nullitas, ex vulgatis Juris elementis, neutiquam de una ad alteram extendenda videntur in re tam odiosa, & exorbitanti: eo magis quia verbum revocari semper supponit *nullitatem*, actumque infectum, & irritum reddere, ad ponderata *per Senec. de benefic. lib.* 4.

17 Sed urget dubitandi ratio (juxta dicta per *Farin. num.* 100.) ex difformitate, seu inæqualitate in admittendis, & reijciendis appellationibus, interpositis a sententiis latis a dicto Tribunali, enim vero si in vim præfatæ Leoninæ Constitutionis indistincte loquentis, vetitum esset a sententiis prædictis provocare, aliisque ejusdem Tribunalis judicatis, id procedere indistincte deberet non tantum in sententiis supremam capitalem ultionem dictantibus, verum in aliis quoque corporalem triremium, vel operis, aut exilii coercitionem continentibus; nam verba prælaudatæ Constitutionis *in dict.* §. 10. tanquam generalia, & universalia, omnia comprehendere deberent, rejecta penitus qualibet restrictione, seu altera limitatione, at quia contrarium experitur, tum ex dictis per *Farin. num.* 100., tum ex inconcussa praxi, & observantia, qua utimur quoad Judicata corporales citra mortem animadversiones dictantia, etenim indubitanter in dies, & quoties casus accidit, appellationes recipiuntur, & commissiones in devolutivo signantur, ut testatur etiam *Guazin. defens.* 36. *cap.* 4. *num.* 5. *&* 6. sequitur proinde si veritatem amemus, neutiquam posse ex verbis dictæ Constitutionis depromi distinctionem quam *Farin. in d. num.* 98. recenset pro admissione appellationis in devolutivo.

18 Adeo rationes expressæ *nu.* 15. stringunt, pro distinguenda nullitate ab appellatione, ut neutiquam convenire posset dictio, *vel alias quomodolibet impugnari &c.* in eadẽ constitutione expressa; nam d. dictio limites nullitatis non egreditur, quia debet declarari, & restringi secundum subjectam materiam, ad quam dispositio loquitur ex traditis per *Cardin. Tusch. practic. conclus. litter. D. Concl.* 355. *num.* 15. *&* 16.; insuper quo ad aliam partem difformitas, seu inæqualitas auget hæsitationem; enim vero cur admitti debeat distinctio inter sententiam capitalem, & non capitalem, expressum non video in præfata Constitutione indistincte loquente, quapropter, ex indistincta appellationis prohibitione sequi deberet, ut nulla adhibita capitalium, & non capitalium distinctione, provocatio reijcienda esset, quod tamen a communi observantia alienum est.

Quid

19 Quid ergo in hoc anfractu dicendum? ad salvandam diversitatem prædictam inter pœnas capitales, & non capitales? & quo ad appellationem in devolutivo, & non in suspensivo in pœnis non capitalibus? aliquis recurreret ad observantiam, tanquam optimam cujusvis dispositionis, & legis interpretem, ad ponderata per *Gratian. discept. Forens. c. 839. n. 27. cap. 867. num. 45., & cap. 978. num. 27. Riccium Collect. decis. 3020., & 3823., Surd. decis. 129. num. 19. & Rot. decis. 169. n. 19. & seqq. part. 12. recent.* Sed an hæc distincta observantia locum sibi vindicare in facti specie possit ex dicta Constitutione indistincte loquente non explicavit *Farinac.*, imo si veritatem amemus, confuse loquutus est, Et prætermissa prędicti Tribunalis suprema præeminentia (nam revera sententię capitales ibidem sunt inappellabiles, tanquam Tribunal innumeris præeminentiis a Principe in dies condecoratū, unde inquit *Guazzin. defens. 36. c. 4. n. 5. quod in isto supremo Gubernio Brachium Regium habente Pontifices solent eligere Viros, eruditos, prudentes, circumspectos, expertos, integros spectatæ fidei, cum ab illius gubernio dependeat tranquillitas totius Civitatis*), quod attinet ad appellationem, ex observantia, nunquam admissam, etiam in devolutivo quo ad sententias capitales, id non tantum vi dictæ Constitutionis, sub cujus prohibitione provocatio quo ad devolutivum interdicta nunquam dici posset ex dicendis in *seqq. observ. num. 19.* sed alio saniori modo ad Juris tramites orum habuisse deprehenditur.

20 Enim vero quemadmodum dictum Tribunal, prout cætera alia Urbis Tribunalia tempore *Farinacii*, ultimi suplicii pœnam, etiam contra Immanium criminis sontes minime dictabant, nisi eorum concurrente invulnerabili, & nitida facinoris confessione, omnibus muneris in genere, & specie verificata, taliter ut in Convictos per testes nec mutus ad capitalem ultionem descendebant, quod inconcusse ad novissima usque tempora *S. M. Clementis XII.* servatum extitit, unde idem Pontifex *anno 1735.* Constitutionem edidit incip. *In supremo Justitiæ solio*, in qua penitus abrogato quocumque præcedenti stylo, usu, & judicatarum exemplis, ad illud usque tempus in contrarium servatis, mandavit in *§. præterea*, imposterum mortis pœnam ordinariam dictandam quoque esse in Convictos per testes ibi -- *Neve prætextu erroneæ, & nunquam approbatæ consuetudinis, sive interpretationis quispiam decipiatur, ad omnium, & singulorum memoriam revocamus prædicta pœna ordinaria teneri non tum ore proprio confessos, sed etiam qui de commisso homicidio juxta Juris canonici, & civilis dispositionem, juxta quam in cæteris quibuscumque delictis, fartam tectamque volumus, convicti fuerint, quibusvis prætensis, usu, & stylo, rebusque judicatis minime attentis.*

21 Ita mirum non est, si observantia introducta extiterit in Tribunali ab ejus capitalibus sententiis non appellari, prout de facto undique, & semper provocationes rejectæ fuere (quod etiam in aliis exteris dominiis servatur in Confessis, ad tradita per *Chartar. de execut. sentent. cap. 1. n. 99.*) hoc namque non ex particulari sanctione introductum videtur, sed in vim Juris communis, quo edocemur, Confessos in criminalibus ab hujusmodi appellationis præsidio rejiciendos fore, ut cubitalibus literis se habet Textus *in l. 2. C. quor. appellat. non recip.* cum aliis Juribus superius adductis *n. 10.*, quod etiam præscriptum extitit in Canonicis Sanctionibus ab *Innocent. III. in cap. cum speciali 61. §. porro de appell.* his verbis -- *Si ejus excessus evidentia rei, vel ipsius confessione manifestus, non est provocationi hujusmodi deferendum*, rationem subdens -- *quia appellationis remedium, non est ad defensionem iniquitatis, sed Innocentiæ præsidium institutum*, & deinde ab Innocentio IV. *in cap. 3. §. si autem de appell. in 6.* ibi -- *Si autem post sententiam in casibus a Jure prohibitis, utpote a sententia super manifesto, & notorio crimine, vel de quo quis confessus extitit, promulgata*, unde in his apprime dispositio congruit Textus *in l. constitutiones ff. de appell.*, quod statim puniri eos publice interest, & *in l. 18. C. de pœn.* ubi ultio differenda non est.

22 Quodque hujusmodi fonte prædicta observantia descenderit, magis patet ex capitalibus sententiis aliorum ordinariorum Urbis Tribunalium, A.C. nempe, & Senatoris; etenim cum ad ultimum supplicium dictandum nonnisi devenerint, quam in Confessos, hac ratione, & non in vim Leoninæ Constitutionis, quæ dictis Tribunalibus toto Cælo inapplicabilis est, eorum capitales sententiæ exequutioni demandatæ fuere, posthabita, & rejecta quacumque appellatione, ut omnibus innotescit.

23 Verum hodiernis temporibus, in quibus primeva immutata sunt, & ex supervenientium Summorum Pontificum Constitutionibus, & Chirographis, ad mortis pœnam devenire Tribunalia queunt in Convictos per testes, etsi minime confessos, & in atrocissimis, & exemplaribus delictis etiam ad ultimum supplicium adversus reos per indicia indubitata convictos, utrum observantia prædicta extendi debeat in his casibus, Aliorum farinæ libenter remitto; ex præmissis enim facile ad quæstionis resolutionem descendere quisque poterit, ac alia superaddere.

Cætera vero quo ad appellationem habebis *in seqq. observat.*

Ad Tit. 3. §. 8.

De Appellatione ex Jure Pontificio, in Criminalibus Causis deneganda.

OBSERVATIO XIV.

SUMMARIUM.

1. *A legitima correctione non appellatur.*
2. *Dato excessu, etiam a correctionibus provocatur.*
3. *Conclusio indistincte procedit in judicialibus, & extrajudicialibus.*
4. *Privilegia Regularium in denegandis appellationibus intelligi debent secundum Jus commune.*
5. *Quando dicatur excessus in correctionibus, remissive.*
6. *In minimis etiam datur appellatio.*
7. *Notorio delinquenti appellationis beneficium non indulgetur.*
8. *Explicatur Notorium, & tribus modis declaratur*
9. *A commonitione Prælati non datur appellatio.*
10. *Ab Executore provocatio denegatur.* *Limita dato excessu.*
11. *Appellatio sublata videtur existente clausula* appellatione remota.
12. *Quando dicta* clausula *omnia comprehendat cum de pluribus in rescripto fit mentio?*
13. *In crimine hæresis rejicitur appellatio.*
14. *An in crimine Simoniæ sit locus appellationi?*

15 Ab

15. *Ab excommunicatione datur appellatio in devolutivo tantum, non suspensivo,*
16. *Quid dicendum in crimine Assassinii,*
17. *Existente causa rationabili appellatio non est deneganda etiam in vetitis.*
18. *In causis incontinentiæ, & delictorum carnis, quo ad Clericos non datur appellatio suspensiva.*
19. *Appellationes de Jure prohibitæ intelliguntur, quo ad actum suspensivum, non autem devolutivum: declara tamen ut ibi.*
20. *Appellationi an renunciari possit in criminalibus? Negative resolvitur.*
21. *Limitationes efferuntur remissive.*

1. ITerum appellationis materiam prosequendo, enucleatis in præcedenti observatione criminibus, in quibus de Iure civili provocatio denegatur; nunc de illis, in quibus ea quoque vetita a Canonicis sanctionibus reperiatur, discutiendum, & primo se offert Textus *in cap. ad nostram 3. de appell.* ubi *Alexander III.*, a legitima correctione appellationem denegavit, rationemque Summus Pontifex ibi tradit, quia appellationis remedium non ideo Inventum est, ut alicui a Religionis, & ordinis observantia exorbitanti, debeat in sua nequitia patrocinium exhibere: concurdant alii Textus *in cap. reprehensibilis 26. §. præcipue eod. tit.*, ubi Idem *Alexand. III.* mandat Religiosis, ne cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, appellare præsumant, sed humiliter ac devote suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem injunctum; *& in cap. licet 12. de offic. ordinar.*, in quo inquit Innocentius III. in corrigendis excessibus juxta canonicas sanctiones appellationis diffugium esse interclusum, enim vero non admittitur appellatio a correctione, quia fit ad pœnitentiam, & extra formam Iudicii, argum. *cap. si homo 27. qu. 1., & in cap. cum beatus distinct. 45.* hinc Religiosis non licet a correctione, & mandatis suorum Prælatorum appellare, quæ fiunt secundum regulam, & constitutionem ordinis; idcirco ob hanc causam *Trident. session. 25. de reform. cap. 4.* præcipit, ne Religiosi ex suis conventibus recedant, etiam causa sui Superioris adeundi, ad appellationem prosequendam, enim vero Religiosus de gravamine queri nequit, si juxta regulam, & observantiam, quam sponte suscepit, corrigatur.

2 Intellige tamen, & declara prædicta Iura, nisi in corrigendo modus excederetur, in hoc namque casu provocatio non denegatur, ut Idem Innocent. III. decrevit *in cap. super 27. §. nos autem, de offic., & potestat. Iudic. deleg.* ibi -- *ab eo nisi modum excedat non liceat appellare, & in §. porro*, prout de appellatione indistincte admittenda in omni excessu est Textus *in cap. de Priore 31. de appellat.*, & a simili quoque provocatio admittenda est ab executore, cum modum excederet, *cap. quoad consultationem de re judic.*, licet alias appellari non posset, *cap. novit. de appellat., & cap. ei qui §. sunt quorum 2. q. 6.*, ideo namque Religiosis a correctione secundum regulam appellare prohibetur, ne ab observantia Regulari exorbitantibus patrocinium exhibeatur: ergo si a dicta observantia non exorbitant, sed ultra, aut contra illam gravantur, vel puniuntur, negari illis non debet appellationis remedium.

3 Propterea adnotatione dignum est, quod sive Prælatus Religioso subdito in Processu Iudiciali, sive extrajudiciali gravamen inferat, nullum quo ad hoc esse discrimen, optime tradit *Sanchez. tom. 3. moral. libro 6. cap. 8. num. 104.*, licebit enim in utroque Processu appellare, quando instituta excedantur, & in neutro licebit, si non excedantur; unde apparet nihil etiam quo ad hoc distare inter Regulares, & Seculares, cum utrique appellare valeant, quando gravantur contra Canones, & regulam Ordinis, & neutri quando non gravantur, ut fatentur *Innoc., & Bald. in d. capit. 3. de appell. num. 2.*

4 At quomodo Intelligi debeant nonnulla Religionum privilegia, quæ videntur Religiosis omnem appellationem denegare? Ea esse intelligenda eo modo, quo intelligi debet Ius commune sentiunt *Navar. comment. 3. de Regul. num. 51., & libro 2. cons. 4. num. 5. de appellat.*, *Rodriquez qq. Regul. tom. 1. q. 29. artic. 2., & Sanchez. loc. citat. n. 110.* nimirum, quando correctio modum regulæ, & observantiæ non excedit, quia eodem modo eademque verborum forma, Ius commune, & privilegia de correctione secundum regulam loquuntur: ergo eumdem sensum habet, potissimum, quia iuri appellationis, jure naturæ constitutæ, Religiosi minime renunciarunt, quam Regulæ, & observantiæ ordinis exegerunt; *Azor. tom. 2. libro 12. Instit. moral. cap. 11. q. 8., & Sayro libr. 12. clavis Reg. cap. 17. nu. 3., & seq.*

5 Quando vero dicatur modus notabiliter excedens in correctionibus, seu mortificationibus? explicat *Auctor noster in hoc titul. §. 8. num. 49.* & in *tit. 2. §. 3. nu. 5. 83. & seqq.* eum itaque consule, ne dicta repetamus.

6 Sed dubitatur, an etiam in minimis, & levibus delictis appellatio admittenda sit? Ratio dubitandi est, quia de minimis non curat Prætor ex vulgatis; Verum pro admissione appellationis est Textus *in cap. de appellationibus eod. titul.* ibi -- *pro quacumque levi causa fiant, non minus est, quam si pro majoribus fierent*; ratio est, nam ita quis gravari potest in parvo, quam in magno; quantitas enim causæ non facit quare sit introducta appellatio, sed iniquum gravamen, *cap. ad nostram appellat.*

7 *Secundo* Vulnerantes, aut aliter lædentes Clericos, quoties eorum excessus est notorius, & publicus, de Jure canonico appellare prohibentur; ita decrevit Alexand. III. *in cap. pervenit. de appellat.* ibi -- *Si vero publicus est, & notorius, appellationis obtentu non prætermittas, quin eos excomunicatos denuncies*: & generaliter in quolibet crimine notorio non dari appellationem est Textus *in cap. cum sit Romana §. præterea eod. titul.*, ubi de Raptore, vel violento rei alienæ detentore, quod non debeat audiri appellando, si forte manifestus Raptor, vel fornicator existat, Idem de publico, & notorio Adultero est Textus *in cap. consuluit 14. eod. titul.* & in hoc conveniunt Jura civilia in præcedenti observatione adducta, & plura de notorio *Auctor. in §. 11. tit. 3. n. 55.*. Propterea observa, quod quando injuria est manifesta, id est notoria, qui ipsam intulerunt, prius satis facere debent, antequam absolvantur, *cap. ex parte de verbor. signif.*, *cap. Parochianos, & cap. cum olim. de sentent. excomun.*

8 Sed quod nam dicatur Notorium, explicat Alexander III. *in d. cap. consuluit 14. §. 1. his verbis* -- *um multa dicantur notoria, quæ non sunt, providere debes, ne quod dubium est, pro notoria videaris habere*; sed pro majori dilucidatione adverte, quod notorium dicitur tribus modis, Primo dicitur notorium

tium

rium facti, & illud est, quod se exhibet conspectui hominum, ut nulla possit tergiversatione celari, *ut in cap. vestra 7.*, *& cap. quæsitum 10. de cohabit. Cleric. & Mulier.*, nec requiritur scientia omnium, sed plurium, ut quando omnes admissum scelus proclamant, *ut in cap. scelus*, *& in cap. de manifesta 2. quæst. 1.*, unde versus.

Quæ vel nemo negat, Populo vel teste probantur.
Vel se subjiciunt oculis, notoria dicas.

& de hoc notorio intelligendus est *Textus in d. cap. consuluit. 14. in cap. pervenit.*, *& in cap. cum sit Romana de appell.* Secundo dicitur *Notorium Juris*, quando aliquis condemnatur, vel est in Jure confessus, ut in *l. final. ff. de stat. homin.*, *& in l. res judicata ff. de re judic.*; *d. cap. 7. & 10. de cohabit. Cleric. & Mulier*, & de hoc notorio quoad appellationem pariter est Textus *in cap. cum specialı 61. de appell. §. porro* ibi — *si ejus excessus evidentia rei, vel ipsius confessione*, *& ibi gloss. in verb. confessione*; Tertio dicitur *Notorium præsumptum*, ut in paternitate, filiatione, & consanguinitate, *l. quia semper ff. de in jus vocand.*, *cap. conquærente de fil. Præsbyt.*, *& cap. porro §. 11. de divort.*; aliter vero Notorium distinguit Henric. *Vagnereck. in exeges. Sacror. Canon. lib. 3. tit. 2. cap. 10. notab. 1. fol. mihi 155.* nec non alias notorii species declarat *Bajard. ad Clar. qu. 94. num. 19.*, sed in terminis appellationis a prædicta distinctione non recedas.

9 *Tertio* denegatur appellatio de Jure canonico, Abbatibus, aliisque Religiosis quoties de aliqua publica infamia publice reperti, aut convicti, deinde in communi capitulo commoniti, prælationi cedere noluerunt; ii enim appellandi facultatem non habent quoties provocare vellent a prædicta commonitione, ut Textus est expressus *in cap. quia 32. de appellat.*, & huic loco congruunt, quæ superius dicta sunt *n. 1.*

10 *Quarto* juxta sanctiones canonicas provocatio rejicitur a mero Executore (intellige qui nullam habet cognitionem, sed tantum executionem) nisi modum excedat ita Innoc. III. *in cap. novit. 43. de appellat.* ibi — *Cum secundum Jus ab executoribus appellari non possit, nisi forsan modum excederent in exequendo*, & concordant alia Jura in *cap. quo ad consultationem de re judic.*, *in cap. ei qui § sunt 2. q. 6.* Nec non Jus civile in *l. ab executore*, *C. quorum appellat. non recipiatur.*

11 *Quinto* ex Jure Pontificio appellatio sublata videtur etiam in criminalibus quoties causa commissa est cum clausula *appellatione remota* (quæ tantum a solo Principe apponi *potest. l. 1, §. 1. ff. a quib. appel. non licet*) quo in casu non tantum appellatio frustratoria, seu frivola, sed etiam quælibet provocatio vetita remota censetur, dummodo tamen non sit de illis, quæ a Jure expresse indulgentur, ad Textum in cap. Pastoralis §. *Nos igitur*, *de appellat.* ibi — *Respondemus, quod qualibet provocatio intelligitur removeri, quæ a Jure non indulgetur expresse Auctor. in tit. Ultim. de sentent. qu. 3. n. 100*, ubi explicat. Quæ autem appellationes in Jure expresse indulgentur, explicat *Gloss. in d. cap. Pastoralis*, *verbo expresse*, & de vi dictæ clausulæ. *Bald. in l. 3. C. de appellat. Anton. Butr. in cap. ut debitus eod. titul.*, *& specul. in tit. de appellat. §. in quibus versic. sed quem.*

12 Sed hic quæritur, an dicta clausula *appellatione remota*, posita in medio literarum, omnia comprehendat, cum plura in una commissione ponuntur minime se contingentia, an vero tantum præcedentia, nisi in fine commissionis ea reiteretur? Ratio dubitandi est Textus *in cap. Secundo requiris il. 1. de appellat.* ubi Pontifex dicit; quod non refert an appellationis remotio ponatur in medio, principio, vel fine, quia ad omnia refertur; verum præmissam, hanc *Textus* dispositionem locum sibi vindicare tantum in uno negotio habentes plures articulos se tangentes, & quasi concatenatos, juxta exemplum in *cap. dilecta de rescript.* in casu posito Quæstionem decidit Gregor. IX. *in cap. inquisitioni 71. de appellat.* his verbis — *Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quod quoties Clausula, per quam tollitur appellationis remedium, in medio literarum ponitur, si sunt plura negotia minime contingentia, præmissa* (idest præcedentia) *tantum complectitur, nisi forte in fine literarum Clausula iteretur*; ratio est, nam determinationes respiciunt tantum præcedentia, & non subsequentia, ut tradit *ibi glossa in figurat. casus.*

13 *Sexto* non appellatur ex dispositione Juris canonici in crimine hæresis per Textum *in cap. ut Inquisitionis 18. §. usque, de hæres. in 6.* ubi mandat Bonifac. VIII., ut hæreticorum nequitia puniatur *non obstantibus appellationibus seu proclamationibus ipsorum*, subdens ibi Pontifex; *quod tam secundum ordinationem prædecessorum Pontificum; quam secundum legem Imperialem* (nempe Federici Imperatoris ab eodem Pontifice approbatam in princip. dicti cap. 18.) (*appellationis, seu proclamationis beneficium expresse sit hæreticis, ac eorum receptatoribus, fautoribus, & defensoribus interdictum*, nota tamen, quod Bonifacius ibi approbat ac observari mandat quasdam Federici Imperatoris leges, quatenus hæreticorum exterminium prosequuntur, & statutis canonicis non obsistunt, enim vero præfatus Federicus, cum inde Schismaticus detectus fuisset, ab Innocentio IV. præsente Sacro Concilio depositus fuit, ut constat *ex cap. ad Apostolicæ dignitatis 2. de sentent. & rejudic.* ubi omnia ejusdem Imperatoris enormia facinora recensentur; adeatis *Decian. tract. crimin. lib. 5. cap. 20. num. 26. & cap. 58. num. 1.* nonnullas quoque Constitutiones Apostolicas referentem appellationes denegantes; explicant tamen DD. quod hæretici nequeunt appellare a diffinitiva, non autem ab interloquutoria si gravamen continet ut latius cum aliis declarat *Caren. de offic. S. Inquis. p. 3. tit. 14. nu. 1.*, *& seq.*, *Bordon. in manual. S. Offic. sect. 77. nu. 45.* ultra *Emeric.*, *& Pegn. in p. 3. direct. schol. 39.* ubi alios refert.

14 *Septimo* supponit Glossa *in cap. 1. de test. in 6.*, quod de Jure Pontificio, appellatio etiam denegatur in crimine Simoniæ, quam sequitur *Felin. in cap. sicut il. 1. de Simon.*, moti ex verbis Textus *in d. cap. sicut*, — *ita sine dilatione de Ecclesia Dei debet eliminari atque repelli*, etenim sententia statim exequen. per appellationem suspendi non debet, *l. continuus ff. de appell.*; ac moti etiam quod Simonia hæresi, & crimini læsæ majestatis æquiparatur, in quibus appellatio rejicitur, *ex cap. sane 20. quæst. 3. & l. si quemquam C. de Episcop. & Cleric.*; hoc tamen definitum est per *Rot. coram Seraph.* duabus adhibitis modificationibus relatis *per Farinacc. qu. 100. post num. 46.*

15 *Octavo* appellationem denegat Jus canonicum a sententia excommunicationis, vel interdicti per Textum *in cap. Pastoralis §. verum de appellat.*, intellige tamen quo ad effectum suspensivum in terminis, in quibus loquitur Idem *Textus in d. cap. pastoralis*, quod non obstante appellatione, possit excommunicatus denunciari, nec non ab eo subtrahi proventus Ecclesiastici; non autem quo ad effectum devolu-

volutivum, ut *in cap. pervenit. de appell.*, *cap. final. de except.*, *& cap. revera 3. quæst. 9. Speculat. in tit. de appellat. §. in quibus num. 16. & 17.*, & modernis temporibus silet omnis controversia, etenim appellatio ab excomunicatione etiam comminata, admittitur *ex Decreto 9. Clement. VIII. de appellat. relato in Concil. Roman. in append. §. 13.*

16 *Nono* tandem existimat *Hostiens. in cap. pro humano n. 28. de homic. in 6. una cum Joanne Andrea ibi n. 22.*, quod in crimine assassinii ex Jure canonum appellatio denegari debeat tamquam immani scelere, adversus quod multa specialia congerit *Capyc. decis. 155. n. 25. & seqq.* Verum si hoc intelligi debeat de confesso in hujusmodi crimine, frustra id adscribitur specialitati criminis, cum ex vi confessionis provocationis prohibitio descendat, ut patet ex dictis.

17 Adverte, quod in omnibus casibus, in quibus tum de Jure civili, tum canonico appellatio denegatur, vel ratione causæ, aut criminis intuitu, restringenda est regula, quoties in his exceptis causa rationabilis exprimeretur, cum vero præsumendum nullo pacto videtur, legum moderatores prohibitionem intellexisse, concurrente rationabili appellandi causa, saltem quo ad effectum devolutivum, ut sentiunt Innoc. in *cap. pastoralis 28. num. 3. & 4. de offic. & potest. Iudic. deleg.*, *Abb. in cap. consuluit, & ibi Franc. num. 6. de appell.*; *Bald. in l. 2. nu 2, C. quorum appell. non recip.*, ubi exemplificat, & ibi Salic. *num. 5.*; *Ruginell. de appellat. §. 2. cap. 3. num. 179.*, & in terminis Confessi, *Farin. qu. 101, num. 143. & seqq.*

18 Item ultra superius expressos casus, in quibus appellatio de Jure Pontificio denegatur, extat dispositio Tridentin. *Session. 25. cap. 14. de reformat.*, in delictis carnis & incontinentiæ Clericorum appellationes suspensivas denegans his verbis— *Nec quævis appellatio, aut exemptio prædictam executionem impediat, aut suspendat*, & hanc executionem non posse suspendi per appellationem, etiam interpositam ante diffinitivam sententiam, decisum testatur *Nicol. Garc. de benefic. part. 11. cap. 10. num. 186, dub. 12.*; adeas *Ignat. Lopez. ad Diaz. in practic. crimin. canon. cap. 79. litter. B.*

19 Pro complemento notabis, quod in omnibus casibus, in quibus tum ex Jure Civili, tum ex Pontificiis sanctionibus appellationes prohibentur, id intelligendum est quo ad actum suspensivum tantum, non autem devolutivum, siquidem nullo pacto ampliandæ sunt hujusmodi prohibitiones ad impediendum cursum appellationis ad effectum recognoscendi per Superiores, an sententia fuerit juste, vel injuste lata, ita docent *Annibal. Troys. in rit. M. C. V. 257. nu. 1. & ibi Caravit nu. 2.* ubi appellationes prohibentur ad effectum non retardandi exequutionem, non autem ad effectum nullatenus appellandi, *Afflict. decis. 261. in princip.*, *de Franchis decis. 120. n. 1.*, *Miscatell. in praxi par. 7. gloss condemnando n. 121. versic. nota tamen*, *Joseph. Amendol. in praxi par. 3. tit. 45. num. 57.*, *Guazzin. defens. 36. cap. 9. n. 4.* ubi loquitur de notorio, *& cap. 4. num. 6.* intellige tamen, & declara, nisi in Jure, aut aliis Constitutionibus expresse quo ad utrumque effectum ea prohibeatur, etenim expressa restrictionem aliquam non patiuntur *ex vulgatis*.

20 Insuper adnotabis, quod in causis criminalibus, Reus appellationi expresse renunciare nequit, forte ea ratione, quod cum appellatio defensionis pars dicatur, Reus undique ab hujusmodi renunciatione rejicitur, quia suorum membrorum dominus non est, ita ex censura *Textus in l. non tantum ff. de appellat. in l. addictos C. eod. titul.*, *& in l. si non defendantur ff. de pen.* firmant *Matth. de Crimin. ad lib. 48. ff. tit. 17. cap. 5. post num. 10.*, ubi Jura in contrarium explicantur, *Oldekops. in tractat. 1. de appellat. num. 1.* ubi adjungit *Bald. in l. final. §. final. num. 5. C. de tempor. appelland.*, *Philip. Franch. in cap. cum speciali 61. §. porro num. 5. & seqq. de appellat*, *Guid. Pap. de appell. quæst. 120. num. 85. Rebuff. de appell. artic. 5. gloss. 2. num. 25. tom. 3. Constit.*, *Ruginell. de appellat. §. 9. gloss. 1. cap. 1. num 14. versic. In criminalibus*; *Lancellot. de attentat. part. 2. cap. 12. ampliat. 2 princip. n. 8.*, & post alios *Bender. in tract. de revis. conclus. 33. n. 2. & seq.*: His addo, quod nec tantum expresse, sed nec etiam tacite talis renunciatio valeat; *Angel. de malefic. verbo præsente Cajo num. 80.*, ubi præsertim quando agitur de morte civili, vel naturali, aut membri mutilatione, *Paris. de Puteo de syndic. verbo appellatio cap. 1. num. 14.*

21 Limitationem, quo ad delictum notorium, vel quia Reus est confessus, aut convictus habes apud *Farin. quæst. 101. post num. 21.*, & quoad renunciationem tacitam, ex desertione appellationis non prosequendo intra legitima tempora apud *Scacc. de appell. qu. 17. limit. 2. num. 93.*

Ad Tit. III. §. 11.

De Contumace non appellante,

OBSERVATIO XV.

SUMMARIUM.

1. *Contumaces tanquam improprie Rebelles provocare nequeunt, intellige autem de vero contumace: decretum 14. Clement. VIII. refertur.*
2. *Explicatur quis dicatur verus contumax?*
3. 4. *Continuatur idem discursus.*
5. *Fictus seu præsumptus Contumax quando dicatur.*
6. *Cui Contumaci conveniunt verba dicti decreti.*
7. *Magis elucidatur quando Contumax verus non appellat.*
8. *Contumax condemnari nequit, tamquam Absens.*
9. *Antiquæ recensentur leges, de sontibus puniendis, & absentibus non damnandis.*
10. *Ratio dubitandi declaratur.*
11. *In Urbe, & tota ditione Ecclesiastica, Contumaces non audiantur in eorum appellationibus.*
12. *Nec minus per Procuratorem, aut quemlibet alium defensorem audiri possunt.*
   Restringitur regula quoties opponeretur pœnæ excessivitas.
   Inseritur allegatio Jacobii Jacobatii *in Urbe Advocati, & R. C. A. Procuratoris Fiscalis generalis.*

1 QUod hic P. Amen. *tradit. nu. 62.*, apud omnes receptum est, veris Contumacibus præclusas esse appellandi januas; etenim Contumaces tanquam improprie Rebelles considerandi sunt, Text. est *in l. 1. C. quor. appell. non recip.*, *in l. ex consensu litigantium 23. § final. ff. de appell.*, *in l. properandum C. de Judic.*, *in cap. ei qui appellat, 41. §. sunt etiam 2. quæst. 6.*, *& in cap. de illicito 24. qu. 3.* & novissime præscriptum fuit in decretis S. Congregationis Episcoporum approba-

tie

tis a *Clement. VIII.* in decreto *XIV. inserto in Concil. Roman. in append. de appell.* §. 13. ibi -- *A sententia etiam definitiva contra verum contumacem prolata, appellatio non recipitur, nec inhibitio, aut alia quævis provisio, quamdiu appellans in hujusmodi vera contumacia perstiterit, concedatur.*

2 Ad Formam hujusmodi decreti a Jure communi non deviantis, *verus contumax* tribus modis consideratur, *Primo* in non veniendo *ex prima vocatione*, qui inventus, & personaliter citatus respondit, se nolle venire ad Judicium, *Bartol. in d. l. ex consensu, & in l. final. ff. de in integr. restit., Jason. in l. properandum §. sin autem Reus C. de Judic. Specul. lib. 2. part. 1. tit. de contumac. §. 1. num. 2.* & secundum *Rot. in decis. 2. de dol. & contumac. in novis num. 3. in add.*, hic dicitur *verus contumax apparenter, & existenter*, cui appellatio denegari omnino debet, imo de rigore Juris contra hunc contumacem procedi potest nulla alia citatione facta, *per Text. in l. falcimus 7. ff. ex quib. causis in possess. eatur ubi gloss.*

3 *Secundo modo* dicitur *verus contumax*; qui tribus citationibus personalibus, vel unica peremptoria citatione, ad Judicium non venit, *l. contumacia ff. de re judic., l. 68. cum seqq. ff. de Judic., l. tres denunciationes 9. C. quomodo & quand. Judex, cap. de illicita 24. qu. 3. cum similibus*, & iste dicitur a *Rota in d. decis. 2.* Verus Contumax apparenter, sed non existenter, nam potuit aliquo modo esse impeditus absque sua culpa ad comparendum.

4 *Tertio modo* dicitur *verus contumax*, qui citatus venit, sed non obedit, seu illicentiatus recedit; certum est, inquit *Concilium Tribucense*, pro tribus criminibus aliquem excommunicari debere, cum ad Synodum canonice vocatus, venire contemnit; aut si postquam illuc venerit, Sacer dotalibus respuit obedire præceptis; aut si ante finitam causæ suæ examinationem, a Synodo abire præsumit, *ut in cap. certum est 11. quæst 3. & ibi gloss.* Idem est de quolibet crimine, & de recessu ante finitam cognitionem, *in cap. missus de conferr. distinct. 1.*, exemplificari potest in his, qui cum præcepto relaxantur habendi aliquam Civitatem loco Carceris, & ante finitam causam discedunt, & se absentant, hi enim proprie veri Contumaces dicuntur, etiam apparenter, & existenter.

5 Nunc *de ficto, seu præsumpto* Contumace loquendo, dicitur ille, qui non ad faciem citatur, seu personaliter, sed domi; in hoc namque casu propter dubium, an justo impedimento prohibitus comparere fuerit, vel mittere ad Judicium, aut num ad ejus notitiam pervenerit citatio, non dicitur verus, sed tantum præsumptus, seu fictus contumax, dummodo tamen non unica, sed trina ad ejus domum vocatio, seu citatio facta sit *per Text. in l. contumacis §. contumax ff. de re judic., Bartol. loc. citat., Specul. lib. 2. part. 1. tit. de contumac. §. 1. num. 2* Qui fictus contumax, quando sit apparenter, & existenter, & quando apparenter, & non existenter, declaratur a *Rot. in dicta decis. 2. de dol & contumac.*, quam refert Laurent *Ursell. practic. consult. tom. 2. litter. A. Consult. 128. num. 4.9*

6 Accedendo igitur ad verum, & genuinum sensum præfati decreti; illud ex verbis expressis -- *verum contumacem* - appellationem *veris Contumacibus* tantum prohibet, non autem præsumptis; si enim præsumptos, seu fictos comprehendere voluisset, vel expressisset, aut saltem sub generalitate *Contumacis* reliquisset; ideireo Juri Communi convenit, quo edocemur, appellationem vero Contumaci prohiberi, non autem ficto, seu præsumpto, ad tradita *per Gloss. in L. 1. C. quorum appell. non recip.; Cyn. in l. properandum C de Judic. quæst. 9. Speculat. in dict. lib. 2. part. 1. de contum. §. 1. num. 2.* Ratio diversitatis *inter verum, & præsumptum Contumacem* est, quia in vera contumacia non datur probatio in contrarium, sed inobedientia, & superbia aperta est; in præsumpta autem, inobedientia elidi potest per probationem, quæ a contumacia excuset, *ad Text. in cap. cum cessante de appell.*

7 Imo *vero Contumaci* appellatio denegatur, si contumax fuerit in non veniendo, non autem in non restituendo, vel in non exhibendo, quia tunc appellat, *l. Creditor §. jussus, & l. final. ff. de appell. Gloss. in Clement. 1. de dol. & contumac. Bart. in dicta l. final. ff. de in integr. restit.* Idem dicendum de Contumace in non jurando: nam appellare potest, *d. l. Creditor §. Jussus*, & rationem diversitatis ibi expendit *Glossa*; siquidem major censetur Contumacia in non veniendo, quam in non restituendo, non exhibendo, non jurando: in priori casu Judicis auctoritas læditur, nec excusatio, cur non venerit, admittitur inquit enim *Ulpian. in l. 5. ff. de Judic.* -- *Si quis ex aliena jurisdictione vocetur, venire debet, Prætoris enim est æstimare an sua sit jurisdictio, Vocati autem non contemnere Prætoris auctoritatem.* In posterioribus autem, Judex non contemnitur, sed ex aliqua causa renuit quis jurare, restituere, aut exhibere, suam defendendo causam, Text. *in l. adigere §. quamvis ff. de jur. patron.*

8 Sed ratio dubitandi est, Contumacem in criminalibus condemnari non posse, nullum est enim Judicium contra absentem latum, Jura sunt aperta *in l. absentem 3. ff de pæn. in l. absentem C. de accus., l. si quondam ff. ad leg. Jul. de adult., in l. 1. ff. de requir. Reis & in l. 1. C eod. tit.* Enim vero contra inauditum, qualis est absens, judicium justum non est, ideireo absurdum, eum in dicta damnare causa, *l inauditum, l. 8. ff. ad leg. Pomp. de Parricid.* Ita Q. Curtius *lib. 8. de gestis Alex.*, *Nullius cædes (inquit) majorem apud Græcos Alexandro excitavit invidiam, quam quod præditum optimis moribus, artibusque, Callisthenem, non tantum occiderit, sed etiam torserit, in dicta quidem causa.*

9 Leges in judicii quæstione de Horatii crimine, qui Sororem necaverat, obviam, & lacrimantem ob occisum pro Republica placandum Curiatium, & desponsatum, prolatæ sunt, quibus non licebat, quemquam indicta causa occidi, ut recensita suere exempla iræ divinæ in Civitates, quæ scelera impunita reliquissent, scribit *Dionis. Halicarnas. lib. 3.* Hanc legem videtur vocare *Livius lib. 1.*, fuerunt tales Lycurgi leges, quæ de indamnatis supplicium sumi vetabant, quas necessario semel abrogavit Agesilaus, & postea restituit e vestigio; siquidem cum adversus Rempublicam Lacedæmoniorum conspirationem ortam noctu comperisset, eas leges Lygurgi continuo abrogavit, quæ de indamnatis supplicium sumi vetabant; comprehensis autem, & interfectis fontibus, easdem restituit, ut ait *Valer. Maxim. lib. 7. cap. 8.*

10 Verum, ratione dubitandi minime refragante, optime in bene instituta Republica introductum est Sontes absentes, & Contumaces in criminalibus damnari, ne scelera inulta essent: Hinc Judicium fit in Contumaces non simpliciter, sed visis actis, Deo & Judice supplente locum absentis, *l. properandum & si*

& si quidem, *& §. sin autem C. de Judic.*, *l. 2. §. quod si actor C. de Iuram. propter. calumn. dand.* Neque impedimento esse queunt Jura allegata *num.* 8., loquuntur enim de absentibus tantum supplicio non damnandis, non autem de Contumacibus ad Judicium rite, & recte vocatis, & Judicem contemnentibus, *Gl. in d. l. absentem ff. de pœnis*, jure merito ubique locorum introductum est Contumaces tum in civilibus, tum in criminalibus causis damnari, & praxis inconcusse observat, habentur enim tanquam ficte confessi.

11 Hinc *in Urbe, & in toto statu Ecclesiastic.*, prohibentur appellationes damnatis in contumaciam, nisi in carceribus se constituant, tum ex *Constitut. Marchiæ lib. 4. cap.* 10. (quæ in Urbe, & toto statu Ecclesiastico servantur dummodo sint Cardinal. Egidii, & non Carpenses, ex Bullis Apostolicis insertis a *Caballin. in princip. dictarum Constit.*), tum ex aliis Pontificiis Constitutionibus, signanter *Pii II. & Pii V.* quorum verba recenset *Scacc. de appellat. quæst. 17. limit. 48. num. 28. & seqq. nec non Farin. quæst. 101. num. 59.*, quæ Bullæ etiam de novo additæ sunt *in hoc 2. volum operis P. Amoni*.

12 Et quia præfatæ Apostolicæ Constitutiones, signanter *Julii II.*, *& Pii IV. in Constit. incip. Ad sicut* §. *ut nullus*, præscribunt etiam, ut nullus in caus. criminali, ex qua capitis, vel sanguinis, aut alia quævis gravior arbitrio Judicis pœna infligenda esset, maxime in causa homicidii, per Procuratorem, excusatorem, defensorem, vel quemlibet de Populo, quovis pacto admitteretur, nisi Reus seipsum prius in carcere constituisset, quod indispensabiliter in dies observatur. Quæritur modo, an pro Contumace admittendus sit defensor, quoties objicere intendit non contra delictum, aut ejus probationes, sed adversus pœnæ excessivitatem in monitorio comminatæ, aut in sententia contumaciali expressæ, prodeuntem ex iisdem Fiscalibus actis, imo melius ex tenore Inquisitionis transmissæ? Et admittendum esse, non refragantibus Constitutionibus prædictis, indubium est, & in dies practicatur; sæpe enim sæpius post trasmissam Inquisitionem; seu monitorium Contumaces audiuntur per Procuratorem super excessu pœnæ. Cumque articulum hunc doctissime, & diserte examinaverit doctissimus *Nicolaus Jacobattus* in Urbe Advocatus, indeque ad Fiscalatum R. C. A. merito evectus, idcirco ejus allegationem inserere hic existimavi, ut opera tanti Doctoris omnibus innotescant.

Romana Retractationis Sententiæ Contumacialis.

1 ILlustrissime, & Reverendissime Domine, Nunquam dubitatum fuit, unicuique permitti pro Reo contumace defensiones assumere, dummodo ea, quæ proponuntur, extrinsecis facti probationibus non indigeant, sed ex eisdem Fisci actis, & a Iuris Fontibus profluant, per Text. *in Leg. penultim.* §. *ad crimen*, expressis verbis -- *Ad crimen Judicii publici persequendum frustra Procurator intervenit, multoque magis ad defendendum, sed excusationes absentium ex Senatus Consulto Iudicibus allegantur -- ff. de public. Iud.* Et in hunc sensum intelligendus est Textus in *Leg. Reos tertia* ibi -- *Reos Capitalium Criminum absentes, & Procuratorem defendi leges publicorum Iudiciorum permittunt* *ubi Baldus num.* 35. loquitur in casu, in quo non disputatur super crimine sed tantum super cancellatione Condemnationis *Cod. de accusat.*, *Leg. Servum quem* §. *publice*, *ubi Bartol. de Procurator* ibi -- *Utile est absentes a quibuscumque defendi, nam in Capitalibus Judiciis defensio datur, ubicamque itaque absens quis damnari potest, ubi quamvis verba pro eo facientem, & Innocentem excusantem audiri æquum est, & ordinarium admittere*, quam Juris dispositionem unanimi Doctorum sententia confirmatam sequuti sunt *Innocent. in cap. veniens 15. num. 2. de accusat.*, *& in cap. cum inter 16. num. 3. post princip. versic. sed dic. quod ubicamque de el ct. Bald. cons. 238. nu. 2. lib. 2. Bald. tit. an in Crimen in d. quis possit pro absente intervenire num. 14. Felin. in cap. cum ordinem num. 11. de rescript. Alex. cons. 4. volum. 6. Cyriac. foren. controv. 488. num. primo ad 6., & seq.*, ubi latissime donat *Antor. de Marin. Jur. resol cap. 33. num. 6. Farinac. qu. 99. nu. 239. Vermigl. cons. 118.* ibi -- *vulgata quidem, & vera est Conclusio, quod Contumaces non audiuntur, sed illa non est indistincta; admittit namque distinctionem, quod procedat, quando quod proponitur ab aliquo auxilium contumacis eget probationibus facti, secus quando id, quod allegat, consistit in Jure tantum, quia tunc quilibet non tamquam Procurator, & Defensor, sed tamquam unus de Populo est audiendus.* Idem Vermigliolus *cons. 78. num 1., & 2. Bertazol. cons. 303. num. primo lib. 2. Cutar de execut. sent. Cap. Bonnit. in præfat. num. 29. Caball. resol. Crimin. cas. 60. num. 16. Marsil in prax. §. sequitur sub num. 17. Gabriel. de malefic. lib. 7. conclus. 9. num. 40.*

2 Inter exceptiones vero favore contumacis allegabiles præcipuum sibi vindicat locum excessus pœnæ, *Bald. cons. 238. n. 2. lib. 2*, *& cons. 335. n. 1. lib. 3. Farinac. cons. 101. n. 48. Vermigliol. cons. 68. n. 3.* nam a tali excessu inquisitio, & sententia redditur nulla, & injusta, *Scannarol. de visit. carcerat. lib. 2. §. 19. n 9. Vermigliol. d. cons. 68. n. 2. Farinac. cons. 28. n. 1., & cons. 101. n 48.* ex notissimo Juris principio, quod Contumax majori pœna plecti nequeat, quam contra præsentem veniret imponenda *Bartol. in L. Rescriptum C. in princip. de his quibus, ut indign. Bald. in Cap. 1. §. Iniuria n. 19. tit. de pac. juram.* firmat *Barbat. cons. 23. n. 25.* Interest namque Reipublicæ, ne quis indebite, & excessive condemnetur, ut inquit *Farinac. quæst. 99. n. 234. in fin.*

3 Admittendus igitur venit Recursus D. Marchionis N, adversus excessum pœnæ Capitalis contra eumdem de Duello traductum, in contumaciam irrogatæ, nihil obstantibus Constitutione 52. *San. mem. Pii IV.*, *& Constitutione 9.*, *& 40. B. Pii V.* quibus præcipitur ne Rei in contumaciam damnati extra Carceres audiantur, cui consonat Juris communis dispositio *in L. penult. §. Ad crimen ff. de public. Judic.*, *& L 2. ff. An per alium causæ Apella. Clar. in pract. §. fin. quæst. 32. in princip.* Neque sententiæ postquam elapso anno transitum fecerint in Judicatum ullo modo retractentur, nisi condemnati, vel ab eodem Pontifice, vel ejusdem signatura Gratiam reportaverint, ut pariter de Jure sancitur, *L. Acta §. a amplianda ff. de re judic. Bald. tit. de Remed. Justit. contra sententiam ex concess. Princip. n. 1.*, *& sequen.*

4 Nam Constitutiones præfatæ loquuntur de sententiis rite, & recte, & juxta earumdem Constitu-

tio-

tionum præscriptum prolatis, in puncto *Chartar. de execut. sent. cap. fin. n.* 148. numquam vero de sententiis notorie nullis, & iniustis, quæ nequeunt exequi non obstantibus Bullis præfatis *Farinacc. quæst.* 11. *n.* 35., & 46. *cons.* 28. *n.* 1. *Cartar. de execut. sen. cap. Bannit. cap. fin. n.* 66., & 150. sive agatur de nullitate simpliciter, sive de injustitis, nam nullitas, & Injustitia pari passu procedunt, *Innoc. in cap. cum Bertoldus de re judicat. Gratian. discept. forens. cap.* 266. *n.* 14. *Farinacc. cons.* 53 *n.* 3. Ideoque quotiescunque nullitas, & Injustitia reddatur notoria, sive quia non indigeat extrinseca probatione *Farinacc. cons.* 86. *n.* 73. *Clar. quæst.* 32. *n.* 21., *Menoch. quæst.* 80. *num.* 77., & 82. *Boss. Titul. an in crimin. Judic. n.* 13., & *sequen.* sive quia resultat ex Processu, & actis Fiscalibus, *Ancharan. in c. Veniens* 15. *n.* 18. *de accusat. Magon. decis. Lucen. n.* 17. *Marsil. cons.* 48. *n.* 5., & 6., & 18. *Ciriac. controv.* 488. *n.* 41. semper admissa fuit Instantia contumacis, etiam stante statuto, & constitutionibus prohibentibus defensores audiri in Criminalibus Reo in carceribus non constituto, ut in puncto *Hieronimus Magon. decis. Lucen.* 22. *num.* 17. *Boss. tit. An in Crimine Judic. n.* 13. *in fine*, & *tit. de Carcer. fidejuss. committ. n.* 17. *Menoch. q.* 80. *n.* 77. *Farinac. cons.* 86. *n.* 75. & 78. *Pacion. cons.* 127. *n.* 73. *Ruin. cons.* 186. *n.* 13. *vol.* 1. *Bero cons.* 170. *n.* 16., & *seq. l.* 3. *Vant. de nullit. nu.* 54., & non obstante, quod vigore statuti Urbis contumax habentur pro confesso, *Cyriac. controv. foren.* 488. *n.* 6.

5 Neque exceptiones super notoria nullitate, & Injustitia admissæ fuerunt tantummodo, cum apponuntur adversus Monitorium, & Bannum, in quo nulla cadit controversia, *ex Saliceto in leg. Reos* 3. *n.* 16. *Cod. de accusat. Bartol. in L. penult. §. ad Crimen sub n.* 18. *Bartol. in L. servum quoque* 33. *n.* 9. *in fine ff. de procurator. Marsil. in practic. Criminal. §. sequitur n.* 29. *Farinacc. q.* 99. *n.* 212. & 213., & *cons.* 86. *n.* 69., & 70.. & *qui late a Cyriac. controv. for.* 498. *n.* 39.

6 Sed præcise quando apponitur nullitas, seu injustitia notoria sententiæ contumacialis jam promulgatæ, & in his terminis loquuntur *Alexan. in L. penult. n.* 94. *ff. de publ. Judic. Aretin. in cap. Venien.* 15. *n.* 79. *de accusation. Bald. in L. Reos* 3. *n.* 35., ubi loquitur in casu, in quo non disputatur super crimine, sed tantum super cancellatione condemnationis, *Rota decis.* 798. *n.* 70. *coram Eminentissimo Cerro*, ubi de nullitate adducta per Reum elapso anno *Augustin. ad Angel. de Malefic. in verbo qui Dominus Judex n.* 19. *Foller. in practic. Crimin. in verbo audiantur excusatores n.* 3. *Gabr. lib.* 7. *Conclus.* 9. *n.* 75. *Menoch. de Arbitr. d. q.* 80. *n.* 118. *Magon. decis. Lucen.* 22. *n.* 17. *Thesaur. decis.* 265. *n.* 11., & *seq. Farinac.* scribens pro veritate in causa rei absentis, & condemnati per sententiam *cons.* 86. *num.* 68. ibi -- *An scilicet D. Carolus ad allegandum præmissa possit audiri per Procuratorem absque eo, quod personaliter compareat, res credo aut nullam, aut modicam habeat difficultatem &c.*, & *sequitur n.* 77. His sic firmatis conclusionibus dico, quod non potest negari a D. Judice quin in hujusmodi Causa per Procuratorem audiatur ad dicendum de nullitate Inquisitionis Processus, & sententiæ contra ipsum latæ, cum præsertim tractetur de nullitatibus resultantibus ex eisdem actis: *Pignatell. Consult. canonic. tom.* 9. *consult.* 24. *num.* 10. ibi -- *Adeoque ut iste sic injuste damnatus possit extrajudicialiter audiri adversus d. sententiam excessivam. Clar. §. final. q.* 32. *n.* 21., & in casu præciso duorum Nobilium qui pro duello condemnati fuerant in pœnam capitalem, & tamen post sententiam persistentes in contumacia auditi fuerunt super eiusdem sententiæ nullitate; testatur *Franch. d.* 688., aliasque resolutiones refert *de Luca in addit. n.* 1. *Danza Pugna Doctor. lib.* 1. *cap.* 97. *num.* 131., & 187., ubi in specie quod Iudex ex se potest sententiam nullam a se prolatam reformare, quamvis lex, constitutio, seu statutum mandet omnino sententiam exequi, nec dici posse de nullitate, non enim intelligitur, patentem nullitatem, & injustitiam reijcere *Cancer. var. resol. p.* 3. *cap.* 18. *n.* 26. *ad* 29.

7 Et quamvis *Clarus in pract. Crimin. §. fin. q.* 32. *n.* 21., & *q.* 33., *n.* 1. videatur de hac conclusione dubitare, attenta consuetudine particulari illius Senatus, attamen ipsius dubitatio, utpote irregularis, & erronea reprehenditur *a Cyriac. controv. foren.* 498. *n.* 20. *Farinac. q.* 99. *n.* 238. *juncto* 236., *Menoch. d. qu.* 80. *n.* 95. quinimmo ipse *Clar. d. §. final. qu.* 32. fatetur hanc esse verissimam conclusionē, quando adducitur nullitas ex ipsis actis resultans, *ut n.* 21. Nullus admittitur ad dicendum de nullitate, nisi se personaliter constituat quando non vult demonstrare nullitatē, ex ipsismet actis resultantem.

8 Ea potissimum ratione, quia sententia nulla, & iujusta non dicitur sententia, *Leg. si se non obtulit §. condemnatum* ibi -- *condemnatum accipere debemus eum, qui rite condemnatus est, ut sententia valeat: cæterum si aliqua ratione sententia nullius momenti sit, dicendum est condemnationis verbum non tenere ff. de re judic. Franch. decis.* 400. *num.* 5., & nunquam transit in Judicatum, *Scaccia de re judicat. Gloss.* 14. *q.* 20. *n.* 11., & *sequen.*; *Rota coram Seraphin. decis.* 1262. *n.* 5.; & *d.* 260. *n.* 7. *p.* 1., & *d.* 594. *n.* 4. *p.* 2. *etc.*, & *dec.* 2. *impress. post letam de offic. Locumtenen. n.* 14.; Adeo ut ab eodem Judice, non obstante, quod functus sit officio suo revocari valeat *Abbas in Cap. ex litteris num.* 6. *de offic.*, & *potest. Jud. deleg. Practic. Papien. in forma appellat.*, *coram quo possit n.* 5., & 8. *Franch. in cap. dilecto n.* 65. *q.* 27. *de appellat.* etiam inconsulto Principe *Boss. tit. si adversus rem judicat. n.* 28 *Farinac. cons.* 54. *n.* 3. *Scaccia de Judic. l.* 1. *c.* 97. *n.* 131.; & *num.* 187. *Card. Albit. de Inconst. in Judic. q.* 38. *a n.* 324.

9 Idemque *Farinac.* in criminalibus Urbis subselliis versatissimus testatur in sensu veritatis, quod non obstantibus Constitutionibus Apostolicis sine rescripto gratiæ, sine commissione, & sine constitutione in carceribus contumaces valeant opponere nullitatem, & injustitiam sententiæ ex actis fiscalibus resultan., ut literaliter *in cons.* 101. *n.* 46. ibi -- *Quintum dubium numquid super præmissis ad impediendam executionem sententiæ possit in contumacia condemnatus audiri, absque eo quod fuerit admissus ad novas defensiones; hoc ultimum dubium nullam prorsus habet difficultatem, quia D. Quervus non negat mandatum, & sic delictum, de quo est condemnatus, sed dicit delictum prædictum esse impunibile, hoc enim casu, non obstan. quibuscumque Apostolicis Constitutionibus, contumaci non denegatur Audientia*, & *n.* 48. *Et cum sententia de qua agitur ex præmissis appareat in totum, vel saltem in parte excessiva quo ad pœnam necessario sequitur, quod nullum mereatur executionem non obstantibus Constitutionibus prædictis*, & adhuc clarius in memorato *consilio* 86. *n.* 68. & 76. *per verba* superius extensa §. *sed præcise in fine*, quæ contumacem audiendum super nulli-

tate sententiæ absque repugnantia Apostolicarum Constitutionum procul dubio confirmant, & famulantur, *Chart. tr. de execut. sentent.* aliique ab eodem *Farinac. collecti*, *& signanter Marc. Ant. Eugen. Cons. 20. per tot.*

10 Intermitti idcirco poterant, quæ lato calamo per DD. exadverso scribentes fuere cumulata circa Constitutiones Apostolicas, præcipientes non admitti contumaces extra carceres, maxime post rem judicatam; omnibus enim authoritatibus ex adverso allegatis unica satisfit distinctione, quod illę applicentur ubi sententiæ justæ, validæ, & ad formam earumdem Constitutionum prolatæ sint, secus vero ubi opponitur nullitas, & injustitia notoria, ut in nostro individuo loquuntur DD. supra congesti non habentes Contradictorem.

11 Expendendum igitur superest primo, num in sententia contumaciali Domini Marchionis irrogata sit pœna excessiva, in quo supplicamus reassumere allegationes alias datas, in quibus ni fallor ad evidentiam excessus demonstratur.

12 Nihil relevantibus objectis toties excitatis, quod attentis definitionibus duelli, & Bullis Apostolicis, eo ipso quod pugna sit intimata, & acceptata dicatur perfectum duellum: aliud est enim, quod dicatur etiam in hoc casu initum duellum quod est quæstio de nomine aliud, & quidem toto cœlo disparatum, quod qualecumque sit duellum, sive cum præmeditatione, sive sine præmeditatione patratum eadem pœna capitali puniatur, quod repugnat omnium DD. sententiæ.

13 Verum quia innegabilis hæc veritas exadverso non ignoratur, superaddunt ad præsumendam præmeditationem non attendi actum ipsum provocationis, sed causam præcedentem, & initium a quo post tempus intermedium deventum sit ad Duelli intimationem allegantes, ut Pauntialem *Panimoll. in decis. 144. n. 3.* quo loci tantum firmatur, quod duellum in rixa non sapiat Duellum quia inspicitur initium rixæ; sed miror, quod non perlegerint eamdem *Panimoll. decisionem sub n. seq.*, ubi ad rem nostram duos casus distinguit, alterum quando in ipso actu rixæ proceditur ad duellum, alterum quando non intervenit rixa instantanea, sed nihilominus statim intimato, & acceptato duello, proceditur ad pugnam, & utroque casus testatur non intrare pœnas duelli, *ut in n. 4., & 5.* Insuper diffidantes se, (& hic est secundus casu) ad pugnam in aliquo loco, quo statim tendunt & ibi pugnant, non incidunt in excommunicationem, quia non concurrit assignatio temporis, Multo magis (& hic est primus casus rixosus) si orta rixa unus alterum iracundia motus ad dimicandum in certo loco invitet, ac incontinenti ibi dimicent. Tantum igitur abest, ut *Panimolla* firmet aliquid diversum a sententia DD requirentium in duello præmeditationem, ut punctualiter in alia firmavimus, quin mirifice eorumdem opinionem, & rationibus faveat.

14 Frustraque recurritur ad opinionem *Patris Caraffæ & modern. Patris Schiaræ Theolog. Bellic. l. 1, difficult. 21. n. 38.* ubi tenet incurri pœnas duelli -- *Si quis* (sunt ejus verba) *accepta injuria dicat offendenti, exeamus hinc, ubi possumus impediri, & eamus in agrum, & pugnavimus.*

15 Non enim ex his verbis inferri valet, non requiri præmeditationem, imo si ipsius sensus juridice expendatur, non alia ratione movetur ad suam firmandam propositionem, quam ex suppositione præmeditationis; supponit enim, quod a tempore acceptæ injuriæ ad tempus intimati duelli intercesserit tempus intermedium capax liberationis; Propterea supponit distantiam loci a Civitate, & loco rixæ, ubi duellantes non possent a finitimis Populis impediri; quæ pariter distantia excludit actum instantaneum, & delictum reddit præmeditatum, quorum omnium nec minima circumstantia verificatur in nostra Hypotesi. Demum non aliter sensisse *P. Schiaram* deprehendimus, primo, quia in definitione duelli tradita, *ab eo libro 2. difficult. 12.* testatur, de substantia duelli requiri deliberationem, ut a *num. 1.* ibi -- *Duellum stricte sumptum esse pugnam paucorum deliberatam ab utraque parte sponte, & ex condicto susceptam* -- Secundo, quia admittit non affici pœnis duelli qui post rixam Domum rediit, armisque sumptis Inimicum ex iracundia provocet ad duellum, ut in *dicta difficultate 12. n. 23.*. *Et postmodum rediens ad inimicum illum ira percitus diffidat* -- non alia allegabili ratione nisi quia in actu duelli abfuit deliberatio. Tertio quia eamdem præmeditationem ad incursum pœnæ expresse requirit in spectatoribus *n. 24.*, quia non est proprie spectator ex proposito. Quarto, quia *P. Schiara* in exadverso allegata difficultate 21. *n. 28.* se totaliter refert ad *Farinac.* a quo bene probari fatetur hunc articulum in *cons. 9. n. 35.* Farinac. vero *d. cons. 9. nu. 35.* alias a nobis allegatus firmat ad literam -- *Ut dictæ pœnæ subintrent, debet abesse calor rixæ, debetque adesse præmeditatio, & deliberatio* -- Unde interpretari, quod P. *Schiara*, firmaverit in præcitata difficultate 21. ad incursum pœnæ ordinariæ non requiri præmeditationem, licet id non expresserit, nihil aliud est quam ejusdem authoris sensui Juri, ac Doctoribus ab eodem pro punctualibus allegatis, & a nobis in terminis in alta cumulatis contraire, quod a recta intelligentia nimium abhorret.

16 Præterea Casus relatus a *P. Schiara*, omnesque aliæ auctoritates loquuntur in terminis a nostro diversissimis, omnes enim supponunt præcedentem rixam, & inimicitiam ex utraque parte firmatam, & interiectu temporis duellum pariter ex utraque parte deliberate intimatum, & acceptatum, hinc asserunt pœna ordinaria puniendum desumendo plenitudinem pœnæ a plenitudine doli incepti in prima rixa, cum nihil aliud sit dolus, quam ipsa præmeditatio, & ut a Jure definitur, quædam machinatio, quædam scilicet præordinatio, & dispositio ad delictum subsequens *L. 1. §. 1. ff. de dol. Gratian. discept. forens. cap. 935. n. 13. Pax Jordan. Elucubr. vol. 3. lib. 14. tit 13. n. 2., & seq.*

17 Constanti igitur asseveratione iterum repetimus, hanc præmeditationem, hanc doli plenitudinem in casu nostro prorsus desiderari, cum inter d. D. Marchionem, & D. N. nulla rixa præcesserit, ex qua essentialis circumstantiæ variatione inapplicabiles redduntur auctoritates, & exempla ex adverso deprompta.

18 Neque dicatur, nullum discrimen intercedere, sive secuta sit actualis rixa, sive prolata verba injuriosa, cum Causa Duelli non minus provenire possit a rixa, quam a verbis contumeliosis, maxima enim est utriusque Casus disparitas, nam rixa in ipso actu contrahit inimicitiam, & in ipso actu inimicitia fit Causa immediata Duelli, verba vero, quæ tribuuntur Domino Marchioni in ipso actu, in quo fuerunt prolata non potuerunt inimicitiam contrahere. Tum quia non exprimebant certam, & determinatam personam. Tum quia in sensu Fisci directa erant in absentem, ut igitur ex his verbis oriretur Inimicitia,

citia, debuerant per aliquem Noncium Domino Gavotto absenti referri, insuper opus erat, ut Dominus Gavottus crederet contra se directa, indeque sumenda ultionis consilio inimicitiam profiteri; Erat denique essentialissimum, ut de his omnibus certioraretur D. Marchio tunc enim ex notitia certa contractæ inimicitiæ præsumi posset, dato congruo temporis spatio principium doli, & præparationis, seu præordinationis ad Duellum, sed cum de hac materia nulla penitus per Fisci afferatur probatio, fateri cogimur, subsequutum Duellum saltem ex parte D. Marchionis referri non posse ad aliam causam, quam ad instantaneam, & immediatam causam provocationis numquam antea prævisam etiam si verba præcedenter prolata causam remotissimam, seu potius occasionem sequentibus actibus præbere potuerit, *Farinac. cons. 144. num. 13. Vermigliol. cons. 95. num. 3. Bertazol. cons. crimin. 208. nu. 10. lib. 1.* aliique passim allegandi; & hæc immutabilis facti veritas omnibus Exemplis, omnibusque Juris allegationibus ad causæ victoriam longe præcellit.

19 Ad evitandam hanc insuperabilem difficultatem Fisci Promotores suadere conantur D. Marchionem non fuisse provocatum, sed simpliciter, & benigne invitatum, Ideoque non posse in eodem considerari Sanguinis, & Animi commotionem a pena ordinaria excusantem, sed contraria ut diximus immutabilis veritas ab eodem Fisco negari non valuit; Exponitur enim litteraliter in Monitorio regressus D. Marchionis N. &c. ad Duellum &c. invitavit, & provocavit -- Adfuit igitur, ut ex adverso supponitur civilis invitatio -- Invitavit -- Sed hæc satis non fuit, ut Dominus Marchio pugnæ pro facto levissimo non intimandæ, neque necessarie assentiretur, Unde superaddita fuit provocatio, & provocavit, & hac provocatione accensus processit ad pugnam, unde, nisi verborum sensus, & proprietas, nisi universi Juris dispositio abrogetur adfuit innegabiliter provocatio, innegabiliter animus provocatus incaluit, & innegabiliter contra provocatum poena minoranda est, *L. qui cum Natu Major. 14. §. 51. Libertus verbo ignoscendum ff. de Bon. Libert. Boss. tit. de Injur. num. 6. & seqq.*

20 Videndum quoque remanet, an excessus pænæ per Nos adductus nullitatem, & injustitiam pariat adeo notoriam, ut non repugnantibus Bullis, admittenda sit instantia pro moderatione. In quo articulo scribentes nemine dissentiente conveniunt, ut pænæ excessus pariat nullitatem notoriam, & favore contumacium allegabilem, ut præter DD. allegatos *in §: Inter exceptiones &c.* firmant in terminis præcisis Constitutionum Apostolicarum *Chartar. de execut. Sentent. cap. final. num. 48.* ibi -- *Debet animadvertere, an Sententia majorem contineat pænam, quam de Iure imponi potuerit, hoc enim Casu nec sententia exequenda est, non obstantibus DD. Motibus propriis*, & late comprobat *num. 63. Scannarol. de visit. Carcerat. §. 19. num. 10.* -- *Si Iudex Reum contumacem Majori pæna condemnet &c. talis sententia tamque nulla, etiam si in contumaciam lata sit executioni mandari non poterit, Constitutionibus Apostolicis contrarium disponentibus non obstantibus &c.*

21 Sed Frustra quærimus DD. Auctoritates, ubi idipsum sancitus sub pæna expressa nullitatis in alia *Pontificia Constitutione 71. Sa. me. Pauli V. tit. de Iudic. Crimin. nu. 10.* per verba sequentia -- *nec comminentur unquam in monitoriis pænæ corporales majores pæna delicti* -- *& §. 19.* decernentes *irritum, & inane quidquid secus in præmissis, & quolibet præmissorum contigerit attentari*, ut ad rem ponderat *Scannarola de Visitat. Carcerat. dict. §. 19. a num. 1., & seqq.*

22 Cum igitur ab eodem Jure Pontificio declarata fuerit irrita, & nulla Sententia contumacialis pænam continens excessivam, dari nequit major Notorietas, neque Constitutiones Sa. mem. *Pii IV. & D. Pii V.* impedire possunt, ne id allegetur, quod ab alia Constitutione perinde Pontificia sancitur, ut in terminis, quod quando a Statutis prohibentur adduci exceptiones, & nullitates non censeantur prohibitæ illæ exceptiones, & nullitates, quæ ex ventre aliorum Statutorum deducuntur, *Marsil. cons. 137., & cons. 303. num. 5. & 7. Franch. in cap. dilecto nu. 133. extra de appellat. Riminald. cons. 63. num. 7. lib. Farinac. cons. 86. num. 79. Asin. in praxi §. 31. Cap. 22., quibus adhæret Cyriac. controv. 187. num. 17.*

23 Rationibus, & Authoritatibus superadditur inconcussa observantia, præter enim exempla Causarum, in quibus rescripserunt pro condemnatis persistentibus in Contumacia post Sententiam, *Farinac. d. Cons. 86. Vermigliol. d. cons. 18.*, aliique si temporis pateretur angustia, allegandi, testari possum *intra septemdecim annorum cursum*, in quo literarium Subsidium pro virium imbecillitate impendi pro *Reverendissimis Sac. Consultæ Ponentibus*, quorum duos, virtus inimitabilis evexit ad purpuram, aliumque veluti quoddam meriti depositum *Sac. Rota* excepit, testari inquam possum, quod in eadem Sac. Consulta quotiescumque casus occurrit, admissi fuerunt recursus adversus sententiæ nullitates absque ulla commissione prædictarum Constitutionum derogatoria, & absque Reorum Constitutione in cujus veritatis comprobationem inter cætera mihi non perspecta offeruntur sequentia exempla.

24 *Anno 1690. Beneventana circumscriptionis sententiæ*, referente Eminentissimo Paracciano Pro Cesare Pinello Duce Tocci, scribentibus Advocatis Magliabecho, & Jacobatio, & contradicente D. Advocato Fiscali Bottino.

25 *Eodem anno 1690. 17. Februarii, & 5. Maii* ad Relationem D. Venturini Civitatis Vetulæ Pro D. Comite Gasco Ferrariensi, qui de mense Novembris 1682. damnatus fuerat in pænam ultimi Supplicii pro percussionibus de Mandato in personam Capitanei Andreæ de Comitibus in odium recursus ad Pontificem, & revocata sententia, dictum primo fuit pro impinguatione, & deinde non molestetur.

26 *Eodem anno 1690. Bononien. Nullitatis Inquisitionis, & Sententiæ*, referente R. P. D. Monte Catino pro Marchione Cæsare Diola Marsilio, in qua scripserunt Advocati Caranza, Raynaldus, Magliabechus, & Pignatellius.

27 *Anno 1691. Perusina revocationis Sententiæ Contumacialis*, referente R. P. D. Caraffa pro Laurentio quondam Dominici alias Benzino in qua scripsit 7. Septembris Antonius Mazzantes.

28 *Anno 1693. Sabinen., revocationis Sententiæ Contumacialis*, referente Eminentissimo Paracciano Pro Francisco Felice Tanccavio.

29 *Eodem anno 1693. 24. Settembris In Sac. Congregatione Episcoporum, & Regularium* Maceraten., *excessivitatis pænæ*, non obstante sententia, referente D. Canonico Raynaldo, & scribente Advocato Rechi.

30 *Eodem Anno 1693. in Sac. Consulta Priverni Excessivitatis pænæ*, pro Dominico Maccio Scribente Advocato Archangeli 18. Januarii 1692., & deinde 18. Settembris 1693.

An-

31 *Anno* 1694. *Montis Alti Injustitiæ Sententiæ* referente R. P. D. Cusano Pro Silvestro Erennio Carlino, Scribentibus Advocato Recchio, & Joanne Cherubino.

32 *Anno* 1696. *Pisauren.*, *Circumscriptionis Sententiæ Contumacialis*, referent Eminentissimo Paracciano Pro Joanne Baptista Cecchino, Scribente Advocato Archangeli 4. Septembris anni prædicti.

33 *Anno* 1698. *Pisauren.*, *revocationis Sententiæ* referente Eminentissimo Paracciano Pro Carolo Tonarello, Scribente Advocato Jacobatio, & 4. Martii rescriptum fuit -- esse revocandam Sententiam, & procurandam Capturam Caroli Tonarelli.

34 *Anno* 1699. *Montis Falisci seu Cryptorum*, referente Eminentissimo Paracciano Pro Ursino de Ursinis, Scribente Advocato Alberetto, & 29. Maii rescriptum fuit -- prævia abolitione Sententiæ, quatenus inerit lata condemnetur ad Triremes per quinquennium.

35 *Eodem Anno* 1699. *Prima Aprilis Maceraten.*, Pro Clerico Octavio Torello, qui de Mense Januarii 1682. damnatus fuerat in pænã ultimi supplicij pro prætenso Assassinio Doctoris Bartholomæi Scovæ ad relationem D. Venturini revocata fuit Sententiæ adfuit damnatus ad Triremes perpetuas annuente primo.

36 *Anno* 1701. *Perusino Sententiæ Contumacialis* referente R. P. D. Caffarellio Pro Vincentio Benamato, Scribentibus Advocatis Archangelo, & Jacobatio, & Contradicente R. P. D. Gambi tunc temporis Procuratore Fiscali, & 11. Januarii rescriptum fuit -- Viatica cedant loco pænæ.

37 Quibus in exemplis animadversione dignissimum redditur, quod DD. Advocatus, & Procurator Fiscalis, uti Juris, & praxis peritissimi in Causis in quibus scripserunt non impugnaverint facultatem audiendi Contumaces super Sententiæ nullitatibus, & injustitia, & ab eisdem Exemplis sublatam fuisse quamlibet super hoc articulo difficultatem, cum ad Sac. Consultam spectet Pontificis mentem interpretari, *Giurb. cons.* 60. *num.* 26., & ipsius resolutiones faciant opinionem communem, & vim legis irretractabilis obtineant, *Sperellus decis.* 183. *nu.* 44. *in fine part.* 2. *Vermigliol. Consil.* 316. *num.* 7. *Massen in tractat. de declarat. litterarum patent. Cap. ultimo Rota decis.* 235. *num.* 6. *part.* 15. *rec. Dominus Reynaldus observ. crimin. cap.* 7. §. 9. & 10. *n.* 23., & 26. *Seta de offic. Locumten. Cap.* 21. *n.* 10.

38 Hæc tamen omnia præmisimus ex abundanti, nam dato adhuc quod Causæ Contumacium post Sententiam audiri nequirent inconsulto Principe, ut opinantur rigidioris sententiæ Sectatores, *Card. Albitius de Inconstant. in Iudic. quæst.* 37. *nu.* 354. in fine *D. Reynaldus observ. Crimin. Cap.* 34. §. 9. *n.* 49., vel opus esset rescripto Signaturæ Sanctissimi, vel Justitiæ, ut videntur decernere præfatæ Constitutiones. Nonne requisita omnia in præsentis Causæ propositione concurrunt. Nonne Sanctissimus Noster suprema sua Auctoritate, & Clementia super excessiva hujus Sententiæ pæna consultus, dignatus est injungere Reverendissimo Urbis Gubernatori, ut non obstante Sententia, denuo Causa proponatur? Nonne delegavit Judices adjunctos? Diem propositionis indixit? Dilationem Fisco supplicanti impartitus est? Et demum diem resolutionis præcepit, cur igitur quæritur, an Princeps sit consultus, ubi factum ipsius Principis plenissimam præsefert Scientiam, & voluntatem *Gonzal. Tellez. in cap. Vidua num.* 9. *d'* *regulor.* Quid disputatur super rescripto gratiæ, vel Justitiæ, ubi tot sunt rescripta, quot ordinationes & mandata ab eodem Sanctissimo per Vivæ vocis oraculum profecta, quæ non admittunt hæsitationem ipso Principe presente? *Farinac. quæst.* 97. *num.* 62. *Card. de Luca de Iurisd. disc.* 82. *num.* 4., & equivalent cuicumque Scripturæ, & rescripto *Angel. in l.* 2. *Cod. de Crimin. Sacrileg. num.* 1., & *Clarius explicat in l. Consalutatus num.* 2. *in fine* -- *Uno verbo Imperator etiam extra ordinem, & procedendo prolate, cassare potest Sententias Judicum recte, & rite latas, & sic & Papa &c. cum privilegiis Principis non sit necesse, quod reducatur in scripturam Cod. de senten. pass.*

39 Ex quibus etiam si opus esset derogatione Bullarum, prout non requiritur, utique ex facto, quod est potentius quolibet rescripto, fuisset impliciter derogatum, & esset sufficientissima derogatio, ut in terminis fortioribus absque ulla speciali mentione derogatur implicite, *Soc. Concilii Tridentini* dispositioni *Gonzal. ad reg* 8. *Gloss.* 6. *num.* 120. *Adden.*, *ad Burattum dec.* 463. *Card. de Luca in annotat. ad Concil. discurs.* 1. *num.* 15.

Quare &c.

Nicolaus Jacobatius Advocatus.

De Appellatione.

OBSERVATIO XVI.

SUMMARIUM.

1. *Contumaces non possunt majorè pœna plecti, quam exigit crimen.*
   Adducitur Constitut. Pauli V. super reform. Tribunal. in crimin.
   Excessus pœnæ an opponi possit coram Judice qui condemnavit.
   Judex post sententiam functus est officio suo.
2. *Nullitates deduci possunt coram eodem Judice, qui pronunciavit.*
3. *Bannitus, an per Procuratorem appellare possit ab excessivitate pœnæ?*
4. *Declarantur Constitutiones Apostolicæ Pii IV., & Pii V. in quibus casibus locum habent.*
5. *Procurator Contumacis super excessu pœnæ non tangit delictum, neque probationes fisci, nec assumit extrinsecas defensiones.*
   Nullitas notoria semper opponi potest, etiam contra tres conformes.
6. *Causa primæ instantiæ, & appellationis pari passu procedunt.*
7. *Contumax dici non potest, qui non comparet, ob excessivitatem pœnæ sibi in monitorio comminatam.*
8. *Judex ex se ipso tenetur quærere Reorum defensiones.*
9. *Etiam ab extrajudicialibus gravaminibus appellatio admittenda est.*
10. *A pœna usque ad Relegationem, contumacibus appellatio non denegatur.*
11. *Quid de Iure Apostolicarum Constitutionum.*
12. *Reprehenduntur Judices qui in levibus Reorum carcerationem exigunt.*
13. *Remissive traditur intellectus* Text. in leg. 1. an per alium *quoad relegationem.*

Ad

1 AD declarationem eorum, quæ in præcedenti observatione dicta sunt quo ad contumaces, per Procuratores opponentes in criminalibus ineptitudinem Monitorii, seu Inquisitionis, aut pœnæ excessivitatem (cum non possint ad majorem pœnam delicti damnari tum ex dispositione Juris communis, tum in vim *Constit. 71. Paul. V. de reformat. Tribun. Urbis in crimin.* §. 10. ita præscribentis *Nec comminentur in monitoriis contra contumaces pœnæ corporales majores pœnis delicti, de quo mentio fiat*) de nonnullis modo dubitari contingit, & *primo* utrum sententiæ contumacialis nullitas, & injustitia ex pœnæ excessivitate prodeunte, opponi possit adversus sententiam coram eodem Judice, qui condemnavit, aut aliter proponi apud superiorem? Dubitandi ratio est, quod Judex postquam sententiam suam protulit, officio suo functus est, ad Text. *in Leg. Judex postea quam, & in L. quod jussit ff. de re judic. cum similibus*.

2 Verum hac dubitandi ratione minime refragante, dicendum est, pœnæ excessivitatem, seu quamcumque aliam monitorii ineptitudinem, prodeuntem ex fiscalibus actis, proponi posse per Procuratorem Contumacis coram eodem Judice, qui sententiam protulit, siquidem nullitates, quæ habent effectum suspendendi, & respective extinguendi judicatum, proponi queunt coram ipso Judice condemnante, ad effectum ut ille nullitates cognoscat, & revocet, ita docet Glossa *in L. Judex postea quam ff. de re judic., & in l. si ut proponis 2. C. quomodo, & quand. Judex, & in l. 4. verbo eundem C. de accus.* enim vero Judicis ordinarii officium, & jurisdictio non expirat per prolationem sententiæ nullæ Gloss. *Bartol., & alii in leg. sicut proponis Cod. vol. ...., Farinacl. decis. 453. num. 2., Cancer. variar. libro 2. de Jurisdict. omn. Judic. c. 2. n. 287.*, taliter ut declarata per Judicem ordinarium sententia nulla, ipsemet potest de novo cognoscere, & procedere in Causa *Scacc. de appellat. q. 19. remed. 1. conclus. 6. n. 109., & 75., Sanfelic. decis. 95. ; id. m Scacc. de sentent. cap. 1. Gloss. 4. q. 6. n. 16.*, & ita de facto observatur; Nam ipsi Judices, qui Contumaces condemnant recognoscunt tum nullitatem, tum injustitiam contumacialis sententiæ, non tantum, quando per Procuratorem favore Absentis contumacis opponitur excessus pœnæ, aut ineptitudo Inquisitionis, vel impunibilitas delicti; verum etiam Bannito in fortiis illius Judicis pervento, sententiæ contumacialis nullitas, aut injustitia diligenter examinatur, unde infirmatur, reformatur, aut executioni sententia mandatur.

3 *Secundo in quæstionem vocatur*, num Procurator Contumacis appellare possit a sententia contumaciali, eo quia pœnæ excessivitatem continet? Pro resolutione hujus quæstionis præmittendum est, Appellationem in criminalibus undique impartiri, quoties sententia pœnæ excessum continet, non obstantibus quibuscumque statutis, aut municipalibus legibus provocationem denegantibus, ita unanimi voto concludunt Innoc. *in cap. cum speciali §. porro n. 8. de appellat., Carrer. in practic. crimin. tit. de appellat. §. secundus erit casus n. 2., Lancellot. de attentat. par. 2. cap. 12. limit. 9. n. 10. Farin. q. 101. n. 110., Guazzin. defens. 36. cap. 4. n. 14. Marchesan. de commiss. appellat. in crimin. §. 1. n. 86., Bart. decis. Bonon. 45. n. 6, & Scacc. de appellat. q. 17. limit. 4. n. 96. limit. 10. n. 28., & seq., & limit. 26. n. 12.*, eo fundamento nixi, quod sententia pœnam excessivam redolens, & delicto incongruam nullitatem, & injustitiam continet, *ex l. rei §. constat ff. de pœn. in l. 4. §. condemnatum ff. de re judic., & in l. 5. C. quorum appell. non recip.*, & in Urbe signanter est contra *Constit. Paul. V. de reform. Tribunal. Urbis relata in princip.*. Quo ad punctum

4 Fiscus objicere posset, quod præfatæ DD. auctoritates procedere possent, quoties ageretur de Reis præsentibus condemnatis, de excessu pœnæ reclamantibus, non autem de Contumacibus, & Bannitis, quibus obstant Apostolicæ Constitutiones, *signanter S. M. Pii IV., & Pii V.*; Verum hujusmodi objectioni occurrere quis posset, dicendo, quod prælaudatæ Constitutiones interpretationem habnerunt in rite, & recte damnatis, ad tradita *per Chartar. de execut. sentent. cap. final. num. 148. & 150., Farin. Consil. 28. num. 1., consil. 86. nu. 68. & 77., Consil. 101. num. 48., & quæst. 11. nu. 35. & 46., Vermigl. Consil. 79. num. 1. consil. 68. num. 2., & Consil. 118. num. 1.* cum innumeris aliis in præcedenti allegatione deductis; taliter ut hodiernis temporibus indubitanter, & absque controversia, non refragantibus Constitutionibus prædictis, Contumaces audiuntur per Procuratores adversus Monitorium, & pœnæ excessum coram eodem Judice condemnante.

5 Quod summa ratione, & æquitate introductum est, non enim in hoc casu Contumax per Procuratorem aliquid objicere, & deducere intendit contra delictum, multoque minus contra Fisci probationes, nec alias extrinsecas assumere defensiones ultra Processum, sed ex iisdem Fiscalibus actis, ex ventre transumpti monitorii, ex tenore inquam ejusdem contumacialis sententiæ nullitatem, & injustitiam ab excessu pœnæ prodeuntem, apud Judicem ad quem demonstrare satagit; cumque nullitas seu injustitia que absque alia extrinseca probatione ex iisdem actis constat, notorie, & evidens dicatur, *ex traditis per Vantium de nullit. tit. quot. & quib. mod. nullit. in Judic. prop. num. 32.*; utique locus illam deducendi Absenti datur, quippe, dato, quod per statutum, aut legem, omnes reiici deberent exceptiones, neutiquam tamen reiicienda esset, quæ ex iisdem actis constat, nam generalis dispositio minime ad ea trahitur, in quibus adest evidens iniquitas, signanter in criminalibus; silet enim præsumptio pro sententiæ justitia, quando vitium est patens, *L. qui testamento ff. de excus. tutor., l. si quis a quo, ubi Bartol. ff. ut in possess. ... , Gravett. conf. 3. num. 18., de Marin. resol. lib. 1. cap. 191. num. 14.*, cum aliis pleno calamo deductis per *Antonium Palic. in elaboratissimo tractat. de præmin. Reg. tom. 2. tit. 10. cap. 49. num. 17. & 18.*, ubi quod nullitates notoriæ, & evidentes impediunt etiam executionem trium sententiarum conformium, & comprobat *Scacc. de appell. quæst. 19. remed. 1. conclus. 5. num. 28. & seqq.*. Igitur quo ad quæstionem

6 Concludendum est utique, quod quemadmodum ex traditis Absenti Contumaci, denegari non debet audientia objiciendi pœnæ excessum, coram eodem Judice Inquirente, & condemnante, non obstantibus superius expressis Apostolicis constitutionibus, huic casui minime congruentibus; ita pariter ab hujusmodi excessu, vel a denegata moderatione monitorii, provocatio ad Legitimum Superiorem concedenda venit, siquidem appellationis causa ejusdem natu-

naturæ est eam causa primæ instantiæ, adeo ut in casibus, in quibus auditur Procurator Rei absentis, & Contumacis in prima instantia, etiam audiri magis debet in causa appellationis, ut individualiter probat Text. *in l. 1. §. & generaliter ff. an per alium caus. appellat.*, ubi sumpto argumento a contrario sensu (quod in Jure est fortissimum) quando Principalis causa potest agi per Procuratorem, tunc etiam casu appellationis per Procuratorem agi potest, enim vero *in d. l. 1. Domitius Ulpian.* hanc regulam constituit — *Et generaliter quæ causa per alium agi non potest, ejus nec appellationem, per alium agi oportet*, ex quo in argumento *dictæ legis* regulam a contrario sensu posita est his verbis — *Quando principalis causa potest agi per Procuratorem, tunc etiam causa appellationis per Procuratorem agi potest*, & tradunt punctualiter *Scacc. de appellat. q. 4. post num. 10. in med., quæst. 5. num. 52. vers. ratio, & latius quæst. 11. num. 17., vers. confirmatur, & Farin. consil. 86. num. 42. & seqq.*, Hinc *Rot. decis. 138. nu. 5. & decis. 149. num. 7.* coram *Pamphil.* admisit appellationem Contumacium ab excessu pænæ, & eam sequuti sunt *Dyn. Lycinian. decis. crimin. 13. num. 91. versic. Hæc est*, ibi — *Nec est dubium quemlibet de Populo, nedum, & Procuratores, & Agnatos posse opponere pænæ excessivitatem, & petere moderationem, etiam cum appellatione, Bonfin. in Bannim. generalibus cap. 31. n. 32.*, ibi — *Utrum appellatio admittatur a pæna excessivitate? Rota tenet quod sic; de qua etiam Contumax opponere valet per Procuratorem, & petere moderationem*.

7 Quin obijci possit Contumaciæ exceptio ad hujusmodi appellationem removendam, ex traditis in præcedenti observatione; enim vero Contumax habendus non est, qui non comparet ob pænæ excessivitatem sibi comminatam in monitorio, ad Text. *in l. si Filius la 2. ff. de interrog. action. ubi Bartol., Plat. Consil. crimin. divers. 72. num. 30. tom. 2.*, nam comminando quis pænam Legibus adversantem, non arctat ad comparendum, multoque minus, non comparitione, hoc casu contemnitur Judex, Juris tramites non insequens juxta censuram Text. *in l. quid ergo §. pæna ff. de his qui notant. infam., Covar. variar. cap. 9. num. 8. lib. 2. Mascard. de probat. Conclus. 696. num. 2.*, Unde Leges, & Constitutionis de Contumacibus loquentes, in his non comparentibus adaptandæ neutiquam veniunt, Text. *in l. 4. §. toties ff. de damn. infect., & in l. quod constitutum ff. de militar. testam.*, loquuntur namque de his, qui rite, & recte ad Judicium vocantur, cum comminatione debitæ pænæ Juri non adversanti, *l. non dubium ff. de legib., Surd. decis. 122. n. 13.*

8 Fortius, quia si Judex, nullo se offerente, tenetur assumere vices, & supplere defensiones Absentis, ut in *l. final. ff. de tempor. appelland. in l. ubi pactum C. de transact., & in l. si non defendantur ff. de pæn.*, multo fortius admittere eum debet, tum in prima, tum in secunda instantia, qui Absentem in Jure tantum defendere satagit, ostendendo pænæ excessivitatem; etenim volens allegare in Jure favore Absentis non volt subire judicium, nec objicere contra Processum, ut perbelle advertit *Bartolam. Cepoll. consil. crimin. 40. num. 16. & 17.*

9 Prout etiam non refragatur altera forsan opponenda objectio, quod in hoc casu Judex primæ instantiæ extrajudicialiter de excessu pænæ cognoscit ex traditis per *Pignatell. tom. 9. consult. 24. n. 10.*, nam ultra quam quod perfunctorie loquitur *Pignatell.*, veritas est, quod admisso etiam, quod extrajudicialiter in hoc casu procederet, adhuc etiam appellatio deneganda non est a Judice procedente extra judicialiter, quoties in pæna excessiva persisteret, & monitorium moderare haud curaret, ad tradita per Maran. *in praxi part. 6. act. 2. de appell. num. 278., Lancellot. de attent. part. 2. cap. 12., & Scacc. de appell. quæst. 2 num. 38. vers. At & quæst. 17. num. 35. & seqq., & limit. 26. num. 12. & 13.*, ubi ab excessiva appellatur, sive Judex procedat judicialiter, sive extrajudicialiter, & congruunt ad rem Text. *in cap. si Clericus adversus 11, quæst. 1. in cap. conquerentes de restit. spoliat., & in cap. dilectus §. 1. de appell.*

10 *Tertio quæritur* an in terminis, etiam dictarum Bullarum admittenda sit appellatio eorum, qui in contumaciam damnati in pænam usque ad relegationem, per Procuratores provocare intendunt? Respondetur, quod quemadmodum de Jure communi absolutissimum est, in criminalibus per Procuratorem appellationem admitti in pænis infra, sed non ultra relegationem ut ex *lib. 4. de appellat. Domitii Ulpian.* definitum est in Text. *in l. 1. si autem ff. an per alium caus. appellet.* ibi — *Sin autem non pecuniaria causa, sed capitalis, per Procuratorem agi non licet, sed si ea causa sit, ex qua sequi solet, pæna usque ad relegationem, non oportet per alium causa agi, sed ipsum adesse auditoria debere, sciendum est.*

11 Ita etiam Apostolicæ Constitutiones, tantum de causa capitali, vel sanguinis, seu alia quavis graviori, audientiam, & appellationem in contumaciam damnatis denegarunt; sic legitur in *Constit. S. M. Pii IV. in cap. Alias cunctis ve sic. ut nullus*, cujus verba hæc sunt — *Ut nullus in causa Criminali, ea qua capitis, vel sanguinis, vel alia quavis gravior arbitrio Judicis pæna infligenda esset, maxime in causa homicidii, per Procuratorem, excusatorem, defensorem, vel ut quemlibet de Populo, quovis pacto admitteretur, nec Pater pro filio, nec Abbas pro Monacho, nec Prælatus, aut dominus pro subjecto, vel contra audiretur, nisi Reus seipsum in carcere constituisset*, & expressius quoad appellationem in altera Constitut. seu motu proprio ejusdem Pii IV. *incip. licet dudum* ibi — *Aut si Sententia esset in pænam, Capitis condemnatoria non admitteretur appellatio, neque aliter audiretur Reus, nisi in carcere constitutus*, & rursus in §. Et si pæna, ibi — *Et si pæna sit capitalis pretio non æstimabilis, nisi prius ipso condemnato in carceribus constituto &c. talium appellationum &c., Commissiones, signari, decerni, & expediri non possunt.*

12 Quamobrem male faciunt Judices, quoties in pænis infra relegationem, in quibus, nec Jus commune, neque Pontificiæ Constitutiones, damnatis in contumaciam provocationis beneficium denegant, appellationem rejicere attentant; se plusquam legislatores existimantes, haud animadvertentes, quod duriori vinculo procederent in Inquisitos, eos in carceribus macerando, quam in condemnando, cum undique definitum sit, in pænis infra relegationem carcerationi locum haud esse Textus *in l. divus 3. ff. de custod. Reor.* ubi Domitius Ulpian. *in carcerem eum conjiciendum inquit, si grave scelus commisisse constet.*

13 Si disputari contingeret, an verba Text. *in. d. l. 1. ff. an per alium* — *PÆNA USQUE AD RELEGATIONEM*, intelligantur inclusive, aut exclusive, quoad relegationem? Adeatis *Fachin. lib. 1.*

con-

controv. cap. 26., latius disputantem, inque ea persistentem sententiam, *relegationem* inclusive, non exclusive, pertinere ad sensum ejusdem Legis; At contrarium sentiunt *Accurs. in d. l. verbo relegationem, & Menoch. de arbitr. quæst. 80. num. 128.*, intelligens verbum illud non inclusive, sed exclusive quo ad relegationem: eos consule.

De Appellatione.

OBSERVATIO XVII.

SUMMARIUM.

1. *Dubium excitatur an in criminalibus mortuo Reo appellante, eius hæredes appellationem prosequi possint? remissive deciditur.*
2. *Declaratio* Nicol. Holais *recensetur.*
3. *Articulus iste discussus fuit in quadam Bononien. inter Fiscum illius* Curiæ Archiepiscopalis, *& filios, & hæredes condemnatorum defunctorum.*
4. *Allegatio pro Fisco eiusque Adhærentibus.*
5. *Allegatio pro filiis, & hæredibus damnatorum.*
6. *Responsio favore Fisci, eiusque Adhærentis.*
7. *Votum in hac causa D. Locumtenentis A. C.*
8. *Resolutio huius Causæ.*

1 MOdo quæstio excitatur, utrum in criminalibus Reo a sententia provocante, & appellatione pendente mortuo, possint hæredes defuncti appellationem prosequi? Hanc quæstionem late examinat *Guid. Papa in tract. de appellat. post quæst. 120. vers. sic. Quid si Reus fol. mihi 76.*, ubi distinguit pœnam corporalem a pecuniaria, seu confiscatione bonorum, & quoad pecuniariam sub distinguit, quando in sententia veniat accessorie, & quando æque principaliter: eum consule. De hoc articulo agit quoque prolixius *Antunez. Portugall. in tractat. de donat. Reg. par. 2. libro primo cap. 20. num. 41., & seqq. ta n. 1.* ubi distinguendo privata crimina a publicis Judiciis, docet, quod in privatis delictis lite contestata cum defuncto, Judicium transit ad hæredes, non ita tamen in publicis Judiciis in quibus Reo extincto, is & condemnatio extinguitur. Verum an hujusmodi extinctio concedatur etiam, quo ad pœnam confiscationis, & pecuniariam? Inter se refert dissidentes opiniones *n. 43. & seq.*, easque *num. 48.* conciliat.

2 Declarat insuper *Nicol. Noal. in tract. de transmiss. cas. 55. num. 7. & seqq.*, quando instantia appellationis transeat ad hæredes; & distinguit etiam pœnam pecuniariam, seu confiscationis, quæ accessorie, & tacite inest in sententia, a pœna æque principaliter expressa in sententia una cum corporali coærctione, ut primo casu extinguatur cum crimine, in altero vero, extinctioni locum non esse, proinde hæredibus, respectu ad hanc pœnam non extinctam, jus superesse appellandi, vel continuandi instantiam a Defuncto ceptam: addo videndi *Gomez. in tit. de delict. cap 1. n. 82. & seq.*, *ubi Additionator Aylhon.*; *& Fernand. Vasquez. in controv. illustr.*, *lib. 3. cap. 96. n. 17.*

3 Quoniam vero hujusmodi articulus fuere examinatus fuit me scribente favore R. P. Promotoris Fiscalis Curiæ Archiepiscopalis Bononien., ejusque Adhærent. pro extinctione appellationis *in quadam causa Bononien.*, nec non scribentibus DD. Pauperum Defensoribus favore hæredum pro appellationis prosequutione, hic inserere existimavi utramque allegationem una cum responsione, & voto ad hujusmodi effectum docte exarato per I. C. & Advocatum D. Stephanum Cæsarem Mocci, in Tribunali A. C. Locumtenentem criminalem, ex quibus Lector percipere quoque poterit, an ratione infamiæ, & pro repetitione expensarum passarum a Reo, possint appellationem prosequi hæredes, & quibus in casibus?

Allegatio I. pro Fisco, & Adhærent.

Bononien. Extinctæ Appellationis.

ILlustrissime Domine, Damnatis per Curiam Archiepiscopalem Bononien. *Petro Macchelli* ad Triremes per quinquennium ob nocturnum admissum incisionis Vitium, & devastationis Canabis facinus in damnum Domini Jacobi Mazzetti, de mandato profugi, & in contumaciam damnati Antonii Mazzetti, nec non *Bartholomæo Gandulpho* ad arbitrarium opus in Fortalitio Urbano pro nocturna rapina pariter de mandato præfati Antonii patrata in damnum ejusdem Jacobi; ac deinde a mitissimis Curiæ judicatis, appellationibus interpositis potius per contumacem Mazzettum, quam per prædictos Mandatarios, licet eorum nomine velatæ appareant; placuit Altissimo ab humanis damnatos evellere prinsquam appellationis Judicium definiretur.

Vita orbatis *Macchello*, *& Gandulpho*, callide sed infeliciter studuit Antonius Mazzetti interpositas prosequi appellationes, nomine filiorum, & respective Uxoris defunctorum, subdolis artibus ab eis literas procuratorias extorquendo, non quidem ut illorum ageret causam, sed propriam, hacque Apostolicas eluderet arte Constitutiones, contumacibus audientiam in publicis Judiciis prorsus denegantes: quibus in actis productis, Mihique Fisci Archiepiscopalis Curiæ jura tuenti, edictis, locum haud esse appellationum prosequutioni, apud Illustrissimum Dominum institi, easque attento Appellantium obitu extinctas, & abolitas declarari, cumque integerrimus Judex ad Juris trutinam examinandam controversiam, terminum utrique Parti elargitus fuerit, favore Fisci pronunciandum plane videtur, attentis rationum momentis, undique Fiscalibus Juribus, suffragantibus.

Quomodocumque enim efflagitant ex adverso Partes, appellationum prosequutiones automantes, in eorum labescunt Juribus, sive adversus passam, sed minime expletam corporalem coærctionem *Macchelli*, *& Gandulphi*, injustitiæ figmentum insimulent, sive assertæ infamiæ clypeo, provocationes proiequi satagent; sive tandem ementita alia causa, ad mente conceptam damnatorum Innocentiam detegendam, moveantur.

§. I.

Et sane denegari debet Appellationis prosequutio Heredibus, sive filiis, & Conjuge Macchelli, & Gandulphi; enim vero, cum ex Judicatis Curiæ apertissime liqueat, eos nonnisi corporali animadversioni destinatos fuisse, bonis in sententia minime ademptis; quemadmodum corporale supplicium, simul cum damnatorum occubitu extinctum extitit, pari fundamento interpositæ appellationes a pœnis corporalibus una cum morte evanescunt, ne frustra judicium discuteretur elusorium; Jura sunt satis aperta

tum in Pandectis, tum in Codiceis voluminibus, quæstionem hanc fœdere distinctionis in publicis Judiciis dirimentia; Præ cæteris, Alexandro Imperante, ejusmodi controversiam definivit I.C. Macer. (unus ex Discipulis Papiniani) in binis ejus libris *de appellat.* ex quo depromptus est Textus in novo Pandectarum volumine, in *leg. unic. ff. si pendent. appellat. mor. inter.* perbelle ita distinguens falcem que ad quæstionis radicem ponens ibi -- *Appellatore defuncto, siquidem sine herede, cujuscumque generis appellatio fuerit, evanescit; quod si appellatoris hæres extiterit, siquidem nullius alterius intersit causas appellationis reddi, cogendus non est peragere appellationem; si vero Fisci, vel alterius, contra quem appellatum est intersit, hæres causas appellationis reddere necesse habet; Nullius autem interest, veluti cum sine ademptione bonorum relegatus est; Nam si ademptis bonis relegatus, vel in insulam deportatus, vel in metallum damnatus, Provocatione interposita decesserit, Imperator noster Alexander Prætorio* (sive ut correctius dicitur in Pandectis Florentinis Pleorio) *Militi ita rescripsit; Quamvis pendente appellatione morte Rei crimen extinctum sit, data tamen etiam de parte bonorum, ejus Sententia proponitur; adversus quam non aliter Is, qui emolumentum successionis habet, obtinere potest, quam si in redden lis causis appellationis iniquitatem Sententiæ detexerit.*

Hoc iidem rescripsit Imperator Alexander in 251. *Olympiade ab Urbe condita* Prefecto Pretori Ulpia (ut refer: *Textus in l. 3. C. si pendent. appellat. mor. interven.*) ibi -- *Si is, qui ademptis bonis in exilium datus est appellaverit, ac pendente provocatione defunctus est, quamvis crimen in Personam ejus evanuerit, tamen causam bonorum agi oportet; Nam multum interest utrum capitalis pœna irrogata bona Reo quoque adimat* (nempe tacite, ut ibi explicat gloss. verbo adimat) *quo casu morte circa eum de crimine nulla quæstio superesse potest, an vero non ex damnatione Capitis, sed speciali Præsidis Sententia bona auferantur, tunc etenim sublato Reo, sola capitis causa perimitur, bonorum remanente quæstione.*

Post Alexandrum, ad Romanum Imperium evecto Gordiano, anno ab ejectis Regibus 748., sive Olympiade 254. ab Urbe condita, Juliano Proconsuli rescribendo, quæ a Predecessoribus præscripta fuerant, confirmavit (ut liquet ex Justinianeo Codice *lib. 9. titul. 6. leg. 5., si Reus vel accus. mortuus fuerit*) ibi -- *Si quis, cum capitali pœna vel deportatione damnatus esset, appellatione interposita, & in suspenso constituta, fati diem functus est, crimen morte finitum est; sin autem relegationis pœnam sustinuit, & in parte bonorum damnatus appellatione usus est, etiam post mortem ejus nihilominus appellationis ratio examinabitur; cum desideretur utrum valeat nec ne particularis publicatio.*

Hæc adeo apertissima sunt, ut nonnisi in explicita bonorum ademptione, cubitalibus literis in Sententiis expressa, congruere queant; minime autem in corporalibus pœnis, etiam si bona tacite adempta forent, juxta communem Glossantium explicationem in Juribus prædictis, signanter Accursii in dicta *leg. unic. verbo ademptione* ibi -- *Ademptione expressa, nam si etiam tacita fuit, nihilominus extinguitur.*, in verbo ademptis ibi -- *Ademptis expresse*, & perbelle in verbo in reddendis in med. ibi -- *Si autem Litigator interiit, aut causa erat Civilis, & durat post mortem, aut Criminalis, & tunc non propter pœnam corporalem, quæ jam mortuo appellante imponi non potest, sed propter bona* SIC SI EXPRESSE IN SENTENTIA CONTINEBATUR *alias nec in bonis durat*, in *dicta leg. si is 3. C. si pendent. appellat.* verbo ademptis ibi -- *Ademptis scilicet specialiter*, & in verbo ex damnatione ibi -- *Non ex damnatione scilicet tacite, sed expresse ex speciali Sententia*, in superius allegata *leg. 5. C. si Reus vel Accusator &c. verbo capitali cum sequentibus, & in leg. 10. C. de jure Fisci lib. 10. verbo eorum* ibi -- *Item fallit, si erat jam damnatus, & appellatio pendet, nam tunc distinguitur, erat sententia tacita, vel expressa, ut C. & ff. si pendent. appell. Reus mortuus fuerit.*

Et consentanee hanc eamdem distinctionem admittunt Interpetres Juris omnes, ex quibus magis spectatos, & probatos Doctores seligendo, ita præter *Bartol. Bald. Angel. Salycet. Cin.*, & alios in citatis Juribus, tradunt *Jacob. Cujac. in paratit. ff. lib. 49. tit. 13.*, ibi -- *De mortuo Appellatore hic titulus ex pendente appellatione, & judicio, eo quod morte solvi soleat Judicium; quod morte solvatur veluti criminale in hæredem non transit, nisi quid forte Fisci, vel alterius intersit propter quæstionem bonorum, quæ priori sententia publicata sunt, vel propter quæstionem ablatæ pecuniæ, ut in Judicio repetundarum, & peculatus, & residuorum*; Joann. Brunneman. in Comment. Codic. *lib. 7. leg. 3. nu. 3., & seqq.*, ibi -- *Aliud est quando Reo Capitalis pœna irrogatur principaliter, & bona publicantur tacite, & per consequentiam, nam tunc non tantum pœna capitalis, ut principale, sed etiam ademptio bonorum, ut accessorium extinguitur; Aliud vero est quando expresse, & principaliter agitur de ademptione bonorum, ut hic, nam tum pœna, quæ bonorum quæstionem continet, morte Rei non extinguitur, sed hæres prosequitur appellationem, & iniquitatem sententiæ detegere tenetur.*

Ac ita inter classicos Repetentes distincte docent *Matthias Wesembec. in paratit. ff. lib. 49. tit. 13., & super Codic. lib. 7. tit. 66.*, *Diodor. Tulden. in commen. in Codic. lib. 7. tit. 66. num. 2.*, *Joann. Vobet. ad Pandectas lib. 49. tit. 13. nu. 2.*, ibi -- *Nec aliud in criminalibus obtinet, nam si quis sine ademptione Bonorum relegatus appellaverit, ac moriatur, appellationem ejus hæres, haud prosequitur eo quod nulla de bonis quæstio vertitur, nec cujusquam intersit*, *Paulus de Castro nb. in Codic. Justin. lib. 9. ad titul. 6. num. 3., & seqq.*, *Nærius Lipsien. ad Inst. Justinian. lib. 49. ff. titul. 13. per tot., & in Codic. lib. 7. tit. 65. leg. 3. num. 1.*, *Hostiens. in summ. Decretal. lib. 1. de appellat. n. 12. fol. mihi 8., & Aza in summa Codicis l. 6. rubr. 66. n. 2.*

Insuper ex probatis Authoribus hanc eamdem manifestantur distinctionem *Sebastian. Medic. in tract. mor. comp. sub. par. 2. conclus. 10. n. 35.*, ibi -- *Appellatio solvitur morte, quando causa erat criminalis, nisi expresse bonorum facta fuerit ademptio*; *Gregor. Tholosan. in tract. de appellat. lib. 8. c. 4. num. 8.*, ubi *tunc hæredes prosequi appellationem possunt, quoties teneantur ex delictis defunctorum quoad bona; secus nullius interest, si Reus mortuus, & appellans sine ademptione bonorum, relegatus, vel condemnatus sit*; perbelle *Guidon. Papa in tractat. de appellat. num. 120., & seqq. versic. Quid si Reus &c., & in versic. Sed quia in hac quæstione fol. mihi 77.*, ubi etiam subdit -- *Quando publicatio bonorum non est expressa principaliter in sententia, sed venit accessorie, tunc extincta sententia in principa-*

bi

ri videlicet in crimine propter mortem extincta, extinguitur etiam in accessoriis, & sic hoc casu, non est necesse quod hæredes appellant, docte Anton. Piebard. in manuduct. ad praxim part. 4. §. 2. nu. 7., ubi hoc distinctionis fundamento, quæstionem prorsus absumit, ibi -- *Mortuo vero Reo accusato, adversus quem lata fuit sententia, de cujus viribus interposita appellatione disputatur, si sententia Rei personam, sive statum non etiam ejus bona respiciat, appellatio, & instantia cum toto judicio evanescit, quod si quoque sententia bona respiciat discrimen, est etiam adhibendum, quoniam si prioris sententiis contra quem Reus appellavit, bona item ejus expressim publicata sunt, morte ejus, crimen, idest causa capitis extinguitur, sed quæstio bonorum, specialiter publicationem non extinguitur, si vero tacite, ut si deportatus sit nullo alio adjecto, morte ejus, & crimen, & quæstio bonorum extinguitur, ut in iisdem Juribus est cautum, sæpe ergo multis in partibus Juris, multum interest exprimatur quid, an vero tacite intelligatur* Cornel. Brederod. in tractat. de rep. i. part. 1. tit. 19. versic. Si Reus moriatur pendent. appellat. fol. mihi 226., & latius part. 2. tit. 20. verbo hæres versic. Est tamen fol. mihi 410. ibi -- *quemadmodum in judicio criminali, ubi facinus in Persona ejus, qui id patravit, aut ut fieret, mandavit extinguitur, tantum abest, ut heredem perstringat, auctoremque suum egrediatur*, & post nihil alios, Hieronym. Buccaron. de different. inter Judic. civil. & crimin. differ. 200. per tot., ubi superius traditam distinctionem mirifice comprobat.

§. II.

Quod si utique Defunctorum Reorum hæredes nullum Jus, nullamque potiuntur actionem appellationes prosequendi post Appellantium obitum, cum de simplici pœna corporali, penitus silente bonorum publicatione, agitur, potissimum, quia sumus in casu, in quo procedere haud posset tacita bonorum ademptio juxta Domitii Ulpiani responsum lib. 10. de offic. Proconsul. relatum in Leg. Relegatorum 7. §. Ad tempus ff. de interdict., & relegat. 36., ibi -- *Ad tempus relegatis, neque tota Bona, neque partem adimi debere rescriptis quibus fere manifestatur, reprehensaque sunt sententiæ eorum, qui ad tempus relegatis ademerunt partem bonorum, vel bona*; Unde Adversarii nec minimum præsidium habent ad præfatas prosequendas appellationes, quia illorum non interest (ut verba Jurisconsulti repetam in d. leg. unic. ff. si appellat. pendent) *eum sine bonorum ademptione eorum Pater ad simplicem corporalem pœnam damnati fuerint*.

Multo minus hanc sibi sumere valent actionem prætextu forsan infamiæ in posteros, siquidem notissima, & apertissima sunt divina, & humana Jura, quæ Filios, cæterosque Descendentes ab hujusmodi afferta labe repellunt. Et a Supremis divini Numinis oraculis exoriendo, se offert Textus Ezechiel. cap. 18. versic. 20. -- *Anima quæ peccaverit ipsa morietur, Filius non portabit iniquitatem Patris, & Pater non portabit iniquitatem filii, justitia Justi super eum erit, & impietas impii erit super eum*: Deuteron. cap. 24. versic. 16., Ierem. capit. 31. versic. 50., Regum lib. 4. cap. 14. versic. 6. & Paralip. cap. 25. versic. 4.; Hinc perbelle ait Textus (ex Divo Chrysostomo desumptus) in Cap. Nunquam distinct. 51. -- *Non est omnino, nec de virtute, nec de vitio Parentum, aut laudandus aliquis, aut culpandus, nemo indecorus, aut obscurus, aut clarus est*: & in Cap. Undecumque (ex sententia Augustini deprompto) distinct. 56. -- *Undecumque homines nascantur, si Parentum vitia non sectentur, & Deum rite colant, honesti, & salvi erunt*.

Ab initio humanarum legum, hoc definivit Plato lib. 9. de legib., ibi -- *Patris infamiam, & supplicia neminem liberorum ejus sequi debere*, apposite que Bion, Phylosophus, *filium ob Patris peccatum fœdari non minus ridiculum esse* ajebat, *quam si Medicus quispiam ob Avi, aut Patris morbum Nepoti, vel filio medicamentum adhiberet*: & Cicero lib. 3. de natur. Deorum; Aperta hæc omnino videntur, & minime ambigua; sed clariora sunt, quæ Justinianus ex vetustis I. C. monumentis in Pandectis, & Codice collegit, atque præscripsit; Memoranda utique sunt verba Callistrati, per Textum relata in lib. 1. de cognit., quem memoriæ sub Severi, & Antonini Imperio tradidit in leg. Crimen 26. ff. de pæn. -- *Crimen, vel pœna paterna nullam maculam filio infligere potest, nam unusquisque ex suo admisso sorti subiicitur, nec alieni criminis successor constituitur, idque, & Divi Fratres Hieropolitanis rescripserunt*; quod antea consultus Julius Paulus Papiniani Successor sub Alexandri Imperio expresserat lib. 17. ad Plautium, relatus in l. 20. ff. de pæn. ibi -- *Si pœna alicui irrogatur, receptum est commentitio* (idest novo, & sibi recenti Jure, ut ibi explicat Budæus) *ne ad hæredem transeat, cujus rei illa ratio videtur, quia pœna constituitur in emendationem hominum, quæ mortuo eo in quem constitui videtur, desinit*: ac ante Julium Paulum, sed sub eodem Alexandri Imperio, definivit Domitius Ulpianus lib. 6. ad Edict. de quo Textus in leg. Furti §. 1. ff. de his qui notant infam., ibi -- *Nec hæres furti, vel alia simili specie condemnatus infamia notabitur*.

Hinc leges undique filios ante Patris crimen conceptos, genitosque, ab omni Parentum nota, & macula evellunt, ut ex citato domitio Ulpiano lib. 1. disputat. inquit Textus in leg. 2. §. uts filius de decurion., ibi -- *Quod si post conceptionem ipsius Pater dignitatem amiserit, dicendum erit benigne ut decurionis filium intuendum, proinde hic quoque, qui post Patris relegationem natus sit, siquidem ante conceptus sit, similis Senatoris filio habetur; Nullum Patris delictum Innocenti filio pœna est, ideoque nec ordine decurionum, aut cæteris favoribus propter ejusdem causam prohibetur*; propterea quæsitam dignitatem liberis propter Paternum crimen auferendam non esse, ait Papinianus lib. 4. responsor. ibi -- *Nam quæsita dignitas liberis propter crimen Patris auferenda non est*, Leg. generali 34. §. uter ff. de rit. Nuptiar., & rationem tradidit Imperator, in leg. Si quis suo 33. Cod. de inoffic. testament. -- *iniquum esse alieno odio alium prægravari*: & in leg. 14. Cod. de legitim. hæred., ubi *patiendum minime est, paterno vitio prolem innocentem gravari*; Ac ex Divo Augustino inquit Textus in cap. Sponsus 6. distinct. 56. -- *Discant fideles Parentuum suorum iniquitates sibi obesse non posse*.

Hec adeo vera sunt, ut exceptis quinque criminibus Læsæ Majestatis, hæresis, repetundarum, de residuis, & peculatus, actio in publicis criminibus nec hæredibus detur, nec contra hæredes, ita definitum legitur in monumentis Juris consulti Modestini lib. 2. de pæn., ex quo depromptus est Textus in leg. ex Judiciorum 20. ff. de accusat., & ibi -- Glossa in verbo sequuta, & in leg. unic. C. ne ex delict.

lict. defunct. ; ibi — *In publicis autem Criminibus, nec hæredibus dantur, nec contra hæredes, etiam lite contestata, nisi in quinque casibus læsæ Majestatis, hæresis, repetundarum de residuis, & peculatus.* Et in Jure canonico habetur Epistola *Leonis Papæ scripta Rustico Narbonensi Episcopo epist. 92. capit. 6.*, relata *a Gratiano in cap. de communione 24. quæst. 2.*, *& ibi Gloss. verbo quod autem*, ubi tradit, ideo in præfatis criminibus post Rei mortem agi posse, quia de bonorum ademptione quæritur, & de anathematizando hæreticos post mortem, vel revocandos ad anathemate: & quoties ageretur de memoria defuncti damnata, præscriptum legitur *in Quinta Synodo*, de qua *Textus in cap. Sane 24. quæst. 2.*: & ad rem latius *Hyeron. Gigas de crimin. læs. Majestat. q. 70. lib. 1. rubr. 4. per tot.*

Adeo insuper verissima sunt, ut etiam in crimine hæresis digladientur DD. inter se quærentes, an filii nati ante hæresim Patris infamiæ pœnas luant & mordicus negativam sententiam defendunt *Simanchas de Catholic. Instit. titul. 29. num. 23.*, *& in Enchirid. violat. Religion. tit. 63. num. 10.*, *& seqq.*, *Molina Iurisconsultus in tract. de primog. lib. 4. cap. 11. num. 55.*; Alter *Molina Theologus de Iustit. tom. 3. par. 1. disput. 658. num. 21.*, *Pe-Jaez. de majorat. par. 2. quæst. 4. illat. 2. n. num. 14. & seq.*, *& part. 3. in præfat. num. 19.*, ubi judicatum refert favore filiorum *Francisc. de Amaya observ. Jur. lib. 2. cap. 6. num. 50.*, *& seq. Valenzuela consil. 7. num. 6.* *& post alios Ioannes Sancius Abulens. in suis select.*, *& practic. disput. 44. n. 54.* ea potissimum ratione, quod odia sunt restringenda, non amplianda, *Textus in leg. cum qui dum 19. ff. de liber.*, *& posthums*, *& leg. final. C. de decurioc. lib. 10.*

In his enim tantum casibus filii, & hæredes defunctorum, jus habere ad prosequendas interpositas appellationes, vel ex integro appellandi, possent, quoties de criminibus lesæ Majestatis, & hæresis ageretur, in quibus post Reorum obitum de damnanda illorum memoria ageretur, aut de recuperandis bonis publicatis, sive de aliqua pictura infami affigenda contra defunctum in loco publico, vel de suspendendo Cadavere post obitum, prout legitur apud *Card. Pallavicin. Concil. Trid. lib. 14. c. 15.*, quod cum fuissent condemnati, & morti traditi Dux Palliani de familia Carrafa, & Card. Carrafa tempore Pontificatus Pii IV., & bona dicti Ducis confiscata, tanquam convicti criminis læsæ Majestatis, tamen tempore Pontificatus Pii V. fuit ad provocationem interpositam a Diomede Carrafa filio dicti Ducis, & a Marchione Montis Belli fratris declaratum dictum Cardinalem male condemnatum, & fuit restituta ejus memoria in amplissima forma, sic etiam fuit declaratum dictum Ducem male condemnatum respectu criminum fellonize, & læsæ Majestatis, & nihil dictum de aliis, & memoria, & bona fuerunt restituta, imo fuit morti traditus Advocatus fiscalis Pallanterus, ex quo malis artibus Iudices illius Causæ fefellit. Et in terminis pacis ruptæ, pro quo crimine practicari solet pictura infamis in loco publico, posse hæredes ad tollendum ignominiosam hanc pœnam, provocare, & provocationes prosequi, pluribus exemplis illustrat *Sebastian. Guazzin. defension. 33. cap. 26. num. 7.* & antea loquitur quoties defunctorum Cadavera suspenda essent.

Atque idem servatum fuisse in personam Antonii Perezii Secretarii Regis Catholici Philippi II., qui cum damnatus fuisset tamquam Hereticus ab Inquisitore Cesare Augustæ, deinde ad instantiam ejus filiorum per Supremum Inquisitionis Tribunal fuit absolutus, & ejus memoria restituta; testatur *Joan. Escobar. in tract. de purit. proband. par. 1. quæst. 4. §. 4. num. 32.*, & ita in terminis appellationum per hæredes interpositarum adversus Sententiam latam contra memoriam Defuncti, loquuntur *Tyberius Decian. in tractat. crimin. lib. 5. cap. 57. num. 10.*, *& seqq.*, *Camill. Borell. in summo decis. tom. 2. titul. 30. n. 226.*, & alii, præcipuam animadvertentes rationem quod quando damnatur memoria defuncti, interest hæredibus ob proprium interesse judicium, sive appellationem prosequi, siquidem non tantum damnatur, & redditur infamis defunctorum memoria, excommunicantur, exumantur e loco Sacro, & indignæ eorum animæ declarantur ab omnibus precibus, & oblationibus *Cap. sine quæst. 2.*, *cap. fueris de Sepultur. cap. de hæretic. in 6. cap. accusatus §. in eo*, *eod. titul.*, verum etiam illorum bona publicantur, ut in *dicto cap. accusatus §. in eo*, merito hæredibus appellationes prosequendi Jus impartitur; nam eorum interest recuperandi bona publicata, quoties Defunctorum memoriam defendere satagunt; quod in cæteris delictis, in quibus memoriæ damnatio non datur, neque bonorum publicatio, extendendum minime videtur, ne forte frustra Judicium prosequeretur, cum nullius eorum interesset contra expressam Juris dispositionem *in 1. toto tit. ff.*, *& c. si pendent. appellat. mors. secut. fuer.*, de quibus supra in §. 1.

§. III.

Hinc ex hujusmodi fonte, facillime profligitur quod forsan ex adverso jactari posset, filiis, sive hæredibus Defunctorum, Jus superesse, appellationes prosequi, ad Damnatorum Innocentiam detegendam, eorumque infamiam purgandam, ut nonnulli perfunctorie, & indigeste autumant, quos *Farinacc.* recenset *quæstion. 10. num. 74.*, enim vero quam male, & perperam sensum legis, ac *Baldi* doctrinam, (quam antesignanam pro fallaci indistincta eorum opinione allegant,) perceperint; difficillimum haud est demonstrare, simul cum *Bald.* verbis, Textum ab eo allegatum *in leg. filio 31. §. Seja ff. de adimend. legat.*, ad quem omnes tamquam ad sacram anchoram confugiunt, ad veram Juris trutinam exponendo.

Dubium movet *Baldus in Leg. unic. C. ne ex delict. defunct. num. 10.*, an pro eorum interesse possent Rei hæredes instare, ut purgetur infamia Defuncti, & ad Sententiam procedatur his verbis — *Modo dubitatur, mortuus est Reus ante Sententiam, hæredes Rei PRO EORUM INTERESSE, & pro purganda infamia defuncti, volunt quod procedatur ad Sententiam, nunquid hoc possunt?* atque ita breviter respondit — *Respondeo casus est unicus in Jure, quod sic, L. Filio §. Seja ff. de adimend. legat.*, quibus verbis aperte depromitur, *Baldum* unice loquutum fuisse non tantum in casu, cum Reus ante Sententiam Fati diem functus esset, nihil de appellatione loquens, verum etiam *considerato interesse* hæredum, ut quia bonis defuncti privandi forent, sive dicta bona aliis tradere deberent.

Et quidem doctissimus Vir, nonnisi ad hunc sensum allegare poterat *Textum in d. L. Filio 31. §. Seja*; siquidem in eo in tantum hæredes moti sunt Defuncti Innocentiam purgare, in quantum de quæstione bonorum

uorum agebatur, an Testatoris bona remanere debuerant penes hæredes, vel Legatario tradi, qui Testatorem accusaverat calumniose; quod ut apertius percipiatur, quæso notanda ejusdem Textus verba ex *libro* 14. *Digestorum Consult. Mutii Scevolæ* deprompta, qui hoc definivit post ejectum Tiberium Gracchum Tribunum Plebis ob latam legem agrariam, anno ab Urbe condita 621. ibi -- *Seja Testamenta sua legavit Titio auri pondo quinque, Titius accusavit eam; quod Patrem suum mandasset interficiendum, Seja post institutam Accusationem Codicillos confecit, nec ademit Titio privigno legatum, & ante finem accusationis decessit; acta causa, pronunciatum est, Patrem Titii scelere Sejæ non interemptum; quæro cum codicillis, legatum quod Testamento Titio dederat, non ademerit, an ab hæredibus Sejæ Titio debeatur? Respondi, secundum ea, quæ proponerentur, non deberi*, quibus ex verbis manifeste constat, ideo hæredes, mortua Seja, Judicium prosequutos fuisse, quia eorum intererat ne legatum solverent, ob accusationem a Titio legatario contra legantem injuste porrectam, cum novum haud sit legatarios legati commodo, tacite privari, cum ad accusandum injuste legantem moveantur, & hoc ratione gravissimæ, & capitalis inimicitiæ inter Testatorem, & Legatarium, juxta *Textum in L. Si inimicitiæ ff. de his quib. ut indign., & in L. 3. §. Non solum ff. de adimend. legat.*

Ultraquamquod tradit *Accursius ibi in verbo Accusavit*; quod Judicium accusationis a Titio institutum contra Sejam non erat principaliter criminale, sed incidenter motum: proinde subdit -- *Acta Causæ post mortem Sejæ, vel civiliter excipiendo, acta sunt, vel criminaliter quoad bona tantum*; Unde, bona pace tantorum virorum, indubie decipiuntur Farinac., & Doctores ab eo allegati, quoties fundamento prædicti Textus, ac auctoritate Baldi indistinctam Sententiam amplecti vellent, posse hæredes, *nulla data bonorum quæstione*, Judicium criminale prosequi, Reis ad corporalem animadversionem tantum damnatis (ut hypotesi) ad illorum innocentiam detegendam, & purganda eorum infamiam; quippe post obitum, nisi ageretur de cadavere suspendendo, sive alia pictura infami publice affingenda, aut de damnanda defuncti memoria silet honoris, & infamiæ quæstio, ut cubitalibus verbis inquit *Imperator in L. 4. C. si pendent appellat.* ibi -- *Pendente appellatione concessit in fatum, honoris ejus quæstio morte finita est.*

Et sane qui medullitus rem pertractarunt, nonnisi in casibus superius expressis, vel quoties de adimendis ab hæredibus bonis ageretur, Jus prosequendi appellationes Hæredibus tribuunt, & in hunc sensum superius expressum Textum allegant ad tradita per *Joan. Platea in Leg. 10. n. 3., & seq. C. de Jur Fisci*, ita subdens quoad corporales animadversiones -- *Pœnæ afflictivæ animati corporis finiuntur morte, & nunquam transeunt ad hæredes, sunt enim pœnæ sensus*; Angel. in *L. Ex Judiciorum num. 3. ff. de accus.* ibi -- *Adimuntur BONA AB HÆREDIBUS, nisi hæredes, purgent Innocentiam condemnati, & in L. Manifeste num. 1 ff. de Jur. jurand.* loquens de pœna pecuniaria solvenda per Hæredes vigore contumaciæ, sive fictæ confessionis defuncti; inquit -- *Quod intellige nisi hæres purgare vult Innocentiam Defuncti.*

Ita pariter Valenzuel. Velasquez in consil. 95. n. 27. prædictum Textum in L. Filio 31. §. Seja allegat in casu, quod ageretur de damnanda Defuncti memoria; & in hunc sensum pari forma loquitur Camillus *Borrell. in summa decis. tom. 2. tit. 30. num. 225.* habito semper respectu ad interesse hæredum quoad bona, quoties publicanda essent, & damnanda defuncti memoria ob atrocissimum læsæ majestatis facinus, sive hæresis; Hinc antesignana Baldi doctrina quæ nititur fundamento in *dicto §. Seja*, sano modo intelligenda videtur de illo interesse, quod ex damnata, vel damnanda Defuncti memoria consurgeret; nam tunc hæredibus interest Judicium prosequi *ad evitandam Bonorum publicationem, & ne memoria defuncti damnetur, sive damnata purgetur*, quodque ejusmodi hæredis interesse alio modo intelligendum minime veniat, nisi data bonorum publicatione, expressis verbis annuit *Textus in L. Unic. ff. si pendent appellat. mor. interv.* ibi -- *Nullius interest, veluti cum sine adeptione Bonorum relegatus est.*

Nec utique novum videtur, si *Farinac., ac cæteri* perfunctorie loquentes, quiddevium a Juris dispositione, & ab *originali Baldi* doctrina (quam fundamentaliter allegant) firmare ausi sint, aut saltem obscure se habuere, ait namque berbelle *Iacob. Cujac. lib. 22. observat. cap. 16.* -- *Quod ex pravo Iuris Justinianei intellectu sæpius extructæ videntur Doctorum opiniones a primævis Iuris elementis aberrantes*, proinde caute in Doctorum Sententiis insectandis, præ cæteris leges, & originales Jurisconsultorum Sententiæ, quibus fundamentum desumunt, sedulo introspiciendæ veniunt, ne Doctorum sectetur opinio Juri prorsus difformis; sive auctoritatis quam allegat, ut apprime cum Baldo, Salycet., ac innumeris aliis docet *Anton. Cor. f. de commun. DD. opin. lib. 1. in spect. 15. tit. 6.* ibi -- *Huic malo remedium datum est, ut tales Doctores, seu eorum obscura, pronunciata intelligantur secundum leges, quas allegant, quia sublato fundamento, Doctoris opinio corruit.*

Tandem ne prolixius in re tam manifesta progrediar, animadvertendum superest, quod penitus Bonorum adeptione in facti specie silente, ac deficiente criminis titulo ad inseviendum contra mortuos, ad eorum memoriam damnandam, sive aliter suspendenda cadavera, sive publice infamem affigendam picturam, nec minimum superest adversariis præsidium ad interpositas a pœnis corporalibus appellationes prosequendas, nisi profugum, & in contumaciam damnatum Mazzettum ejusmodi velamine tueri optent adversus notissimas Apostolicas Sanctiones. Quare &c.

Ioannes Baptista Gallucci Advoc.

Allegatio II. pro Hæredibus.

Bononien. Prosequutionis Appellationis.

ILlustrissime Domine. Ex accusatione Jacobi Mazzetti Communis Sibani apud Reverendissimum Vicarium Generalem Curiæ Archiepiscopalis Bononiæ, continente plura ass. delicta adversus ipsũ commissa variis tẽporibus a designatis Personis, quæ ea patrasse asserebat de Mandato Domini Antonii Mazzetti Civis Bononiensis, *die 5. Septembris* 1748. Processum fuit ad Capturam *Petri Machelli*, tanquam Rei Incisionis Vitium commissæ in Prædio ejusdem Jacobi, & similiter die 15. ejusdem Mensis

ßis, & anni deprehensus fuit *Bartholomæus Gandol-ßs*, tanquam Reus prætensæ Rapinæ sub ficto nomine militum exterorum, stationes habentium penes ea loca in Domo d. Jacobi Mazzetti.

Compilato Processu &c. (omittuntur alia factum tantum respicientia) & completis defensionibus, atque in actis exhibitis facti, & juris allegationibus die 26. Ianuarii 1751. quoad Petrum Machellium, & circa finem Mensis Maji 1751. quoad Gandulphum, repetitisque pluribus, & pluribus Instantiis pro sollicita expeditione Causarum &c. tandem *die 20. Decembris* dicti anni 1751. emanavit Sententia, qua Machellius pro ass. delicto Incisionis Vitium condemnatus fuit in pœnam Triremium per Quinquennium ibi -- *De, & super devastatione Cannabis, & Incisione strepitosa Vitium fructiferarum ab eo len commissa in damnum Jacobi Mazzetti cum qualitate Mandati Antonii Mazzetti &c., quamvis negativum, graviter tamen Indiciatum &c., In pœnam, & ad pœnam Triremium per Quinquennium &c.*

Sic etiam die 27. Martii 1752. alia prodiit Sententia contra Gandolphum, uti Reum ass. delicti Rapinæ sub ficto nomine Militum exterorum, qua condemnatus fuit ad Pœnam Operis in Fortalitio Urbano pro tempore arbitrio, ibi -- *De, & super prætensa Rapina sub ficto nomine -- Vulgo de Michelotti -- in personam Iacobi Mazzotti de Sibano, de qua est Negativus, graviter tamen Indiciatus; Viso &c., & tanquam de præmissis repertum culpabilem &c., condemnamus &c., & mandamus ad Opus in Fortalitio Urbano pro tempore arbitrio ad hoc ut ei sit pœna condigna &c. pro quo effectu solitis Ministris consignari mandamus &c.*

Ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Supremi Justitiæ, & Æquitatis Cultoris, atque Moderatoris Indulgentia factum est, quod admissa fuerit interposita per Reos appellatio in devolutivo ad Tribunal Illustrissimi, & Reverendissimi A.C.. Cœperunt itaque agitari Causæ in eodem Supremo Tribunali Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini A. C. in gradu appellationis usque tunc, & jam a die 4. Septembris superioris Anni 1652. proposita fuit altera, respiciens Dominum Josephum Bellani alterum Reum ass. Veneficii; nec destitum est importune curare aliarum prosequutionem, sæpius citata Parte, ut etiam aliæ supradictos Inquisitos respicientes Causæ proponi possent; Sed agnito forsan malo Jure, omnia diffugia exquisita sunt, donec contigit, quod Machelius condemnatus pro Incisione Vitium infeliciter obiit in Triremibus Mense Julii 1752., & Gandulfus a dicta die 27. Martii condemnatus ad Opus in Fortalitio Urbano, nusquam ad illud transmissus, & in duro Carcere adhuc detentus, sine ope ulla Corporali, minusque spirituali Sacramentorum Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ decessit nocte diei 10. Mensis Decembris 1752.

Triumphasse forsan credidit Jacobus Mazzetti, & quisvis Accusatoris Vices subeundo, Fisci Instigator in hisce Causis fuit, eo quod morte Inquisitorum Judicium extinctum esse putaverit; Sed utriusque Hæredes datis specialibus Mandatis ad Causam venerunt, & Judicia prosequi declararunt, juxta Mandata Procuræ in actis exhibita circa finem Decembri elapsi Anni. Quibus non obstantibus impugnata acerrime ex adverso est Causarum prosequutio, & Illustrissimus Dominus meus exceptionem peremptæ ex obitu Inquisitorum Appellantium Instantiæ examinandam assumpsit.

At vero difficultas nulla esse potest, quin locum habere debeat, eadem contraria exceptione rejecta, Causarum prosequutio; Nam tametsi videatur prima facie, quod regula sit; Per mortem Rei criminale Judicium expirare, juxta *Text. in leg. Defuncto ff. de Public. Judic.*, *Farinacc. quæst. 10. n. 36.*, *Carpzov. in Prax. Crim. part. 3. quæst. 141. num. 1.*, *Conciol. verb. delictum resolut. 83. num. 1.*, *Bonsin. in Bannim. Gener. cap. 79. num. 50.*

Nihilominus id quidem procedit ad effectum ne hominis defuncti memoria damnari possit, & ut pœna Corporalis illi inflicta finiatur, ut explicat *Glos. in d. leg. Defuncto*, ibi -- *Aliquo damnato pœna Corporali, eo decedente finitur pœna* --. Non tamen, ut cesset ex toto Judicium; Nam in eodem textu, statim sequitur -- *In quacumque Causa Criminis extincti, debet is cognoscere, cujus de pecuniaria re est cognitio* --; Unde apertissime oritur, quod pœna quidem finiatur, & extinguitur; Causa vero non, dum de ea debet is cognoscere, cujus de pecuniaria re est cognitio, ut prosequitur *Gloss. ibidem verb. Is cognoscere*, & notabile est, quod Textus præcise distinguit *Pœnam*, & *Causam*; & pœnam quidem dicit morte finiri; Causam vero non sic; unde sequitur, quod in Causæ cognitione diversimode inde judicandum sit, cum in legibus quoque discretiva locutio, diversæ voluntatis, ac dispositionis præbeat interpretationem, per *Text. in leg. Cum Prætor. ff. de Judic.*, *Rot. decis. 599. n. 9. part. 18. Rec. dec. 795. num. 19. coram Emer. Jun. dec. 769. num. 42. & decis. 1022. n. 8. cor. Molin.*

Quidquid ideo disputent Doctores juxta diversos casus, & effectus, an Fiscus, defuncto Reo, & sic extincta quoad ipsum poena Corporali, Judicium prosequi possit adversus hæredes, & eos cogere ad ejusdem Judicii prosequutionem, quam disputationem egregie præ cæteris tractat *Bonsin. in Bannimens. dicto cap. 79. num. 51 cum seq.* ubi *dicto num.* 51. tradit, si de turpi lucro actum sit, causam prosequi, ut illud ab hæredibus extorqueatur, licet crimina morte extinguantur; Idemque esset si agatur de interesse Partis, *ponit num. 53.*, ut in specie verificatur in stupro favore Stupratæ, de quo late apud *Raynald. Observ. Crim. cap. 23. §. 1. nu. 224. cum plur. seqq.*, vel rursus verificatur in Amotione Terminorum, per quam hæres, ex delicto sui Auctoris potuit factus esse locupletior, *ut in dicto cap. 79. num. 55. & 56.*, vel in repetitione Dotis ab Hæredibus Viri proposita per Uxorem Adulteram superstitem, cum dd. hæredibus liceat crimen per Viam exceptionis ratione interesse dictæ restitutionis Dotis proponere, *dicto cap. 79. num. 57. & 58.*, Vel in Delictis Hæresis, seu Læsæ Majestatis, ubi etiam defuncti memoria damnari potest, *ut num. 59.* cum ibi relatis concordan:. Vel demum si in Criminali Judicio indicta sit poena Confiscationis in totum, vel in parte Bonorum, de quo post *Text. in leg. unic. ff. si pendente appell. mors intervenerit*, ibique *Doctores*, agunt, *Eugen. cons. 21. num. 8., & 9. lib. 1.*, *Cepparel. Resolut. Fiscal. num. 11. & seq.*

Casum nos agimus jam sequutæ Condemnationis alterius ex assertis Reis in pœnam Triremium ex delicto Incisionis Vitium; alterius vero in pœnam Operis ex delicto Rapinæ, ac pendentiæ appellationis eorum nomine tamdiu interpositæ, & in devolutivo agitatæ: Quo sane casu aliæ intrant regulæ, quæ permissam hæredibus prosequutionem appellationis omni Jure suadent.

Duo

Duo enim sunt quæ absolute id requirunt isto casu validissimæ rationes; Quarum prima oritur a vindicatione famæ, & Innocentiæ Defunctorum, Ut enim purgetur infamia, & tueatur illorum Innocentia, etiamsi morte finita sit pœna, ac videri possit abolitum quoque fuisse delictum, adhuc hæredes petere, & instare possunt, ut de crimine prosequatur cognitio, & deinde super eo feratur Sententia absolutoria, qua posteris appareat, cassato Processu, defunctos non commisisse sibi impicta delicta, ut probat *Textus in leg. Filio §. Seja ff. de alim. Legat.*, & bene explicant *Bo. in tract. Crimin. tit. de Pæn. num. 34. circa fin.*, ibi -- *Etsi mors tollat pœnam, tamen potest hæres defuncti pro fama, & honore ejus instare, ut declaretur super eo crimine* -- *Bajard. ad Clar. quæst. 51. num. 31.*, ibi -- *Licet judicium regulariter morte extinguatur; tamen Hæres Accusati potest instare, & petere a Judice, ut declaret defunctum non commisisse delictum, habita, & recepta super hoc informatione, & probatione vera, & juridica; Et Judex tenetur facere, pro evitanda Infamia defuncti, & conservanda ejus memoria* -- *Peregrin. de Jur. Fisc. lib. 4. tit. 5.*, ubi postquam *num. 1.* posuit regulam deductam ex *Text. in leg. Defuncto ff. de Publ. Judic.*, qua ait per mortem Rei crimina extingui tam quoad pœnam respectu Personæ, quam etiam quoad Publicationem Bonorum, adeout Reo defuncto antequam lis sit contestata, & condemnatio sequuta, non possit ulterius procedi, declarat, & enumerat plures casus, in quibus regula limitatur, *ut a num. 7. cum seq.*, & *sub nu. 35.*, ita loquitur -- *Decimus tertius casus est, cum hæredes defuncti ad purgandam Infamiam, quæ publice contra defunctum laborat, de aliquo Crimine, volunt ad detegendam illius Innocentiam, quod de Crimine ipso cognoscatur; Nam id fieri jure conceditur.*

Consonant *Anton. Gomez. resol. Jur. tom. 3. titul. de Delict. cap. 1. sub num. 8.*, ubi materiam pertractando sic ait -- *Unum tamen est bene notandum circa prædicta, quod licet post mortem Rei delinquentis extinguatur Judicium, quod contra eum pendebat, ut supra dictum est, tamen bene potest hæres ejus instare, & petere a Judice, ut declaret Defunctum tale delictum non commisisse, habita, & recepta super hoc informatione, & probatione vera, & Juridica; ET JUDEX TENETUR FACERE PRO EVITANDA INFAMIA DEFUNCTI, ET CONSERVANDA EJUS MEMORIA: Ita probat textus singularis, & unicus in Jure, in leg. Filio §. Seja ff. de alim. Legat. &c.* -- eumque exornans in suis *Addit. Jo. Aylon. dicto cap. 1. num. 83.* sic -- *Quamvis morte Rei extinguatur delictum, hæres tamen ejus bene potest petere, ut declaretur, Defunctum non deliquisse, ob Infamiam vitandam* -- *Farinacc. quæst. 10. num. 74.*, firmat hoc ipsum ita -- *Licet per mortem delinquentis ante Sententiam, & sic pendente Judicio, illud criminale finiatur, quia Hominis memoria damnari non potest; potest tamen Hæres, si vult, pro purganda Innocentia Defuncti, & ad evitandam illius infamiam, instare, ut cognoscatur de Delicto, & Sententia desuper absolutoria feratur* -- Ejusdem sensus est quoque *Struvius dissert. Crim. cap. 10. num. 4.*, ibi -- *Vel si Hæredes pro Infamia Defuncti, & Inquisiti purganda, procedere vellent, Quod & ipsis non denegatur* -- *l. 31. §. 2. ff. de alim. vel transfer. Legat.* CUM SEMPER HÆREDUM, TALI CASU INTERSIT.

Et cum aliis id ipsum firmat *Bonfin. dict. cap. 79. num. 65.*, ubi limitando regulam inquit -- *Limitatur septimo, ut quamvis morte abolcatur delictum, non tamen prohibitum sit hæredibus Defuncti ad purgandam Infamiam, & tuendam illius Innocentiam, petere, & instare, ut cognoscatur de crimine, & deinde super eo Sententia absolutoria feratur* -- & hanc Sententiam profitetur etiam Sac. Rota Romana, ut videre est *decis. 29. num. 9. ad 13. part. 16. Recent.*, ibi -- *Minus evituri potest purgatio attentatorum sub prætextu, quod Sententia Criminalis non indigeat revocatione, utpote extincta per mortem Frescobaldi, juxta Text. in leg. Defuncto ff. de Publ. Judic. Nam quidquid sit de pœnis Corporis afflictivis &c. Non tamen mors liberat ab interesse bursali &c. neque abstergit offensas per impicta crimina inflictas tam æstimationi, & famæ Defuncti, quam consequenter omnibus de Agnatione, quorum propterea interest pro conservatione honoris familiæ memoriam Defuncti ab omni vulnere vindicare, ita ut per absolutoriam, & cassationem processus, Posteris appareat Defunctum non commisisse delictum.*

Ex quibus Sac. Rotæ verbis palam est nequidem necessarium esse, quod compareant Hæredes, sed satis superque esse, quod instent Consanguinei pro vindicanda æstimatione, & fama Defuncti, simulque totius familiæ, quæ in honore læsa ex delicto, seu condemnatione videri possit, Imo quod etiam *Extranei* ad id comparere possint, admittique debeant, tradunt *Cyrill. Fulgeon. in Sum. Crim. par. 2. Rubr. 28. §. 2.* ibi -- *Extranei etiam ad Defuncti memoriam purgandam admitti debent* -- *Farinac. dicta quæst. 10. sub num. 74*, *Ayllon. ad Gomes. de Delict. dicto cap. 1. nu. 83.*; Et rationem optimam hujus theoricæ affert idem *Gomes. dicto cap. 1. sub num. 83.*, quod scilicet *Favor liberationis hoc operatur, sicut alios plures effectus, & singularitates operatur* -- cui consentiunt Additionator *Ayllon. eodem num. 83.*, *Farinacc. dicta quæst. 10. sub cit. num. 74.* affirmatque hoc etiam esse privilegium defensionis, *Guazzin. ad Defens. Reor. defens. 29. cap. 4. n. 29.*, ac rursus *defens. 33. cap. 26. num. 7.*, ubi in fortioribus Terminis Bannitorum, quibus obstant Bullæ Summorum Pontificium, ne contumax in contumacia defunctus audiretur, quod adhuc *Hæredes, Consanguinei*, & alii *attinentes* audiantur pro honore familiæ, & quod ita *passim in Sac. Consulta* observatur, & ipse *etiam millies obtinuit*, & *observari vidit*.

Quæ si procedunt post sequutam Accusationem, & cœptam Inquisitionem, posito per assumptas probationes defuncto inter Reos, utique a fortiori procedere debent post latas Sententias, quibus imposita delicta canonizata sunt, & pœnæ impositæ fuerunt Inquisitis, quorum mors supervenit; Post Sententiam enim condemnatoriam, post mortem Rei potest quidem cessare pœnæ inde sequuta injunctio; Reliqua autem omnia, quæ sint consequentia ex lata Sententia, ut honoris, & æstimationis læsio, Partis reintegratio, Bonorum ablatio cum similibus firma remanent, utpote quæ sunt inclusa judicio, sunt sequelæ Sententiæ, & sic neque morte pereunt, ut habemus per *Textum in Leg. unic. ff. si penden. appell. mors intervenerit vers. Quamvis pendente*, & alios adductos *per Ursil. dec. 149. n. 4.*, & *5.*

Dubitari nec potest, quod in hypotesi nostra honoris læsio, seu infamia ex Accusatione, & Sententia adversus Reos lata suborta sit; Incipiendo enim a *Machellio* is per Sententiam latam die 20. Decem-

bris

bris 1751., in pœnam Triremium per Quinquennium condemnatus est; & ecce quod infamiam contraxit, quæ ex hac pœna sequitur, & infixa remanet etiam exacto tempore pœnæ, ubi in specie remigationem condemnatus exercuit, ut in præsenti, juxta ea, quæ late de hac pœna tradunt *Calderò decis. Crimin. 70. sub num. 6., Bonfin. ad Bannim. cap. 52. a nu. n. 48. ad 52.*; Alter vero nempe *Bartholomæus Gandolfi* accusatus est de Rapina, & sic Furto, quod per se suo titulo irrogare infamiam certum est, *ex litterali Textu in Leg. Furti 6. ff. de his, qui notant Infam.* & condemnationem passus est ad pœnam Operis pro tempore arbitrio subeundam: unde tam attento titulo, quam attenta pœna, contraxisse infamiam certum est, at de pœna est *Text. in Leg. Ad tempus Cod. ex quib. caus. infam. irroget*, & probat *cit. Bonfin. cap. 52. n. 50.* cum ibi concordan.

Et hoc quoad primam vivissimam rationem prosequendæ Appellationis Causæ. Altera vero accedit, quæ pariter communi calculo admissa est, & oritur ex interesse, quod ex causa terminanda prætendi Jure potest a defunctorum Reorum Hæredibus. Quoties enim considerari potest, quod Hæredum intersit condemnationis injuste sequutæ revocationem obtinere, certi item Juris est, quod iidem Hæredes admitti debent ad Causam prosequendam, ut docent *Text. in d. Leg. unic. ff. si pendent. appellat., & ibi Gloss. verb. in reddendis* ibi -- *Non propter pœnam corporalem, quæ jam mortuo appellanti imponi non potest, sed propter bona sic -- Caball. resol. Crim. cas. 298. num. 30.* ibi -- *Licet mortuo Delinquente sit extinctum Crimen quoad Personam ipsius, tamen hæredes Rei pro eorum interesse, & pro purganda infamia Defuncti, possunt petere, quod procedatur ad Sententiam, & declaretur Defunctum non commisisse delictum -- Scaccia de Sentent., & Re Judic. Gloss. 14. quæst. 25. num. 82.*, ubi sic -- *Restringe secundo generaliter, ut quamvis Reus accusatus liberetur per mortem quoad personam; tamen Hæres pro suo interesse, & pro purganda infamia Defuncti, potest petere, quod declaretur Defunctum non commisisse delictum -- Francisc. Marc. decis. Sen. Delphin. 757. num. 2.*, ibi -- *Reo mortuo Hæredes possunt prosequi pro eorum interesse, & pro purganda infamia Defuncti per Textum unicum in jur. Leg. Filio §. Seja ff. de adim. Legat. secundum Bald. in Leg. 1. Cod. ex delict. Defunct., & per Alex. de Imol. in addit. ad Bartol. in Leg. ex Judiciorum ff. de publ. Iudic. Quia Hæredes possunt petere, quod declaretur Defunctum non commisisse delictum*, & plenius *Bonfin. dicto cap. 79. num. 68.*, ibi -- *Octavo limitatur cohærenter ad præcedentem limitationem, ut non sit interdictum Hæredibus Defuncti PRO REPETITIONE DAMNORUM, ET EXPENSARUM prosequendo Judicium, petere, & obtinere revocationem Sententiæ injustæ, & sic pro Interesse Civile*.

Quantum hic interesse sit infelicium Defunctorum eorumque Hæredum facile constat. Nam de ingentibus sumptibus, qui fieri debuerunt occasione tantum primæ Instantiæ, atque instruendæ appellationis, ita ut inde eorum Familiæ in Pauperiem redactæ sint, liquet *ex Summario &c.*, & suo loco, & tempore plenius verificabuntur. De Damnis vero in genere dubitari non valet, quia agitur de Viris, qui suis operibus quotidianis victum sibi, suisque parabant Familiis, Machellius enim Cauponam in communi Sibani exercebat, in qua vini mercimonium faciebat, & hospitabatur advenas, ut patet ex toto Processu contra ipsum compilato. Alter, nempe Bartholomeus Gandulphi e communi nuncupato -- *Del Tole* -- consimilem exercebat in eodem loco artem, idemque mercimonium, unde posita injustitia, quæ in propositione Causæ ostendetur evidentissima ex juribus jamdiu paratis, sequetur profecto, quod sit locus non solum refectioni Expensarum, sed etiam Damnorum, quæ injuste accusato, & injuste condemnato omnino reficienda sunt, etsi præsumptus tantum, & non apertus, ac verus Calumniator dicendus sit, ex late deductis *per Farinac. quæst. 16. num. 13., & 14.*, ubi de Accusatore, Instigatore, & quovis Fisco adhærente *Calvin. de æquit. l. 2. cap. 171. n. 5.*, & relatis, *Dolf. alleg. 48. n. 6. to. 1.*

Nihilque refert, quod in Causa adsit mixtura Contumaciæ. Nam distinctissimæ, & dividuæ, ac prorsus separatæ sunt Sententiæ, quæ in Causis hisce prodierunt, & in iis nulla ratio de Contumace habita est, unde ista mixtura merus prætextus est, nihil influens ad præsentem inspectionem; & sicut nullatenus retardavit eadem mixtura, quod Sanctissimi Domini Nostri clementia condemnati in dictis Sententiis admitterentur ad sua Jura deducenda in hoc Supremo Tribunali in gradu Appellationis, ita retardare non debet, quod Appellatio per eorum Hæredes prosequatur. Non enim instruitur Causa nova, sed Hæredes pro eorum interesse, & honore vindicando in statu, & terminis illam prosequuntur, prout de Iure ipsis licitum esse superius demonstratum est.

Quid quod nonne tantum studium prosequutionis impediendæ ex adverso adhibitum, ostendit agnitum malum Ius, quod Pars adversa, & Fiscus in ea fovent? Profecto ita nos edocet Litera *Textus in Can. Christianis in fin. 11. quæst. prima*, ibi -- *Qui Judicium refugit, apparet eum de Iustitia diffisum* -- & sic admonet *Rota dec. 225. n. 18. p. 10. rec. dec. 689. nu. 8. cor. Caprar. dec. 3. n. 1. de donat.*, *& dec. 1. nu. 2. de falsit. cor. Card. Falconer.*
Quare &c.

I. Andræas Scaramutius Paup. Adv.
Philippus Barberius Proc. Paup.

Responsio pro Fisco, & Adhærent.

Bononien. Extinctæ Appellationis.

ILlustrissime Domine. Quamvis in præcedenti mea satis occursum sit Adversariis objectis, quibus nixus contumax *Antonius Mazzetti* aliorum velamine, & in præsenti Causa personatus, mordicus, sed infeliciter probare contendit, Ius superesse Hæredibus *Petri Macchelli, & Bartholomei Gandolphi*, interpositas prosequendi appellationes duplici figmento, TUM ad assertam Defunctorum infamiam purgandam, eorumque mente conceptam Innocentiam detegendam, ut se habet *contrarius Restrictus §. 13., & seqq.* TUM ad excogitatas expensas, & imaginaria damna repetenda, ut prosequitur *in §. 19., & seqq.*, nihilominus ad ea magis removenda æquivoca, quæ forsan, ex depravato Juris Justinianei intellectu, erumpere possent, quæque obscuram Juris dissonantiam, quorumdam Interpretum culpa, prima facie redolere viderentur, ad desuper probandum, quibus in terminis conveniunt ex adverso positæ thæses, quibusque innituntur principiis, allegata in dicto restrictu doctorum placita

quo-

quorum ingenuus, & verus sensus non aliunde petendus, nisi a primævis Juris elementis, & ab antesignana auctoritate, qua præcitati Doctores moventur: utrumque supra positum argumentum iterum examinari revocandum existimo.

§. I.

Transeat Facti series, cum non Facti, sed Juris sit quæstio, quod in *dicto* §. 13. insimulatur, *ad primam* eorum intentionem fovendam auctoritate Textus in *Leg. Filio* §. *Seja ff. de adimend. Legat.*, prorsus in concreto casus inapplicabile noscitur, si sedulo, quid dixerit Legislator, qua occasione, quo intuitu, qua mente, quibusque in terminis loquutus sit, perspiciatur juxta Pauli Sententiam *in Leg. 19. §. 1. ff. ad exhibend.* — *Non oportet* (Consultus inquit) *Ius civile calumniari, neque verba captari sed qua mente quid dicerutur animadvertere, convenire*; quoties enim, minime intuerne, num propria intentio, & legum latoris mens negotio de quo agitur apta fueris, numque ex ea motum Judicium decidi, & definiri debeat, legis sensus adeo inflectitur, pervertitur, & depravatur, ut non amplius interpretatio, sed pessima nuncupetur Juris corruptela; ut de simili corrupta Legis interpretatione inter *Sextum Cecilium I.C.*, & *Favorinum Philosophum*, loquitur *Gellius lib. 20. noctium atticar. cap. 1.*

Profecto inquam *Iuris consulti Scævolæ* responsum (ex quo citatus Textus *in dict. l. filiu* depromptus est) cum alium minime patiatur intellectum, & sensum, nisi, posse hæredes, Defuncti innocentiam, civiliter excipiendo, detegere ad effectum se liberandi a legati præstatione, quod in Testamento ab Accusata Testatrice Seia Accusatori relictum fuerat, *ut latius in dicta mea probavi* §. 21., *& seqq.*; neutiquam præfatæ legis sensus apud selectos viros applicabilis videtur in hæredibus *Macchelli*, *& Gandulphi*, causam minime habentibus Judicium prosequendi ad se liberandos ab aliqua bonorum ademptione, sive alia exsolvenda pecuniaria poena per Defunctos contracta; quippe fundamentaliter ejusmodi eorum interesse in terminis præsentis controversiæ silet, ut ad rem optime respondit *Baldus in Leg. 1. Cod. ne ex delict. defunctor.*, & successive *Alberic. in d. Legis repetitione.*

Et quamquam corrupta primæva Jurisconsulti mente, abjerint nonnulli in confusam, & ambiguam Legis interpretationem, unus alterum more pecudum insectando, quin ad primæva Juris prospicerent, indistinctam firmantes thæsim, posse hæredes ad defuncti infamiam purgandam, ejusque memoriam conservandam in publicis instare Judiciis, quin superadderent antesignanam, & præcipuam bonorum quæstionis circumstantiam; quin distinguerent crimina, quæ infamiæ labe Defunctos inficiant; quæque supplicia ejusmodi indigeant purgatione, facile tamen dissertissimi Judicis est, an Pragmaticorum error, anve Juris vera interpretatio hæc dici posset; quanti insuper hujusmodi errantium Interpretum turba moveat, cum eorum opinionibus, ipsamet digladiator originalis Sententia, quam fundamentaliter allegant, ad tradita per Textum in *cap. licet ex quadam de testib.*, *Tusch. practicar. Iur. conclus. tom. 2. litt. D. concl. 544. per tot.*, *& Ioan. Otton. Tabor. in thesaur. Iurisprud. lib. 4. cap. 43. §. 2.*

Attendendi propterea minime merentur, aut saltem eorum dicta juxta Legis sensum conciliandá, unde consarcinati ex exadverso Doctores *in d.* §. 13. ex indigestis eorum verbis, & perfunctoria eloquutione, non aliter procedere possent, nisi *ubi ageretur de damnanda Defuncti memoria, sive aliter infamia irroganda per suspendium cadaveris, aut infamem picturam publice affigendam*, eo quod in his casibus tum memoria læderetur Defuncti, tum quoque successores in bonis, & fama læsionem, paterentur; Ceterum seclusis his casibus, & propius in facti specie, in qua penitus hæc silent, prorsus inapplicabilis eorumdem Doctorum sententia videtur; Nam refragantur apertissima Juris quirita elementa, quibus adocemur, omnem Infamiæ labem, quamlibetque ex crimine prodeuntem maculam simul cum ipsa morte extingui, læsæ majestatis facinore excepto. Textus est expressus in *Leg. Is qui ff. ad L. Iuliam majestat.* — *Is qui in reatu decedit* (sunt verba Domitii Ulpiani) *integri status decedit, extinguitur enim crimen mortalitate, nisi quis forte majestatis crimine Reus fuerit: Nam nisi hoc crimen a successoribus purgetur, hæreditas fisco vindicatur.*

Hinc ex dispositione ejusmodi Textus, fortius comprobatur, hæredes, nonnisi in crimine majestatis læsæ, Defunctorum innocentiam purgare posse, ad evadendam bonorum ademptionem, quæ fisco ex sceleris atrocitate vindicatur, cumque legis lator hujusmodi taxativa loquutus sit, unice successores in dicto crimine admittendo ad defuncti facinus purgandum ratione ademptionis bonorum, & juxta terminos *Textus in Leg. unic. ff. si pendent. appellat. mor. interv.*, *& in Leg. 3. Cod. ead. titul.* (ut in dicta mea dixi), in cæteris, in quibus de bonorum ademptione minime agitur palam est, ejusmodi audientiam successoribus denegasse, si quidem Legis lator, ubi voluit, expressit: ubi noluit, omisit Textus *in Leg. Commodissime 10. ff. de lib., & posthum. cap. inter corporalia 2. de translat. Episcop. Ioann. Otton. Tabor. in thesaur. Jurisprud. lib. 3. cap. 8. §. 3., & 4.*

Quin ex adverso aliqua effingi possit infamia prætextu pœnæ, eo quod *Macchellus* ad triremes damnatus sit; *Gandulphus* vero rapinæ causa, ad arbitrarium opus: prout in dicto Restrictu *obiicitur* §. 18.; Nam ultra quam quod contradictione non vacat posita propositio, quæ infamia hujusmodi notat damnatus, ut latissime probant *Camillus Borellus consil. 52. num. 32. & seqq. & Aloysius Riccius dec. 119. per tot.* demonstrantes triremium poenam in locum antiquæ deportationis successisse, quæ infamiam non irrogabat; quatenus ea concedenda esset, tunc infamiæ labem contraxissent iidem Macchellus, & Gandulphus, quoties post completum remigationis, & respective operis tempus decessissent, juxta literalem dispositionem Textus in *l. ad tempus 6. C. ex quib. causis infam. irrogat.*, ubi loquens Imperator de damnatis ad temporale publicum opus, inquit, *damno infamiæ post impletum tempus subiicitur*; cumque ab humanis erepti fuerint antequam operis publici tempus complerent, prorsus ab omni infamiæ nota immunes existunt, habito respectu tum ad crimen, tum etiam ad pœnam, vi argomenti a contrario legis sensu, quod fortissimum est, *leg. 1. §. Huius rei ff. de offic. ejus, cui mandat &c. l. 2. C. de condit. insert. cum similibus*: proinde Legislatore quamlibet infamiæ maculam ab hujusmodi Damnatis eradicante per illorum interitum, nil habent Successores ad prosequendum Judicium infamiæ purgandæ figmento, quæ simul cum morte evanuit, *argum. Textus in l. 1. §. Hac actione & ibi Bartol. ff.*

si quis T ſt. lib. eſt, *& in l. ejus qui in provincia & ibi DD. ff. ſi certum petat*.

Hæc magis in facti ſpecie potiſſimum urgent, attenta appellatione nomine dictorum *Macchelli*, *& Gandulphi* interpoſita, quæ penitus, pendente Judicio, quod eorum morte expiravit, ab omni infamia eos eximit, licet pro furto, aliiſque famoſis criminibus damnati eſſent, ut annuit *Domitius Ulpianus in leg. furti 6. ff. de his qui notant. infam.* ibi -- *Sed ſi furti, vel aliis actionibus famoſis, quis condemnatus provocaverit, pendente Judicio, nondum inter infames habetur*, & conſentanee Imperator *in leg. 4. C. ſi pendent. appellation.* ibi -- *Pendente appellatione conceſſit in fatum, honoris ejus quæſtio finita eſt*: quemadmodum enim hi, dum in humanis erant, ab omni, & quacumque infamia, etiam ratione pœnæ immunes extitere, ſignanter ob interpoſitam eorum nomine appellationem, ita poſt mortem hanc eamdem maculam contrahere minime potuere, quæ ſimul cum crimine, & pœna ſiluit, ut allegatis Juribus prædictis, docet *Sebaſt. Medices in tractat. mors omnia ſolvit concluſ. 54. nu. 148.* ibi -- *Infamia ſolvitur morte, adhæret enim Perſonæ, & ſequitur eam, ſicut lepra leproſum, ſic remanet infamia cauſa extincta, quia per obitum ceſſat*.

Propterea nulla exiſtente in dictis hæredibus cauſa nec minus colorata, ad prætendendam perperam excogitatæ Defunctorum infamiæ purgationem, quam nentiquam in abſtracto, multoque minus in concreto caſus Defuncti Macchellus, & Gandulphus contraxerunt, nonniſi incaſſum, imaginarioque hoc prætextu movetur Contumax Mazzetti, extinctas reviviſcere appellationes. Fortius quia hujuſmodi labem nec minus in dictos hæredes, & filios effingere poterit, tum ex rationibus in dicta mea deductis, tum quia minime in Deſcendentes transfunditur, quod nunquam fuit; ne quæſtio daretur ſuper non ente, primævis refragantibus Juris elementis ad *Textum in l. ſi unus 27. §. 4. verſic. ante omnia ff. de pactis*.

Porro inapplicabiles prorſus dignoſcuntur ex adverſo allegatæ Doctorum auctoritates, non tantum quia deficit in facti ſpecie infamiæ labes, quam per Innocentiæ tuitionem purgandam, ipſi ſupponunt; verum etiam quia aſſerta *hæc infamiæ purgatio* non aliter procedere poſſet, niſi in caſibus antea expreſſis, cum nempe de *memoria defuncti damnanda ageretur, ſive aliter de pictura infami publice, & in opprobrium affigenda, aut de ſuſpendendo Cadavere*, alioquin gratis admittenda eſſet infamiæ purgatio, ubi hæc deficeret, quod ridiculum eſſet aſſerere, quod ut magis evidentiſſime pateat; quæſo eorumdem Doctorum verba exquiramus.

Bellus enim, qui poſt toto cælo diverſum allegatum *Text. in d. l. filio §. Seja*, primo adducitur, loquitur in terminis *poſſe hæredes inſtare pro fama, & honore Defuncti*; ita pariter ſe habent Bajardus *Pro evitanda infamia Defuncti, & conſervanda ejus memoria*; Peregrinus -- *Ad purgandam infamiam, qua publice contra Defunctum laborat*; Gomeſius -- *Pro evitanda infamia Defuncti, & conſervanda ejus memoria*; Additionator Aylion -- *Ob infamiam vitandam*; Farinacc. -- *Pro purganda innocentia Defuncti, & ad evitandam illius infamiam*, Struvius -- *Pro infamia Defuncti purganda procedere vellent*; Cirillus Fulgeon. -- *Ad Defuncti memoriam purgandam*; Bonfinius -- *Ad purgandam infamiam, & tuendam illius innocentiam*; & Rota (quæ tamen incidenter, & in alium ſenſum loquuta eſt) *intereſt pro conſervatione honoris familiæ, memoriam Defuncti ab omni vulnere vindicare* allegans ad hunc effectum præcitatum *Textum in d. l. filio §. Seja*.

Ultra quam quod in *contrario Reſtrictu §. 15.* integer ſenſus, & verba *Rotæ in dec. 29. nu. 9. & ſeqq. part. 16. recent.* fideliter deſcripta minime fuere, ſed mutilata, ubi deventum eſt ad verbum *intereſſe burſale &c.* in circumſtantia ſubſtantiali, qua eadem Rota mota fuit, quæque ceſſat in facti ſpecie ibi -- *Minus evitari poteſt* (ſunt ejus integra verba) *purgatio attentatorum ſub prætextu, quod ſententia criminalis non indigeat revocatione, utpote extincta per mortem Freſcobaldi juxta Textum &c. nam quidquid ſit de pœna corporis afflictiva, aliiſque Fiſco applicandis, non tamen mors condemnati liberat ab intereſſe burſale civili* INGENTIS SUMMÆ, AD QUOD IN SENTENTIA CONDEMNATUS FUIT FRESCOBALDUS *ad favorem ipſius Belloni, pro quo ipſe, vel ejus hæredes agere poſſunt, etiam Freſcobaldo Defuncto, contra ejus hæredes, juxta Doctrinam Bartol. &c.* utique in his terminis nunquam controverſum eſt, poſſe hæredes ad evadendam pecuniariam mulctam, etiam defuncto condemnato, jura eorum experiri, & judicium proſequi, prout diſtinguendo pœnas corporales a pecuniariis mulctis, ſive bonorum ademptionibus latius ad verum ſenſum legis probavi *in d. meo §. 1.*

Sane vero prææallegatos Doctores, nonniſi in ſuperius expreſſum ſenſum intelligi oportere, ratio ipſamet ſuadet, & fundamentalis, ſive anteſignana doctrina, qua ipſi moventur; Quippe omnibus perluſtratis, traditam theſim non aliunde firmare motà ſunt, niſi ex adducto Mutii Scævolæ reſponſo *in leg. filio 31. §. Seja*, quod primo *Baldus* ad verum & ſincerum Legiſlatoris ſenſum, commentatus eſt, ut alibi demonſtravi; Hinc ſi poſtmodum in aliis corrupte proſilierit Pragmaticis, arbitrarie addentibus, quod lex minime inquit, neque ſtatuere intellexit, liceat cum *Antonio Fabro* exclamare *de error. Pragmat. dec. ad 37. error. 7.*, ibi -- *Interpretum inſcitia eo uſque progreſſa eſt, ut omnia de quibus dubitant, quantumlibet certa ſint, & ex Juris ratione indubitata, faciant arbitraria, non arbitraria vero illa ſola in quibus errant*.

Cujus erroris cauſam perbelle explicat *Udalric. Zaſius in repetit. leg. 2. §. 47. ff. de offic. Iudic. poſt num. 28.* -- *fit pluribus* (inquit) *ut opiniones, quæ communes appareant, non veritate, ſed ex favore eorum conſpirato pendeant, non nunquam enim negligentia in cauſa eſt, ut dum quæ ab aliis ſcripta ſunt ſine altiori inquiſitione aliis traditur, & illi aliis, & ita deinceps facile evenit, ut opiniones communes oriantur, & ſic ut olim in paleſtris primus curſu defatigatus lampadam ſequenti dedit, & ille alii, ita fit ut DD. conſulta eorum non tam ex animi ratione veriſque fundamentis, quam ex alienis vocibus colligantur.* Merito non ad Doctorum computum, ut voluit Imperator Valentinianus *in Cod. Theodoſ. ſub tit. de reſponſ. Prudent.*; ſed ad legis præſcriptum, & mentem intuendum eſſe, ſtatuit Juſtinianus *in leg. unic. §. 6. Cod. de veter. Jur. enucleand.*; quippe nil magis præſtandum eſt (inquit *Senec. de Vita beat. cap. 1.*) *quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes, non qua eundem eſt, ſed qua itur*.

Uſque adeo ſi ad exuberantiam demonſtratum eſt aſſertam infamiæ labem nec in defunctis, nec in ſucceſſoribus, ſignanter in facti ſpecie contractam fuiſſe,

tum

tum ratione criminum, tum non expletæ causa corporalis pænæ, tum demum ob subsequutam provocationem, potissimum etiam quia de Nobilibus non agitur Personis, sed suapte natura vilibus, & aliqua apud Gentes turpitudine notatis, ob cauponariam artem, quam uterque Macchellus, & Gandulphus ex professo exercebant, quiescat animus Mazzetti ad hanc insulsam, & perperam excogitatam prætensionem fovendam, & fortius quiescat ad absurda vitanda; siquidem absurdum esset, ut defunctorum hæredes, prorsus silente infamia publicum prosequerentur Judicium, & impari colluctatione cum fisco certarent, mente concepto, & specioso innocentiæ tuendæ figmento; potius ad illud defaticandum, & desuper ad elusorium reddendum finem Judicii, quatenus pro severiori criminis expiatione pronunciaretur; quia deficeret Reus ad corporalem subeundam animadversionem.

Absurdum insuper, ut contumax callida hac arte hæredum nomine, propriam prosequeretur causam, ut evidentissime in casu de quo agitur, constat; Quis enim ingentes expensas erogat ad hujusmodi causarum tuitionem? forte Macchelli, & Gandulphi successores, tam extrema inopia laburantes, ut nec lapidem movere valeant? Minime: Mazzettus est inquam qui illorum nomine, & personatus omnia peragit, & libenti animo impensas profundit, ut propriam, non defunctorum tueretur causam, quod an sit tolerandum in conspectu Principis, & ad elutionem Apostolicarum Sanctionum differtissimus Judex ex se ipso definiet. Et licet quandoque ex comperta Innocentia Rei, qui capitale passus jam fuerat supplicium, Marmorea inscriptio practicata sit, ut in casu relato a *Raynald.*, & *Bonfino*, id tamen ex mero Judicis Officio, & absque instantia prosequutionis Judicii practicatum fuisse, constat apud eosdem Doctores.

Nec defensionis favor movet, ut ex adverso circumscertur §. 16.; Loquitur enim *Guazzin. d. sect. 29. cap. 4. post num* 28. ad effectum demonstrandi homicidii impunitatem, & Jure permittente admissi, prout in his terminis quoque loquuntur *Francisc. Marcus*, & *Eugen.* per eum allegati; Ultraquamquod in casu relato a dicto *Eugen. consult. 28. tom. 1.*, agebatur Judicium ab hæredibus non jure actionis, sed per viam exceptionis, ad pœnam pecuniariam evitandam, in quam defunctum incidisse prætendebatur, per successores solvendam: unde in hunc sensum docte, & sincere allegavit præcitatum Textum in *dict. l. filio* §. *Seja*. Porro exempla quæ ex eodem *Guazzino* mutuantur gratis in dicto §. 16. allegantur. Nam prælaudatus Auctor loquitur in terminis prorsus diversis a facti specie, nempe -- *Quod pro honore familiæ possint Consanguinei, & Attinentes insurgere ne Bannitus pro Fractione pacis fugatur in loco publico*, desuper recensendo casus, in quibus Consanguinei appellarunt ab ea ignominiose pœnæ parte. Hoc quemadmodum per me numquam inficiatum est, imo permissum posse in hoc casu hæredes instare ad tollendam hujusmodi ignominiosam picturam; ita cum dissimillimus sit ille casus ab eo de quo quæritur, nescio quodnam fundamentum ex hoc percipere valeant Adversarii.

Gratis igitur *in* §. 17. *contrarii Restrictus* Partis reintegratio numeratur inter ademptionis bonorum causam, de qua loquitur citatus Textus in *leg. unic. ff. si pendent. appell. mor. in erv.*; ut namque in dicta mea probatum est, Juris consultus Macer limites non egreditur confiscationis bonorum, sive aliter pecuniariam pœnam per hæredes solvendam juxta sensum, de quo loquitur *Offsc.* ibidem allegatus in *decis.* 149., ex gratia videndus. Cum enim Legislator limites ademptionis bonorum non egressus sit in dicta *leg. unic.*, nec pecuniariam ultionem *in leg.* §. *Seja ff. de adim. vel. legat.*, Nobis alia effingere a Jure omissa licitum haud est, potissimum quia, si de litis sumptibus, sive aliter de Accusati reintegratione, quo ad passas in publico Judicio expensas disponere voluisset, utique non omisisset, ad Textum *in cap. nonne de præsumpt. in leg. cum Prætor. 12 ff. de Iudic. in leg. 22. ubi Anton. Faber. ff. de legib.*, & *in leg. ait Prætor. 7.* §. *10. ff. de minor.*

§. II.

Primo Contrariorum confutato argumento, alterius, quod assertum hæredum interesse prospicere jactitatur, inefficacia facile dignoscitur, si sedula mentis acie expendatur ex adverso efflagitatum objectum *in* §. 19., neutiquam in facti specie applicabile esse; Siquidem vera, & propria *interesse* significatio, de qua loquitur Textus in *Leg. unic. ff. si pendent. appellat. mor. in erv. in d.* §. 19. allegatus, diversum ab eo, quod futiliter prætenditur, intellectum habet; apertissimis enim, non ambiguis verbis illud a Jure Consulto in d. *L. unic.* expressum fuit unice quo ad bonorum publicationem; imo ne diversa sequeretur interpretatio, quoties bonorum publicatio desineret, subdit -- *Nullius autem interest, cum sine ademptione bonorum relegatus est*, quæ negativa dispositio prorsus asseriam publici Judicii prosequutionem ab hæredibus excludit, pro prætensa reintegratione expensarum, sive repetendis litis sumptibus a Defuncto erogatis. Nam ubi legis verba sunt clara & aperta, conjecturales, & excogitatas non admittunt interpretationes, *Cap. ad audientiam 12. de decim.*, *cap. porrò de privilegiis*, Imo semper ad cogitatum restringi, & non ultra extendi debent, *Leg. 16. ff. de testam. tutel. Cujac. ad Leg. 3* §. *penult. ff. de adimen. Matthias Vvesenbec. consil 28. num. 2. lib. 1.*, eo quia Legis verba in specie, & in eo, quo prolata sunt, non generaliter sunt intelligenda, *Textus in Leg. 59.* §. *final. ff. ad S C. Trebelli in. Otton. Tabor. in thesaur. Iurisprud. lib. 19. cap. 8.* §. *9.*, & *32.*

Atque ita præcitatæ *Legis unicæ* sensum a Legislatore limitatum, & unice restrictum, quoad publicationis bonorum interesse, præponderatum fuit *d. Glossa*, aliisque DD in *d.* §. 19. inapplicabiliter adductis. Quod ut evidentius pateat tum *Glossæ*, tum *præcitat. DD.* integra verba revocanda veniunt; *Glossa enim in d. Leg. unic. verbo redlendis* ita se habet -- *Et tunc non propter pœnam corporalem, quæ jam mortuo appellanti imponi non potest, sed propter bona sic, SI EXPRESSE in Sententiis continebantur, alias nec in bonis durat*; cumque in Sententia qua damnati fuere *Macchellus*, & *Gandulphus*, nec minimum de bonis verbum adjectum liqueat; non nisi gratis, & extra casum auctoritas *Glossæ* allegata fuit.

Cabill. vero in *resolut. criminal. cas. 298. num. 29. & seqq.*, quæstionem movens an audiendi hæredes essent quoties defuncto Reo, Fiscus ad bonorum publicationem, sive distandam pecuniarum pœnam contra Defuncti successores devenire vellet? *n. 29.* inquit -- *Illud profecto sciendum est quod mortuo Reo antequam ad Sententiam condemnatoriam contra*

ejus hæredes deveniatur, vocandi sunt dicti hæredes, & audiendi, si forte vellent Defuncti innocentiam ostendere, & in hunc sensum subdit *num.* 30. verba, quæ in contrario restrictu recensentur, nempe quod possent hæredes pro *eorum interesse*, & pro purganda infamia Defuncti petere, ut procedatur ad sententiam, & declaretur, Defunctum non commisisse delictum, ad effectum, inquam evadendi pœnam pecuniariam, ad quam damnandi essent ex crimine defuncti; vel quoties molestandi ipsi non essent, sed ad evadendam bonorum confiscationem, prout ipsemet *Caballus* antea se explicavit in *centur.* 2. *cas.* 137. *num.* 9., & 10.

Ita quoque in terminis criminis læsæ majestatis, cum ageretur de bonorum confiscatione, sive damnanda memoria defuncti, loquitur *Foller. in pract. crimin. part.* 6. *princip. num.* 10., & ibi *Baldassar. de Angel. in addit. num.* 30., & *seqq.*, *nec non Baldus in consil.* 63. *per tot.*; Quo vero ad doctrinam tum *Scacciæ de Sentent. gloss.* 14. *quæst.* 25. *num.* 8., tum *Francisc. Marci decis.* 757. *nu.* 2. pariter ex adverso in *d.* §. 19. allegata, cum fundamentum sumant a pluries memorato Textu *in Leg. filio* §. *Sed*, non de alio *interesse* intelligendi veniunt, nisi ad sensum ejusdem legis superius expressum; enim vero ex notissimis constat Doctores, aliam non recipere interpetrationem, nisi secundum auctoritatem, quam allegant, ut pluribus allegatis inquit *Otton. Tabor. in thesaur. Iurisprud. lib.* 4. *cap.* 43. §. 2., & *Rot. dec.* 207. *num.* 45. *par.* 9., & *decis.* 258. *nu.* 7. *par.* 16. *rec.*

Demum nullo pacto applicabilis videtur detorta, ne dicam insulsa *Bonfinii* doctrina in *cap.* 79. *num.* 68. contra tot Jurium literalem dispositionem firmare audentis, interdictum hæredibus non esse publicum & criminale Judicium prosequi, pro repetitione damnorum, & expensarum; siquidem cum id emittere moveatur auctoritate *Rotæ decis.* 485. *num.* 5 *coram Emerix* (quæ tamen in dicto contrario restrictu arcano silentio prætermissa fuit) quod dixit *Rota*, quibus in terminis loquuta est, in quo Iudicio civili, aut criminali, opus est demonstrare. Agebatur enim civiliter de quodam fideicommisso, quod per obitum cujusdam Helenę purificatum prætendebatur favore Fratrum de Burgonzonis: Hinc *Rota in d. num.* 5. ita respondit -- *Nec relevat quod Helena abierit, adeoque fideicommissum prætendebatur purificatum favore prædictorum Fratrum, tum quia illius obitus evenit pendente lite, & post latas Sententias contendentes immissionem Fratribus super prædio, de quo agitur; ad oque non impedit, quominus prosequendo Judicium, Sententiæ revocentur, & declarentur injustæ ad effectum restitutionis fructuum quos iidem Fratres illarum vigore, actualem possessionem prædii adepti perceperunt*; noverunt inquam Domini exadverso scribentes notabilem dissonantiam inter originalem Sententiam Rotæ, & insulse tradita per Bonfinium, consulto idcirco illam silentio præterierunt, ne magis ab eorum scriptis inepta Bonfinii dicta prodirent.

Si namque *Bonfinius* animadvertisset, quod in civilibus causis ad differentiam causarum criminalium, nulla limitatio hæredibus præscripta est, motum prosequendi Judicium, imo expresse permissum juxta Textum *in L.* 1. *C. si pendent. appellat. mor. interven.*, & *gloss. in figurat. casus in L. unic. ff. eod. titul.* ea ratione, quod in civilibus, omnes fere Causæ appellationum sunt tales, ut adversariis interest, procedi in Causa appellationis, ut ex dicta Glossa innuit *Hieronym. Buccaron. de different. inter Iudic. Civil.*, & *criminal. differ.* 200. *num.* 1. in ejusmodi manifestum delapsus minime fuisset errorem, Causarum civilium confundendo terminos cum publicis Iudiciis, in quibus separata, & distincta legis dispositio interponitur in *toto titulo ff.*, & *Codic. si pendente appellat.*

Sisteret jam calamus, nec ultra prosiliret ad mendicata, & undique inania magis diluenda contraria diffugia, nisi addendum ex abundanti superesset, nec quidem in facti specie, Ius præfatis Hæredibus inesse posse, prosequutionem appellationis effingendi adversus Fisci Adhærentem, pro mente concepta damnorum, & expensarum repetitione; Licet enim Dominus Jacobus Mazzetti accusationem instituerit tum contra *Michellum* ob passam nocturnam Vitium incisionem, tum adversus *Gandulphum* ob rapinam ab eo admissam, nihilominus tam gravia, & urgentia pro utroque crimine subministravit indicia, ut coacti fuerint Inquisiti ad Processum convolare defensivum ad effectum ea diluendi; Etsi infeliciter in hac parte succumbuissent, etenim in suo robore permanentibus Fiscalibus probationibus, condemnatoriam sententiam reportarunt, non obstantibus mendicatis, & undique suspectissimis depositionibus defensionalium Testium, quorum examen utique iidem Inquisiti non expostulassent, quoties Fiscus, sive Accusator in probationibus suis defecissent; ut ad sensum patet.

Qua preeunte innegabili facti circumstantia, prorsus inane suapte natura dignoscitur Judicium, quod hodierna tempestate insimulant prędicti hæredes ad effectum prosecutionem appellationis obtinendi; prefata namque mente concepta actio pro repetendis assertis damnis, & expensis a Fisco Adherente utique plenariam Causarum discussionem in secunda instantia minime exquirit, dum ex se ipsa inepta promitur, esto per erroneum suppositum, quod plenariam Inquisiti absolutionem reportaturi essent vi defensivi processus in utraque Causa ad eorum instantiam expleti; præfinitum enim habemus, quod Accusator, quoties indicia subministravit minus etiam ad torturam sufficientia, ab omni relevatur præsumptæ calumniæ labe, & onere expensas, & damna reficiendi, quamvis Testes super indiciis deponentes reprobati fuissent ope Repetitivi, sive defensivi Processus, *Baldus in Leg.* 1. *n.* 9 *ubi Roman. nu.* 20. *Cod. de advoc. diversar. Iudic. Specul. in titul. de calumniat. num.* 7. *Laurent. Tennin. in tractat. cautelar. cautel.* 1. *nu.* 16. *versic. Tertius est casus*, *Menoch. de arbitr. Judic. cas.* 321. *n.* 31. *Hondect. consil.* 96. *n.* 33. *to.* 1. & *cum aliis*, *Guazzin. defens.* 3. *cap.* 13. *num.* 24.

Potissimum cum urgenti animi dolore motus, ob gravia, & notabilia damna passa movetur Offensus ad accusationem instituendam, prout in hypotesi experitur: in hoc namque casu, si quælibet suspicio, quodlibet coloratum indicium, simplex rumor, superabbundat ad immunem eum habendum a quacunque prætensa præsumpta calumnia, & expensarum refectione juxta censuram Textus *in Leg. miles* §. *Mulier ff. ad Leg. Jul. de adulter.* ibi -- *Nam si falsis rumoribus inducta, verisimile est deceptam eam fuisse, nihil vindicta dignum videri potest in Leg.* 3. *Cod. de calumniat.* ibi -- *Non enim si Reus absolutus est, ex eo Accusator, qui potest iustum habuisse veniendi ad crimen rationem calumniator credendus est.*

& in

& in Leg. 1. §. *Sed utique ff. ad S. C. Turpill.* ibi -- *Si juſtum Accuſatoris errorem reperierit, abſolvit eum*, & latius probat *Manſ. conſult.* 179. *n.* 18.

Multo fortius hæc urgent in facti ſpecie, ſiquidem probationes ſubminiſtratæ per dictum Jacobum Mazzetti, adeo urgentiſſimæ, & convincentes fuere, ut non obſtante Repetitivo, & defenſivo, Curia principalis ad condemnationem devenerit prædictorum *Michelli*, *& Gandulphi*, juxta individualiter tradita per *Rotam Lucen. relata per Jacob. Balduc. ad Ramon. decis.* 63. *num.* 46. *tom.* 4. ubi probans, excuſandum eſſe Querelantem a refectione expenſarum, & damnorum, quoties juſta concurrente accuſandi cauſa, indicia licet levia ſubminiſtraſſet, inquit -- *Nihilominus hæc omnia bene ſufficiunt ad inquirendum, cum etiam levia indicia ſufficiant, & aliqua probabilis ſuſpicio, ut ſcripſerunt Boſſius &c. Farinac. &c., & præſertim cum de hoc nunquam ſit dubitandum, ut facti eventus comprobavit, quia Dominus Prætor non modo ad Inquiſitionem, ſed ad condemnationem quoque devenit.*

Propterea abſurdiſſimum eſſet, ut appellationes damnatis *Michello*, *& Gandulpho* impartitæ ad effectum ſe tuendi ab impoſitis pœnis corporalibus, nunc illorum hæredibus præſidium eſſe deberent ad inania, & inſulſa promovenda, quæ non tantum in Jure, ſed ex eodem facto prorſus diſpelluntur; ad colorandam inſuper ineptiſſimam, & undique vanam prætenſionem, ut contumax Mazzettus hujuſmodi velamine appellationis beneficio potiretur ad propriam tuendam cauſam; merito Fiſcus, non quia malum fovet Ius, ut ex adverſo gratis effingitur, ſed ne ſupervacue defatigaretur in proſequutione Iudicii quod eluſorium undique noſcitur, & unice ad Contumacem tuendum callide conceptum detegitur, inſtantiam reviviſcit pro appellationis extinctione, attento Appellantium interitu, ad Textum *in Leg. Unic. ff. ſi appellat. pendent. mor. interv. cum concordantibus* ſuperius expreſſis.

Quare &c.

Io. Baptiſta Gallucci Adv.

Sequitur Votum in hac Cauſa.

Bononien. petitæ proſequutionis Appellationis.

Patre appellante a Sententia, pænam Corporis afflictivam dictante in Iudicio Criminali contra ipſum prolata, & in reatu, pendente Appellatione, defuncto; an & quibus in terminis liceat Filiis illam proſequi ad infamiam purgandam, pænamque Bonorum vitandam, & quid reſpondendum in caſu.

VOTUM

Propter Crimen noſturnæ Inciſionis Vitium fructiferarum a Petro Macchelli in damnum Jacobi Mazzetti patratum, nec non pro nocturna ad damnum ejuſdem ſub figura Militum exterorum commiſſa Rapina a Bartholomæo Gandolphi, de mandato utrique reſpective dato ab Antonio Mazzetti, Curia Archiepiſcopalis Bononienſis, condemnato in Contumaciam eodem Antonio Mazzetti mandante, ipſos quoque Petrum Macchelli, & Bartholomæum Gandulphi Tabernam Cauponariam utrumque, cum propria Familia exercentes, & reſpective Mandatarios, in poſſe ſui deventos, ſer. ſer. condemnavit ad pœnam extraordinariam, ex indiciis ſcilicet, tamquam negativos, illum Triremium quinquennalium, iſtum vero nempe Gandulphum, ad Opus pro tempore in Fortalitio Urbano. Interpoſita per utrumque ad Tribunal A.C., & annuente Sanctiſſimo Domino Noſtro Domino Benedicto XIV. admiſſa de more appellatione, ea pendente, io fatum uterque conceſſit, nimirum Macchellus currente primo anno poſt ejus ad Triremes ſequutam tranſmiſſionem, & Gandulphus in ipſis Bononiæ Carceribus, priuſquam ad Arcem prædictam tranſmitteretur.

Inſtitum fuit coram Me ex parte Filiorum, & Uxoris reſpective pro appellationis ejuſdem proſequutione, tum ad tuendam Defunctorum famam, tum ad Bona Hæreditatis eorum vindicanda; rem facile ſpinoſam ſuſpicari vetat nemo, atque ideo per quædam quaſi paratitla diſſerendam.

I.

Primo occurſu -- bene ceſſuram quis forte putarit pro Inſtantibus, ſi Juris locus ex Scævola confidenter productus *in Leg. Filio §. Seja ff. de adimen. Legat.*, ubi poſt Sæjam de Mandato dato ad interficiendum ſuum Maritum Titium, (& ſic de Aſſaſſinio, quod vocarunt Canones) a Privigno Titii Filio accuſatam, & ante finem accuſationis fato functam, adhuc fuit acta Cauſa, & ſtrenue propugnata ab Accuſatæ Hærede, cui alias pro tanto ſcelere imminebat (Caſus aliter eſt parum abſimilis *in Leg. Lucius Titius ff. de Jure Fiſci*) Sæjæ Dotis, & Bonorum ademptio, necnon Legati ex Hæreditate illius ſolutio favore Privigni Accuſatoris, ſi iſte viciſſet -- *pronunciatum eſt, Patrem Titii ſcelere Sæjæ non interemptum* -- ſi, inquam, is Juris locus *a Baldo in Leg. unic. num.* 11. *Cod. de Delict. Defunctor.* obiter allegatus, ſique Jure Conſulti, qui in eo, *Baldum*, & unus poſt unum, alter alterum ſequuti, ſeſe fundant, probe faverent hodiernæ Inſtantiæ.

At quoniam Caſus, de quo in ea *Leg. Filio §. Sæja* alio reſpicit, & toto aberrat Cælo ab eo, de quo agitur, ac DD prædicti non loquuntur, nec loqui intelligi debent, niſi juxta terminos, quibus inhærent, ejuſdem ſcilicet *Leg. Filio §. Seja*; propterea haud temere viſum eſt mihi, quacumque pretii loco cæteroquin habenti, ornatiſſimam, plurimaque eruditione, & gravitate refertam allegationem. DD. pro Inſtantibus Filiis, & adverſus æque grave Domini Fiſci Jura tuentis reſponſum in Cauſa ſcribentium, non a dicta *Leg. Filio §. Seja*, veluti a Caſu extraneo, ſed ab aliis Juris locis, & Juris Conſultorum Sententiis, petenda eſſe rationum momenta, quæ caſui quadrent, & ad illius veluti manuducant illuſtrationem.

II.

Porro cum nullam dari, minuſque ſuſtineri appellationem, ubi nullum a prolata Judicis Sententia erumpat gravamen, eſſeque propterea legale principium

cipium, non audiri in materia Appellationum, nisi eos, *quorum interest*, Jura præscribant *Leg. Ab Exequutore §. Alio condemnato is, cujus interest appellare potest -- ff. de appellat. leg. 1. ff. de appellat. recipien., vel non*, propterea quod -- *Si quidem nullius alterius interest Causæ appellationis reddi* -- ait *Textus in L. unic. ff. Si pend nt. appellat. mors intervener.*, & ibi *Glossographus* in figuratione *Casus*, *& in verb. peragere* -- cesset oportet ratio appellandi, & sic etiam appellationem prosequendi, imantum ut, si dumtaxat excipias Casum ejus Condemnati, qui ducitur ad Supplicium, aut ad pœnam Corporis afflictivam rapitur subeundam, eo quod permissa tunc, vel cuilibet de Populo Rei Defensione -- *non quæsimus, cujus intersit* -- inquit *Ulpian. in Leg. Non tantum ff. de appellat.*, firmam in reliquis manere rationem appellationis tum interponendæ, tum prosequendæ, negativam, obvium sit per Jura prædicta apud DD *Bald. in Leg. unic. num. 22. Cod ex Delict. Defunctor: Heinecc. Element. Jur. Civil. in Pandect. tom. 2. part. 7. §. 261., Guid. Pap. Decis. Gratianopol. quæst. 436. num. 87. Scacc. de appellat. quæst. 5. num. 95. seqq.* -- non enim a quo, sed cui negocium geratur, gestumque sit, inspici debet ajebat -- *Codex Fabrian. lib. 7. tit. 26. definit. 27.* . Idcirco, hac præeunte facula, illud serio ponderandum occurrit in hypothesi, num, & in quo hodiernorum Instantium intersit, prædictam a Defunctis Delinquentibus interpositam appellationem prosequi.

Cum autem regulare sit, in his materiis Causam post Rei mortem, vel ad unum, vel ad alterum effectum prosequi posse quoties scilicet agitur -- *Contra Defunctum propter Bona, vel contra Personam, & Bona* -- nullo autem modo posse, ubi agatur, vel quæri prætendatur -- *contra Defuncti Delinquentis Personam, vel de Persona tantum* -- eo quod Crimina morte extinguuntur, ut totidem fere verbis *Gloss. in Cap. a Nobis il 2. in verb. mortuos de Sentent. excommunicat.*, *& in §. Internum in addit. institut. de Hæreditat., quæ ab intestat. defert.* -- & versavice -- *Sint quædam Crimina, de quibus etiam post mortem accusari potest quilibet, vel damnari* -- ait *Textus in Can. 5. 24. quæst. 2.* hinc potissima ratio decernendi non aliunde, si bene reor, petendi videtur, quam a differentia, quæ in subjecta materia regulam, quam habemus, intercedit, & regulæ ejusdem exceptiones, seu limitationes.

III.

Regulam quippe generalem esse, nemo non scit, Crimina quæcumque, eorumque pœnas mortalitate extingui, easque nec ad Hæredes transire, nec ab Heredibus exigi posse -- *quia pœna constituitur in emendationem Hominum, quæ, mortuo eo, in quem constituitur, desinit* -- ait *Textus in Leg. Si pœna ff. de pœn. in leg. 1. Cod Si Reus, vel Accusat. mortuu fuer. in Leg. 1. Cod. ex Delict. Defunctor. in Leg. Defuncto*, & ibi *Gloss. in verb. pœna ff. de public. Iudic. in Leg. Is, qui*, & ibi *Gloss. ff. ad L. Iul. Majestat.*, & aliis sexcentis Juris locis videndis apud *Sebast. Medices in tractat. mors. omnia solvit part. 2. conclus. 2. num. 5. seqq.*, *& conclus. 78. num. 247 seqq. Angel. de Malefic. in verb. qui D. Iudex viden. num. 41.*, ubi quod etiam Inquisitio formata circumducitur, *Farinacc. quæst. 10. nu. 36.* ubi ex *Peregrin.* stringit, sive Delicta privata, sive publica sint, *Guazzin. de Confiscat. Bonor. concl. 19. nu. 59. Scacc. de Sentent., & re judicat. Gloss. 14. q. 25. n. 79., & seq. Iul. Clar. §. final. q. 51. n. 13.*.

Taliter ut, mortuo Delinquente, ipsa cesset radicitus accusatio, & Inquisitio apud Judices Terræ, ut habet Epistola *Simplicii Papæ* relat. ad calcem *Can. 12. 23. distinct.* ibi -- *Qui poterat accusatus Iudicio præsenti damnari, si adhuc in Corpore positus, non fuisset mortis vocatione præventus; sed quia ille examini Divino relictus est, humano Iudicio accusari non potest* -- & per eadem verba loquitur sequens *Can. 13. quorumdam*, ibique *Gloss. in verb. Non potest distinct. ead.* quemadmodum, & expendit *Simanc. de Catholic. institut. tit. 8. de Defunctis nu. 1. seq.* superaddita ibi ratione, quam repetit ab *Ulpian. in Leg. final. ff. ad Leg. Iul. Majestat.* quia -- *Is, qui in reatu decedit, integri Status decedit, extinguitur enim Crimen mortalitate, nisi quis forte Majestatis Crimine Reus fuerit, & Reus morte Crimine liberatur* -- inquit --

Idque verum quoad ipsas etiam actiones Criminales, quæ ex Delicto, vel quasi nascuntur, præsertim in Delictis publicis, *leg. Defuncto ff. de public. Iudic.* cum aliis apud *Guazzin. de Confiscat. conclus. 18. num. 59. Hieronym. de Philip. disert. Fiscal. 16. num. 3. Carleval. de Judic. tom. 2. lib. 1. tit. 2. disput. 1. n. 17., & Farinacc. q. 10. n. 36. & n. 54. vers. nec obstat.*

Nec non itidem quoad pœnas mutationis status ex *dicta leg. ultim. ff. ad leg. Iul. Majestat.* per verba *Ulpiani* parum ante relata -- *Is, qui in reatu decedit INTEGRI STATUS DECEDIT* -- apud *Simanc. loco supracitat.* atque ponderat *Bald. in leg. unic. Cod. ex Delict. Defunctor sub num. 6. Quædam sunt pœnæ privativæ Status Hominis, & idem est, quia mortuo subjecto, non cadit privatio nec habitus* -- ait.

Atque rursus, etiam quoad pœnas pecuniarias, sive Bonorum, si Delinquens, ubi agatur de delictis publicis, lite etiam cum ipso contestata, mortuus fuerit ante Sententiam, *leg. 1. ff. de privat. Delict. leg. ex Iudiciorum*, & ibi *Gloss. in figuration. Cas. ff. de acc. sat.*, vel non fuerit confessus, neque convictus *Farinacc. dicta quæst. 10. num. 36., num. 45.* ubi de communi, & rursus *num. 53. Fermosin. allegat. Fiscal. 8. num. 11. & seqq., & num. 20. p. 2. Guazzin. de Confiscat. conclus. 18. nu. 55., & ad Defens. reor. defens. 33. cap. 26. nu. 3. versic. sed., Farinacc., & versic. sequen.*

Quin imo etiamsi mortuus fuerit Delinquens post Sententiam, quoties pœna Bonorum non fuisset imposita æque principaliter, & expresse, & per se stans, ut emphatice *Baldus in leg. 3. sub nu. 1. Cod. si pendent. appellat. mors intervener.*; Sed veniret ex natura Delicti, & in ipsius Delicti consequentiam, tacite nimirum, & accessorie ad pœnam Corporalem, eo quod isto casu, extincto principali, scilicet sententia afflictivam pœnam Corporis dictante, sic extinctum oportet & accessorium; tum quia uti tale sequitur sui principalis naturam, *ex notissimis*; tum ex Censura *Textus in Authentic. Bona Damnator. Cod. de Bon. proscript.*, qua correctum est jus antiquum in illis casibus, quibus pœna Bonorum veniebat tacite, & in consequentiam pœnæ mortis, vel Deportationis, sicut ponderat *Caball. resolut. Criminal. cas. 137. n. 21. & seq. Guazzin. de confiscat. conclus. 18. n. 14.*

Et tandem etiam quoad appellationem, si quam De-

Delinquens ante mortem interposuisset, & ea pendente decessisset; Cum nec ejus prosequutio transeat ad hæredes, nisi dumtaxat quantum ad quæstionem, pœnamque Bonorum, expresse tamen, ac principaliter impositam, alias secus, ut præter Iura opportunius infra alleganda, ita luculenter Bald. in dicta leg. unic. Cod ex Delict. Defunctor. num. 11. verba sunt -- De uno quæro &c. Dic aut condemnatio Personæ includit Bona per consequentiam, aut sunt æque principalia: primo Casu non est necesse, quod Hæres prosequatur appellationem, quia extincto Principali, extinguitur accessorium: Secundo vero casu sunt æque duo principalia, & licet unum tollatur, aliud remanet -- & prosequitur num. 19. & seq. ibi -- Ubi ergo Bona veniunt in consequentiam, Hæres non tenetur appellare, secus si principaliter &c. ergo Lex vult, quod appellatio frustratoria non juvet appellantem, vel ejus hæredem -- & emplius nu. 26. hæc habens -- Dic, quod aut Bona non sunt expresse adempta, & tunc non expedit appellare, quia Bona sunt eorum ex beneficio illius Authentic. aut Bona fuerunt expresse adempta a Judice aggravante pœnam respectu Bonorum, & tunc expedit appellare, alias Ius talium Personarum læderetur. --

Atque hæc quoad regulam generalem volentem delicta quæcunque cum suis accessoriis, & consequentiis, etiam quoad Bona, & appellationem propter Bona, per mortem Delinquentis regulariter extingui.

I V.

Accedendo nunc ad regulæ exceptionem: Sunt certe alia crimina, quæ a regula dicuntur excepta, & hæc exceptio in iis consistit, ad quorum vindictam, ob eorum atrocitatem, & enormitatem, ex Juris dispensatione, etiam post mortem Delinquentis datur contra eum ex verbis Textus in can. 5. 24. quæst. 2. transcriptis supra num. 11. accusatio, & condemnatio, si non quoad personale supplicium, præventiva Delinquentis morte intercisum, veluti forent E. G. Vicombutium, Rota, Evisceratio, Cadaveris dissectio, & his similia; Certe quoad alias pœnas transmissibiles, publicationis scilicet Bonorum, damnationis memoriæ, imaginis infamis, seu abscissi capitis ad portas, mœniave Civitatis expositionis, vel exustionis, & ejus generis cætera, quemadmodum sunt certissime crimina Majestatis (læsæ Majestatis habent Canones) tum humanæ, tum Divinæ, veluti Hæresis, leg. Quisquis ff. ad leg. Jul. Majestatis leg. Meminisse, & leg. seq. Cod eodem Can. quisquis 6. quæst. prima Can. damnationis, & Can. seq. 24. quæst. 2. cap. Felicis de pæn. in 6. cap. Vergentis, & cap. Excommunicamus §. Damnati de Hæretic.

Atque ista, & his atrocitate, & horrenda turpitudine similia, si quæ dentur, sunt crimina, quæ morte non extinguuntur, & quantum ad pœnam tum Bonorum, tum infamiæ filios expresse afficientis, juxta divinum illud -- De Patre impio queruntur Filii, quoniam propter illum sunt in opprobrio -- Eccles. 41. 10. sese porrigunt ad hæredes, & filios, leg. 5. qui, & ibi Gloss. ff. ad leg. Jul. Majestat. leg. Defunct. & ibi Gloss. in verb. pœna ff. de public. Iudic. leg. Si pœna ff. de pæn. Can. si quis cum Militibus 6. quæst. prima, cujus quoad Crimen Majestatis humanæ a Constitutione Imperatorum Honorii, & Arcadii desumpta verba sunt -- Filii vero ejus a Materna, & Avita omnium etiam proximiorum Hæreditate, ac successione habeantur alieni, sint perpetuo egentes, & pauperes, infamia eos paterna semper comitetur; ad nullos unquam honores, ad nulla penitus Sacramenta perveniant -- & sic DD. communiter Carter. Iun. in tractat. de pæn. innocent. pro nox. nocent. art. 3. n. 220. seq. Spad. cons. 27. n. 10. Escobar. de puritat., & nobilitat. quæst. 4. §. 4. n. 23. usque ad 29. cum aliis seqq., & rursus num. 135. Card. de Albic. de inconstant. in fid. cap. 24. nu. 95. seqq. Famosin. allegat. Fiscal. 8. nu. 3. part. 2. Didac. Canter. quæst. Criminal. cap. 7. de Homicid. nu. 51. plene Farinac. quæst. 191. num. primo seq. & qu. 192. nu. 5. seqq.

Quamvis enim hæc, & ejus generis Jura, in eo quod odio sceleris Parentum, se extendant ad Innocentes, nimirum filios, & hæredes de Parentum Crimine expertes, sapere videantur quid iniquitatis, velut odium irrationabile continentia, uti Tullius Epistola 12. ad Brut. -- non me fugit (ajebat) quam sit acerbum Parentum scelera filiorum pœnis lui. & rursus lib. 3. de natur. Deor. Ferret ne ulla Civitas Latorem istiusmodi legis, ut condemnaretur filius, aut nepos, si Pater, aut Avus deliquisset? -- & consentanee reflectunt Jurisconsulti Heinec. Elem. Iur. Civil. in Pandect. num. 2. part. prima §. 406. Ioannes Boemus de morib. omnium Gentium lib. 2. c. 9. Escobar. de puritat., & nobilitat. part. prima q. 4. §. 4. num. 56. suseque san. me. Clemens VIII. in suo voto, quod prostat impressum post decis. Rembold. Vol. 1. num. 90. ad 93. non est tamen, quod licet ad possibile restringenda, effectu careant, & efficacia suis in casibus. Lege ita specialiter dispensante, Cicero citat. Epistola ad Brut. -- Sed hoc præclare (subdit) legibus comparatum est, ut Charitas liberorum Parentes amiciores Reipublicæ redderet -- & ponderat Clemens VIII., ubi supra num. 16. Spad. cons. 25. n. 27., Anton. Gomez de delict. lib. 3. cap. primo nu. 79., & strictius ad materiam nu. 80. cum tribus seqq. Scacc. de sentent., & re judicat. Gloss. 15. quæst. 25. num. 81. Raynald. observat. Criminal. cap 2. §. 1. sub nu. 75. versic., & quando, & versic. seq. post med. Guazzin. reor. defens. 35. cap. 27. nu. 5., & erudite Simanc. de Catholic. institut. tit. 29. a num. 1. cum pluribus seqq.

Quemadmodum, & inter excepta post mortem duratura, sunt etiam restrictive ad pœnam Bonorum adversus Filios, & Hæredes, crimina Peculatus, Ambitus, de Residuis, & quorumdam aliorum Delictorum Capita, de quibus expresse Gloss. in L. ex Iudiciorum 20. in verb. Majestatis ff. de accusat. in L. crimen ff. de pœnis, in L. 2. verb. sit extinctum Cod. l. si Reus, vel Accusat. mortuu. fuer. in L. unica verb. scelere detinentur prope fin. Cod. ex Delict. Defunctor., & æque nominatim Crimen Viricidii, ubi scilicet Uxor de nece Viri accusata, ante Causæ finem decesserit, veluti sunt Textus singulares in supradicta L. Filio §. Sæja ff. de adimen. Legat. & in L. Lucius Titius ff. de Iure Fisci, quæque summant Hippolit. Marsil. in L. qui sine Accusatoribus a nu. 43. & seqq. ff. de quæst. Crespi de Valdaur. observat. decis. illustrat. part. 2. observat. 83. a nu. 13. & seq. Peregrin. de Iure Fisci lib. 4. tit. 5. a num. 7. cum multis seqq., qui num. 34. fin. ex cap. pro humani de Homicid. in 6. addit inter Crimina excepta Assassinium, & Mandatores, Guazzin. de Consfiscat. conclus. 18. a nu. 35. ad 54.

Quorum idcirco Criminum, & Casuum occasio-

ne

sic Jus est Filiis, & Hæredibus, etiam Defuncto Delinquente, contradicere, & defensionem assumere, atque Innocentiam demonstrare propter eorum Interesse, tum infamiæ, si quæ in atrocissimis ad ipsos ex Defuncti condemnatione pervenit, etiam ex integro appellando, *Guazzin. reor. defens. 35. cap. 27. num. 6. ubi sciat Advocatus*; tum Bonorum, ut quemadmodum appellationem prosequi competeret Fisco ex responso *Modestini in dicta L. Lucius Titius ff. de Jure Fisci* ibi — *Quæro, an putes, extincta Rea, cognitionem appellationis inducendam propter Hæreditatem quæsitam? Modestinus respondit, mortua Rea crimine extincto, persecutionem eorum, quæ scelere acquisita probari possunt, Fisco competere posse* — ita, & Filiis atque Hæredibus, etiamsi Hæredes extranei fuerint, ubi ageretur de damnanda memoria Defuncti post mortem, *Cap. Filii, vel Hæredes de Hæretic. in 6. Guazzin. de Confiscat. Conclus. 18. num 85., & seqq.* eo quod — *nisi Crimen a Successoribus purgetur, Hæreditas Fisco vindicatur* — ait *Ulpian. in dicta Leg. is, qui ff. ad Leg. Jul. Majestat.*, & firmat *Spad. cons. 74 n. 8. Escobar. de puritat. & nobilitat. p. 1. qu. 4. §. 4. n. 30., & seq.*

V.

Et hoc pertinent tamquam de cathegoria exceptorum, quæ habemus exempla, tam in Jure Canonico, quam apud DD. & Historicos; Sic enim plurium ex Causa Fidei damnatorum, & post mortem absolutorum, meminit 24. *quæst. 2. Can. sane profertur in princip.* — Sic de aliis duobus Casibus appellationis admissæ in Causa Hæresis, nedum pro Filiis, sed etiam post longum temporis lapsum a morte Rei, pro Nepotibus contradicente *Farmosino* Procuratore Fiscali, refert ipse *Farmosin. allegat. Fiscal. 9. numer. 64., & seqq. part. 2.* sic de Nobilibus illis ex Gente Carafa tempore Pii IV. in Majestatis Causa damnatis, ac deinde, introducta sub S. Pio V. appellatione, ad famam, & ad Bona confiscata restitutis, narrat *Card. Pallavicin. Histor. Concil. Tridentin. lib. 14. cap. 15.* sic de Antonio Perez Regis Catholic. Philippi II. a secretis referunt *Farmosin. dicta allegat. Fiscal. 9. num. 63. Card. de Albic. de inconstan. in fid. cap. 24. n. 124.*, & qui fuit Testis ocularis, *Escobar. de puritat., & nobilitat. part. 1. quæst. 4. §. 4. num. 32.*, & sic etiam de appellatione interposita adversus appositionem imaginis infamis a Familia cujusdam Condemnati in pœnam fractæ pacis, loquitur *Guazzin. reor. defens. 33. c. 27. n. 7.*

V I.

His explicatis num hodierni Instantes fundatum habeant Jus ad prosequendam appellationem de qua agitur, pro vindicatione tam Bonorum, tum famæ Defunctorum, respondendum in utroque videtur negative, eo quod in neutro nihil eorum intersit, sive attendamus, ex præmissa discretiva, primum nempe regulam: Sive secundum, regulæ nimirum exceptiones.

Ad Bona, quod attinet, cessante totaliter discursu super secundo, ex quo nec in Causa, nec in Sententia condemnatoria actum fuit de ullo ex Criminibus exceptis memoratis supra *num. 24.*, & ratiocinio propterea unice restricto ad primum, ad Crimina scilicet de regula, statim se prodit interesse carentia, ac proinde nequaquam ex hoc Capite audiendi.

Inexpugnabilis est ratio, quia nulli prorsus fuit indicta Bonorum expressa pœna, sed illa dumtaxat, & quidem extraordinaria Corporis afflictiva: Sumus ergo in Casu, ubi, exclusa quæstione Bonorum, quæ solummodo potis erat tangere Hæredes, ex allegatis supra *num. 31.* ipsa quoque appellatio a Reis ante mortem interposita, æque ac Delictum, Delictique pœna, per eorum mortem cum ipsis exspiravit, veluti relativa tantum ad pœnam corporalem, quemadmodum præter hoc opportune revocandam *Baldi* doctrinam, de qua supra *num. 22.* Synodalis est *Textus in L. unic. ff. si pendent. appellat. mors intervener.* — *Quod si Appellatori Hæres extiterit, si quidem nullius alterius interest Causas appellationis reddi, cogendus non est peragere appellationem; nullius autem interest, veluti cum sine ademptione Bonorum relegatus est* — ait ibi *Juris Consultus Macer.*, atque etiam *Gloss. in figuratione Casus* ibi — *Si Sententia lata contra Me judicabat, Me relegandum, de Bonis autem meis, nihil dicebat, & Ego appellavi, & decessi, interim relicto Hærede, non cogitur Hæres meus prosequi Causam appellationis, hoc enim casu, nullius interest Causam prosequi.*

Dicit quidem Textus — *non cogitur* — at relative ad terminos, in quibus loquitur, de eo scilicet, qui vigore Sententiæ condemnatoriæ peragere intendit pro ademptione Bonorum contra Hæredem, illumque cogere ad reddendas Causas appellationis, seu patet exemplo, quod ibi in littera ponitur de Fisco procedere contendente pro ademptione Bonorum, qui Hæres si etiam de Bonis Sententia cantaret, — *Causas appellationis reddere necesse habet* — inquit *Macer. ibidem*, & viceversa cogi nequit ad eas Causas reddendas, si nulla adivit Bonorum pœna, quia — *hoc casu nullius interesset Causam prosequi.*

Et si Hæres, qui cogi nequit, vellet adhuc voluntarie, & de suo Capite appellationem prosequi, frustra, atque insulse ageret, ceu de frustratoria, & infructuosa appellatione omnimode reiicienda, vulgare est Juris effatum Teste *Baldo* — *Ego Lex vult, quod appellatio frustratoria non juvet Appellantem, vel ejus Hæredem* — ajente *loco citat. supra num. 22. Matthæu Sanz de regimin. Regn. Valent. cap. 12. §. 2. num. 142. seqq. Sperell. dec. 48. num. 50. part. 1. Genuens. prax. Cur. Archiepiscopal. Neapol. cap. 70. num. 8. Tusch. litt. A. conlus. 397. num. 7. & seqq.*

Cæterum loquendo præcisive ab Exemplo, quod de Fisco Actore proponitur in discursu ejusdem *Leg. unic. ff. si pendent. appellat. mors intervener.* — vera generaliter est propositio, quod, deficiente Interesse, idem quoque Juris est, quantum ad alias quascunque Privatorum appellationes, ceu *in ead. L. unica* clare explicat *Glossographus* — *Quando autem interesse privati appellationem exercere, non habes in litera Exemplum sed fere omnes Causæ appellationum sunt tales, quod interesset Adversarii procedi in Causa appellationis* — inquit; Idque omnino ipsum in non exceptis pro indubitato ponit *Gloss. in L. Lucius Titius verb. Crimine* ibi — *Crimine extincta, & sic appellatione extincta.*

Concordant in criminalibus Jura *Codicis*: Quidquid enim sit in Causis civilibus, de quibus *l. 1. Cod. si pendent. appellat. mors intervener.*, & *Gloss. ibidem*

dem in verb. Statutis. Concordant, inquam, in criminalibus Jura *Codicis* perpetuo jubentia, appellationem ejus, qui illa pendente mortuus est, poenitus extingui, haud secus, ac crimen, poenamque corporalem, absque eo, quod illius prosequutio transeat ad Heredem, si non adsit quaestio Bonorum expresse ademptorum, *l.* 3. cum sua *Gloss. Cod. si pendent. appellat. mors intervener.* & aeque clarius *l.* 5. *§. Sin autem Cod. si reus, vel accusat. mortuus fuer.*, ubi de illo, qui demptis Bonis appellavit, ac pendente appellatione mortuus est, patet, quod appellatio extincta quoad crimen, ejusque corporalem poenam, remanet tantum si adfuerit, aeque principaliter, & expresse imposita illa Bonorum -- *Etiam post mortem ejus, nihilominus appellationis ratio examinabitur, cum desideretur, utrum valeat, necne particularis publicatio* -- ait.

Et ratio rationis est ipsa differentia civile Judicium inter & criminale, quoniam illud respiciens rerum familiarium, & Bonorum conservationem, se habet, & agit ad commodum privatum *l. totum autem ff. de leg. Marant. in Specul. par.* 3. *distinct.* 1. *num.* 1. *& seqq.*, & ideo, absque eo quod Litigatoris, seu Appellatoris morte extinguatur, semper adest persona, cujus intersit appellationem prosequi, quaeque ad illam prosequendam cogi valeat, sin minus stare Sententiae ad *Text.* apertum in *dict. l.* 1., & ibi *Gloss. in figuration. est. Cod. si pendent. appell. mors intervenit.*

Criminale vero Judicium dirigitur, & agit ad Bonum, & Commodum publicum, ex Delicto tantum, & ad publicam ordinatur vindictam. *Jul. Clar. §. final. qu.* 1. *vers. ex quorum omnium Dictis*. Cum autem Privatus, considerans, juxta advertentiam *Carlevol. de Judic. tom.* 2. *lib.* 1. *tit.* 2. *disput.* 1. *num.* 6. non ut Pars componens simul cum aliis Corpus Universitatis, sed ut particularis Persona a reliquis segregata, nullum ex poena, seu corporali Reorum punitione directe sentiat commodum, ut ex *Marant.*, *& Jul. Clar. loc. citat.*, *Buccaron. de different. inter Judic. Civil.*, *& Criminal. different.* 1. *num* 3. hinc est, quod in Criminalibus, ad differentiam contractuum, & judiciorum civilium, morte delinquentis crimen, ejusque poena radicitus perimitur, cum suis accessoriis, & ideo etiam quoad poenam Bonorum tacite, & in consequentiam a Delicto venientem -- *quo casu morte ejus, extinctio Crimine, nulla quaestio supereße potest* -- inquit, *Imperator in dict. l.* 3. *Cod. si pendent. appellat. mors intervener.*

Ac proinde (repetitioni sit venia) cessante Bonorum principaliter, & expresse volita ademptione, perit etiam appellatio, si quae a Sententia poenali, per Reum ante mortem interposita fuerit, quia nec remanet amplius, cujus intersit, ut ex iisdem Juris locis plana res est apud *Juris Consultos Bartol. in l.* 3. *per tot. lectur.*, *& Bald. ibidem in princip. Cod. si pendent. appellat. mor. intervener.* idem *Bald. in l. unic. num.* 11. *Cod ex D lict. D functor.* verbis transcriptis supra *nu.* 22, *Anton. de Butr. cons.* 58. *in princip.*, *& per tot. Tusc. dict. C. conclus* 577. *per tot.*, *& litt. P. conclus.* 256. *num.* 4. *& seqq.*, *& num.* 32. *seqq.*, *Peregrin. de Jure Fisc lib.* 4. *tit.* 5. *num.* 39. *& seq. Jul Clar. § final quaest* 104. *num.* 7., *Anunez. Portugall de Donat. Reg. lib.* 2. *cap.* 20. *a nu.* 39., *& seq. ad* 75., *Anton. Matthaeus de criminibus lib.* 48. *ff. tit.* 19 *quib. mod crimin. extingu. cap.* 3. *nu* 1. *ad* 4., *Raynald cap.* 23. §. 1. *ad* 3. *num.* 224. egregie *Buccaron. de different. inter Judic. Civil.*, *& Criminal. different.* 200. *nu* 1. *ad* 5., & conclusive *Sebast. Medices in tractat. mors omnia solvit par.* 2. *conclus.* 2. *num.* 8. *seq.* -- *Quid si moriatur*, inquit, *Accusatus appellatione pendente? Respon: idem esse, quoad Crimen, sed quoad Bona, si quidem fuerint adempta expressim, perficienda erit appellatio; sin autem erint adempta tacite, extincta causa principali, extinguitur quaestio Bonorum* -- & repetit *conclus.* 10. *in princip.* -- *Appellatio solvitur morte, quando Causa erat Criminalis, nisi expresse Bonorum fuerit facta ademptio* -- subdit.

Atqui in casu ulla fuit, nec expresse, nec tacite quidem facta Bonorum ademptio: Ergo: quid clarius?

VII.

Quae de extinctione interpositae appellationis ex defectu poenae Bonorum dicta sunt, quadrant ad illius impediendam prosecutionem, etiam quoad infamiam, si quam in casu praesenti ad Filios ex Delicto, & condemnatione Parentum derivasse, gestiret quispiam.

Pro dicendorum intellectu praenotandum juvabit, quod cum triplex, nullo ignorante, sit infamia, Juris nempe, Facti, & Canonis, discursum hic non esse, nec esse posse de infamia Facti, nec de infamia canonica.

Non de illa Facti, quippe quae, sine ministerio Judicis personam invadens, *Sebast. Medices in tract. mors omnia solvit conclus.* 51. *num.* 1.9. est ipsa mere personalis, *Escobar. de puritat. & nobilitat. quaest.* 2. *nu.* 34. *part.* 1., & quia talis nonnisi a persona etiam extrinsece extrajudicialiter, & per interloquutiones apud probos, & honestos in Populo ex non recte factis, vel etiam improbe dictis, moribusque corruptis valet contrahi, *leg.* 1., & ibi *Gloss in verb. quasi infamis*, *& in verb. eadem personae ff ad l. Jul. de vi privat.*, *Gloss. in l. quid ergo §. Cum autem in verb. sine eloquia ff de iis, qui notant infam. l. neque famosis*, & ibi *Gloss in princip. Cod. de dignit. lib.* 12. item *Gloss. in Can. infames §. Porro* (qui est Gratiani) *in verb. infamia* 3. *qu.* 7 quoniam ista prout est Facti, non Judicis Sententia, neque absolutorie purgatur, sed virtute, atque vitae emendatione, ut scite *Cornelius Nepos in vit. Themistocl. cap.* 10., eo quod regulariter exoriens, ut dixi, ex ipsius Personae facto, & factis hominum aestimatione turpibus, etiam in Iure haud notatis, *Bellegrand. method. rer. criminal. tractat.* 3. *qu.* 7. *num.* 14. impedimento esse potest Ambientibus potius, quam Possidentibus honores, dignitates, & beneficia, *Gloss in l. nullam verb. infamiam Cod. ex quib. caus. infam. irrogat.*, *Heinec. Element. Juris civil. lib.* 3. *tit.* 2. §. 409. *& seq. tom.* 1., *Sgroy. in luc. praelator. par.* 3. *cap.* 4. *num.* 16. *& seq.*, quam propterea removere, veluti quasi irremediabilem, nisi virtus, vitaeque exemplaritas, & emendatio id efficiat, neque Princeps, nisi forsan quoad effectus tantum, sed solus Deus potest, *D. Thomas* 2. 2. *q.* 68. *art.* 4. *in responsion. ad tertium*; Unde, & Calistus Papa, quem ibi refert *Angelicus*, de hac infamia loquens -- *Animas per poenitentiam salvare possumus, infamiam tamen abolere non possumus* -- inquit, *Cirtar. Jun. in tract de poenis innocent pro nox. nocent. art.* 3. *num.* 459. *& seq.*, *Fagnan. in cap. vestra nu.* 31. *de cohabitat. Clericor. & Mulier.* *Card de Albic. de inconstant. in fid. cap.* 25. *n.* 63. caeterique rursus infra laudandi.

Non de infamia canonica pariter, & ipsa personalis, de qua *Gloss. in Can. quicumque verb. recipiantur 6. quæst. 1.*, quamque relevat *Textus in Can. omnes vero 6. quæst 1.*, quoniam tamquam fluens a quolibet etiam peccato mortali, ut habent Canones, ipsa pœnitentia tollitur, ex *Gloss. ibidem versic. est etiam, Fagnan. in dicto cap. vestra n. 37. de cohabitat. Clericor. & Mulier.*, *Bellegrand. method. rer. criminal. tract. 3 q. 7. n. 29.*

Sed de sola infamia Iuris, quam, & veram vocat *Anton Matthejus de crimin. ad lib. 48. ff. tit. 18. de pœnis cap 3. num. 3. versic. causæ*, ex quibus infamia vera irrogatur -- per Judicis Sententiam, ob delictum, aut saltem in sequelam famosi Delicti, de quo Iure, pleneque constet, irrogata, ut quis ea contracta, honore V. G. gradu, vel Dignitate destituatur, aut assequi prohibeatur *Gloss. in l. neque famosi Cod. de Dignitat. lib. 12.*, prout restringit *Albic. de inconstant. in fid. dicto cap. 25. num. 63*, fuse *Bellegrand method. rer. criminal. tract. 3. qu. 7. num. 8. seqq.* saltem tacite, vel, ut ajunt, ipso Jure, infamiæ scilicet expressione omissa, quando Delictum de per se famosum, & publicum illam involvit, ac parit, ut scitissime *Didac. Canter. qu. criminal. cap. 2. de probat. per Testes quæst. 1. memb. de plena probation. num. 27. pag. mihi 140.*, & illustris ad hoc est locus *Ulpiani in l. 2. §. Ignominiæ Causa ff. de iis, qui notant. infam.*, ubi de Milite propter delictum degradato, & ejecto ab exercitu, hæc habentur -- *Sed & si eum exauthoraverit, idest insignia militaria detraxerit, inter infames efficit, licet non addidit ignominiæ Causa, se eum exauthorasse* -- quoniam in his famosis, & publicis -- *tantum valet quid fieri facto, quamsi verbis dicatur* -- subdit ibidem *Gloss. in verb. efficit*, non autem sic, ubi Exercitus Imperator pro crimine de per se infamiam, sine Sententia non importante, voluisset illum efficere infamem, per solum, & simplicem actum missionis ab Exercitu, nisi expresse diceret, propterea, quod tunc -- *ignominiosa missio, toties est, quoties is, qui mittit, addit nominatim* -- sunt eadem verba Textus.

Regulare cœterum omnino est, Juris infamiam, de qua loquimur, quoties secundum *Spad. cons. 74. nu. 9. & seq.* judicialiter, & cum Processu formali de crimine cognoscitur, nec pro Delicto illam irrogante incurri, nisi lata Sententia, *Text.*, & *Gloss. in leg. Nullam Cod. ex quib. Caus. infam. irrogat.* ibi -- *Si Sententia non præcessit ignominiæ maculam irrogans* --, & quidem definitiva, non autem interloquutoria, an super incidenti, *leg. Quid ergo § Cum autem in fin.*, & *l. g. Non alia. cod.*, *Auton. Matthejus de Criminib. ad lib. 48. ff. titul. 13. de pœnis cap. 3. nu. 6.*, *Escobar. de puritat.*, & *nobilitat. part. 1. qu. 9. §. 2. n. 10. cum seqq.*, & *n. 19.*, ubi saltem declaratoria, si Causa fuerit de Crimine Hæresis, Quando vero agitur de pœna irrogata pro aliquo Delicto privato in Judicio Criminali, nec infamia incurritur, nisi adfuerit effectiva punitio, & pœnæ executio, *Gloss. in leg. Infamem, verb. Damnatum*, & *verb. Importat. ff. de public. Judic.*, non tamen excessiva, sed justa, & Causæ correspondens, *l. Ictus fustium*, & ibi *Gloss. ff. de iis, qui notant. infam.*

VIII.

Quibus ita generaliter de infamia præcognitis, neque hac in parte locum esse videtur instantiæ Filiorum, ex motivo defendendi famam respectivi defuncti Genitoris. Præsupposito etenim, semperque retento themate, non agi in præsentiarum de infamia proveniente ab aliquo ex Delictis atrocissimis, & a regula exceptis, de quibus *supra nu. 24. seqq.*, infamiam quandoque facto ipso, non expectata Judicis Sententia inurentibus, ut advertit *Anneus Robert. rer. judicatar. lib. 3. cap. 7. versic. pro Agnato proximo*; Sed tantum de illa, quæ in nostris terminis restricta manet intra fines criminum, quæ sunt de prænotata communi regula generali, propterea nihil hinc pro re nata fluere, quod Filiorum intersit, fit evidens, ni fallor, ex pluribus.

Primo, quia infamia Juris, seu vera, de qua agitur, posito, quod ex Delicto contracta sit a Parentibus, numquam Filios potis est maculare, nisi ubi, & quando Lex ita determinet expresse, velut expresse determinatum habetur in Crimine Majestatis, per *Text. in Leg. Quisquis §. Filii vero Cod. ad leg. Jul. Majestat.*, & *in Can. Si quis cum Militibus 6. quæst. 1.* verbis transcriptis supra *nu. 26.*, & ni tunc, & quando solemnis infamia, ex enormissimo Delicto Parentum, totam inficit Familiam, Filios præsertim, quod verificari nequit, nisi in atrocissimis, & exceptis, veluti nominatim sunt Crimina Majestatis, quemadmodum per plura colligit *Simanc. de Catholic. Institut. tit. 29. num. 9. 11. 14.*, & *20.*, atque Delictis hujusmodi specificatis; exemplificat *Carl. val. de Judic. tom. 2. lib. 5. titul. dispu. 3. num. 2. seqq.*

Taliter ut ad firmandam regulam pro non exceptis, si alia deficerent, faveret expresse *Gloss. in d. leg. Quisquis verb. comitetur Cod. ad leg. Jul Majestat.* ibi -- *Sic ergo Delictum Patris nocet Filiis, quod est speciale regulariter contra* -- At certe non deficiunt alia Jura, quæ pro Filiis suffragentur, ut *Gloss. in leg. Injuriarum Cod. ex quib. Caus. infam. irrogat. verb. damnatus*, sic habens -- *quia cum alieno nomine hoc fit, non est infamis* --, & sunt *l. Sancimus 22. Cod. de pœnis*, *l. Generali in fin. ff. de ritu nuptiar.* -- *Nam quæsita Dignitas liberis propter Crimen Patris auferenda non est* -- ait ibi *Papinianus*, atque *Gloss. in verb. Patris casus*, & *l. Crimen 26. ff. de pœnis*, ibi -- *Crimen, vel pœna paterna, nullam maculam Filio infligere potest; Nam unusquisque ex suo admisso sorti subjicitur, nec alieni Criminis Successor constituitur* --, & ibi *Gloss.*, quæ pariter excipit Crimen Majestatis, quem ff. locum adoptavit, & per eadem verba Decreto suo inservit, *Gratian. in Can Crimen. 1. quæst. 4.*, & disertius ibi *Gloss. per tot.* -- favet quoque *Can. Sponsus* ibi -- *Quo exemplo discant Parentum suorum Filiis iniquitates sibi obesse non posse* -- nec non *Gloss. in Can. Undecumque verb. sicut mali*, ibi -- *quia non est impedienda Dignitas ejus, qui nihil admisit.* -- *56. distinct.*

Ratio fit patentior ex eo, quod infamia Patris, loquendo de Criminibus non exceptis, non impedit, quin Filius ad Ordines, & Sacerdotium provehi valeat; dummodo honestatem, bonosque mores, non Patris vitia sectetur, *Can. Presbyterorum §. Sed hoc*, & *d. Can. Undecumque*, & ibi *Gloss. in verb. sicut mali* -- *56 distinct*, *Bonaccin de Censur. in tractat. de Irregularitat. disputat. 7. qu. 3. punct. 1. num. 12. fol. 552. tom. 1.* ibi -- *hujusmodi artem inducere irregularitatem solum in iis, qui illam exercuerunt, non vero in ipsorum prole, modo ipsa proles non effi-*

eia-

tiatur aliunde indignus, & inhabilis ad Ordines --, *& num.* 13., *& seq.* stringit, infamiam Patris ad idem effectum, non afficere Filios; quin promoveri possint ad Ordines, nisi in solis Criminibus exceptis.

Consentiunt DD. de infamia Patris loquentes ad Filios nequaquam transibili, nisi id expressa lege caveatur, *Sebast. Medices in tractat. mors omnia solvit conclus.* 53. *num.* 148. ubi quod propterea -- *non sequitur, Pater repellebatur a Testimonio; Ergo etiam Filius* --, & in terminis fortioribus Criminis nempe fractæ pacis, per *Text. in d. leg. Sancimus* 22. *Cod. de pœnis*, concludit *Spad. cons.* 74. *num.* 9., & in terminis Bannimentorum Civitatis Bononiæ loquentium de perpetua infamia Delinquentis, quod non possint trahi ad infamiam Consanguineorum, nisi forte demandata simul fuisset infamis imaginis appositio, observat, & firmat *Raynald. cap.* 8. §. 1. *num.* 38., *& ideo Bannimenta loquentia solum de Infamia Delinquentis, non possunt trahi, & extendi ad infamiam Consanguineorum ejusdem Delinquentis, ut de se patet* -- ait --

Et sane visa fuit adeo stringens ratio deficientis legis, quæ infamiam Patris ad Filios nominatim extendat, ut non desint DD. tenentes, nec incurri per Filios in casu Patris de Heresi damnati, eo, quod deficiat in Jure Canonico locus, qui id præcise, atque expresse demandet, *Card. de Albic. de inconstant. in fid. cap.* 24., ubi relatis *num.* 83. DD. contrarium affirmantibus (quibuscum & Ego) diceres ipsum sentire cum negantibus, quos refert *num. seq.* usque *ad num.* 94., & repetit *num.* 109., & 114. loquens de resolutione affirmativa sub Clemente VIII. capta *in Rot. coram Penia decis.* 403. *per tot.*, deque ejusdem decisionis successiva modificatione, per modum dispensationis.

Secundo -- illative ex prædictis: quia si Crimina hujusmodi atrocissima excipias, statim patet, casum hodiernæ quæstionis esse prorsus extra difficultatem. Infamia etenim, si quam defuncti Genitores nostris in terminis contrahere potuissent, utpote non proveniens ab aliquo ex Criminibus, specifica Lege filios quoque involvente, exceptis non fuit, nisi consecutiva, & accessoria ad delictum, ejusque pœnam, & sic personalis non egrediens Delinquentis Personam, quam dumtaxat sequitur, sicut lepra leprosum, ait *Gloss. in leg. Ex ea, verb. non irrogat ff. de postuland.*, & sic pœnam esse corporalis ad instar, puram, putamque personalem, imo & ipsam corporalem, advertunt Jurisconsulti *cum Sebast. Sapia Apostill. ad Abbat. in cap. afferte de præsumption. versic. præterea quando quis condemnetur* -- *Boss. in tit. de Carcerator. fidejussor. committen. num.* 8., *Chartar. Jun. in tractat. de pœnis innocent. pro noxnocent. art.* 3. *num.* 445.

Et qua personalis, non ultra durabilis, quam durante tempore pœnæ, *ad Text. in leg. Si Possidonius*, & ibi *Gloss. in verb. relegatum.*, *& in verb. Importat. Cod. ex quib. Caus. infam. irrogat.*, *Gloss. in leg. Ordine verb. quo Crimine in fin.*, *& verb. Postea ff. ad municipal.* clarique sunt *Textus in leg.* 1. *Cod. de iis, qui in Exilium dat. &c. lib.* 10. ibi -- *Post impletum temporis spatium, non prorogabitur infamia. & in leg. seq.* ibi -- *Ad tempus exulare Decurio jussus, & impleto tempore regressus, pristinam quidem recipit Dignitatem* -- satisque erudite *Anton. Matthejus de Crim. ad lib.* 48. *ff. tit.* 19. *quib. mod. Crimin. exstinguun. cap.* 1. *num.* 6.

Aut ad summum (invito tamen, & enixe refragante *Anton. Matth. loc. citat.*) completo termino pœnæ temporalis quousque vixerit, si punitus fuerit pro delicto famoso, & ea pœna Ordinaria, quæ secum portat infamiam, veluti passæ pœnæ quid consequutivum, *leg.* 1. *ff. de public. Judic.*, & clarius *Gloss. in leg. Imperator Titus ff. de postuland.*, *& in dicta leg.* 2. *Cod. de iis, qui in exilium dat. &c. lib.* 10., *Spad. cons.* 74. *num.* 9. *seqq.*, *Fagnan. in d. cap. Vestra n.* 22. *de cohabitat. Clericor.*, *& Mulier.*

Et sic vel uno, vel alio modo duret, semper verum erit per mortem Personæ, extinctam remansisse, ut de se patet, atque expresse, & conclusive, *Sebast. Medices in tractat. mors omnia solvit conclus.* 54. *num.* 148. -- *Infamia solvitur morte, adhæret enim Personæ, & sequitur eam sicut lepra leprosum* -- inquit -- *quid clarius?*

IX.

At cessatio actionis ad prosequendam appellationem fortior, atque certior manifestatur in casu ex aliis duobus, quæ sequuntur motivis: Unum, quod ratione sententiæ pœnalis nostri Defuncti delinquentes infamiam non contraxerunt. Alterum, quod si forte contrahere potuissent, sine infamia tamen mortui sunt: quibus positis nihil, quod intersit Filiorum superfuit, quia nil plus Juris in illos transmittere potuerunt defuncto Genitores, quam ipsi habebant, ut est Legis effatum, de quo *Fermosin. allegat. Fiscal.* 9. *num.* 3. *par.* 2., *& Hyeronim. de Philip. dissert. Fiscal.* 118. *num.* 21.

Sane infamiam non contraxerunt, quia pœna Triremium non perpetua, sed temporalis, & extraordinaria, qua condemnatus fuit ex solis Indiciis Machellus, infamiam ipsi non irrogavit, ut peracute defendit *Ricc. decis. Archiepiscop. Neapol.* 119. *per tot. part.* 1., & ex eo novissime *Raynald. cap.* 8. §. 1. *num.* 45., & cum non desint DD. in contrarium euntes, punctum reassumit, & ad contraria respondens tuetur idem *Raynald.* in additionibus, quas fecit ad sui locum supracitatum, quæ prostant videndæ post secundum Tomum suorum Operum *impression. Romanæ pag.* 29. *vers. Verum isti DD. cum versic. seqq.*, ubi Doctrinam *Ricci*, *& suam* substinet atque defendit: & ad omne pejus, id operabitur omnino pœnæ minoratio in casu nostro facta, cujus statim meminero: quod si verum hoc quoad Machellum bis, terque verius erit quoad Gandulphum qui nonnisi ad arbitrarium Opus in Arce Urbana fuerat destinatus, ut de se patet, & monet *Alexander Imperator in leg. Deportatorum*, ibidemque *Gloss. in verb. adempta Cod. de pœnis*.

Mortui sunt sine infamia, supposito etiam, quod illam contrahere potuissent.

Primo. Quia post Sententiam definitivam, & tempore habili appellarunt ab illa, & sic fato functi post obtentam appellationem, eaque pendente, dicuntur obiisse sine infamia, militante illo Juris principio, quod per appellationem, ejusque pendentiam, suspensa remansit infamia, illiusque incursus, & effectus, *leg. Furti* 6., & ibi *Gloss. in figuration. Cas.*, *& in verb. inter famosos ff. de iis, qui notant infam. Anton. Matt. de Criminib. ad lib.* 48. *ff. tit.* 18. *de pœnis cap.* 3. *num.* 13.

Et per eorum inde mortem, pendente appellatione, & antequam Judex ad quem pronunciaret, sequutam, totaliter extincta, *leg. Si Pater tuus ad De-*

curionatum evocatus appellationem interposuit, exque pendente concessit in fatum, bonoris ejus quæstio finita est. --

Secundo. Quia Causa cognita, & non confessi, neque convicti, minorata pœna Ordinaria, quæcunque ista esse potuerit, damnati fuerunt ex puris indiciis, & præsumptionibus ad pœnam extraordinariam: Et clari Juris est, quod quando recessum fuit a pœna Ordinaria, & convolatum, per ejus minorationem, ad solam extraordinariam ex justis causis, quarum una certa est, ubi fit condemnatio ex Indiciis ex defectu Confessionis, seu plenæ probationis *Apostill. ad Abbat. in dicto cap. Afferte de præsumption. versic. Sed contra dictum Innocentii*, & indubitanter, quando de justa causa ista facta fuit expressa mentio, quæ in hypotesi eum effectu, rotundisque verbis prostat in Sententiis condemnatoriis, *Raynald. observat. Criminal. cap. 7. §. 8. num. 5.* quando utiquam, ex hujusmodi justa causa, omissa pœna Ordinaria, itum fuit in extraordinariam (quidquid fuisset de superstite infamia facti, ut dicam infra *num. 133. & 136.* si etiam post pœnam supervixissent) sententia condemnatoria non importat amplius Juris infamiam, dicitur enim his in terminis super ea transactum, illamque fuisse remissam *Gloss. in leg. & si severior, in figuration. Cas., & in verb. remisisse*; necnon *Bald. Anton. de Butr, & Alexander* in Epitome huic Textui præposita, *Cod. ex quib. Caus. infam. irrogat., Gloss. magna in leg. Quid ergo ff. de his, qui notant. infam. in verb. uneresse circ. med.* ibi -- *Aut minor pœna, & tunc si Causa cognita, remittitur infamia* -- bellissimè *Macer. in l. In Servorum in fin. ff. de pœnis* ibi -- *Ergo & si opere temporario quis mulctatus sit, vel tantum fustibus cæsus, licet actione famosa veluti Furti, dicendum erit infamem non esse* -- atque etiam ibidem *Gloss. in verb. infamis*, ubi declarat idipsum, si nempe Causa cognita ad minorem pœnam deventum sit, quam commissum crimen mærebatur -- *Tusc. litt. I. conclus. 108. num. 1., & seq., & num. 19., Thesaur. de pœn. Ecclesiastic. quæst. 1. cap. 33. §. Advertendum quarto in med., & cap. 34. in fin.*

Et adeo post mortem Rei sic ex præsumptionibus condemnati, non mærentur ista refricari, quæ clarius est, præsumptiones, & suspiciones istas, quibus innixa fuit condemnatio, post condemnati mortem extingui prorsus, atque evanescere, etiamsi essemus in casu delicti excepti, prout Hæresis, *Simanc. de Catholic. institut. tit. 8. num. 12., & 13., & tit. 46. num. 77., & Fermosin. allegat. Fiscal. 8. num. 6. par. 2.*

X.

1 Omnibus sic ordine præmisso perpensis, exclusionem prosequutionis appellationis a primo ad ultimum suadentibus, obiiciebatur adhuc non solum *Textus in leg. Filio § Seja ff. de adimen. Legat.*, cujus summa præmissa est supra *num. 3.* cuique prope affinis est alter Juris locus *in leg. Lucius Titius ff. de Jure Fisci*, de quo pariter supra *num. 32.*, & in quo casus est de appellatione prosequenda post mortem Reæ Veneficii in Personam proprii Viri accusatæ, sed & obiiciebatur quoque doctrina *Bald. in dicta leg. Unica num. 11. Cod. ex delict. Defunctor.*, ubi allegat *dictam leg. Filio §. Seja*, quasi quod Hæredes Defuncti petere possint virtute ejusdem *Textus in leg. Filio §. Seja*, & Doctrinæ *Baldi*, ut procedatur ad Sententiam pro purganda infamia Defuncti, ejusque innocentia probanda, etiam quando infamia, quæ Juris sit, eos non tangit, nec molestari possunt propter Bona, & sic etiam quando ipsorum nihil interest, quod sane detortum, atque extra aleam dixeris.

Inapplicabilis quidem est *Textus in leg. Filio §. Saja*, & etiam *Textus in dicta leg. Lucius Titius*, tum quia utrobique agitur, ut ex litera patet, de quæstione Bonorum, quæ exulat in casu nostro, tum quia casus utriusque Textus prædicti est de Uxore accusata, altera de mandato dato ad interficiendū proprium Maritū, & altera pariter de Viricidio per Veneficiū, & sic utroque in loco casus est, non solum de Crimine atrocissimo, sed etiam de numero Criminum exceptorum, quæ morte Rei, certissime quoad Bonorum quæstionem, & ademptionem non extinguuntur, & pro quibus ad accusationem propter Bona, Bonorumque pœnam, ut duobus hisce Legibus allegatis præmissum est *supra num. 29. seqq.* procedi valet etiam post mortem Rei, quemadmodum, quod licet loquuntur de casibus, delictisque exceptis expresse, *Gloss. in leg. Ex Judiciorum verb. Majestatis ff. de accusat.*, ubi numerando casus exceptos hujusmodi sic habet -- *Item septimus, quando Uxor de morte Viri accusata decessit, ut infra de jure Fisci leg. Lucius; Nam sequuta condemnatione, imminet pœna Bonorum ademptionis Hæredibus Mulieris* --, & æque clarius *Glos. magn. in dicta leg. Lucius Titius verb. Inducendam in fin. ff. de Jure Fisci* ibi *Item nota, quod hic est unus de casibus, in quibus post mortem criminosi, quæritur de Crimine propter Bona, ut not. supr. de accusat. l. Ex Judiciorum.* --

Non est igitur, cur eadem ratio trahi valeat ad casum nostrum restrictum ad Crimina de regula communi, quæ, uti sæpedictum est, morte extinguuntur, & quidem (excepta Bonorum expressa pœna) ad omnes effectus; Etenim -- *quod ex dispensatione introducitur, ad sequentiam regulæ generalis trahi non potest* -- ait *Gratian. post Can. Apostolica 56. distinct.*

Incongrua itidem erit illatio, quæ trahi contenditur a Doctrina *Baldi*, qui originaliter putatur hac de re loquutus, quique *Textum* eumdem *in dicta Leg. filio §. Seja* allegans in *Leg. unic. nu. 11. Cod. ex Delict. Defunctor.* nil habet, ultra verba sequentia -- *modo dubitatur, mortuus est Reus ante Sententiam, Hæredes Rei pro eorum Interesse, & pro purganda Infamia Defuncti, volunt, quod procedatur ad Sententiam, nunquid hoc possunt? Respondeo -- Casus est unicus in Jure, quod sic -- ff. de adimen. Legat. Leg. Filio §. Seja.*

Nil ergo plus *Baldus* dicit, quam dicat locus iste unicusquem citat, sed idem locus loquitur de alio casu diverso a præsenti, qui est in quæstione. Ergo &c. Is fere mos est *Baldo*, ut propositionem verbis generalibus, quandoque emissam, relinquat declarandam a loco particularis Juris, quem allegat. Sic in *repetition. Leg. si is, qui Cod. si pendent. appellat. mors. intervener., num. 5. fin.* hæc habens -- *Frustra facerent appellando, nisi bona essent expresse adempta; Nam damnatio aperit eis viam, non obstruit, & ideo fatue appellarent, nisi vellent memoriam Defuncti conservare, ejus innocentiam ostendendo; Nam etiam in Crimine manifesto, possunt hoc facere re integra, ut ff. de Jure Fisci Leg. res, quæ* -- visa autem ista *Leg. res*, quæ loquitur de Reo Cri-

mi-

minis Læsæ Majestatis ibi -- *Defuncto Majestatis Reo, parato Hærede purgare innocentiam mortui, distractionem Bonorum suspendi jusserunt* -- Quis diceret supradicta verba *Baldi* relative ad Textum loquentem de Crimine Majestatis, emissa, intelligi posse, aut debere, tamquam aptabilia ad quodcunque aliud de communi regula crimen extra Casum Criminis Majestatis, de quo tantum precise, & ad literam loquitur *Textus* ad quem se *Baldus* genericis quodamodo verbis remittit?

Quod dicimus de *Baldo*, idem opportune dicendum de aliis DD quos inter *Farinacc. quæst.* 10. *num.* 74., qui rem non acu tetigerunt, postquam unus post unum euntes, fere nullus reperiri datur, qui non alleget dictam *Leg. filio §. Seja ff. de adimen. Legat.*, & supradictam *Baldi* Doctrinam, quique ad eas non sese reportent; igitur ne videantur indigeste, & sine criterio loquuti, non aliter intelligendi sunt, neque sequendi, nisi juxta terminos *dict. Leg. filio §. Seja*, in qua se unice fundant, quamque cum *Baldo* allegant, seu solemne est apud Omnes Juris proloquium, de quo *Authentic. d. Trient., & Semiss. §. neque ille, versic. consideremus*, & ibi *Gloss. in verb. erubescimus* -- *not. non valere responsionem, quæ lege non probatur* -- inquiens -- *Hieronym. de Philip. dissert. Fiscal.* 16. *num.* 7.

Quod autem ista sit, & esse debeat horum DD. intelligentia, suadet ipse modus, quo utuntur, loquendi, licere scilicet Hæredi ante Sententiam, & pendente Judicio pro purganda innocentia Defuncti, & ad evitandam illius infamiam, instare, ut cognoscatur de delicto, & Sententia desuper absolutoria feratur sic, & non aliter, *Farinacc dicta q.* 10. *num.* 74., & sic etiam reliqui -- *ante Sententiam, & pendente Judicio* -- ajunt isti -- *re integra* -- ut notabiliter *Bald.* in dicta *Leg. si is, qui Cod. si pendent. appellat. mors. intervener.*, verbis ex scriptis supra *num.* 98., & illud est eis perpetuo præsens -- *ad evitandam illius infamiam*.

Quemadmodum enim, mortuo Reo ante Sententiam, si ista, re integra, proferenda foret super puncto ademptionis Bonorum contra Hæredem, debet iste citari, vocari, & audiri, si forte vellet pro suo Interesse innocentiam Defuncti ostendere, ut pœnam prædictam evitet, *Caball. resolut. Criminal. tom.* 3. *cas.* 297. *nu.* 29. *Guazzin. Reor. defens* 33. *cap.* 26. *num.* 3. *versic. ne etiam*, & idem si esset proferenda super infamia per memoriæ scilicet damnationem, juxta Metho lum traditum *a Raynald. cap.* 2. §. 1. *sub num* 75.: Ita Hæres sciens forte Judicii pendentiam contra Defunctum, timensque molestias in Bonis, & infamia, quæ ex incoato Processu contra illum laborat, re integra potest, si vult, prævenire, & instare, ut supra. At hoc in Delictis exceptis, utpote etiam post Rei mortem, ad effectus prædictos vigentibus, secus omnino in non exceptis, de quibus loqui non possunt, qui allegantur DD., dum propositionem expresse admittunt, ut *re integra* tunc possit de Crimine cognosci -- *ad evitandam Defuncti infamiam* --, quæ certe in *non* exceptis, personalis tantum fuit, & cum morte Delinquentis extincta remansit, & ipsa; Quæ igitur in istis evitatio infamiæ pertinens ad Hæredes ante Sententiam, si ex deductis supra *num*, 39. non audirentur, & frustra appellarent etiam post Sententiam?

Patet ratio ista ex eo etiam, quod *Farinacc. dicta quæst.* 10. *num.* 74. inter alios DD. se antiquiores, allegat *Peregrin. de Jure Fisci lib.* 4. *tit.* 5 *n* 35., quo in loco *Peregrinus* loquitur de diffamatione extrajudiciali, quæ in vulgus contra Defunctum publice irrepsisset, post mortem de aliquo Crimine, allegans eamdem *Leg. filio §. Seja*, verba sunt -- *XIII. Casus est, cum Hæred Defuncti ad purgandam infamiam, quæ publice contra Defunctum laborat de aliquo crimine, volunt ad detegendam illius innocentiam, quod de CRIMINE IPSO COGNOSCATUR* -- *nam id fieri Iure conceditur Leg. penult. §. Seja ff. de adimen. Legat.* -- & allegat quoque eosdem DD., quos postea sequutus fuit *Farinacc. dicta quæst.* 10. *num.* 74.

Non est igitur cur accipi non debeat *Peregrini* locus, nisi de Crimine excepto, etiam post Rei mortem in Judicio deducibili propter superstites pœnas tangentes Interesse Heredum, qui ad illas propterea vitandas velint sibi ipsis caventes, ut de ipso Crimine in publica diffamatione consistente, judicialiter cognoscatur, frustra de cœtero, & sine Interesse id tentaturi, & a limine Judicii pellendi, si res fuisset de *Delicto* non excepto, utpote non amplius per accusationem, nec alias Magistratui deferendo, post Rei mortem, quæ illud prorsus resolvit, & extinxit. Quo etenim modo verificabilis alias esset *Peregrini*, & horum *DD.* de pœna Bonorum, deque infamia loquentium, nisi intelligerent de *Delicto* excepto, cujus tantum est casus in loco Juris, quem allegant in dicta *Leg. filio §. Seja*?

Et eum effectu *Caball.*, qui *casu* 296. hanc Hæredis facultatem probat relative dumtaxat ad pœnam Bonorum Heredes, in casu excepto, mortuo Reo, involventem; Quando relatis *DD.* id firmantibus, descendit ad opinionem, quæ idipsum videtur illis indulgere, etiam ubi, & quando ex *Delicto Defuncti* molestari non possunt, nescit quodamodo se extricare, quia illam non approbans, sed unice, non in sua, sed in aliorum Sententia referens, statim se remittit ad præcedenter scripta, probata in Casu excepto, ut videre est *d. cas* 298. *num.* 30., & 31., ubi hæc subdit -- *Quorum Multi loquuntur in terminis fortioribus, volentes posse Hæredes Defuncti, etiam quando non possent molestari, petere, quod procedatur ad Sententiam, purgando infamiam Defuncti, & probando ejus innocentiam, ut absolutio sequatur, & ipse probavi in prior. resolut. Criminalib. centur.* 2. *cas.* 137. *n* 9, & 10. -- quo loci, ut obvium est legenti, id probaverat in casu excepto importante pœnam Confiscationis exequendam contra Heredes post mortem Rei, qui sibi ipsi conscientia patrati Criminis, vel Majestatis, vel Hæresis, similium, metu debitæ pœnæ subeundæ, scienter, & voluntarie mortem conscivit, qui certe est unus ex Casibus exceptis videndus apud Glossographos, & relatos supra n. 29. rursus penes *Guazzin. de Confiscation. concl.* 18 *n* 47

Verum ad quid plura? Quod enim *Farinacc. dicta quæstion.* 10. *num.* 74., & alii, quos ibi refert, loquantur in terminis casus excepti, & non aliter, quam loquentes de *Delictis* exceptis intelligi debeant; Author est *Guazzin. de Confiscat. Conclus.* 18. n. 85. verba erant -- *Quod si pendente Iudicio, Delinquens moriatur, & esset imputatus de Delicto, CUIUS MEMORIA post mortem damnari poterat, Hæredes, si volunt, pro purganda innocentia Defuncti, possunt instare, ut cognoscatur de Delicto, & Sententia desuper absolutoria feratur* -- *Anton. Gomez d. cap.*

cap. 1. de Delict. num. 83. sub versic. nunqui tamen. Farinacc. dicta quæstion. 10. num. 94. Peregrin. de Jure Fisci lib. 4. tit. 5. num. 35.

XI.

At remanent, inquiunt, duo præjudicia; Unum Damnorum, & Expensarum, quibus ante Sententiam Defuncti Genitores succubuere, solventes Curiæ Officialibus Mercedem fabricationis Processus, & traditæ Copiæ illius, ab Accusatoribus idcirco restituen., si forte calumniose accusarint: Alterum ignominiæ, quæ imminet Filiis apud Vulgus despectui habituris propter Parentes de Crimine accusatos, & damnatos; Sed relative ad punctum prosequendæ appellationis, cujus est quæstio hodierna, nec unum, nec alterum arridet.

Non primum de *Damnis*, & expensis; Quoniam, sublato eis, ex defectu proprii Interesse, Jure prosequendi eamdem appellationem, per mortem Reorum, qui illam, terminato Judicio, interposuerunt a Sententia condemnatoria, antequam Judex ad quem pronunciaret, extinctam, nulla remanet præsumptio calumniæ contra Accusatores, sive inspiciamus Partes jam præhabiti Criminalis Processus, sive ipsam desuper definitive promulgatam Sententiam Condemnatoriam.

Inspecto siquidem Processu, adest post accusationem, & Testium depositiones, litis contestatio, adest ejusdem Processus publicatio, & legitimatio: adest defensionum assignatio & confectio, Et tandem condemnatio. Undè fit, accusationem non amplius dici posse calumniosam in ordine ad repetitionem damnorum, & expensarum ab Accusatore, qui ex tot Judicis authoritate post accusationem peractis, non potest amplius dici, quod non habueris prò se Testes, saltèm unum, quod sufficit ad eum eximendum à nota Calumniatoris & à refectione damnorum, etiamsi Reus se defendendo, & Testes Fiscales repulsando, fidem illorum obiectis exceptionibus, extenuasset, ut fusè de his omnibus *Guazzin. Reor. defens. 3. cap. 13. num. 24. 38., & num. 52., & 56.*

Si respiciatur ipsa de per se Sententia condemnatoria, altera inde etiam post appellationem oritur præsumptio Justitiæ accusationis, quia, etsi per appellationem suspensa remanserit, non eo de medio sublata est, quin aliquam, & quidem ad plures effectus, retinuerit Justitiæ præsumptionem, quoad usque Judex appellationis pronunciaverit, *Anguvin. Lazzarin.* inter *cons. Farinacc. tom. 1. cons. 30. num. 55.*, & ibi *Famian. Cenolin. in additionib. lit. B.*, nec appellationis effectus, quidquid sit de pronunciato, extenditur unquam ad infirmanda, minusque tollenda acta probatoria in Processu præexistentia, quippe quæ etiam post appellationem in suo manent robore, *Farinac. cons. 33. n. 95.*; Cumque hodie per mortem Reorum extincta remanserit pendens appellatio prædicta, duo sequuntur: Primum, ut multo securius Sententia Condemnatoria remaneat in sua nativa illa, bonaque Juris præsumptione justificativa accusationis, & omnium actorum præcedentium: Alterum, ut bona ista Juris præsumptio Justitiæ descendentis a Sententia, eo ipso degeneret in malam contra Condemnatos, qui in eo statu Sententiæ decesserunt, ut dici queant obiisse, præsumptionem Juris contra se habentes, cessetque etiam ex hoc capite præsumptio Calumniæ in Accusatoribus.

Proindeque non audiendus *Bonfin. in Banniment. generalib. cap. 79. num. 68.* opinionem prædictam extendens, pro Hæredibus Defuncti etiam super repetitione Damnorum, & Expensarum ante Sententiam factarum, tum quia loquitur in puris terminis Causæ, & Judicii Civilis, ut videre est *ex Rot.* quam unice allegat coram *Emerix dec. 48. nu. 5.* tum quia in nostris terminis parum ante *num. 63.* firmaverat contrarium, allegans locum *R ynald. cap. 23. §. 1. ad 3. num. 224. seqq.* quem & Ego citavi supra *num. 48. fin.*

Verum enim vero ipsam, quæ nunc excitari gestitur, damnorum refectionem, dependenter ab instantia super prætensa prosequutione antedictæ appellationis, cave putes substitui posse defectui poenæ Bonorum in Sententia condemnatoria, a cujus pronunciatione appellarunt, non expressorum, hic punctus, hic cardo hodiernæ quæstionis; Poena scilicet Bonorum, prout poena est, qua deficiente, & ipsum radicitus deficit Jus appellandi; Non autem quæstio refectionis damnorum, quæ (longe a terminis admissionis, vel non admissionis appellationis a Sententia lata super negocio principalis) non est præsentis, sed alterius omnino diversæ inspectionis, & Judicii.

Et nihilominus illud occurrit omnino ponderandum, in eo non esse casu, quo ex defectu Interesse, ut sæpe diximus, sublatum est post mortem Delinquentium Jus appellationis, illiusque prosequutionis, & propterea, ultra quamquod ad refectionem expensarum harum juxta Curiæ taxam Officialibus solutarum, deficit Sententia condemnatoria, qua stante nonnisi ab excessiva tantum illarum taxatione curreret appellatio, *Scacc. de appellat. quæst. 17. limitat 21. nu. 58.* nec devolveret regulariter ad Judicem appellationis negocium principale, Causæque principalis cognitionem, Parte præsertim contradicente, Codex *Fabrian. lib. 7. tit. 26. definit. 47.* certe quod ex eadem ratione sublati Juris appellandi, appellationemve prosequendi super negocio principali, per Sententiam sine condemnatione ad damna, & expensas, finito, & inde per mortem una cum ipsa interposita appellatione extincto, non admittuntur Appellantes, quoties per hujusmodi appellationem refricare vellent, aut retractare intenderent Sententiam Condemnatoriam super crimine admisso, negocioque principali prolatam, ea fortiori suffragante ratione, quia sublato Jure appellandi non mærerentur ad idem effectum audiri, etiamsi in Sententia adesset quoque condemnatio ad damna, & expensas, *Caball. resolut. Criminal. cas. 207. num. 2. seqq., & per tot. Scacc. de appellat. quæst. 17. limitat. 6. membr. 9. n. 51. Guazzin. Reor. defens. 36. cap. 4. num. 18.*

Non alterum, de gravata nimirum ipsorum opinione apud Vulgus istiusque licentia objectandi in Filios Paternam infamiam, etsi personalem, ac morte extinctam, eosque propterea ludibrio habendi: id improperii genus apud homines in Persona ejus, qui non est notatus infamia Juris in se ipso, ex quo non ipse deliquit, sed tantum quoad alios propter alterius peccatum, seu casum in jure non expressum, nil aliud est, quam infamia facti, ut ex *Baldo*, & *Saliceto* bene explicat videndus *Didac. Canter. quæst. Criminal. cap. 2. de probat. per Testes quæst. 1. membr. de plen. probation. num. 27, versic. secunda regula, pagin. mihi 140.*; & ideo nonnisi im-

improprie talis dicitur, vel ut illa -- *quæ non Jure irrogatur, sed opinione hominum &c., hæc non proprie infamis est, neque enim opinio hominum, sed Lex, S. C. Constitutio Principis, Edictum Prætoris infamem faciunt* -- scriptum reliquit *Anton. Matt. de Criminib. ad lib. 48. ff. tit. 18. de pœnis cap. 3. num. 2.*

Cacoethes hujusmodi non solum in Filios Paterni Delicti expertes, sed etiam in eos, qui semel utcumque puniti de Delicto infamiam non importante, liberati sunt, vidit olim, & pro infamia Facti tantum respondit *Julianus in Leg. honori ff. de obsequ. a liber., & libert.*, verbis hisce -- *Licet enim verbis Edicti non habeantur infames ita Condemnati, re tamen ipsa, & opinione hominum non effugiunt infamiæ notam* -- idest Facti, ut explicat ibi *Gloss. in verb. infamiæ*, vidit & *Imperat. Alexander in Leg. ea, quæ Cod. ex quib. Caus. infam. irrogat.* -- *Infames quidem*, inquit, *Filios non faciunt, sed apud bonos, & graves, opinionem ejus, quod displicuit, onerat* -- non alia, idest onerat, infamia, quam Facti, sicut monet *Gloss. ibidem verb. onerat.*, & rursus *Gloss. in seq. Leg. nullam verb. infamiam Cod. eod.*, quod & conspicuum fuit DD., quemadmodum de iis, qui post Condemnationem abolita fuit, & quod mireris ex Capite injustitiæ, Sententia Condemnatoria, *Fulgos. cons. 71. numer. 3.*, *Tusc. litt. C. conclus. 571. num. 9.* -- De iis, qui alicujus Delinquentiæ accusati, nil ulterius post accusationem, puta ob Crimen non probatum, sunt inquietati, ut ex *Avila de Censur. par. 7. disput. 4. dub. 5.* refert *Van Espen. Jur. Ecclesiastic. part. 2. tit. 10. Cap. 6. num. 14. fin.*, & tandem de iis, ut alia mittam, qui expleta pœna extraordinaria temporali (vides hic, quid evenisset nostris duobus Condemnatis, si finito tempore pœnæ supervixissent) ex indiciis inflicta, & sic ex Causa minorata libertati fuit redditi, loquitur *Thesaur. de pœnis Ecclesiast. p. 1. C. 34. in fin.*

Cesset igitur oportet omnino etiam in hac parte prosequendæ appellationis prætensio, cum enim agatur de infamia Facti, hæc, si Divinam Omnipotentiam excipias, nullo alio modo, nec per Judicis, minusve Principis Sententiam, tolli potest, quam per factum contrarium apud Viros bonos Triennali saltem duratione acceptissimum, quapropter hujusmodi infortunio pressi non ad alium Judicem appellare debent, quam ad se ipsos, quemadmodum præter authoritates in hoc puncto datas supra *num. 53.*, *& seq.* monent *Impp. Carinus, & Numerianus in Leg. interloquutio* -- *ut ad meliorem vitæ frugem se reforment* -- ajentes, & ibi *Gloss. in verb. reformet Cod. ex quib. Caus. infam. irrogat.* atque opportune *Thesaur. de pœn. Ecclesiastic. dicta parte prima cap. 33. ante fin.*, *& cap. 34. in fin.*, *Bellegrand. method. rer. criminal. tractat. 3. cap. 7. num. 28.* alias enim infamia Facti remanet irremediabilis, *quia cum illa resideat in mentibus hominum, non potest inde per aliquem amoveri, cum non possit fieri per quacumque potestatem, quod homines credant Virum bonum, quem credunt, & credere volunt malum* -- seu totidem verbis rationem reddit *Card. de Albic. de inconstan. in fid. Cap. 25. num. 63 & seq.* --

Deinde, si ipsi Genitores temporalem condemnationem ex Causa minoratam passi sunt, sine infamia Juris, & sine ea decesserunt, ex probatis supra *Num. 83. ad 90.* sique Genitores iidem, quatenus supervixissent, nec post completum pœnæ tempus hanc Juris infamiam subituri fuissent, sed dumtaxat illam facti, non Judicis Sententia non appellatione, at contrario, tantum facto reparabilem, ut probatum est præcedenti *num. 133.*, *& seqq.*. Dicatur mihi quæso, a quo gravamine proprias Personas tangentes appellabunt nunc Filii? forsan ab illo infamiæ Juris? At ista non reperibilis in Genitoribus, nec per consequens ad Filios transmissa, nec transmissibilis, non fuit, neque est in harum rerum natura; a gravamine ergo, quod non est, nec umquam fuit, qui, amabo, appellari umquam poterit? Num ab illo infamiæ Facti? & idem reddit insolubilis nodus; quippe nescia, & ipsa destrui ministerio Judicis inutili non istius Sententiæ, nec appellatione, sed proprio dumtaxat contrario facto valet purgari. Argumenti fallaciam frustra quæras, ni fallor.

X I I.

Rebus igitur a primo ad ultimum restrictis: *Lex* est, quæ imperat Crimina quæcunque extra illa tantum, quæ a Regula sunt excepta, quæque iam notata fuere supra *num. 24.*, *& seqq.* morte Delinquentis extingui; Lex est, quæ jubet, eadem ratione extingui pariter, & appellationem interpositam a Reis, si ea pendente mortui sint, etiam quoad Hæredes, si non adsit expressa pœna Bonorum, & æque expresse pœna infamiæ; Ex Lege oritur, Reos negativos, minori, quam Ordinaria, & sic ex Causa reducta pœna, punitos, non contrahere Juris infamiam. Legis est præceptum, infamiam, quæ post temporalem pœnam completam, vel remanet in Persona ipsius puniti Delinquentis, vel in Filios Vulgi, ut fieri amat, opinione, ex non excepto Delicto Patris, transfunditur, non esse, nisi puri facti, & qua talem non Judicis Sententia, nec beneficio appellationis, sed contrario dumtaxat facto purgabilem. A Lege tandem finit quæstionem repetitionis damnorum, & expensarum; extincta, & sublata appellatione a Crimine, negociove principali per Sententiam finito, esse alterius inspectionis, & Judicii, & non tentabilem, eo fine, ut Sententia ipsa prætextu ejusdem, etsi extinctæ prosequendæ appellationis, refricari queat, minusque retractari; Si hæc omnia, inquam, non hominis, nec Judicis, sed Legis Sententia fuentur, nil remanet, nisi appelletur ab impossibili (quod a Sapientissimorum in Causa scribentium mente procul dubio est alienum) a Sententia nempe, a Præcepto, & a pœna Legis; Quo absurdo in Civili hominum Societate nihil insolentius, *Bald. in Leg. unic. nu. 21. & seq., Cod. ex Delict. Defunctor. Fermosin. allegat. Fiscal. 8. num. 16. fin. & allegat. 9. nu. 11. & seqq. par. 2. Seaec. de appellat. qu. 17. limit. 20. n. 1. seqq. & limitat. 22. per tot.*

Atque ex his omnibus fui in sensu, pendente appellatione Defunctorum, Filiis, & Hæredibus a petita prosecutione ejusdem Appellationis, in casu, de quo agitur, esse reijciendos.

Et ita &c. salvo semper &c.

Cæsar Stephanus Mocci Trib. A.C. Generalis ad Criminalia Locumtenens.

Causa hæc definita fuit a *Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIV.* feliciter Regnante, quem Deus

per

per annos Nestorianos conservet, per organum R. P. D. sui Auditoris, nunc emeritissimi S. R. E. Cardinalis Argenvillieres; mandavit enim in mense *Maij* 1753., ut in hujusmodi causa hæredibus, & filiis Macchelli, & Gandulphi perpetuum silentium imponeretur, attentis nonnullis facti circumstantiis animum SANCTITATIS SVÆ moventibus; *decretum est per acta Paparatii Notarii Tribunali A.C.*

De Appellatione.

OBSERVATIO XVIII.

SUMMARIUM.

1. *Fiscus de Jure communi appellat.*
2. *Limitatur conclusio in nonnullis dominiis.*
   Appellatio vetita Reo, quoque Fisco prohibita censetur.
3. *Ex Bulla Pij IV. in Urbe Fiscus non appellat.*
4. *Ex alia Bulla Pij IV., & Constit. Paul. V. hoc remittitur arbitrio Signaturæ.*
5. *Primus Imperator qui fiscalem constituit.*
6. *Solius Principis Supremi est habere fiscum.*
   Barones etiam, & Episcopi ex privilegio, vel consuetudine habent.
7. *Quomodo vocatur Fiscus Baronalis, & Episcopi?*
   Appellatio vetita Fisco, etiam Promotori fiscali Curiarum vetita censetur.
8. *De Fisco Archiepiscopo Neapolitani aliter sentit* Ricc., & Gennens.
9. *Explicatur illorum exemplum in quo sensu intelligendum.*
10. *Decretum* Raynaldi *explicatur, & declaratur.*
11. 12. *Judex a quo an citandus in appellatione? referuntur diffidentes opiniones, & distinctione conciliantur.*
13. 14. *Distinctio* Philippi Decij *affertur.*
15. *Quid dicendum concurrente Fisci interesse?*
16. *Stylus, & observantia in contrarium enucleatur.*
17. *Fiscus non appellat existente Instigatore, nisi per eum præstita cautione.*
18. *Quæritur quomodo debeat esse dicta cautio in puncto Juris.*
19. 20. *Cautio fidejussoria non exigitur, Instigatore fidejussores non inveniente.*
21. *De stylo, & observantia cautio hæc debet esse fidejussoria.*
22. 23. *Limitatur hic stylus, Appellante immobilia possidente.*
24. *Quo tempore dicta cautio præstanda est.*
25. *Bulla loquitur in prosequutione appellationis.*
26. *Quid resolutum fuit in una Feretrana.*
27. *Cautio hæc an præstanda sit in loco Judicii, vel extra sub dominio ejusdem Principis.*
   Bulla recipit interpretationem passivam a Jure communi.
   Dicitur Ius civile, & non Ius Prætorium.
28. *Resolvitur quæstio.*
29. *Rationes expenduntur.*
30. *Ampliatur in criminalibus etiam in cautione voluntaria.*
31. *Appellans qui ad dictam cautionem tenetur, an sit Reus, vel Actor.*

Declaratur quomodo intelligenda sit dispositio Text. in L. necessaria ff. qui satisd. cogant.

1 Etsi Fiscus de Jure communi nullo pacto prohibitus appellare reperiatur, etiam in criminalibus Causis per Text. *in L. litigatoribus C. de appellat. in L. 1. C. de Sentent. contra Fisc. retractand. & in L. illud la 2. ff. ead. titul.* cum aliis pleno calamo congestis per *Camill. Borell. in summ. decis. tom. 3. tit. 33. 748., & Aloys. Rice. dec. 81 num. 2., & seq.*

2 Ex particularibus tamen nonnullorum Regnorum Sanctionibus, appellatio Fisco vetita est, signanter ab absolutoria Rei; *In Regno enim Neapolis* extat *Ritus M. C. V.* 258., de quo Grammat. *decis. 14. nu. 12.*; In Cathalunia *est Constit. incipiens, Per tor le vexation. 7. de appellat.* de qua *Michael. Ferrer. observ. par. 3. observat. 21.*, de consuetudine Lucensi, Ancon., & Perus., *Joseph. Ladovic. decis. Luc. 1. num. 43. & seqq.*, & generaliter procedit in omnibus locis, in quibus statuta, & Constitutiones appellationem in criminalibus Reo prohibent, ut de *Flandria* seu Gallia inferiori testatur *Dambouder. in praxi crimin. cap. 149. num. 3.*; De Electoratu Saxonico *Jacob. Schult. in addit. ad Coler. decis. 22. nu. 17.*; De generali Consuetudine totius Germaniæ *Gaill. de pac. public. cap. 36. versic. tamen*; De Ducatu Mediolani *Julius Clar. in pract. qu. 94. num. 3.* De Ducatu Sabandiæ, prout etiam *de Curiis Regni Franciæ* a sententiis criminalibus latis a Supremis Judicibus appellare non licet, vi *Textus in l. 1. ff. a quib. appell. non licet*: sed in aliis Senatus Sabandiæ indistincte recipit appellationes in omnibus delictis, & excessibus, sicuti in cæteris litibus, & causis civilibus, teste *Godofred. ab Avo de reatib. quæst. 29. num. 12., & Rebuff. in comment. Constit. Gall. de appell. artic. 7. Gloss. 12 num. 10. & seqq.*; De Dominio Florentino *Sabell. in summ. diversor. tract. §. appellatio nu. 37. versic. de Consuetudine*, ea ratione quod appellatio vetita Reo, quoque Fisco prohibita censetur ad effectum servandi æqualitatem in Judiciis, ut in puncto, *ex Magon., Farin. & Ruginell. tradit Scacc. de appell. qu. 17. limit. 49. nu. 3.*

3 In Urbe extat Constitutio S. M. *Pii IV. in ordine la 56. de reformat. Tribun. A. C. edita quarto nonas Junii 1562. incip. Inter multiplices*, (quam per extensum refert Ridolphin. *post praxim. de liter. Apostolic. fol. mihi 45. in edit. Venet.*), qua in §. 17. mandatur A. C. — *Minus etiam admittat appellationem Fisci ab absolutoria lata pro Reo, juxta laudabilem consuetudinem hactenus in Curia servatam.*

4 Verum in alia *Bulla edita secundo Kalendas Julij ejusdem anni 1562. in ordin. la 58.*, Idem Summus *Pontifex Pius IV.*, quo ad appellationem Fisci, eius admissionem, vel rejectionem arbitrio Signaturæ remisit; & sic præcedentem correxit ibi — *Et cum ad signaturam spectet causam appellationum nomine dicti Procuratoris Fiscalis a Sententiis contra eum latis interpositarum rejicere, vel committere, Idem Procurator appellare non prohibetur*; quam eamdem Constitutionem iisdem verbis confirmavit *Paulus V. in constit. 71. de reformat. Tribunal. Urbis edita Kalendis Martii 1611. in §. 17. num. 10.*, & novissime in omnibus servari dictam Constitutionem Paulinam, mandavit Sanctissimus Dominus Noster feliciter Regnans *Benedict. XIV. in constit. super Reformat. Tribunal. Urbis.*

5 Primus inter Imperatores, qui Fiscalem consti-

tue-

tuerunt, fuit Hadrianus, teſte *Budeo innot. ad Pandect. de offic. Quæſtor fol.* 241., *& Amay. ad tit. de Decurion. ad leg. final. cap.* 3. *num.* 3. *& ſeqq.*, ubi improbat *Levinum Torrentium ad Sveton. in Claud. cap.* 12., qui hoc tribuit Alexandro Severo. Poſt Hadrianum, Gallienus, Conſtantius, & Theodoſius Fiſcales crearunt Legibus ad hoc editis, de quibus *Oroſius in rubric. de offic. Procur. Cæſaris*; Verum eo tempore Fiſci Patroni ad biennium eligebantur, *l. binos* 10. *C. de advoc. diverſ. Judic.*; hodie vero in perpetuum eliguntur, dum Principi placeat, *ut ex Cujac. & Gothofred. probat Amay. loc. citat. nu.* 21., imo Fiſcales, ut Senatores Toga decorati fuere, *l. final. C. eod. titul.*, de quo Togæ uſu, & antiqua auctoritate, quamplura perbelle recenſent *Alexand. ab Alexand. genial. dier. lib.* 5. *cap.* 18., *& Roſin. lib.* 5. *antiq. Roman. cap.* 32.

6 Adverte tamen, quod habere Fiſcum eſt ſolius Principis, vel Reipublicæ non recognoſcentis Superiorem, ut ex *Joan. de Platea, & aliis, Covar. variar. lib.* 2. *cap.* 10. *poſt num.* 10., propterea Barones etiam habentes merum, & mixtum Imperium, Fiſcum minime habent, *Text. in l.* 1. *C. de bon. vacant. lib.* 10., *ubi Novar. in comment.* niſi ex privilegio alicui Baroni prerogativa hæc ſpecialiter tributa fuiſſet, ad tradita *per Ann. in addit. ad Genitor. ſingul.* 220., vel ex conſuetudine immemorabili hoc acquiſiviſſet, omnibus debitis requiſitis vallata, prout videmus in Epiſcopis, qui licet etiam de Jure non poſſint habere Fiſcum, quia recognoſcunt in Superiorem Summum Pontificem, de facto tamen ex antiqua conſuetudine Fiſcum habent, & in hac poſſeſſione reperiri comperiuntur, ex traditis per *Barboſ. de offic. & poteſt. Epiſc. alleg.* 107. *nu.* 16. ubi non nulla Jura canonica adducit, *Crebier. de Juriſd. Ordin. in Exempt. part.* 5. *quæſt.* 112. *n.* 3., *& Aloyſ. Ricc. in praxi Eccleſ. part.* 2. *reſol.* 387. *num.* 2.

7 Vocantur tamen hi Baronum vel Epiſcoporum Fiſcales communi vocabulo *Promotores Fiſcales, ſeu Coadjutores Curiarum*, ut ex Capiblanc. & aliis refert *Joſeph. Amendol. in praxi Judic. p.* 1. *tit.* 3. *n.* 103., qui Promothores Fiſcales, Fiſci locum, & Jura obtinent, tum in activis, tum in paſſivis juxta doctrinam *Capiblanc. Fontanell.*, *De Ponte* apud *Carol. Anton. de Luca, ad deciſ. de Franch. obſervat.* 467. *poſt. num.* 5., idcirco exiſtimat *Raynald. cap.* 32. §. 4. *&* 5. *n.* 232., *& ſeqq.*, quod appellatio Fiſco vetita, locum etiam ſibi vindicat in Promotoribus Fiſcalibus Curiarum Eccleſiaſticarum, atque ita deciſum fuiſſe teſtatur.

8 Verum contra ſententiam *Raynaldi* indiſtincte loquentis, allegari poſſet *deciſ.* 81. *Ricc. part.* 2.; teſtatur enim quod Promothor Curiæ Archiepiſcopalis Neapolis, ſemper conſuetus fuit, adverſus Sententias contra eum latas appellare, Iuris communis diſpoſitionem inſequendo; ibi — *hanc opinionem pluries canonizavit Curia Archiepiſc. Neapol., ſi quidem quando aliquis fuit Condemnatus per Curiam Archiepiſcopalem, & appellavit ad Papam, & Judex appellationis revocavit ſententiam Curiæ, Fiſcus fuit ſolitus appellare, & impetravit de novo appellationem committi ad ejus inſtantiam, unde cum in anno* 1600., *quædam Perſona pro falſa depoſitione fuiſſet condemnata ad quamdam pœnam & appellaſſet ad Papam, & Delegatus revocaſſet Sententiam dictæ Curiæ, Fiſcus de novo appellavit, & poſt habitam diſputationem in Urbe, fuit commiſſa Nuncio Neapol. qui ſententiam protulit*, & de hujuſmodi obſervantia pariter teſtatur Marc. *Anton. Genuenſ. in praxi Archiepiſc. Cur. cap.* 37 *per tot. qui num.* 1. pariter refert caſum relatum *a Ricci in deciſ.* 81.

9 At ſalva pace tum *Ricci*, tum *Genuenſ.*, exemplum per eos relatum non probat eorum intentionem; Nam cum Fiſcus primo habuiſſet ſententiam pro ſe, potuit inde appellare a Sententia prolata in gradu appellationis favore Rei revocatoria, ſeu infirmatoria primæ Sententiæ, in his namque terminis caſus non eſt amplius ſimplex, in quo ſenſu intelligenda veniunt ſtatuta particularia, & conſuetudo generalis prohibentia Fiſco appellationem, ſed dicitur caſus mixtus, minime in dictis ſtatutis, & Conſuetudine comprehænſus, ſed Iuris communis diſpoſitioni remiſſus, quo Fiſco appellatio non denegatur, ut in puncto appellationis, *ex Boſſ. Bajard. Caball., Magon. Guazzin, Scacc. & Farin. docet Vermigl. conſil. crimin.* 318. *num.* 8

10 Hoc non obſtante tamen dictum *Raynaldi* declaratione indiget, cum enim hodie in vim Conſtitutionis tum *Pii IV. la* 58. tum *Pauli V. la* 71. *de reformat. Tribunal. Urb.*, Fiſco non prohibeatur abſolute appellare, ut antea idem *Pius IV.* expreſſerat *in conſtit.* 561., ſed hujuſmodi cognitio remittatur arbitrio Signaturæ; non debent abſolute reiici appellationes, quæ interponuntur per Promothores Fiſcales Curiarum Eccleſiaſticarum, imo admitti, & quoties dicta admiſſio a Reo hæſitaretur, arbitrio Auditoris, & Præfecti Signaturæ decidenda eſſet, in quo Tribunali quotidie inſtantiæ excitantur pro moderatione, vel pro admiſſione appellationis, ſecundum caſuum contingentiam; Animadvertendum nihilominus eſt, quod Fiſcus in appellatione, quæ ſibi impartitur, non debet eſſe melioris conditionis Rei, ſed ubi Reo conceditur in criminalibus quo ad actum devolutivum tantum; ita pariter Fiſco quo ad hujuſmodi actum, & non ſuſpenſivum, provocatio concedenda erit, ut diſſerte pluribus adductis rationibus probat *Magon. deciſ. Lucenſ. per tot.*, *cum Addit.*, & ſupra *na.* 2.

11 Hic incidenter quæro; an in Cauſa appellationis citandus ſit Judex, qui ſententiam tulit, an vero ſufficiat citatio exequuta in perſonam Procuratoris Fiſcalis Tribunalis, vel Curiæ? Quæſtio hæc reſolvitur a *Godofred. Abru. de reatib. qu.* 29 *num.* 23. *& ſeqq.*, dicente non eſſe citandum Iudicem, ſed in locum ejus Procuratorem Fiſci ex doctrina *Felin. & Bartol., Boer., & Rebuff. ibi allegat.*, ea ratione, quia ſententiæ retractatio coram Iudice appellationis non affert primo Iudici directum præjudicium, ſed Fiſco; excipit tamen quoties ageretur de pœna contra Iudicem imponenda, vel pro intereſſe ſuo, & expenſis Parti ſolvendis; ſubdit tamen quod *de Stylo Senatus Sabaudiæ, & Curiar. Franciæ*, appellatio debet intimari Procuratori Fiſci, & Iudici a quo.

12 Oppoſitum tenet *Ludovic. Roman. in conſ.* 343. *num.* 12. *& ſeqq.*; movetur primo ex diſpoſitione Textus *in cap. Venerabilibus, verſic. attamen de ſententia excomm. in* 6., ubi cum quæritur coram Archiepiſcopo de irritatione excommunicationis latæ per Suffraganeum, vocandus eſt Suffraganeus, quia ipſius intereſt ſuam cauſam defendere; Secundo allegat auctoritatem *Gloſſ. in cap. cum ſpeciali* 61. §. *porro, verbo coram, de appellat.*, ubi quod Epiſcopus quando procedit ex officio, citandus eſt ut defendat Proceſſum ſuum, ſi voluerit, ſicuti vocandus eſſet Accuſator, quoties per accuſationem proceſſum eſſet;

Tertio ex doctrina *Innoc.*, *Hostiens.*, *Bartol.*, *Bald.*, *& Federic. de Sen.* quos ibi *allegat. Roman.* ac alios congerit *Mand. s. Additionator. litt. F*;

13 In hoc articulo *Philip. Decius consil.* 143. *n.* 2. *tom.* 1., distinguit, quod si Iudex in causa processisset ex officio ejus, & non ad instantiam Partis, quia Partis locum tenet, citandus est; vel si ad instantiam Partis processisset, & prætenderetur coram Iudice appellationis, eum iniquo animo processisse, vel per ignorantiam, nam alias citandus esset, & *in* his terminis locum habet *Text.* allegatus per *Roman. in dicto cap. venerabilibus*; idem si Ius Iudicis læderetur, ut quia diceretur in gradu appellationis fecisse litem suam, vel incidisse in constitutionem, *cap. cum æterni de re judic. in* 6. ut ex Ioan. Andrea explicat *Gloss. marginalis in d. cap. cum speciali* 61. *versic. Sed*; ratio est, siquidem in his casibus retractatio Sententiæ facta per Iudicem Appellationis, primo Iudici præjudicium affert, licet suapte natura extra hos casus præjudicium non afferret, ut definitum est in *Concilio Carthaginensi* 3. *cap.* 10. ibi — *Hoc etiam placuit, ut a quibusdam Judicibus Ecclesiasticis ad alios Judices Ecclesiasticos, ubi est major auctoritas, fuerit provocatum, non eis obsit quorum fuerit soluta sententia, si convinci non potuerint, vel iniquo animo judicasse, vel aliqua cupiditate, aut gratia depravati*; & refert Text. in *cap. etiam* 2. *quæst.* 6. ubi Glossator *in verbo sint convinci*, *& in verbo vel iniquo*; & in hoc sensu convenit etiam doctrina *Godofred. Abau loc. citat.*

14 Hinc sustulit *Idem Decius num.* 2. quod si in his casibus Judex primæ instantiæ non fuerit citatus, sententia Judicis appellationis (qua primus Judex condemnatur ad expensas vel ad alias poenas quia processit exempli gratia contra formam, *cap. quoniam contra de probat.*; vel *cap. cum sacro de sentent. excomm.*, vel *cap. medicinalis de sentent. excom. in* 6. vel *cap. cum æterni de re judic. in* 6. *cum similibus*) nullitati subjacet ex defectu citationis, nec ipsum Judicem omnino citandum afficit, propterea, in hujus modi casibus, non sufficit citatio Promotoris Fiscalis Curiæ (ut indistincte a nonnullis perperam observatur), nam Promotor Fiscalis se justificare tenetur coram Judice appellationis super his, quæ spectant ad ejus officium, nempe an rite, & recte aliquod denunciaverit, an defecerit in probationibus, & similibus pertinentibus ad ejus ministerium; non autem in aliis, quæ separate descendunt ex culpa, vel dolo Judicis; tunc enim Judex ipse citari debet specialiter ad se justificandum, nec sufficit citatio simpliciter executa in personam Promotoris Fiscalis Curiæ. Certum est tamen, quod ipso Judice vocato, seu citato, defensiones suas adducere posset per Procuratorem, aut per ipsum Promotorem Fiscalem Curiæ, nam personaliter accedere ad has parandas defensiones nullo Jure obstringitur, *Gloss. in d. cap. speciali verbo coram de appellat.*

15 Cessante autem interesse Judicis in casibus relatis, citari non debet, quoties ipse ad instantiam Partis processisset, ut de communi opinione concludit *Decius in d. consil.* 143. *num.* 2. Verum omittendum non est in hujus modi casu citationem tam Partis, tum Promotoris Fiscalis Curiæ. Etenim iste cum semper assistent a in suam præsset Accusatoribus; quoque cum Accusatore ad Judicium vocatus est, alias sententia nullitati subjiceretur, ex Textu *in l.* 1. *C. de sent. advers. Fisc. lat.* & docent *Abbas in cap. dilectus de rescript.*, *& Anton. de Butr. in cap.* 2. *eod. titul.*, *& in cap. cum speciali de appellat.*, & alii adducti a *Pellegrin. in praxi Vicar. p.* 4. *sect.* 1. *num.* 18. *& seq. &c.*, qui omnia deprompsit de verbo ad verbum a *Petro Foller. in pract. crimin. canon. p.* 2. *verbo denunciatione facta num.* 14., *& seqq. fol. mihi* 68., ubi explicat in quo consistat hujusmodi Promotoris Fiscalis officium.

16 Sed adversus prædicta quis allegare posset observantiam, seu stylum Curiæ, citandi simpliciter in appellationibus Promotorem Fiscalem Curiarum Ecclesiasticarum, nec non ejus Adhærentes, si in causa essent, non autem Judices a quibus appellatur. Ea forte ratione, quod tales Promothores Fiscales in locum Judicis succedunt, & Jura Curiæ tuentur, ut ex *Præposit. in cap. de accusatione* 2. *q.* 8. docet *Foller. loc. cit. num.* 16. ibi — *Promotoris Fiscalis officium, ut brevibus me absolvam, nihil aliud est, nisi officium Judicis, nam in ejus locum succedit secundum Præposit. &c.*, id circo hac de causa in sententiis appellationum condemnantur Promotores Fiscales, & non Judices; Verum an hæc observantia locum habere possit, quando non agitur de simplici revocatione sententiæ, sed de poenando Judicem vel pro interesse & expensis Parti solvendis, vel quia dolo, & inique se gessit? Pro resolutione videbis, ultra deducta, ea quæ docte congerit *Anchar. in cap. Venerabilibus* §. 1. *& 2. de sentent. excom. in* 6. *& Nicol. Boer. decis.* 259. *num.* 12. *& seqq. tom.* 2., *ubi* testatur, in his casibus de stylo Curiarum Franciæ judicem dolo, & inique procedentem esse citandum, & de consimili stylo Curiarum & Senatus Sabaudiæ, *Godofred Abau. loc. cit. n.* 23. *& seqq.*, ne contra inauditum procederetur.

17 Dictum est *in hac observat. num.* 4., quod Fiscus vigore *Bullæ Pii IV. la* 58. *& Pauli V. la* 71. *de reformat.* appellare non prohibetur, sed cognitio admissionis, vel rejectionis appellationis arbitrio Signaturæ remittitur; At hæc intelligenda veniunt non existente Accusatore, seu Instigatore etiam secreto in Causa, etenim his existentibus ita præscribunt Bullæ prædictæ — *Causam appellationis non prosequatur Procurator Fiscalis a sententia contra eum lata, ubi adsit Instigator apertus, vel secretus, nisi data per ipsum Instigatorem* CAUTIONE *de reficiendo expensas tam primæ, quam ulterioris instantiæ in eventum succumbentiæ.*

18 Cujus occasione nonnullæ excitantur, & resolvuntur quæstiones ab aliis ad intelligentiam dictæ Bullæ, usque adeo non tactæ, nec discussæ, & *primo quæritur*, quid veniat nomine *cautionis* a Bullis prædictis expressæ, an nuda promissio Instigatoris, vel fidejussoria esse debeat?, & nudam promissionem contineri, non autem fidejussoriam, eo quia in dictis Apostolicis Constitutionibus nil additum fuit nisi simplex verbum *Cautionis*, probat Textus in *l.* 2. §. *sed siff. de Judic.* ubi Ulpian. inquit — *debebit cavere; sed utrum nuda cautione an satisdatione Marcellus dubitat, mihi videtur sola promissione, quod, & Marcellus scribit*; comprobat magis Imperator *in l. sancimus* 3. *C. de verbor. signif.* ibi — *Sancimus cautionis nomine non esse fidejussoris dationem interpretandam, nisi hoc specialiter verbis scriptum fuerit, nisi enim vel generaliter de satisdatione specialiter sit nominatum, cautione minime fidejussionem sed nudam promissionem significari* & concordat Glossa *in cap. qua Fronte* 25. *de appellat. verbo cautione*, ubi explicando Constitutionem *Alexandr. III.* requirenti cautionem in appellatione ab excommunicatione ante

abso-

abſolutionem, inquit -- *Nomine cautionis ſimplex promiſſio intelligitur, imo juratoria cautio præſtatur*; & in hoc ſenſu conveniunt communiter DD., ut præter *Iaſon. in d. l. 3. num. 1. fol. mihi 161. to. 2.* ubi inquit, quod iſta eſt vera & Communis DD. ſententia, innumeros allegando, docet *Brunnemann. in comment. Codic. libro 6. tit. 38. leg. 3.* potiſſimum quia præſtæ Conſtitutiones a Jure communi deviantes, (quo unicuique appellare licitum eſt) minime intelligi debent de rigoroſa cautione fidejuſſoris, ſed ad terminos Juris communis de nuda promiſſione ipſius Inſtigatoris ſeu Accuſatoris intelligenda veniunt, etenim ex notiſſimis Juris elementis, a Jure communi paſſivam interpretationem recipere debent.

19 Quæ fortius locum ſibi vindicant, quoties Accuſatores, ſeu Inſtigatores fidejuſſoriam invenire nequeunt; cum vero non propterea ab appellatione ſubmoveri debent multoque minus repellendi in defendendis eorum Juribus, ſuffragante Textu in *l. cum non facile 6. ff. ſi cui plus, quam per leg. ibi Cum non facile ſatiſdationem offerre, legatarius, vel fidei commiſſarius poſſit, & futurum ſit, ut propter hic a poſſeſſione liberalitati ex teſtamento ſubmoveatur, nunquid onus ſatiſdationis ei remittendum erit?, quod videtur adjuvari reſcripto Divi Commodi*, & congruunt ad rem doctiſſime tradita, per *Ioann. Melchior. Cletz. in tract. de appellat. cap. 4. num. 73 fol. mihi 207.*

20 Magis hæc urgent animadvertendo, quod ſi *Pius IV.* ſub nomine *cautionis* intelligere voluiſſet fidejuſſoriam cautionem, utique expreſſiſſet, prout *actuale integrum & purum depoſitum, aut cautionem in forma depoſiti* Capitalibus verbis expreſſit *in Conſtit. incip. licet dudum* (*relata per Cartar. poſt tractat. de execut. fol. 175.*) tum de appellatione a pena pecuniaria applicanda *R. C. A.* non admittenda loquutus eſt; imo quia *Pius V. in Conſtit. 24 §. 2.* præfatæ Bullæ rigorem moderatus eſt, ac *fidejuſſoriam Cautionem* loco depoſiti præſcripſit; ſtatuit, quod appellationes admittantur in dictis pecuniariis, præſtita tamen prius *cautione idonea* per appellantem, aut facto actuali depoſito, ut tradita per *Reynold. cap. 32. Supplem. 2. poſt. num. 16 tom 3.* taliter ut Summi Pontifices ſignanter *Idem Pius IV.*, ubi voluerunt cautionem fidejuſſoriam, vel in forma depoſiti expreſſis verbis dixerunt; ubi noluerunt, ſimplex *cautionis* verbum appoſuerunt, intelligendum ad tramites Juris communis vigore dictæ *l. Sancimus C. de verbor. ſignif.*

21 Hæc omnia in puncto Juris ſunt fortiſſima, in Praxi tamen difficillimum eſt his temporibus dictam cautionem ad terminos Juris communis revocare; ſiquidem obſervantia interpretativa introducta in Curia exigendi ab Inſtigatore ſeu Fiſci Adhærente cautionem fidejuſſoriam in Cauſa appellationis, per eum interpoſitæ, magnum impedimentū hac tempeſtate præſtat; obſervantia enim quemadmodum leges, ſtatuta, & Conſtitutiones declarat, & interpetratur *ut ex Bald., Dec., Guid. Papa, & aliis docet Surd. deciſ. 129. n. 19.* ita ab hujuſmodi practica recedendum haud eſſe vociferant Pragmatici omnes, ſignanter ii, qui omne eorum ſtudium impendunt in evolvendis conſuetudinibus & ſtylis in praxi, etſi per abuſum, & contra legis diſpoſitionem introductis, rejecta penitus vera & ingenuina legis cenſura.

Hoc tamen addendum cenſeo, quod ſi appellans Fiſco adhærens ſit Perſona locuples immobilia poſſidens, item bonæ conditionis, & famæ, gravari non debet ad cautionem fidejuſſoriam præſtandam, quia ſat erit ejus promiſſio ad formam Textus *in d. l. ſancimus 3. & in l. ſciendum 15. ff. qui ſatis dar. cogant.* inquit enim ibi J.C. Macer -- *Sciendum eſt Poſſeſſores immobilium rerum ſatiſdare non compelli*, explicans deinde in §. 1. *Qui Poſſeſſores dicantur*, rationem tradit ibi gloſſator *in verbo Non compelli verſic. Indic.*; Nam æquum eſt, quod non cogatur ſatis dare Poſſeſſor rei immobilis, quoties bona, quæ poſſidet ſint idonea, & ſufficientia ad litis æſtimationem, congruit ad idem Text. in *l. 8. C. de princip. agent. in reb. libro 12. ibi -- hi, qui in Sacratiſſima Urbe, vel in Provinciis immobiles poſſident facultates, ad juratoriæ cautioni, & ſubſtantiæ ſuæ creduntur*, & huic ſententiæ accedunt præter *Bartol.*, & *Gulielm. de Cun. in l. illicitas §. ne potentiores ff. de offic. Præſid. Dec. & Cagnol. in l. plus cautionis ff. de regul. Petr. a Plaz. in epitom. delict. p. 1. cap. 7. ante num. 3.*, & perbelle *Franciſc. Herculan. in tract. de cautian. cap. 4. poſt. num. 14.* inquiens, quod quando Promittens eſt ſolvendo, & habet in bonis, ſecurior videtur ſtipulator per hypotecam generalem, vel ſpecialem bonorum, etenim ubi Principalis eſt ſolvendo, fidejuſſor non eſt neceſſarius, quia priuſquam deveniatur ad fidejuſſionem exentiendus eſt Principalis, ex *Auth. præſente C. de fidejuſſ.* cum aliis per eum adductis.

22 Quin turbet interpretativa obſervantia ſuperius expreſſa; potuit enim hæc *cautionis* verbum expreſſum in dicta Conſtitutione, declarare, quod non importet nudam promiſſionem, ſed fidejuſſoriam cautionem, minime autem ſe extendere ulterius ad correctionem alterius citati *Textus in dicta L. ſciendum*, tum quia legis correctio nunquam eſt præſumenda, tum quia duæ ſpecialitates vi alicujus ſtatuti, aut Conſtitutionis elici minime poſſunt, ſignanter in Correctoriis, juxta cenſuram Text. *in L. quod vero contra & in L. Jus ſingulare ff. de legib.*, *Tabor. in th ſaur. Juriſprud lib. 17. cap. 43. §. 5. & Rot. deciſ 475 num 5. p 1. diverſor.*

23 *Secundo in quæſtionem vocatur*, quo tempore dicta cautio per Appellantem præſtanda erit, ut adimpleat præſcriptum dictæ Bullæ? Pro quæſtionis reſolutione præmiſſo, quod Appellanti duo termini a Jure impartiuntur; Primus annus ad committendam Cauſam, Secundus vero annus ad proſequendam appellationem ex decreto *Alexand. III. in cap. cum ſit Romana 5. de appellat.*, & quandoque etiam Tertius annus per viam reſtitutionis in integrum, data impotentia proſequendi, ut Idem Pontifex præſcripſit *in cap. ex ratione, eod. titul.* ibi -- *Verum ſi appellationem biennio elapſo interpoſitam a ſententia proſequuti non ſitis, dummodo proſequtionem ipſius per impotentiam conſtiterit Vos omiſiſſe, nolumus, quod juſtitiæ veſtræ debeat præjudicium generare*, & hoc tam in civilibus, quam in criminalibus, ut late probat *Paſſerin. in ſexto decretal. lib. 2. ad tit. de appel. quæſt. unic. artic. 13. num. 308., & ſeqq.*

24 Ejuſdem Quæſtionis reſolutio depromitur ex verbis dictæ Bullæ, cum enim ea per hæc verba loquatur -- *Cauſam appellationis non proſequatur Procurator fiſcalis*, non dixit *committatur*, *ſed non proſequatur*, apertiſſimum eſt non teneri Appellantem præſtare dictam cautionem, niſi poſt commiſſam appellationis Cauſam, nempe cum poſt primum annum, in ſecundo eam proſequi intenderet; cum vero ab apertis verbis legis, vel ſtatuti propriam ſignificatio-

nem denotantibus, nullo pacto recedendum est juxta censuram Textus *in l. 1. §. si is, qui navem ff. de exercitor. action.*, *in L. 3. §. hæc verba ff. de negot. gestis*, *& in cap. ad audientiam 12. de decim. Cardos. in praxi. Advoc.*, *& Judic. verbo verbum n. 16.* propterea sine fundamento, & contra formam Bullæ a nonnullis Pragmaticis instantia hæc promovetur in principio Appellationis, & statim ac interpositum fuit decretum a signatura -- *signari commissionem* -- confundendo terminum *prosequutionis* cum termino *Commissionis*.

25 Hinc in nna *Feretrana* inter R. D. Jacobum Marcelli, Parochum Montis Cirignoni, & R. D. Octavium Cardelli Fisco adhærent.; cum in anno 1745. idem R. Cardelli appellasset a judicato A. C. in cujus Tribunali dictus Marcelli sponte se constituerat, & absolutionem ex capite Innocentiæ reportaverat, & institum fuisset ex parte dicti Appellati intra annum coram Auditore Sanctissimi, pro præfixione termini Fisco, & Adhærenti ad præstandam dictam cautionem, fuit a præfato doctissimo Præsule rejecta hujusmodi instantia, tanquam incongrue promota intra terminum a Jure Appellanti impartitum, decretum est *per acta Paparotii*, nunc *de Montibus*; Et de tempore, seu dilatione legali, quod non posint restringi, nisi magna concurrente causa, docet *Sanfelic. dec. 208. n. 10. & seq.*

26 *Tertio disquiritur*, an dicta cautio præstanda sit in Urbe, seu in loco Judicij, vel sufficiat prestari intra districtum, seu Provinciam? Exemplum est; Titius nolens judicari a Curia ordinaria de partibus, se costituit, in Tribunali A. C. in quo absolutoriam reportavit Fisco adhærens, & cautionem fidejussoriam tempore habili præstare intendit non in Urbe, seu loco Iudicii, sed extra intra districtum, seu ditionem Ecclesiasticam, approbandam tamen per aliquem Judicem in partibus, dubitatur an audiendus sit? Affirmative respondeo; moveor, Nam cum agatur in facti specie de præstanda cautione non unquam voluntaria, sed necessaria, prodeunte ex præscripto Bullæ, quæmadmodum inficiari nequit, dictam Bullam quoad disposita in ea, passivam a Jure communi recipere interpetrationem, & intelligi ejus verba debere secundum Juris intellectum, ad Text. *in cap. cum dilectus de consuet.*, *in cap. ex part. 3. de verbor. signific.*, *in cap. causam 3. de dol. & in l. 2. ubi Bartol. & DD. C. de noxal. action.*, *Forster. lib. 2. de interpetr. cap. final.*, *Hortman. Pistor. 1. quæst. practic. q. 15.*, *& Schurff. respons. 51. & 56. censur. 1.*, præsertim in hypotesi, in qua agitur de cautione expressa a Bulla, quæ in hoc casu considerari debet tanquam Jus civile, & non Prætorium, ex traditis *per Bartol. in l. 5. num. 5 ff. de verbor. obligat. & ibi Alden. litter. B.*, *& Jason. in l. sancimus 3. num. 7. & seqq.*

27 Ita indubium est, prædictam cautionem prestari posse extra locum Judicii, intra Ecclesiasticam ditionem, & signanter intra Urbis districtum, ut distinguendo cautionem voluntariam a necessaria, mirifice, & individualiter præscriptum legitur a Textu *in leg. si fidejussor. 7. §. si necessaria ff. qui satisdar. cogant* ibi -- *Si necessaria satisdatio fuerit, & non facile Reus possit ea ibi præstare ubi conveniatur, potest audiri si in alia ejusdem Provinciæ Civitate satisdationem præstare paratus sit*, & ibi glossa in *verbo necessaria* necessariam cautionem explicando his verbis -- *Necessaria dicitur, quia ex necessitate a Iure imposita præstatur*, & congruit argum. Text. *in leg. 8. §. Tutor ff. eod. titul.* ibi -- *Necessaria satisdatio est, ad quam quis a lege adstringitur, licet causa fuerit voluntaria*; Joann. Brunneman. *in Pandect. libro 2. tit. 8. leg. 7. num. 3.*, *& Carpzou. par. 3. Jurisprud. constit. 5. d. fin. 3.*

28 Ratio potissima est, siquidem quoties datus fidejussor immobilia possidet, sive in Urbe, & loco Judicii, sive in Provincia, semper idoneus existimatur, ut cubitalibus verbis inquit Imperator in *L. 8. Cod. de princip. agent. in reb. libro 12.* ibi -- *Nullas iisdem concussiones aut vexationes in præbendis fidejussoribus ingeri; sed eos fidejussores, quos locorum defensor existimaverit dare, ita videlicet, ut pro tempore generalium edictorum hi qui vel in Sacratissima Urbe, vel in Provinciis immobiles possident facultates, adjuratoriæ cautioni, & substantiæ suæ credantur*; ratio rationis est; Nam fidejussor existens in eadem Provincia, & eo magis in eodem districtu Urbis sub Jurisdictione Judicis appellationis habetur, ac si esset præsens in loco Judicii, quia citari, & conveniri commode potest, ut ad explicationem Text. *in auth. de fideiussor. cap. 1. §. si vero* docet Glossator ibidem in verbo præsentes *versic. secundo*, *& sexto modo*; de facto in superius expressa *Feretrana* cautio per Adhærentes Fisci præstita fuit in partibus, ut constat ex actis Tribunalis Senatoris Urbis, Judicis Commissarii, in quo producta fuit.

29 Hæc adeo verissima sunt, ut quoque in cautione voluntaria, quæ præstatur per Reum Carceratum ad effectum obtinendi relaxationem a carceribus, & habilitari, admitti debeat fidejussio extra locum Judicii sub dominio ejusdem Principis Supremi, data impotentia reperiendi fidejussores in loco Judicii, (ut sæpe sæpius in forensibus contingit) prout declarando dictum *Julii Claris*, optime probat *Farin. in quæst. 33. num. 42.*

30 Quin objici valeat, quod Textus *in d. l. 7. §. necessaria* loquitur de Reo, non extendendus ad fisci Adhærentem Actoris vices habentem, ut in quadam causa a quodam Pragmatico persunctorie objectum est; siquidem spiritus, & litera *dictæ legis* in verbo *illo Reus* intelligendus est ad eum qui apud Judicem convenitur ad satisdactionem præstandam, ea ratione, quod in hujusmodi casu conventus ad dandam caotionem prædictam, Rei vices substinet, etsi in principio Actor in causa fuisset, ut inquit Domitius Vlpian. *in l. nominis ff. de verbor. signific.* ibi -- *Nominis, & Rei appellatio ad omnem contractum, & obligationem pertinet*, & ibi Jacob. *Rigos. in tract. de verbor. signif. §. 3.*, ubi Reus est, qui ex quacumque causa, vel obligatione quid debet, *leg. 2. §. conventiones ff. de verbor. obligat.*, & in hunc sensum generaliter de eo, qui cautionem præstare tenetur, loquuntur, *Bartol.*, *Bald.*, *Alexand.*, *Jason.*, *Gomez.*, *Coler.*, *Farin.*, & alii apud *Vermigliol. consil. 310. num. 1.*, *& seq.*, *& Antonell. de loc. legal. libro 2. cap. 20. num. primo*; nec novum est, quod a principio Actor, postmodum ex accidenti fit Reus, cum super aliqua re, ab ipsomet Reo convento reconvenitur, ad tradita per *Felin. in cap. significaverunt num. 15. de except.*, fortius quia quod Reo competit, etiam Actori, cautionem præstare debenti, competere debet, ad servandam in Judiciis æqualitatem, & ne ad imparia judicarentur, cum Reus, & Actor inter se correlativi sint, & ad imparia judicari non debeant, Text. *in cap. 2. de mutuis petit.*, *leg. final. C. de fructib.*, *& lit. expens. Otton. Tabor. in thesaur. Jurisprud. libro 1. c. 24. §. 8.*

Ad

Ad Titul. III. §. 4. num. 30. , & 32.

De Appellatione.

OBSERVATIO XIX.

SUMMARIUM

1. *Appellatio de Jure civili, omisso medio, interponi nequit ad Principem.*
2. *De Jure canonico recte appellatur ad Papam, Legatum a latere, & Patriarchas.*
3. *Discriminis ratio inter Ius civile, & canonicum.*
4. *Rationes civiles non conveniunt in Jure canonico.*
5. *Quo ad Inferiores appellatio gradatim de Jure etiam canonico interponenda est.*
6. *Religiosi gradatim appellare debent.*
7. Sanctissimi Benedicti XIV. *Constitutio quoque recursus, & querelas comprehendit.*
8. *Rationes cur Religiosi gradatim appellare debeant?*
9. *Ius civile an servetur in omnibus Regnis quo ad appellationes gradatim faciendas.*
   In Regno Neapolitano quid servatur.
10. *A Baronibus habentibus secundas causas non appellatur ad M. C. V.*
11. *Barones promulgare possunt Banna pœnalia ne adeant Vassalli Regia Tribunalia omisso medio, sed pœnæ comminatæ non exiguntur.*
12. *Quid servatur in Regnis Hispaniæ?*
13. *Quid in Germania, & Camera Imperiali?*
14. *In Gallia appellatur, omisso medio.*
15. *Quid in Hollandia, & Ducatu Sabaudiæ.*
16. *Appellatio intra decem dies interponenda.*
   Terminus ab antiquo Pandectarum Iure præfixus.
17. *Prima limitatio ad regulam.*
18. *Tempus decennii a quo tempore incipiat?*
19. *Secunda limitatio.*
20. *De aliis limitationibus remissive.*
21. *Ratificatio appellationis, quo tempore facienda.*
22. *Decendium non currit legitime impedito.*
23. *Hic terminus improrogabilis est.*
24. *Appellatio etiam diebus feriatis interponi potest.*
25. (*An Procurator non appellans intra decendium,*
26. (*præjudicet domino?*

1 Docet hic P. *Ameno num.* 30. Appellationem gradatim esse interponendam non omisso medio; sed disquirendum superest, num hoc ex utroque Iure descendat civili, & canonico? De Jure Civili absolutissimum est, appellationes fieri debere gradatim, nec admitti, omisso medio, etiam ad Principem, ita ex rescriptis *Imperatorum Veri, & Antonini* legitur, *in libro* 1. *de Constitut.* I. C. *Papyrii Just.* ex quo deprompt us est Textus *in leg.* 21. *ff. de appellat.*, & *selat.* ibi — *Imperatores Verus, & Antoninus rescripserunt, appellationes, quæ recto ad principem factæ sunt, omissis bis, ad quos debuerunt fieri, ex imo ordine ad Præsides remitti*; ita quoque præscripsit Justinianus in *§. sit sibi quoque auth. de mandat. Princip. Novell.* 17. *cap.* 3. ibi — *Si vero te non adierit, ad Regiam præsumpserit venire civitatem, & remittemus cum omni correctione*, & *in l. addictus* 30. *ubi glossator. C. de appellat.*

2 De Iure autem canonico ad Romanum Pontificem recte appellatur, ut præter Textum *in cap. ad Romanam* 2. *qu.* 6., decrevit Sixtus Papa epistol. 2. relatus a Gratian. *in cap. si quis vestrum* 2. *q.* 6. ibi — *Si quis vestrum pulsatus fuerit in aliqua adversitate, libenter hanc Sanctam, & Apostolicam Sedem appellet, & ad ipsam tanquam ad caput, suffragium habet*; concordat Text. *in cap. omnes Episcopi* 2. *qu.* 6., quod privilegium a sanctionibus canonicis extenditur etiam ad Legatum a latere Summi Pontificis, per Text. *in cap.* 1. *de offic. legat.* eo quod facta a Legatis a latere a Sancta Sede facta videntur. *cap. si Abbatem* 36. *de elect. in* 6., faciunt Text. *in cap. ad Romanam* il 1. 2. *qu.* 6., *in cap.* 1. *distinct.* 17., & *cap.* 53. *de election.*

3 Discriminis ratio ex eo provenit, nam Jure civili ideo non licet appellare, omisso, medio ad Principem, tum ne occupationum multitudine Princeps obruatur; *argum. l.* 1. *C. Theodos. de relat.*; tum etiam ne mediorum Iudicum auctoritas in contemptu habeatur, & ne Jurisdictiones confundantur, *l. Nemo C. de Iurisd. omn. Iudic*; Verum inspecto Jure canonico, licet omisso medio Principem adire, nam ipse ob eximiam ejus potestatem, quam in Ecclesia habet, Ordinarius est Ordinariorum, *d. cap. si quis vestrum* 3. *cap. per tuas de sentent. excommun.*, idcirco Summus Pontifex per supplicationem ab omnibus adiri, & invocari potest, cum omnium sit Judex Ordinarius, *cap. cuncta per mundum*, & *cap. per Principem* 9. *quæst.* 3.; Hinc æquum est, ut judicia totius Ecclesiæ ad Ecclesiam Romanam referantur, *cap. arguta sapientia*, & *cap. ideo* 2. *q.* 6.

4 Quin objici possit, rationes consideratas quoad Imperatorem, quoque in Summo Pontifice convenire posse; etenim huic argumento docte satisfacit *Reiffenstuell in Ius canon. lib.* 2. *titul.* 27. *de appellat.* § 3. *num.* 17, considerando, quod minime urget in Summo Pontifice nimia appellationum frequentia, & ingens negotiorum moles, etenim Is tanquam communis omnium Pater, erectis quamplurimis Sacris Congregationibus, satisfacere poterit singulorum necessitatibus; tum propterea quia non ita in Ecclesiasticis agendum est negotiis, sicut in secularibus, *cap. non ita* 2. *quæst.* 6., neque Jurisdictionum confusio considerari potest, dum consideratur hujusmodi privilegium specialiter concessum esse Sanctæ Sedi Apostolicæ, *cap. ideo* 2. *qu* 6.

5 Excepto tamen *Pontifice, ejusque Legato a latere, nec non Patriarchis majoribus* (imo minoribus, ut nonnulli ampliant), quibus hoc privilegium quoque competere existimat glossator *in cap. renovantes dist.* 22. *per* Text. *in cap. si clericus* 11. *q.* 1., & *in cap. antiqua* 23. *versu In omnibus de privil.*, quo ad alios Inferiores, appellationes de Jure canonico fieri etiam debent gradatim, ut est Textus *in cap. dilect.* 76 *de appellat.*, cum concordantibus apud *Vigel. in method. Jur. Canonic. libro* 2. *tit. de appell.*, *Clem.* 2. *de appell. cap.* 4. *num.* 17., & *Rossell. histor. Pontific. Jurisdict. cap. final.*

6 Secundum hic tradita, gradatim appellatio interponenda est inter Religiosos ordinis Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia, ut *in d. nu.* 30. explicat Auctor, tum ex constitutionibus generalibus Ordinis, tum ex Constitutione *S. M. Gregorii XIII.*, eo magis in hac tempestate, attenta novissima *Constitutione* Sanctissimi D. Nostri Papæ *Benedicti XIV. incip. Sacrosancti Apostolatus* edita die

die 11. *Augusti* 1748., (per extensum relata in hoc secundo volum fol. 281.) qua confirmatur & approbatur Decretum S. Congreg. Regularium anno 1587. edito, & expresse mandatur, ut gradatim a gravamine appelletur, scilicet a Guardiano ad Provincialem, a Provinciali ad Commissarium Generalem Familiæ (si de negotio & causa agatur familiam dicti Commissarii concernente, alias immediate ad Generalem), & ab isto ad Ministrum Generalem, taliter ut causæ hujusmodi appellationis antequam ab eodem Ministro Generali cognitæ, & definitæ fuerint, extra dictum Ordinem deferri, & agitari nequeat.

7 Quam Legem ampliat Summus Pontifex non solum in appellationibus, verum etiam in quibuscumque recursibus, & querelis, ut *in §. quam quidem*, quod ex Jure communi insurgere potuisset, an sub appellationis nomine recursus, & querelæ quoque gradatim faciendæ essent, & comprehenderentur? etenim hoc cubitalibus verbis fuit expressum, prout etiam silet *quæstio nullitatis*, quam pariter in eadem Constitutione definita est, his verbis --*sub pœna nullitatis actorum inde sequutorum*, nec pro hujusmodi nullitate, exigenda est oppositio Appellati, seu alterius, cujus interest in Religione, siquidem in ea *in §. demum* expresse mandatur *omnibus Romanæ Curiæ Tribunalibus, Judicibus, & quibusvis S. R. E. Cardinalium Congregationibus, nec non S. Sedis Apostolicæ Nunciis, ne Fratrum dicti Ordinis recursus, aut appellationes super cujuscumque causa cognitione admittant, causasque ipsas cognoscant; nisi prius eis legitime constiterit illas, juxta præinsertum decretum, per dictos superiores, præscripto ordine servato, cognitas, & definitas fuisse sub pœna nullitatis actorum &c.* taliter ut ipsi Judices prospicere debent, ne appellationes, & recursus admittant, nisi eis constiterit, *gradatim juxta præscriptum ordinem* interpositas fuisse, ne nulliter agerent quod etiam de Jure communi in terminis hujusmodi prohibitionum dispositum est in *leg. non dubium ff. de legib.*

8 Rationes, cur Religiosorum appellationes, & recursus nonnisi gradatim admittendæ sint, optime ante dictam Constitutionem tradiderunt *Suarez. t. 4. de Relig. libro 2. cap. 11. num. 17. & P. Caspar Mallechich in suo Samaritan. tract. 3. cap. 2. sect. 3. de appellat, num. 77.*, & ea præcipua est *propter bonum Religionum, ut defectus Religiosorum maneant secreti, & judicentur intra Religiones*; idcirco *ex Lezan. quæst. Regular. tom. prim. cap. 9. num. 6.* subdit Idem P. *Mallechich.* quod Cisterciensibus interdicta est appellatio, etiam ad S. Sedem Apostolicam, sub pœna excommunicationis, prout etiam Minoribus, ac Canonicis Regularibus *a Julio II.*

9 Sed an dispositio Juris civilis, quo appellationes interponi prohibentur, omisso medio, etiam ad Principes, ad Regia tribunalia hodiernis temporibus procedant juxta particulares Regnorũ sanctiones Quo ad Regnum Neapolitanum extat *Ritus M. C. V. 52. & 62. nec non Constit. Regni incip. cum Nova*, quibus præscribitur, quemcumque, omisso medio, a quolibet Judice appellare posse ad Regis Tribunal, ut est Magna Curia Vicariæ; *Petra in d. rit. 62. n. 3. & seq.*

10 Verum dicta Jura interpetrationem habuerunt, ut locum non habeant quo ad Barones in privilegiis habentes quoque secundas causas, seu secundam instantiam; etenim Barone conquærente, appellatio remitti debet ad Judicem secundarum causarum ipsius Baronis, ad tradita per *Caravit in dicto rit. 52. num. 2.*, *Muscatell. in praxi appell. parte prima Gloss. tenebitur num. 4.*, *Capiblanc. de Baron, pragm. 3. post num. 158.*, *Anna singul. 82.*, & *late Scyaloja de for. compet. cap. 51. num. 14.*, ubi omnibus objectis occurrit.

11 Idcirco licitum est Baronibus facere pœnalia banna, ut ejus Vassalli pro gravaminibus accedant ad Judicem secundarum causarum ipsius Baronis, & non accedant ad alia suprema Tribunalia Principis, *ut ex Novar.*, *Guazzin. & Capiblanc.* docet *Idem Scyaloja n. 15.*, & innumeros alios ad saturitatem congerunt *Altimar. de nullit. sentent. rubric. 3. q. 25. num. 35.*, & *Novar. de gravam. Vassall. tom. 3. gravam. 21. num. 3.* ubi explicat; & *Scacc. de appel. q. 7. num. 33. num. 75.* firmat, quod etiam Barones status Ecclesiastici possunt Vassallis interdicere, ne per saltum appellent ad Principem, & sequitur *Guazzin. defens. 36. capit. 17. num. 3.*, Sed comminatas pœnas non exigi in casu contraventionis, mordicus tenet Francisc. Meroll. *in theol. moral. t. 3. disp. 7. cap. 2. num. 97.*; *ubi ita judicatum refert*, & alios congerit *Altimar. d. q. 26. num. 37.*, & *Montan. de regalib. tit. Potestat Const. magistr. n. 27.*

12 In Regno Hispaniarum vigore *l. 18. tit. 22. p. 3.*, *l. 1. tit. 1. 1. libro 4.*, & *l. 14. tit. 18. l. 4. Recopilat.* recte appellatur ad Regem, omisso medio, *Azeved. in d. l. 1. num. 18. libr. 4. nu. 21. & seqq.* ubi excipit sententias, Comitis de l'Almiranda vigore legis particularis illius Regni, *Covar. practic. cap. 4. num. 9.*

13 Quo ad Imperium, & Cameram Imperialem diversæ sunt ordinationes, latius congestæ per Andream *Gaill. practicar. observ. libro primo observ. 1. per tot.*, & *per Joach. Mysing. pract. observ. centur. 1. observ. 68.*, & *centur 3. observ. 55.* duo Judicia Cameræ citat quibus recepta fuit appellatio omisso medio.

14 In Gallia appellatur ad Curiam supremam omisso medio, signanter in criminalibus, in quibus agitur de pœna corporali, *ex constitut. Regia de an. 1534.* edita, & plura alia congerit *Rebuff. in tract. de appell. artic. 2. Gloss. unic. tom. 3. comment. ad Constit. Reg.* De Jure Belgico, videbis *Paul. Christin decis. Belgic. 11. num. 4. tom. 1. & decis. 13. & 14. tom. 1.*

15 De Brabantia in Hollandia, ex artic. Curiæ Brabant. 598. explicat *Joann. Voet in Pandectas. libro 49. tit. l. ante num. 2. tom. 2.*, Et de Ducatu Sabaudiæ, signanter in criminalibus, decretum Senatus refert *Godefred. Abaro de reatib. qu. 28. n. 1.* ubi in causis reatuum, in quibus pœna corporalis est imponenda, appellatio ad Senatum Sabaudiæ, omisso medio, fieri debet; & quo ad alios casus, in quibus, seclusis particularibus sanctionibus liceat appellare ad Superiorem, omisso medio, plura tradit *Reiffenstuell in Ius canon. libro 2. t. 28. §. 3. num. 54. & seqq. tom. 2.*

16 Tradit Auctor *in §. 5. num. 32.* quod appellatio interposita post decendium est nulla, nisi ageretur de gravamine successivo, ad quod comprobandum ultra leges canonicas, & civiles per eum allegatas, addi potest de Jure canonico Text. in *cap. quo ad consultationem 5. de re judic.*, & *in cap. anteriorem 2. qu. 6.*, & de Jure Codicis, & authent. *Text in auth. hodie C. de appellat. in novell. 23.*, & *in §. si quis contra aliquem, auth. de Sanctiss. Episcop. Novell. 173.*; Verum de antiquo Jure Pandectarum ap-

appellabatur in scriptis intra biduum in causa propria, & in causa aliena per Procuratorem intra triduum a tempore latæ sententiæ, vel a tempore, quo Judicii copia haberi, & libellus ei offerri poterat; *l. 1. §. biduum cum seqq.*, *& l. 2. ff. quand. appelland. sit*, & Primum tempus interponendæ appellationis dixit Dominus *Ulpian. in l. 1. ff de vicat. maner.* quando verbo appellandum est? illico, seu confestim, pronunciata sententia, & sedente Judice in Tribunali appellatur; vel si in scriptis lata fuerit, eodem die apud acta: & de antiquis appellationibus, quomodo interponebantur, docet *Iacob. Raynd. varior. de Iuris ambig. libro 5. c. 10. num. 3. fol. mihi* 94.

17 Primo Excipe a regula posita *per Authorem*; cum quis post latam sententiam ejus nullitatem experiatur; siquidem post quam lapsi fuerint decem dies in nullitatis prosequutione, & post illos alii plures, si succubuerit in nullitatis actione, poterit ad appellationis beneficium convolare, ex injustitiæ capite, non obstante lapsu decendii, juxta doctrinam *Cyni*, *Bald.*, *& Pauli de Cast. in l. contra majorem C. de inoffic. testam.*, *& in l. qui testamento C. de excusat. tutor.*, *Raphal. Cuman. consil.* 162.

18 An vero terminus appellandi currat a die scientiæ, an vero a die latæ sententiæ? late explicat *Altimar. de nullit. rubr. 8. q. 5. num. 2. & seqq.*, ubi pro conciliandis diffidentium DD. opinionibus, duos distinguit casus, & de sententia conditionali, quod computentur decem dies ad appellandum a die sententiæ, non autem a die existentis conditionis, *l. 1. §. biduum ff. quand. appelland. sit*, *cap. biduum 2. q. 6.*, *Gratian. discept. Forens. c. 364. num. 24. Anton. l. de tempor. legal lib. 4. c. 23 n. 2.*

19 Secundo excipe a prædicta regula condemnatum in sententia excommunicationis conditionali, vel sub certo termino, in hac enim appellare licet post ipsum decem dierum, ante tamen conditionis impletamentum, vel ante adventum temporis, *cap. præterea 40. ubi Gloss. in verbo impedire, de appell.*, *Guttierez canon. qq. lib. 1. cap. 4. num. 25.*, *Lancellot. de attent. part. 2. cap. 12. limit. 21. prin ip. num. 35.*, *& limit. 50. num 108.*, *Pax Jordan. Lucubrat. lib. 14. tit. 26. num.* 589.

20 Alias exceptiones, in quibus appellatio post decendium admittitur, recensit *Iulius Cæsar Ruginell in tract. de appell. § 4. cap. 1. nu. 49. & seqq.*, *ubi 15 recenset*, signanter a gravamine successivo, & continuo, exemplificato a *Guazzin. de fens. 36. cap. 1. nu. 5.*, a *Farin in fragm. crimin. litter. A. num.* 236. & ab *Author. hic num. 32.* in detento in carceribus, & in condemnato ad triremes, vel relegationem, vel exilium, quod tamen quo ad carceratum, quatuor modis limitat *Io. Carol Antonell. de temper. legal. cap. 23. lib. 4. nu 14.*, ubi allegat quamplurimos concordantes, & generaliter in causis reatuum, quia semper durat gravamen omni die *Godofred. Abavo de reatib. quæst. 29. num* 54.

21 De appellatione interposita a non habente mandatum, an ratificari debeat intra decem dies, intra quos appellatio interponi debeat, vel a die scientiæ, appellationis interpositæ? Hine inde tradit opiniones *Ruginell. loc. citat. num. 9.*, & placet Sententia *Cancer. variar. lib. 3. cap. 12. n. 55.*, *& seqq.* quod terminus decem dierum currat a die scientiæ interpositæ appellationis, tanquam æquior, cum imputari non possit culpa, nec tacite renunciatio Ratificanti ante habitam notionem, *Magon. decis. Lucens. 6. num.* 25.

22 Insuper terminus prædictus ad appellandum non currit ei, qui fuit impeditus adire Iudicem a quo, vel Judicem ad quem, etenim Impedito non currit tempus, *l. 1. §. final. C. de annal. præscript.*, *& l. 1. C. de bon. quæ liber. Altimar. d. quæst 5. nu. 30.* ubi innumeros refert, & *ex Franc. de protest.* concludit; in hoc casu necessariam esse protestationem, si commode fieri potest coram honestis Viris, sed quando impedimentum excuset, docet *Antonell. de tempor. legal lib. 1. cap. 15. per tot.*

23 De hujusmodi termino decem dierum ad appellandum, quod ullo modo non possit per Judicem, nec per Partes tacite, vel expresse prorogari, aut coarctari, quia tempus est pro forma actus a lege præfixum, docent *Gloss Dec.*, *Matant*, *Rovit.*, *& alii, relat. per Joseph. Amendol. in praxi part. 3. tit. 5 de appell. num.* 61.

24 Quod appellatio interponi, & admitti possit, etiam in diebus feriatis in honorem Dei, licet secus esset in ejus prosequutione, ex *Abbat.*, *Bartol.*, *& Felin.* firmat *Gratian. decis. 5. per tot.*, etenim appellatio est actus extrajudicialis, explendus quoque die feriata, ut probat *Idem Gratian. num. 2. & 7.*, ubi quamplura notabilia infert, & hanc sententiam sequuntur *Antonell. de tempor. legal. lib. 4. cap. 9. post num 7. Scacc. de Iudic. lib. 2. cap. 5. num 80. & seq.*, *& Pax Iordan lucubr. lib. 11. tit. 1. n.* 190.

25 Quid dicendum, si Procurator in actis constitutus intra decendium non appellaverit, an Principalis post decem dies appellare possit? Quæstio hæc decisa videtur, per Text. *in l. 1.*, *§. final ff. quand. appelland. juncta leg. ab executore 4. §. secundo alio ff. eod. titul.* in hæc verba -- *Quod autem dicitur, Absentem posse provocare, ex quo scit, sic accipit, si non ex causa per Procuratorem defensus est, nam si ille non provocavit, DIFFICILE EST ut audiatur*, etenim Jurisconsulti solicerant sententiam suam, si quid difficultatis, aut dubii subesset, honestis verbis exprimere, uti animadvertit *Duarenus lib. 2. disput. cap. 11.*, & uti facit Dominus *Ulpian in dicta l. 1 § fin l.* cujus sententia est, difficile Dominum audiri, ut deinde a tempore scientiæ appellare possit, nam non admittitur post decem dies a tempore prolatæ sententiæ, nisi causa cognita, *Harmen. practic. observ. tit. 19. observat. 3.*, *& Codex fabrian. lib. 7. tit. 26 definit. 27.*; si quidem Procuratoris negligentia in non appellando, Domino nocet, *Græv. ad Gall conclus. 5. lib. 1.*, imputari enim domino debet, qui tali commisit sua negotia, *leg. 23. ad minor.*

26 Hine in hujusmodi casu Procurator mandati actione tenebitur, *l. in Procuratore 13. C. mandat. leg. Procurator. 10. C de Procurat.*, *l qui 46. §. Procurator ff. eod. titul*, si autem Procurator solvendo non sit, actio de dolo danda est, *l. 8 §. 1. ff. mandati*, *l. eleganter 8. § 9.*, *ff. de dol. mal.*, & Dominus beneficio *in integrum* restitutionis subvenitur, *ex l final § plane ff. de eo per quem fact. est*, *Gloss. in cap 2. verbo negligentia de in integr. restit.*, *Gaill. lib. 1. observ.* 45.

Ad Tit. III. § VI. n. 43., *& § XV. qu. 1. n.* 78.

De Appellatione.
OBSERVATIO XX.
SUMMARIUM.

1. *Acta primæ instantiæ transmitti debent ad Judicem ad quem de Iure civili.*

Item

2. *Item de Iure canonico, & in vim* Concilij Tridentin., *sed cujus expensis?*
3. *Declaratur dispositio* Tridentini sess. 13. cap. 3.
4. *Pauperi deben: tradi per Notarium acta gratis.*
5. *Quod etiam de Iure communi statutum est.*
6. *Paupertas quomodo probetur?*
7. (*Arbitrium Judicis debet esse a Jure regulatum*
8. (*non cervilloticum.*
9. (*Traditur doctrina* Gratian. *quo ad probationem*
10. (*Paupertatis.*
11. *Quis dicatur Pauper in casu.*
12. *Religiosi laborant notoria Papertate, ideo nihil solvere debent.*
13. *De usu Apostolorum remissive.*
14. *Quantum exigere possunt Notarii pro copiis Processuum.*
15. *Traditur Praxis cum per Curiam Appellatam acta non trasmittantur.*
16. *Contradictæ an servari debeant in criminalibus de necessitate?*
17. *An in productione Processus coram Iudice ad quem citandus sit Appellatus?*
18. *Quid de Stylo Tribunalis A. C.*
19. *Quando Appellatus teneatur ipse Acta suis sumptibus transmittere.*
20. *Qui appellationem prosequi instat acta transmittere tenetur.*
Regula declaratur.
21. *Quando Appellatus in causis commissariis licitum sit prævenire appellantem? remissive.*
22. *Plura quo ad trasportationem actorum remissive.*
23. *Tribunal A. C. potest tantum admittere spontaneas constitutiones Reorum.*
24. *Quid præcipit Concilium Romanum in hoc casu quo ad transmissionem actorum.*
Cujus sumptibus in Praxi fiant?
25. *Acta fieri debent, & impinguari ab Ordinario,*
26. *De Habilitatione Reorum remissive.*
27. *Religiosis quando appellare liceat, remissive.*
28. *Adnectitur Constitutio Summi Pontificis* Benedicti XIV. incip. Ad Militantis Ecclesiæ, *Appellat. causas respic.*

1 Hic *num.* 43. loquitur *P. Ameno* de transmissione actorum ad Judicem Appellationis; Cum enim appellatio introducta sit, ut per eam iniquitas Iudicantium, & imperitia corrigatur, ex responso Domitii Vlpiani *in leg. 1. ff. de appellat.*; unde Bald. *in Leg. unic. C. si de moment. possess.* provocationem appellat theriacam contra Judicis venenum; propterea edi, & trasmitti acta prioris instantiæ debent coram Judice appellationis, ut recognoscat, & videat; de Jure civili ita præcipit Constantin. Imperator. in Leg. *nec causa* 15. *C. de appellat.*, & alibi præscriptum est *in l. a Proconsulibus* 19., *in l. præcipimus* 22. §. *ex his autem C. de tempor. appell.*, *in* §. *ad hæc sancimus novell.* 126. *auth. de appellat.*, *& in novell.* 422., nec non in Pandectis Paulus I C. *in l. in fraudem* 45. §. *quoties apud Fiscum ff. de Iure Fisci.*

2 De Jure canonico in Curiis Ecclesiasticis cautum est *in cap. final. 2. qu. 6.*, *in cap. quoniam, & final. de probat. in Cap. Romana* §. *si vero* §. *si obiiciatur &* §. *si autem de appell. in 6.*, & novissime per Concil. *Trident. session. 13. cap. 3. de reform.* ibi -- *Reus, ab Episcopo, aut ejus Vicario in spiritualibus generali in criminali Causa appellans coram Iudice ad quem appellavit, acta primæ instantiæ omnino producat; Is autem, a quo appellatum fuerit, intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat, alioquin absque eis, Causa appellationis hujusmodi Prout Iustitia suaserit, terminetur*, & in session. 24. *cap. 20.* §. præterea de reform. ibi -- *Præterea si quis in casibus a Iure permissis appellaverit; teneatur acta omnia coram Episcopo gesta ad Iudicem appellationis expensis suis transferre &c. quod si appellatus comparuerit, cogatur tunc Is quoque actorum quæ translata sunt, expensas pro portione sua, si illis uti voluerit, subire, nisi aliter ex loci consuetudine servetur, ut scilicet ad appellantem integrum hoc onus pertineat. Porro ipsam actorum Copiam teneatur Notarius congrua mercede accepta, Appellanti quam citius, & ad minus intra mensem exhibere.*

3 Verum cum dispositio Tridentin. *in session. 13. c. 3.* contraria appareat alteri dispositioni *session. 24. cap. 20.*, quo ad expensas hujusmodi actorum, etenim primo loco *gratis acta postulanti exhibenda præcipit*, inde autem *in d. cap. 20.*, soluta congrua mercede Notario, tradenda esse mandat; ita conciliantur *a Iacob. Stroz. in tractat. de Vicar. Episcop. lib. 3 qu. 9.*, quod *cap. 3. session. 13.* respicit Personam Iudicis seu Vicarii, ut ipse debeat gratis intra triginta dies Appellanti acta exhibere; altera vero dispositio *cap. 20. session. 24.*, Notarium prospicit, quod non teneatur copiam dare intra mensem nisi recepta congrua mercede, & ita decisum refert *Aldan. in compend. canon. resol. lib. 5. tit. 8. nu. 30.* & consimilem decisionem & conciliationem refert *Ioan. Maria Novar. in practicab. conclus. verbo acta conclus. 2. num. 2.*, ubi alios allegat, & sequitur Ioann. Baptista *Ventrigl. in tractat. de Iurisd. Archiep. cap. 143. post num. 7.*, *& Barbos. ad Concil. Trident. d. session. 13. cap. 3. num. 2.*

4 Verum si Appellans sit Pauper, Notarius nullam mercedem exigere potest, ut mandat Concilium *Roman. in append. ad tit.* XIV. *decretorum Clement. VIII.* §. *cum in hujusmodi* iis verbis -- *ideoque Sanctitas sua mandat, quod Pauperibus condonentur Sportulæ & emolumenta quæcumque etiam Cancellariæ, & aliæ quæcumque expeditiones gratis dentur etiam copiæ actorum trasmittendorum ad Judices ad quos, & quo ad qualitatem Paupertatis, hæc summarie cognoscantur per testes gratis etiam examinandos, & de ea stetur arbitrio ipsius Ordinarii, & Judicis, seria onerando conscientiam Ordinariorum, & Iudicum &c.*, ac inde in §. Itidem -- ibi *ITIDEM SANCTITAS SUA quo ad Tribunal A. C. mandavit inviolabiliter servari reformationem Pauli Papæ V. in Constit. Univers. Agri* §. 20., *videlicet ut Pauperibus dentur gratis extractus, registra, Instrumenta etiam publica, copiæ & aliæ quæcumque expeditiones, & scripturæ, tam civiles, quam criminales, & ostendantur etiam Originalia Pauperum Advocato, & Procuratori similiter gratis, & absque ulla impensa.*

5 Quod etiam de Jure communi descendit, quo Notarii Pauperibus gratis inservire tenentur, & gratis suas scripturas exhibere, *Glossa in l. tam dementis C. de episc. aud. Rip. in l. centuric num. 35. ff. de vulgar. & Rot. decis. 2. de constit. in antiq.* ita quod Judex Appellationis potest mandare Notario, ut gratis acta consignet Pauperi Appellanti; quinimo illum cogere sub pœna Privationis officii, ad tradita per *Novar. d. conclus. 2. nu. 5.*

6 Et quo ad probationem Paupertatis Idem Concilium Romanum ita subdit -- *Et si quando contin-*

ge-

gerit probandam esse Paupertatem , testes similiter gratis , & summarie examinentur , & de Paupertate stetur arbitrio Iudicis , addito per Sanctitatem Suam , quod in casu gravaminis Iudicis quo ad paupertatem non admissam , recurri valeat ad Auditorem pro tempore Summi Pontificis , qui debita Charitate servari faciat , quod æquum erit ; prædictaque omnia mandat Sanctissimus servari in quibuscumque Curiis Urbis inviolabiliter .

7 Et nota,quod hujusmodi Judicis arbitrium in probatione Paupertatis debet esse regulatum a Jure , & non cervelloticum , proinde vigore arbitrii concessi Judici , non potest ipse prætermittere , quæ a Jure statuta sunt, sed Juris regulis se conformare *l. fideicommissa §. quamquam ff. de legat. 3.* , *Felin. in cap. exceptionum , de except.* , *Ferret. consil. 51. post num. 5.* , & semper quod æquum est attendere debet , *Bartol. in l. 5. versic. ad istam C. de legib.* , *Bald. in l. si quis. major. C. de transact.* , etenim arbitrii appellatione non venit libera voluntas , sed arbitrium boni Viri ; nisi addatur *plenum* arbitrium quia tum importat Voluntatem a Iure non regulatam , per *Text. in l. si in lege ff. locat Bartol. in l. si sic q. 4. ff. de legat. p.* , *Cardin. in clem. sæpe §. 1. quæst. 3. de verbor. signif.* , *Ioan. Andr. in cap. 1. de constit.*

8 Propterea DD. hujusmodi arbitrium regulant juxta Personarum , & rerum qualitatem,*Bartol. in l. si constante num. 14. ubi Alexan. num. 13. Iason. num. 114. & Dec. num 15. ff. solut. matrim.* , *Covar. variar. libro 2. cap. 6. post. num. 17.* , ubi explicat quomodo Paupertas probatur , & de paupertate probanda,*Gratian. discept. Forens cap. 660. n. 1. & seqq. tom. 4.* , ubi quod tutior , & melior modus illam probandi est , quando familiares , seu vicini, vel Conjuncti , vel Informati de bonis alicujus deponunt , quod quis non habet , nisi talia bona, & si plus haberet , ipsi scirent ob præsumptionem dictæ vicinitatis , seu familiaritatis .

9 Subdit tamen *num. 17.* , quod quoties agitur de probatione Paupertatis ad certum effectum non solvendi expensas litis , probandum esset in specie , quod aliquis sit adeo Pauper , ut ejus bona non sufficiant solutioni , quæ controvertitur , & quod expense solvi non possint, nam cum agatur de Paupertate respective ad aliquid , semper est metienda Paupertas respective ad illud , quasi tunc esset arbitrium Iudicis,quod solum procedit , quando Paupertas deduceretur simpliciter , & absolute , an quis sit Pauper nec ne, nemine habito respectu ad certum , & determinatum effectum, ut *post Bald. late distinguit Rot. decis. 4. num 1. & seqq. p.2. divers. & decis. 532. num. 2. , & seqq. p. 2. recent* , cum aliis sibi allegatis .

10 Et in terminis Appellationis *Idem Gratian. in decis. 34. num. 12. & seqq.* ubi Paupertas probatur testibus deponentibus de communi opinione , & reputatione , quem esse Pauperem , maxime quando constat , quem non habere tantum in bonis,unde solvat debitum , de quo contenditur.Et an Pauper dicatur qui potest ex suis laboribus vivere ? dissident inter se *Dec. consil. 576. & Craveta consil. 299. tom. 1.* eos'consule,nec non *Surd. de aliment. tit. 9. qu. 39. num. prim. & seqq.* Et an sufficiat fides Parochi Paupertatem attestatis pro habendis expensis , & sumptibus litis , videbis *Covar. , & Rot. apud Sabbell. in Summ. divers. tractat. §. expensæ ante num. 22. tom. 2.* ubi negative , sed testes examinandi sunt ; De Papertate quomodo præsumatur , & probetur , latissime agit *Mascard. de probat. conclus. 1153. per tot. tom. 3.* Marcell. *Cala de mod. artic. & probandi. §. 2. num. 395. & seqq. fol. mihi 232* , *Scanarol. de Visitat. Carcerat. libr. 2. §. 2. cap. 4. cum seqq.* , & *Cornel. Benincas. in tract. de Paupert. q. 6. per tot. fol. mihi 54.*

11 Sed in casu appellationis , de quo agitur , notandum est , quod Pauper dicitur , qui non habet tantum , quantum requiritur pro obtinendo id, quod agitur,ut ex *Gratian. discept. Forens. cap. 907. libro 5.* docet *Joan. Maria Novar. in practic. conclus. Nov. Juris Pontific. verbo acta conclus. 2. post. n. 3.* quem sequitor Joannes *Baptist. Ventrigl. in tract. de Jurisdict. Archiep. cap. 143. num. 9.* alias si haberet in bonis tantum,ex quo posset solvere dictum debitum non diceretur Pauper,ut ex *Gratian. decis. 34. n. 14. subdit ibi Novar. ante num. 5.*

12 Igitur attenta notoria Paupertate , qua laborant Religiosi Observantiæ Minorum , præscriptum est *in d. §6. tit. 3.* ut admissa appellatione teneatur Judex *a quo concedere copiam actorum gratis* & si aliquis Religiosus appellaret ab alio Tribunali extra Religionem a quo , in casibus permissis condemnatus esset , nec minus adstringi ad hujusmodi mercedem solvendam potest Monasterium juxta exemplum , quod ex *Rovit. in pragm. 4. de Notar. num. prim.* docet Idem *Novar dicta conclus. 2 nu. 5.* ubi loca pia nihil solvunt Notariis pro ipsorum gestis per Textum *in auth. hoc Jus porrectum ubi Gloss. verbo gestis C. de sacros. Eccles.* Nam Religio in se , quoque Paupertate laborat,ut est notissimum .

13 Sed an hodie usus Apostolorum , de quibus loquitur *P. Amen.* servetur in Curia Romana explicat Passerin. *in libro 2. sexti decretal. ad titul. de appellat. qu. unic. artic. 10. num. 259. tom. 2.* ; ubi etiam tradit quid servatur coram Auditore Cameræ; nec non *Rid lphin. in praxi p. 1. titul. de appellat. cap. 13. num. 180.* , ubi quod in Romana Curia ob præsentiam Judicum a quo , & ad quem, parum curatur de ista datione Apostolorum , addo *Al imar. de nullit. rubr. 7. q. 5. num. 12. & seqq. cum Seaccia ibidem allegat.*

14 Stipendium vero,seu merces solvenda Notario pro Copiis hujusmodi Processuum , quanta esse debeat ? Constat ex Taxa Fori Ecclesiarum,seu Curiarum Ecclesiasticarum , facta in vim decreti S Congregationis EE. Cardin. super consultat. Episcop. , relata per *Nicolium in floscul. verbo Taxa, cap. 2. de mercede , & salario Notariorum §. 3 de causis criminalibus num. 19. fol. mihi 709.* ibi -- *Pro copiis Processuum linearum viginti in totum ad utroque latere & quod linea constet ex viginti literis, pro qualibet Facie solidos duos cum dimidio*; atque Idem *Nicol. fol 699. versic. ad cuius* , explicat quod *solidus* importat obulum , Romæ vulgo *Bajocco* .

15 Curia autem Ecclesiastica post intimationem literarum inhibitorialium , & compulsorialium Tribunalis A. C. renuente acta transmittere, nec comparente per Procuratorem ad deducendum sua Jura , aut aliter pro moderati ne dictarum literarum constito in Tribunali , quod Appellans obtulit se promptum , & paratum solvendi Notario mercedem copiæ expediuntur (elapso termino præfixo in dictis literis) literæ requisitoriales pro transmissione actorum intra terminum a Judice præfixum , quo etiam elapso , nec allegato per Curiam aliquo impedimento,cur acta transmittere recuset , iisque non transmis-

sis, instat Appellans coram A.C. pro absolutione ob non transmissionem actorum, & in contumacem obtinebit decretum pro absolutione cum clausula *nisi infra tot dies &c.* quibus elapsis, & nemine ex parte Curiæ impedimentum rationabile allegante, cur acta usque adeo transmissa minime fuere, devenitur ad Absolutionem Appellantis, non solum citato Fisco Generali Curiæ, sed etiam servatis contradictis quo ad Promotorem fiscalem de Partibus ejusque Adhæren. Contumacem, & non comparentem, & ita multoties in Tribunali A. C. practicatum vidi; Hinc si deinde compareret Idem Promotor fiscalis, & instaret pro reintegratione Appellationis, audiendus non est, nisi refectis expensis dicti decreti, ob ejus non paritionem, & contumaciam in non transmittendis actis, lati,

16 Et quamvis juxta late deducta per *Altimar. de nullit. sentent. rubric. 12. quæst. 14 n. 32., & seq.* Contradictæ servantur de urbanitate tantum, & non de necessitate; tamen quia in quadam causa *Montis Falisci Pro D. Capitaneo Terentio Topacchini contra R. Promotorem Fiscalem Curiæ Episcopalis Montis Falisci*, servatæ minime fuere Contradictæ in decreto absolutionis reportato ab A. C. per dictum Topacchini ob non transmissionem Actorum, etsi citatus fuisset Fiscus Generalis, nihilominus R. P. D. Auditor Signaturæ dictum decretum circumscripsit in *Mense Julii 1750, per acta Jacobatii Notarii A. C.* non obstante quod demonstratum esset, quod edicta, & constitutiones Contradictas exquirentes loquuntur in civilibus, consequenter non trahendæ ad causas criminales, quæ specificam, & individualem mentionem exigunt, juxta tradita per *Surd. Consil. 163. n. 1., & seq. tom 2, Farin. consil. 70. n. 13. tom. 1. & consil. 173 n. 2., & 32, & seqq. tom. 2., & Bucceron de different. inter civil., & crimin. differ. 15 num 2., & n. 5.*

17 *Sed in controversiam vocatur*, cum in casibus, in quibus Appellans debet suis sumptibus transportare acta coram Judice Appellationis, citare debeat Appellatum in illarum productione ad dicendum contra Iura in actis producta? Hanc quæstionem movet *Novar. in dicto verbo actu conclus. prima n. 23.*, & utramque opinionem refert, & negativam tenet cum *Rota* ibidem allegata; Pro affirmativa est *Ubertus in formular. citation. p. 3. formul. 2. fol. mihi 101., & 102. p. 2. formul. 1. per totum fol. 45.*, ea ratione motus, quod multa ex adverso opponi possent contra acta producta, nec Judex illis credere debet absque dicta citatione, quia non sunt de actis, limitat tamen *Id. m Ubert. in tracta. de citat. tom. 3. cap. 15. n. 261., & seqq.* quoties Appellatus post talem productionem factam absque citatione, una cum Appellante Judicium appellationis prosequutus esset, nam tunc acta probarent, ac si parte citata producta fuissent; & quod in hoc casu sufficiat Partis præsentia cum taciturnitate, docet *Pax Jordan. lucubrat., tom. 2. lib. 14. tit. 27. n. 4.*, & plures alias limitationes adducit *Rodolphin. in praxi p. 1. cap. 2. n. 118. n. 119., & seqq., & Ubertus in d. cap. 15. num 119., & seqq.*

18 In Tribunali A. C. in criminalibus hujusmodi citatio nunquam practicata fuit in productione Processuum de Partibus, forsan, vel quia illa sigillata sæpe sæpius transmittuntur per Curias Capiti Tribunalis, vel quia amplexa fuit sententia negativa Rotæ, relata, ultra *Novar. n Muscott. variar. resol. libro 2. cap. 43. n. 1., & ab Aloys. Ricc. decis. 113. per 4., & in collectan. decis. 1356.*, vel quia Partes semper acquieverunt, & Appellationis Judicium fuerunt prosequuti, unde nunquam disputatum extitit; propterea ab hujusmodi antiquo stylo, & practica hodiernis temporibus recedendum non est, etenim stylus Tribunalis facit legem, & ab eo non est recedendum, *L. si quando C. de inutr. l. generali et §. in omnibus C. de reb. credit*; late Joseph Amendol. *in praxi p. 2. tit. 19. n. 10., & seqq.*

19 Verum ad intelligentiam regulæ, de qua *nu. 2. & seqq.* animadvertendum est, quod Appellans tenetur ad actorum trasportationem, & solvere expensas, seu mercedem Notario, quando ipse appellationis Causam prosequi desiderat; secus vero si appellatus, existente Appellantis negligentia, hujusmodi appellationem ex adverso interpositam prosequi vellet, & peteret declarari per Judicem ad quem, bene Sententiatum, & male appellatum, & sic confirmandam esse sententiam Judicis a quo (prout facere potest in vim *Text. in l. ampliorem in princip. & in l. In exercendis C. de appellat.*), in hoc namque casu, cum ipsemet Appellatus vices Appellantis faciat, & censeatur Actor instando ut in causa procederetur, si vult effectu sententiæ suæ potiri, & expressam confirmationem habere, acta omnia primæ instantiæ coram Iudice Appellationis edere, & deferre tenetur, *ut ex Vantio, Scacc., Postio, & Thomat,* docet *Altimar. in d. qu. 7. num. 3., & num. 12.*, rationem tradit *Scacc. de appellat. qu. 20. num. 10.*, ubi quoque ostendit, quod in hujusmodi casu locum non habet superius expressa *Tridentini dispositio*, sed ad terminos Juris communis agendum esset.

20 Et generaliter quod acta trasportari debeant ab eo, qui vult causam prosequi, dixit *Rota decis. 28. num 2 & seqq. coram Ubago, decis. 581. num. 3. part. 3., & decis. 577. num. 3. part. 4. tom. 1. recent., decis. 35 num. 34. coram Arguel. decis. 35. num. 53 part. 1. recent.*, notandum tamen quod supradicta procedunt, quoties appellatur a sententia, seu decreto diffinitivo, sed si appellatio interposita esset ab Interloquutoria (intellige in casibus in quibus appellatio non denegatur, quos lata serie congerit *Didac. Sgrol in lucern. Prælat. part. 8. cap. 3. num. 15. & seqq.*), tunc negligente Appellante ad trasportandum acta, citatur Is coram Iudice ad quem pro moderatione literarum inhibitorialium obusque adeo retardatam trasportationem actorum, & praxis est; quod Iudex interloquitur *moderari nisi intra tot dies* (secundum Curiæ, & loci distantiam) *trasportentur acta*, propterea non trasportatis post terminum Appellanti præfixum, Iudex ad quem suam moderari debet inhibitionem, ut dixit *Rot. dec. 621. num. 9. part. 18. tom. 2. & dec. 282. n. 1. p. 19.*

21 Quando autem liceat Appellato in causis Commissariis prævenire Appellantem in impetratione Judicis, late docet *Passerin. in sexto decretal. lib. 2. ad tit. de appellat. qu. unic. artic. 12. num. 288., & seqq*, ubi plures casus distinguit.

22 Item quæ acta debeant exhiberi a Judice a quo, an exempla, vel acta originalia? an cum actis Carceratum trasmittere quoque teneatur ad Judicem ad quem; quæ acta necessario exhibenda sint coram Judice appellationis? & an integra, vel diminuta præsumantur? latissime agit *Parena de Instrument. edit. tit. 3. resol. 1. 2., & 3. tom. 1*, nec non *Altimar. in d. rubr. 5. q. 5. 6. & 7. per tot.* eos consule.

23 Pro coronide adnotandum est, quod Metropolitani, Archiepiscopi, Primates, aut Patriarchæ nec

non

non alii Superiores, etiam Nuntii, vel Legati de latere, in Suffraganeos, eorumque Subditos nequeunt judicare, niſi per viam appellationis; hinc Cauſas in Curiis Ordinariorum, vel aliorum Inferiorum Iudicum pendentes, ad ſe non advocent, niſi per viam legitimæ appellationis ad ipſorum Tribunalia deferantur, ut definitum eſt in *decretis* 2., *&* 2. *Clement. VIII.*, inſertis in Concilio Romano; idcirco in Tribunali dumtaxat A.C. recipi poſſunt Conſtituta Reorum in Cauſis primæ inſtantiæ, & in Cauſis tantum, in quibus de pœnis, corporalibus agitur, habita ratione ad titulum Inquiſitionis, non vero in Cauſis cenſurarum, vel ſimplicis mulctæ, vel declarationis Irregularitatis; vel in aliis cauſis, in quibus dicta poena corporalis non intrat, juxta præſcripta *in Concil. Roman. in append. de appel. tit.* 14. *cap.* 1., ubi etiam additur, quod Regularium Conſtituta nunquam recipiantur, quapropter hodie non habet locum id, quod *ex Fignan.* tradit *Paſſerin. loc. citat. artic.* 18. *num.* 619., & quod talia conſtituta fieri tantum poſſint coram A.C. in criminalibus, non vero coram alio Iudice appellationis, neque in Urbe, neque extra eam, nec etiam in Sacra Congregatione Epiſcoporum, & Regularium, noviſſime confirmatum eſt a Sanctiſſimo *Domino Noſtro Benedicto XIV. in ejus Conſtit. incip. Ad coercendis* §. *Approviamo in primo luogo, promulgata die* 26. *Novembris* 1753. (impreſſa in hoc 2. vol. fol. 291.)

24 Inſuper præſcribitur *in d. Concil. Roman. nu.* 4. nec non *a prælaudata Conſtit.*, quod Conſtituto Reo in carceribus Urbis, primum expediantur a Tribunali A.C. literæ inhibitoriales, & compulſoriales pro traſmiſſione actorum factorum coram Ordinario; verum non explicat, an dicta traſmiſſio fieri debeat ſumptibus ipſius Conſtituti, & ſoluta per eum competenti mercede Notario pro exemplo, ſeu copia actorum, prout expreſſum eſt quoad Appellantem a Concil. *Trident. in ſeſſ.* 24. *cap.* 20. *de reform.* Quapropter quoad dictas Expenſas, & mercedem juxta Iuris communis ſenſum intelligendum eſt, & praxis invaluit in Tribunali A.C., ut dictæ expenſæ, & ſtipendium ad inſtar appellationis, *ſolvantur* per ipſum Conſtitutum, ea forſan ratione, quod ipſe hujuſmodi actorum tranſmiſſionem expoſtulat; attenta regula, quod is tenetur ad expenſas illius actus, cujus gratia, & poſtulatione celebratur actus, ad Text. *in l. ſed etſi* §. 1. *ubi Bartol. ff. de exhib.*; *Bartol. in l. ſi poſtulaverit num.* 2. *ff. ad leg. Jul. de adult.*, *Jaſon. in l. Prætor ait* §. *is etiam ff. de edend.*, *Menoch. de arbitr. caſ.* 228. *num.* 5. *& ſeqq.*, *& Scacc. de Judic. lib.* 2. *cap.* 8. *nu.* 251. *tom.* 2.

25 Præſcribitur etiam in dicto *Concilio Roman.* §. 5., & confirmatur *ab eadem Conſtitut.*, quod ſi acta vel non incepta coram Ordinario, vel ſufficienter impinguata non fuerint, non communicentur Reo, ſed eo retento in carceribus formalibus, committatur Ordinario Proceſſus informativi compilatio, vel reſpective impinguatio facienda expenſis Partis querelantis, vel Fiſci Eccleſiaſtici, ſi ea non adſit, & actis ſufficienter impinguatis, ſervatis ſervandis procedatur ad expeditionem Cauſæ prout de Iure, audita ſemper Parte offenſa, vel ejus Procuratore, nec non Fiſco R. C. A. & Curiarum Epiſcopalium in quolibet actu; quæ omnia *quoad Fiſcum* addita ſunt ad derogationem Juris communis, ſi quidem, eodem Jure attento, cum in cauſam adeſſet Accuſator, opus non eſſet Fiſcum citare, ob rationem, quod Partes Fiſci conquieſcunt exiſtente Accuſatore, juxta regulam *TEXTUS in l.* 2. §. *ſi in publico ff. ad leg. Jul. de adult.*, *Scyaloy. de for. compet. cap.* 10. *num.* 64., *& Rovit. in pragm.* 44. *n.* 9. *de offic. S. R. C.*

26 Plura alia quoad habilitationem Reorum ſe conſtituentium coram A.C., quibus in cauſis competat; quomodo impartienda, & a quibus? Plene habes *in* §. 4. *dicti Concilii Romani*, & latius *in prælaudata Conſtit.* in §. *Quindi è cum ſeqq.*

27 Ad ornatum eorum quæ congerit *P. Amen. in* §. 15. *nu.* 78., quando Religioſis appellare liceat; plura tradit pleniſſime *Paſſer. in ſexto decret. lib.* 2. *ad tit. de appell. artic.* 18. *num.* 540., *& ſeqq.*, *&* *num.* 560. explicat Conſtitutiones Apoſtolicas Regularibus Appellationes prohibentes, *& num.* 612. refert Iudices Eccleſiaſticos, qui poſſunt cauſas Regularium cognoſcere, *& n.* 616. tradit num in cauſis Regularium concedenda ſint monitoria, & inhibitiones ab A.C., vel expediendæ commiſſiones per Signaturam Juſtitiæ: videndus quoque P. Caſpar *Millechich. in ſua Samaritan. tract.* 3. *cap.* 1. *ſect.* 3. *nu.* 79.; & quæ Tribunalia dicantur intra Ordinem, & quæ extra Ordinem explicat P. De *Pitigian Aretin. in praxi crimin. canon. tit. de quarto ſubſtant. Judic. cap.* 10. *de appellat.*, *verſic. Tribunalia fol. mihi* 351., & plura etiam congerit *P. de Angelis Carmelitan. in tract. de ordin. Judic. cap.* 27. *de app. II. num.* 16. *& ſeqq.*

28 Quoniam vero in prælaudata *Conſtit. Summi Pontificis Benedicti XIV. feliciter Regnantis in* §. *Affinche* confirmatur altera ejuſdem Summi Pontificis Conſtitutio incip. *Ad Militantis Eccleſiæ*, in qua recenſentur caſus, in quibus appellare minime licitum eſt, eam hic adnectere ſimul cenſui, ut quiſque videat quanto paterno Zelo, & Summa vigilanti oculatiſſimus Princeps, & Paſtor noſter pro Reipublicæ tranquillitate, inanes, frivolas, & inſubſiſtentes appellationes contra canonicas ſanctiones, antea per abuſum admiſſas in poſterum reiici mandavit.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei,

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

AD Militantis Eccleſiæ Regimen nullo meritorum noſtrorum ſuffragio, ſed imperſcrutabilis conſilii altitudine evocati, inter graves curas, quas aſſidue pro noſtro munere ſubſtinemus, poſtrema illa non eſt, in quam totis viribus Nobis incumbendum eſſe ducimus, ut graves nimium, diuturnæ, nulloque unquam tempore intermiſſæ Epiſcoporum, aliorumque ordinariam juriſdictionem habentium querelæ adverſus maiora Tribunalia, atque illa etiam Noſtræ Romanæ Curiæ propoſitæ, tandem compeſcantur. Intimo ſiquidem animi noſtri mærore cum in minoribus adhuc eſſemus jamdiù intelleximus, pleroſque Locorum Ordinarios conqueri, ſenſim abuſum irrepſiſſe, quod ad malitioſam petentium ſuggeſtionem a Patriarchis, Metropolitanis, S. Sedis a latere Legatis, & diverſis dictæ Romanæ Curiæ judicibus *inhibitiones* ſine delectu cauſæ, & rei, de qua agitur, examine paſſim concedantur; Et quamvis in more poſitum ſit, dictas Inhibitiones indebite expeditas pro Cauſæ meritis revocari, & aboleri, remedium tamen inflicto vulneri non ſatis eſſe dicunt, cum interea oporteat Epiſcopos, alioſque inferiores Iudices in ipſo cauſarum, & judiciorum

cursu occisos immorari jus suum judicialiter asserere, & vindicare, & ad continendos in officio populos gravia sæpe incommoda, & dipendia subire; E contrario Nobis quoque, dum etiam in minoribus essemus, superiorum Judicum responsiones audire contigit, asserentium memoratas querelas inanes esse, nec ulli innixas fundamento, utpote ex hac unica re causam, & originem habentes, quod inferioribus grave est obedientiæ, ac subjectionis jugum erga majora Tribunalia, ipsisque nimis displicet, sibi subditis appellationis beneficio succurri. Porro cum facile hæc dissidia componi, & succrescentia litium semina avelli possint, si quæ a Sacra Tridentina Synodo, ab Apostolicis Constitutionibus, & Congregationum decretis provide sancita sunt, debitę executioni mandentur; Nos idcirco ad conservandam Ecclesiæ disciplinam, restituendamque Tribunalibus formam eisdem Canonicis legibus consentaneam, credito nobis Apostolicæ servitutis Officio, opportune duximus consulendum.

Inhærentes itaque Decretis ejusdem Sacri Concilii, nec non Congregationis Episcoporum, & Regularium jussu, & approbatione rec. mem. Clementis PP. VIII. Prædecessoris Nostri alias editis die 26. Octobris MDC.; Itemque aliis Congregationis Particularis jussu pariter, & approbatione fel. rec. Urbani PP. VIII. similiter Prædecessoris Nostri promulgatis die 5. Septembris MDCXXVI. eorumque declarationibus nuper superadditis a piæ mem. Benedicto XIII. etiam Prædecessore Nostro in Appendice Concilii Romani, aliisque Apostolicis Constitutionibus, hac de re alias æditis, & innovatis, & præsertim Constitutioni piæ mem. Gregorii XV. quæ incipit -- *Inscrutabili* -- sub datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDCXXII. nonis Februarii; districte præcipimus, & mandamus, ne deinceps ab executione Decretorum dicti Sacri Concilii Tridentini in omnibus illis Causis, & negociis, in quibus exequutio hujusmodi Episcopis, & locorum Ordinariis, etiam uti Sedis Apostolicæ Delegatis, ab eodem Sacro Concilio, vel dictis Apostolicis Constitutionibus, appellatione, vel inhibitione quacumque postposita, commissa est, appellatio aliqua in Tribunalibus prædictis recipiatur, vel inhibitiones, citationes generales, vel speciales cum Comissione inserta, Monitoria, & alia huiusmodi, per quæ dictorum Decretorum exequutio retardetur, aut Processus ad ulteriora in eadem exequutione suspendantur, aut impediantur, quoquo modo concedantur.

Itaque a quibuscumque mandatis, prohibitionibus, provisionibus, & statutis tam in visitatione, quam extra pro Divino cultu conservando, & augendo, & præsertim circa ea, quæ observanda, & evitanda sunt in celebratione Missæ, aut alio quovis modo respiciunt exequutionem Decreti Sac. Concilii *sess. 21. de refor. cap. 8., & sess. 22. in Decret. de obser., & evit. in Celebrat. Miss.*

Item a Decretis cogentibus Clericos tam sæculares, quam Regulares etiam Monachos, & exemptos ad publicas Processiones, servata tamen forma Constitutionis sanct. mem. Pij V. quæ incipit -- *Et si mendicantium* -- prout etiam a decretis, & provisionibus super præcedentia inter personas Ecclesiasticas tam sęculares, quam regulares in eisdem Processionibus, vel associatione Defunctorum, Delatione Umbellæ, & huiusmodi; Nec non super observatione Censurarum, etiam Episcopalium, & Festorum Diœcesis juxta dispositionem ejusdem Sacri Concilii *sess. 25. de Regular. cap. 12., & cap. 13.*

Item in omnibus iis, quæ ad curam animarum, & Sacramentorum administratione quoquo modo pertinent, & præsertim adversus Monitiones, Censuras, aut alias provisiones per quas Parochi, aut alii curam animarum exercentes, diebus saltem Dominicis, & festis solemnibus plebis sibi commissas salutaribus verbis pascere compellantur, docendo ea, quæ ad salutem necessaria sunt iuxta decretum Concilii *sess. 5. de reform. cap. 2.*

Item adversus Deputationem Vicariorum etiam perpetuorum, cum assignatione Congruæ, per quos cura animarum exerceatur, quoties plura beneficia curata Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, beneficiis, seu Collegiis, aut piis Locis quibuscumque perpetuo unita, & annexa reperiuntur, juxta præscriptum dicti Sacri Concilii *sess. 7. de Reform. cap. 5., & cap. 7.*, & juxta Constitutionem sanct. mem. Pij V. quæ incipit *Ad exequendum.*

Item adversus visitationem Beneficiorum Curatorum, ut supra perpetuo unitorum, nec non quarumcumque Ecclesiarum quomodolibet exemptarum, prout etiam adversus decreta, & provisiones ab Ordinario capiendas, ut quæ in eis reparatione indigent, reparentur, & cura animarum, si qua illis imminet, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur, juxta dispositionem Sacri Concilii *eadem sess. 7. de Reform. cap. 8., & sess. 21 cap. 7.*

Item a decretis, seu mandatis, per quæ Episcopi, etiam uti Apostolicæ Sedis Delegati in Ecclesiis Parochialibus, aut Baptismalibus, in quibus Populus ita numerosus est, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui Divino peragendo, cogant Rectores vel alios, ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum; Aut etiam invitis Rectoribus procedant ad constitutionem novarum Parochiarum, cum assignatione competentis portionis, ubi ob locorum distantiam, sive difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda accedere non possunt; vel denique propter paupertatem, ut in cæteris casibus a jure permissis deveniunt ad uniones perpetuas aliorum Beneficiorum simplicium, non tamen Regularium iuxta dispositionem Sacri Concilii *Sess. 21. de Reform. cap. 4., & 5., & sess. 24. similiter de reform. cap. 13.*

Item a Deputatione Coadjutorum, aut Vicariorum pro tempore, vel aliis provisionibus ab Episcopo capiendis, etiam tamquam Apostolicæ Sedis Delegato, quando illiterati, & imperiti Parochialium Ecclesiarum Rectores Sacris minus apti sunt officiis cum assignatione partis fructuum pro sufficienti illorum victu: Necnon a suspensione, atque etiam a privatione illorum, qui turpiter, & scandalose vivunt, & postquam præmoniti sunt in sua nequitia incorrigibiles perseverant, juxta præscriptum ejusdem Concilii *d. Sess. 21. de reform. cap. 6.*

Item a translatione Beneficiorum simplicium, etiam jurispatronatus ex Ecclesiis, quæ vetustate, vel alias collapsæ sunt, & ob eorum inopiam nequeunt restaurari, vocatis iis, quorum interest, in Matrices, aut alias Ecclesias cum omnibus emolumentis, & oneribus; Prout etiam a Decretis cogentibus

ſibus Patronos, Rectores, Beneficiatos, aut Parochianos, ſive Populum ad refectionem, & inſtaurationem Eccleſiarum Parochialium, ſervata forma Sacri Concilii *d. Seſſ.* 21. *cap.* 7.

Item a cenſuris, ſequeſtratione, & ſubtractione fructuum, aut aliis quibuſcunque proviſionibus, pro cogendis ad reſidentiam Parochis, cæteriſque omnibus, quibus cura animarum incumbit, juxta decretum eiuſdem Sacri Concilii *Seſſ.* 23. *de reform. c.* 1.

Item a Denegatione, revocatione, ſuſpenſione, vel reſtrictione, & limitatione facultatis audiendi Confeſſiones reſpectu eorum, qui parochiale beneficium non obtinent, etiamſi fuerint Regulares pro excipiendis Confeſſionibus Sæcularium juxta ordinationem Sacri Concilii *Seſſ.* 23. *cap.* 15., & Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones, ac præcipue illam fel. record. Clementis X. quæ incipit -- *Superna.*

Item in illis Civitatitibus, aut locis, ubi vel Parochiales Eccleſiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium Populum quem regant, ſed promiſcue petentibus Sacramenta adminiſtrant, vel etiam nullæ ſunt Parochiales a diviſione, ſeu diſtinctione Parochiarum, earumque ordinatione, ſive inſtitutione in titulum perpetuum, juxta decretum Sacri Concilii *Seſſ.* 24. *de reform. cap.* 13.

Item a Deputatione Vicarii, vel Œconomi cum aſſignatione Congruæ protempore, quo vacat Eccleſia Parochialis: Prout etiam ab indictione concurſus relatione examinatorum, necnon præelectione, & proviſione Epiſcopi in eodem concurſu, juxta definitionem Sacri Concilii *ead. Seſſ* 24. *de Reform. c.* 18.

Item a mandatis, ſeu decretis inhibentibus prædicationem, vel publicas lectiones, aut coercentibus, vel punientibus quoſcumque etiam exemptos, tam ſæculares, quam Regulares, qui in alienis Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, abſque Epiſcopi licentia, & in Eccleſiis ſuis, aut ſuorum Ordinum, non petita illius benedictione, aut ipſo contradicente prædicare præſumpſerint, juxta decretum Sacri Concilii *Seſſ.* 5. *de reform. cap.* 9. & Conſtitutionem piæ mem Gregorii XV. quæ incipit -- *Inſcrutabili* §. *fin.* -- una cum declarationibus contentis in Conſtit. Clementia PP. X. quæ incipit -- *Superna.*

Et generaliter in omnibus iis, quæ pertinent ad curam animarum, & rectam Sacramentorum adminiſtrationem adverſus viſitationem, correctionem, & coercitionem, & quaſcunque alias proviſiones Epiſcopi Diœceſani, etiam quoad exemptas, ſive Sæculares, ſive Regulares, juxta laudatam Conſtitutionem Gregorii XV. quæ incipit *Inſcrutabili.*

Item adverſus quaſcunque proviſiones, & decreta pro conſervanda, aut reſtituenda clauſuram Sanctimonialium, aut pro correctione, ſeu punitione eorum, qui circa perſonas intra Monaſteria degentes, aut circa clauſuram, vel circa bonorum adminiſtrationem deliquerint. Prout etiam ab examine pro approbatione, vel reprobatione Confeſſariorum ſive Regularium, ſive Sæcularium quomodocunque exemptorum, & tam Ordinariorum, quam extraordinariorum pro excipiendis Confeſſionibus Monialium, etiam Regularibus ſubjectarum; Itemque a decretis, vel aliis quibuſcunque proviſionibus cogentibus adminiſtratores, ſive Sæculares, ſive Regulares quomodolibet exemptos ad reddendam ſingulis annis rationem bonorum ad Monaſteria Sanctimonialium hujuſmodi pertinentium: ac demum a quibuſcunque decretis ſuper amotione Cappellanorum, Sacriſtarum, & aliorum quorumcumque Officialium, & Miniſtrorum, tam Sæcularium, quam Regularium ipſis Monialibus, vel eorum Eccleſiis inſervientium, juxta diſpoſitionem Sacri Concilii *Seſſ.* 25. *de Regul.*, *& Monial. cap.* 5. *cap.* 9., *&* *cap.* 10. ſervata tamen quoad Regulares, & exemptos forma prædictæ Conſtitutionis rec. mem. Gregorii XV. quæ incipit -- *Inſcrutabili.*

Item adverſus paſtoralem viſitationem Diœceſis, & præſertim Monaſteriorum commendatorum, Abbatiarum, Prioratuum, & Præpoſiturarum, in quibus non viget Regularis obſervantia, nec non Beneficiorum tam Curatorum, quam non Curatorum Sæcularium, & Regularium qualitercumque commendatorum, etiam exemptorum: Prout etiam ab exequtione eorum, qui in ipſa viſitatione mandata, decreta, aut judicata fuerint: Necnon ſimiliter a quibuſcumque decretis & proviſionibus etiam extra viſitationem pro conſervatione, vel reparatione Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quoad vitam, mores, & honeſtatem quorumcumque Clericorum, luſſum, comeſſationes, Choræas, Luſus, Crimina, & Sæcularia negocia fugienda, atque evitanda, juxta plura decreta dicti Sacri Concilii, & præſertim *Seſſ.* 6. *de Reform. cap.* 4. *Seſſ.* 13. *cap.* 1. *Seſſ.* 14. *cap.* 4., *Seſſ.* 21. *cap.* 8. *Seſſ.* 22. *cap.* 1., *& cap.* 8., *& Seſſ.* 24. *cap.* 20. ad formam tamen Decretorum Sac. Congregat. Epiſcoporum de mandato S. Mem. Clementis VIII. editorum anno MDC.

Item a decretis cogentibus Præſentatos, electos, vel nominatos a quibuſvis Eccleſiaſticis perſonis, etiam Noſtris, & Sedis Apoſtolicæ Nunciis ad quævis Eccleſiaſtica beneficia, ad ſe ſubiiciendum examini Ordinarii antequam inſtituatur, confirmetur, vel admittatur, quemadmodum cavetur *Seſſ.* 7. *de Reform. cap.* 13.

Item a denegatione Sacrorum Ordinum, vel adſcenſus ad alios majores; prout etiam adverſus ſuſpenſionem ab Ordinibus jam ſuſceptis ob crimen occultũ, ſive ex informatâ Conſcientia, juxta diſpoſitionem Sacri Concilii *Seſſ.* 14. *de Reform. cap.* 1. *& cap.* 3. *& Seſſ.* 21. *cap.* 1., *& Seſſ.* 23. *cap.* 16.

Item a præfixione termini, intra quem Regularis Epiſcopo non ſubditus, qui intra clauſtra Monaſterij degat, & extra ea ita notorie deliquerit, ut Populo ſcandalo ſit, a ſuo Superiore puniri debeat, ac de punitione ipſe Epiſcopus certior fieri, juxta decretum Sacri Concilii *Seſſ.* 25. *de Regular. cap.* 14. *& Conſtit. f. l. record.* Clementis PP. VIII., quæ incipit *Suſcepti muneris* -- necnon adverſus punitionem, & correctionem eorumdem Regularium, qui circa Perſonas intra ſepta degentes, aut circa clauſuram ipſam deliquerint, juxta prædictam Conſtitutionem Gregorii XV. quę incipit -- *Inſcrutabili.*

Item a Cenſuris, aut aliis proviſionibus contra Concubinarios, & præſertim Clericos, etiam retinentes domi, aut extra mulieres ſuſpectas juxta præſcriptum Sacri Concilii *Seſſ.* 24. *de Reform. cap.* 14.

Item adverſus privationem privilegi fori, & alias proviſiones contra Clericos non incedentes in habitu, & tonſura, & in aliis Caſibus a Sacro Concilio præſcriptis *Seſſ.* 14. *de reform. cap.* 6. *& ſeſſ.* 23. *ſimiliter cap.* 6., Prout etiam ab examine, approbatione, vel reprobatione Matrimonii Sacri, Penſionis Eccleſiaſticæ, aut Beneficii quoad Clericos promovendos ad Sacros Ordines, juxta diſpoſitionem Concilii *Seſſ.* 21. *de reform. cap.* 2.

Item adverſus Convocationem Capituli, quam faciat

ciat Episcopus ad aliquid deliberandum, & juxta vota ipsorum Capitularium concludendum, quoties ad suum, vel suorum commodum de re spectante non agatur, juxta decretum Sacri Concilii *Sess. 23. de reform. cap. 6.*

Item a mandatis, seu decretis super conversione tertiæ partis fructuum, & quorumcumque proventuum, & obventionum, tam Dignitatum, quam Canonicatuum, Personatuum, portionum, & officiorum in distributiones quotidianas, earumque divisione inter dignitates obtinentes, & cæteros Divinis interessentes in Ecclesiis tam Cathedralibus, quam Collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones hujusmodi quotidianæ, vel ita tenuæ, ut verisimiliter negligantur, juxta Constitutionem ejusdem Concilii *Sess. 21. de reform. cap. 3., & Sess. 22. similiter de reform. cap. 3.*

Item adversus exercitium facultatum Episcopia scompetentium super executione omnium piarum dispositionum tam in ultima voluntate, quam inter vivos in casibus a jure concessis, juxta dispositionem Sacri Concilii *Sess. 22. de reform. cap. 8.*

Item a Visitatione hospitalium, Collegiorum quorumcumque, & Confraternitatum Laicorum, Eleemosinarum, Sacri Montis Pietatis, sive Charitatis, & omnium piorum locorum quomodocumque nuncupatorum, etiamsi eorum Cura ad laicos pertineat, aut exemptionis privilegio sint munita; ac Denique a cognitione, & exequutione eorum omnium, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes substentandos instituta sunt, juxta decretum Sacri Concilii *Sess. 22. de reform. cap. 8.*

Item a Decretis, seu mandatis cogentibus administratores tam Ecclesiasticos quam laicos etiam exemptos, fabricæ cujusvis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, hospitalis, Confraternitatis, Eleemosinæ Montis Pietatis, & quorumcumque piorum locorum ad reddendam singulis annis ipsi Ordinario rationem suæ administrationis, nisi aliud in institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ, seu fabricæ expresse cautum fuerit, juxta decreta Sacri Concilii *Sess. 7. de de reform. capit. 15., & Session. 22. capit. 9., & sess. 25. cap. 8.*

Item a Decretis compellentibus Notarios etiam Apostolica, Imperiali, aut regia authoritate creatos, & Scribentes in causis Ecclesiasticis, & spiritualibus ad se subjiciendum examini: Eorumque remotione, vel suspensione in casu delicti, vel imperitiæ, juxta præscriptum Sacri Concilii, *Session. 22. Capit. 10.*

Item ab erectione Seminarii, & taxatione quarumcumque Dignitatum, Personarum, Officiorum, Præbendarum, Portionum, Abbatiarum, Prioratuum cujuscumque Ordinis etiam Regularis, Hospitalium, quæ dantur in titulum, vel administrationem, & beneficiorum quorumcumque etiam Regularium, etiam juris patronatus, etiam exemptorum, etiam nullius Diœcesis, vel aliis Ecclesiis, Monasteriis, Hospitalibus, & aliis quibusvis Locis Piis etiam exemptis annexorum, & quorumcumque aliorum Ecclesiasticorum redditunm, seu proventuum ad Fabricas Ecclesiarum, Confraternitates & Monasteria omnia, non tamen mendicantium pertinentium; Necnon Decimarum quacumque ratione ad Laicos, atque etiam Milites cujuscumque Militiæ, aut Ordinis, Hyerosolimitano excepto, spectantium, pro ejusdem Seminarii manutentione, prout etiam ab unione, & applicatione aliquot beneficiorum simplicium, nec non a Decretis cogentibus eos, qui Scholasterias obtinent, vel quibus lectionis, vel doctrinæ munus est annexum ad docendum per se ipsos, vel idoneos substitutos, & generaliter a mandatis, & provisionibus, quæ quoquo modo respiciunt curam, directionem, & administrationem Seminarii, plenamque executionem decreti editi a Sacro Concilio super collegio puerorum in singulibus Cathedralibus instituendo *Sess. 23. de Reform. cap. 18.*

Item a mandatis, seu decretis cogentibus Economos, Vicarios Capitulares ad reddendas Rationem administrationis per eos gestæ sede Episcopali vacante, juxta præscriptum sacri Concilii *sess. 24. de Reform. cap. 16.*

Item a sententia excommunicationis a jure latæ, & sententia excommunicationis latæ ab homine, suspensionis, & interdicti, nisi appellatio fuerit interposita ex capite nullitatis; Et e converso a sententia absolutionis ab eisdem censuris Ecclesiasticis, & generaliter ab executione aliorum quorumcumque decretorum dicti Sacri Concilii Tridentini Episcopis, atque Ordinariis locorum demandata ab ipso Concilio, *& in Constitutione fel. Record. Pii PP. IX. quæ incipit; Benedictus Deus.*

Volumus, percipimus, & mandamus, quod ab Archiepiscopis, Patriarchis, seu Primatibus, aliisque judicibus Ecclesiasticis etiam Nostris, & Sedis Apostolicæ Nunciis, vel de latere Legatis, etiam S. R. E. Cardinalibus, atque etiam Cameræ Nostræ Generali Auditore, Signaturæ Justitiæ Præfecto, ceterisque judicibus Romanæ Curiæ, eorumque Vicariis, & Officialibus, Citationes generales, vel speciales cum Commissione inserta, Monitoria, & alia hujusmodi cum inhibitione, per quam execmio Decretorum, Mandatorum, & Provisionum hujusmodi retardetur, suspendatur, aut impediatur, minime concedantur, & quatenus nunc, aut in posterum concessa fuerint nullatenus inhibeant, atque ab Episcopis, aliisque Locorum Ordinariis impune sperni possint, quacumque consuetudine etiam immemorabili, vel quovis privilegio; am Stylo concedendi inhibitiones in causis prædictis, tametsi temporarias, pænitus exclusis. Nos enim Citationes, & monitoria, aliter quam ut præfertur concessa, vel imposterum concedenda, nulla, atque irrita declaramus, & pro nullis, atque irritis haberi volumus, & mandamus; Decernentes, quod adversus decreta, mandata, & provisiores hujusmodi, quas, vel quæ ab Episcopis, aliisque locorum Ordinariis fieri, vel capi contigerit in causis, & negociis prædictis, vel simplex dumtaxat, & extrajudicialis recursus per viam simplicis libelli, ad Nos, successores nostros Romanos Pontifices, vel respective, & juxta causarum naturam, & qualitatem appellatio ad quos de jure in solo devolutivo, & sine Retardatione, vel præjudicio legitimæ executionis recipi, & admitti possint.

Quoniam vero in hisce ipsis negotiis, & causis, in quibus inhibitionum Canonicam executionem impedientes, aut suspendentes concedi non debent, dari possunt casus, qui per ipsum Sacrum Concilium Tridentinum, vel juxta ejus mentem per Apostolicas Constitutiones, & Sacrarum Congregationum declarationes, aut Communem Doctorum Sententiam a præfata Generali Regula de non concedendis inhibitionibus, eisque post habendis, excipiuntur, quique ut plurimum non aliter quam prudenti Judicis arbitrio secundum particulares facti circumstan-

stantias aestimari possunt ; Hinc Nos ne sub ejusmodi praetextu, inhibitiones ut supra prohibitae vulgo, & sine ullo delectu causae, etiam in casibus non exceptis concedantur, statuimus, & mandamus, quod in dictis causis, & negociis superius expressis Metropolitani, Patriarchae, Primates, aliique Judices praedicti, & praesertim Camerae Nostrae Generalis Auditor, ejusque Locumtenentes, & Signaturae Praefectus, ejusque Auditor, ad quos in contingenti casu pro obtinenda inhibitione recursum haberi contigerit, etiamsi asseratur casum illum a Sacro Concilio, vel Apostolicis Constitutionibus quacumque de causa exceptum esse ; Nihilominus litteras Citatorias, vel Monitoria cum inhibitione hujusmodi non concedant, nisi prius in facti circumstantiis in supplici libello a parte Recurrente clare, ac dilucide exponendis, & cum aliquo documento semiplene saltem verificandis, eisdem summarie apparuerit casum illum esse de exceptis, & propterea Episcopo, vel Ordinario loci Inhibendum esse, ne ad ulteriora procedat ; Tunc enim, & non alias, & postquam ipsi Judices, quorum conscientiam hac in parte oneramus super dicto Supplici libello manu Tua rescripserint, quod inhibitio concedi potest, libellusque hujusmodi in actis productus fuerit, diligenter ibidem custodiendus, asservandus, liceat eorum Notariis, sive actuariis literas Citatorias cum dicta inhibitione expedire, & parti recurrenti tradere, ita tamen, ut in earum calce expresse adjiciatur sequens clausula -- *Nos enim attentis juribus, & supplici libello nobis praesentatis, atque in actis exhibitis, sic ut praefertur, inhibendum esse speciali rescripto mandavimus* -- alias litterae ejusmodi sine tali clausula nullas vim inhibendi habeant in casibus praedictis. Et nihilominus si Notarii sine dicto speciali rescripto super supplici libello, aut sine productione illius in actis, aut sine praedicta clausula, Citationes illas, aut monitoria cum inhibitione sub quocumque praetextu, seu colore expedire, ac tradere praesumserint, etiamsi illae, aut illa a Judice suppositae fuerint, poenam infamiae, & perpetuae inhabilitationis ad Officium Notarii in causis Ecclesiasticis exercendum, & quoad illos Camerae Nostrae Generalis Auditoris, aut aliorum Romanae Curiae Judicum superius expressorum, etiam quinquaginta ducatorum auri de Camera, pro una medietate Camerae Nostrae Apostolicae, & pro alia ipsi parti recurrenti, & in causa interesse habenti, sin minus alicui ex locis Piis arbitrio nostro, nostrorumque successorum destinando applicandam ipso facto incurrant.

Ad haec similiter inhaerentes dispositioni ejusdem *Sacri Concilii Sess. 7. de Reform. cap. 14., & Sess. 24. cap. 5.* necnon etiam decreto Piae mem. Benedicti XIII. hac in re promulgato inter ejus additiones ad decreta Urbani PP. VIII. in appendice ad Concilium Romanum volumus, & mandamus, quod Clerici Saeculares, aut Regulares extra Monasterium degentes quomodolibet exempti in civilibus causis Mercedum, aut miserabilium personarum, etiamsi certum Judicem a Sede Apostolica deputatum in partibus habeant ; In aliis vero, si ipsum Judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis tanquam ab ipsa Sede Delegatis conveniri in prima instantia, & jure medio ad solvendum debitum cogi possint.

Quo vero ad personas non exemptas, inhaerendo similiter dispositioni ejusdem Sacri Concilii *Sess. 13. de Reform. cap. 1., & Sess. 22. cap. 7., & Sess. 24. cap. 20.* necnon supradictis Decretis generalibus congregationis Episcoporum, & Regularium editis anno 1600. cum novissimis additionibus, seu declarationibus Piae mem. Benedicti XIII. in appendice Concilii Romani ; Volumus, statuimus, & mandamus, quod causae omnes tam civiles, quam criminales ad forum Ecclesiasticum pertinentes, exceptis privilegiatis, quae ex eodem Concilio, vel aliis juxta Canonicas Sanctiones apud Nos, & Sedem Apostolicam tractari possunt, aut debent coram Ordinariis locorum dumtaxat in prima Instantia cognoscantur, neque a Metropolitanis, Patriarchis, aut Primatibus, aliisque Judicibus Ecclesiasticis, etiam nostris, & Sedis Apostolicae Nunciis, vel de latere Legatis, aut Camerae Nostrae generali Auditore, & caeteris quibuslibet Curiae Nostrae Judicibus ad se vocari, vel aliis committi possint, nisi per viam legitimae appellationis, & in casibus ut supra non prohibitis, ad ipsorum Tribunalia deferantur. Appellationes autem non recipiantur, neque inhibitiones vigore illarum concedantur, nisi prius constiterit, quod nedum per legitimam personam, & intra legitima tempora vere appellatum fuerit ; sed etiam quod appellatum fuerit a sententia difinitiva, vel habente vim diffinitivae, aut a gravamine quod per diffinitivam sententiam reparari non possit ; idque per publica, documenta quae realiter in actis exhibeantur ; Tunc enim, & non antea Judici, ad quem appellatum fuerit, in causa se intromittere, citationes, & inhibitiones concedere liceat, dummodo tamen concedantur cum inscriptione tenoris sententiae, aut decreti diffinitivi, seu vim diffinitivae habentis, vel damnum per diffinitivam, irreparabile inferentis, alias Citationes, inhibitiones Processus, & inde sequuta quaecumque sint, ipso jure, atque impune sperni possint.

Quod si appellans asserat sententiae, aut decreti exemplum authenticum culpa Judicis a quo, vel Notarii, sive Actuarii habere non posse, tunc saltem Copiam simplicem Sententiae, seu Decreti in actis producere teneatur, ejusque tenori in litteris inhibitorialibus inserto adjicienda erit, prout adjici volumus, & mandamus in earum corpore expressa conditio -- *Quatenus tamen tenor insertus vere, & in substantialibus cum originali concordet, eudemque originali praesentes litterae sint in corpore posteriores, alioquin nullae, & irritae censeantur* -- Et si secus factum fuerit, inhibitiones aliter concessae nullatenus afficiant, & Notarii, vel Actuarii, qui illas expediverint incidant in poenas superius expressas. Cum vero a gravamine, quod per diffinitivam reparari nequit, appellatum fuerit, siquidem res sit de Carceratione jam sequuta cum mandato verbali, non aliter expediri poterunt inhibitiones vigore appellationis, quam constito de ipsa Carceratione per depositionem saltem duorum Testium ; Interim tamen appellans in eodem, quo reperitur, Carcere permanebit, donec aliter fer. sen judicatum fuerit ; Ubi vero agatur de Censuris jam prolatis, vel de Comminatione Carcerationis, Torturae, aut Censurarum, observetur omnino dispositio dictorum decretorum Congregationis Episcoporum sub rec. me. Clemente VIII. juxta additiones, & declarationes piae mem. Benedicti XIII.

Ulterius in praedictis causis in prima Instantia pendentibus, vel aliis superius expressis, in quibus non admittitur appellatio in suspensivo, Citationes, quae expediri solent coram Cardinali Signaturae Instiae

Prae-

Præfecto, vel ad effectum comparendi, vel pro adeundo eamdem Signaturam, tametsi ab ejus Auditore subscriptas, vim inhibendi nullatenus sortiri posse volumus, easque ad prædictos alios dumtaxat effectus, comparendi scilicet, vel adeundi Signaturas expeditas censeri, non autem ad retardandam executionem, vel suspendendum Processum ad ulteriora.

Denique quoad causas privilegiatas, quæ, ut præfertur, in prima etiam Instantia apud Nos, & Sedem Apostolicam tractari possunt, nihil ex antiquo mutandum esse volumus, sed Monitoria in illis coram Cameræ Nostræ generali Auditore, vel ejus Locumtenentibus, prout hactenus laudabiliter observatum est, expedienda esse juxta præscriptum Apostolicarum Constitutionum, & præsertim fel. rec. Pauli V. Prædecessoris Nostri in Constit. quæ incipit -- *Universi* -- nec non prædictarum Additionum, & declarationum Benedicti XIII. exceptis tamen monitoriis intimandis ultra montes, in quibus ad evitanda scandala, & litigantium incommoda, volumus omnino renovari, & observari stylum, qui olim in eo Tribunali vigebat, idest quoad ejusmodi Monitoriorum expeditionem prævio supplici libello universam facti speciem, clare, & dilucide continenti, & prævio etiam ejusdem Judicis rescripto quod Monitorium expediri possit penes causæ Notarium, vel Actuarium diligenter custodiendo; Et si aliter quam præfertur, & absque dicto supplici libello, ac speciali Judicis rescripto dicta Monitoria ultra montes intimanda, expedita fuerint, Notarius sive Actuarius, & Substitutus, qui illa expediverit ipso facto incidat in pœnas superius expressas.

Omnia, & singula hactenus a Nobis disposita ad rectam Judiciorum methodum restituendam eo impensius ab omnibus exacte custodiri, & observari mandamus, quo clarius constet, hac nostra Constitutione non novas ferri, sed antiquas instaurari leges provide sapienterque institutas, & temporum injuria, ac hominum fraude absoletas, & novo Pontificiæ Authoritatis Præsidio communiri ordinem procedendi in Causis jamdiu præscriptum superioribus, & inferioribus Tribunalibus a Sacra Tridentina Synodo, Congregationum Decretis, & Prædecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum Constitutionibus, aliisque Ordinationibus Apostolicis; Ideoque si ipsi Judices omni semoto, ut par est, humanæ cupiditatis affectu, præ oculis solum habuerint, quæ tam maturo, tamque saluberrimo sunt constituta, & ordinata consilio, facile eorum quilibet agnoscet quæ sui & quæ alieni Ministerii partes esse debeant in admittendis, ac respective rejiciendis causarum Appellationibus, & inhibitionibus; Atque ita fiet, ut non solum unicuique in suo ordine debita jurisdictionis, & authoritatis prærogativa servetur; sed etiam ut, extinctis prorsus, ac radicitus avulsis omnium contentionum, ac discordiarum seminibus, mutuo charitatis vinculo Tribunalia socientur, & inter illa recte agendi disciplina Christiano populo utilia, & necessaria restituatur.

Demum ut exemplo nostro, Omnes præmissorum executioni caute, & pro viribus incumbant, & ut præsertim Notariis, Tabellionibus, & eorum Actuariis, & Substitutis omnis contraveniendi causa præcidatur, volumus, & expresse mandamus, Processus, & acta causarum in Nostra Romana Curia coram quovis judice pendentium, ac Inhibitiones, Appellationis, Monitoria, aliasque Citatoriales, & inhibitoriales literas, quas ab iisdem Notariis, eorumque Substitutis, scientibus, vel insciis Judicibus, vel alias quomodolibet in posterum expediri contigerit, sedulo recognosci, & examinari per fide dignas personas, a Nobis opportune deputandas, quæ si deprehenderint, easdem inhibitiones contra hujus Constitutionis formam, & ad subterfugienda Ordinariorum, & Episcoporum Judicia, quæsito gravaminis colore fuisse perperam concessas, & expeditas, in eosdem Notarios, & Substitutos Canonicis Pœnis, aliisque a Nobis supra expressis, severe pro modo culpæ animadvertant.

Decernentes has præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse servari; sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & S. R. E. præfatæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & ejusdem Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros; sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari; & definiri debere, ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus præmissis, ac quatenus opus sit, Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de jure quæsito non tollendo, aliisque Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac usibus, & stylis, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis præfatis, aliisque quibuslibet Judicibus, Curiis, Tribunalibus, & Personis, etiam quantumvis sublimibus, & specialissima mentione dignis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam Derogatoriarum Derogatoriis, aliisque efficacioribus, & efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque Decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus, ac Consistorialiter & alias quomodolibet in contrarium præmissorum, concessis, editis, factis, & pluries iteratis, & quantiscumque vicibus approbatis, confirmatis, & innovatis; Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specifica, expressa, & individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ac derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque. Ut autem eædem præsentes literæ ad omnium notitiam facilius deveniant, volumus illas, seu earum exempla ad Valvas Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ &c. Generalis in Monte Citatorio, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, affigi, & publicari, sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos illæ concernunt,

perinde

perindè arctare, ac afficere, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; ipsarum autem literarum transcriptis, seu exemplis etiam impressis, manu tamen alicujus Notarii Publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem tam in judicio, quam extra illud ubique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostri decreti, Constitutionis, declarationis, annullationis, admonitionis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac BB. Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem tertio Kal. Aprilis anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo secundo Pontificatus Nostri anno secundo. P. Card. Pro-Datar. D. Card Passioneus VISA DE CURIA N. Antonellus I. B. Eugenius registrata in Secretaria Brevium. *Anno a Nativitate Domini Nostri JESU CHRISTI Millesimo Septingentesimo quadragesimo secundo indictione 5. die vero 18. Aprilis Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini BENEDICTI Divina Providentia Papæ XIV Anno secundo. Supradicta Constitutio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Lateranensis, Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Righi Apost. Cursor.*

Joannes Trifelli Mag. Curs.

De Appellatione.

OBSERVATIO XXI.

SUMMARIUM

1. *Ab Episcopo appellatur ad Archiepiscopum, quoties procedit tanquam ordinarius.*
   Limita si procederet Jure delegato.
2. *Ab Episcopo non appellatur ad delegantem si tantum in Commissione excitata fuerit ejus Jurisdictio.*
3. *Quando Jurisdictio dicatur excitata, vel delegata?*
4. *Remissive, sed duæ regulæ traduntur generaliter.*
5. *Quid dicendum si posita sit in rescripto clausula* auctoritate nostra?
6. *A rescripto gratioso non datur appellatio; traditur exemplum.*
7. *Refertur* Constitutio Sanctissimi Domini Nostri Papæ Benedicti XIV.
8. *Constitutio prædicta convenit cum Iure communi.*
9. *Sed an procedat, damnato, seu composito appellante ab excessivitate mulctæ?*
   Quid de Iure communi?
10. *Quid de Iure novissimæ Constitutionis?*
11. *An hæc procedat in composito extra carceres?*
    Compositio plurimis ex causis injusta dici potest.
12. *Pro injustitia recognoscendà compositionis appellatio necessaria est.*
13. *Fortius appellatio in exemplo posito admittenda est in devolutivo.*
    In pœnis pecuniariis Fisco, & R. C. A. applicandis non appellatur, nisi facto deposito, vel data cautione in forma depositi.
15. *Appellatio vaga, & generalis a futuro gravamine non admittitur, sed quando procedit declaratur.*
16. *A comminata carceratione, tortura, vel excommunicatione, appellatur.*
    Quomodo in hoc casu concipiendæ sunt inhibitiones?
17. *Appellatio unius suffragatur aliis in sententia communi, & individua.*
    Temeritas Appellantium injusti, qua pœna
18. *corrigitur, de Iure civili, & canonico? quid*
19. *de Iure Religiosorum?*
20. *Discutitur de cautione, quæ antiquitus præstabatur.*
21. *Refertur per extensum Constitutio super nullitate Professionis Regularis, & appellationibus interponendis in subiecta materia.*

1 QUoniam vero sæpe, sæpius objicitur ab Episcopis ad Metropolitanos appellari non posse, eo quod de commissione Summi Pontificis, aut alicujus Sacræ Congregationis EE. Cardinalium in causis processerunt, quin distinguantur commissiones, seu rescripta excitativa a delegatoriis; idcirco pro hujusmodi notione construenda est conclusio, quod etsi ab Episcopo procedente tanquam delegato appellandum sit ad delegantem, non autem ad Archiepiscopum, ut latius explicat, *Altimar. de nullit. rubric. 3. qu. 36. per tot.*, ubi nonnullos casus congerit; & in hoc sunt Jura satis aperta in *cap. si duobus 2. de offic. legat.*, *in cap. super §. porro de offic. de leg.*, *in l. præcipimus 32. §. hæc si C. de appell.*, *& in novell. 123.*

2 Attamen hujusmodi Conclusio non procedit, quoties a Supremo Principe commissa Episcopo esset causa, ejus Jurisdictionem excitando, juxta Text. *in cap. licet 12. de offic. Judic. Ordinar.*; rationem tradit Joan. Baptista Vivian. *in rational. Iuris Pontific. lib. 1. tit. 31. cap. 12.*; quod in excitativis, nunquam intelligitur, Summum Pontificem, velle præjudicare Jurisdictioni Archiepiscopi, nisi exprimat, mandando ea, quæ per Ordinarium ex se ipso expleri non poterant, *cap. ex tuarum de usu Palii*, *Scacc. de appellat. quæst. 8. n. 87.*, *Altimar. d. rubric. 3. qu. 27. nu. 19.*

3 Quando autem Jurisdictio dicatur excitata, & non delegata? Regula constituitur ab *Innoc. III. in dicto cap. licet 12.*, cum nempe illi potestas conceditur, quæ a lege, vel statuto haberet; *Vivian. loc. citat.*, *Borell. in summ. decis. titul. 41. num. 296. tom. 2.*, *Altimar. d. qu. 27. num. 21. & seqq.*, ubi alios allegat, & explicat.; *Scyaloy. de for. compet. cap. 51. post nu. 55.*; Materiam hanc latius tractant *Ianuin. in tractat. de cit. Reali lib. 1. cap. 1. n. 491. & seqq. & num. 1129.*, *& Cavalcan. de brach. Reg. p. 1. n. 259. & seqq.*

4 Verum nonnullis modis Judex ordinarius, seu Episcopus efficitur Delegatus, ut larissime plures casus recenset Ludovicus, *Rodulph. in tractat. special. quibus modis ordinarius efficitur delegat. per tot.*; quem in facti contigentia consule, addo *Maur. Burg.*

de mod. proced. ex abrupt. qu. 74. per tot., & præcipua regola est, quod quando in commissione, seu rescripto additur, vel detrahitur Jurisdictioni Judicis ordinarii, Judex ordinarius efficitur delegatus, *Rodulph. loc. citat. num. 4. e Menoch. de præsumpt. 16. nu. 25. lib. 2.*

5 Quid dicendum existente in rescripto clausula *authoritate nostra procedas*? Distinguit *Altimar. in d. quæst. 27. n. 27.*, sed indistincte esse delegatum per *Text. in cap. cum aliquibus de rescript. in 6.*, cum innumeris, quos allegat, docet Marios *Giurb. consil. 39. num. 21.*

6 Notabis insuper, quod non datur appellatio, quoties quis, se gravatum prætenderet a rescripto ad ejus supplicationem extrajudicialiter, & non in forma Judicii per superiorem factum: exemplum est, reperitur Titius carceratus pro aliquo, vel aliis delictis; supplicationem porrigit Superiori, ab eo misericordiam implorando, seque illius clementiæ, & arbitrio subiiciendo; vigore illius supplicationis superior in calce illius, gratiose rescribit, exempli gratia, quod *solutis tot loco pœnæ, vel injuncto exilio per tot annos; vel dimisso Canonicatu, & simil. amplius non molestetur*; Titius acceptando hujusmodi rescriptum, e carceribus dimittitur, sed ad pristinam reversus libertatem appellare a dicto rescripto, seu decreto gratioso satagit, num audiatur? Et non esse audiendum, nisi denuo in carceribus se constituerit, & ad pristinum locum reversus sit, uti erat ante dictum rescriptum ratio ipsa evincit; Enim vero absurdum est provocare ab eo rescripto, seu decreto, in cujus exequutionem pristinam assequutus fuit appellans libertatem, illudque acceptavit: potissimum quia dictum Judicem, seu Superiorem tamquam bonum virum elegit, & ejus misericordiæ se subjecit, ad tradita *per Innoc. in cap. præsenti nu. 3. in med. de rescript. versic. Et si aliquis, Specul. in tit. de appellat. §. in quibus versic.. Quid si conveniat*, ubi ita decisum testatur; *Guid. Pap. decis. 436. nu. 81.* Fortius, quia daretur regressus per indirectum ad Jus renunciatum, contra dispositionem *Textus in L. Herennius C. de evict. & in cap. fine de renunc. Abb., & Butr. in cap. ne innitaris de constit., Burzius decis. 91. n. 13.*

7 Novissime (ultra innumera judicatarum exempla, quæ extant) hoc definitum fuit etiam in termine decreti Judicialis per *Constit. Sanctissimi Domini Nostri Papæ Benedicti XIV. incip. Ad coercenda promulgata die 26. Novembris 1753. in §. Affinchè*; ubi ultra expressa in paulo ante relata *Constit. Ad militantis*, addit -- *che, quante volte* (sunt verba Constitutionis) *avvenga il caso, come non di rado avviene, che qualunque appelli dal decreto, o giudicato del proprio ordinario, dapoichè in virtù di quello stesso giudicato, o decreto, dal quale appella è stato rilasciato dalle carceri formali, o da altro qualunque luogo, che prima d' esso giudicato, o decreto gli era stato assegnato in luogo di carcere; In tal caso l' Uditor della Camera, e suo Luogotenente generale non debba ammettere l' appellazione, ne rilasciare alcuna inhibitione, ne ordinare la trasmissione degli atti, se prima l' Appellante non sarà ritornato nelle carceri formali, o in altro luogo assegnatogli per carcere, e che con idonea cauzione non siasi obligato a restarvi fino all' esito della causa, non essendo giusto, che l' Inquisito nel tempo stesso, che impugna per via di appellazione il giudicato del suo ordinario voglia goderne il beneficio nella parte, che riguarda il suo rilascio dalle carceri.*

8 Confert in terminis Juris communis pro ratione adducta in prælaudata Constitutione, Text. *in L. solita §. nobis C. de remiss.* ibi -- *Nobis autem visum est, eum, qui semel consensit, & hoc modo Jus suum respuit indignum esse, eamdem rem vindicare, & in cap. si illic 23. quæst. 4.* ibi -- *semel in oblatione remissa recidivo dolore non debet iterari*; Sed quid dicendum, quoties quis directe non appellaret a decreto pœnæ pecuniariæ, vel compositionis alicujus summæ solvendæ ob crimen admissum, cujus vigore soluta pœna pecuniaria, vel compositione è carceribus relaxatus fuit; sed ab excessivitate mulctæ pecuniariæ compositionis contentæ in decreto; an ille retiniendus sit ab appellatione, nisi denuo, in pristinam carcerationem se restitueret?

9 De Jure communi planum est, admitti debere appellationem, damnato in carceribus non revocato, ut lato probant *Gizzarell. decis. 55. num. 1. & seqq. Aloys. Ricc. in praxi for. Ecclesiast. par. 4. resol. 124. n. 1., & seqq. Ventrigl. de Jurisdict. Archiep. cap. 109. c. 5., & seqq. Capoblanc. de Baron. tom. 2. cap. 27. num. 27. Thor. in compend. decis. verbo appellatio fol. 18. col. 2., de Marin. ad Revert. decis. 17. num. 2. Joseph. Amendol. in praxi Judic. p. 1. tit. 3. de compos. n. 149., & Novar. de gravam. Vassal. tom. 1. gravam. 11. n. 6., & seqq., &* ita de anno 1752. practicatum fuit a S. Consulta; nam cum per Curiam Baronalem Frontoni ad supplicationem *Stephani Quagliani* carcerati pro contraventione Bannimentorum, porrectam Baroni, ipse cum sociis compositus de anno 1750. fuisset ad summam scutorum 200. cum deinde dictus *Quagliani* provocasset ad Sacram Consultam, moderata per eam fuit dicta compositio ad scutos quinquaginta.

10 De Jure autem novissimo disquirendum est an hic casus comprehensus dici possit in prælaudata Constitutione *Ad coercenda*, ratio dubitandi depromitur, ex his, quæ ad intelligentiam aliarum Apostolicarum Constitutionum supra tradidi *observat. 16. n. 3.*, nec non per late congesta per *Pisserin. in sext. decretal. lib. 2. ad tit. de appellat. quæst. unic. art. 18. num. 545.*, ubi explicat appellationem vetitam Religiosis, non habere locum dato excessu correctionis, Verum in præsenti casu, non ab his, sed a ratione his verbis expressa, in dicta Constitutione -- *Non essendo giusto, che l' Inquisito, NEL TEMPO STESSO, CHE IMPUGNA per via d'appellatione il giudicato del suo Ordinario, voglia goderne il beneficio nella parte, che riguarda il suo rilascio dalle carceri* judicio meo petenda est quæstionis resolutio, siquidem si appellatio *ab excessiva*, impugnat judicatum Judicis a quo; verba Constitutionis sunt clara, & manifesta; si autem ex hujusmodi appellatione suapte natura non impugnatur *judicatum de partibus*, sumus extra quæstionem, & extra verba prælaudatæ Constitutionis; pro hujusmodi effectu congruunt tradita per *Scacc. in tractat. de appellat. qu. 17. limit. 10. nu. 58. & seqq.*

11 Sed quid dicendum de eo, in fortiis Curiæ non existente, qui de aliquo crimine ad ejus instantiam, seu supplicationem, compositus fuit in aliqua summa pæcuniaria, quam solvit, & ab ulteriori Inquisitione ob dictam solutionem liberatus est; an Is postmodum provocare possit ad Superiores non tantum super excessu, quam super injustitia dictæ Compositionis, quin teneatur se in carceribus constituere? Casus iste cum sit extra Constitutionem prædictam, quæ loquitur tantum de Carcerato, vel habilitato, non autem

de

de Contumace, & in fortiis Curiæ non existente, ad terminos Juris communis resolvenda videtur affirmative juxta individualem sententiam *DD.* quos supra retuli *num.* 9. Ratio est, nam quemadmodum Judex ad quem ad compositionem admittendam necesse habet criminis titulum Inquisitione dignum, ejusque ad Juris trutinam, debitas criminis probationes, nec non moderate se gerere, ne ultra quam culpa exposcit, exigat, ne his deficientibus injuste, indebite, & immoderate componat, ut clamitant, *Æliseus Danza de pugna DD. tom. 1. titul. de offic. Fisc. cap. 1. n. 26.*, *Scyalloy. de for. compet. cap. 50. num. 12.*, *Afflict. in Constit. Asperitatem post n. 10.*, *Rovit. in rubric. de compos. num. 4. & seqq.*, & *late Novar. de gravamin. Vassal. gravam. 13. num. 3. & seqq.*, etenim ubi condemnationi locus non est, nec minus compositioni, neque pro levi culpa immoderate, & excessive se gerere contra Formam a Justiniano religioso præscriptam *in §. oportet enim il 2. Auth. de mandat. Princip.*

12 Ita ad recognoscendam justitiam, vel injustitiam compositionis, ejusque congruam, vel incongruā moderatam, seu immoderatą exactionem, appellationis remedium *necesse* est, alioquin ansa præberetur omnibus Jusdicentibus ad libitum componendi, etiam in casibus, in quibus locus non esset; vel immoderate se gerere, quoties eorum gesta a Superioribus recognosci minime possent, quod minime in bene instituta Republica est tolerandum, etenim *Judex suo arbitrio mulctando, æquitatem, & suæ Jurisdictionis limites facile excedere, ac proinde de iniquitate argui potest*, sunt verba Jacob. Rigas *in tract. de verbor. signif. ad l. 131. §. 6.*

13 Eoque fortius admittenda est hujusmodi appellatio in devolutivo, quin Appellans teneatur in carceribus se constituere, quia enim pecunia in compositione soluta loco poenæ succedit, ad Textum *in l. Senatus ff. de Jur. Fisc.*, sicut semel condemnatus in aliquam poenam, amplius de eodem crimine Inquisitio reviviscı nequit, nec in carceribus conjici valet, quatenus a poena pecuniaria jam soluta appellaret, ita pariter nec Compositus, ut ad rem optime ratiocinatur *Farin. quæst. 5. num. 4.*, subdens, quod Judici, qui ad compositionem Reum admisit, amplius locus minime superest poenitendi, eo maxime prætextu interpositæ appellationis, ne in facultate Judicum esset damnatos deterrendi, ne ad appellationis præsidium convolarent, metu revocandi eos ad carceres, & Inquisitiones reviviscendi; Multoque minus audiri debet, si recuset compositam poenam recipere, eo sob prætextu Inquisitum ad carceres revocandi, tum quia Judici a declarata poena variare non licet, signanter re non integra, & post exactam multam juxta doctrinam *Bald.* communiter receptam *in leg. final. num. 17. C. commun. delegat. Marian. Soccin. in cap. sicut Judex num. 51. de Judiis*, *Giurb. consil. crimin. 26. num. 6.*, & *Cavalcan. de brach. Reg. part. 4. num. 116.*, tum etiam quia, declarata per Judicem poena pecuniaria, super illius viribus licitum est Damnato per Procuratorem, & extra carceres jura sua, & gravamina experiri, ut in puncto Appellationis est Textus expressus *in l. 1. ff. an per alium causæ appel.* ibi — *Quæri solet* (inquit I. C. Ulpian.) *an per alium causæ appellationis reddi possint? Quæ res in rebus pecuniariis, & in criminibus agitari consuevit.*; *Et in rebus pecuniariis, sunt rescripta posse agi, verba rescripti, ita se habent, divi Fratres Longino si tibi, qui appellavit, mandavit, ut eum de appellatione defenderes, & res pecuniaria est, nihil prohibet nomine ejus te respondere.*

14 Occasione quod de poena pecuniaria actum est, prætereunda non est Constitutio *S. M. Pii IV. incip. licet dudum in ordine* 128., nec non altera S. M. Pii V. in *ordine 24. §. 2. in antiq. Bullar.*, quibus cavetur, ut in poenis pecuniariis *Fisco*, & *R. C. A.* applicandis appellatio non admittatur, nisi facto actuali deposito, vel data cautione in forma depositi pro poena, in qua Appellans condemnatus extitit, prout de dictis Constitutionibus mentionem faciunt *Farin. qu. 101. num. 80.*, & *102. Bajard. ad Clar. quæst. 64. num. 28.*, & *seqq.*, *Guazzin. ad defens. Reor. defens. 36. cap. 4. num. 7.*, & *latius cap. 5.*, ubi nonnullas excitat quæstiones, & resolvit; quas etiam summatim recenset, & alias proponit *Raynald. ad cap. 32. supplet. 2. num. 46.*, & *seqq. tom. 3.*, eos consule, ne illorum dicta repetamus.

15 Pro coronide Appellationis, quæ vastissimum tractatum exposceret, nec his paucis observationibus absolvi potest; hæc notabilia superaddo; *Primum* quod appellatio generalis, & vaga, idest ea quæ a futuro gravamine interponitur, generaliter, non valet; Textus est *in cap. inter cætera 2. de appell.*, ubi Alexander III, redarguit Appellantem, eo quod appellavit ad Archiepiscopum super omni causaque adversus eum potuisset moveri, subdens, quod hujusmodi appellatio minime erat admittenda; dixi generaliter, quoniam Idem *Alexand. III. in cap. consuluit il 2. eod. tit.* rescribit in hunc modum; *si generaliter quis appellationem interponat ab omni gravamine, quod sibi posset contingere, ejusmodi appellationem non tenere, si vero quis ab aliquo Judice appellet, super omni gravamine, quod in uno, & determinata causa sibi possit inferre, tali appellationi a Judice est deferendum*; discriminis rationem explicat Henric. *Wagnereck. in comment. exegetic. Sacror. Canon. lib. 2. tit. 28. cap. 18.*, & *in cap. 2.*

16 Vigore decretorum S. Congregat. Episcop. de mandato *S. M. Clement. VIII.*, appellatur ab indebita carceratione, vel tortura, vel excommunicatione etiam comminata, *ut in decret. 9.*, quod confirmatum fuit a *Concilio Roman. in append. ad tit. 14. cap. 1. ad 9. decret.*, ubi in his casibus ita præcipit — *In causis vero comminatæ injustæ carcerationis, torturæ, vel excommunicationis, Sanctitas sua declarat, & mandat, ut non expediantur inhibitiones generales, & indefinitæ, sed tantum compulsoriales pro trasmissione copiæ actorum ad effectum cognoscendi an sit deferendum nec ne appellationi, adjuncta in dictis literis inhibitorialibus inhibitione, ut interim Judex a quo ad ulteriora non procedat, & quatenus visis actis resultet evidens gravamen, tunc admittatur appellatio cum inhibitione, & causa cognoscatur coram Judice ad quem; si vero de hujusmodi gravamine non constet, remittatur causa ad Judicem a quo, cognoscenda in prima instantia.*

17 *Secundum notabile est*, quod appellatio unius suffragatur aliis condemnatis in sententia, si communi jure juventur, idemque negotium, & eadem defensionis causa existat, sunt verba Gregorii IX. *in cap. una sententia 27. de appellat.*, enim vero ubi agitur de re dividua, & non individua, appellatio non extenditur ad alium; Nā unius justitia alteri non prodest, & ubi diversæ sunt causæ, diversus debet esse effectus, & Juris intellectus; *l. inter stipulantem §. Sacram ff. de verbor. oblig.*; *l. Papinianus ubi Bartol. ff. de minor.*; *l. conventionum ff. de pact.*

sic diversitas causarum diversitatem specierum inducit, *l. 3. §. genera ff. de acquir. possess.*, *l. 2. ff. de milit. testam.*, & cum verbis prædicti Textus *in capit. 72.* concordat Ius civile *in l. 1. C. si unus ex plurib. appell.*, & antea in Pandectis in *l. 3. & in l. si qui separatim §. final. ff. de appell.*; *Jacob. Cujac. infra citand. versic. In communi:* adeatis Diodor. Tulden. *in Comment. Cod. lib. 7. titul.* 68. *num. 1., & seqq.*, supra positam conclusionem latius explicantem.

18 *Tertium notabile est*, quod temeritatem Appellantium reprimere Ius civile cupiens variis eos distinctione temporum pœnis afficit; olim enim urgebat ad solutionem ejus pœnæ, quam se soluturos tempore interponendæ appellationis spondebant, ut constat ex plurimis I. C. *Pauli responsis lib. 5. sent. tit. 33.* relatis per Jacob. *Cujac. in Iulii Pauli recept. sentent. lib. 5. tit. 33.*, ad quem effectum cautio exigebatur ab uno etsi de pluribus ageretur, quoties causa communis esset, (quo ex fonte introducta fortasse videtur novissimis temporibus Formalitas præstandi cautionem ab Adhærente Fisci, nec non a Reo in pecuniariis pœnis Fisco, & R. C. A. applicandis juxta Pianas Constitutiones in hac *observat.*, *& in alia* commemoratas)

19 Post modum autem, eo Jure antiquato, *Imperatore. Dioclet. & Maxim.*, leviori pœna temere appellantes plecti jusserunt *in l. eos §. ne temere C. de appellat.*; quam proinde arbitrariam cum Accurs. recte crediderunt omnes ibi, & ad 50. auri libras extendendam putaverunt *Ferrar. in tract. de appellat. lib. 2. cap. 2.*, *& Montealbanus de except. art. 24. num. 2.*, huc pertinere existimantes Textum *in l. ab executore §. final. C. quorum appell.*

20 Jure tamen Pontificio temere, & malitiose appellantes, expensarum refusione mulctantur, *ex cap. reprehensibilis*, *& cap. ut debitus 59. de appellat.*, sive in exordio litis, sive ex post facto malitiose segerat appellans, etsi enim initio justam habuerit causam litigandi, quæ solet ab expensarum condemnatione victum eximere, injustitiam tamen appellationis agnoscens ab ea debet recedere, uti observat *Azevd. in l. 1. Recopilat. num. 2. & 3. tit. 22. lib. 4.*, Videatur Andreas *Fachin. lib. 10. controv. capit. 42.*. Qua pœna autem injuste appellans puniatur inter Regulares, tradit *Auctor. in d. tit. 111. §. 9. num. 52.*

21 Quomodo autem hodiernis temporibus, & apud quos Judices discutiendæ sint tum appellationis, tum nullitates, quoties super validitate, aut nullitate Professionis Regularium quæstio emergeret, definitum habes in sequenti *Constit. Sanctissimi Domini Nostri Papæ Benedicti XIV. incip. si datam hominibus*, qua certus ordo præscribitur, pro causis super Nullitate Professionis Regularis mature discutiendis, & valide definiendis.

BENEDICTUS EPISCOPUS

Servus Servorum Dei.

Ad perpetuam Rei memoriam.

SI datam hominibus fidem frangere, conventionesque eas, quæ ab humanis legibus robur accipiunt, abrumpere, ac violare non licet; multo magis necesse est obligatum Deo mentis propositum immutabiliter servari, Nosque præsertim, utpote sacrarum Legum custodes a Deo Constitutos, oportet earum pactionum, quæ Divino, & Ecclesiastico jure indissolubiles sunt, perpetuam firmitatem, & observantiam asserere. Eam ob rem jam usque ab Anno Incarnationis Dominicæ MDCCXLI. Pontificatus Nostri II., Apostolicas Literas dedimus, incipientes: *Dei Miseratione*, in Bullario Nostro deinde editas *Tom. 1. num. 33.*, quibus certum præscripsimus ordinem, in Tribunalibus Ecclesiasticis servandum, quum in ipsis discuti, & definiri deberent Causæ, in quibus de nullitate alicujus matrimonii contracti ageretur; non eo quidem consilio, ut si quod forte matrimonium cum impedimento aliquo dirimente initum fuisset, de illius nullitate judicium postulari, aut fieri prohiberemus; sed ut in hoc gravissimo judicii genere, in quo de sacro Connubiorum fœdere agitur, pleniori veritatis elucidationi consuleremus; utque Judices, non sine certissima cognitione omnium, quæ ad rem maxime conducunt, hujusmodi vinculum ex tot rationibus insolubile Sententiis suis, tamquam irritum ab initio, dissolverent. Cujus quidem Constitutionis utilitas, Deo favente, ad hunc diem aperte comprobatur; quum ex eo tempore, neque tot Causæ super prætensa Matrimoniorum nullitate in Tribunalibus pendeant, nec tam frequenter, ut antea, Nobis exhibeantur preces pro obtinendis dispensationibus super Matrimonio rato, & non consumato, dum scilicet ante omnium oculos propositæ sunt difficultates paulo quidem majores, sed omnino justæ, quæ, ex novo ordine a Nobis statuto, cuilibet superinde se offerent, antequam optatum finem assequatur.

Quemadmodum itaque pro Matrimoniis carnalibus a Nobis provisum fuit, ita nunc de spiritualibus animarum nexibus, de Religiosis videlicet utriusque sexus Regularium Professionibus, pari ratione statuere decrevimus; nimirum certam normam, ac methodum tradere, quam observare debeant Judices Ecclesiastici, quoties judicia super nullitate Professionum in aliquo Ordine Regulari a Sede Apostolica approbatio factarum, coram ipsis agitari contingat; neque id quidem ad hunc finem, ut aditus intercludatur iis, qui justis de causis hujusmodi actiones intentare velint, ac postulent, Professionem a se factam ex capite nullitatis irritam declarari, sed ut ipsi Judices rerum veritatem in specie dignoscere, suasque Sententias indubiis fundamentis innixas proferre valeant; ac ne unquam, ex ignorantia factorum, aliquem decernant solutum vinculo, dum is forte, valida solemnium votorum professione emissa, Religioso Ordini, cui nomen dedit, re ipsa maneat adstrictus. Qua ex methodo a Nobis tradenda hunc fructum similiter obventurum speramus, ut & rariores in posterum in Tribunalibus futuræ sint Causæ super prætensa Professionum nullitate, & qui deinceps hujusmodi nullitatis declarationem in foro externo obtinuerint, & consequenter a Religione discesserint, non amplius anxia, aut male tuta conscientia vivant, ac propterea ad Nos, aut ad Officium Pœnitentiariæ Nostræ Apostolicæ, ut non semel evenisse novimus, confugere cogantur, occultato, ut moris est, in precibus nomine, fatentes sententiam super Professionis nullitate pravis artibus extortam a se fuisse, decepto Judice, vel per mendacia in facti expositione adhibita, vel per corruptos Testes; ideoque flagitantes, ut ex gratia, & dispensatione Apostolica, facultas manendi in sæculo ipsis indulgeatur.

Ut autem ordinate procedamus, distinguendum ini-

initio est inter Regulares illos, qui intra quinquennium a die factæ Professionis, de illius nullitate actionem promovent; & eos, qui post elapsum quinquennium reclamant. Quod ad priores attinet, celebre est de illis decretum Sacræ Tridentinæ Synodi *sess. 25. de Regular. cap. 19.* in hæc verba -- *Quicumque Regularis prætendat, se per vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere, sine licentia Superiorum; non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die Professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo & Ordinario.* In quo sane decreto licet in litera Virorum Regularium dumtaxat mentio fiat, nihilominus etiam fœminæ Religionem professæ comprehenduntur; quum ex regulis juris, masculinum genus etiam fœminum includat, ubi una eademque causa pro fœminis æque ac pro masculis militat. Quamvis autem Decreti verba satis clara sint, variæ tamen quæstiones circa eorum sensum ac vim excitatæ fuerunt.

Quum etenim ibi sermo dumtaxat sit de Regulari Professu, qui suam Professionem nullam fuisse contendat -- *Quicumque Regularis prætendat se per vim & metum ingressum esse Religionem &c.*, nihil vero expresse statuatur de ipsa Religione, cujus aliquando interest alicujus Alumni sui Professionem irritam declarari; ut si quis exempli causa, com eriatur occultum aliquod impedimentum non revelasse, de quo interrogatus fuerat, adjecta declaratione, quod eo forsan existente, & non patefacto, ipsius admissio a Religione minime rata habenda foret; hinc dubitatum fuit, an in hujusmodi casu solus Superior Regularis sine Ordinario procedere posset; an vero ut etiam in hac facti specie discutienda esset Causa coram Regulari Superiore simul & Ordinario Loci. Super quo Congregatio S. R. E. Cardinalium ad ipsius Concilii Tridentini interpretationem ab Apostolica Sede deputatorum constare decrevit, Causas hujusmodi super nullitate Professionis, tam a Regulari Professo, quam a Religione, intra quinquennium in judicium deductas, & a Superiore Regulari, & ab Ordinario Loci simul cognoscendas esse.

Quum item quinquennium, intra quod admittitur reclamatio adversus Professionem, Sancta Synodus computandum voluerit *a die Professionis*; cumque potior, atque communior causa, quæ pro nullitate Professionis adduci solet, in metu consistat; metus autem per totum quinquennium, atque etiam ulterius, aliquando perseveret; quæsitum fuit, an, ubi de metu agitur, initium quinquennii desumendum sit ab ipso die Professionis emissæ, an vero a die quo Professus liberam reclamandi facultatem habuerit. Eadem vero Congregatio declaravit, in utroque pariter casu, concessum quinquennii tempus a die emissæ Professionis esse computandum.

Ad idem pariter quinquennium pertinet alia agitata quæstio, an scilicet prædicti Ordinarius & Superior Regularis cognoscere possint Causas nullitatis Professionis etiam post ipsum quinquennium, ubi nempe Professus intra illius decursum reclamaverit, sed judicium prosequi deinde neglexerit, aut nequiverit. Decretum est autem ab eadem Congregatione, coram præfatis Judicibus a Concilio memoratis agendam esse Causam, etiam post elapsum quinquennium, dummodo satis constet, eam intra præscriptum tempus a reclamante serio intentatam fuisse.

De ipsis autem Judicibus pro hujusmodi Causarum cognitione a Sancta Synodo designatis, per ea verba -- *coram Superiore suo, & Ordinario*; complures similiter motæ sunt quæstiones, quæ majori eorumdem verborum elucidationi causam dederunt. Et primo quæsitum fuit, quinam censendus esset Superior Regularis in casu, & ad effectum, de quo agitur; utrum scilicet Provinciæ Rector, an Generalis Ordinis Moderator; Congregatio autem ejusdem Concilii Interpetrum definivit esse Superiorem localem, nimirum Abbatem, vel Guardianum, sive Priorem, aut alio quocumque nomine nuncupatum Præpositum seu Rectorem illius Monasterii, aut Cœnobii, in quo reclamans Professionem emisit; eum nempe qui hujusmodi Monasterii aut Cœnubii regimen exercet, quo tempore Causa super nullitate Professionis in judicium deducitur. Quæsitum item fuit, quisnam Monialium proprius Superior dicendus sit, ad effectum judicandi, una cum Ordinario de earum Professionis nullitate. Responsum fuit, quod, si agatur de Monialibus Ordinario Loci immediate subjectis tunc, quum nullus sit earum Superior Regularis, solus Ordinarius judicat de Professione reclamantium intra quinquennium: Si vero Moniales Regularium regimini subsint, tunc hujusmodi Causæ judicandæ sunt ab Ordinario Loci simul, & a Superiore Regulari; ab eo nimirum, cui concreditum est universum Monasterii regimen, non autem a Confessario Regulari Monialium. Dubitatum est etiam, utrum Superior Regularis jus suum cedere possit Ordinario Loci, eique permittere, ut in hujusmodi Causis solus procedat, & judicet. Id autem prædicta Congregatio fieri posse negavit; permisit tamen Superiori Regulari, ut si judicium assumere nolit, aut non possit, alium subrogare valeat vel Regularem, vel etiam Ecclesiasticum Sæcularem juris Canonici peritum, qui una cum Ordinario Judicis partes exerceat. Denique quæsitum fuit, si forte Ordinarii & Superioris Regularis judicia inter se discrepantia extiterint, quodnam ex ipsis alteri prævalere debeat. At in hoc casu responsum fuit, Causam ipsam ad Apostolicæ Sedis judicium devolutam censeri.

Quum vero inter capita nullitatis Professionem Regularem irritantia, unum etiam adnumeretur, si nempe aliquis Professionem emiserit in Cœnobio ad Novitiorum institutionem minime destinato, in iis tamen locis, in quibus rec. mem. Prædecessor Noster Clemens Papa VIII. Decreta de Regularibus a se edita vim habere mandavit; si quis ex hoc capite Professionem a se factam intra quinquennium impugnare voluerit, aut etiam si Religio intra idem quinquennium postulaverit alicujus Professionem ex hujusmodi capite irritam declarari; decretum extat a fel. record. Urbano Papa VIII. altero Prædecessore Nostro justis gravibusque de causis, ac de consilio præfatæ Congregationis Concilii Tridentini Interpretis, editum die v. Januarii Anni MDCXXXVI., incipien. *ad occurrendum*, quo statutum fuit, hujusmodi Causas ad eandem Congregationem privative pertinere. Hæc sunt potiora in hoc genere Decreta ex Regestis prælaudatæ Congregationis excerpta, quæ licet alias a Prædecessoribus Nostris Romanis Pontificibus Apostolica Auctoritate non semel approbata fuerint, & confirmata; Nos tamen eadem, præsentium Litterarum tenore, atque Auctoritate simili,

no-

novo approbationis, & confirmationis Nostræ robore communimus, atque ab omnibus, ad quos spectat, seu respective spectabit, in posterum pro regula haberi, ac plenariæ executioni demandari præcipimus.

Quibus ita constitutis, firmatque pertinentia Causarum, quæ intra quinquennium a die Professionis emissæ adversus illius validitatem introducuntur; consequens est, ut & ea indicemus, quæ de ordine ac methodo in hujusmodi judiciis servanda, a Majoribus sapienter constituta sunt; tum ea proferamus, quæ Nos ipsi opportune addenda censuimus, quæque pari auctoritate, ac præsentium literarum vigore, perpetuis futuris temporibus servari volumus, & mandamus. Jam de ipsa hujusmodi Causarum introductione notum est decretum ejusdem Concilii Tridentini *cit. Sess. 25. cap. 19. de Regular.*, *ut si quis antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquam Apostata puniatur; interim vero nullo privilegio suæ Religionis juvetur*. Ex quo sequitur Regularem postulantem judicium fieri de suæ Professionis nullitate, ab ipso judicii limine repelli, nisi constet eum in Religionis suæ Claustris morari, & Habitum Regularem resumpsisse, si ipsum antea deposuerit.

De probationibus vero, licet non ignoremus, apud Superiores Regulares, Ordinariosque Locorum usu receptum fuisse, in re tanti momenti, judicia sua fundare in extrajudicialibus attestationibus, quantumvis juramento firmatis, quæ *ad perpetuam* dicuntur; hoc tamen de coetero usurpari prohibemus, volentes, atque districte mandantes, ut ad astruendas probationes in hujusmodi Causis necessarias, verus & judicialis Processus omnino conficiatur; in quo & Articuli exhibeantur ex parte illius, qui adversus Professionem agit; & Interrogatoria dentur ab ea parte, quæ stat pro ipsius Professionis validitate; & Testes tam super Articulis, quam juxta hujusmodi Interrogatoria examinentur; atque hac forma non servata, Processus ipse, & Sententia dependenter ab eo prolata, insanabili nullitatis vitio corenere censeamur; salva etiam dispositione juris communis, quoad alia nullitatis capita, si quæ forte in ipsa Processus compilatione intervenerint.

Sub eadem poena nullitatis decernimus, atque statuimus, ut in hoc judicio citari & audiri debeant tum Defensores Monasterii, seu Cœnobii, in quo Professus Vota Religiosa suscepit, tum ipsius Professi Consanguinei, sive propinqui, sive alii, quibus bona sua donavit, aut cessit; uno verbo omnes, quorum interest illius Professionem sustineri; in primis autem ii citentur (si superstites fuerint) qui indicati erunt tamquam Auctores, aut complices metus eidem incussi, ut Votis invitus se obstringeret. Quemadmodum in citata Constitutione Nostra, quæ incipit *Dei miseratione*, decrevimus, ut in singulis Diœcesibus ab Ordinario deputari deberet aliquis probitate ac doctrina commendatus, cujus officium esset in Causis Matrimonialibus in judicio stare pro validitate Matrimonii; ita nunc omnibus & singulis Locorum Ordinariis committimus & mandamus, ut personam aliquam similibus qualitatibus preditam in suis respective Diœcesibus eligant, cui *Defensoris Professionum* munus imponant; atque huic omnia demandata, injuncta, & respectiva applicata esse censeantur, quæcumque Nos in præcitatis Literis de Matrimonii Defensore statuimus; Nos enim eadem omnia, præsentium tenore, ad hujusmodi Professionum Defensores expresse extendimus, & respective applicamus, & quoad istos pari modo locum habere decernimus, Id solum peculiariter Defensore Professionis in præsentibus statuentes, ut scilicet quidquid pro ipsius honorario, aut mercede, sive pro expensis in defensione Causæ occurrentibus, eidem præstandum esse Judex prudenter arbitratus fuerit, id omne ab illis exsolvi debeat, quibus a Professo renunciata fuerunt bona in Religionis ingressu dimissa; Si vero hi non existant, aut si Processus nihil renunciandum habuerit, ipsa Religio, quatenus ex illis sit, quæ temporalia bona possident, ad hujusmodi solutiones teneatur: Si autem nec adsint bona renunciata, nec Ordo Regularis de quo agitur, quidquam possideat, tunc Defensori Professionis satisfiat ex pecuniis Mulctarum illius Tribunalis, in quo Causa agitata fuerit, sive alterius, prout in aliis prædictis Literis Nostris de Matrimonii Defensore statuimus.

Lata demum Sententia a Superiore Regulari, & ab Ordinario Loci, si ea pro validitate Professionis pronunciata fuerit, neque Professus appellationem interponat, Causam finitam esse non dubitatur. *Si* vero Professus ad Judicem secundæ instantiæ appellaverit, vel etiam ulterius eadem Causa retractanda fuerit; in omnibus hisce judiciis volumus similiter Defensorem Professionis ex Officio deputatum intervenire, eodem prorsus modo, quo in citata Constitutione decrevimus, Defensorem Matrimonii in secunda, & ulteriori instantia, judicio semper adesse. Ac sicuti præterea vetuimus, hujusmodi Defensoris partes esse a Sententia Judicis primæ instantiæ pro Matrimonii nullitate lata ad ulterioris instantię Iudicem provocare, & formam prosequendi judicium in ulterioribus hujusmodi instantiis præscripsimus; ita porro volumus, ut Defensor Professionis a Sententia in prima instantia pro nullitate Professionis edita appellare omnino debeat; atque in secunda, seu ulteriori hujusmodi Causarum revisione, eadem omnia volumus observari, quæ pro Causis Matrimonialibus in eadem Constitutione mandavimus.

Quemadmodum denique legitimas pœnas ibidem constituimus adversus eos, qui post unicam obtentam Sententiam pro prioris Matrimonii nullitate, sive pendente appellatione, sive ea per incuriam aut fraudem Defensoris non interposita, ausi fuissent novas Nuptias contrahere; atque decrevimus nemini licere ad altera Vota transire, nisi duæ saltem Sententiæ conformes pro nullitate prioris Matrimonii emanaverint; ita, si quis in Ordine Regulari Professus, post unicam Sententiam favore Nullitatis Professionis pronunciatam, sive pendente, sive omissa culpabiliter appellatione, e Claustris exire, a Religione discedere, quodque magis est, habitum Regularem abjicere præsumserit; volumus, atque statuimus, omnibus cum pœnis atque censuris a Sacris Canonibus, & a Constitutionibus Apostolicis contra Apostatas latis atque sancitis, subjacere, & obnoxium esse; decernentes pariter, in hujusmodi Causis de Professionis nullitate, liberum Professo non esse a Religione migrare, nisi duas saltem obtinuerit Sententias conformes, quibus ab eo emissa Professio nulla, & irrita declarata fuerit.

Et primæ quidem Instantiæ Iudices super validitate Professionum, quæ intra quinquennium judicialiter impugnantur, ut supra dictum est, Superior Regularis, simulque Ordinarius Loci esse debent. Si vero eædem Causæ in secunda aut ulterio-

ri

ri instantia sint discutiendæ, statuimus, inhærentes antiquis quibusdam sæpedictæ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini interpretum Decretis, quæ pariter tenore præsentium approbamus, & confirmamus, ut Causæ hujusmodi ad eos Judices devolvantur, ad quos de jure aliæ omnes Causæ Ecclesiasticæ, post Sententiam Ordinarii, in gradu appellationis respective devolvuntur; ita tamen, ut hi quoque Judices, sicuti Ordinarius in prima instantia una cum Superiore Regulari processit, sic & ipsi procedere, & judicare debeant una cum Superiore Regulari ac non quidem illius Monasterii, in quo reclamans professus est, sed alterius Monasterii ejusdem Ordinis in eorum Civitate, aut Diœcesi existentis, vel, eo non extante, cum Superiore vicinioris Monasterii ejusdem pariter Ordinis, seu cum alia persona Ecclesiastica, cui, juxta præmissa, Superior ille, ad quem pertinet, suas vices ad hunc effectum delegaverit. Si autem hujusmodi Causæ in secunda, aut ulteriori instantia ad Sedem Apostolicam devolvantur, & a prædicta Congregatione Concilii, sive ab altera super Consultationibus Episcoporum, & Regularium, aut denique ab Auditorio Rotæ, ut respective assolet, discutiendæ fuerint; nullus erit locus ad judicandum Superiori Regulari; qui neque tunc ad ferendam Sententiam admittitur, quum ab eadem Congregatione Concilii juxta relatum superius Urbani Prædecessoris Decretum, examinanda fuerit, etiam intra quinquennium, validitas Professionis ex eo capite impugnatæ, quod facta fuisse asseratur in Monasterio, aut Cœnobio Religiosis Tyronibus instituendis minime addicto.

Hactenus de judiciis super nullitate Professionis, quæ intra quinquennium a die ipsius Professionis emissæ introducuntur; de quibus hoc etiam declarando decernimus, ut quæcumque in superioribus statuta sunt, ea omnia locum habere, & observari debeant, etiam in Curia S.R.E Cardinalis, Nostri & Romani Pontificis pro tempore in Urbe, ejusque Districtu Vicarii in Spiritualibus Generalis; quoties hujusmodi Causas intra idem quinquennium in ipsius Tribunali Ordinario judicandas esse contingat. jam vero videndum est de ejusdem generis Causis, quæ post elapsum quinquennium hujusmodi, in judicium adducuntur.

Porro quum Sancta Tridentina Synodus, post quinque annos ab emissa Professione transactos, omnem aditum ad reclamandum Professis interclusum esse sanxisset, per ea aperta verba superius relata — *Non audiatur, nisi intra quinquennium a die Professionis* — ; adeo inhærendum hujusmodi sanctionis litteræ duxerunt Majores Nostri, ut sub piæ mem. Prædecessore Nostro Gregorio Papa XIII. decretum fuerit, ac veluti pro regula statutum, nullius Causæ introductionem super nullitate Professionis elapso quinquennio, admittendam esse; etiamsi Professio per vim, & metum facta diceretur, atque probari vellet, hujusmodi vim, & metum toto quinquennii tempore permansisse. Verba Decreti die v. Martii anni MDXCVIII. editi, quæ habentur *Decretorum Congregationis Concilii Tomo. 9. f. l. 55.* hæc sunt — *Gregorius XIII. ex Sententia Congregationis Concilii declaravit, eos, qui per vim, & metum se Religionem professos prætenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo elapso, non esse audiendos, tametsi allegarent, vim & metum semper durasse.*

At vero procedentibus temporibus, non sine justis, gravibusque Causis, ut plane persuasum habemus, inductum fuit, ut admitterentur instantiæ pro *restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii.*

De quibus tamen judicium facere ad Apostolicam Sedem semper privative pertinuit, sive ex parte Professi, sive ex parte Religionis instantiæ hujusmodi proponerentur; ac licet ipsa reclamatio ob impedimentum per totum quinquennium perseverans dilata fuisse diceretur. Hoc enim remedium restitutionis in integrum, extraordinarium in jure vocatur, cujus concedendi facultas Judicibus inferioribus competere nequit, non obstante quacumque contraria consuetudine, etiam immemorabili, aut quolibet asserto privilegio; ut patet ex compluribus in eandem sententiam decretis ejusdem Congregationis Tridentini Concilii Interpretis, quæ recensita fuerunt in Decreto edito die xxiv. Septembris Anni MDCCXL. in Causa *Secula Restitutionis in Integrum*, quod a Nobis met ipsis die xxviii. ejusdem mensis, & anni approbatum, & confirmatum fuit, quodque iterum præsentium tenore approbamus, & confirmamus; reservata Nobis, & successoribus Nostris Romanis Pontificibus jure concedendi Ordinariis, & Superioribus Localibus, in quibusdam peculiaribus casibus, facultatem examinandi etiam Causas restitutionis in integrum, ac super ipsis pronunciandi, antequam ad sententiam ferendam super Professionis validitate aut nullitate deveniant; ut non semel ex Apostolicæ Sedis dispensatione factum fuisse non ignoramus.

Hujus autem judicii methodus diversa quondam fuit ab ea, quæ in præsenti observatur. Antiquis enim temporibus, visa probabili ratione, seu fumo, ut ajunt, causarum restitutionis in integrum, ea ab Apostolica Sede concedebatur, nimirum facultas indulgebatur reclamantibus adversus Professionem, ut, licet elapsum esset quinquennium, nihilominus de illius nullitate coram Judicibus competentibus actionem promovere possent; pro cujus judicii instructione deinceps a Superiore Regulari, & ab Ordinario Loci legitimus conficiebatur Processus atque sententia super validitate, aut nullitate ferebatur. Quæ sane methodus, si hoc etiam tempore in usu esset, oporteret Nos eorum præcipue, quæ ad hujusmodi judicium consequentia sunt, rationem habere, ac providere, ne unius tantum sententiæ vigore Professiones Regulares dissolverentur. Sed alius hodierno tempore est ordo, qui in præfatis Congregationibus, seu Tribunalibus Urbis, pro concedenda restitutione in integrum adversus lapsum quinquennii, observatur; Nam priusquam super eo quidquam decernatur, committitur Ordinario Loci, & Superiori Regulari, ut Processum conficiant; eoque demum transmisso, proponitur dubium super concessione restitutionis in integrum, idque non minus accurate ac severe examinatur, ac si dubium propositum esset super ipsa validitate, aut nullitate Professionis. Si autem petita in integrum restitutio concedatur, tunc Ordinario, & Superiori Locali committitur, ut sententiam proferant super controversa Professionis validitate. Sed quamvis in hujusmodi Commissionibus plena ipsis relinquatur facultas judicandi sive pro validitate, sive pro nullitate Professionis, prout ipsis justum visum fuerit; usu tamen compertum est, quod, quum iidem satis noverint quam diligenti, & gravi judicio, apud Sedem Apostolicam discussæ fuerint Causæ, propter quas restitutio in integrum concessa fuit; viso dumtaxat hujus-

jusmodi concessionis rescripto, nec ulteriori instituto examine, ad ferendam pro nullitate Professionis sententiam ut plurimum sine dubitatione procedent.

Accuratum hujusmodi examen Causarum restitutionis in integrum apud Romanæ Curiæ Judices in more positum, non modo non immutare intendimus, verum etiam approbatione Nostra singulis, ad quos pertinet, magnopere commendatum, ab ipsis imposterum observari volumus ac jubemus; hoc tamen addito, ut in Commissionibus, quæ diriguntur Superioribus Regularibus, & Ordinariis Locorum pro conficiendis Processibus, iisdem sub pœna nullitatis actuum injungatur, ut in omnibus procedere debeant cum interventu Defensoris Professionis; ad quem nimirum pertinebit Interrogatoria dare, juxta quæ examinari debebunt Testes, aliaque ad Officium sibi impositum pertinentia diligentissime præstare. Item volumus, ut in ipsa propositione dubii super concessione restitutionis in integrum, tam in præfatis Cardinalium Congregationibus, Concilii Tridentini interpretationi, & Episcoporum ac Regularium consultationibus præpositis, quam in Auditorio Rotæ, aut in quacumque Congregatione peculiariter forsan deputata, sub simili nullitatis pœna, Defensor Professionis, ab eo, qui Tribunalis caput est, deputatus, ex pensis eorum, de quibus supra, semper & in omnibus actibus in judicio stare debeat; neque solum in prima hujusmodi dubii propositione, sed etiam in ulterioribus, quatenus reclamans in prima rejectus, ad novam audientiam admittatur. Denique, ut pro fruendo beneficio restitutionis in integrum, unica favorabilis resolutio nequaquam sufficiat, nisi ea per secundam conformem, iterato Causæ examine, auditoque semper Defensore Professionis, confirmata fuerit; quemadmodum in altera Constitutione Nostra, præsentis initio allegata, de Causis super nullitate Matrimonii constituimus; Nos enim præsentium tenore decernimus, ac sub pœnis adversus Apostatas sancitis districte prohibemus, ne quis sub clypeo unicæ resolutionis pro concessione restitutionis in integrum obtentæ, a Religiosis Claustris migrare, multoque minus Habitum Regularem deponere audeat, seu præsumat: quum ad prædictas pœnas declinandas, & altera resolutio super restitutione in integrum, priori consentanea, & sententia super nullitate Professionis a Superiore Regulari, & ab Ordinario ferenda, expectari omnino debeant; nec nisi per hujusmodi sententiam, a prædictis Judicibus, præviis duabus resolutionibus pro concessione restitutionis in integrum, legitime latam, Judicium absolutum censeri queat.

Quæ omnia si ita observabuntur, ut a Nobis constituta sunt, utque omnibus, ad quos pertinet, ac pertinebit in posterum, sedulo observanda, & implenda a Nobis præscribuntur, & enixe inculcantur; profecto non dubitamus, quin multo rariores in posterum futuræ sint instantiæ, & contentiones eorum, qui vel intra quinquennium a die Professionis emissæ, vel etiam eo elapso, susceptum Religiosæ vitæ Institutum relinquere adnitantur. Ad hoc autem certius obtinendum magnopere contulerit, si a Superioribus quoque Regularium Ordinum in Novitiorum admissionibus ea observabuntur, quæ & in eorum Constitutionibus, & in Decretis fel. recordat. Clementis Papæ VIII. Prædecessoris Nostri statuta sunt, quæque omnia ab ipsis plenissime observari, & impleri, Nos pariter ipsis præcipimus ac jubemus; tum etiam si ipsi minus facile consensum suum præbebunt, ut admittantur ad Professionem Tyrones, sive qui ætatem quidem a Concilio præscriptam compleverint, at non ad ea pertigerint, quæ Constitutionibus Ordinis statuta est; sive illi, qui licet annum Novitiatus expleverint ad normam Concilii, adhuc tamen ulterius in eo manere deberent, juxta præscriptum suarum peculiarium Constitutionum; multoque magis ii, qui nec per integrum annum, sed per octo, aut sex menses dumtaxat Tyrocinium posuerunt; ac demum si ipsi Superiores haud se interponent, neque curabunt, ut Professi ante legitimam ætatem ad Ordines Sacros promoveantur. Quæcumque enim sive in Sacris Canonibus, aut Pontificiis Constitutionibus, sive in peculiaribus Ordinum statutis, circa præmissa provide constituta sunt, non parum habent momenti ad religiosam vocationem in hominum cordibus stabiliendam, & ad cohibendam versatilem animorum mobilitatem, quæ ut plurimum aut sola, aut potissima causa est, qua Professi adducuntur, ut vota, quibus obstricti sunt, irrita declarari cupiant. Neque vero Apostolica Sedes ullas unquam dispensationes in præmissis concedere consuevit, nisi prævio assensu, aut etiam accedentibus precibus Superiorum Regularium; quibus nempe æquum, & necessarium est fidem adhiberi in expositione Causarum, quas urgere asserunt pro concedendis dispensationibus, quæ petuntur. Illud autem nullo modo ferri, aut probari potest, quod tamen apud plerosque invaluisse constat, ut scilicet reclamantibus adversus Professionem sive intra quinquennium, sive post ejus decursum, Superiores ipsi contradictores se se non exhibeant, aut etiam aperte suffragentur, ex falsa nimirum opinione, quod Religiosorum Virorum societate indignus censendus sit, quicumque ab ea discedere exoptat; quodque ex inutili Monacho, utilis fortasse Clericus Secularis existere possit. Nunquam enim licitum est, justitiam deserere, aut prodere, quæ jubet omni ratione sustineri actum adeo solemnem, & natura sua irrevocabilem, in quo perficiendo, una cum Professo, ipsa quoque Religio intervenit.

Ad prædictum finem præterea quam maxime proderit, si & Ecclesiastici Præsules, & Iudices, debitas officii sui partes explere non prætermittent: Ecclesiarum quidem Præsules, si anathemati subjectos declarabunt omnes, & singulos, cujuscumque qualitatis, conditionis, & dignitatis fuerint, qui Virgines, aut Viduas, seu alias quascumque Mulieres invitas, præterquam in casibus in jure expressis, coegerint ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum cujuscumque Religionis, vel ad emittendam Professionem, juxta sanctionem Sacræ Tridentinæ Synodi *Sess.* 25. *Cap.* 28. *de Regular.*, ubi etiam pares censuræ statuuntur adversus eos, qui in hujusmodi factis consilium, auxilium, vel favorem dederint; ac si omnes similiter, quotquot ausi fuerint, compellere viros ad ingrediendam Religionem, & ad Vota profitenda, justis, gravibusque pœnis afficient. Judices vero, si falso ante omnia deposito præjudicio, quo nonnulli arbitrantur latissimam viam, quoad fieri potest, aperiendam esse iis, qui inde migrare cupiunt, ubi invito animo commorantur, ad exactam justitiæ lancem expendent, & numerum, & qualitatem Testium, qui ad comprobandam nullitatem Professionis inducuntur; & vim majorem a minori, metum gravem a levi, debilem a constantiori sexu, inter-

clu-

clusam a permissa reclamandi facultate discernent; aliasque omnes circumstantias sedulo animadverient, quæ in hoc toto rerum genere ab Auctoribus considerari solent.

Itaque prædictis omnibus, & singulis gravissime denunciamus, districteque præcipimus, ut in cunctis, quæ ad eorum officia pertinent, a justitiæ tramite, & a præscriptis sibi legibus ne minimum quidem discedant; ac meminerint, omnium, quæcumque gesserint, severissimam sibi rationem tum apud Divinum Judicem, tum apub homines reddendam fore. Nos vero, si Deo placuerit, valetudinem Nobis cum vita servare, non parum operæ conferre intendimus, quo planius, atque facilius de Caussis hujus generis ab ipsis in posterum judicari valeat. Siquidem Nobis propositum est eum consilio delectorum Virorum in Theologica, & Canonica facultate præstantium, nonnullas quæstiones accurate examinare, ac dirimere, quæ variis Scriptorum opinionibus jactatæ, & varias species induentes, juxta diversas occurrentium casuum circumstantias, ancipites, atque sollicitos detinere solent Judicantium animos; ut Nobismet ipsis in minoribus olim constitutis non semel evenisse meminimus, quum pro munere Secretarii præfatæ Congregationis Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, hujusmodi Caussas ad regulam Juris exigendas præ manibus haberemus. Ejusmodi sunt, exempli causa, quæstiones: Utrum Professio quamvis initio nulla fuerit, per subsequentes tamen actus convalidetur; quinam sint actus, ex quibus hujusmodi convalidatio, seu ratificatio inducatur; & quid momenti habeat ad hunc effectum susceptio Sacrorum Ordinum *Ad titulum Religiosæ Paupertatis*. Præterea, si quis forte ante legitimam ætatem ignorans professionem emisarit, & in ea ignorantia per plures annos in Religione permanserit, seque valide Professum existimans; ea omnia, quæ Professorum sunt, una cum Sociis præstiterit, an hic deinde intelligens qua ætate Vota emiserit, non obstantibus actibus veri Professi a se gestis, adhuc, præfatæ ignorantiæ præsidio, actionem habeat ad reclamandum adversus Professionem a se factam; an vero talis ignorantia nihil eidem suffragetur, quo minus Professionem initio nullam per subsequentes actus ratam habuisse censeatur. Item; an Professus, qui in Professionis actu impedimentum aliquod, sive defectum occultavit, de quo interrogatus fuit, addita declaratione ad formam Constitutionum, quod scilicet Religio ipsum cum hujusmodi defectu, aut impedimento forsan occultato admittere non intendebat; an, inquam, talis Professus, qui Religioni dolum struxit, ejusmodi commodum ex propria fraude desumere possit, ut validitatem suæ Professionis ex eo capite impugnare valeat. Denique, an ullam vim habere debeat in foro externo ad suadendam Judici nullitatem Professionis, quod reclamantes Professi asserere sæpe non dubitant, se in proferendis Religiosis Votis, mentem servasse alienam a proposito se obligandi. Hæc omnia, aliaque similia in hujusmodi judiciis frequenter concurrentia, & in utramque partem hactenus disputata, tam Nostro, tam aliorum, quos, ut supra diximus, in consilium advocaturi sumus, diligenti studio, Deo adjuvante, explanare deliberavimus.

Interim præsentes Literas, cum omnibus, & singulis in ipsis decretis atque statutis, firmas, validas, & efficaces existere ac perpetuo fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime, & inviolabiliter observari volumus, & decernimus. Sicque & non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, prædictasque S. R. E. Cardinalium Congregationes Generales, & Particulares, aliosque ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Sanctæ Sedis Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, auctoritate, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, ubique judicari, & definiri debere; ac nullum, irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, tam Caussarum forsan ad hunc diem introductarum pendentia, quas quidem causas, in quibuscumque statibus, & terminis de præsenti reperiantur, juxta superius præscripta omnino tractari, judicari, & definiri debere expresse decernimus, quam Nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de Jure quæsito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, Decretis quoque, & Resolutionibus a præfatis Cardinalium Congregationibus, sive ab Auditorio Rotæ prædicto, aut aliis quibuscumque Judicibus, & Tribunalibus, alia forsan, & aliter factis, conditis, & emanatis, nec non quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, Privilegiis, Exemptionibus, & Indultis, etiam in corpore juris clausis, aut Literis Apostolicis quibusvis Personis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, etiam Societatis Jesus, & S. Joannis Hyerosolymitani, aliisve quibuslibet specifica, & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam clausulis, & decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & exactissime servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, & ad præmissorum effectum, plenissime, & amplissime motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Volumus insuper, & eadem Auctoritate prædicta mandamus, ut eædem præsentes, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam prætendere valeat, ipsas præsentes, seu earum transumpta, ad valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, nec non Cancellariæ Apostolicæ, Curiæque Generalis Innocentianæ in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ per aliquem

ex Cursoribus Nostris; ut moris est, publicari, & affigi, sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum, perinde afficere, & arctare, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Utque earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrarum Confirmationis, Approbationis, Voluntatis, Mandatorum, Statutorum, Decretorum, & Declarationum infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo quadragesimo septimo, quarto Nonas Martii, Pontificatus Nostri Anno Octavo.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA.

De Curia J. C. Boschi.

I. B. Eugenius.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Ad titul. IV. §. 1.

Delicti etymologia, nomina, & Causæ.

OBSERVATIO XXII.

SUMMARIUM

1. *Delictum unde dictum, & denominationem suam recipiat?*
2. *Variis nominibus delictum in Jure effertur.*
3. *Excessus nomine vocatur a sanctionibus Canonicis.*
4. *Delicti definitio, ubi aliorum definitiones impugnantur.*
5. *Origo delictorum enucleatur.*
6. *Agitur de causis delictorum.*
7. *Causa materialis delicti explicatur.*
8. *Formalis causa delictorum quænam sit?*
9. *Delictorum efficiens causa describitur.*
10. *De finali delictorum causa discurritur.*
11. *Explicatur Prima causa a voluntate dependens. Voluntarium distinguitur in directum, & indirectum.*
12. *Quid requiratur, ad voluntarium directum.*
13. *Conciliantur diffidentes DD. opiniones.*
14. *Crimina dolo contrahuntur.*
15. *Culpa etiam delicta contrahuntur, sed mitius coniuntur.*
16. *Culpa quando præsumatur, excludatur; & de illius speciebus, remissive.*
17. *Passionis impulsus, & concupiscentia, quomodo intelligantur in voluntario.*
18. *Ira, & dolore delinquens mitius punitur.*
19. Constitutio Clemen. XII. *quid præscribat quo ad homicidia rixosa, & quo ad tempus iræ.*
20. *De Jure communi Iræ calor quantum durabat? remissive.*
21. *Constitutio prædicta non loquitur de Ira, seu animi dolore habente tractum successivum: affertur.*

1 DElictum a de relinquendo dictũ, idẽ est ac derelictũ; qui enim delinquit, derelinquit legem, vel committendo Factum a lege prohibitum, vel actum a lege perceptum omittendo, *leg. 1., leg. 14. ff. de pæn., leg. 4. C. si Servus exportat. veniat, l. unic. C. de emendat. propinquor.* Hinc perbelle *Donell. 15. commentar. 23.* inquit --*Delinquere est quasi linquere, quod sequi debeas*; lex namque non solum imperat facienda, sed etiam vetat omittenda, *leg. 7. ff. de legib.*, & materiale delicti, quod est factum turpe, seu illicitum, etiam non factum sub se comprehendit; idcirco non minus delinquit, qui facienda omittit, quam qui omittenda facit, *leg. 121. ff. de regul. Juris*, quia utrobique est transgressio legis, & fit, quod fieri non debebat: exempla sunt in *l. 4. in princip. ff. de itin. act. privat., & in leg. 4. ff. quæ in fraud. Creditor.*

2 Delictum variis nominibus in Jure Pandectarum, Codicis, & Institut. effertur; etenim vocatur maleficium, *in leg. final. ff. de privat. delict. in leg. si operis 14. C. de pœnis, & in princip. Instit. de obligat., quæ ex delict. nascunt.*; nuncupatur flagitium, *in leg. si flagitii 123. ff. de verbor. obligat. in leg. aut facta in princ. ff. de pœnis, in leg., & militibus C. de testam. militar., & in leg. qui sententiam 16. C. de pœnis* appellatur Noxa *in leg. si quis 17. §. 18. ff. de ædilit. edict., & in leg. hæc stipulatio 200. de verbor signif.*; nominatur Facinus *in l. servus 20. ff. de action., & obligat. in leg. quoniam multa C. ad leg. Jul. de vi public., & in leg. si quemquam C. de Episcop., & Cleric.*; indagatur peccatum in *leg. obligamur 52. ff. de action., & obligat.*; dicitur scelus *in leg. quisquis 5. C. ad leg. Jul. majestat., & in leg. Jur. Mariti 6. C. ad leg. Jul. de adult.*; & passim crimen salutatur, *in leg. quoties 1. §. 1., & 3. in leg. absentem 5. in princ. ff. de pœnis, & in §. placuit Instit. de obligat. quæ ex delict. nascuntur.*

3 Et sub nomine excessus frequenter traditur in canonicis sanctionibus, *in cap. cum illorum de sentent. excommun., in cap. final. de sepult., in cap. 2. de calumniat., & in cap. olim de rescript.*, unde extat in decretalium sexto, & Clementinis titulus *de excessibus Prælatorum*; licet hujusmodi *Excessus* vocabulum apud antiquos Jurisconsultos traditum non appareat, & de his nominibus, *Maleficio, Excessu, facinore, scelere, flagitio, Noxa* agit *Auctor noster in par. 3. titul. primo §. 2. num. 2., & seqq.*, ubi quoque *injuriæ* vocabulum addit.

4 Definitur delictum ab *Antonio Matthejo de criminib. in prologomen. cap. 1. num. primo*, quod sit *peccatum*, sed pace tanti Viri, definitio hæc non placet, etenim peccatum a delicto in multis differt, uti egregie ostendit *P. Amenus in d. §. 2. num. 9.*, merito Matthæus in hoc reprehenditur ab *Alexio in eius examin.* aliter definiunt *Struvius exercitat ad Pandectas libro 47. thes. 2., & Lauterb. ad titul. digestor. de privat. delict. §. 1.*, sed utramque definitionem improbat Gletle *in Jurisp. territ. to. 1. cap. unic. §. 1. num. 4., & seqq.*, placet summopere definitio, quam tradit Anton. *Henric. Mollembec.*

in

in divis. Jurid. centur. 3. §. 57. *nu.* 1. -- *Delictum* (inquit) *est omne turpe admissum, vel omissum contra Leges tum divinas, tum humanas, ex quo alteri nocetur vel detrahitur.*

5 Cumque ad doctrinam cujuscumque rei multum conferat inventionem, atque ipsius originem cognoscere, ut annuunt Jura *in l.* 1., *&* 2. *ff. de orig. Jur.*, *in l.* 1. *ff. de Iustit.*, *& Iur. in l. argentarius §. edi ff. de edend.*, *& in cap. ex his de pænit. distinct.* 1.; sciendum est, delicta origine præcessisse, quascumque actiones humanas, Nam & primo Incifer criminis læsæ majestatis divinæ Reus fuit, ut habetur *Isai. cap.* 14., & quod spectat ad homines, Adam Primus fuit, qui Omnipotentia Dei præcepta violavit, & deliquit Pomum comedendo, magis Uxori, & callido Serpenti, quam deo fidem præstando, taliter ut læsæ majestatis divinæ Reus effectus morte damnatus extitit, quæ ad omnes Posteros transivit, *Genes. cap.* 3., *Divus Paulus ad Roman. cap.* 5. ibi -- *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors*; Post Adam autem Caim ejusdem Filius fuit, qui & homicidium pariter, & fratricidium commisit Abelem Fratrem ejus interficiendo, ut habetur *Genes. cap.* 4., *& in cap. cum ergo §. sed & qui* 24. *qu.* 3.

6 Quatuor sunt Delictorum causæ, duæ juxta *Philosoph. metaph. lib.* 1. *cap.* 3., *& lib.* 5. *cap.* 2. dicuntur *essendi*, ut materia & forma; *cap. quod vero non formatum* 32. *qu.* 2., *cap. in Synodo distinct.* 4., reliquæ duæ dicuntur *fiendi* ut efficiens & finis, *cap. de occidendis* 23. *quæst.* 5. *& cap. non frustra, ead. causa, & quæst.* Has causas nominant Philosophi, & Juristæ, *ut prima* sit materialis, cum materia formam præcedat. *Secunda* formalis; *Tertia* efficiens; *Quarta* finalis; quarum cognitio summopere Criminalistis est necessaria, ad effectum sciendi an actus ille, de quo quæritur peccet in materia, vel forma, vel in causa efficiente, vel in fine, ut perbelle admonent, *Bald. in rubric. Digestor. de Iustit. & Iur.*, *& in l. Patre furioso ff. de his qui sunt sui, vel alien. Iur.*, *& Alberic. in l. generaliter C. de episcop. & Cleric.*

7 *Materialis causa* delictorum est hominis voluntas ejusque facta, lex enim, quæ delicta declarat format, & punit, id agit, ut Voluntatem tanquam subjectum, & materiam coerceat, & ad bonum instituat; inquit namque divus *August. lib.* 4. *retract.*, *Voluntas est, qua peccatur, & recte vivitur*, & in libro de liber. arbitr. scripsit -- *peccatum adeo esse voluntarium, ut sine voluntate peccatum non sit*; *l. illud §.* 1. *ff. de injur.* ibi -- *injuria ex affectu facientis consistit*; *l. divus ff. ad leg. Corneliam de Sicar.* -- *In maleficiis voluntas spectatur non exitus*, & facit illud *Lucæ cap.* 8. -- *Ex corde procedunt fornicationes, Adulteria, homicidia, & similia*, *cap.* 1. *causa* 15. *quæst.* 7., *cap. proposito* 23. *qu.* 5., *& cap. cum voluntate de sentent. excomun.*

8 *Formalis causa* est ipsamet lex; quæ cum quid prohibet sub pœna, delictum format, cum ante legem, & si actus esset illicitus; non tamen formam haberet delicti; propterea divus *Paulus ad Roman.* 3. inquit -- *cum lex non esset peccatum non imputabatur*, & paulo post *lex subintravit, ut abundaret delictum, & ad Corint.* 1. *c.* 15. *n.* 56. Merito *Ambrosius in libro de Patriarch.* relatus *in cap. dixit Sara* 32. *quæst.* 4., de adulterio Abraham cum Ancilla loquens ait -- *Considera, quod Abraham ante legem Moysi, & ante Evangelium fuit, nondum ergo Adulterium interdictum videbatur, pœna enim criminis ex tempore legis est, quæ crimen inhibuit, nec ante legem est ulla Rei damnatio, sed ex lege, Deus enim Paradiso Conjugium laudaverat, non Adulterium damnaverat.* Quin obstare videatur, quod idem *D. Paulus* inquit *ad Romanos cap.* 2. *num.* 12. *Quicumque enim sine lege peccaverunt, sine lege peribunt*; loquitur enim aut de peccantibus sine lege positiva sed contra Jus naturale, quod omnibus ab ipsa natura insitum est, & in quo tota lex divina pendet, & Prophetæ, ut Redemptor noster ait apud *Marcum cap.* 12. *num.* 30., *&* 31. -- *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua, & hoc est primum Mandatum, secundum autem simile est illi, diliges proximum tuum tanquam teipsum* Matth. *cap.* 22. *num.* 37., *& seqq.* ibi -- *In his duobus mandatis universa lex pendet, & Prophetæ*, aut intelligendum est *D. Pauli dictum* de illis qui legem acceptare renuunt, & sic sine lege peccarunt, illam non acceptando, seu non servando, si quidem dictio *sine* aliquando conditionem acceptationis importat, & observantiam, & intelligenda est ac si dixisset *si non* servaverint.

9 *Efficiens causa delictorum* est ipsemet homo, enim vero quamquam voluntas possit etiam dici causa efficiens, attamen si factum ipsum, quod delictum appellatur, consideratur, procul dubio homo ipse, quo, & Voluntas, & Instrumenta, quibus perpetrantur delicta ut manus lingua, & cœtera membra continentur, magis proprie efficiens causa dici potest, ut *in l.* 2. *Phisicor.* tradit *Peripateticus*, quod actu ipso applicat activum passivo, ut ille qui applicat ignem domui dicitur comburere domum; merito homo dicitur causa efficiens delicti, quia cum constet ex animo, & corpore, utrumque applicat ad delictum, scilicet & animæ vices, appetitum, rationem voluntatem, & corpus ipsum, ex quo colligitur, quod delictum non potest cadere in Brutis Animalibus, quia Instrumenta Hominis non habent, ad rem congruunt Textus *in l.* 1. §. 1. *ff. si quadrup. Pauper. fecisse dicar.*, *in l. fugitivus ff. de verbor. signif.*, *in l. sæpe ff. eod. titul.*, *& in leg. cogitationis pœnam ff. de pœnis.*

10 *Finalis delictorum causa* juxta *Aristotil. in Polit.* tribus ex causis, idest propter tria, finem, & objectum habet, delinquimus namque, *vel necessitate, vel cupiditate, vel ira*; vel enim quis furatur, quia necessaria Alimonia non habet, vel si habet majora concupiscit, & ideo aliena appetit, ut illis fruatur; vel si nil alienum concupiscit, contra eum a quo damnum, vel ostensionem passus est, irascitur, & quærit illum tollere, vel damno afficere; Et ad ista tria, quæ veluti delictorũ causas proposuimus reducuntur & illa tria, quæ habentur *Joann. p. cap.* 22. dum inquit -- *Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut est concupiscientia oculorum, aut superbia Vitæ*, quæ satis docte declarantur *a D. Thoma p.* 2. *qu.* 77., *artic.* 5. *&* 2. *distinct.* 42. *q.* 2. *artic. prim.* concupiscientia enim carnis adscribitur *necessitati*; concupiscientia oculorum *Cupiditati*; Superbia *Iræ*, & hanc finalem causam, in Impulsivam, & ratiocinativam distinguit Cicero apud *Francisc. Cason. de indic. tractat.* 2. *num.* 5. *& seqq.*

11 Verum expositis delictorum causas reassumendo, quod pertinet ad *primam* nempe ad *causam materialem*, explorati Juris est delictum a voluntate

principaliter dependere, etenim ubi Voluntas non concurrit, nec minus delictum admissum dici potest, idcirco Voluntarium dicitur, quod fit a principio intrinseco cum notitia ejus, quod geritur, ut inquit *Philosophus 3. Ethic. cap. 1.*; quem insequitur *D. Thom. p. 2. qu. 6. artic. p. & 20., & qu. 77. artic. 7.* ubi illud in directum & indirectum distinguit; *Primum* nuncupat voluntarium in se, ut si quis occidat hominem, advertens esse hominem; *Alterum* vero voluntarium in alio tanquam in causa, appellari suetum voluntarium interpretative ut si quis non adhibita diligentia, an aliquis transeat per viam, advertens periculum projiciat lapidem, vel sagittam, qua transeuntem interimit; dicitur enim hoc homicidium indirecte voluntarium, quia fuit interpretative volitum in illa periculosa emissione sagittæ, vel lapidis, & communi vocabulo vocatur in Jure culposum.

12 Sed dubitatur an ad voluntarium directe non solum requiratur expressa scientia, sed etiam expressa voluntas? exemplum est, si quis propinet alicui Venenum advertens esse mortiferum, quamvis non intendat mortem illius, sed aliquid aliud, an homicidium secutum dicatur directe voluntarium? Aliqui negant non requiri expressam hanc voluntatem apud *Avil. de censur. p. 7. disput. 6. sect. 2. dub. p. in princip.*; Alii vero sententiam *D. Thomæ p. 2. q. 6. artic. 3.* amplectunt, ad directe voluntarium requiri etiam expressam voluntatem; Quare in exemplo adducto de propinante Venenum, dicunt mortem subsecutam dici tantum indirecte voluntariam *Vasquez. p. 2. disput. 24. c. 2.*

13 Conciliari possunt hæ dissidentes sententiæ ut hæc posterior vera sit si loquamur de directe voluntario in actu signato; Prior vero, si loquamur de directe voluntario ut abstrahit ab actu signato, & exercito, pro eo scilicet, quod est voluntarium in se, & non tantum in causa, unde in exemplo allato, quamvis homicidium illud non dicatur directe voluntarium in actu signato, quia non est expresse intentum per actum positivum Voluntatis, potest tamen dici directe voluntarium in actu exercito, ut bene inquit *Suarez. tom. 5. In 3. partem disput. 44. sect. 1. num. 3. & seqq.*, eo quod est voluntarium in se, & non tantum in alio tanquam in causa.

14 Quibus prænotatis conclusio descendit, crimina dolo, & culpa contrahi; dolo contrahi dicuntur, *effectu, animo*, & in hoc consistit voluntas, seu *primus delictorum causa materialis*; Exempla in Jure afferuntur, quo ad dolum, *seu voluntarium directum in l. 3. ff. de injur. in l. 1. §. final. ff. de abig., in l. 23. §. excipitur ff. de ædilit. edict., in l. penult. ff. ad leg. Jul. de adulter., in l. plagi 14. C. ad leg. fab. de plagiar. in l. nec exemplum 20. C. ad leg. Cornel. de fals., §. placuit Instit. de furtis, & §. ita tamen Instit. de vi bonor. raptor.*; Hinc lex cornelia de Sicariis nec latam quidem culpam dolo æquiparari patitur, *leg. in lege 7. ff. ad legem Cornel. de Sicar.*

15 Culpa autem non vere quidem, & proprie crimina contrahi, quodammodo tamen contrahi per *voluntarium indirectum*, quod multis ex legibus colligitur, *in l. 3. §. 1. ff. de offic. Præfect. Vigil., in l. qui ædes 9., in l. si fortuito ff. de incend. ruin. naufrag., in l. 2. ff. de termin. mot. in l. divus 15. ff. ad leg. cornel. de Sicar., in l. 16. §. eventus, in l. si quis §. abortioni ff. de pœnis*, ideoque hæc non dolo patrati criminis pœnam mærentur, sed mitius extra ordinem coercentur, ut Consulti inquiunt in *d. l. 9. ff. de incend. ruin. naufrag. in l. 3. §. adjectio, in l. 4. §. 1. ff. ad leg. cornel. de Sicar., in l. milites 12. ff. de custod., & exhibit. Reorum, & in l. fere 108. ff. de regul. Jur.*

16 De actu illicito culposo, & quibus actibus culpa præsumatur, & excludatur, latissime agit *Hector. Felic. in tractat. de Societat. cap. 21. num. 36. & seqq.*, prout etiam de gradibus culpæ latæ, levis, & levissimæ *nu. 59. & seqq.* quamplurima adducens exempla.

17 Igitur passionis impulsus, seu concupiscentia aut lascivia licet aliquo modo dici possit voluntatem augere, seu voluntarium materialiter, eo quod in causa sit, ut Voluntas majori conatu, seu intensius operetur; non tamen potest proprie dici augere voluntarium formaliter, quia ut dictum est, de intrinseca ratione voluntarii requiritur, ut procedat a principio interno, propterea eo ipso, quod actus voluntatis proveuit in ipsa volumtate ex tractu exterioris impulsivi, nempe passionis, doloris, concupiscentiæ, seu lasciviæ, minuitur in eo ratio voluntarii, nam magis est a principio intrinseco actus voluntatis, qui ab ipsa procedit secundum ejus proprium motivum scilicet secundum judicium solius rationis, quam qui procedit ex tractu passionis extrinsecæ Voluntatis, etenim passio, seu concupiscentia minuit cognitionem, perturbat judicium rationis, & minuit voluntarium, imo si passionis motus esset adeo vehemens, ut omnino tolleret cognitionem, actus redderetur omnino non voluntarius, merito ad rem, ita perbelle inquit *Divus Thomas part. 2. quæst. 77. artic. 6.* -- *Si igitur accipiatur passio secundum, quod præcedit actum peccati, sic necesse est, quod diminuat peccatum, actus enim in tantum est peccatum, in quantum est voluntarius, & in nobis existens, esse autem aliquid in nobis dicitur per rationem, & Voluntatem, unde quanto ratio, & voluntas ex se aliquid agunt, non ex impulsu passionis, magis est voluntarium, & in nobis existens, & secundum hoc passio minuit peccatum in quantum minuit voluntarium.*

18 Propterea legibus cautum est, quem impellente ira, aut dolore delinquentem, levius puniendum esse; *l. aut facta §. causa ff. de pœnis l. 1. §. quæri ff. ad S. C. Turpill., l. quicquid ff. de regul. Jur. l. si non convicii C. de injur., l. 2. C. de abolit.* Iracundia enim, & passio animi sæpe Innocentes adducit ad crimen. *capit. ira 11. quæst. 3. cap. si quis iratus 2. quæst. 3., & cap. si quem pænituerit, §. notandum 2. quæst. 3.*, Hinc non immerito *Philosophorum Antistes Aristoteles lib. 5. Moral. Nicomach. cap. 8.* Scriptum reliquit -- *Quæ ob iram aliusque animi perturbationes, quæcumque necessario, vel natura hominibus accidunt, injuriam quidem faciunt, sed nondum idcirco sunt injusti, vel pravi*, nec non *Plato* gravissimus quoque omnium Philosophorum, & Princeps, *lib. 3. de legib.* sanxit illum quoque levius puniendum, qui ira concitatus, quam, qui sponte alterum occiderit, & meminit *Euseb. ad Theodor. in præparat. Evangelic. lib. 13. cap. 13.*; qua in re Plato Moysis legem imitatus est; sentiens etiam, mitius puniendum eum, qui dolore stimulatus proximum suum interfecerat, ut scribitur *Deuteroni cap. 19.*

19 In Urbe tamen, & in toto statu Ecclesiastico, quo ad homicidia in rixa sequuta, calore Iræ, ita ob homicidiorum, & rixarum frequentiam præscriptum est, tum a *Bannimentis generalibus*, tum a *Constitut. S. M. Clement. XII. incip. in Supremæ*

Justi-

Justitiæ folio (in hoc secundo tomo pariter inserta, *in §. præterea* -) Homicidas non excusari a pœna ordinaria etiam pro homicidio in rixa commisso, si ex Processu constiterit, rixam ex causa irrationabili, seu bestiali, ut vocant ortam fuisse, prout etiam a pœna ordinaria Homicidam non excusari, licet homicidium in rixa admissum sit; quoties ille rixæ auctor fuerit; quodque calor iracundiæ a pœna ordinaria delinquentem nusquam eximat, ubi inter tempus rixæ, ac patratum homicidium sex horarum spatium intercesserit, quod sufficere volumus, ut Reus ad actus extraneos se diverteret, vel divertisse debuerit.

20 Ex quo in Urbe, & in tota Ecclesiastica ditione, quoque Legationibus expresse comprehensis, definita est antiqua Doctorum disputatio de qua Lucas *de Penna in l. omnes omnino num. 5. C. de decurion. lib. 10.*, ubi sex recenset *opiniones*, *& Castill. decis. 159. n. 21. & seq lib. 2.*

21 Verum prælaudatæ Constitutionis verba, quoad præfixum iræ tempus, nullo pacto, extendenda videntur, quoties ira, seu animi dolor originem habet a causis *in posterum urgentibus*, *& tractum successivum habentibus*, etenim tunc non datur locus se divertendi, vel divertisse debuendi ad actus extraneos, ut dicta Constitutio præcipit, Nam ea quæ per tractum successivum semper urgent, diversionem non admittunt, imo in his nunquam temporis intervallum consideratur, sed semper incontinenti fieri dicuntur, ut auctoritate *Glossæ*, & aliorum optime *docet Cyriac. controv. forens. 105. num 73.*, & conferunt ad rem tradita *in superior. observat.*, ubi probatum est, tempus decendii a lege præscriptum ad appellandum non habere locum dato continuo, & successivo gravamine, eoque fortius, quod pœnales Constitutiones strictissime intelligi debent, nec extendi, ubi eorum verba non adaptantur, *ex vulgatis*.

AD OBSERVATION. XXII.

SECTIO I.

SUMMARIUM

1. *Cogitationis pœnam nemo patitur.*
2. *Conatus etiam re integra pœnitentia sublatus, nec etiam punitur.*
3. 4. *Explicantur nonnulli Textus in quo sensu intelligendi.*
5. *Cogitatio etiam in crimine læsæ majestatis non punitur.*
6. *Attentatum, seu conatus dicitur principium exequendi sceleris cogitati.*
7. *Explicantur gradus conatus in actum proximum, & remotum.*
8. *Exemplicatur magis actus proximus in Raptu.*
9. *Conatus redactus ad actum proximum, quomodo puniatur?*
10. *Quid dicendum de consultatione generali.*
11. 12. *Quibus in locis primævum Jus antiquum revocatum est quo ad pœnam ordinariam.*
13. *Non obstante lege contum puniense, Judex potest minorare pœnam.*
14. 15. *Quæstio resolvitur quoad furem.*

[illegible]

1 PRosequendo materialem delictorum causam animadvertere oportet, intelligi hic *voluntatem* pro facto voluntarie, seu dolo admisso, etenim nuda cogitatio, etsi a voluntate descendat, crimen tamen non est, nec pœnam patitur, *Ulpian. libro 13. ad edict.* -- *Cogitationis pœnam nemo patitur, leg. 18. ff. de pœnis* canonizata in *cap. cogitationis de pœnit. distinct. 1.* Paulus libro 59. ad edict. ibi -- *Nec consilium habuisse nocendi, nisi & factum secutum fuerit, leg. 53. §. Et sane ff. de verbor. signif.* Celsus libro 12. digestor. ibi -- *Inficiando depositum Nem, facit furtum, nec enim furtum est ipsa inficiatio licet prope furtum sit leg. 69. ff. de furtis*, proinde I.C. Triphoninus libro primo disput. inquit *Fugitivus est non Is, qui solum consilium fugiendi à Domino suscepit, licet id se facturum jactaverit, sed qui ipso facto fugæ initium mente deduxerit; nam & furem Adulterum, Aleatorem, quamquam aliqua significatione ex animi propositione. Cujusque sola quis dicere possit; ut etiam is, qui nunquam alienam rem invito dominio subtraxerit, nunquam alienam Matrem familias corruperit, si modo eius mentis sit, ut occasione data id commissarius sit, tamen oportere eadem hæc crimina assumpto actu intelligi, & idea fugitivum quoque, & erronem non secundum propositionem solam, sed cum aliquo actu intelligi constat, leg. 225. ff. de verbor. signif.*

2 Imo non tantum nuda cogitatio, sed simplex conatus, re integra ante expletum actum pœnitentia dispersus, nec minus coërcitionem, admittit etiam in atrocioribus teste Paulo libro 5. Sententiar., ibi -- *Qui falsam monetam percusserint, si in totum formare noluerunt, suffragio justæ pœnitentiæ absolvuntur l. 19. ff. ad leg. cornel. de falsis*, & Papiniano *lib. 35. quæstion.* ibi -- *Incestæ Nuptiæ confirmari non solent, & id o abstinenti a tali matrimonio pœnam præteriti delicti, si nondum Reus postulatus est remittimus, l. si adulterium §. Iidem Pollioni ff. ad leg. Jul. de adult.*

3 Non refragatur Textus *in can. qui viderat. 32. qu. 5.*, ubi sola concupiscentia delictum efficit, loquitur enim in foro *interno* Poli, non externo judicii; nec minus adversatur hæresis exemplum, Nam illud speciale est in hoc crimine, quod sola mente, & cogitatione perficitur, imo flagitium hoc ut debita animadversione subjugetur, dolosa in errore perseverantia, & maligna contumacia requiritur, *cap. hæreticus, cap. qui in Ecclesia, cap. inter, cap. hæresis 24. qu. 3., cap. 1. de hæretic. l. 1. C. de summo Trinit., & fid. Cathol.*

4 Rursus nec impedimentum præstat *l. si quis Servo 20. C. de Furtis, & servis fugit.*, ubi ex sola persuasione seu consilio teneri inquit Legislator, minime attento num illa persuasio suum consecuta sit effectum; siquidem persuasio, & consilium eo casu cadit in proprium nomen delicti nempe servi corrupti, quod ex parte Consulentis & suadentis statim consumatur, quamprimum ex ore prodiit consilium, & suasio, ut inquit glossator in *l. 1. §. persuadere 3. verbo furtum factum ff. de servo corrupt*, prout nec similiter obstant Textus *in l. 14. ff. ad leg. cornel. de Sicar.*, *in l. quisquis C. ad leg Jul. majestat.*, *& in §. 3. Instit. de public. Judic.*, intelligendi enim veniunt, quoties voluntas jam ad actus exteriores deduci cœpta sit, ad docte tradita *per Henric. Bocer. Class. 4. disp. 11. thes. 34.*, *& de crimin. læs. maj stat. cap. 1. num. 51.*, mos enim erat Romanorum; ut non tantum exitus, sed & voluntas, a qua sci-

scilicet initium aliquod facti cæpit, puniatur, testante *Iacob. Cujac. ad librum primum disputat. I. C. Triphonini*.

5 In terminis durioribus criminis læsæ Majestatis concinnut, quæ late pro Rhodiensibus in Senatu dixit, cum illis obiiceretur, quod bellum Romanis inferre voluissent, quæ recitantur ab *Aulo Gellio Noct. atticar. libro 7. cap. 3.* in redarguendo Tirum Ciceronis libertum, ac ipsum Catonem defendendo -- *Et quis est* (sunt magna illius Senatoris verba) *tandem nostrorum, qui quod ad se attineat æquum censeat, quemquam pœnas dare ob eam rem, quod arguitur malefacere voluisse? Nemo opinor; nam ego quod ad me attinet nolo, & deinde; Quid nunc, & quæ tandem lex est tam acerba, quæ dicat, si quis illud facere voluerit, mille nummi dimidium familiæ multa esto; si quis plus quingenta jugera habere voluerit tantam damni esto? At quis nos omnes plura habere volumus, & id nobis impune est*; & paulo post subdit -- *Sed si honorem non æquum est habere ob eam rem, quod benefacere voluisse quis dicit, neque fecit tantum, Rhodiensibus tale erit, non quod male fecerunt, sed quia voluisse dicuntur*; Et inde Aul. Gellius compilando Catonis sensus addit. *Interim autem facta solo censenda dicit, atque in judicium vocanda, sed voluntates nudas, inanesque, neque legibus, neque pœnis fieri obnoxia*.

6 At deducta cogitatione ad actus exteriores facti mutataque specie, non agitur magis de voluntate, & animo puniendo, sed de delicti attentato, seu affectu, vel conatu; Attentatum enim Affectus, atque conatus dicitur principium exequendi sceleris cogitati, cum minus sit, quam ipsum factum, imo ipsi effectui contrarius per Text. *in L. 1. ff. quod quisq. Jur.* illis verbis *Quid enim obfuit conatus, cum injuria nullum habuerit effectum*, propterea scite inquit Alciat. *in L. 53. nu. 39. ff. de verbor. signif.*. *Aliud autem est crimen, aliud conatus, hic in itinere, illud in meta est; sed ubi Jure pœna irrogatur perfectum oportet fuisse crimen, quod & in legibus municipalibus observatur, quia interpretationem extra verborum vim non recipiunt*.

7 Sunt & Conatus gradus, nam aut conatus consideratur mediis talibus præparatus, ut nihil amplius ex parte agentis remaneat agendum, & quicquid inde imperfectum remanet ex accidenti remanet absque perfectione, vel quoties media adhuc remota sunt, ut re integra locus pœnitentiæ dari possit; *Primus siquidem gradus* dicitur vulgo Conatus, reductus ad actum proximum; *Secundus gradus* constituit conatum, seu affectum per actum remotum explicatum, & pro distinguendo *primo gradu a secundo* menti tenendum est, quod ad *primum gradum* habendum, actus non debet esse simpliciter propinquus delicto, ut de eo, qui ultra cogitatum, & deliberatum scelus, ad locum destinatum se confert, ibique expectat ad flagitium admittendum; sed proximus esse debet ipsi consumationi, & perfectioni delicti, ita ut sit ultimus actus, qui a delinquente agendus est ad criminis perfectionem, qui quidem ultimus actus non potest, exempli gratia in cæde, aliter verificari nisi ad actum insultus, & offensionis, seu vulneris; juxta Textus censuram in *L. 1. §. divus ff. ad L. g. Cornel. de sicar.* ibi -- *si gladium strinxerit, & in eo percusserit*, Covar. *in Clement. si furiosus in princ. n. 10. de homic.*, *Petr. a Plaza in epitom. delict. libro 1. cap. 10. num. 10.*

8 Exemplificant *actum proximum* quo ad crimen Raptus *Henric. Boich. in cap. 1. num. 22. de eo, qui mittit in possess.*: & *Cynus in L. si quis non dicam rapere versic. si quæritur C. de Episc. & Cleric.*, quando fregit mulieris ostia, vel posuit scalas ad parietes, vel ad fenestras cameræ, *actum vero remotum* quando quis per viam ivit cum gladio evaginato, aut aliis instrumentis ad crimen patrandum accommodatis; Sed melius exemplificat Bald. *in d. L. si quis non dicam rapere nu. 1.* dicens -- *actum proximum* tunc demum esse quando est multum principaliter propinquus delicto, & quasi ejus esse, & quasi delicti intrinseca pars, ut prostratio in terra in actu carnali; *actum vero* remotum esse osculum, vel esse in itinere, aut similem, & *in consil. 316. versic: Aut tu loqueris libro 1.*, ubi ad hoc, ut dicatur *actus proximus*, requirit -- *Quod sit immediatus, & quod alius non detur actus magis delicto proximus, & quod per agentem non steterit, quo minus delictum non fuerit sequutum, & quod fecerit quidquid potuit*, *Petr. a Plaza loc. citat. cap. 21. post n. 24.*, *Boer. decis. 316. nu. 1.*, *& seqq.*, *Menoch. de arbitr. cas. 460. nu. 20.*, *& nu. 36.*, & plura tradit *Joseph. Fontanella consil. crimin. 97. num. 18.*, *& seqq. tom. 2. diversor. in parvis*, *Corneus consil. 202. num. 2.*, *& seqq. tom. primo*, *& Angel. consil. 14. num. 3. a & seqq.*

9 Conatum redactum ad actum proximum delicti de Iuris rigore pœna ordinaria puniri, in atrocioribus, & atrocissimis, veluti læsæ majestatis, Parricidii, Simoniæ, Assassinii, Infanticidii, Raptus, Veneficii, Latrocinii, & similibus, in quibus propter sui immanitatem sola attentata, & conatus puniuntur, ac si effectum fuissent sortita, docent *Schneid. in §. sed, & num. 7. Instit. de obligat. quæ ex delict. nascuntur*, *Gaill. de pac. public. libro primo observ. 14. num. 25.*, *& seqq.*; *Conrad. de Harts. de Venefic. Inquis. conclus. 4. nu. 3.* *Henric. Bocer. de Monet. cap. 6. num. 2.*, *Hamel. de action. cap. 1. num 31.*, *Gulielm. Boebel. vision. de public. Iudic. disq. 4. num. 13. fol. 55.*, *Buchord. in appendic. ad Valentin. Volrz. ad leg. Cornel. de sicar. num. 95.*, & post alios Henning. *Arnisæ de Iur. Majest. libro 2. cap. 6. num. 6.*, dicebat enim Suetiæ Dux apud *Crantz. libro 6 Dan. cap. 39.* -- *Nec minus nec gladius, nec animus defuit, sed fortuna, quæ te miserata ex alto servavit* moventur omnes vi Text. *in Leg. Is qui cum telo C. ad leg. Cornel. de sicar.*, *in Leg. si quis non dicam rapere C. de Episcop.*, *& Cleric. in Leg. quisquis C. ad leg. Jul. majest. in l. 1. ff. ad leg. Pompei de Parricid. in cap. 1. pro humani de homicid. in 6.* cum similibus per eos adductis.

10 Hæc cuncta forsan in puncto Juris locum sibi vindicare possent, nisi totius Italiæ, & Europæ consuetudo summi Juris rigorem molliens esset in contrarium, ex qua generaliter conatus, attentatum, affectus, tametsi ad ultimos actus deducti fuerint, non puniuntur ordinaria, sed alia criminis ultione extraordinaria, de illa testantur *Trivisan. decis. 51.* *Ursill. ad Affict. decis. 21. num. 4.*, *Nicol. Reusner. decis. 21. libro 2.*, *Catalan. de indult. cap. 37. n. 91.* *Farin. q. 124. num. 78.*, *Vermigl. consil. 22. num. 10.* & post innumeros alios *Sigismund. Finckleb. pract. observ. 86. per tot.*

11 Sed antiquum primævum Jus, rejecta lege non scripta, in nonnullis dominiis revocatum est in atrocioribus criminibus, prout in Imperio extat *Sanctio Carolina cap. 178.*, qua ita præscribitur -- *Si quis* deli-

delictum aliquod ejusmodi factis præparatoriis, quæ quam proxime ad criminis perfectionem accedunt, perpetrare conetur, quo minus vero id perficiat, aliis mediis contra Voluntatem suam impediatur, hic improbus, improbæ Voluntatis conatus, unde pessima, quæque delicta promanant, non nunquam severius, etiam extremo supplicio, habita delicti ratione vindicari debet, quo in negotio, cum casum sit magna varietas, etiam Prudentuum censuræ cogari debent, & in crimine læsæ majestatis extremum supplicium vi dictæ Sanctionis practicatum fuisse, testatur *Bernard Zieritz. in not. ad Const. Carol. cap. 178. versic. Etiam fol. 184.*

12 In *Urbe, & ejus districtu* pariter primævum Jus in nonnullis atrocissimis criminibus revocatum fuit per Bannimenta generalia Urbis, prout etiam *in tota ditione Ecclesiastica* per Bannimenta generalia S. C., ut alibi Deo auspice latius distinctim dicetur. Et de Jure *Senatus Sabaudiæ* quo ad *latrocinia, assassinia, & incendia* judicatarum exempla pro suprema capituli ultione recenset. *Godofred. Abav. in theorie. crimin. §. Conatus num. 15. & 21. fol. 324. & 325.* De tentato Raptu, seu attentata cognitione carnali in personam filiæ cujusdam servientis, servatam fuisse in Francia capitalē expiationem testatur *Rebuff. in proæm. Comment. Constit. regul. Gloss. 5. num. 38.*, esto quod in *Regno Franciæ* lex non scripta servatur, pœnam ordinariam pro actu imperfecto, non indici, testibus *Aufrer. in Styl. Parlam. d. 1. tit. de alta, media & bass. Jurisdict. §. 1.*, & *Joann. Gal. in Styl. Curiæ Parlam. arrest. 83. versic. Qui Domini.* Quamplures etiam in Regno Neapolitano vigens Sanctiones capitalem in nonnullis exceptis criminibus dictantes, de quibus etiam alibi sermo habendus erit. Et quo ad particulares *leges Hyspaniæ* videbis Alphonsum de *Azeved. in recopilat. libro 8. tit. 18. leg. p. & tit. 21. leg. p.*, nec non *Didac. Perez. in Ordinat. Castell.*

13 Menti tamen unum figendum est, quod non obstante statutaria lege affectum, seu conatum puniente; ac si crimen consumatum esset, Judex potest ex potestate sibi a lege concessa pœnam mitigare, verum ad id non tenetur, ut ex *Bald. Salicet. Innoc. Cyn. & aliis* docet Godofredus *Abavo in d. §. conatus num 5.* subdens *num. 9. & seqq.* quod in omnibus criminibus Judices quatuor intuere debent ex *Bald. consil. 24. tom. 3.* etenim delinquens aliter *attentat, aliter tractat, aliter procedit, aliter consumat*, unumquodque horum verborum explicando.

14 Sed quid quid dicendum de fure, quomodo conatus, vel delicti consumatio in eo considerandus sit? Distinguendum est, aut Fur ante contrectationem in ipsa conscensione, vel effractione deprehænsus est, aut post eam in actu furandi, & contrectandi: priori casu, delictum est in conatu, & legis, seu statuti pœna adversus hujusmodi fures locum non obtinet, etenim furtum contrectationis factum districte requirit Textus est *in l. 52. §. 19. ff. de furtis ibi -- Hoc enim Jure utimur, ut furtum sine contrectatione non fiat & in l. 21. §. 7. ff. de eod. titul.* ibi -- *Qui Furti faciendi causa conclave intravit, nondum fur est, quamvis furandi causa intravit, sed injuriarum, aut de vi accusabitur, si per vim introivit.*

15 Posteriore autem casu, si fur jam contrectaverit, & in ipso furto deprehænsus sit, licet rem nondum abstulerit, crimen perfectum & consumatum est, & pœna legis, aut statuti tenetur; siquidem ad Furti perfectionem sufficit contrectatio, neque ad illius perfectionem, requiritur ablatio, seu perlatio ad locum, quo fur destinaverat, *l. 21. §. final. ff de furtis, ibi -- Earum quoque rerum, quas quis contrectavit, non abstulit furti tenetur, l. 3. § 2. & l. 5. ff. eod. titul.* Quo ad priorem casum accedit *Godofred. Abav. loc. citat. num. 25.* ubi nonnulla quoque, quo ad pœnitentiam in delictis, explicat.

AD OBSERVAT. XXII.

SECTIO II.

SUMMARIUM

1. *Ignorantia involuntarium causat, & voluntati contraria est; sed quando dicatur error?*
2. *Ignorantia duplex est Iuris, & Facti, & utraque explicatur.*
3. *Quæ ignorantia dicatur invincibilis, & quæ vincibilis.*
4. *Relatio utriusque Ignorantiæ ad ipsam voluntatem, & actum.*
5. *Ponuntur tres conclusiones pro explicatione regulæ.*
6. *Actus contra legem gestus, Ignorantia invincibili excusat a crimine, & pœna.*
7. *Ignorantia Iuris non excusat; sed quomodo regula hæc sit intelligenda?*
   Conciliatio hujusmodi regulæ.
8. *Eadem regula in foro exteriori habet plures limitationes.*
9. *Coniecturæ, quæ Iuris ignorantiam probant.*
10. *Quid dicendum de Ignorantia invincibili concomitanti?*
11. *Contraria sententia expenditur, & rationibus, & exemplis illustratur.*
12. *Limitatio ad regulam.*
13. *Contra limitationem opinio contraria.*
    Pœna debet proportionari quantitati culpæ.
14. *Bannimenta generalia Urbis, quam sententiam in hoc casu amplectuntur.*
15. *Regula traditur ad dignoscendam ignorantiam invincibilem, & explicatur.*
16. *Iurisconsulti quomodo dividunt Ignorantiam?*
17. *Forenses habent ignorantiam invincibilem, proinde non ligantur statutis pœnalibus loci ubi delinquunt.*
18. *Conclusio declaratur in quo sensu intelligenda sit.*
19. *Explicatur quæstio an ignorantia solius pœnæ, data scientia legis, prohibentis a pœna excuset?*
    Quid de Iure Bannimentorum Urbis?
20. *Quid vigore Bannimentorum S. Consultæ?*
21.) *Forenses intra quantum tempus vigore.*
22.) *Bannimentorum allegare possunt ignorantiam?*
23. *Minores 25. annorum in Bannimentis non com-*
24. *prehenduntur.*
    Plura de ignorantia quo ad excusationem Censurarum, & absentium, remissive.
25. *De Ignorantia Rusticorum, Mulierum, Militum, & Minorum remissive.*
26. *Permanentia Bannimentalia debet stricte coarctari quo ad Urbem, & intra districtum.*
27. *Refertur casus decisus in Tribunali Gubernii Urbis. Refertur*

Sen

1 SUperius expressa *materialis delicti causa* eum ultra deducta, alia quoque sub ejus censura comprehendat, *ignorantiam* nempe, *vim*, *metum*, *rationis imbecillitatem*, & similia, de his omoibus sigillatim aliqua summatim diceuda sunt. Primo se offert *Ignorantia*, quæ regolariter Voluntati cootraria est, & Involuntarium causat, quoties ea iu terminis puræ *privationis scientiæ* se vertit, umni & quocumque semoto errore, ad differentiam *Ignorantiæ pravæ dispositionis*, quæ communiter error ouncupatur, ut com quis judicat rem aliter esse, quam revera est; *E. G.*, si armorum delationem a lege vetitam, licitam esse omnino putet, Textus *in l. si per errorem ff. de Jurisdict. omn. Judic.*, *l. 96. ff. de regul. Juris*, *Carbon. in tractat. de legib. lib. 8. dispnt. 13.*

2 Duplex est Ignorantia (loquendu ex parte objecti, seu materiæ ignoratæ), Juris, & Facti: *Ex prima* descendit privatio scieotiæ legis, aut Superioris maudati aliquid præcipieotis, vel prohibentis; *Ab altera* promit ignorantia ejusdem rei vetitæ, exemplum est, si quis ignorat legem, aut statutum de ooo deferendo pogionem, dicitur habere ignoraotiam Juris; si vero legis mandata sciat, nescit tamen, quod ille sit pugio a sanctione vetitus, dicitur habere ignorantiam facti, *Cardin. Turrecremat. distinct. 38. num. 5.*; propterea in crimine Usorarum *juxta Clar. quæst. 37. nu. 2.*, Juris quæstio deciditor quo ad Laicom, a Judice Ecclesiastico; Facti vero, sine ullo negotio spirituali a Judice Laico.

3 Hæc ignorantia sive sit Juris, sive sit Facti, subdividitur per Theologos iu *vincibilem*, *& in invincibilem*; sive in crassam, supinamque, & justam seu probabilem juxta Jurisconsultos quarum prima appellari solet *consequens* distincta *in affectatam, crassã, & vincibilem*, & hæc verificatur io eo, qui data opera ignorare vult, vel valde modicam, aut aliqualem adhibet diligentiam, non tamen tantam, quantam debet, ad Textum *in l. nec supina ff. de Iur. & facti ignorant.* & *in cap. penult. distinct. 37.* Altera vero (*Antecedens* appellata) ad illum adaptator, qui omnem diligentiam adhibet, quæ suppositis circumstantiis rei, & Personæ judicari potest moraliter sufficiens ad eamdem tollendam ignorantiam, & hæc duplicem habet relationem, ad *actum nempe*, qui ignoranter fit, & *ad voluntatem* Ignoraotis,

4 Si referatur *ad ipsam voluntotem*, tunc Ignorantia *antecedens* dicitor illa, quæ est invincibilis, quia antecedit omnem consensom voluntatis; noo enim Ignorantia hæc est volita, neqoe indirecte, neque directe, etenim si ea non esset, actus noo fieret; & huic oppooitur ignorantia *consequens*, quæ semper est vincibilis; nam semper consequitur consensum voluntatis, eo qood est volita, vel directe, si est affectata; vel indirecte, si non est affectata; Si vero referatur *ad actum*, qoi ignoranter fit, tunc dicitur ignorantia *antecedens*, quæ est causa actus, qui fit; & huic nun opponitur *ignorantia consequens*, sed ignorautia *concomitans*, qoæ non est causa actus, sed concomitatur actum ignoranter gestom; sic operans cum *ignorantia antecedente*, adveuiente scientia, dolet de facto; operaua vero cum *ignorantia concomitante*, advenieote scientia lætator de facto, ut inquit *Peripateticorum Princeps libro 3. Ethic. cap. 3.*

5 Ex quo tres hauriuntur conclusiones. *Prima* quod ignoraotia iovincibilis, quæ simul est causa actus, facit iovolnotarium simpliciter, etenim actus hujusmodi, oeque directe, neque iudirecte est voluntarius, imo est contra impetum, saltem habitoalem Voluntatis, ita *D. Thomas p. 2. q. 6. artic. 8. quem omnes sequuntur*; quæ vero non est causa actus, neque dicitur voluntaria, quia oon est volita, neque directe, neqoe indirecte. *Secunda*, quod ignorantia coocomitans, non facit, neque voluntarium, neque involuntarium sed tantum non voluntarium negative, juxta sententiam *Aristotil. libro 3. Ethic cap. 3. & divi Thomæ loc. citat.*; Tertia, quod Ignorantia *consequens*, *seu vincibilis* non facit involuntarium simpliciter, sed potius voluntarium aliquo modo, quaudo *est causa actus*: eteuim ipsa est voluntaria, vel directe, si est affectata; vel indirecte, si non est affectata: Hinc verificatur illud Psalm. 35. -- *Noluit intelligere ut bene ageret*, de qua ignorautia est *Textus in cap. cos de tempor. ordin. in 6.* *si vero non sit causa actus*, sed si scivisset adhuc fecisset, tunc oullo modo actus ille posset dici involuntarius, quia ooo esset contra impetum habitualem voluntatis, sed tantum io eo minueretur ratio vuluntarii, qoia miooeretur cognitio; enim vero, quod scienter fit, in se voluntarium est, sed quod per iguorantiam agitur, solum est voluntarium in causa, eo quod ille diligentiam noluit adhibere ad sciendum qoid ipse facere oportet.

6 Qoibus prænotatis, quæstio resolvitor, quod actus contra legem gestus ignorantia invincibili excusatur a crimine, & poena ex defectu Voluntatis quoties ignorantia Juris, vel facti *esset invincibilis antecedens*, ea ratione, quod omne involuntarium culpa vacat, juxta doctrinam *D. Thomæ p. 2. q. 76. artic. 3. ab omnibus amplexam*; intellige tamen, quando tota actus malitia ignoratur invincibiliter secus vero, quando ea adesset circa nuam circumstaotiam objecti, & circa aliam adesset *ignorantia vincibilis*, tunc excusabitur actus a malitia illius circumstantiæ quam invincibiliter ignorat, oon alterius; exemplum est, si quis interficiat aliquem, quem oovit esse hominem aot id *culpabiliter*, *seu vincibiliter* ignorat, sed ignorat esse Clericum, vel Sacerdotem, erit homicidiis Reus, sed oon sacrilegii, siquidem quo ad qualitatem Clericatus, iovincibiliter ignoratam, iovoluntarium liberat a culpa, ut subdit Idem *Divus Thomas loc. citat. ind. artic. 3.*

7 Sed dubitaodi ratio insurgit quo ad iguorantiam Juris, ex Textu *in cap. Ignorantia, de regulis Iuris* obi tantum ignorantia facti, non Juris excusat; Verum nonnulli hoc conciliare autumant dicendo regulam prædictam locum habere tantum in *Foro exteriori* in quo uoo datur Ignorantia Juris, eo quia in eo foro, non præsumitur legum ignorantia solemni ritu promulgatarum ad Textum io *l. leges sacratissimæ in l. final. C. de legib.* & in *l. Constitutiones 12. C. de Iur. & facti ignorant.* taliter ut iguorare hujosmodi legum dispositionem, quam omnes scire tenentur, esset lata culpa, *l. latæ culpæ ff. de verbor. signif.*, non aotem in foro interiori Conscientiæ in quo quemadmodom utraque facti & Juris *vincibilis* oon excusat a peccato; ita noa, & altera invicibilis æque ab eo excusat, ut optime præter *Molin. Vasquez, Sanchez, Suarez & alii* docet *Azor. instit. moral. tom. 1. libro p. cap. 3. qu. 3.*, *& cap. 16. qu. 1.*, onde *libro 7. cap. 7. q. 4.* inquit, ad eo rudes posse esse Pastores inter pecora enutritos, ut habeant ignorantiam iovincibilem præcepti aodiendi Missam io die festo.

8 At conciliatio hæc non satis facit tanquam legibus contraria, ot prolixius patet ex *toto tit. ff. & Cod. de Iuris & facti ignorant.* meliori igitor fundamento occur-

occurrendum erit dicendo, memoratam regulam Textus *in cap. ignorantia* innumeras fallentias habere, etiam in foro exteriori; siquidem in foro exteriori probatio ignorantiæ Juris quoque admittitur, ut glossator docet *in cap. 2. de Constit. ibi* -- *Nota, quod statuta Episcoporum, vel quorumcumque habentium potestatem statuendi, non ligant probabiliter Ignorantes, qui possunt prætendere justam causam ignorantiæ, nisi eorum ignorantia fuerit crassa, & supina, ut ponamus, quod in hac civitate fuit facta Constitutio pœnalis, & fuit publice publicata, si dico, quod ignoro talem Constitutionem, quia non fuit mihi notificata, non habeo justam causam ignorantiæ, quia non est necesse, quod Constitutio auribus singulorum inculcetur; tamen quis admittitur ad probandum, quod notificatio illius Constitutionis non venit ad ejus notitiam*, quod inquam verificatur, quoties probaret, quod a tempore publicationis, ad illud tempus, in aliquo loco inclusus fuisset, vel in nemore moratus fuisset, pœnitus segregatus ab humano consortio, taliter ut in eo esset ignorantia invincibilis, remota qualibet crassæ, & supinæ ignorantiæ culpa: & concordat præter *Panormit.*, & *Felin.*, *Dynus Mexellian. in d. cap. ignorantia regul. 13. num. 12. & seqq.* ubi quamplurima exemplificat adversus Juris ignorantiam objicienda in foro externo; & nonnullas ad hunc effectum congerit præsumptiones, & conjecturas doctissimus *Menoch. de præsumpt. libro 6. cap. 23. num. 16. & seqq. tom 2.*

9 Confert ad rem Dominus Ulpianus *in l. final. ff. de interrog.*, ubi veniam vult dari illis, qui Juris ignorantia inducti, falsum aliquid, & sibi noxium fassi fuere; & Conjecturæ, quæ hanc Juris ignorantiam probant, proponuntur ab Innoc. III. *in cap. cum in tua, §. super quo, qui matrim. accus. poss.* his verbis -- *super quo duximus distinguendum, quod si tempore denunciationis præmissæ, extra diæcesim existebat, vel alias denunciatio non potuit ad ejus aures pervenire, utputa si nimiæ Infirmitatis fervore laborans, sanæ mentis patiebatur exilium, vel in annis tam teneris constitutus, quod ad comprehensionem talium ejus ætas sufficere non valebat, seu alia causa legitima fuerit impeditus*: & plura ad hunc effectum cum *Andrea Fachineo* tradit *Joann. Strein in comment. ad regul. Iur. regul. 13. §. 2. fol. 61.*

10 Dixi usque adeo de *ignorantia invincibili antecedenti*; Etenim, quod spectat ad ignorantiam *Invincibilem concomitantem*, Doctores inter se non conveniunt. Nonnulli enim existimant, hanc ignorantiam non excusare, ea ratione, quod non facit involuntarium, inferentes propterea, quod si quis Clericum interficiat ignorans invincibiliter esse Clericum *ignorantia concomitanti*, quia scilicet si id nosset adhuc occideret; non excusatur ab excommunicatione: sic tenent *Covar. in cap. Alma mater p. 1. §. 10. num. 15. versic. decimo Ugolin. de censur. tabul. 1. cap. 9. §. 8.*, *Sayr. de censur. libro 1. cap. 18. num 20.* & post alios *Jacob. Graff. in decis. aureis p. 1. libro 4. cap. 9. nu. 41. & seqq.*, qui omnes allegant sententiam divi *Thomæ in prim. 2. q. 76. artic. 3.* docentem, ignorantiam concomitantem a peccato non excusare.

11 Alii autem oppositum sentiunt, *ignorantiam* nempe *concomitantem* a malitia objecti excusare sic invincibiliter ignorata, sive sit ignorantia Juris, sive facti, taliter ut occidens Clericum, sciens esse hominem, sed ignorans invincibiliter esse Clericum; etiam si dispositus esset, ut si cognosceret esse Clericum adhuc occideret; hic licet non excusetur ab homicidio, excusatur tamen a qualitate Sacrilegii proinde in excommunicationem non incidit; prout similiter si quis emitteret sagittam, credens occidere feram, Inimicum suum interficeret, haberet tamen in voluntate hunc actum, *utinam illa fera esset Inimicus meus*, irregularitatem non contraheret; siquidem actus ille exterior non fuit imperatus ab illa mala voluntate occidendi Inimicum, vel Clericum, sed fuit imperatus a voluntate occidendi feram, vel hominem, quem laicum esse putabat, propterea talis operans, quo ad Clericum non incurreret excommunicationis pœnam, & quo ad Inimici necem Irregularitatis ultionem, pro illo actu externo per legem impositam; ita docent *Molin. de Iustit. tom. 4. tractat. 3. disp. 53. num. 2. Navar.*, *libro 2. de restit. libr. 2. cap. 7.*, *Vasquez p. 2. disput. 125. cap. 2. & 3. q ibi Zumel. quæst. 76. artic. 3. disput. 1. Salas tractat. 3. disput. 4. sect. 2. num. 16. & seqq. & tractat. 13. disput. 8. section. 5. Herrer. in 2. disput. 35. qu. 18. & 19.*, *Sanchez libro p. sum cap. 16. nu. 13. Cordub. in quæst. libro 2. q. 19.* & cum aliis *Suarez tom. 5. p. 3. disp. 4. de Censur. section. 8. num. 7. & seqq.*, qui omnes contrariis argumentis occurrunt.

12 Quæ dicta sunt de ignorantia Juris *invincibili*, *seu justa*, excusante a poena per legem imposita, nonnulli limitant, quoties pœna imposita per statutum, esset pro actu, seu facto alia lege antiquiori sive naturali, sive positiva damnato, ut si Episcopus prohibeat furtum sub poena excommunicationis latæ sententiæ, aut alia coærctione corporali, Furans excommunicationem, vel aliam præscriptam pœnam incurreret, etiam si invincibiliter legem Episcopi ignoret, quia furtum est lege naturali damnatum; sic tenent *Glossa in cap. a nobis il 1. verbo Nonnisi subditi, de sent. excommun.*, *Bartol. in l. 1. n. 21. C. de summa Trinit.*, *Covar. in cap. Alma mater p. 1. §. 10. nu. 9. Scotus in 4. distinct. 6. q. 8.*, *Comitol. libro 5. respons. q. 3.*, & alii apud *Clar. in pract. crimin. q. 85. n. 2. versic. secundus*, qui tamen declarat hoc habere locum in pœnis secularibus, non autem in spiritualibus, adversus sententiam *Gloss. Covar.*, *Scoti*, & *Comitol.* loquentium indistincte, de quacumque pœna tam corporali, quam spirituali.

13 Sed in contrarium est sententia magis communis inter Doctores, ratio est; Nam quemadmodum pœna debet proportionari quantitati culpæ, juxta Textum in *cap. felicis verbo illud autem de pæn. in 6.*, & *in cap. 2. de his quæ fiunt a majori parte capit.* ita Ignorans invincibiliter legem Episcopi, vel aliud statutum offendit tantum Jus naturale contra quod se agere cognoscit, non autem Jus positivum Episcopi, aut alterius statuentis, quod invincibiliter ignorat; propterea quia culpabilis minime est quo ad statutum, solius prioris Juris pœnas incurrit, non autem pœnam per legem Episcopalem, aut alteram statutariam, impositam: quæ assertio magis comprobatur ex dispositione Textus *in cap. ut animarum de Constit. in 6.* ubi expresse ita præscribitur -- *Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes*; & videtur ibi Pontificem loqui de sententiis latis pro facto Jure naturali damnato; atque ita mordicus sententiam hanc tuentur *Joan. Andreas*, & *Franch. in d. cap. ut Animarum*; *Sotus in 4. distinct. 22. qu. 1. artic. 2. Silvest. in verbo ignorantia num. 15. & seqq.*, *Azor. tom. prim. libro prim. cap. 15. qu. 3.*, *Sayr. de censur. libro 5. cap. 18. num. 23. & seqq.*, *Suarez to. 5. p. 3. disput. 4. section. 8. num. 20.*, *Ugolin. de censur. tab. 1. cap. 9. §. 8. num. 10.*, *Graff. tom. 1. decis. libro 4. cap. 9. num. 16.*, *Sanchez de matrimon.*

lib. 9. disput. 32. num. 9. , & alii innumeri apud eosdem præcitatos DD.

14 Verum novissima Bannimenta generalia Urbis, amplectendo priorem sententiam *in cap. 157.* præscribunt quoad *Absentes, & forenses che nelli casi* (sunt præcisa Bannimentorum verba) *delli delitti, che sono proibiti, e dannati dalle Leggi communi, contenuti nelli Bandi di questo Governo, già publicati per il passato, e nel presente, publicato, che sia, saranno ligati, e compresi, come se fussero stati presenti alla publicazione d'essi, o gli fossero stati personalmente intimati anche li forastieri tanto soggetti immediatamente, o mediatamente alla S. Sede, quanto stranieri, e Sudditi d'altri Principi, ogni volta, che commetteranno in Roma, o suo distretto alcuno de' suddetti delitti, alle pene imposte &c.*, & in puncto Juris communis, latissime differit, plures distinctiones afferendo *Carol. de Alexio in examin. Anton. Matthæi de crimin., exam. 1. num. 12. & seqq.*; Et de Extero Turca, qui in Civitate Neapolis Sodomiam commiserat, morti tradito juxta Regni leges testatur *Carol. Anton. de Rosa resol. crim. 2. libro 3. per tot.* adversus quam decisionem mordicus insurgit *Carol de Alex. in d. exam. 1. num 19. versic. Sane, cum seqq.*

15 Ad discernendum autem, quando *ignorantia sit invincibilis*, hæc regula traditur — Quando lex, vel statutum, quod ignoratur, non spectat ad proprium alicujus statum, officium, & ministerium, tunc ignorantia illius est invincibilis, & excusat; quando vero ad officium illius, & statum pertinet non est invincibilis, nec excusat, ita *Angel. in verbo excommunicatio 7. cas. fin l num. 3*, *Ugolin. de censur. tab. p. cap 9. § 8 num. 6.*, *Gr ff. decis. p. i. 2. libro p. cap. 6 num 18.*: explicatur tamen, quod si juxta offic i & Personæ qualitatem, quis adhibeat sufficientem diligentiam ut sciat ad se, suumque officium, vel statum pertinentia, & tamen accidit quod aliqua invincibiliter ignoret, tunc a crimine excusatur & a legis pœna; si autem negligens sit in his sciendis obligationibus, ignorantia erit vincibilis, & non excusans, juxta Textum *in cap. si culpa de injur. ibi — E quam debueras non curasti diligentiam adhibere.*

16 Sed quoniam hæc ignorantiæ discussio vastissima est, & tractatum exposceret ob innumeras quæstiones, & dubia, quæ disputari possent, signanter in materia Censur. rum apud Theologus, & Canonistas, etenim quo ad Jurisconsultos, ii contenti sunt Ignorantiam distinguere *injustam seu probabilem, affectatam, & supinam seu crassam*, de quibus late loquitur *Jacob Ayret. in tracta. de triplic. homicid. p. 3. num. 2. & seqq.* ideo consulto aliis omissis, adnotatione dignum videtur, quod *Forenses* sub hac Censura comprehenduntur.

17 Enim vero *Forenses* tamquam habentes *probabilem, seu invincibilem* ignorantiam legum particularium, seu statutorum loci, in quo delinquunt, non teneutur pœna in iisdem præscripta statutis, & legibus, ut communi calculo docent *Bend. Capra regul. conclus. 5. num. 32*, & *Plot. de in lit. Jurand. nu. 332. Bonacoss. quæst. crimin. verbo forenses fol. mihi 82.*, *Viv. commun. opin. 765. nu. 21.*, & *seqq.*, & *opin. 766.*, & post alios *Odd. de restit. in integr. p. 1. quæst. 8. nu. 96.*, & *quæst. 14. n. 79.*

18 Declara tamen, hoc non procedere quando Forensis traxit in loco statutorum, seu Bannimentorum tantam moram, ut verisimile sit ipsum non ignorasse dicta Bannimenta, & statuta; Etenim ex lunga mora in dicto loco oritur verisimilis scientia earumdem legum, taliter ut delinquentes pœnis statutorum, & Bannimentorum puniantur, juxta tradita *per Cyn. in L. cunctos Populos nn. 7. C de summa Trinit.*, & *fid. Cathol.*, & *ibi Bartol. n. 20.*, *Bald. nu. 22.* & *Salic. nu. 7.*, *Plot. loc. citat. versic.. Fallit tamen*, & *Vivi opin. 765. nu. 10.*, & *seqq.*, & e contra Civis novellus non comprehenditur sub statutis pœnalibus illius Civitatis, *Jason. in d. L. cunctos Populos nu. 32.*, *Dec. consil. 19. in princip.*, *Cephal. consil. 241. num. 68. tom. 2.*, & *Viv. d. opin. 766. nn. 12.*

19 Dictum est *supra n. 14.* quod Bannimenta generalia Urbis ligant etiam *Forenses*, & *Absentes* in prohibitis a Jure communi, taliter ut ignorantiam allegare nequeant; etenim non esset justa, seu invincibilis, sed crassa, & affectata, seu vincibilis; tamen posita conclusio intelligenda est, nisi pœna a Bannimentis, aut statutis imposita *valde a Jure excessiva esset*, eo quia *tunc forenses tamquam ignorantes non comprehenduntur*, ut ex *Add. nt. ad Decium* explicat *Farin. in fragm. crimin. verbo Bannimenta post n. 21 tom. 1.*, unde congruit ad rem quæstio, an ignorantia invincibilis solius pœnæ data scientia legis prohibentis, a pœna excuset? quam affirmative resolvit *Sanchez. de matrimon. libro 9. disp 32. nu. 22. & seqq. ubi omnibus contrariis objectis satisfacit*, & *nn. 20.*, & *seqq. tom. 2.*, & *Syr. d. censur. lib. 1. cap. 18. nu. 37.* propterea Bannimenta prædicta in hujusmodi casu, quo ad excessivitatem ultionis ultra Jus commune, recurrunt ad Jus municipale locorum, seu Civitatum eorumdem forensium; ideirco sublunt in d. *cap. 157.* — *Ancorchè dette pene Bannimentali si potessero pretendere eccessive, e di gran lunga maggiore di quelle imposte dalle dette leggi, se ne le loro Patrie, Città Metropoli, o Dominii, a quali son sottoposti siano proibiti, o puniti i detti delitti, in vigore d. Bandi, Costituzioni, Ordinazioni, statuti, Decreti, o in ogni altro modo, con le stesse pene imposte nel presente, o altri Bandi del Governo.*

20 Et in hoc conveniunt etiam Novissima Bannimenta S. Consultæ pro publica tranquillitate totius status Ecclesiast. promulgata, ut *in cap. 79.* ibi — *E similmente saranno compresi nelle pene espresse ne presenti Bandi, qualunque volta per i medesimi delitti da essi commessi siano imposte nelle loro Patrie, Città, o Dominii, a quali son sottoposti le medesime pene; e nel caso, che le pene imposte nelle loro Patrie fussero minori di quelle de presenti Bandi, maggiori però di quelle della legge commune saranno puniti con quelle maggiori della lor Patria, e Dominio altrimenti saranno giudicati secondo la Legge commune.*

21 Sed quantum tempus moræ requiritur, ut nequeant Forenses, Bannimentorum ignorantiam allegare? distincte præscriptum est hoc in Urbe, ejusque districtu in d. *cap. 157.* his verbis — *E quando nelle loro Patrie, Città, Metropoli, o Dominii suddetti non vi fosse tal disposizione, o essendovi fossero puniti con pene minori, vuole, che siano ligati, e compresi, e non gli giovi l'allegare l'ignoranza di essi, ogni volta, che apparisca della loro precedente dimora in Roma, o suo distretto per lo spazio di due mesi, benche interpolato, ed ancorchè nel corso di detti due mesi fossero dimorati parte del tempo in Roma, e parte nel Distretto; e quanto all' altri casi contenuti in queste, & altri Bandi del Governo, che*

non

non fossero proibiti dalle leggi communi detti forastieri saranno compresi, e legati dalli medesimi Bandi ogni volta, che stano dimorati in Roma, o suo distretto lo spazio di tre mesi, benche interpolatamente, o in diversi tempi, nel modo, e forma, che si è detto &c. Sub qua dispositione (subdunt Bannimenta *in d. cap.* 157.) comprehenduntur Forenses omnes tum seculares, tum Ecclesiastici, & Regulares, nec non alii quomodolibet exempti in casibus a dictis Bannimentis præscriptis.

22 At Bannimenta S. Consultæ indistincte tempus hoc præscribunt in memorato *cap.* 79. sequentibus verbis -- *Ed acciocche dalle persone forastiere, che vengono dalli luoghi non soggetti alla S. Sede, non possa allegarsi l'ignoranza de presenti Bandi; si dichiara, che qualunque volta apparisca della loro precedente dimora nello stato Ecclesiastico, per lo spazio di tre mesi, ancorche interpolatamente, ed in tempi, e luoghi diversi, saranno compresi ni presenti Bandi, senza ammettersi scusa alcuna della loro ignoranza.*

23 Notandum tamen, quod sub hac dispositiva tam Bannimentorum Urbis, quam S. Consultæ, non comprehenduntur minores viginti quinque annorum forenses, etsi præscriptam Bannimentalem permanentiam haberent, & majores fuerint annorum viginti, ex rationibus late traditis per *Cavalcan. de Brach. Reg. part.* 4. *num.* 36., *per totum fol.* 201., *Farin. in fragment. crimin. tom.* 1. *verbo Bannimenta n.* 23., *Surd. decis.* 297. *post num.* 5., Nam minores ignorare Bannimentorum dispositionem præsumuntur, per Textum expressum, *in l. regula* 29. *ff. de Jur. & facti ignorant.*, ubi Paulus Juris consultus inquit -- *Ante præmisso quod minoribus vigintiquinque annis Jus ignorare permissum est*: *Mascard. de generali interpetr. Statut. conclus.* 6. *nu.* 162., *& seqq.*, Unde quæ in proemio Bannimentorum generalium Urbis præscribuntur quoad Minores his verbis -- *La minorità di venticinque anni, non suffragherà ad alcuno delli Contraventori e delinquenti, ogni volta, che non pruovino esser minori di venti anni, ma si averanno per maggiori tutti quelli, che averanno compiti i venti anni sudetti &c.*, nullo pacto comprehendere possunt Minores exteros, & Forenses ea ratione, quod Statuta nequeunt habilitare, vel inhabilitare Personas sibi non subditas, per Textum *in l.* 1. *ff. de tutor., & Curator. Farin. in d. verbo Bannimenta num.* 23., *Menoch. de præsumption. lib.* 2. *præsumpt.* 2. *num* 15., *&* 16., intellige tamen, nisi Forensis in Patria, seu loco dominante, haberet legem consimilem præfinientem ætatem minorem intra 20. annum, & crimen eadem poena, ut Bannimenta, vindicantem; etenim in hujusmodi casu locus esset dispositioni Bannimentorum, attentis apertissimis verbis paulo ante adnotatis.

24 Plura de ignorantia Juris, vel facti, licet vincibili, quando excuset ab incursu Censurarum, & ab irregularitate tradunt *Bonacin. de censur. disput.* 1. *quæst.* 2. *part.* 1., *Dian. resol. p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 12. 13., *&* 41., *tractat.* 6. *resol.* 7. *part.* 9. *tractat.* 6. *resol.* 13., *part.* 4. *tract.* 4. *resolut.* 187. *part.* 5. *tract.* 9. *resol.* 17., *& tract.* 14. *resol.* 21., *& Thomas del Bene in tractat. de Immunit. Eccles. part.* 1. *cap.* 2. *dub.* 8. *sect.* 19. *per tot.*, prout etiam de ignorantia Bannimentorum, & legum, quoad Absentes, latius explicat *Farin. in d. verbo Bannimenta num.* 36., *& seqq.*

25 De Ignorantia Rusticorum, Mulierum, Militum, & Minorum, quando præsumatur nec ne, & quibus in Casibus excuset, latissime per plures conclusiones tractat *Farin. in fragm. crimin. p.* 2. *verbo ignorantia nu.* 273., *& seqq.*, innumeros congerens more suo doctores: eum consule.

26 Ad intelligentiam Bannimentorum Urbis, juxta sensum relatum *num.* 21. animadvertendum est, quod si Forensis delinquens fateretur, generaliter se permanentiam habuisse ultra tres menses intra statum Ecclesiasticum, sed non individuaret specialiter in Urbe, aut intra districtum, nec loca præcisa, in quibus permansit, non poterit puniri a lmissi criminis poena dictata ab iisdem Bannimentis; etenim permanentia intra statum Pontificium, non coarctat probationem, quod permanserit in Urbe, & districtu, ut expresse disponunt Bannimenta; siquidem potuit ille moram habere intra statum, sed extra Urbem, & districtum, sic non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, *cap. in præsentia de probat. ubi DD. communiter*: & probatio dubia, & æquivoca contra Fiscum est interpetranda, quia sibi imputet, si clarius, & expressius non probavit in his, quæ pro fundamento ejus intentionis probare tenebatur, *Surd. consil.* 5. *n.* 46., *& seqq. & consil.* 127. *num.* 40., *Rot. decis.* 405. *num.* 3. *coram Ludovis.*; *dec.* 119. *num.* 12., *coram eodem, dec.* 469 *nu.* 2. *part.* 3., *& dec.* 128. *nu.* 49. *par.* 4. *recen. tom* 2., Hinc confessio dubia, & æquivoca non relevat, *leg. certum* 6. *ubi glossa ff. de confess.*; Nam idem est nihil fateri, & incerte, & dubie fateri, *l.* 12. *§. nihil ff. de interrog. action.*, *Bass. in tit. de confess. num.* 43. *Farin. consil.* 60. *num.* 110., *& seqq.*, *& consil.* 156, *n.* 15. *tom,* 2.

27 Casus iste cum de anno 1719. accidisset in Tribunali Gubernii Urbis in personam cujusdam forensis, *Joannis Augustini Ciamei e Terra Toliscotii in Regno*, Rei vulnerum cum qualitatibus proditionis, & latrocinii in personam *Francisci Antonelli Terræ Gavignani*; etsi fassus esset, quod ab hinc quinque annis moram habuerat intra statum Pontificium, non explicando, nec individuando loca, in quibus permanserat, attamen hujusmodi delinquens liber evasit a poena Bannimentali, quæ erat ultimum supplicium, cum mallei percussione, & in frustra sectione; sed ad tramites Juris communis, damnatus extitit per Congregationem criminalem ejusdem Tribunalis ad triremes perpetuas, patrocinante recolendæ memoriæ Clarissimo, doctissimo, & æque vigilantissimo, Pauperum Advocato D. Thoma Antamori, Viro integerrimo, & omnium Virtutum genere ornato, ut omnibus innotescit.

AD OBSERVAT. XXII.

SECTIO III.

SUMMARIUM

1. *Vis, & metus se opponunt voluntati.* *Definitur vis.*
2. *Metus definitiones quamplurimæ.*
3. *Vis quomodo differt a metu.*
4. *Explicantur ad rem nonnulla synonima.*
5. *Distinctio Involuntarii violenti.*
6. *Ex violento simpliciter, seu vi præcisa, quilibet excusatur.*
7. *Rationes afferuntur.*
8. *Ratio dubitandi objicitur, & dissolvitur.*

9. *Violentum mixtum an causet involuntarium? Explicatur sensus Jurisconsultorum, & Theologorum.*
10. *Conciliantur eorum sententiæ.*
11. *Explicantur, quæ fiunt ex metu, quatenus voluntaria, & involuntaria sint?*
12. *Metus dividitur in justum, & in injustum.*
13. *Quis dicatur metus Justus tam de Jure civili,*
14. *quam Canonico, & utriusque Juris varietas.*
15. *Metus sufficientia arbitrio Iudicis remittitur in illis in quibus Jus non disponit.*
Judex primo considerare debet Personam minantem.
16. *Persona minata quoque consideranda est.*
17. *Explicantur actus justum metum inducentes.*
18 *Considerendæ quoque sunt aliæ circumstantiæ.*
19. *Metus perfidiosus quis sit?*
Nullus metus in foro Poli excusat a peccando.
20. *Sed quando procedat hæc conclusio remissive.*
21. *In foro Judiciali externo, an excuset?*
Discrimen refertur inter legem duodecim tabularum, & Aquiliam.
Insuper discrimen inter ipsos Jurisconsultos.
22. *Quid de Iure Imperatorum in Codice.*
23. *Quid de Iure canonico antiquo, & novo.*
Resolvitur delictum metu admissum pœna extraordinaria puniri.

1 NOn solum voluntati se opponit *ignorantia*, iuxta terminos superius expressos, sed etiam *vis*, & *metus*; Est *vis* majoris rei impetus qui repelli non potest, ita Paulus I. C. *in Leg. 2. ff. de eo quod met. caus. Leg. extat. 13. ff. de dol. mal.* quare vis, seu coactio absoluta consensum prorsus excludit, cum absolute coactus magis pati, quam agere convincatur, ut inquit Pontifex *in cap sacris. 5. de iis, quæ vi metusve causa fiunt*. In eo enim, quod per vim agitur, voluntas interior nihil agit, unde violentum dicitur non solum illud cujus principium est extra, sed etiam cui voluntas resistit; & signanter vis, seu coactio absoluta consensum penitus dispellit, ad tradita per *Fagnan. in d. cap. sacris nu. 2., & seqq.*

2 Metus vero est instantis periculi, vel futuri causa mentis trepidatio ut definit I. C. in *l. 1. de eo quod met. causa*, vel coactio mentis, per quam usus liberi arbitrii arcetur, ut existimat *Bald. in leg. 2. nu. 1. Cod. de bi. qui propter met. Iud. non appell.*, vel motus animi interior subitus factus ex aliqua tristi recordatione, sine quolibet alio terrore juxta *Lucam de Penn. in leg. exceptores num. 2. C. de num. Actuar. lib. 12.*, vel ægritudo, seu animi perturbatio ex cognitione mali imminentis orta secundum *Peripateticorum Principem 2. Rhetor. cap. 5.*, vel rationi adversa cautio ad tradita per *Tullium in quæst. Tuscul. lib. 4. n. 21.*

3 Vis a metu differt; etenim vis non potest esse nisi de præsenti, metus autem respicit futura, vis refertur ad corpus, metus ad animum, glossa *in l. si vi versic. si vi C. de bi., quæ vi, Sebastian. Medices in tractat. de casib. fortuit. par. 1. qu. 7. num. 2.* Et de vi, quibus modis dividatur late *Pax Iordan. lucubrat. tom. 3. lib. 14. tit. 12. n. 58. & seqq., Menoch. de arbitr. cas. 394.*, & *Picard. Iustit. par. 3. titul. de pæn. omnium delict. nu. 124.* prout de divisionibus metus, eiusque speciebus *Angel. consil. 215.*, & *Sanchez. de matrim. lib. 4. disput. prima nu. 7., & seqq.*

4 Quoniam vero præsens materia de involuntario est per vim, & metum, idcirco ad intelligentiam, multarum dictionum scire oportet, quæ sunt sinonima cum vi & metu; etenim quod Jus nostrum vocat vim; *Philosophi* appellant violentum simpliciter *Theologi* coactionem absolutam, & *Iurisconsulti* vim præcisam; Quod Jus nostrum vocat metum, *Philosophi* vocant violentum mixtum, *Theologi* coactionem conditionatam, & *Iurisconsulti* vim conditionalem, seu metum, ut videre est *in Rubr. de iis qui vi met. causa fiunt in cap. sacris eod. titul.*, in *Aristotil. lib. 3. Ethic. cap. 1. in Magistro sentent. lib. 4. distinct. 29.*, & ibi scribentes, *in Bald. in rubr. de his qui vi metusq. caus. fiunt num. 18.*, & *in Mario Salamon. in l. 2. ff. de legib.*

5 Igitur Involuntarium violentum duplex est, *unum simpliciter*, idest quod fit per vim præcisam, *alterum vero mixtum*, idest, quod fit per vim conditionalem, nempe per metum, *Aristot. loc. citat. Joan. Damascen. libro 2. orthodox. fid. cap. 24.*, & *Marius Salamon. in d. leg. 2.*, violentum *simpliciter*, est illud, cujus principium foris est, in quo nihil is qui agit, aut patitur, confert; Violentum *mixtum*, idest metus, & vis conditionata, est quando majoris mali vitandi causa aliquid fit; & non tantum Christianis, aliisque Nationibus, sed etiam Gentilibus, metus summopere exosus fuit, *teste Magno Orator. libro primo offic. num. 46.*

6 Quibus præmissis, regula constituitur, quod omne factum, sive contra Principem, sive contra Privatos, sive contra Jus divinum, seu naturale, vel humanum (tam in foro Poli, quam in foro fori) per *vim præcisam, seu violentum simpliciter*, nihil operatur, ac si factum non esset, neque tale factum habetur in consideratione quamobrem coactè agentes per *vim præcisam* non peccant, neque puniuntur; Jura sunt expressa tam in Jure canonico, *in cap. sacris. de bi. quæ vi metusve causa fiunt*, *in c. majores §. item quæritur, de baptism. in cap. contra Christianos de hæretic. in 6. in cap. de Judeis distinct. 45.*, *in cap. Præsbyteros distinct. 50.*, & *in summa 32. q. 5.*, *in cap. ita ne*, & *in cap. de pudicitia 32. q. 5.*, quam in Jure civili, *in l. si uxor §. si quis plan. ff. ad Leg. Jul. de adult.*, *in l. 5. §. removet ff. de postul*, *in l. vim passam ff. ad Leg. Jul. de adulter.*, & *in l. fœdissimum C. eod. titul.*, quorum nonnulla Jura loquuntur de Muliere vim passa, ut videlicet ei nihil sit imputandum, in quo convenit lex Mosaica *Deutoron. cap. 22. n. 25. & 26.*

7 Ratio duplex est; Prima quia taliter coactus potius patitur, quam agit *D. Augustin. de civitat. Dei libro prim. cap. 16. & 18 Gloss. in d. cap. sacris verbo per coactionem*, *Archidiac. in c. qui bona 17 q. 1. num. 13.*, & *Abbas in cap. Consultationi. de Sponsal*; Altera vero, Nam talis coactio naturaliter, & omnino tollit voluntarium, ut inquit *Sanctus Thomas in cap. 2. q. 6. artic. 6.*, *D. Augustin. in moralib. cap. 6. & Anton. de Cordov. in suo quæstion. libro prim. q. 29. in opinion. 2.*; Sed dubitandi ratio insurgit, ex Text. *in cap. Raptor. 27. quæst. 2.* ubi sponsa de futuro ab alio per vim præcisam cognita, poterit a Sponso repudiari; ibi — *Rapta vero si eam Sponsus recipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens non fuit, licentia nubendi alii non negent*, taliter ut ista Mulier punietur sine culpa.

8 Verum dicta ratione dubitandi non refragrante, vera est regula superius posita; In tantum enim in casu d. *cap. Raptor.*, Sponsa per vim cognita pote-

rit

rit a Sponso repudiari, in quantum potest Sponsa de futuro dimitti etiam ob modicam causam, ut ex Text. *in cap. quemadmodum, de jur. jurand.* inquit Glossa *in d. cap. Raptor. verbo noluerit*, etenim Matrimonium debet esse voluntarium, *c. requisivit de sponsal.* idcirco mirum non est, quod ista puniatur sine culpa, cum tamen non dimittatur sine causa, ad tradita per *Gloss. in cap. quemadmodum verbo oculos*, enim vero compelli non debet Sponsus incurrere bigamiā, ex qua oritur irregularitas, ut ibi subdit *Hostiens. verbo Iuramentum*, etenim Sponsus ad eam accedendo bigamiā incurrit, per Textum in *cap. qui in aliquo distinct.* 51. Licet quo ad Sponsam de præsenti vi ab alio cognitam, quo ad Thori repudiationem, ne Sponsus Bigamiam incurrat, aliter sentiunt *Abbas in consil. 4. num. 3. tom. primo, & Covar. in quarto decretal p. 1. cap. 5. num. 3.*

9 Modo loquendo de *Violento mixto*, id est de *metu, seu vi conditionata*, quæstio est an metus causet involuntarium simpliciter? Jurisconsulti, inter quos *Dig. in l. velle 4. ff. de regul. Iur.*, existimant metu gesta esse proprie, ac simpliciter involuntaria, & tantum secundum quid voluntaria; quod probari potest, *ex cap. majores §. Item quæritur, de baptism.* ibi *Is qui terroribus, atque supplici. violenter attrahitur ad baptismum, tanquam conditionaliter volens, licet absolute non velit, cogendus est ad observantiam fidei Christianæ*, nec non ex sententia Aristot. *tertio Ethic. cap. 1* ubi absolute dicit esse invita, quæ metu fiunt; *Theologi* vero cum *D. Thom. p. 2. qu. 6. artic. 6.* asserunt, nempe, ea quæ metu fiunt, esse simpliciter voluntaria, involuntaria vero secundum quid.

10 Pro conciliatione harum opinionum inter Juristas & Theologos, quæ vere non sunt inter se repugnantes, notandum est, duplex esse genus voluntarii simpliciter juxta *Aristotel. loc. cit., & Valent. p. 2. disp. 2. q. 1. punct. 4.*, Primum genus est, quando consideratur res nude secundum suam naturam, abstrahendo a circumstantiis, & hoc modo projectio bonorum in mare tempore Naufragii, dicitur *involuntaria simpliciter*, quia projectio illa nude considerata secundum suam naturam extra periculum Naufragii simpliciter non placet, & hoc modo, quæ fiunt ex metu sunt involuntaria simpliciter, & de hoc genere Voluntariis simpliciter loquitur *Decius loc. citat.*, Secundum genus Voluntarii simpliciter est, cum non consideratur res nude, sed cum circumstantiis suis, hic, & nunc, & hoc modo apposita circumstantia naufragii projectio illa bonorum est voluntaria simpliciter, est autem involuntaria secundum quid, quia est simplex displicentia in projiciendo ea bona, & ideo erit secundum quid involuntaria projectio, & hoc modo usurpatur *Simpliciter, & secundum quid* in illo communi dicto Theologorum, quæ fiunt ex metu esse simpliciter voluntaria, involuntaria vero secundum quid.

11 Hinc infertur, ea, quæ fiunt ex metu, mixta esse ex voluntario, & involuntario, magis tamen accedere voluntariis; ratio est secundum *D. Thomam di. artic. 6.*, quia unum quodque simpliciter, & absolute dicitur secundum hoc, quod est in actu, & in rerum natura; secundum vero, quod est in apprehensione non dicitur simpliciter tale, sed secundum quid; sic operatio in projectione mercium tempore naufragii, secundum quod est in actu, & in singulari, attentis particularibus circumstantiis, est volita voluntate efficaci, & elective, prout est impedimentum majoris mali, quod timebatur; est autem involuntaria, prout est in apprehensione, quatenus apprehensa extra hunc casum; & exclusis singularibus circumstantiis, non fieret; propterea Textus *in d. c. majores*, vult tantum esse conditionaliter voluntarium, & absolute involuntarium quo ad apprehensionem, non tamen quo ad actionem ipsam, ut est in actu; siquidem ut actu geritur, est voluntarium, ut est in apprehensione dicitur involuntarium; voluntas enim nollet, si talis metus non immineret.

12 Dupliciter distinguitur metus a DD., quidam dicitur cadens in constantem Virum, quidam in inconstantem: *Prior* solet appellari justus, probabilis, & gravis; *Posterior* autem injustus improbabilis, & levis, Textus est *in l. metum la p. ff. de eo quod metus causa*: discriminis ratio est, siquidem prior non repugnat constantiæ, & fortitudini, sed juste ac probabiliter eo terretur Vir constans, & fortis; posterior vero Constantiæ, & fortitudini repugnat, & inconstantis, vani, levisque hominis est illo terreri. Quinque conditiones assignari solent, ut metus cadat in constantem Virum, quas fusius explicat *Sanchez. de Matrimon. libro 4. disput. 1. num. 16. & seqq.*

13 Quis autem metus dicatur justus, satis controversum est. Nam ipsa Jura varie hoc ipsum disposuere, *Jus civile* variat inter se, siquidem *in d. leg. metum la s.*, dicit non sufficere quemlibet timorem, sed majoris calamitatis, *in l. continet §. 1. ff. eod titul.* requirit metum mortis, aut verbera, *in l. interpositas C. de transact.*, *& in l. si quidem C. de contrah. stipul.* requirit metum continentem salutis periculum, vel corporis cruciatum, *in l. metus ff. ex quib. major.* hoc remittit *Judicis arbitrio*; & *in l. metum la 2. ff. eod. titul.* requirit metum cadentem in constantem Virum: Hinc non parum laboratur super interpetratione harum dictionum *Vir constans*; etenim *linguæ latinæ Thesaurus* exponit *constans*, idest *firmus*, concordando cum *Aristotile lib. 7. Ethic. cap. 7.* asserente constantiam in resistendo consistere; aliter autem se habet *Cicero in Tuscul. quæstion. lib. 4. nu. 99*, ubi constantem inquit esse magnanimum, & fortem; & aliter etiam *D. Thomas in lib. 4. sentent. distinct. 19. artic. 11.*; ubi constans judicatur ex virtute.

14 Jus autem Canonicum etiam variavit, nam videmus *in cap. 1. sub. eod. titul. de his quæ vi, metusve &c.*, quod nihil aliud intervenit, nisi evaginatio gladii; *in cap. 2. eod. titul.*, dicitur sufficiens metus amissio bonorum; *in cap. 3.* dicitur sufficere terrorem laicorum; *in cap. ad audientiam eod. titul.*, dicitur sufficiens metus ille, qui cadit in constantem Virum; quem metum in constantem Virum exponit Textus, *in cap. cum dilectus eod. titul.*, esse metum mortis, aut cruciatus corporis.

15 Inter has varietates vera conclusio est ab omnibus recepta, quod excepto metu mortis, aut corporis cruciatus; & exceptis his, in quibus lex, sive Civilis, sive Canonica expresse disponit de illius sufficientia, in reliquis disquisitio Juris arbitrio remittitur, secundum censuram *Textus in d. l. metus ff. ex quibus major.*, quod arbitrium liberum esse non debet, sed a Jure regulatum; a ratione, & non a capite, juxta tradita per *Redin. de majestat. Princip. versic. omnibus æquum num. 10.*, *& Segura Avilos in director. Judic. par. 2. cap. 10.*; & quomodo Iudex debeat arbitrari, in his, quæ ejus arbitrio committuntur, docent *Lucas de Penna in l. unic. C.*

de

dem nu. valid. num. 7. versic. sed qualiter, & *Menoch. de arbitr. Judic. lib. 1. quæst.* 14. Considerabit enim in facti specie, *Primum*, Personam metum inferentem, licet verius puto, quemlibet esse timendum, etiam privatum, ut patet in *Emblemate Alciati*, quod se habet -- *A minimis quoque timendum*, & *in Symbol. 163.*, *Ludovici Vives in suo satellitio*, ubi dicit *Nullus est tam contemptibilis, qui non & prodesse, & quod facilius est, nocere possit, ideo nemo contemnendus*, & comprobatur auctoritate *Proverbii*, quod adducit *Erasmus in suis chiliadibus* ibi -- *Scarabeus Aquilam quærit*, plura exempla recensent *Strabo lib. 14.*, & *Liv. lib. 1.*, 2. & 21. *suæ histor.*, propterea minæ a quolibet homine prolatæ, licet minas exequi non solitus sit, quoties sunt capitales, quia comminatæ in personam, vel bona, indueunt justum metum, ut indistincte tenet Glossa *in leg. 3. verbo qualibet simpliciter ff. ex quib. causs. major.*

16 *Secundum*, Personam metum passam; sunt enim nonnulli adeo timidi, qui omnia pertimescunt, proinde minor metus eis sufficit, licet non cadat in constantem virum, & de his timidis loquuntur Jura, *in l. univ. facinoris ff. de quæstion.*, *in l. 1. ff. de ædil. edict.*, & *in l. quæ sub conditione ff. de condit. Instit.*: & aliquos præter modum timidos refert, *Ravisius Textor. in sua officina in cap. timidi*, & *meticulosi*: sic timidi, & pusillanimi timent, quæ non sunt timenda, *Textus in l. scimus C. de Iur. deliberandi versic.*, Ex *omnibus*, & *in §. sed quia quidam*; *Aristotil. lib. 2. Ethic.*; ideirco quælibet dispositio intelligi debet secundum conditionem Personæ, ad quam dirigitur, argum. *Text. in plenum §. æquitius ff. de usu, & habitat.*; Hinc Pueri, Feminæ, Impediti, Senes, Infirmi, & Fragiles facilius terrentur quam alii, *d. l. univ. facinoris*, *l. succurritur*, *cum leg. seqq. ff. ex quib. causs. major.*, *cap. quamvis de Sent. et excommun.*, *c. quamvis de procurat. in 6.*, & *in l. invitis ff. de testib.*

17 *Tertium* actus, ex quibus metus dicitur causatus, ut probabilis dubitatio offensionis, *l. si quis fumo §. quod dicitur ff. ad leg. Aquil.*, *l. recte ff. de his quæ vi metusve causa fiunt*; evaginatio gladii *cap. 1. de his quæ vi &c.*, *l. sed & si quemcumque ff. ad leg. aquil.*, & *in l. si novissime ff. quod falso Tutor.*; visus armorum, *l. 3. § qui armatis ff. de vi, & de vi armat.*, & *ibi Glossa verbo armorum*, dummodo arma ad illum effectum sint parata, ut inquit J. C. *in dicta leg. 3. §. si quis autem ibi -- Visis armis is qui dejici tendebatur, metu hoc deterritus profugerit non videtur ejectus*, cruciatus corporis *l. interpositas C. de transact.*, *l. si quidem Zenoni C. de contrah. stipulat.*, locus non tutus ob Inimicos, *cap. accedens il 1. ut lite non contesta* carcer, *l. qui in carcerem ff. de his quæ vi &c.* excommunicatio *cap. olim il 3. de restit. spoliat.*, *ubi Glossa*, missio bonorum omnium, *capit. 2. de his quæ vi. metusve causa*, vel amissio majoris partis bonorum, *l. propter litem ff. de excusat. Tutor.*, *cap. 1 de restit. spoliat. in 6.*, esse in potestate hostium *Clement. pastoralis de re judic.* Vultus Judicis, *l. quanquam ff. aq. pluv. arcend.*, *l. non videtur §. qui jussu ff. de regul. Iur.*, & *cap. quod quis mandato de regul. Iuris in 6.* vultus terribilis, & irams cujuslibet Superioris, *cap. 1. de offic. deleg.*, vociferatio Superioris, *l. 3.*, *l. final. §. si justo metu ff. de his quæ vi metusve causa fiunt*, praeces cujuslibet Superioris, *l. final C. eod. tit.*, & *ibi Gloss.*, cathenæ, *l. quæ neque sequantur ff. de verbor. signific.*, *l. 1. C. de custod. Reorum*, metus honoris, seu infamiæ *l. nec timorem l. isti si quidem ff. de his quæ vi &c.*, *l. juxta ff. de manumiss. vindicanda*, metus verecundiæ, ne per ora hominum traducatur, *l. final. §. 1. ff. de eo quod metu Causa &c.*, & similia quæ passim apud DD lato calamo recensentur.

18 *Quartum* considerabit Judex alias circumstantias, nempe locum, *cap. cum locum de sponsal.* facit, & proverbium *Gallus in suo sterquilino plurimum potest*, ad significandum, quod in alieno loco timidiores fiunt omnes *Erasm. in suis Chiliadib.* tempus, *cap. baptizari distinct. 5.*, *l. divus Pius in fin. l. si homini ff. de pe it. heredit.*, *Cujac. ad African. tractat. 3. num. 5.*, causam, modum, præterita, præsentia, & sequentia de quibus abunde Doctores *in tit. de his quæ vi metusve causa fiunt*, nec non metum extra Personam liberorum, *l. isti quidem §. hæc, quæ diximus ff. de eo quod met. Causa*, & e contra liberorum personam Parentum, etenim inter se sunt correlativi; Item in personis Consanguineorum, transversalium, *cap. sciant cuncti de elect. in 6.*, in Marito, quo ad Uxorem, & e contra, sunt enim duo in carne una, *Genes. cap. 2.*, & *cap. sunt qui dicunt 27. quæst. 2.*

19 Consulto alia omittendo, quæ metum reverentialem respiciunt, & quibus datum, nec non metum personæ, quem Doctores exemplificant in Medico, Chirurgo, Pharmacopola, Barbitonsore, Advocato, Procuratore, Tabellione, Bajulo, Magistro Navis, Capitaneo, & Præside alicujus Castri; etenim ab his juste timetur, quia nocere possunt, *leg. Medicus ff. de var.*, & *extraord. crimin.*, & *leg. Archiatri C. de professor. lib.* 10. Strictius descendendo ad materiam delictorum, *Primo* ponitur conclusio, quod Nullus metus (ad differentiam vis præcisæ de qua *num. 6.*) etiam mortis excusat *in foro Poli* a peccato ita probat Textus *in capit. Lotharius Rex 31. quæst. 2.*, *in cap. quisquis 11. qu. 3.*, *in cap sicut satius 32. quæst. 4.*, & *in cap. sacris 5. de his quæ vi, metusve causa fiunt*, ratio est, si quidem peccatum est mors animæ, unde potius servari debet vita Animæ, quam corporis, ut perbelle inquit, *D. Augustin. in Psalm. 118. versic. 161.*, his verbis ibi -- *hibuerunt quidem, & illi verba minacia, expello proscribo, occido, ungulis torqueo, bestiis subigo, membra dilanio, sed tua me potius verba terruerunt, nolite timere eos, qui corpus occidunt, & postea non habent quid faciant, sed eum timete, qui habet potestatē, & corpus, & animam perdere in gehennam: Ab his verbis tuis formidavit cor meū.*

20 Sed quando hæc procedat conclusio, & quas limitationes patiatur; Theologos consule, ii enim distinguentes metu gesta, tum contra legem naturalem, tum contra Legem positivam sive divinam, sive humanam, tum contra præcepta divina naturalia affirmativa, & negativa, casus recensent excusabiles, & myrifice materiam hanc absolvunt, ut *Sotus libro primo de Instit.*, & *Iur. qu. 6. artic. 4.*, *Azor. tom. primo Instit. moral. lib. primo cap. 11. qu. 1. Suarez libro 3. de legib. cap. 30. num. 6.*, *Sylv. in clavi Reg. libro 3. cap. 7. nu. 34.*, & *seqq. Salas de legib. disp. 11. section. prima num. 5.*, *Martinez in l. 2. D. Thom. qu. 6. dubit. 2. artic. 6. tom. 2.*, & innumeri alii, hae tamen semper adhibita modificatione in minime excusantibus, ut procedant, quando ab aliquo compellimur alterum non lædere, non autem, quando contra aliquem non ledere volentem defensione utimur, quia tunc silet

pec-

peccatum, ad Text. *in L. ut vim ff. de justis, & Iur. & in clem. si furiosus de homicid.*

21 Quo ad Forum Judiciale externum autem, an justus metus excuset a pœna tum Juris communis, tum municipalis, sciendum est, quod antiquitus *Lex 12. tabularum*, & lex Aquilia pugnabant inter se, etenim *Lex 12.* tabularum etiam servos in his noxalibus, dominis parere nolebat; At *Lex Aquilia* nisi fecissent, perituris parcebat, ut videre est in *L. 2. § si qui non prohibet ff. de noxalib.*; Ultra hanc pugnam alia non minor fuerat inter ipsos legum latores. Nam *Papinianus* (qui fuit tempore Caracallæ Imperatoris anno 200. a nativitate Domini) *lib. 1. definit.* inquit -- *Lex est delictorum, quæ sponte, vel ignorantia contrahuntur coertio*, ut patet in *L. 1. ff. de Legib.*, Idem dixit *Martianus* (qui fuit contemporaneus Papiniani) sequutus Demosthenem Oratorem, qui ante eos illud dixerat, ut habetur in *L. 2. ff. de Legib.*, ubi lex est coertio voluntariorum, & non voluntariorum, Et *Julianus, lib. 35.* (qui fuit post Martianum, & Papinianum tempore Alexandri Imperatoris anno, a Nativitate Domini 230.) tenuit, sive sponte, sive metu delictum commissum puniri, ut videre est *in L. 2. §. 1. qui prohibet ff. de noxal.*, quem sequutus est Domitius Ulpian. in d. *L. 2.*, & Paulus *libr. 3. ad edict.* relatus *in l. in delicti § 2. ff. eodem titul.*, licet ipse Ulpianus *lib. 71. ad edict.* scriptum reliquerit -- *Alea, quæ non habeat voluntatem faciendi, vel fecerit, ignoscitur servis, si Domini, vel iis, qui vice dominorum sint, velut Tutoribus, & Curatoribus ab emperaverint*, ut habetur *in l. ad quæ non habent ff de regul. Iur.*

22 Supervenere postea Jura Imperatorum, quæ mediam Viam elegerunt, quia neque impunitum relinquere, neque pœna ordinaria, sed mitiori punire, ut patet *in l. servos Cod. leg. Iul. de vi publica.*, ubi *Valens*, & *Theodosius* rescripserunt, Servos violentiam committentes ultimo supplicio afficiendos, sed id metu dominorum perpetrantes metallo damnandos, & *in l. 2. Cod. de Sepulcr. Violat.* ubi Constantinus Servum Sepulchri violati Reum, metallo addicendum constituit, sed domini jussione facientem, relegandum.

23 Jus vero canonicum antiquum simpliciter disposuit idem, quod dixerat Domitius *Ulpianus*, scilicet pro nullo metu, malum esse faciendum, ut patet in *cap. Lotharius Rex 32. qu. 2.*, & *in cap. ita ne 32. qu. 5.*; sed Jus novum se ad normam Imperatorum redegit, ut *in cap. Sacris de his quæ vi metusve causa fiunt*, ubi Innocent. III. consultus ab Episcopo Nidrosiensi tempore Schismæ in Imperio existentis inter Philippum Svetiæ ducem, & Othonem Henrici Superbi Saxoniæ Ducis filium, ad traditа per *Seraphin a Freita in s collect. ad dictum Textum*, inquit -- *metu culpam attenuari, licet eam non prorsus excludi*, & sic resolutio est, delictum metu commissum non ordinaria, sed extraordinaria ultione puniendum, & hoc indistincte etiam in gravioribus juxta Textum *in d. l. servos*, *in d. l. 2.*, & *in d. cap. Sacris*; addo ad rem *Menoch. de arbitr. cas. 354.* latius explicantem delictum de mandato Principis, Magistratus, Domini, & Patris admissum, quando delinquentem excuset, *Farinacc. q. 97. per tot.* ubi more suo ampliat & limitat: sed ab hac regula excipe crimen ad defensionem admissum, de quo alibi.

AD SECTION. III.

APPENDIX UNICA.

SUMMARIUM.

1. *Quæstio excitatur num Infanticidium metu infamiæ admissum, vel timore Parentum, a pœna ordinaria excusetur?*
   Infamia morti æquiparatur.
   Plura de honore conservando traduntur.
2. *Mortis periculum inducit justum metum, & sufficit probabiliter dubitare de offensione.*
3. *Quæstio resolvitur, & duo judicatarum exempla adferuntur.*
4. *Inseritur Juris responsum in quadam Infanticidii causa.*
5. *Hodie vigore Bannimentorum Urbis, & Sacræ Consultæ causa honoris, vel seductionis, non excusat.*
6. *Dispositio Bannimentalis Urbis quoad exclusionem dictæ Causæ extendenda non est ad Abortum*
   Affertur ratio.
   Extensio in pœnalibus non datur.
7. *Quid dicendum vigore Bannimentorum Sacræ Consultæ negative resolvitur, & dispositio in præcedentibus quando præsumuntur repetita in sequentibus; Rationes adferuntur.*
8. *Objectioni occurritur.*
   Statuta correctoria Juris communis sat est si verificentur in uno.
9. *Causa, vel qualitas non censetur repetita.*
10. *Bannimenta prædicta non excludunt metum probabilis offensionis.*
11. *Sed quando Conclusio hæc procedat, explicatur.*

1 Quæstio hic superadditur minime flocci pendenda, num mulier infanticidium committens metu Infamiæ, ad cohonestandam ejus honestatem, nec non metu Parentum, ne comperta ejus inhonestate ab illis interficeretur, ab ordinaria infanticidii ultione sit liberanda? Ante quæstionis resolutionem, præmittendum est primo, Nemini in Jurisprudentia versato, imo naturali ratione edocto, ignotum esse, quam gravis, & molestus sit infamiæ metus, quem adeo exosum, ut infamia morti æquiparetur a Jurisconsulto *in l. justa 9. ff. de man. vindict.* imo mortem excedit, *l. isti quidem §. penult. ff. de eo quod met. Causa*, sic causa honoris, & Vitæ æquiparantur *Gloss. in §. suspectus, Instit. de susp. tutor.*, nemo enim pati tenetur, quod honor suus parvipendatur, *l. 1. in princip. ff. de postul.*, imo crudelis est, qui famam suam negligit, *cap. non sunt audiendi 11. q. 3.*, & *cap. nolo 12. quæst. 1.* nam cujuscumque fama inæstimabilis est *l. si in duobus ff. de regul. Jur.* jure merito hujusmodi metus in constantem Virum ab omnibus adscribitur, teste Jurisconsulto *in d. l. justa* ibi -- *Justa causa manumissionis est, si periculo Vitæ infamiæve Dominum Servum liberaverit*, & ibi *Glossa* communiter recepta in verbo infamiæ *Oswald. in Donel. libro 15. comment. c. 38. litera N.* Hinc eleganter inquit D. Hieron. *cap. 18 Danielis tom. 4.* -- *Angustia erat illi non imminentis mortis, sed opprobrii, & ignominiæ*, quam sententiam inter Theologos probant, *Palud. in 4. distinct. 29. qu. 1. artic. 2. conclus. 2.*

So-

Sotus distinct. 29. q. 1. artic. 2., & libro 7. de Just. & Jur. q. 2. artic. prim. ad 2. Henriquez l. 11. de Matrim. cap. 9. num. 4., Sanchez de Matrim. libro 4. disput. 5. num. 15. ubi explicat & post alios inter Juristas *Altimar. de nullit. controct. quæst. 14. num. 31. tom. primo.*

2 Præmittendum est 2. non solū mortis periculum justum metum esse, & in constantem Virum sed ad inducendum justum metum sufficere probabiliter dubitare de offensione, *l. si quis fumo ff. ad leg. Aquil.*, *l. habitatores §. iterum ff. locat. l. hac stipulatione ff. de damn. infect.*, *Borell. in summa decis. p. 3. tit. 1. num. 613.*, signanter in persona Mulieris, in qua minor metus sufficit ut post mille *Altimar. loc. cit. num. 169.*, signanter in hypotesi, etenim in Muliere concurrunt omnes metus divisiones perbelle expressæ a *Joan. Damascen. libro 2. de orthodoxæ fid. cap. 15.* his verbis -- *Metus in sex species dividitur in cunctationem, verecundiam, erubescentiam, stuporem, terrorem, & agoniam; CUNCTATIO est timor futuræ operationis, VERECUNDIA est timor ex expectatione convitii, ERUBESCENTIA est timor ex turpi perpetrata, STUPOR timor ex magna imaginationem, TERROR est timor ex imaginatione non consueti mali, AGONIA est timor casus, qui venire debet, & infortunii, timentes enim in operatione infortunari, agonizamus.*

3 Quibus præmissis, respondetur ad propositum dubium, Mulierem in hoc casu eximendam esse ab ordinaria infanticidii pœna, & extra ordinem puniendam, prout decisum extitit in anno 1739. non solum a Tribunali Gubernii Urbis, in personam cujusdam N. Guidi scribentibus in criminali palestra apprime versatis DD. Advocato Magnani, & Jacobo Colleoneo, sed etiam in præcedenti an. 1738 a Sacra Consulta in personam *Emigdiæ Ferretti, & Xaveriæ Celani*, Asculanen., me simul cum præfato D. Jacobo Colleoni causam hanc patrocinante etenim Mulieres prædictæ citra mortē ad perpetuas carceres damnatæ fuere; Hinc ne repetantur rationum momenta tunc adducta, Juris allegationem hic inserendam censui.

Asculana asserti Infanticidij.

Eminentissime, & Reverendissime Domine.

EMigdia Ferretti de Arce Casaregiana, & Xaveria Filia Andreæ Celani de Villa Sancti Pauli de Lisciano, ob expositus Partus, pluribus abhinc mensibus, in Carceribus laicis Civitatis Asculi recluduntur, expletisque in Partibus defensionibus, cum earum Causa dicenda sit; ex Juribus inferius deducendis, constanter confidimus: moderationem pœnæ ordinariæ, qua Fiscus contra ipsas animadvertendum instat, consequi posse, cum retenta serie spontaneæ confessionis utriusque Carceratæ, non dolo malo; sed ad propriam vitam, & honorem tuendum deliquisse, infíciari non possit.

Porro quod spectat ad Emigdiam Ferretti, sponte hæc fassa fuit Stupro pollutam, ac prægnantem redditam fuisse ab Antonio Matalucci, in cuius Ædibus ad Sarcinatoris artem exercendam, ut sibi victum compararet aliquando concedere solebat; Cumque die 28. Junii sues in Campis custodiret, prope Foveum Infantem enixa fuit, ut ipsa recenset -- *Mentre paravo li Porci nel Territorio di Rocca Casaregna vicino al Fosso detto la Nascia incominciai a sentire dolori grandi nelli fianchi, e nel ventre, e subito m' imaginai fosse arrivata l'hora di partorire, e così me n' entrai dentro detto Fosso, dov' era pochissima acqua, ch' appena poteva ricuoprire un piede, e dopo una mezz' hora in circa partorii una Creatura, che uscita dal mio Corpo, e caduta in Terra, cominciò a piangere, e viddi benissimo che moveva le Braccietre, e piedi, ed era un maschio, e stroncata la budella senza ligargliela, e senza fargli altro, lo lasciai così piangendo, e movendo dentro al Fosso, ma fuori dell' acqua, e poi per non esser scoperta di aver partorito, e perche li Porci, che paravo mi se ondavano via, mi partij dal detto luogo, e mi portai in altra parte a parare li Porci fol. 36.* Adiuque -- *La sera me ne tornai a Casa senza dire, ne communicare con alcuno di aver Io partorito, ne pensai più alla Creatura, che avevo lasciata in detto Fosso fol. 33 ter., & fol. 35.* subiungit -- *Io non sono stata consigliata, ne persuasa di nascondere la mia gravidanza, e di far morir così malamente senza Battesimo il Ragazzino da me partorito, solamente l'ho fatto, perche non si fosse scoperto, e saputo di aver Io partorito ne hò confidato con veruna Persona di esser stata sverginata, ed ingravidata, ne di aver partorito, ed il Fosso della Noscia sta 15., o 16. passi in circa lontano dal Vallato del Molino del Signor Giuseppe Mandolini.*

Xaveria vero Celani fatetur se ultima die mensis Decembris proxime præteriti doloribus oppressam, clam e lectulo surrexisse, paulo ante Ortum solis, & a Paterna Domo egressam in publica via, quæ ducit ad Civitatem Asculi, Infantem peperisse, ibique a se relictam, ut transeuntes, illum aliquem in locum tutum transferre possent, idque a se factum pro defensione propriæ vitæ, & honoris, attentis odio Propinquorum, ac paternæ iracundiæ timore ibi -- *Che praticando da molti anni nella di lei proprio Casa Saverio del quondam Domenico fatti suo Vicino con molta confidenza, questo servitosi della commodità d' averla trovata sola in Casa nell' anno antecedente la cominciò a baciare, poi trovatola nella Selva la stuprò, e conosciutala due altre volte in sua Casa nel mese di Maggio susseguente si riconoscesse gravida, così che avanzatasi in detta pregnanza fino al termine naturale, cominciatigli i dolori del Parto nella notte del penultimo giorno dell' anno 1736., ne puotendo la di loro acerbità più soffrire uscita la veniente matina di Casa partorì tutta sola senza veruno agiuto in detto luogo la Bambina bene organizzata, che vidde moversi, e senti vagire, con averla ivi lassata in abbandono, senza avergli legato il Funicello umbelicale, ed avergli somministrato il Battesimo, per non sapere come si dovesse somministrare fol. 12. a 16.*

Et indicando locum, & causam expositionis Partus addidit -- *me ne andai sola nella strada, che va a Folignano, dove poco doppo partorii &c.. Io non sono stata, ne persuasa, ne consegliata da nessuna Persona d' andare a partorire nella strada, che gl' ho detto di sopra, o nascondere il Parto, ma solamente lo feci perche non si fosse saputo, che già avessi partorito ne da mio Padre, ne da miei Fratelli, ne da altra Persona -- 16., e ter.*, & in Comminatione Pœnæ respondit -- *La lasciai ivi in detta Strada, perche fosse passata qualche Persona a pigliarla, e perciò mi rimetto alla Carità de Superiori -- Proc. Dif. fol. 2.*

Vtraque igitur Puella cum sponte fassa sit pro-

priam

priam culpam, & a ſe peccatum fuiſſe ad vitandam, & decus vindicandum, mitiori pœna plectenda eſt; Sic enim in terminis Infanticidii, quoad ſpontaneam confeſſionem edocet *Rainald. c. 6. §. 5. num. 45.* ibi -- *Et demum accedebat exceptio ſpontaneæ confeſſionis. Sicuti enim ſimplicitas hebetudo, & imprudentia Delinquentem Mulierem a pœna ordinaria excuſat, ut in terminis Infanticidii aiunt D·e. &c. Ita Confeſſio ſpontanea operatur, ut ſit ei aliquantum indulgendum Fab. &c.*

Et in terminis Infanticidii patrati ad conſulendum vitæ, & decori firmant unanimi voto DD. ſic enim tenet *Carpzov. in pract. Crim. part. prima qu. 10. n. 10.*, ubi loquens de Muliere a qua fuit expoſitus Infans natus, qui poſtea periit ad cohoneſtandam eius pudicitiam, vel ad evitandam mortem, & infamiam firmat, quod ſi Mulier exponit Infantem non in locum ſolitarium, ſed in locum, ubi homines frequenter ambulant, ut in Platea &c. eo fine, & propoſito ut alii miſericordia ducti alant, & recipiant, & eo modo Mulier ipſa exponens vituperium, & pœnam fornicationis, ſive Adulterii effugiat, tali caſu ſi Infans præter intentionem exponentis, vel quia non fuit repertus, vel quia nimis ſero inedia conſumatur, vel frigore pereat, vel aliter tali caſu poena mortis locum habere non poteſt, ſed tantum poena fuſtigationis cum perpetua relegatione practicari debet; Etenim ex parte ipſius exponentis deficit animus occidendi, & ſic in contingenti caſu fuiſſe in Foro Saxonico pronunciatum.

Nititur Sententia iſthæc invincibili fundamento, conſiderari ſiquidem non poteſt dolus in Muliere, quæ ad cohoneſtandam ſuam pudicitiam, ſeu ad effugiendum quodcumque malum, fœtum occidit, videtur enim carere dolo, qui deliquit ut proprium ſervet pudorem, & qui agit, ut proprio conſulet pudori non temere, ſed juſta ſe cauſa experiri dicitur *Bart. in Leg. Quæ omnia §. 1 num. 3. ff. de Procurat. Iaſ. in Leg. Properan. §. Sin autem num 9. Cod. de Judic. Menoc. de Arbitrar. Caſ. 177. n. 14. & Conſ. 145. num. 31. Tom. 2.* Quod eo maxime procedit quoties mulier id fecit ad evitandam mortem, quam ex conſanguineis vel Parentibus timere poterat metus quippe mortis eſt ſufficiens, & juſta Cauſa excuſationis, ut in terminis homicidii edocet *Bald. in cap. 1. §. Iniur. num. 19. de Pac. Iuram. firmit.*, *& ex aliis firmat Clar. §. fin. quæſt. 60. num. 13. & ibi, Bajard. num. 57. Covar. in 4. Decret. 2. par. cap. 3. §. 4. num. 7.*, *Cyr. controv. 105. num. 65. tom. 1.* Quia agens involuntarie, coacto agit, ac in eo quilibet dolus excluditur, nam voluntas coacta, voluntas non eſt *Leg. velle non creditur ubi, Dec., & Cagn. de Reg. Iur.* conſequenter Poena mortis ordinaria haud locum habere poteſt ex duplici ratione. Prima quia quælibet cauſa excuſat, ut firmant *Grammat. vot. 10. nu. 23.*, *Novell. ad def. nſ. Reor. rubric. de excuſ. a Reo facien. num. 18.*, *& præcæteris, Tiraquel. de pæn. temperan. cauſ. 36. num. 4.* Altera quia ad infligendam pænam ordinariam legis Corneliæ de Sicariis, omnino requiritur dolus, alias ex lata culpa Deliquens ordinariæ pœnæ ſubjugari non debet ex litterali *Textus diſpoſitione in leg. 7. ff. ad leg. Corn. de Sicar.* Quod ſignanter tradit *Brunem. in Cit. leg.* -- Scilicet requiri dolum, idéſt certam animi deſtinationem, & delinquendi propoſitum, quod etiam repetit *in leg. 5. num. 3. & 4. ff. eodem optima opinante ratione* ubi dolus deficit pænam mortis non eſſe exequendam, ut tradit *Menoc. de Arbitrar. caſ. 324. num. 12. late Ant. Gail. practic. obſervat. lib. 2. obſerv. 110. in princ. ſubditque Idem Brun. loco cit. ex lata tantum culpa fuſtigationem eſſe imponendam, quod tenet etiam, Carpſ.* ubi ſupra *quæſt. 26. num. 33.*

Et ſic in præciſis terminis locutus eſt *Rainald. in obſer. Crim. cap. 6. §. 5. num 30.* ibi -- *Quæro primo an hæc diſpoſitio procedat in Muliere, quæ fœtum Animatum abegit ad cohoneſtandum ejus pudicitiam, vel ad evitandum malum, quod poteſt veriſimiliter timere a conſanguineis. Reſpondeat negative, quia cum Bannimenta expreſſe requirant Dolum ibi -- Doloſamente ſuffigheranno, non comprehendunt Mulierem, quæ ad cohoneſtandam ejus pudicitiam, ſeu effugiendum malum, fœtum occidit. Videtur enim carere dolo, quæ deliquit, ut proprium pudorem ſervet, & ex hoc debet excuſari, ſecundum Bartol. &c. Menoch. &c. ubi ex Clar. quæſt. 8. verſic. parum ait excuſari Matrem, quæ expoſuit Filium in loco periculoſo ad evitandam infamiam, quia non impietas eam movit, ſed proprius honor, qui non modo filiis, ſed & vitæ propriæ anteferetur, ut voluerunt Theſaur. &c.*

Additque -- *Ita eo magis, quæ deliquit ad evitandum mortem, quam ex Conſanguineis* POTEST TIMERE. *Nam metus mortis eſt ſufficiens, & juſta cauſa excuſationis, ut tradunt Decius &c. quod procedit etiam ſi deliquit* NON ABSOLUTE, & PRÆCISE COACTA; *ſed* CONDITIONALITER, *metu ſcilicet mortis, quam ſibi* IMMINERE SUSPICATUR.

Et ſic etiam tenet doctiſſimus *Matth. de Criminib. in lib. 47. ff. Tit. ult. cap. 2. de expoſit. infant. n. 2.* ibi -- *Mitius tamen hac parte cum illis Agendum, quæ & Amoris vi victæ, alterius libidini obſequutæ ſunt, & metu ignominiæ adductæ Partum expoſuerunt. Eſt enim* INFAMIÆ METUS *ejuſmodi, ut cadat etiam in conſtantes viros leg. iſti quidem §. Penul. ff. quod met. cauſ. quanto magis* IN TIMIDAS PUELLAS.

Eamdemque Sententiam ſectatur *Clar. in pract. qu. 83 §. fin.*, ubi teſtatur a Senatu Mediolani abſolutam Puellam, quæ *ad infamiam evitandam*, Partum exponi juſſerat, quem refert *Menoch. de arbitr. caſ. 396. num. 6.*, ubi addit -- *Et recte mea quidem opinione, cum non impietas eam moverit, ſed proprius honor, qui non modo Filiis, ſed vitæ propriæ anteferetur.*

Et mirifice ad rem probat Doctiſſimus *Weſembech in lib. 48. ff tit. 8. ad leg. Corn. de Sicar.*, qui in terminis terminantibus *num. 14.* ſic ait -- *Sed an qui liberos exponunt, ut omnium rerum impia, quaſi parricidæ eadem leg. Cornelia de Sicariis tenentur. Et quidem in Civilibus necare videtur, qui alimenta denegat leg. 4. de lib. agnoſc. cap. fin. 87. Diſt. Sed cum non animo occidendi; immo potius conciliandæ a prætereuntibus miſericordiæ gratia plerique Infantes exponunt, quam ipſi miſericordiam non habent. leg. 4., Verius eſt eas extra ordinem punire leg. 2. ubi Gloſſ. & DD. Codic. de Infant. expoſit. niſi dolo malo in locum ſolitarium Infantes præſertim ſanguinolentos, ideſt recens natos abjiciant, ubi inedia conſumantur, Tunc enim merito leg. Corn. præſertim eventu ſequuto tenentur.* MITIUS TAMEN, HOC EST RELEGATIONE, VEL EVENTU SEQUUTO FUSTIGATIONE EXTERMINARI TALES MEMINI.

Conferunt etiam plurium Tribunalium resolutiones, quibus extra ordinem animadversum, contra hujusmodi Puellas edocemur. Ita decisum in celeberrimo Senatu Mantuano testatur *Ant. Gobb. consult.* 139. ubi refert Mulierem, quæ noctis tempore, & sola nullis acquisitis mulieribus, studiose Inpuerperio laboravit, & foetum enixa Umbelicum abscissum, illigatumque dimisit, atque ob id Infans interiit, extraordinaria poena fuisse punitam; tametsi Fiscus pro poena Ordinaria acerrime institisset. Primo quidem, quia mulier ipsa, brutis crudelior Umbilicum non ligaverat, ut Infans periret, ac proinde Delictum non ommissionis, sed commissionis patravit, ex *L. necare ff. Deliber. agnosc.* Secundo, quia operam rei illicitæ dederat, & ideo tenebatur de omni eventu sequuto. Spretis quippe hisce aliisque Fisci Rationibus Senatus ex rescripto Serenissimi Ducis Die 8 Novembris 1679. In mitiore partem inclinavit, & Clementia usus dictam mulierem a Carceribus relaxari mandavit, *ea exilium duntaxat perpetuum damnata*, ut refert Idem *Gobb. in fin. cit. consult.* 179., & tamen non concurrebat qualitas *metus*, *& verecundiæ* ut in nostra hipotesi, quod maximopere attendendum est.

Et sic decisum legimus in Regno Neapolitano; ubi Mulier, quæ abhortum commiserat fætus animati, licet per Mag. Cur. Vicariæ fuisset ad mortem damnata; nihilominus quia constabat id fecisse, *ut suam tegeret pudicitiam*, per Sac. Cons. Neapolit. die 21. Aprilis 1597., cum interventu Domini Præsidis, & sex Consiliariorum fuit Mulier illa citra mortem damnata ad fustigationem, & detrusionem ejus vita durante in Monasterium, ut refert *de Franchis decis* 592. *circa fin.*, ubi addentes communiter, quam *decis refert*, *& extollit. Scylloya in praxi Syndicandi cap. 44. num. 60. versic. & quædam Mulier*, & Philippus Maresca in quadam alleg. relata per *Sarno in pract. Crimin. par. 2. formul.* 84. *num.* 35.

Ita quoque decisum reperitur de alia Muliere per Senatum Pedemontanum, quæ ventris doloribus impulsa latrinam accessit, & Partum in Cloacam fudit, qui masculus erat & mortuus est, eam siquidem non mortis poena puniendam, sed publice fustigandam censuit, & in perpetuum exilium damnandam, ut refert *Osasc. decis. Pedem.* 60. *circa fin.*

Et quod omnem meretur animadversionem, etiam in hac Urbe decisum testatur Recopilator, sive Scriptor super Bannimentis Bononiæ *Cap.* 6. ubi refert à se patrocinatam Mulierem, & a morte liberatam, quæ fetum occiderat, quem referendo sequitur *Dominicus Ussyn lib. 2. Institut. Crimin. tit. 5. de Crimin. Homicid. num.* 130.

Et sic practicari in Statu Ecclesiastico testatur *Raynald. Voto* 133. *num.* 33. ibi -- *Præsertim cum in Statu Ecclesiastico hujusmodi Mulieres soleant puniri extraordinem, fustigatione, & exilio, ut plura afferri possent exempla*; & signanter ita resolutum legimus per Sac. Cons. die 30. Julii 1704. in Causa Mariæ Magdalenæ Octaviani de Montegranario, & quidem in terminis fortioribus. Agebatur enim de suffocatione fisica Infantis ad honorem custodiendum, vitæque consulendum, ut videre est apud *Setam Voto* 11. ibi -- *Edendo in lucem Infantem vivum, perfectèque organizatum, uterum feliciter degravavit, Partus tamen fuit Infælix, ex quo Immanitas propriæ Matris, eo producta est, ut cujuscumque legis oblita, ore tenerrimæ puellæ propriis manibus compresso, intercludendo in cunabula, quæ vix Infans attigerat in funestum feretrum senserit commutatum* -- Et tamen juxta votum Locumtenentis damnata fuit in pœnam perpetui Carceris, ea potissimum ratione *dubium fuisse, an constaret de Dolo, quia dissimulavit prægnantiam suis Dominis, & apud istos, & consanguineos adhuc inhonesta esset detecta, & per consequens honoris causa prolapsum ad committendum scelus, & sic coacte violentiam in fœtum injecisse, ut in cit. voto per tot.*

Quæ quidem Tribunalium decisiones alienæ non videntur, ab iis, quæ in corpore Juris, quo vivimus disposita sunt. Similem siquidem pœnam statutam in hujusmodi casibus fuisse comperimus in Pandectis, ut clare patet ex *Ulpiani Responso in leg. 8 ff. ad Leg. Corn. de Sicar.* ibi -- *Si Mulierem visceribus suis vim intulisse, quo partum suum abigeret, constiterit, eam in exilium Præses Provinciæ exigit.* Cui adstipulatur id, quod in monumentis Martiani Statuum reperitur in *Leg. Divus ff. de Extraord. crim.* ibi -- *Divus Severus, & Antonius rescripserunt eam, quæ data opera abegit, a Preside in temporale exilium dandam.* Ac dictat oraculum *Trifonini in Leg. Cicero 39. in fin. ff. de Pæn.* ibi -- *Sed, & si qua visceribus suis post divortium, quo prægnans fuit vim intulerit, ne inimico Marito filium procrearet, ut temporali exilio coerceatur ab optimis Imperatoribus Nostris scriptum est.*

Cæterum quoties ratio habetur de Muliere, quæ Partum occidit ad suum pudorem conservandum, locum non esse pœnæ ordinariæ præter solidissima rationum momenta superius deducta, ita practicandum tradunt *Mat. Berlich. par. 4. Conclus. 7. n.* 19. ubi docet *pœnam ordinariam non habere locum in Muliere, quæ partum occidit ad pudorem conservandum sed tantum practicandam fustigationem, cum relegatione*, addens ulterius idem procedere in Muliere, *quæ partum non occidit, sed tantum ad vituperium evitandum celavit, & sine Baptismate mori permisit* Subdens deinde in *conclus.* 8. *num.* 38. *Mulierem, quæ ad dedecus evitandum, fœtus animati abortum Committit non pœna mortis, sed fustigatione, vel relegatione plectendam*, allegans innumeros DD. quem refert, & sequitur *de Angelis de Delict. in Tit. de abort.*

Et quando partus occiditur ad evitandam infamiam; pœnam minorandam esse firmiter tenent, & docent *Menoch.*, *Clar.*, *Bajard P. Minar.*, & allij apud *Marcum Anton. Sabel. in Summa Diversorum* §. *abbortus num.* 4. *Ant. Thesaur. decis.* 23. *num.* 7., vbi admonet Iudices, vt super hoc *pervigilent, & considerent*, NVLLVM AMOREM ÆQVIPARANDVM MATERNO. CONSEQVENTER *non mirum si coactæ ad pudorem vindicandum puros exponunt*, quod etiam testatur *Ayrerius de Homicid. part. 2. num.* 39., qui consimilem refert casum, & tradit pœnam extraordinariam imponendam Nullis propterea inferre potest amaritudinem, quod vtraque Mulier in hypothesi vmbellicum non alligauerint. Optimè siquidem hanc tuetur sententiam, ex hoc mortem sequi non posse, quamvis umbellicus Infantis sectus esset, & non ligatus *Thomas Bartholinus in sua Anathome, lib. 1. de Infimo Ventre, tabul.* 31., ubi edocet *mortem Infantis ex alia causa, quam ex non umbellici ligatione procedere, ejusque opinionem* sequutus est in hisce terminis Senatus Mantuanus, ut refert *Anton. Gobb.*

citat.

citat. consult. 39. *a num.* 27. *ad* 34., ubi hoc late demonstrat, & signanter, quia in casu Xaveriæ concurrebat circumstantia facti, videlicet, quod dum Infans erat in Platea a cane graviter offensus remanserat, & sic potius ex canis offensione, quam ob omissum ligamen umbellici Infantem periisse fatendum est, eoque fortius quia secundum Medicorum auctoritatem mors ex omissa ligatione sequi non poterat, ut firmat *Bartholin.* ubi supra, & alii apud *Gob. loc. cit.*; Consequenter cum in hujusmodi casibus Medicorum consilio deferendum sit, ut post alios firmat *Giurb. cons.* 82. *num.* 5., pœna ordinaria mortis nullo pacto imponenda venit.

Quæ omnia majoris redduntur efficaciæ, quia in terminis etiam fortioribus atrocissimi Criminis Parricidii, attentis facti circumstantiis poena minoranda est, ut doctissime de more tradit *Carpz. in sua Practic par.* 1. *quæst.* 15. *num* 22. ibi -- *Secundus casus est, quando Parricidium, neque ex proposito committitur, neque etiam ex actu proprio dolosa immediate provenit, ex deviatione tamen incircumspecta, imprudentia, & stultitia, actuque illicito causa Parricidio præbetur. Veluti si quis agendo quid illicite, alioque fine ex imprudentia, & imperitia mortem causetur; qualis est Puerpera occultans Puerperium & auxilio omni destituta Partum negligendo, ipsique non debito modo subveniendo causam Infanticidii præbens. Quapropter dicitur versari in culpa lata, vel latiori. Quo casu ne quidem pœna gladii obtinet, sed taliter delinquens fustigatione, vel ad minimum perpetua relegatione puniri debet.*

Et *num. sequen.* reddit rationem -- *Tum quod pro homicidio pœna mortis non imponenda sit, nisi Reus in dolo fuerit versatus; lata culpa enim quoad pœnam mortis dolo non equiparatur Leg. &c. Tum quod fustigatione, vel relegatione pro Judicis arbitrio puniendus sit ille, qui præter intentionem exponendo sobolem, vel medicinam, minus convenientem, & salutarem ex imperitia præbendo mortem causatur.*

Et quod magis est laudatus Auctor respondet doctissime objecto fortasse excitando, videlicet, quod dans operam rei illicitæ tenetur de omni eo, quod sequitur hisce verbis -- *Neque adversatur, quod operam dans rei illicitæ tenetur de omni eo, quod præter ejus intentionem ex actu isto sequitur juxta Leg. Quoniam multa &c., adeoque, & de Homicidio, vel Parricidio, exinde sequuto. Quia istud tantum verum est, quantum ad subiectum, circa quod versatur ipsa malitia illicite operantis, & quantum ad ea, quæ illi objecto per se, & immediate junguntur, aut necessario sequuntur, non autem quoad illa, quæ per accidens oriuntur a re illa mala, cui opera datur, quia illa, quæ per accidens eveniunt ex opere aliquo, tamquam effectus remoti non imputantur agenti, Covarr. &c. Ita enim in casu quo Puerpera Puerperium occultando, & Partum negligendo causam dat Parricidio, mors Infantis non immediate ex occultatione, & negligentia provenit, sed potius ex aliis supervenientibus symptomatibus, nimia effusione sanguinis frigore &c., quæ puerpera adiuta aliorum auxilio avertere potuisset; Ipsa itaque non tam principaliter de morte Infantis, quam de sua negligentia, & culpa enormi, mortem tamen causante tenetur.*

Refertque *num.* 26. ita judicatum per *Scab.*, ibi -- *Ideoque fustigationem cum perpetua relegatione declarare solent Scabini in casu, quo Fœmina Puerperium occultantes vel Cingulum Umbellici Infantis ex imperitia abrumpunt, vel justa modo non resecant, vel aliter Partui non subveniunt, & per id causam præbent, ut Infans ex nimia sanguinis effusione moriatur, prout responderunt &c.*

Hisce tamen omnibus Juris, & DD. auctoritatibus accedunt etiam validissima Facti argumenta, quæ ordinariæ pœnæ moderationem reposcunt. Quod enim spectat ad Emigddiam Ferretti, summopere confert ad pœnæ minorationem consequendam illius conditio. Agitur quippe de Puella, quæ vix primum & vigesimum ætatis annum attigerat rusticam vitam ducere assueta, Sues ut plurimum in Campis custodiebat, & cum tempus aliquantum otii concederet, Sarcinatoris artem exercebat ad victum vestitumque sibi comparandum. Ignoscendum itaque venit infelici Puellæ, quæ vi amoris victa, Sarcinatoris libidini obsequuta, metu ignominiæ adacta, Partum ubi fuit enixa Vivum reliquit, & ad evitandam infamiam, suorumque Consanguineorum iram, & ut insequeretur Sues, fugientes, quos custodiebat, non tamen impietate mota, fætum eodem in loco fortunæ commendatum reliquit. Sic enim statuere *Imperat. Valent., & Gratian. in Leg. Utili ratione Codic. de Defens. Civit.*, ibi -- *Utili ratione equidem prospectum est, ut Innocens, & quieta rusticitas peculiaris Patrocinii, idest Defensorum beneficio perfruatur* -- & *Callistratus in Leg. 2. §. Senatus ff. de Jure Fisci*, ibi -- *Propter rusticitatem* -- *Ulpian. in Leg. 3. ff. ad S. C. Syllanian.*, ibi -- *Si forte per imperitiam, vel rusticitatem exercuit* -- & *Paul. in Leg. 2. ff. Si quis in Jus vocatus*, ibi -- *Rusticitate hominis parcendum erit* -- & *Imperat Justin.* scribens *Joanni Præfecto Prætorio in Leg. 31. Codic. de Testament.* ait -- *Et ab antiquis legibus, & a diversa retro Principibus semper rusticitati consultum est* -- Quod decrevere *Sac. Canon. in Cap Sancta 2. qu. 7.*, & *Divus Hieron. relat. in Cap. Secundum 13. 23. quæst. 4.* ait -- *Sed ignoscitur ei quasi rusticano Fratri* -- & *in Prolog. Bibliæ* scribens *ad Paulin.* ait -- *Sancta quippe rusticitas solum sibi prodest.*

Quod etiam eo magis attendendum credimus quia revera rustici a dolo excusantur ad *Text. in Leg. 7. §. Inter vos ff. de Jurisd. omn. Iudic.*, ibi -- *Doli mali autem ideo in verbis edicti fit mentio, quia si per imperitiam, vel RUSTICITATEM fecerit non tenetur* -- & sic concludit *Paul. in Leg. 9. ff. de Jur. & Fact. Ignor.*, ibi -- *Ignorare permissum est fœminis ob sexum fragilitatem* -- Quod communiter affirmant DD. apud *Natt. lib. 3. cons. 586. num. 3.* Quod erudite ostendit *Cyrill. in Summ. Crim. rubr. de pæn. §. 3. num. 6.*

Atsi rusticitas excusat Emigddiam Ferretti ab ordinaria pœna, multo magis ab ea excusare debet Xaveriam Celani, qualitas ejus Genitoris, quem Virum ad iracundiam pronum esse plures Testes ad defensam Infelicis Xaveriæ, formiter examinati concludunt, & quod magis est quamvis Infelix Xaveria ab ejus Stupratore in Uxorem duci exoptaretur, adeo ut eam instanter petierit ab ejus Genitore, incassum hoc agere contendit, quia ejus Genitor id facere renuit, ut de auditu publico duo Testes, & alter de auditu ab eodem Stupratore deponunt *fol.* 11. 15. 19. *tergo* Fortius quia non solum pauperrima Inquisita sola, & absque aliqua Muliere Domi sue morabatur, sed quæ tam Mulier, quæ Obstetricia munere fungebatur ultra quartam partem milliarii di-

distabat, ut iidem Testes ad defensam formiter examinati deponunt *fol.* 9. 13. *tergo* 18., qui pariter Testes unanimiter concludunt locum, in quo Xaveria peperit, viam publicam esse *fol.* 15. 19 *tergo*. Accedebat etiam ante acta vita Infelicis Xaveriæ, ut relati Testes probant, ac etiam optima conditio ejus Consanguineorum, quorum primus Sacerdotali caractere præfulget.

Ignoscendum itaque venit pauperrimis Carceratis in hisce terminis, cum in ipsis defecerit determinata voluntas fœtum interficiendi, sed naturali quodam honoris impulsu, deliquerunt.

Quare &c.

5 Hodie tamen vigore tam novissimorum Bannimentorum generalium Urbis, quam Sacræ Consultæ excusatio hæc ratione evitandæ infamiæ & pro conservatione honoris, Mulieribus minime suffragatur ad pœnam Infanticidii ordinariam evadendam enim vero cubitalibus verbis ita præscribitur in c. 10 dictorum Bannim Urbis emanat. de *anno* 1747. ibi -- *Ne alli Rei di tal delitto, gli suffragarà il dire d'esser stati sedotti a commetterlo, o d'averlo commesso per causa d'onore, mentre ne la seduzzione, ne la causa d'onore si reputeranno sufficienti ad esimerli dalle sudette pene a tampoco per ottenere alcuna sorte di diminuzione*; & concordant Bannimenta generalia S. Consultæ edita 1740., cap. 49. -- his verbis -- *Ne alli Rei d'una tal scelleragine suffragarà la scusa d'esser stati sedotti a commetterla, o d'averla commessa per causa d'onore, volendo, che un delitto così barbaro sia punito colla pena di morte ancorche vi fosse la seduzione, e nonostante la causa d'onore*, taliter ut Jus commune quo ad hoc derogatum sit in Urbe, totaque Ecclesiastica ditione.

6 Sed an hæc eadem dispositio procedat quo ad abortum causa honoris, & ad pudicitiam tuendam admissum? Et negative respondendum videtur etenim Bannimenta Urbis, per caput separatum loquentia *in cap.* 11. de Abortu, & Partu exposito, minime causam honoris, & seductionis excludunt, ut antea *in cap.* 10. quo ad infanticidium præscripserunt imo dolum in delinquentibus expresse exposcendo his verbis -- E *nella stessa pena della Vita incorreranno tanto le donne, quanto ciascun complice, ed Ausiliatore, che con bevanda o altro modo dolosamente procureranno l'aborti di feto animato, seguendo però l'aborto*, causam honoris minime excludunt; siquidem metu infamiæ delinquens, dolose delinquere non videtur juxta individuales auctoritates in superius inserta allegatione adductas; quin prætendi valeat aliqua extensio a dicto *cap.* 10. *ad cap.* 11., etenim in Bannimentis pœnalibus, & correctoriis, nec non exorbitantibus a Jure communi nulla extensio toleranda est juxta censuram Textus *in cap. quæ a Jure communi de regul. Jur. in* 6., *in cap. constitutionem & ibi glossa in verbo prorogamus, ff. de regul. Juris in* 6. *in l. quod vero contra, & in l. Jus singulare ff. de legib., in l. præcipimus C. de appellat. cum similibus, & late Cravett. in tractat. de antiq. tempor. p. 4. in princip. num.* 148.

7 Sed cardo difficultatis insurgit quo ad Bannimenta generalia S. Consultæ; etenim sub eodem *cap.* 49. post quam dispositum fuit quo ad Infanticidium, quod hujusmodi delinquentes ultimo supplicio afficiantur, inferius addendo in §. *Ne a Rei* quod his fontibus nullo pacto suffragetur honoris, aut seductio; subnectuntur hæc verba -- *E questa disposizione vuole Sua Eminenza che abbia luogo ancora negl'aborti procurati di feto animato, e ne parti, che venissero esposti &c.*: Verum quacumque dubitandi ratione semota existimo, prædicta verba intelligenda esse tantum; quo ad pœnam præcedenter impositam, non autem quo ad aliam partem qua Jus commune corrigitur, ne allegari posset metus infamiæ seu honoris, ratio, quæ me movet, depromitur ex regula, quod dicta, & disposita in præcedentibus contra Jus commune, vel ab eo exorbitantia, nunquam repetita præsumantur insequentibus, nisi de illis expressa mentio fiat, si enim legislator in abortu, quoque voluisset honoris causam non excusare, utique expressisset, prout de Infanticidio expressit, *argum. l. unic. §. sin autem ad deficientis ff. de caduc. tollend.*; *cap. ad audientiam de decimis, cap. inter corporalia de translat. Episcop. Ancbar consil.* 120. *num.* 4., *Alexand. consil.* 38. *num.* 5. *& seqq. tom.* 6. *Corneus consil* 230. *num.* 5. *tom.* 3., *Soccin. Jun. consil.* 158. *num.* 39. *& seqq. tom.* 2. *& consil.* 128. *num.* 34. *& seqq. & num.* 97. *tom.* 1. *Paris. consil.* 36. *num.* 5. *tom.* 1.

8 Quin obici possit, quod legislator dixit -- *E questa disposizione, vuole, ch'abbia ancora luogo negli aborti, e ne parti esposti &c.* siquidem cum agatur de dispositione Juri contraria quo ad exclusionem causæ honoris, & ne allegari possit infamiæ metus; fit est quod Bannimentorum dispositio verificentur in uno, nempe quo ad pœnam, non autem extendenda quo ad rejectionem causarum excusantium, enim vero in correctoriis, & pœnalibus statuta ita interpretanda sunt, ut minus quam fieri possit lædant Jus commune, Textus *in cap.* 28. *de regul. Jur. in* 6.; *ibi Quæ a Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda, l. in his ff. de legib.*, & ubi duplicem habent intellectum declarantur ut procedant in uno casu, ut minus a Jure communi recedatur juxta censuram Textis *in cap. cum dilectus de consuetud.* Gloss. *in cap. statutum.* 4., *verbo numerandum de præbend. in* 6.; *Abbas in d. cap. cum dilectus Ancbar. consil.* 91. *n.* 1. *Dec. consil.* 451. *num.* 5. *& seqq. Cravett. consil.* 197. *num.* 5. *& seqq. Gratian. discept. Forens. cap.* 546. *num.* 13. *& seqq., & cap.* 576. *num.* 12. *tom.* 3., non enim contra Jus commune duplicem effectum operari debent, & extendi, Idem *Gratian. c.* 382. *num.* 21. *& cap.* 267. *num.* 25. *tom.* 2. *Paul. Christin. decis.* 211. *num.* 9. *tom.* 4. *& Rot. decis.* 161. *num.* 13. *p.* 2. *divers.*, ubi dispositio quæ potest interpetrari ut operetur unum, val duo contra Jus commune debet interpretari; ut operetur unum tantum, & non duo, *Sabelli in summ. divers. tractat. §. dispositio post num.* 39. *tom.* 1., ea ratio quod omnis dispositio est interpetranda ut quanto minus fieri potest per eam fiat recessus a Jure communi, signanter in pœnalibus stricte intelligentibus.

9 Eoque Fortis in nostra quæstionis hypotesi, siquidem non agitur de extendendo principalem dispositionem dicti *cap.* 49. quæ vertit in præscribenda pœna contra Infanticidia committentes, sub hac censura comprehendendo Complices, & Participes sed de extendenda causa honoris seu seductionis ab iisdem Bannimentis præclusa; quibus in terminis conveniunt omnes hanc extensionem non esse admittendam, neque censeri hanc causam, seu qualitatem repetitam in alio delicto, ut declarant Bartol. *in l. Prætor la* 2. *§. eritque hæc differentia ff. de vi bonor. raptor.*, *& Angel. Aretin. in §. capite tertio versic. aut est Instit. de leg. aquil.* ubi etiam regulam firmat,

mat; quod in exorbitantibus a Jure communi, nunquam præcedentia intelliguntur repetita in ſubſequentibus abſque ſpecifica, & individuali mentione *argum. Text. in l. uxori §. Uxori ff. de legat. 3.*, *& ex Gloſſa*, quam ibi allegat.

10 Iuſuper notandum eſt; quod licet præfata Bannimenta excludant a minoratione pœnæ Infanticidii honoris cauſam, ſeu infamiæ metum nihilhominus de alia cauſa a metu Parentuum prodeunte nihil diſponunt, propterea ad tramites Juris communis Mulier infanticidium admittens metu probabili & juſto, ne ab ejus Parentibus interficeretur, aut aliter offenderetur, pœnæ minorationem meretur nam defenſor propriæ ſalutis non tam peccaſſe videtur, *l. 3. C. de leg. Cornel. de ſicar.* qui enim non abſolute quid facit, ſed coacte ad aliquod perpetrandum movetur ad majus malum evitandum, is equidem minori quodam ſupplicio caſtigandus venit, ad docte tradita per *Daniel. Claſſen. de Jur. aggrat. cap. 13. §. 7. fol. mihi* 142., ſignanter quando ex Perſona Patris, aut Fratruum probabiliſſima conjectura ſumi poſſet, de probabili ſuſpicione metus in perſonam ejuſdem Mulieris de ejus Vitæ offenſione, aut nece ſuſpicantis, ob infamiam in familia diſſeminatam juxta Textum *in l. noviſſime ff. quod falſo tutor, ibi. Quid enim ſi metu compulſus, aut minis ne compelleretur*.

11 Intellige tamen hanc concluſionem, quoties timens facile occurrere malis, quæ timentur non poſſit, ſi enim poſſet alia via illis malis occurrere, ut implorando, alicujus Potentis vel Superioris, aut Judicis auxilium, non eſſet metus, ſeu timor probabilis & in Virum conſtantem, quia inconſtantis eſt, & timidi ea mala metuere, quæ facili negotio vitare poteſt, *Angel. in ſumma verbo metus num. 5. Silveſter verbo metus q. 1.*, *Marc. Anton. Cucc. libro 5 Inſtit. tit. 12. num* 155., & faciunt ad rem docte tradita per *Jacob. Ayrer. in tractat. de homic. p. 1. n. 6 1.*

AD OBSERVAT. XXII.

SECTIO IV.

SUMMARIUM.

1.)
2.) *Ætates hominum recenſentur.*
3. *Infantes tanquam doli, & culpæ incapaces, crimen non contrahunt.*
4. *Objectio excitatur, & reſolvitur.*
   Explicatur Textus in cap. 1. de delict. Pueror. *in quo ſenſu intelligendus.*
5. *Explicatur dictum* D. Auguſtini, & D. Hyeronimi *quo in ſenſu procedat.*
6. *Septennes juxta ſententiam* Gloſſæ *doli ſunt capaces, & peccati.*
7. *Sed verius demonſtratur eſſe proximos Pubertati.*
   Quando quis proximus pubertati dicatur?
8. *Ratio gloſſæ rejicitur.*
   Uſus rationis differt a doli capacitate.
   Concluſio intelligenda in foro fori, non Poli.
9. *Impuberes, nonniſi pubertati proximi, accuſari, & puniri poſſunt.*
   Excipiuntur nonnulla crimina, quæ 14. annum requirunt.
   Argumentum contrarium diluitur.
10. *Quæ ætas requiratur ut quis cenſurarum pœnam ſubſtineat?*
11. *Referuntur hinc inde opiniones.*
12. *Amplectitur ſententia quo ad ætatem pubertati proximam.*
13. *Doctrina Farinace. explicatur.*
14. *Pupilli pubertati proximi poſſunt deportari, & relegari.*
15. *Minor, 14. annorum torqueri nequit excepto crimine majeſtatis.*
16. *Septennio majores terreri ferula poſſunt.*
17. *Minor ordinaria pœna delicti puniri nequit.*
18. *Ampliatur concluſio etiam quo ad atrociſſima.*
   Refertur exemplum noviſſime deciſum a Sac. Conſulta.
   Inſeritur allegatio, ſeu Juris Reſponſum Favore minoris.
19. *Senes qui dicantur, & eorum incommoda.*
20. *Senes laborant mentis fragilitate ut minores, & Pueri.*
21. *Senes Pueris aſſimilantur.*
   Senibus pœna eſt mitiganda etiam in atrocioribus.
22.) *Rationes afferuntur, &*
23.) *Doctorum auctoritates*
24. *Ampliatur concluſio etiam in homicidio.*
   Rejiciuntur contrarium tenentes.
25. *Explicatur concluſio in quo ſenſu procedat.*
26.) *Sed cui incumbat onus probandi mentis acu-*
27.) *men in ſenibus, Fiſco aut Reo, diſquiritur.*

1 PErtinet etiam *ad cauſam delictorum materialem hominum ætas*, tum quia nonnulli doli incapaces ſunt, tum quia alii ob ingenii imbecillitatem miſeratione digni videntur *ſex* namque ſunt hominum ætates, *prima* vocatur infantia ab Imperatore Juſtiniano in *Leg. cum non ſolum 8. §. 3. C. de bon. quæ liber.* quæ ab ortu incipit, & uſque ad annos ſeptem completos durat, quod ſatis probari videtur per *Text. in leg. 18. §. ſeptem annos, C. de Jur. deliber.*, *leg. 8. tit. 18. libro 8. Cod. Theodoſ.*, & hoc tam in viris, quam in fœminis, *Cujac. in l. 5. ff. qui teſtam. fac. poſſ.*, concordat *Gloſſ. in §. pupillus Conſtit. de inutil. ſtipulat. in C. primo verb. infanti 13. qu. 2.*, *& in C. primo diſt. 28. DD. in C. primo de ſponſal. impuber. in 6. Bartol.*, *Bald.*, & alii *in d. L. inſtanti C. de jur. deliberandi*. Et in hoc conveniunt Iuriſtæ cum Philoſophis; *ſecunda ætas eſt pueritia* quæ incipit ab anno octavo incluſive, & durat uſque ad annos quatuordecim in maſculis, & in fæminis ad annos duodecim, & vocatur etiam ætas pupillaris *§. 1. Inſt. quibus mod. tutel. finitur. DD. in C. ſi Pater de teſtam. in 6.*, *& in C. pueri 22. q. 5.* ita ſecundum diviſionem a Varrone factam tenet *gloſſ. in Leg. Pueri appellat. 204. ff. de verbor. ſignif. in leg. final. verb. parvulus C. de infantib. expoſit.* & probatur ex reſponſis Vlpian. *in leg. 5. ff. de adminiſtr. tutor.* Paul. *in leg. penult. §. 1. ff. de reb. eorum*, & Papiniani *in leg. 39. ff. de ſtat. liber.*, quibus omnibus Puer pro impubere adſcribitur, maxime cum Pueri ab impubertate dicantur, *cap. eos quos de conſec. diſtinct. 4.*

2 *Tertia ætas* dicitur *adoleſcentia*, quæ ſecundum receptam opinionem incipit ab anno 14. in maſculis, & ab anno 12. in Fæminis, & durat uſque ad annos vigintiquinque de jure communi aut 20. juxta leges Particulares ſtatus Pontificii, vel ad 18. de jure Regni Neapolitani, & iſti ſolent nuncupari *puberes, adulti, ſive minores Text. in leg. Tutores 19. §. adoleſcens ff. de adminiſtr. tutor.*, *leg. Aurelio 20. §.*

Gajus

Gajus ff. de liberat. legat., leg. negotiorum 24. §. Curator ff. de appell. DD. in leg. 1. de minor. Verum quem proximum pubertati dicimus quoties fuerit masculus, qui decem annos cum dimidio explevit; feminam vero, quæ novem, & dimidio major est Accursius in §. Pupillus Instit. de inutil. stipulat., Donell. comment. libro 12. cap. 22., & in leg. 117. num. 10. ff. de verbor. oblig., Francisc. Hotomán. in d. §. Pupillus, & Francisc. Lingloif. in decis. Codic. Justinian. decis. 34. qu. 2. num. 16. -- Quarta ætas dicitur juventus, quæ incipit respective vel ab anno 25. vel 20. vel 18., & durat usque ad annos 50. cap. juvenis de sponsal. Leg. non aliter ff. de legat. 3. . Quinta ætas dicitur senectus quæ secundum receptam sententiam durat ad annos usque septuaginta DD. in C. 1., & 2. de renunciat. in 6. Et sexta ætas dicitur decrepitas durans usque ad annos centum plus, & minus, & de his loquuntur DD. in Leg. fin. Cod. de sacros. Eccles.

3 Quoad infantes, absolutissimum in jure est, crimen non contrahere, tamquam doli, nec culpæ capaces, ideoque infantibus, & infantiæ proximis usu rationis Carentibus, & quos consilii innocentia tuetur nullum delictum imputandum esse sic infantes ex homicidio non tenentur, ut Text. est celebris in leg. infans 12. ff. ad L. Corn. de sicar. nec ex furto Leg. 26. ff. de furt. Nec ex lege Aquilia si damnum dederint Leg. 5. §. ideo ff. ad Leg. Aquil. -- neque Leg. Corn. de Falsi, Leg. 22. ff. ad leg. Corn. de fals. leg. 26. ff. de jurejur. neque ex injuria Leg. 3. ff. de injuriis neque pœna Sillaniani Leg. prima §. impuberes ff. ad S. C. Sillanian. neque de falsa moneta Leg. prima C. de falsa moneta -- Neque de capitali fraude Leg. 23. §. excipitur ff. de ædilit. edict. -- quia ut eleganter ait D. Augustinus in Cap. aliquos 15. qu. 1. -- quomodo Reus constituetur qui nescit quod facit, & Seneca epistola 121. -- quomodo ergo infans de Conciliari Constitution. ratiocinari potest, quum rationalis non dum sit? Et revera infantis nullum esse sensum ait Paul. in Leg. 32. §. quamvis ff. de acquir. possess. -- & judicio carere inquit Consultus in Leg. 12. ff. de judic. . Merito Peripateticorum Princeps libro primo magn. moral. cap. 34. inquit si quid infantes committunt, vel uti si Parentes cædant ideo eos nescientes facere. Imo non tantum infans a qualibet poena immunis est delinquendo, sed etiam ab irregularitatis labe ut præfinitum est in Concilio Viennensi Clementis V. in Clem. unic. de homicid. de quo latius Petrus a Plaza in Epitom. delict. cap. 32. num. 2., & seq.

4 Verum supra traditis prima facie adversari videtur Gregor. in C. primo de delict. puеror: his verbis Pueris grandiusculis peccatum nolunt attribuere quidam, nisi ab annis 14 cum pubescere cœperint; quod merito crederemus, si nulla essent peccata nisi quæ membris genitalibus admittuntur; Quis vero audeat affirmare furta, mendacia, perjuria non esse peccata? At his plena est puerilis ætas, quamvis non in eis ita, ut majoribus puniend a esse videantur. At huiusmodi Textus dispositio positam conclusionem destruere nequit, siquidē etsi Gloss. dictum textum intelligat in septeni doli capace, verius tamen est Gregorium loqui in eo, qui iam est proximus pubertati, ut ostendunt ejus verba pueris grandiusculis juxta Textum in §. in summa Instit. de oblig. quæ ex delict. nascuntur -- ibi -- si proximus pubertati sit, & ob id intelligat se delinquere, & leg. excipiuntur ff. ad S. C. Sillanian. ibi -- nec multum a pubertate aberat -- Quodque tunc doli capax dici quis possit quando proximus est pubertati, & non alias probat Text. in leg. apud Celsum §. quæ in Tutore ff. de dol. mal., & met. except. -- Etenim pueri post lapsum septenni, & doli capacitatem peccare possunt iuxta sensum d. C. primi, & non antea.

5 Sed insurgere quis posset cum Divo Augustino in C. adhuc de pœnit. dist. 3. dicente -- Nec infans unius diei absque peccato super terram esse potest, cui consonat Divus Hyeronimus in C. si enim 40. de penit. dist. 2. ibi -- nemo mundus a peccatis, nec infans si unius quidem diei fuerit vita ejus: Verum huic obiectioni occurritur quod præfata verba accipienda sunt de peccato originali quod a die animationis contrahitur, idcirco intelligenda non sunt de infantis ordinaria nativitate, sed de priori secundum Adam, quæ contingit tempore conceptionis juxta Text. in C. primo Maternis de consecrat. dist. 4. & ita verum est nec infantem unius diei, imo nec unius horæ dari absque peccato originali posse, ut docte explicat post glossam Turrecremat. in d. cap. si enim nec non eadem gloss. in d. cap. adhuc.

6 Quoniam vero expleta infantia ad crimen contrahendum inepta, accedit ætas doli capax ad peccandum apta, videndum remanet qui doli capaces culpæ, & peccati compotes? Gloss. in c. 1. de delict. puеror. cum Abb. & Joanne de Anan. existimat septennes esse, ea ratione, quod tunc temporis rationis esse compotes dignoscuntur, quare recte sponsalia, in quibus usus rationis exposcitur eos contrahere posse docet Consultus in l. 14. ff. de Sponsal. & Summus Pontifex. in C. 4. de desponsat. impuber. æquiparando rationis usum cum dolo ob potentiam discernendi bonum a malo.

7 Omissa tamen gloss. opinione cum sequacibus verius dicendum est tunc doli capaces pueros existimari cum pubertati sunt proximi nempe ex recentiori sententia cum decimum annum cum dimidio habet masculus, & nonum cum altero dimidio fœmina ut expresse probatur ex Text. in l. apud Celsum 4. §. denique ff. de dol. excip. his verbis -- denique Iulianus quoque sæpissime scripsit doli pupillos, qui prope pubertatem sunt, capaces esse, & in l. hæredibus 13. §. fin. ff. de dolo ibi -- ego arbitror ex suo dolo conveniendum (scilicet pupillum) si proximus pubertati est, & in §. in summa Instit. de obligat. quæ ex delict. ibi si proximus pubertati sit, & ob id intelligat se delinquere -- Hugo Donell. comment. jur. civil. lib. 21. cap. 10. circa med. versic. in delictis, quamvis Jacobus Cujacius in tit. de minor. ad fidelitatem feudi non cogend. in usibus feudorum absolute affirmet puberes tantum doli esse capaces.

8 Hinc non refragatur Ratio adducta per gloss. siquidem usus rationis nihil habet commune, cum doli capacitate, nam aliud est quem habere usum rationis tantum, aliud est habere dolum, quippe licet necessario qui doli est capax, usu polleat rationis non ita tamen e contrario, qui usu rationis præditus est, dolum habere debet, satis ex eo probatur, quod septennis usus rationis obtinens doli capax non dicitur usque dum pubertati approximet, D. Antoninus in summa p. 2. tit. 9. cap. 8. §. 2., hæc tamen cuncta intelligatis in stricta significatione, & quo ad externa Judicia, etenim in foro Poli receptissima est Theologorum sententia, non solum Septennes, sed etiam Infantes, aliquando usum rationis habentes, quo ad peccandum saltem doli esse capaces ut

col-

colligitur ex traditis per *Sanchez. de Matrim. lib. 1. disput. 16. num. 15. & 16.*, *Basil. Poncio*, *in eod. tractat. libro 4. cap. 1.*, *Bonacin. de Matrim. qu. 1. punct. 4. & post alios Dian. resol. moral. de Sacram. resol. 273.*

9 Propterea Impuberes sive Masculus sive foeminæ, nisi pubertati fuerint proximi nempe masculus decimum cum dimidio sortitus fuerit annum, Fœmina nonum cum dimidio, a perpetratione criminum, & ab ipsorum accusatione erunt immunes ad sensum Textus *in d. l. infans. 12.*, & docet expresse *Tolosan. libro 32. Syntagm. cap. 19. num. 1.*, a qua regula excipienda sunt crimina stupri, adulterii, vel alterius similis luxuriæ, in quibus minor annis quatuordecim accusandus non venit, *l. si minor 36. ff. ad leg. Jul. de adult.* ea ratione, quod talia crimina post pubertatem incipiant, ut ratiocinatur *Papinian. in d. l. si minor*; antequam enim pubescant Viri, aut foeminæ inhabiles ad copulam reputantur ex sententia *Aristotil. de natur. Animal. libro 3. cap. 14.*, *& Macrobii libro 1. de somn. Scipion. cap. 6.*, sed in contrarium urgere possent dicti, & exempla tradita per *Glossam in cap. summis 20 qu. 1.*, *& Ign. in L. g. 1. §. Impuberes n. 7.*, *& in l. excipiuntur num. 16. ff. ad Senat. Consult. Silanian.* sed his facile occurritur, quod ea, quæ raro occidunt in consequentiam trahi non debent, ut recte inquiunt *Henric. Boyrb. in cap. puberes de desponf. Impub.*, *& Ignatius. loco cit. num. 19.*

10 Sed cujus ætatis debeant esse homines, ut excommunicationis, interdicti, & irregularitatis poenam sufferant, Doctores, & Theologi inter se non conveniunt; Nonnulli enim indistincte docent Puerum doli capacem (intellige semper Masculum decem annorum cum dimidio, & foeminam novem cum altero dimidio) in excommunicationem, interdictum, & irregularitatem incidere; quo ad *excommunicationem* adferuntur Textus *in cap. quamvis 50. & in cap. Pueris 60. de sentent. excommun.* per *Comital. respons. libro 6. qu. 18.*, *Sayr. in thesaur. cas. conscient. libro 1. cap. 8*, *Francisc. Marc. decis 822. tom. 2.* & alios; quo ad *interdictum*, *Silvester in verbo interdictum. 3. num. 18.*, *Angel. in eod. verbo tit. 2. num 5 D. Antonin. p. 3. tit. 26. cap. 3.*, *Covar. in cap. Alma mater p. 2. §. 4. num 5. de sent. excommun & Avila de censur. p. 5. disp. 4. section. 2. dub 5. versic. 1. conclusio*, & quo ad *irregularitatem* Percz. de lara *in compend. Vitæ human. cap. 16. num. 110. & seqq. Majol. de irregul. libro 5. cap. 48. num. 10. & seqq. Hyeron. Perez in summa Theolog. in nono precept. tractat. de censur. Eccles. verbo Irregularitas* & generaliter de omnibus, & quibuscumque censuris a Jure latis, tradunt *Ugolin. de censuris cap. 17. § 3. num. 5.*, *Suarez. p. 3. tom. 5. disput. 5. section. 1. num. 19.*, *Azorius tom. 1. libro 7. cap. 41. qu. 10.*; *Enriquez. libro 8. cap. 42. num. 8.*, *Sanchez. in summa tom. 1. libro 1. cap. 12. num. 7. & seqq.*

11 Alii vero indistincte de omnibus, & quibuscumque censuris sive ab homine, sive a Jure latis, docent, Impuberes ante decimum quartum annum in masculis, & duodecimum inferius, censuræ subiici non posse, excepta tantum sententia excommunicationis ipso Jure lata ob persecutionem Clerici, propter criminis gravitatem contrahi existimant a Pueris doli capacibus ante pubertatem vigore *dictorum Textuum in cap. 58. & 60.* ad late tradita per Carolum de *Grassis de effect. Clericor. effect. 9. ante num. 14.*, ita pluribus adductis rationibus, probat *Aloy. Ricc. in praxi resol. Eccles. p. 1. resol. 432. & resol. 461.*, & hanc sententiam sectantur *Dian. p. 4. tract. 4. resol. 207. & q. 5. tract. 9. resol. 46.*, *Ochagavia de Sacrament. tract. 2. de Euchar. qu. 7. Guill. metcerus de Sacram. in p. 3. div. Thomæ. qu. 6. artic. 5. num. 7.*, *Castropalaus in oper. moral. tom. 1. tractat. 3. disput. 1. punct. 24. §. 2. num. 9.*, *& Joann. Enriquez in compend. cas. consciens. cap. 4. num. 7. & seqq.*, & quo ad Irregularitatem latius per plures conclusiones explicat Stephan. *de Avila in tractat. de Censur. p. 7. dub. 6. sect. 1. dub. 12 fol. 369.*

12 In hoc DD., & Theologorum conflictu, placet summopere prima opinio, etenim si hujusmodi Pueri post lapsum septenii, cum pubertati fuerint proximi, ob doli capacitatem peccare possint, ut *patet ex cap. 1. de d. lict. Puer.* spiritualiter propterea possunt puniri; ut namque perbelle ait *Plato libro 7. de legib. — EST AUTEM Puer omnium bestia intractabilior, nam cum prudentiæ fontem nondum perfectum habeat, insidiosissimus est, acerrimusque, & petulantissimus omnium bestiarum, ideo multis quasi frænis coercendus est*, & nulli dubium est, quod excomunicatio, aliæque censuræ nedum fræna sunt sed & nervi Ecclesiasticæ disciplinæ, quibus rebelles, & velut effrenes ad obedientiæ viam reducuntur, *cap. cum inter de consuet.*, *Clement. 1. de sentent. excom.*; alioquin Jurisdictio, quam Ecclesia habet in Pueros peccantes inutilis futura esset, si eos excomunicare aliisque censuris compescere non posset, etenim jurisdictio absque facultate cœrcendi nullius est momenti ad Textum in *cap. pastoralis 28 de offic. & potestat. Iudic. delegat.*, *& in l. final. ff de offic. ejus cui mandat. est Jurisdict.*

13 Existimat tamen *Farin. q. 92. num. 159.* quod Pupillus pubertati proximus, & sic doli capax licet possit excommunicari, sententia tamen retractari potest, vel per appellationē, vel per restitutionem in integrum, allegando *Decium, Angelum, & Mesil*; Sed salva pace *Farinac.*, nec non *Decij* ab ipso allegati rationē non video cur sententia in gradu appellationis retractari posset ex capite Pupillaris ætatis, etenim si permissum est hos Pupillos, excommunicationi subiicere, locus retractationi non datur, etenim retractatio hæc supponeret sententiæ, injustitiam, quodque excommunicationi locus non esset, cum tamen ipse admittat eos excommunicari posse; rectius itaque, dicendum est illos miseratione ætatis restitui posse, ad primævum Ecclesiæ statum & censuris per Judices appellationis solvi, non autem retractari sententiam, quæ intrinsece nullam patitur injustitiam; aut aliter excommunicationis sententiam retractari in gradu appellationis posse, si alium extrinsecum pateretur defectum.

14 Patefacta Infantis, & Impuberis, seu Pupilli ætate, nec non illorum qui pubertati sunt proximi & quibus in casibus crimen contrahant, etenim legimus Pupillos pubertati proximos quasi doli capaces ob crimen ab ipsis admissum deportari potuisse juxta exemplum in Pandectis relatum per Domitium *Ulpian. in l. 14. ff. de tutel.* nec non alterum a Justiniano traditum *in §. Item finitur tutela Inst. quib. modis tutel. finit.* ac per consequens relegari, cum minus fuisset relegationis quam deportationis supplicium, *l. 4. & 6. ff. de interdict. & relegat*, licet verum sit, quod attenta Personæ ætate, aut in longius, aut in rescissius tempus relegatur, *leg. 2. ff. de termin. mot*; In Urbe tamen hujusmodi Pupilli ad triremes non trasmittuntur, sed in Domo corre-

ctio-

ctionis detinentur donec adolescant; nunc ad minores descendimus, nempe ad Puberes ultra decimum quartum annum ad 25. de jure communi, vel 20. secundum statuta Urbis, vel. 18. juxta Regni Neapoli sanctiones.

15 *Et primam* præmittendum censeo, post decimum quartum annum legitimis urgentibus indiciis, neminem prætextu minoris ætatis, a tortura excusari, ut Jura sunt satis aperta *in l. de minore* 10. *ff. de quæstion.* ibi – *de minore quatuordecim annis, quæstio habenda non est in l.* ex libero 15. ff. eod. titul. ibi -- *de minore quoque quatuordecim annis in caput alterius, quæstionem habendam non esse D. Pius Mæcilio rescripsit*, & in leg. §. impuberi ff ad Senat. Consult. Silanian. ibi – *Et magis est ut de impubere, nec quæstio habeatur*, & in hoc conveniunt omnes teste *Petro a Palaz. in epitom. delict. cap. 32. num. 12., & Gomez. de delict. cap. 1. n. 67. & cap. 13. num. 3. ubi Ayllon. in addit. Innumeros referens* exceptis tamen criminibus læsæ majestatis divinæ, & humanæ, ut Textus exprimit *ind. l. 10*, his verbis -- *Sed omnes omnino in majestatis crimine, quo ad Personas Principum attinet, provocentur, cum res exigit torqueantur* confirmaturque ex generalitate Textus *in l. si quis alieni 3. & in leg. nullus omnino C. ad leg. Juliam Majestat.*

16 Poterunt tamen si septimo anno majores existant, terreri, corrigi, aut ferula cedi, ut expresse inquit Consultus in *l. 1 § Impuberi ff ad S C. Silan. Decrius disquis. magic. libro 5. section. 9. §. quo ad personam, Bologain. ad Guid de Suzar. tractat. de indic. num. 13.*, & post alios Marius *Giurb. consil. 73. num. 5. & seqq.* sed de hoc alibi, latius dicemus in proprio torturæ titulo.

17 *Secundo* dicendum est; Neminem in minori ætate ante vigesimum quintum annum de Jure communi, constitutum, ordinaria pœna delicti coercendum esse, sed extraordinaria, ex dispositione tum Juris Pontificii *in cap. final. de sentent. excom. in cap. pænitentes & ibi gloss in verbo juvenibus distinct. 50., in cap. hoc fit 26. q. 6. & in cap. in adolescentia 33. q. 2.*, tum Juris civilis *in l. auxilium §. in delictis ff. de minor.*, *in l. si adulterium §. fratres denique ff. ad leg. Jul. de adult.*, *in l. 1. §. impuberes ff. ad senat. Consult. Silan. in l. fere in omnibus & ibi -- Gloss ff. de regul. Jur. in l. aut facta §. Persona ff. de pænis, l. si fratres tui C ex quib. causis infam. irrog. in l. quicumque C de serv. fugit.* quam Sententiam probant *Matthias Wesemb. in paratit. ff. ad leg. Cornel. de sicar num. 26., Andreas Fachin. libro primo controv. cap 71., Simanch. de Cathol. Instit. cap. 29. num. 21. & seqq. Petrus Gregor. in paratit. Juris Canon. libro 4. tit. 15 cap. 6.* & alii passim innumeri apud Anton. *Thesaur. decis. 161., & Joseph. Ludovic. decis. lucens 17. n. 41*

18 Quæ conclusio locum etiam sibi vindicat non tantum in atrocioribus, sed etiam in atrocissimis penitus rejecta contrariorum sententia, ut novissime sub die 5. Augusti anni 1749. decisum fuit a Sacra Consulta in una *Urbevetana* Homicidii cum qualitatibus proditionis, & latrocinii in personam *Dominici Bianconi* Rei confessi prædictæ necis patrocinante æternæ memoriæ D. Thoma Antamori Vigilantissimo Pauperum Advocato, dum Ego ejus a studiis essem, ut videre poteris ex sequenti Juris responso in quo articulum a primævis Juris elementis revocat, & positam conclusionem legibus, rationibus doctorum auctoritatibus, & Judicatarum exemplis, summopere probat, & illustrat, ut nil aliud desiderari possit.

Urbevetana asserti Homicidii, cum qualitatibus Proditionis, & Latrocinii.

Eminentissime, & Reverendissime Domine.

SUpremis EE. PP. parendo mandatis, quibus mihi Pauperum Advocato injunctum extitit, ut super promota quæstione, an Dominicus Bianconi Urbevetanus cædis assertus Reus cum qualitatibus Proditionis, & Latrocinii Gladii pœna, vel extra Ordinem, attenta eius minori ætate decem, & novem annorum, coercendus foret, ea deducerem quæ Carcerato suffragari possent: probandum existimo, quod introspectis tum Legibus, tum rationibus, tum ipsa suggerente æquitate non imaginaria, sed scripta, & ab iisdem Legibus prodeunte, tum communi DD. auctoritate, nec non rerum iudicatarum exemplis fere apud omnia Europæ Tribunalia habitis, sedulo animadversis locus minime sit penæ ordinariæ, esto, quod assertum facinus, in thesi de qua agitur ad atrocissimum gradum extollatur.

Enimvero ab Incunabulis rem aggrediendo, si intueamur Quiritum Leges, quibus utimur, semper, & ubique Consulti in coercendis criminibus, ac pænis infligendis, Indistincte ad ætatem respectum habuere, minime sejunctis atrocioribus ab atrocissimis, imo his omnibus generalitate comprehensis. Ita præscriptum legitur in monumentis *Claudii Saturnini lib. singular. de pænis de quo Text. in in Leg. 16. §. Persona ff. de pænis*, ibi -- *Aut facta puniuntur ut furta cædesque, aut dicta, ut convicia, aut scripta, aut falsa, & famosi libelli, aut consilia, aut conjurationes: sed hæc quatuor genera consideranda sunt septem modis, causa, PERSONA, loco, tempore, qualitate, quantitate, eventu. Persona dupliciter spectatur, eius qui fecit, & eius qui passus est, aliter enim puniuntur Servi, quam liberi &c. In huius rei consideratione quoque ratio ætatis habetur.*

Hinc Ulpianus, attenta huiusmodi generali sanctione, de crimine sacrilegii specialiter loquens in *Leg. Sacrilegii pænam ff. ad Leg. Jul. peculatus* scriptum reliquit -- *Sacrilegii pænam debebit Proconsul, pro qualitate Personæ, proque Rei conditione, & temporis, ET ÆTATIS severius, vel clementius statuere*; quod pariter summopere commendat, & ante oculos Judicum ponit I. C. Paulus *in Leg. 4. §. aut omnino ff. de incendio, ruina &c.* loquens tam in crimine Incendii, quod utique abominabile, & gravissimum est, quam in aliis criminibus ibi -- *& omnino ut in cæteris, ita, & in huiusmodi causis EX PERSONARUM CONDITIONE, & rerum qualitate diligenter pæna sunt æstimanda*, & his convenit *Callistratus in Leg. 2. ff. de termino moto.*

Magis specialiter percurrendo Legum Conditores, fere in omnibus criminibus ætati subveniendum esse præscripsere. Iura sunt aperta *in Leg. fere in omnibus ff. de regul. jur.* ibi -- *fere in omnibus pænalibus iudiciis ÆTATI, & imprudentiæ succurritur*, *in Leg. si adulterium 3. §. Fratres ad Leg. Jul. de adulter.*, ibi -- *Fratres denique Imperatores crimen incesti PROPTER ÆTATEM remiserunt*, *in Leg. Auxilium ff. de minoribus* ibi -- *MISERA-*

TIO

TIS ÆTATIS ad mediocrem pænam Judices perduxerit, & in Leg. 4. Cod. de incestis nuptiis, ibi -- aut ætati lubrico lapsi.

Has Leges Romanorum Civiles tum in temporalibus, tum in spiritualibus dedignati non fuerunt imitari Sacri Canones. In temporalibus ita Decretum legitur in *Capit. sicut dignum de homicidio* ibi -- *plenius nostri quod in excessibus singulorum non solum quantitas, & qualitas delicti, SED ÆTAS, scientia, sexus, atque conditio Delinquentis sunt attendenda; Et in Cap. ultimo de Sententia excomunicat.* ibi -- *PROPTER DEFECTUM ÆTATIS, in quo fuit commissus excessus rigor mansuetudine temperandus sit --*

In spiritualibus inquam ætatis pariter Sacri Canones considerationem habuere, nam in Agatensi Concilio *cap.* 15. sic statutum legitur -- *Juvenibus pænitentia non facile committenda PROPTER ÆTATIS FRAGILITATEM.* Item in octava Synodo habetur -- *hoc sit in judicio positum eorum qui præsunt quanto tempore, & quali modo penitere debeant qui delinquunt, quia ÆTAS, & eruditio multum haberi facit differentiam pænæ Cap. hoc sit 26. quæst. 7.*. Pariter, & Leo Pontifex *Epist. 79. ad Anicetum cap. 6.* ita scriptum reliquit -- *Tempora pænitudinis habita moderatione constituenda sunt, pariter etiam habens ÆTATIS INTUITUM;* nec non Nicolaus Papa *in cap. Interfectores 33. quæst. 2.* ibi -- *Ad pænitentiam redigendi EXCEPTIS ADOLESCENTIBUS --*

Verum altius intuendo utriusque Juris præcepta nonnisi a Divinis Legibus, atque ab eadem naturali æquitate originem habuisse depræhendimus notabile ad hoc illud est Regii Psalmistæ *cap.* 24. ibi -- *Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine*, nec non *Job. cap.* 13., ibi -- *& consumere me vis peccati, adolescentiæ meæ*, quod legalis, ac necessariæ æquitatis motivum ad ætatem excusandam vim habuit priscis temporibus etiam apud Gentiles, unde Livius decade 4. *lib.* 10. memor est Demetrii Macedonis Philippi Filii ajentis -- *Te majorem Fratrem pro minori deprecari oportebat, te adolescentiæ, te errori veniã impetrare*; merito Plato Legũ Consultissimus suis Legibus sanxit -- *Si quis simile horum quæ aut sacrilegi proditores, legum corruptores committunt ob insaniam, vel morbo, vel in ÆTATE MINORI constitutus, itaut ab istis nihilo differat, admiserit, Judicibus declarata & ipso, aut Defensore referente quod sic affectus commiserit, damnum quod intulit simplex omnino restituat, cætera sibi remittuntur.* Et alibi libro quæstionum ait -- *Peccata puerorum, ET MINORUM ex imbecillitate profecta quisquam esse putabit, & illis tanquam peccantibus legum lator Leges præscribet, sed mitissimas omnium, plurimaque venia, & indulgentiæ dignas*: quod etiam intuens Seneca *lib. 3. de ira inter ea quæ iram lenire debent, Nos a vindicta retrahere imbecillem ætatem ponit, & sexum fæminenm.*

A Legibus ad rationes descendendo triplex occurrit ratio cur imperfectæ ætati mitiorem, & non plenam coërctionem utriusque Juris, latores prescripsere: Prima enim ab Judicii defectu, & imperfecto illorum consilio depromitur, quia negari nequit, quod hujusmodi ætas plenum non habet judicium, ut colligitur ex responso *Ulpiani in Leg. 1. ff. de minoribus*, ibi -- *Prætor naturalem equitatem secutus proposuit edictum, quo minorum tutelam suscepit, nam cum inter omnes constat fragile esse, & infirmum hujusmodi ætatum consilium, & multis captionibus expositum*; nec non ex *Leg. 4. Cod. de incestis nuptiis*, ibi -- *aut ætati lubrico lapsi*, & quod nondum sit huic ætati plenum rationis judicium, atque consilium testantur *Aristoteles lib. Politicor. 1. cap. ultimo, & Cicero lib. 1. officiorum*, ubi -- *adolescentiæ inquit inesse maximam consilii imbecillitatem*. Hinc quemadmodum in minoribus attenta judicii imbecillitate non ita magna est doli machinatio, ut in majoribus *Leg. 13., & 14. ff. de dolo*, nam ætas quidquid agit non videt, *Leg. 1. Cod. de falsa moneta*, ita mitius esse minores puniendos, & naturalis ratio, & equitas suadent, prout ad rem, pluribus citatis docte considerat *Matthias Wesembecius in parat. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. n. 26., ubi alios allegat.*

Altera desumitur ab eo quod adolescentia sit veluti suapte natura proprium, & peculiare vitiorum irritamentum, ideo si quid peccaverit adolescens magis est ætatis vitio adscribendum, quam pertinaci malitiæ, & improbitati; Et hac de causa per *Text. in Leg. Clar. Cod. de auctorit. præstanda*, cavetur minorem non posse stare in Judicio ne ex sua imperitia, vel juvenili calore aliquod præjudicium patiatur, & ad rem ponderat juribus citatis *Vincentius Caroccius in tractat. de minore in delictis excusando quæst. 1. nu. 1.*, & hic consonat id quod ait *Cesar. apud Lucanum lib. 9.*, salsariæ loquens de Tholomeo adolescente, qui Pompeium jusserat interimi -- *PARCIMUS ANNIS, donamusque nefas.*

Tertia demum descendit a spe illos emendatiores futuros fore, vitiaque una cum adolescentia deposituros, unde *Lactantius lib. de ira Dei capit. 22.*, ait -- *multi in prima ætate turpes, & omni judicio damnati, postmodum tamen laudabiles extiterunt*, quam sententiam aliter expressit Magnus Orator in oratione pro Cælio his verbis -- *Equidem multos, & vidi in hac Civitate, & audivi, qui totam adolescentiam, voluptatibus dedissent, emersisse aliquando, & se ad frugem, bonam, ut dicitur recepisse, gravesque Homines, atque illustres fuisse. Datur enim consensu omnium huic aliquis ludus ÆTATI. Et ipsa natura profundit adolescentiæ cupiditates, quæ si ita erumpunt, & nullius vita labefactent, nullius Domum evertat, faciles, & tolerabiles haberi solent*, quibus accedens Divus Augustinus -- *nonnullos, inquit, legibus, & vidimus, qui aut adolescentiæ vanitate, seu ignorantiæ cecitate decæpti vario peccatorum genere tenebantur obnoxii, deinde ab errore conversi majora adhuc opera fecisse, quam antea peccata admiserant* -- quod & multis, atque variis exemplis Virorum illustrium comprobat *Valerius rerum memorabilium lib. 6. cap. 9.*

Ast poenæ hæc mitigatio minoribus debita videtur indistincte in omni quocumque crimine, nemine, excepto ab ipsamet æquitate, ab æquitate inquam non ideali sed scripta, atque ab utriusque Juris sanctionibus prodeunte: & probatur ab ejusdem æquitatis definitione, quam tradit *Oldendorp. in tractatu de jure, & æquitate tit. 3.* -- *Æquitas, inquit, est judicium animi ex vera ratione petitum, de circumstantiis vero ab honestatis vitæ pertinentibus cum incidunt recte discernunt quicquid fieri, aut non fieri oportet, ex qua colligitur æquitatem semper in circumstantiis versari, nam cum regulariter jura ad casus generales, & quod ut plurimum contingibiles adaptentur*, ut inquit Consultus in *Leg. nec leges ff. de Leg.*, hinc est quod particularia negocia, quæ juribus decerni non potuerunt, Judici, & Moderatori relinquuntur, ut inspectis circumstantiis ex

æquitate pronunciet; hoc est quod Juris Consulti semper optarunt, ut scilicet secundum personarum speciem æquitas jubeat, jus strictum, vel intendi, vel remitti, quod inter alios tradit *Juris Cons. Paulus in Leg. Pomponius 2. ff. de negociis gestis* -- *Pro qualitate*, inquit, *personarum, & actio formetur, & condemnatio moderatur, & Ulpianus in Leg. Non nunquam autem ff. de judic.* -- *Hoc autem*, ait, *æstimare oportet eum, qui jus dicit pro conditione causæ, vel PERSONÆ, vel temporis. Et ita ordinem Ædictorum, & compendium moderari, & in Leg. Jus juran. §. ait Prætor ff. de jure juran.*; ex his autem circumstantiis, quæ juris varietatem inducunt, & in quibus æquitas consideratur septem præcipuas posuit *Text. Saturnini in Leg* Aut facta, de poenis superius expensis, & inter eas etiam ætas reponitur, tanquam causa sufficiens, per quam a juris rigore discedatur: quod etiam approbarunt Summi Pontifices, ut suo loco dictum est. Ex iis namque Judex qui æquitatem sequi debet, & secundum eam judicare, ætatis rationem habere tenetur, ut sic Juvenis delinquens, longe aliter quam Vir perfectus ab eo puniatur, quod cum ex naturali procedat merito æquitati tribuitur, quæ semper in ratione vera, & naturali fundatur, juxta Oldrad. *ff. loc. citat.*, *& Boetium in Commentariis topicorum Ciceronis lib. 3.*

Adeo hæc vera, & ab omni vindicata hæsitatione, sunt, ut minime in Judicis arbitrio repositum sit, (prout nonnulli falso autumant) minoribus poenam minorari, quippe hoc de necessitate ei tribuitur, non illius potestati, ut docte considerat *Antonius Matthæus de crimin. lib. 48. ff. titul. 18. de pœnis cap. 4. nu. 21.*, ibi -- *Ætatis quoniam Adolescentes, tametsi jam doli capaces sint, & crimen contrahere possint, COMMISERATIONE ÆTATIS MITIUS PUNIUNTUR. Cumque hæc omnia aut Leges nominatim dicant, aut recta ratio præscribant frustra a nonnullis dubitatum arbitror, utrum possit Judex his casibus mitigare pœnam, an id facere debeat. Quicquid enim leges præscribunt, quicquid recta ratio dictat, id a Judice faciendum est.*

Sententiam hanc juribus firmatam, rationibus comprobatam, atque ipsa naturali ratione, & æquitate fulcitam indistinte in omni crimine gravi, & gravissimo, sive atrocissimo sequuti fuere *Bald. cons. 59. lib. 1.*, qui loquitur de Adolescente seditioso mitius puniendo, *Raphael Cuman. in cons. 95.*, qui pœnam raptus Virginis, (vere crimen gravissimum) ob ætatem minorem minuendam esse scripsit, *& in cons. 96.*, ubi loquitur de stupro violento, quod esse gravissimum crimen constat; *Joan. Baptista Caccialupus cons. crim. 92. tom. 1. diversor.*, ubi respondit, famosum, & publicum Latronem ob ætatem puniri non posse pœna ordinaria, hanc tradens rationem, & alia exempla sequentibus verbis -- *Est enim minor ætas justa causa minuendi, & commutandi pœnam ultimi supplicii in aliam, & minorem supradictis juribus, & quanquam viderim aliquos Officiales nulla ratione ætatis hic, nec misereri Furibus minoribus 25. annorum, vel imperitia juris, vel ob inanem gloriam apud vulgares, ut apparerent Severi observatores justitiæ, tamen apud bonos Doctos, & graves Officiales, in illis Civitatibus, ubi jura docent, vidi servatum, quod Minori, licet multorum furtorum Reo, fuit mitigata pœna ultimi supplicii in minorem corporis afflictivam pecuniariam, secundum varias circumstantias aggravantes, vel minorantes per dicta jura, & per not. in L. Quod ergo & si superior C. eo tit., & ita vidi responsum Senis in personam cujusdam miseri, & infelicis Inquisiti de Aretio ex cons. multorum Doctorum Consultorum viva voce, per quendam D. Franciscum de Eugubio. Idem vidi respondere per insignes Doctores annis Superioribus apud Sanctum Gennesium, & apud Recanatum. Idemque servatum apud Ferrariam in minore 25. annor. reo falsæ monetæ, alias damnando in pœnam ignis, cui MISERATIONE ÆTATIS fuit mitigata pœna in pecuniariam, reliquis vero igne combustis, ita attestatus est me audiente Excellentissimus Doctor, & timoratæ conscientiæ D. Franciscus de Accoltis de Aretio, qui vidit ita Ferrariæ servari ex consilio Prudentum per dicta jura.*

In assassinio (quod utique scelus horrendum, & inhumanum nuncupatur) quod minori sit poena minoranda propter minorem ætatem scripsit *Bartholom. Bertaz. cons. 143. tom. 1.*, ubi in fin. pro pœna levi judicatum refert; Et de famoso Latrone scripsit *Fulgos. cons. 157.* De crimine nefando tradit *Soccin. junior. cons. 7. lib. 3.* Sic etiam ex Minore, qui homicidium, & furtum commisit respondit *Soccin. Senior. cons. 157. n. 12. lib. 2.* Sic *Decius in cons. 135. nu. 5*, loquitur de Muliere pubere, quæ ter abortum fecit præviis potionibus, & tamen vult poenam mitigare propter ætatem. Pro crimine Sacrilegii *Jul. Clar. in § Sacrileg. num. 4.*, ubi ex *Bertachino* tradit, quod quidam Invenis pro Sacrilegio, ratione minoris ætatis condemnatus fuit ad amputationem membri, & alter quem ætas non excusabat, fuit furca suspensus.

Et de crimine hæresis gravissimo, quod minori sit poena temperanda tradunt *Brunus de Hæreticis lib. 5.*, *& seq.*, *& Pegna in addit. ad tit. dixit in suis Commentar. 13. colum. 2.*, In falsa moneta (quæ inter crimina læsæ Majestatis connumeratur, & consequenter inter atrocissima) pro minoratione pœnæ docet *Vincentius Carocius in tract. de minor. in delict. excusan. quæst. 25.*, & in quæst. sequentibus pro hujusmodi minoratione pœnarum, in quampluribus aliis casibus atrocissimis respondet. Nam longe tædiosum, & laboriosum esse omnia singillatim referre, prout quoque exemplificando Parricidium, Assassinium, crimen nefandum, falsam monetam, Infanticidium, aliaque innumera atrocissima crimina perbelle scripsit Consiliarius *Franciscus Maria Prato* sua tempestate nemini secundus *in respons. criminalib. respons. 25. num. 49.*, *& sequen. tom. 3.*, *Guazin. ad defensam reorum defens. 33. cap. 17. n. 1.*, *& Reynald. tom. 1. cap. 6. §. 5. num. 42.*

Hujusmodi autem æquior, & benignor Sententia adeo omnibus Europæ Tribunalibus arrisit, ut innumera judicatorum exempla afferri possint; Itanamque in Supremis Regni Neapolis Tribunalibus pluries practicatum referunt inferius allegandi DD.; Testatur enim *Aloysius Ricci decis. 77.*, quod quidam Inquisitus de homicidio cum qualitate proditionis fuit condemnatus ad Carceres per septennium ex quo erat Minor, quam decisionem amplexna fuit Senatus Belgius, juxta tradita per *Christin. decis. Belgic. 221. num. 12.* testatur insuper *Regens Sanfelic. decis. 57. num. 10.* Andream Cuccorese Inquisitum de appensato, & proditorio homicidio, non pœna ordinaria, sed extraordinaria remigationis, etiam ad tempus damnatum fuisse per S. Consilium Neapolitanum (in quo versatissimi, & in utraque Jure doctissimi eligi solent Judices). Refert insuper idem

San-

Sanfelic. quemdam Joan: Baptistam Coluccinum Sodomitam pro hujusmodi crimine nefando extra ordinem citra mortem punitum fuisse a Magna Curia Vicariæ majori parte votorum DD. Judicum.

Insuper *Thorus in compen l. dec. tom. 1. verbo Curator* decisionem refert Minoris, qui alium Consocium occiderat, comburendo Cadaver, & de ejus carnibus comedendo; Et *part. 3. sectione 2. verbo occidere*, loquitur de Minore suæ Uxoris lenone, qui postea eam occiderat animo aliam desponsandi. *Franciscus Vivius decis. 86. num. 8.*, pro minoratione poenæ in minore Sodomia decisionem affert.

In Senatu Mediolani, cum de inhumano Parricidio crimine ageretur, poena ordinaria Minori reducta fuit ad Triremes tantum, haud obstante quod de atrocissimo ageretur scelere, ut testatur *Menoch. de arbitr. cas 329. n. 15.*; Similiter ab eodem Mediolani Senatu remissa fuit poena ordinaria eidem minori, qui necem proditoriam admiserat, interfectum inde in publica Via derubando, solummodo Inquisitum extra ordinem coercendo teste *Caren. de Offic. Sacræ Inquisit. part. 3. tit. 9. §. 6. nu. 22.*, ubi subdit quod in Dominio Mediolanensi Senatus semper amplecti mitiorem poenam solet, quum de minoribus agatur. In Gallia Minor quidam ob Parricidii facinus in Matrem admissum, fuit confiscatis ejus bonis, condemnatus ad Triremes, Teste *Papomio de Arresti. lib. 2. tit. 4.* Pariformiter in Senatu Burdegalensi refert *Nicolaus Boer. decis. 254. nu. 2.*, Minorem illum, qui immane Sacrilegium patraverat in Feria quinta in Cœna Domini Patenam cum Calice furtim auferendo, citra mortem extraordinaria tantum damnatum extitisse poena — Et ita decisum in altero gravissimo crimine per Senatum Burgundiæ testatur *Chassan. in consuet. Burgund. rubr. 1. §. 5. verbo adarbitrium Judicis num. 28.*, *& seqq.*

In Hispania casum decisum refert *Gomez. de delict. cap. 1. num. 60.* cujusdam minoris qui habuit accessum carnalem contra naturam ad Canem, emisso semine, & extra ordinem animadversum fuisse. In Catalonia pro homicidio commisso cum qualitate proditionis semper Minoribus practicata fuit poena extraordinaria, prout quamplurima recitat exempla *Michael de Cortiada decis. 86. num. 55. tom. 2.* & illud præcipue de Joan. Francisco Sinie *ætatis annor. 19.*, *& quatuor mensium*, qui pro nece cum qualitate proditionis, & latrocinii patrato in personam Jacobi Amat, fuit condemnatus ad publicam fustigationem, quod duceretur subtus furcam laqueo ejus collo apposito, & ad Triremes perpetuas. Et alios casus in quibus ab eodem Senatu Cataloniæ Minores non ordinaria, sed extraordinaria animadversos fuisse recenset *Michael Caldero decis. crimin. 66. num. 20.*, *& sequen.*

Quid plura! Etiam in rigidioribus immo rigorosissimis Tribunalibus hujusmodi poenæ minorationem practicatam fuisse tradunt infrascripti Classici DD. Tradit enim *Matthias Berlich. practicar. conclus. tom. 5. concl. 44. num. 38.*, *& sequen.* in parlamento Dresdensi Minoribus nonnisi extraordinariam practicari rejecta contraria rigidiori sententia. In eodem Foro Saxonico refert *Benedictus Carpzovius part. 1. quæst. 42. n. 89 per Scabinos* Minori indicciam fuisse in crimine falsæ monetæ (quod læsam Majestatem sapit) poenam extraordinariam citra mortem.

Hujusmodi poenæ minorationem inconcusse, & indistincte practicari in Germania, Flandia, ac toto Belgio referunt *Matthias Stephanus ad Constitutionem Carolinam artic. 179. David Horingius in sua Bibliotheca verbo ætas num. 124.*, *Henricus Hahn in respons. Christiani part. 16.*, *& Philippus Henricus Hænon disputat. de regul. jur. antiqu. lib. 18.*, *part. 115.* Et decisum in quolibet delictorum genere per Accademiam Magdeburgensem testatur *Lurradus Harts de reorum inquisitione concl. 7. n. 26. & 27.*

Ast si minoribus ordinaria poena minorata extitit in rigidioribus Tribunalibus, etiam in criminibus gravissimis, & atrocissimis, multo minus in Alma Urbe, ejusque Supremis Tribunalibus, in quibus summopere Pietas, & Equitas superabundat. Ultra enim casum Parricidii Bernardi Cincii Romani, de quo *Farinacc. quæst. 92. n. 108.* necnon alterius Jacobi Belli qui Monialem Professam in Monasterio stupraverat, de quo *Sebastianus Guazin. defens. 33. cap. 17. num. primo*. De facto Supremum Consultæ Tribunal in quo æqua lance Astreæ judicium a Sapientissimis fertur hujusmodi minorationem practicavit, teste *Carolo Octilio ad Campanam resolut. 2. num. 4.*, ubi tradens opinionem, quod nedum in atrocioribus, sed etiam in atrocissimis Minores ab ordinaria pæna sunt immunes, sic loquitur in individualissimo casu, de quo est præsens sermo — *Et ita observat Sacra Consulta, & vidi observatum de anno 1648. in una Urbevetana in casu Aloysii Mazzocchi, qui de nocte suum dormientem occiderat, causa eum depredandi, fuit condemnatus ad Triremes*; qui casus cum sit individualissimus præsenti de quo agitur, etiam quoad locum delicti, penitus ponit falcem ad radicem.

Insuper me Patrocinante in causa parricidii anno 1747 Joannes Agni Areis Gurge minor viginti annorum reus confessus, quod Fratrem Germanum occiderat, per Tribunal Gubernii Urbis ad pænam Triremium tantummodo damnatus extitit: Et tamen Parricidium crimen gravissimum, & atrocissimum est. Merito *Cardinal. Tuscus pract. conclus. verb. minor. concl. 156. num. 25.*, ait, quod minori nedum ætas diminuit pænam delicti simplicis, sed etiam atrocissimi, atque etiam multiplicati.

Et quamvis me non lateat nonnullos in contrariam abiisse Sententiam, quamplurimos etiam casus in medium adferendo, in quibus non extraordinaria, sed ordinaria poena dictata extitit, nihilominus illorum opinio aut est respuenda tamquam juribus, & æquitati contraria, aut cum temperamento accipienda, nunquam tamen adaptabilis casui, de quo agitur. Quod juribus sit contraria tum civilibus, tum canonicis, quod pariter æquitati adversetur facillime depromitur ex superius traditis. Et salva pace *Accursii*, qui pro Glossa communiter allegatur, (a quo hujusmodi opinio originem habuit) ejus distinctio inter atrociora, & atrocissima quam facit *in Leg. fere in omnibus ff. de reg. jur.*, *& in Leg. Auxilium §: In delictis ff. de minorib.*, summopere claudicat intuendo, quod si Leges generaliter, & indistincte ætatis considerationem habuerunt in temperanda poena, haud distincte licitum erat eorum sumere interpretationem sejungendo atrociora ab atrocissimis, quippe regula est, quod ubi Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus; Potissimum quia Juris *Cod. Saturninus in Leg. Aut facta ff. de pæn.* omnia delicta ad quatuor genera, posita, nempe in factis, dictis, scriptis, & consiliis, in quibus omnia tam atrociora, quam atrocissima con-

tinentur, omnia hæc septem modis considerari oportere statuit, inter quos præcipue ætatis considerationem ante oculos Judicum posuit *in §. In persona*; Hinc quemadmodum qualitas, una ex septem dictis considerationibus, levius, vel altius crimen extollit, ut nomen vel simplicis, vel atrocissimi mereatur, ita pariter ætas pœnam distinguere debet in minore, ne eamdem cum majore patiatur animadversionem, in quo magis dolus consideratur, & calliditas animi; eo præcipue quod si minor contrahere nequit, prout undique & passim præscribunt leges; Multo minus tam sævam, & inhumanam habere malitiam in delinquendo; Siquidem in delictis quasi contrahitur.

Porro exemplificatio facta per citatum *Accursium in dicta Leg. auxil. verb. atrociorib. his verbis -- Sed in illis subdividitur quædam sunt atrocia, ut furtum, quædam atrociora ut hic, quædam atrocissima, ut Adulterium*. In quo nullo modo subvenitur, ut hic subjicit, claudicat in genere, & in specie. In genere quia nullibi in jure *atrocissimi* hoc nomen invenitur, imo omnia crimina, etiam pessima, & detestabilia inter atrociora continentur, licet inde DD. atrocissimi nomen addiderint. Sic legitur *in Leg. 1. Cod. de raptu Virg., in Leg. Raptores Cod. de Episcop., & Cleric., & in c. Pro humani de homic. in 6.* Claudicat insuper in specie, quippe licet adulterii grave reputetur crimen, nihilominus nunquam inter atrocissima adscribendum, prout pœna, quæ pro illo imponitur in dies manifestam rem facis, Hinc bene ad propositum ita respondet *Farinac. q. 92. n. 77. -- si in crimine Sodomiæ ætatis miseratio habetur, ut mox dicam multo magis talis miseratio haberi debet in hoc Adulterii crimine.*

Saniori propterea judicio verba illa Text. *in dicta Leg. Auxilium -- In delictis autem minor 25. annis non meretur in integrum restitutionem, utique in atrocioribus, nisi quatenus interdum miseratio ætatis ad mediocrem pœnam Judicem perduxerit*, ita explicantur a doctissimo *Francisco de Caldas Pareira in Commentario analytico ad Leg. Curatorem verb. adversari dolo Cod. de integr. restitut. nu. 51.*, ibi -- *Quare ego adverto, ideo illud verbum* INTERDUM *a I. C. ibi fuisse positum, quia aliquando Minor excusari nullo modo potest, pœnamque ordinariam debet sustinere, veluti si solitus sit delinquere, propter usum enim, & pravam delinquendi consuetudinem, quemadmodum in Majoribus augeri pœna potest per Text. in leg. 3. in fin. Cod. de Episcop. aud., & ibi Bald., & leg. apud Antiquos in fin. Cod. de furtis bonus Text. in leg. qui sæpius ff. de abigeis, ita in minoribus ordinaria debet infligi, ut est pulcher casus, in leg. Capitalium 28. § Solent ff. de pœnis*, ibi -- SOLENT QUIDAM, *qui vulgo se Juvenes appellant, in quibusdam Civitatibus turbulenti se acclamationibus accomodare, qui si, nihil aliud admiserint, nec ante sint a Præside admoniti, fustibus cæsi dimittuntur, aut etiam spectaculum eis interdicitur, quod si ita correcti, in eisdem deprehendantur, exilio puniendi sunt, non nunquam capite plectendi, scilicet cum sæpius seditiose, ac turbulenter se gesserunt*; TRACTI *clementius in eadem temeritate propositi* PERSEVERAVERINT. *Vide J. C. verba manifesta, quibus J. C. probat adolescentem criminosum, & clementius punitum semel, ad meliorem vitam, non respicientem, posse ultimo supplicio plecti. Concordat Text. in leg. Quicumque 4. Cod. de serv. fugit., & est aptissimus casus in leg. 3. §. Si plures ff. de re milit.*, ibi -- *Sed Tyronibus parcendum est, qui si iterato hoc admiserint* PŒNA COMPETENTI AFFICIUNTUR, *per quem jura hoc ita tenendum est; quoniam a DD. in locis relatis non ita plectatur* --

Non est Accursii distinctio adaptabilis casui de quo agitur, siquidem admisso, etiam per erroneum suppositum, quod ea verissima foret, & Legibus innixa, adhuc tamen haud concluderet, in thesi de qua loquitur, habita potissimum animadversione, quod termini prædictæ distinctionis revertunt in minore 25. annorum, hinc minime trahenda, & alleganda ad casum de quo disputatur, an minor viginti annorum pœnæ minorationem etiam in atrocissimis obtinere debent? Nam ubi non conveniunt verba distinctionis, nec etiam ipsa distinctio adaptari debet; potissimum quia in odiosis nulla videtur admittenda extensio de uno casu ad alterum ex vulgato *Text. in cap. Odia de reg. jur. in 6. cum similibus*.

Nec novus videtur hujusmodi intellectus quippe DD. quæstionem promovendo an homicida proditorius, sive aliter aliud facimus gravissimum committens, pœna ordinaria, aut extraordinaria puniendus sit? Distingunt minorem 20. annorum, a minore 25., ut primus pœna extraordinaria plectatur, alter vero minorationem tantum obtineat si in regione minime esset frequentia similium delictorum, ut DD. & exemplis allegatis docet *Cortiad. decis. 96. nu. 54., & seqq.*; Et ratio manifestissima est siquidem minor post vigesimum annum tanquam proximus majori ætati, tam imbecille minime habet judicium ut minor 20. annorum; hinc tradit *Caldaron. decis. Crim. 16. num. 28.*, quod quidam Inquisitus ætatis viginti annorum novem mensium, & quinque dierum pro homicidio, & furto extra ordinem punitus fuit: ea ratione, quod etiam in atrocissimis minores criminosi non poniuntur pæna ordinaria, nisi excedant ætatem 21. ann.

Non refragatur insuper *Text. in Leg. Excipiuntur 14. ff. ad Senat. cons. Silanian.*, si quidem ibidem Volusius Metianus exemplum refert Trebi Germani Legati; qui Inquisitionem sumpserat cujusdam Servi non multum a Pubertate aberrantis, quia ad pedes Domini cubaverat cum occideretur, & postea cædem non prodiderat, ita ut juxta *Gloss. ibi in verbo certum* tria concurrere debeant ut hujusmodi Legis dispositio vindicet, sibi locum, ibi -- *Nota tria contra hunc quorum si quod deficit non habet locum quod hic dicitur: illa tria sunt hæc, quod prope pubertatem, quod ad pedes Domini, & quod tacuit, & sic casus est specialis quoad necem Domini, & quo ad Servos impuberes.*

Et quamvis idem I. C. Metianus ibidem hæc verba subdat -- *qui vero Ministri, vel participes cædis fuissent*, ET EJUS ÆTATIS UT REI INTELLECTUM CAPERE POSSENT *his non magis in cæde Domini, quam in nulla alia causa parci oportere* nihilominus hujus legis dispositio plures habet intellectus quorum primus est quod loquitur de Minoribus, sive Impuberibus malitia plenis *ut rei intellectum capere possent* quæ dictio *ut* tanquam modalis Legis dispositionem moderatur, atque restringit, concurrente perfecto judicio, & non aliter, juxta *Bart., & alios in Leg. 2. Cod. de iis, quæ sub modo &c. Merta, vot. Pisan. 200. num. 10., & seqq.* Hinc quemadmodum delinquere poterit, non dolo, & plena malitia, sed fragilitate, errore, ignorantia facti, vel animi levitate haud agnoscens, quod patrare intendit, ideo cum Fiscus illos pœna ordinaria punire intendat, semper interrogare tenetur Minores, an revera cognoverint quid agerint dum deliquerunt, & unde moti fuerint ad delinquendum, ut cognosci posset an

vere

vere ex imbecillitate ætatis errore, seu potius ex dolo, & malitia deliquerint.

Quod, & magis aperte probatur etiam quo ad poenam extraordinariam minori infligendam a *Text. in Leg. Impunitas 7. Cod. de pœnis* -- ibi -- *impunitas Delicti præter ætatem non datur* (*& ibi Gloss. subdit quod Mitius puniatur*) *si modo in ea quis sit in quo crimen quod intendit cadere potest*. Hinc ob illam conditionem *Legis* SI MODO IN EA QUIS SIT, debet Fiscus dilucidare, & probare vel ex ore Rei, aut aliunde per Testes, quod ipse Minor erat adeo sagax, ut quid ageret, & admitteret distingueret, alioquin non verificata hujusmodi conditione, semper præsumptio stat pro ipso Minore, quod potius ex imbecillitate animi, quam ex feracitate, & summa malitia deliquerit, *juxta Text. in leg. 1. ff. de minor.*

Ulterius animadvertendo quod tam *Text. in d. Leg. excipiuntur*, quam ceteri alii qui allegari possent contra Minores locum sibi vindicant quo ad plenam restitutionem, ne illis succurratur, ut impuniti dimittantur, sed tantum parci oporteat quo ad poenam extraordinariam, ut ex *Menoch. tradit Matthias Berlich. pract. conclus. part. 5. conclus. 44. num. 39.*, ibi -- *nihil movent Text. in contrarium adducti quia ad eos bene respondet Menoch. quod in delictis siquidem non succurratur Minoribus ad hoc ut in integrum restituantur, BENE TAMEN AD HOC UT MITIUS PUNIANTUR*. Et ita pariter respondit *Thesaur. decis. Pedemont. 161. num. 7.*

Et valde ad rem confert *Ulpian. in leg. 1. §. impubes ff. ad Senat. Consul. Silanian*, ubi impuberes non debent esse in eadem causa ut majores, quia *ætas* excusationem meretur (quod verbum ætatis minori pariter adscribitur a Gloss. ibi lem in verbo ætas) imo subdit *Text.* quod ætati non tantum in supplicio parcitur: sed etiam in quæstione, quia impuberes non torquentur, sed ferula terreri, & cædi solent. Quamobrem ne sibi met ipsis contradicerent Ulpianus *in d. L. 1.*, & Volutius Metianus *in d. Leg. excipiuntur* verbum illud *parci non oportere* in eadem *Leg. excipiuntur*, positum intelligitur ne fiat totalis poenæ remissio, nunquam vero quod ordinaria poena plectendus foret impubes, sive Minor.

Ex its principiis legalibus Eminentissimi PP. facillime agnoscent, valde aberrasse illos qui in atrocissimis Minores poena ordinaria puniri credidere, nam legibus, & rationibus eorum opinio destituta dignoscitur; Neque movent exempla per eos allegata, quia Legibus, & non exemplis est judicandum, imo adversus hujusmodi exempla, imo adversus & hanc rigididissimam, & duriorem opinionem, & quandam decisionem Pedemontani Senatus, ita perbelle loquitur *Thesaur. decis. 161. num.* .. ibi -- *mihi tamen semper displicuit hæc observantia Senatus, nec illam unquam quotiescumque casus contingit probare potui, tanquam nimis rigorosam, & humano Judice indignam, per* TEXT. IN D. §. *in delictis, & stante pro hac parte magis communi DD. opinione, quam tenuerunt alii, quos refert* JO: BAPTISTA CACCIALUPUS *&c. ubi reprehendit Judices contrarium tenentes, dicens ita vidisse pluries consultum per celeberrimos DD. & obtentum, & quod ista non est miseratio cervellina, & reprobensibilis, sed legalis, & laudabilis apud sublimes Juristas, & Viros magnanimos. Et hanc opinionem esse penes omnes receptam, nec aliquem contrariari, sed potius convenire etiam in casu adulti dicit Hyppolitus Riminal. &c. ubi innumeros refert illam tenentes, & respondet ad jura, quæ contrarium suadere possunt, & pro hac parte multas rationes non quidem contemnendas, & omnino videndas tradit Tiraquell. &c. & hanc sententiam in judiciis observatam testatur Grammat., ubi licet dicat in casu fuisse reum ad mortem damnatum, tamen illud factum fuit, quia fuit per Testes contrarios* MAJOR ÆTAS PROBATA, *illa ratione puta quoties in delicto est minor dolus, toties pœna quoque minor esse debet. Sed in minore est minor dolus, ergo minori pœna plectendus erit, & ita dicit per Imperii ordinationes cautum esse, & sequitur Mandos., qui dicit hanc esse filosophicam considerationem, cum aliis relatis, consideranda est dicens ita fuisse judicatum.*

Juvat insuper in terminis, & ad magis comprobandam hujusmodi Sententiam, rationes referre docte animadversas per *Theren. Fintoni* in quadam ejus allegatione impressa *apud Sabell. tom. 2. cap. 6. num. 104.*, ubi materna lingua ita se habet -- *la minorazione di pena ordinaria a favore delle Persone di età minori si ammette in delitti gravi, più gravi, e gravissimi con le sue distinzioni per unica ragione, e che senza dolo perfetto non si da pena ordinaria afflittiva di corpo, ed il vero dolo non cade nell'età minore di 25. anni.* E TANTO MENO NELL'ETA' MINORE DI 20. *avvenche il minore di 20. anni fosse Dottore, Lettore, Avvocato. Perche altro è l'apertura della mente alle Lettere, e speculative (la quale in detta età e proprissima) altro è la prudenza, e mansuetudine in moralibus, che al minore impropria, e da lui aliena, essendo questa età inferma, e imbelle naturalmente, senza prudenza, e piena di furore, e di senso. E Testimonio ne sia chiunque ha passato questo rapido torrente, riflettendo ne' proprii scorsi nell'età giovenile, e come disse David.* DELICTA JUVENTUTIS MEÆ NE MEMINERIS DOMINE: *E come dicono i Dottori, che pochi sarebbero gli prudenti a poter governare il Mondo nella loro età virile, se fossero stati castigati degli errori commessi nell'età giovenile a misura ordinaria. E però le Leggi, che dispongono a temperare le pene, come pensatamente fute compatiscono all'età, non alla persona, con tal temperamento e dicono tacitamente, che in quel caso, ed in quella persona, che a commesso quel fatto, vi caderebbe l'ordinaria pena, ma che sia da condonarsi all'età il rigore cioè a quello infermo giudizio, che non ammette il concorso di una vera mente sana, che non lascia perfezzionare il dolo &c.*

Jure merito doctissimus *Petrus Binsfeld. in Commentar. lib. 9 Codic. de maleficis, & mathematicis Leg. 5. fol. mihi 626.*, circa Minores delinquentes in enormissimo crimine maleficii sic erga Judices se habet -- *Ut tamen hoc addam, non audere nunquam consulere Judici in conscientia, ut in hoc enormissimo crimine arbitrium extenderet ad ultimum supplicium, ante enim perfectam ætatem Minor esset custodiendus in tolerabili custodia, & instruendus, quo tempore elapso si non sit a circumstantiis adjunctis, spes firma constantisque conversionis adhuc est locus Justitiæ. In qua Sententia, in genere loquendo, consului superiori tempore.*

Vindicata igitur juxta terminos Juris communis hujusmodi communi Sententia Minoribus favorabili ab omni hæsitatione minime obiici valet, quod attenta *Constitutione Julii II.*, necnon *Pii IV.* poenæ minoratio minime conveniat in Statu Ecclesiasti-

cio,

co, non tam in atrocissimis, quam in simplici homicidio: siquidem quod attinet ad *Bullam Julii II. part. 1. Bullar.* in qua statuitur minores 25. annor. *dummodo vigesimum attigerint annum in crimine homicidii, aliisque delictis, in quibus capitalis pœna infligenda esset, non solum non excusandos, SED ETIAM PRO MAJORIBUS reputandos, & ut majores puniendos:* hæc nullimode adaptari potest casui de quo agitur, quippe Inquisitus Bianconi minor est 20. annorum quia numerat tantummodo decem, & novem annos; & menses duos.

Neque aliquod impedimentum præstat verbum illud *attigerit*, siquidem de completo anno vigesimo, & non incepto intelligendum venit, ea ratione, quod agitur in odiosis, ubi annus inceptus nunquam habetur pro completo, ut tradunt *Gloss. in Leg. ad rem public. verb. favoris causa ff. de muneribus, & honoribus, Dec. in cap. cum in cunctis num. 48. de electionibus*, & post alios *Ursell. conclus. 116. n. 9., & 10.*, Et re vera verbum illud *attigerit* non nisi perfectionem anni vigesimi significat, duabus præ oculis habitis rationibus: prima quod verba quæcumque secundum subjectam materiam, & naturam actus intelligenda veniunt, ut late probant *Flores de Mena variar. quæst lib. 2. quæst. 24. num. 33., Parisius cons. 68. num. 20. lib. 3., Gonzalez ad regulam octavam Cancell. Gloss. 8. nu. 53., & sequen., & Tusch. tom 8. litt. V. conclus 95.*, ita ut ampliari, & restringi debeant secundum subjectam materiam, & restringi potissimum ad evitandum absurdum late *Barbos. axiom. 222. num. 39., & seq.*, Subjecta autem materia præsens cum se vertat ad prætensam ordinariam Minoribus infligendam, negari nequit, quod tanquam odiosa non nisi perfectionem anni 20. significare velit, nam appellatione anni non venit nisi completus, & perfectus, ut tradunt DD. relati per *Gratian. cap. 956. n. 31.*, ubi plus subdit, quod non potest dici annus in rerum natura, nisi esset completus.

Altera ratio depromitur animadvertendo, quod Julius II. verbum illud *attigerit* apposuit ad subrogandam minorem ætatem quo ad homicidia, & cætera debita capitalia, non expectando 25. annum præscriptum a jure communi. Omnis igitur Æqui, bonique ratio expostulat ut de vigesimo anno completo, & non de inchoato verbum *attigerit* interpretationem habeat, ut ad rem ponderavit *Senatus Mantuanus Teste Petro Surdo decis 178. num. 8.*, cujus verba quum ponant falcem ad radicem, per extensum referenda censeo -- ibi -- *Tamen æstimaverit Senatus rationem magis attendendam, quam simplicia, & nuda Ordini verba, ratio autem est vigor naturalis rationis, qui minus est imperfectus si completi sint anni, quam si inchoati tantum sint, & sicuti jure communi in pacto, non reputatur major quis nisi exacto vigesimo quinto anno, ita stante ordine requiritur anni perfectio, quia 20. anni, de quibus in ordine loco illorum 25. subrogantur, qui requiruntur a jure communi, & subrogatum sapere debet ejus naturam, cui subrogatur leg. Si eum, §. Qui injuriæ. ff. si quis caut. Hinc dicimus, quod instantia statuti, quia subrogata loco communis, assumit illius naturam. Sic statutaria præscriptio, quia succedit in locum ordinariæ, sapit eandem naturam. Præterea ubi fit mentio de anno regulariter, intelligere debemus de perfecto, quod ubi lex, vel homo non declarat tempus, debet esse perfectum, & magis proprie dicitur annus, quando est perfectus, quam ubi est imperfectus. Quinimo annus non est in rerum natura, si non est perfectus; & in dubio tempus assignatum debet esse completum, BAL. IN LEG. EX HIS NUM 3., & 4. Ubi ait quod hæc est propria vocis significatio, nisi aliud suadeat conjectura voluntatis, vel æquitas. Accedat quod sumus in odiosis, quia ordo prædictus corrigit statutum, & jus commune, & in odiosis annus captus non habetur pro completo GLOSS. IN LEG. 3. §. minorem ff. de minor., & ordo, seu statutum intelligi semper debet, ut minus corrigat jus commune, & jus magis generale, at minus corrigit si intelligamus de anno perfecto, quam de cœpto. Præterea Statutum, seu ordo loquendo de anno, debet intelligi, secundum quod in eadem materia intelligit jus commune, quia statuta recipiunt a Jure communi passivam interpretationem, etiamsi ab eodem statuto prohibita sit interpretatio. Ius autem commune, loquendo de minori ætate, exigit annum perfectum, nec contentatur de cœpto; ergo idem judicandum est de ordine.*

Magis, magisque hujusmodi interpretatio robur suum accipit a subsequta omnium Tribunalium Urbis, & Status Ecclesiastici observantia, quippe nullus casus afferri potest, quod minor 20. annorum completorum in homicidiis pœna ordinarie punitus fuit: imo relatum exemplum *Joannis Agni Rei* parricidii in Tribunali Gubernii Urbis secutum, oppositum patefacit, & de facto refert *Cortiad. decis. 96. num 55.*, in primo exemplo, quod minor habitus fuit ille qui inceperat, sed non perfecerat annum vigesimum, haud obstante quod in Catalonia consimilis Constitutio obstaret. Potissimum quia dum agitur de rigorosa pœna mortis, semper amplecti debemus opinionem benigniorem, ut omnes suadent leges, & ratio præsertim adducta per citat. *Tiraent. Fontioni num 18.*, ibi -- *non si trova nelle Università degli Autori Criminali, che Giudice alcuno mai si sia pentito, o abbia mai tenuto rimorso di coscienza per essere ambulato nella via maestra delle regole più larghe, e delle più mite oppinioni; ma bensì vi sono esempi, che in volere troppo sottilizare negli rigori, sono inciampati in anguste, come pure accadde in qualita di Giudice al Beato Giovanni de Capistrano riferito dal Guaz., sebbene a lui la disgrazia gli portò gran fortuna nella Santità*; FARINAC. QUÆST 39. NUM. 22., ibi -- *Ne volentes meliores videri, quam ipsæ Leges, Legibus injuriam faciant*.

Non officit insuper Bulla Pii IV. in ordine 108., quæ majores 14. annorum in homicidiis pœna ordinaria punit, siquidem tam Bulla prædicta, quam aliæ, quæ ad hunc effectum allegari possunt, loqui videntur in minoribus Bannitis, & in contumaciam condemnatis, ideo extra illum casum, & sic in Reis præsentibus condemnandis locum minime habet, ut individualiter advertit, *Ondedeus cons. 99. nu. 48. lib. 1.*, & cum eo *Farinac. quæst. 92. num. 189., & sequen.*, ubi plus subdit sequentia verba -- *non obstan ibus prædictis Bullis, tanquam factis ad terrorem ut videtur quod nauus Judicis non sint ligatæ EX ÆTATIS MISERATIONE ad pœnam minuendum, & quod alias intellectæ essent irrationabiles, & injustæ, & quod Iudex molliendo pœnam, & miserando non peccet, prout voluit, & probavit SFORT. ODD &c. & in specie pluribus, & validissimis rationibus bene consuluit Ond. d. in dict. cons. 49. n. 48. & sequen. attestans ita quod de anno 1683., ita fuit per Perusiam servatum a Locumten. Cardinalis Riari*

nunc Legati, *sed utinam Iudices nostri temporis sic facerent*, & *advarterent saltem Principe consulto*, *prout his casibus si Iudex essem semper illum consulerem*, *ac etiam persuaderem*, ut ad gratiam temperandæ pœnæ inclinaret, quidquid secus ab aliis Judicibus inhumaniter inhærendo solum literæ, & cortici verborum ipsarum Bullarum servatum fuit.

Neque replicari valeat (prout jam audio Fiscum obiicientem) quod hujusmodi restrictio ad solos Contumaces minime conveniat, eo quia absentes condemnari nequeunt in pœnam duriorem, quam rei præsentes; quippe admissa etiam hujusmodi propositione, non inde sequitur quod minores præsentes in dictis Bullis comprehensi viderentur, ea potissimum ratione, quod nulla extensio in criminalibus facienda est de uno casu ad alium, sed strictissime intelligi, & interpetrari quantum expresse disponunt *ex vulgatis juribus* inferri solummodo possit id quod dicunt *Farinacc.*, & *Onded.* supracitati, quod prædictæ Bullæ tanquam ad terrorem æditæ, & minime rationabiles, observandæ minime forent, etiam quo ad ipsos Contumaces, ne plus coercerentur absentes, quam præsentes prout in effectu observantia Teste, nunquam in Praxi admissæ fuere, ut notissimum est EE. PP., ac cæteris in foro versantibus. Imo ad propositum alia superaddi potest ratio ad magis ostendendum rigorem dictarum Bullarum, & illarum inobservantiam, quia si semper mitior pœna minoribus infligitur ob judicii imbecillitatem, ut naturali, & philosophica edocti ratione undique utriusque juris Consulti præscripsere, sane hujusmodi animi imbecillitas tolli nequit a prædictis Bullis, nam naturalia sunt immutabilia, proinde semper essent rigorosæ, irrationabiles, & nunquam observandæ, cum id præscribant quæ naturæ repugnat. Neque hujusmodi rigor velari potest prætextu quod malitia creverit super terram, nam hæc semper fuit talis, imo a primordiis seculi in quibus horrendum fratricidium a Caino legimus fuisse patratum.

Dum hæc scribebam mihi communicata extitit allegatio D. Fiscalis generalis, in qua doctissime, & diligentissime juxta sui muneris partes conatur probare legibus, Constitutionibus Apostolicis, DD. placitis, & observantiis Tribunalium, oppositam sententiam, quod hujusmodi minor adhuc pœna ordinaria plectendus veniat. Omnibus autem hisce in contrarium adductis puto satis a me fuisse præventive responsum, quippe nullibi leges quo ad pœnam ordinariam loquntæ sunt, Apostolicæ Constitutiones casui non adaptantur, & DD. qui in contrariam inclinarunt sententiam valde a juribus aberrarunt, ut traditum est. Et quo ad praxim Tribunalium si *Farinac.*, *Raynald.*, & alii nonnullos recensent casus, satis super abundans exempla per me relata in omnibus Europæ Tribunalibus, quæ utique præferri debent contrariis, tum quia numero majores, tum quia, (per malam hypotesim) iis in paritate existentibus; semper præferri debet praxis, & observantia, quæ pro mitiori pœna fuerit servata, juxta *Text. in leg. favorabiliores*, & *in leg. ambiguis 2. ff. de reg. iur. in leg. interpetrat. ff. de pæn. cum similibus*.

Nec exemplum quod affertur sequtum in Tribunali Gubernii Urbis in personam Ignatii Dupic, EE. PP. in duriorem sententiam movere poterit, tum quia hujusmodi exemplum tanquam legibus, rationibus, ac ipsi naturali æquitati contrarium, minime insequendum venit, tum propterea, quia diversimode in casu Parricidii per idem Gubernii Tribunal in personam Io. Agni judicatum extitit, ut supra dixi; Unde praxis, & observantia dicti Tribunalis non est inconcussa, & vera; Sed variæ, & mutabilis juxta factorum circumstantias, & qualitates proinde recte ad propositum adaptatur regula quod exemplis etiam Principum non est judicandum, sed legibus, ut tradunt DD. *in leg. 3. Cod. de legibus*, & *in leg. 1. de Constit. Principum*, *Alexand. cons. 150. num 6. tom. 6.*, & *Paris. cons. 31. num. 17. tom. 1.* Ac demum absit dicere, quod Supremus iste Senatus ab inferiore Tribunali normam, & exemplum sumere debeat in judicando, potissimum quia omnia Europæ Tribunalia semper in benigniorem sententiam judicarunt ut patet ex exemplis superius traditis, quibus & addi potest quod in Senatu Siculo in homicidio cum qualitate sacrilegii minori pariter pœna extraordinaria dictata fuit, teste *Mario Muta decis. 30.*, & *50.*

Quare &c.

T. Antamorus Pauperum Adv.

19 Usque adeo dixi *de infante*, *de proximo pubertati*, & *de minore* (Nam tantum hujusmodi ætates *in delictis* distinguuntur ad dignoscendum, quando crimen per eos contrahatur, & ultioni, extraordinariæ tamen, subiiciantur) dicenda aliqua remanent de *Senectute* quæ etiam in delictis miseratione digna est, intelligo *Senectutem* illam in Septuagennario, & ultra, qui vere mentis infirmitate laborare incipit, & Pueris æquiparatur juxta *Pauli responsum in l. Civitatibus 122. ff. de legat. prima* ibi — *Hoc amplius quod in alimenta infirmæ ætatis puta senioribus*, *vel Pueris Puellisve relictum fuerat* & consentiunt Pontifices *in cap. magnæ 7. devot.* & *in cap. 1. § sin autem Episcopus de Cleric. ægrot. in 6.* Septuagenarii enim ultra abeuntes, ita debilem morbosam ætatem sustinent, ut eos prope interitum, ac valde morti propinquos esse quotidie experitur; quapropter hujus ætatis homines Juris præsumptione Infirmos æstimandos esse docet *Abbas in cap. quoniam frequenter 5. num. 18. ut lit. non contestat.*, & confirmatur a Propheta Psalmidico in *Psalm. 89. versic. 10.* *Dies annorum in ipsis septuaginta anni*, & *in potentatibus octuaginta*, & *amplius eorum labor*, & *dolor*, Alphons. Perez de *Lara in compend. Vitæ human. c. 31. ante n. 70.*

20 Et quod magis est in senibus eadem mentis fragilitas, ac in minoribus consideratur, ut pote qui bonam partem Judicii, consilique amiserunt, juxta illud *Claudiani de victoria Stiliconis* —

Si non meritis inops fraudotaque senibus ætas
Præberet veniam, nunquam hæc opprobria linguæ
Turbia Danubius me sospite ferret inultum

taliter ut Parvulis Senes omnino æquiparentur, unde senectus altera Pueritia dicitur ab Aristotil. ibi — *Senes omnibus modis in pueritiam revolvuntur rursusque in ea reversi videntur*, & *ab Accurs. in l. senectus verbo sola C. de donat.* eleganter propterea inquit *Ludovic. Vives libro 2. de anim.* — *Quemadmodum in Infantia non utitur ratio suis organis, quia nondum sunt apta, sic nec in decrepita senecto, quia jam desierant esse apta, magno scilicet usu detrita*, & *corrupta*; Hinc adagium illud — *Bis Pueri Senes* ut ex *Horatio* tradit *Jacob. Simanc. libro 7. de Republic. cap. 7. num. 781.* non immerito Domitius Ulpian. *in l. 12. §. de illis ff. de usufruct.* defectæ senec-

senectutis hominem servum appellat, cujus non aliter, atque Infantis ob senii imbecillitatem operæ nullæ sunt, & *in l. 2. §. ignoscitur ff. ad S. Consult. Silanian.*

21 Igitur cum tales Senes in omnibus, & præcipue in mentis fragilitate similes sint Pueris, & minoribus, eodem modo sicut illis ratio & æquitatis patitur, Senibus delinquentibus, pœnam mitigandam, temperandamque esse non tantum in levibus, sed etiam in homicidio, aliisque atrocioribus criminibus, quod non tantum *Plato libro 9. de Legib.* sancivit, æquiparando Senectutem insaniæ & puerili ætati, his verbis, *ob insaniam, vel senio, vel in ætate puerili constitutus*, verum etiam undique Jura Civilia præscripsere *in l. 2. ff. de termin. mot. in l. Sacrilegii pœnam ff. ad leg. Jul. peculat. in l. fere in omnibus ff. de regul. Juris & in l. 3. §. si cum ff. ad S. C. Silan. ubi Gloss. verbo ætate*, quibus conveniunt Canonicæ Sanctiones *in cap. tempora 26 q. 7.* ubi Leo Pontifex inquit -- *Tempora pœnitudinis habita moderatione constituenda sunt, etiam habens ætatis Senilis intuitum*, nec non in cap. tanta I, q. 7. ubi Pontifex Gregorius ita scribit Episcopo Jannario -- *Et quidem pœnæ sententia in te Fuerat jaculanda, sed quia simplicitatem tuam cum Senectut- novimus interim tacemus.*

22 Legibus accedunt rationes, etenim ut supra dictum est, In senibus propter Senectutem, & Sanguinis diminutionem deficit sensus, & intellectus, & ipsi jam repuerescunt, & sic non agunt ex perfecto, judicio, & deliberatione ut animadvertunt *Glossator in l. Senectus verbo sola Cod. de donat.* Plat. *lib. 1 de Republic.*, & *Aul. Gell. noct. atticar. libro 6. cap. 5.*; Hinc a veritate alienum est, hujusmodi decrepitos Senes magis abundare in maturo, & perfecto judicio, ut nonnulli perperam autumant; siquidem illorum sententiæ, distingrendo occurrit Paulus *Zacch. in quæst. medic. legal. libro 1. qu. 10. num. 23.* his verbis -- *Magis ad rem nostram adaptari potest Idem Plato libro 5. de Republic., dicebat quinquagesimum quintum annum in Viro esse, & Corporis, & Sapientiæ vigorem quasi ab inde utramque deficere incipiat, Verum tamen hæc multo evidentius quotidianæ experientiæ testimonio firmantur ubi enim ad hanc ætatem* (nempe decrepitam) *pervenerunt Senes, non solum memoriam sed, & cujusvis rationis usum amisisse videntur, quamobrem Senes ad Pueritiam remeare respectu vigora mentis, ex vulgata parœmia patet.*

23 Rationibus subsequuntur Doctorum auctoritates, quibus magis pœnæ minoratio Senibus impartienda, comprobatur ut Glossa *in l. quid ergo §. pœna gravior verbo onerasset ff. de his, qui notant. infam. Dec. in l. fere in omnibus* num. 5. *ubi Adden. Litter C ff. de regul. Jur.*, *Cagnol. in d. l. fere num. 2.*, *Cepoll. in auth sed novo Jure num. 88. Cod. de servis fugit.*, & *in l. si fugitivi num. 26. -- eod. titul.*, *Igneus in l. 3. §. ignoscitur num. 1.*, *& seqq. ff. ad S nat. Consult. Silanian. Gandin. de malefic. rubric. de pœnis Reor. num. 30. in med. Simanc. de catholic. Instit. cap. 17. num. 15. & 26.* & post alios *Anton. Matth. de Crimin. libro 48. per tit. 18. de pœn. cap. 4. num. 21.* ubi quoque subdit, quod minoratio hæc omnino a Judice practicanda est, nec residet in ejus arbitrio, & enim quidquid Leges præscribunt, aut recta ratio dicta, id Judici faciendum est.

24 Et in terminis homicidii, expressius docent *Menoch. de arbitr. cas. 329. num. 19.*, *Andreas Gaill. practic. observ. libr. 2. observ. 110. num. 34. Jacob. Novell. in tract. ad defens. Reor. cap. primo de excusat Homic. num. 45.*, *& seqq.*, *Ludovic. Carrer. in tractat. de excus. homic. §. circa quartum num. 13.*, *Valent. Voltz. in repet. leg. Corn. de Sicar. in appendic. ad cap. 6. num. 46.*, *& ibi Adilbert. in notis*, *& a Daniel. Classen. de jur. aggratiand. cap. 14. num. 19. fol. 150.*. Nec desunt in gravioribus criminibus iudicatarum exempla apud *Riccium in collect. decis. 3717. tom. 5.*, *sess. decis. 390.*, *& Sanfelic. decis. 166. num. 12.*; hinc audiendi non sunt, qui positam thesim admittunt in levibus non in atrocioribus, inter quos *Clar. in pract. crimin. qu. 60. versic. successive quæro*, siquidem si ratio potissima huiusmodi diminutionis pœnæ residet, in illa Juris præsumptione, quod senes decrepiti ultra septuagesimum annum sensus, & intellectus diminutionem patiuntur; discriminis causam non video, quare in levibus diminutio hæc pœnam leviet, in gravibus minime, cum idem voluntarii defectus in utroque casu concurrat; unde idem debet esse Iudicium exemplo minorum, qui ob sensus, intellectus diminutionem non tantum in atrocioribus, sed in atrocissimis ab ordinaria ultione immunes sunt, ut probatum est.

25 Intellige tamen superius traditam conclusionem cum legibus, rationibus, DD. auctoritatibus, & iudicatarum rerum exemplis adductis in senibus decrepitis, qui cum senectute conjunctam habent mentis alienationem iuxta sensum Text. *in leg 7. §. 3. ff. ad S. C. Silan.* ibi -- *Qui ætate defessi sunt*, siquidem cum introspecta causa mitigationis pœnæ in senibus nulla alia adducatur, nisi mentis *alienatio*, congruum est ut cessante hac mentis alienatione cesset quoque pœnæ minoratio, imo senes perspicaces, ac robusti veniam mereri non solum non debeant, seu magis puniendi sint, quanto gravius delinquere videntur ad tradita per *Sfort. Odd. de restit. in integr. par. 2. qu. 80. num. 116.*, merito Jason. *in l. 3. §. ignoscitur num. 16. ff. ad S. C. Silan.* inquit quod nisi deliri sint senes, quia mente carent, propter suam senectutem excusari minime debent, & in hunc sensum adaptari possunt, nec non intelligenda videntur, quæ tradit contra communem DD. opinionem, *Clar. in practic. crimin. d. qu. 60.*, *versic. successive quæro* de praxi Mediolani testificans (adversus quem merito insurgit *Farin. qu. 92. num. 24. & seq.*) *Carpzov. de praxi Saxoniæ in pract. Crimin. quæst. 144. num. 15.*, *& seqq.*, *& Gomez. de delict. cap. 1. num. 68.*, prout docte ibi explicat *Ioannes Ayllon. in addit. ad dictum Gomez in cap. 1. n. 68. versic. Itaque*, & faciunt tradita per *Igneum in l. 3. §. ignoscitur num. 12. ff. ad Senat. Consult. Silan.*

26 Sed dubitatur, (ad veram intelligentiam præfatæ distinctionis) cui incumbat probatio alienationis mentis, vel ejusdem firmitatis in sene delinquente, Fisco, an Reo? quæstionem hanc a Nemine, ex tot DD. qui de criminali materia prolixius tractarunt perlegi discussam, verum ex præmissis facile resolvi potest, quod cum Senex decrepitus Juris, & naturæ præsumptionem pro se habeat, quod sensus, & intellectus diminutionem patiatur ad instar Pueri, prout ultra deducta probat Textus *in cap. quamvis 58. §. nisi de sentent. excommun.* ubi *Gregorius IX.* æquiparat ætatem senilem Puerili, his verbis -- *Puerili vel senili ætate*, quod magis comprobatur ex divinis Paginis, *Secund. Reg. cap. 19.*

ibi

ibi -- *Quot sunt dies annorum vitæ meæ ut ascendam cum Rege in Hierusalem, octuagenarius sum hodie numquid vigent sensus mei, ad discernendum suave, & amarum &c.*

27 Et ex medicis docte tradit *Andreas Laurentius tom. 2. tractat. de senect. cap. 2.*, ubi hanc naturæ præsumptionem ita, extollit ibi -- *Tandem suprema illa pervenit senectus, quam decrepitam vocant, in qua singulæ corporis, & animæ debilitantur, hebescunt sensus, deperditur memoria, deficit judicium, & tunc temporis in infantiam incidunt*, probatio firmitatis sensus ad fiscum pertinet, siquidem sive *naturæ*, sive Juris præsumptionem pro se habens ab onere probandi relevatur, nam intentionem suam fundatam habere dicitur ad *Textum in cap. final. de restit. spol. in 6., in cap. qui verisimile de præsumpt., in leg. cum de indebito ff. de probat.* late *Reifenstuell in Jus Canon. libro 2. tit. 23. §. 2. num. 40. 45., & seqq.*

AD OBSERVAT. XXII.

SECTIO V.

SUMMARIUM

1. *Furiosi excensentur a pœna in omnibus delictis rationes adducuntur.*
Jura tum civilia, tum canonica, & judicatarum exempla.
2. *De cognoscendo furore, seu dementia simulato, monitum* Brunneman.
3. *De delinquente tempore sanæ mentis, inde furioso effecto. Prima refertur sententia negativa.*
4. *Altera opinio pro coerctione delinquentis.*
5. *Rationem examinat unde furiosus non punitur.*
6. *Affertur opinio distinguens.*
7. *Altera opinio, quæ distinguit in puncto Juris, & in praxi.*
8. *Nonnulli totum hoc Judicis arbitrio remittunt, nec consulendum esse Principem.*
9.) 10.) *Auctor amplectitur primam opinionem cum declarationibus ibi positis.*
11. *Pœna bonorum, & pecuniaria infligi potest in hoc casu.*
12.) 13.) *Consanguinei quando puniuntur ex delicto a furioso commisso, ab eis non bene custodito.*
14. *Ampliatur conclusio, quoad mente captum, & dementem.*
15.) 16.) *Examinatur doctrina* Anton. Matthei *in quo sensu procedat.*
17.) 18.) *Distinguuntur Insanorum species.*
19. *De probatione furoris, & dementiæ, remissive.*
20. *Nonnulla alio dicuntur, remissive.*

1 Sunt, & alii qui ratione imperfectæ voluntatis ad *materialem* delictorum causam quoque pertinent quorum Primo, numerantur *Furiosi*, in quibus Voluntatis imperium non datur, & valde absurdum esset, eos coercere, quos fati infelicitas punit, & satis proprio furore cruciantur; ita generaliter in omnibus indistincte criminibus, etiam Parricidii, & criminis læsæ maiestatis præscripsere legum Latores in *Leg. 12. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.*, *in Leg. Divus Marcus 14. ff. de offic. Præsid.* in *Leg. 9. ff. ad leg. Pompej. de parricid.*, *in l. 7. §. penult. ff. ad leg. Jul. Majest.*, *in leg. 6. §. qui se vulneraverit ff. de re militar.*, *in leg. 3. §. 1. ff. de injur.*, *& in leg. unica C. si quis Imperat. maledixer.*, ubi enim non adest propositum delinquendi, ibi abest auctoritas puniendi, *leg. 1. ff. ad leg. Cornel. de Sicar. leg. qui injuria ff. de furtis, leg. damna ff. pro Socio*, & cum Jure civili, conveniunt decreta Juris Canonici *in cap. aliquis 15. qu. 1., & in Clement. unic. de homic. ubi glossa verbo furiosus* merito inquit doctissimus *Henric. Mollembech. in Divis. Juridic. centur. 2. §. 59. num. 12.* -- *Furiosus ob defectum intellectus juste, atque injuste agere, vel delinquere dici non potest, & ex facto suo qualecumque etiam, atque atrocissimum fuerit, non obligatur*, necnon Dyonisius *Gothofred. in l. 5. §. 2. ff. ad leg. Aquil.* ait, quod furiosus nocens Quadrupedi damnum danti comparatur, enim vero furiosi nulla est voluntas *leg. furiosi 40. ff. de regul. Juris*; Hinc refert *Anton. Faber. in Codic. libro 9. titul. 10. definit. prima* Senatum Sabaudiæ censuisse, furiosum qui furore percitus, Apparitorem iussu Judicis, exequentem interficerat, non puniri debere sed continendum decrevit per necessarios proximiores si commode fieri poterat, Idem etiam censuit Senatus Belgiæ, teste *Paulo Christinæo decis. 198. num. 14.*, etenim in casu cuiusdam Famuli furiosi, qui filium domini occiderat, iussit Senatus, quod tantum carceribus contineretur, & alias decisiones habebit apud *Mujoran. in opoprax. par. 2. cap. 4. num. 97.*

2 Admonet tamen *Joannes Brunneman. in Processu crimin. Inquis. cap. 8. membr. primo num. 86.*, compertum esse, interdum Reos furorem simulasse, & mentis alienationem; admonet propterea, Medicos consulendos esse, eorumque consilium adhibendum, an Reus sit semotæ mentis, an vero tantum semotæ mentis simulatio; examinandi sunt ii, qui cum Reo conversantur, an furorem unquam, vel mentis alienationem deprehenderint raro enim contingit mente sanos omnia furiosorum more, & mente captorum facere, idcirco, & Custodes diligenter advertent universas Rei actiones, & verba, ex quibus furor, aut dementia dignoscatur.

3 Sed si quis ita deliquerit, ut summo supplicio addici debeat, postea que in furorem, vel insaniam prolapsus sit, in quæstionem vocatur numquid impunitatem delicti consequi eum oporteat? Quicquid sit in foro Poli, in quo non excusatur furiosus a pœna ghennæ si post commissum mortale peccatum furiosus effectus sit, ad tradita per *Igneum in leg. 3. §. ignoscitur nu. 79., & 81. ff. ad Senat. Consult. Silan.*, quod attinet ad forum externum. Nonnulli censent, impune eum admissum facinus esse laturum, quia satis furore ipso punitur, ita *Bald., Imol., & Alexand. cum aliis in leg. furiosum C. qui testam. facer. possunt, & latius Anton. Gomez. de delict. cap. 1. num. 72.* existimantes pœnæ exequutionem differri, usque ad sanæ mentis supervenientiam, cum aliis lato calamo congestis per *Farin. q. 94. num. 13., & a Menoch. de arbitrar. Judic. cas. 325. num. 12.* rationes, & Iura, quibus præfati Doctores id tradunt, latius recensentur a *Gaill. practic. observ. lib. 2. observ. vot. 110. num. 22., & ab Anton. Matth. de crimin. in prolegom. cap. 2. num. 7.*

4 Alii vero contrarium suadent moti ex Marcelli I. C. sententia in *leg. Divus Marcus §. si vero ff. de*

offic. Præsid. referentis, si Ia qui cum apud se esset, deliquerit, postea furore correptus sit, non dandam morbo veniam, at coercendum publice maleficium, delicta enim omnia atrociora publica auctoritate expianda sunt, vindicandæ Reipublicæ causa *leg. 1. §. 2. ff. deposit.*, *leg. si quis homicidii C. de accus.*, *leg. si operis C. de pænis*; Constitutum namque est, quoties de puniendo delicto aliquo quæritur, non eam pænam Reo subeundam esse, quam conditio eius admitteret, quo tempore sententia diceretur sed tempus omnino intuendum, quo crimen admissum dignoscitur, ac in eadem causa esset, ac si in conditione priore durasset, & ita puniendum, quasi tunc esset sententiam passus cum delinqueret, *leg. 1. in princ ff. de pænis leg. injuriarū æstimatio ff. de iniur.*, nam etsi filius in causa inciderit ex constitutis aliquā ingratitudinis, & post tempus furere cæperit, rescriptum est, exhæredem eum scribi posse, qui furiosus sit, quia sanus deliquerit, *leg. final. §. sed enim antiquitas versic. Et siquidem C. de Curator. furios.* ita demum enim adfert impunitatem furor si & delicto causam dederit idest si furiis agitatus aliquis judiciique, & Voluntatis expers, & consequenter talis, qui delinquere nullo modo possit in delictum inciderit, quo casu fati eum infelicitas, vel parricidam excusat, ut Infantem consilii Innocentia.

5 Et revera rationem altius ad Iuris tramites expendendo iidem DD. ob quam furiosus, a delictorum pæna immunis evadit, aliam non inveniunt, nisi quod furiosorum nullus est mentis, ac voluntatis consensus; quæ cum omnino cesset in eo, qui tempore delicti sanus extra furorem extiterat; causam non vident, cur impunitas concedenda sit delinquenti, post crimen in furorem prolapso, cum in eo mentis, & volontatis perfectio tempore admissi sceleris extiterat, quam sententiam hanc, (quæ originaliter est Ludovic. Roman. *in leg. furiosum C. qui testam. facer. possunt*) Iuribus firmatam, & rationibus comprobatam mordicus sustinent *Ioan. Igneus in leg. 3. §. ignoscitur num. 79., & seqq. ff. ad Senat. Consult. Silan*, *Joan. Vaud. variar. quæstion. lib. 2. q. 7. per tot.*, ultra traditos per *Farin. in d. qu. 94. nu. 14. & Mundium in comment. de diffam. cap. 3. nu. 55. & seqq.* ubi contrariis respondet.

6 In hoc DD. conflictu alii utramque conciliare existimant, ut prima opinio procedat quo ad pænam ordinariam, altera vero quo ad extraordinariam pecuniariam, ita *Bald. Alexand.*, & alii apud *Tiraquell. de pæn. temper. causa 3. num. 1., & seqq.*, ubi rationes recensentur, *& Clar. qu. 60. num. 4. versic. Hoc tamen*, ubi tamen inde ab hac distinctione recedit, & revera hanc distinctionem improbant Gaill., Gilhauf., & alii apud *Henric. Mollenbec. d. centur. 2. §. 59. num. 12.*

7 Alii vero existimant secundam opinionem in puncto Juris veriorem esse, primam vero in praxi receptam, & communiter in foro approbatam, ex ponderatis per *Petrum a Plax. in epitom. delicto. libro primo cap. 29. num. primo, & seqq.*, *Michael. Crass. in commun. opin. libro 2. cap. 6. qu. 4.* relatus in *Codic. Syntagm. commun. opin. libro 9. titul. 30. num. 125. tom. 2. fol. mihi 548.*, *& Henric. Mollembec. loc. citat. num. 12.*

8 Alii nec priori, nec posteriori opinioni acquiescendum esse existimant, sed totum negotium arbitrio Judicis, ac Principis, quem Judex consulere debebit, committendum esse censent iuxta censuram Textus in *dicta leg. 14. versic. si vera ff. de offic. Præsid.* statuentis Judicem diligenter explorare, & inquirere debere an facinus a vere furioso commissum sit, nec non Principem consulendum esse, qui æstimet, utrum delinquens supplicio sit afficiendus; Hinc Iudex, ac Princeps omnibus delicti, totiusque negotii circumstantiis, mature accurateque pensatis, de pæna decernet, prout æquitas aut ratio deposceret, atque ita sentire videntur *Fachineus, & Ludovic. Gilhausen.* allegati per *Ioann. Harprect. in §. Item lex Cornelia 5. num. 280. Instit. de public. Judic. lib. 4.*, quibus ipse subscribit.

9 Mihi autem inter tot dissidentes sententias summopere arridet prima sententia *relata num. 3.* quam etiam tuetur Gugliel. *de Benedict. in repet. Cap. Raynutius verbo si absque liberis & 2. num. 25. de testam.* Ubi ita testatur judicasse in personam cujusdam Mulieris, quæ quemdam Puerum Parentibus unicum de Ponte de Valandre Civitatis Cadurci in flumen Olti projecerat; *Hyeron. Cevall. in Commun. contra Commun. q. 33. Anton. Faber. in Codic. lib. 9. titul. ad Leg. Cornel. de Sicar. defin. 1. Paul. Christin. decis. Belgic. 198. num. 15.*; *Didac. Canter. in quæstion. Crimin. cap. 7. post. num. 64. versic. Aut commisit, & Daniel. Classen. de Iur. aggratiand. cap. 13. §. 1.*, cum infrascriptis tamen declarationibus; *Prima*, quod stante immanitate delicti potest deveniri contra furiosum ad aliquam pœnam arbitrariam, nec ei omnino parcatur, ut constat ex multis relatis per *Petrum Caball. resolut. crim. 297. num 35.*, *Gomez. de delict. cap. 1. num. 72. versic. præterquam*, ubi refert, quod Serenissima Regina Castellæ fecit punire hominem Furiosum, qui vulnus intulit Serenissimo Regi Ferdinando marito suo; *Farin. in qu. 94. ante num. 30., versic. in casu quando* & congruunt ad rem tradita per Majoran. *loc. citat. num. 97. versic. Non tamen*, ubi in his casibus faciendam esse relationē Principemque consulendum, docet

10 *Altera* vero, quod talis furiosus licet non possit in aliis delictis corporaliter condemnari, potest nihilhominus in bonis, & sic bonorum publicatione coerceri; enim vero, quamvis suo furore satis in corpore puniatur, attamen justum est, ut bonorum detrimentum patiatur, duplici ratione, *Primo* in exemplum cohibendi delicta favore Republicæ, *Secundo* in solatium offensorum; propterea istud bonorum detrimentum maximi exempli est ad cohibendum a malefaciendo, quod est præcipuum legis intentum, sic enim Reipublicæ quies conservatur; quod etiam ampliandum est (licet aliter nonnulli sentiant) etiam si delinquens condemnatus minime fuisset tempore sanæ mentis, siquidem falsum est, quod cum Curatore tale Judicium agitari nequeat, ut illi supponunt, etenim rationem non video, cur cum Curatore judicium quo ad talem pœnam fieri nequeat, quando in aliis negotiis indubitatum est, recte Processum cum eorum Curatoribus fieri posse regulariter, excepta hæreditate adeunda, quam nec Curator petere potest, sed tantum bonorum possessionem salvo jure repudiandi, *l. cum furiosus §. fin autem C. de Curat. furios. Virgil. de Legitim. Person. cap. 7. num. 37.*

11 Hinc quemadum pœnæ imponuntur non tantum ad affligendum delinquentem, sed etiam ob bonum Reipublicæ in aliorum exemplum, ita licet corporis afflictio sileat, non tamen cessat bonum publicum, idcirco recte cum Curatore Processus construi potest quo ad bona, Nam Favendum est bono communi

co

eo modo quo potest, & in quantum fieri potest, & cum hæc ratio vigeat etiam in eo casu, quo pœna arbitraria imponi potest juxta primam positam declarationem, puto cum Curatore furioso dato, omnia esse agenda, alias Processus a nullitatis labe non esset impunis, ut est Textus *in §. furiosus Instit. de inutil. stipul. ibi — Nullum negotium gerere potest furiosus, quia non intelligit, quod agit, & in l. in negotiis 5. ff. de regul. Juris ubi Decius cum Addent.*, & de Curatore dando Furiosis, est titulus *in ff. de Curat. furios.*, Rota post *Zacch. quæst. medic. legal. decis. 35. per tot. tom. 2. & Boer. decis. 23. num. 35. 79. 98.*

12 Sunt nonnulli existimantes, Furioso delinquente, molestari, & puniri pro modo culpæ posse illius Consanguineos, ad quos spectabat custodia, & cura, quasi negligenter eum observaverint, & non custodierint ex quo lex illis talem custodiam & curam imponit, ut custodiant, ligent, vel incarcerent, quod si non faciunt, puniuntur tanquam negligentes in officio eis a lege commisso, vigore Textus punctualis in dicta *l. divus 14. ff. de offic. Præsid. ibi — A suis, vel in propria custodiantur*, & Paulo post *Non immerito culpæ eorum adscribendum est, qui negligentiores in suo officio fuerint*, allegando insuper legem traditam a *Platon. libro 12. de legib.* quam per extensum refert Anton. *Matth. de crimin. d. cap. 2. num. 10.* quæ sententia adscribitur originaliter *Baldo in l. congruit §. furiosus num. 1. versic. Item nota ff. de offic. Præsid.*; *quam sectatus est Aretin in §. furiosi num. 1. & 3. Instit. de Cura, Tiraquell de pœn. temper. causa 2. num 10., Majoran. in sua prax. crimin. p. 2. cap. 4. nu. 90.* ubi plura de furiosis differit, & nonnulla judicatarum exempla refert.

13 Salva tamen pace *Baldi ejusque sequacium* magis placet, & æqua videtur opinio Bartol. *in d. l. congruit num. 2.* docentis, quod tunc demum Consanguinei Furiosi ob ejus delictum puniendi sunt, si eis specialiter injuncta est custodia per Judicem, & id videtur satis consonum litteræ *d. l. congruit §. furiosi*, nec non *d. l. divus*, in quibus nihil est dictum, ex quo possit inferri necessario conjunctos teneri pro delicto furiosi, nisi quando negligentes sunt in eorum officio, & custodia furiosi illis injunctæ, & in his terminis Custodiæ loquitur *Farin. qu. 94. nu. 45.* cum aliis per eum adductis, prout hanc Bartoli sententiam amplexam fuisse testatur *Petrus Caball. resol. crim. cas. 297. num. 50.* rejecta Baldi, & sequacium opinione.

14 Quæ dicta sunt *de furioso*, amplianda, & extendenda quoque veniunt in *mentecapto & Demente* Nam licet furiosus a mentecapto differat, quia dicitur furiosus, qui intellectus privatus habet evidentem furoris rabiem, & si dimitteretur sæviret in se, & in alios juxta *Textum in l. dicitur ff. de offic. Præsid*; mente captus autem Is dicatur, cui mens, & consilium deficit, sed nullum Furoris signum ostendit, nec se, aut alios offendit, ut dixerunt *Bald.*, *Angel.*, & alii allegati a *Petro Surd. consil. 89. num. 15. & seqq.*, nihilominus in substantia sunt unum, & idem, quo ad defectum Voluntarii, etenim uterque prorsus intellectu caret, & utrique deest sensus, *l. dementis 28. C. de Episcop. audient.*, *l. fatuus ff. de privil. Credit.*, *l. 1. § final. ff. de ædilit. edict.*, & de ista æquiparatione est Textus *in l. si furiosi 25. C. de nupt.*, & *in §. comprantionibus*, *Auth. ut ii qui obligat. perhib. res. minor.* taliter ut lex seu statutum de furioso loquens, locum etiam habere videtur in mentecapto, fatuo & Amente, qui prorsus intellectu, & sensu carent ad tradita *per Surd. consil. 89. num. 16.*, *Farin. q. 94. num. 48. & seqq. & infra gen. crimin. litt. F n. 210. & seqq. & num. 230.*, merito Conciol. in r *sol. crimin. verbo Furiosus resol. 1. post num. 3.* æquiparat furiosum, Freneticum, insanum, & mentecaptum, quo ad excusationem a delictis.

15 Et in hunc sensum concurrit *Antonius Matth. de crimin. d. cap. 2. num. 5.*, ubi postquam discrimen juxta verborum proprietatem exposuit inter furiosum, & mente captum, subdit quod si usus spectetur, apparebit sæpe promiscue, hæc verba capi vocarique furiosum, qui demens est, & e contra, explicat tamen, quod a reatu excusat illa solum insania, qua mens omnino abalienatur, ita ut bruto, quam homini similior quis videatur, cæterum siquis, cum posset videri sentire, aliquid commiserit, puniendus est, & qui vere furiosus est, si intervallis sapit, puniendus est propter delictum perpetratum eo, tempore quo furor consederet juxta *Textum in d. l. 14. ff. de offic. Præsid.*, & stultitia idest valde modica insania, quæ sentit, quod agit, in delictis non excusat. Nam & sanæ mentis homines ex uno aliquo prave facto stultos vocamus & stultorum plene omnia dicimus, quos omnes reatu eximere velle non stulti, sed insani foret, *hæc Mattheus loc. citat.*

16 Cujus dicta intelligenda sanè videntur pro pœna extraordinaria, non autem ordinaria, ea ratione., quod semper dubitari posset taliter vitiatos Judicis imbecilles, vel saltem hujusmodi imbecillitatis suspectos, etenim in ambiguis, semper benigna amplectenda est interpetratio, *l. in ambiguis 2. ff. de regul. Jur.*, eo præsertim quod hujusmodi morbi genus medicinæ non cedit, & difficile redditur dementes ad rectam rationis semitam revocare, imo sanitati restituti semper læsi aliquantulum remanent, ut ingenii imbecillitatem patiantur, & pro pœna extraordinaria ob nævum mentis est *Daniel. & Beu. loc. citat. cap. 13. §. 1. versic. duo sunt fol. 137.*

17 Sed ut juxta morem Juris prudentiæ disseramus certum est sub furoris nomine plures insanorum species comprehendi *in leg. furiosus ff. de tutel.*, *in l. 1. ff. de curat. furios. in d. l. furiosi 25.*, *& in d. l. cum dementis 28.* species autem, quæ sub eo genere continentur, sunt *mente capti*, *fatui*, *stulti*, *insani dementes*, *lunatici*, *frenetici*, sed quid ultra, tam magna est multitudo, tam variæ sunt species, ut aliqui non sint furiosi, non mente capti, non fatui, non stulti, non insani, non dementes, non lunatici, non frenetici, & nihilominus mente careant ex sentent. *Plaut. in Bacch. act. primo scen. prima* *MENTE CAPTUS* dicitur, quia ei rapta sit mens, eique pars animæ rationalis ritirata est, sic cui mens, & consilium deficit sine ulla corporis agitatione, *Parlad. QUOTID. differ. 86. num. 1.* *FATUUS* ille dicitur qui fatua loquitur, non tamen caret intellectu, ita ut fatuitas consistat in loquela, non in intellectu *can. legimus distinct. 93. Dec. in leg. furiosum num. 7. & seqq. C. qui test. fac. possunt* *STULTUS* dicitur qui stulta facit, unde fatuus cognoscitur a verbis, stultus autem ab operibus & a stupore nomen trahit quia stupenda non stupet vel non stupenda stupet *Bartol. in tract. de testib. num. 98.*

18 *Insanus* est qui mentem vacuam habet animi tranquillitate, & constantia, quæ insania species furoris est, & ex pluribus ac diversis causis proveuit, vel a bile vel a melanchonia, vel a pituita vel sanguine de quibus *Galen. 6. aphor.* 53. *Altomar. c. 6, de med. morbis, Hyppocr. libro primo de dieta* DEMENS Is nuncupatur, qui est quasi sine mente, nempe habet mentem diminutam, atque ita mente caret non in totum sed in parte mentis; *l. his qui ff. de tutel. & curat. dat. Menoch. consil* 82. *num.* 93. *LUNATICUS* qui in interlunio genitus fuit, & qui cum ipsa luna mutabili, defectum, & mutationem patitur, menteque alienatur ita ut insaniat, ad *Text. in l. bovem §. aliquando ff. de ædbilit. Edict.*, & confert locus Matth. *cap.* 17. -- *Domine miserere filio meo, quia lunaticus est*, PHRENETICUS est qui furore a cerebro descendens exagitatur, *Roderic. Suarez. Allegat.* 1. *num.* 7. qui plura exoptat adeat *Farin in fragm. crimin. p.* 1. *litt. F. n.* 218. *& seqq.*

19 Plura de furore, & domentia probanda tradit idem *Forinacc. n.* 230. *& seqq.*, & signa furoris & dementiæ ponunt *Mantic. de conject. libro* 2. *tit.* 5. *num.* 10. *& seqq. Menoch. lib.* 6. *de præsumpt. præsumpt.* 45. *n.* 21. *& seq.*; *Farin. loc. citat. n.* 239. *ubi allegat* Mascard. & alios, *Navar. de elect. for. tom. primo q.* 45. *& seqq.*, *Altimar. de nullit. tom.* 2. *rubr.* 11. *q.* 8. *num.* 32. *& seqq. Pacian. de probat. libro* 1. *cap.* 43. & de modo articulandi, probandi dementiam, latissime agit *Marcell. Cala in peculiar. tract. de mod. artic. & proband. gloss. unic.* §. 2. *num.* 287. *& seqq. fol.* 208. *& seqq. q.* 61.

20 Insuper de Catalepticis, letargicis, Comaticis, hipocondriacis, Apopleticis, Epilepticis, demoniacis furore uterino suffocatis; hydophobis, Lycantropicis, Cynantropicis, Noctambulis, fanaticis, lymphaticis cæterisque qui ob morbum aliquem mentis læsionem patiuntur, ac proinde in eis non recte concurrit *delictorum causa materialis*, aliqua hic addenda essent; At quia nimis vasta materia est, quæ non unica, nec duabus nec tribus sectionibus absolvi posset; alibi tractanda Deo duce in nostra *Jurisprudentia criminali*, promittimus.

AD OBSERVATION. XXII.

SECTIO VI.

SUMMARIUM.

1. *Muti, & Surdi a Natura habentur ut dementes*
2. *In hujusmodi Mutis, & Surdis ad Fiscum pertinet probatio quod habent sanum intellectum.*
3.) *Recensentur distinctiones Mutorum, & Sur-*
4.) *dorum qui habent, nec ne perfectum, vel im-*
5.) *perfectum intellectum.*
6. *Declaratur conclusio, in quo sensu procedat.*
7. *Dormientes Infantibus æquiparantur.*
8. *Noctambuli delinquentes non puniuntur, & quare.*
9. *Dormientes an excusentur a peccato in foro Polit*
10. *Quando Dormientes pro delicto ab ei commisso puniri possunt.*
11.) *Nonnulla culpæ exempla explicantur, in qui-*
12.) *bus Dormientes puniuntur.*
13. *Ebrii assimilantur Insanis, & furiosis, & clementius puniuntur.*
14.) *Refertur contraria sententia & explicatur in*
15.) *quo sensu intelligenda.*
16. *Explicatur* Matthei *dictum, quomodo intelligendum.*
17. *Distinguuntur Ebrietatis species.*
18. *Ebrietas quomodo probatur, & quibus signis remissive.*

1 SEcundo loco post Furiosos & Dementes, pertinent ad *materialem causam delicti* Muti, & Surdi a natura, etenim ii dementes præsumuntur, & non sanæ mentis, & intellectus ad tradita per. *Michaloc. in tractat. de Surdo, & Mut. cap.* 39. *num.* 2., idcirco Imperator Justinianus *in l. discretis* 10. *C. qui testam. facer. poss.* ratione hujus imperfectæ mentis, & intellectus per hæc verba statuit -- *Sancimus si quis utroque morbo sibi laboret idest, ut neque audire, neque loqui possit, & hoc ex ipsa natura habeat, neque testamentum facere, neque codicillos, neque fideicommissum, neque donationem celebrare &c.*, & de Muto, & Surdo a natura quod nihil intelligat, mortuo similis sit, & Judicio careat, probatur ex *l. Servo invito §. si Pupillo ff. ad Senat. Consult. Trebell. l. Prætor. §. final. ff. de Judic. in. l. jubemus C. de testam. & in §. furiose, Instit. de Curat*, ubi Mutos & Surdos mente captis æquiparat.

2 Hinc prælaudatus *Michaloc. loc. citat. in c.* 45. *num.* 7., subdit, quod in Mutis, & Surdis a natura ut puniri possent, necessarium esset probare pro parte Fisci, ipsos habere sanum intellectum & quæ agunt optime intelligere, ea ratione, quod Muti, & Surdi a natura Juris præsumptionem habent pro se, quod sint Dementes, quodque non intelligant quid agant, nisi contrarium probetur, ac propterea pro eorum defensione sufficeret, allegare, & probare ipsos esse Surdos a natura, & si ipsos intellectum habere non probasset Fiscus, Judex absolvere esset coactus.

3 Pro majori tamen declaratione, adnotatione dignum videtur, Mutos & Surdos triplici differentia constitutos esse; *Alii* enim nihil intelligunt, & isti æquiparantur Infantibus, & Furiosis juxta censuram *Textus in l. servo invito §. si Pupillo ff. ad S. Consult. Trebell.* ibi -- *quo exemplo & Mutus, qui nihil intelligere potest per Curatorem adjuvatur Bart.*; *Baldus, & alii in l. Mutum ff. de acquir. hæred.* proinde delinquendo, tanquam intellectu carentes animadversione digni non videntur ad instar Infantium *ex Juribus vulgatis*; & tales præsumuntur a Jure, nisi contrarium per Fiscum probetur in Mutis, & Surdis natis, nempe a natura, juxta docte tradita per *Michalor. loc. citat.*

4 Alii habent aliquem intellectum, non tamen plenum, & isti Pupillo æquiparantur, secundum *Roman. Alexand.*, *Imol. Soccin.*, *& Alciat. in l.* 1. *num.* 54. *ff. de verbor. obligat.*, *& Caldas in l. si Curatorem habens verbo non absimilis num.* 60. *C. de integr. restit.*, & constito per Fiscum, quod talis Mutus & Surdus delinquens aliquem habeat intellectum, sed non plenum, sicque doli capax esset ad instar Pupilli, leviori coerctione, ut Pupillus puniri debet, Nam æquiparatorum idem debet judicium, *l.* 1. *ff. de legat.* 1., *Gloss. in l. si quis Servo C. de furtis, & in cap. si postquam de elect. in* 6. *cum* similibus.

5 Alii autem Muti, & Surdi habent perfectum intellectum (prout sunt Muti, & Surdi ex accidenti) vel Muti tantum, aut Surdi tantum, qui præsumuntur perfectum habere intellectum unde Fiscus ab hac probatione relevatur, secundum *Barbos. in l.*

cum

cum Prætor §. *final. num.* 28. *ff. de Judic. ex Textu in l. ubi non voce ff. de regul. Jur.*, & isti quia nec Insani nec Pupillo comparantur, sed omnimodam factionem contrahendi habent ac omnia peragendi juxta Textum *in d. l. Discretis in l. Mutus ff. de Procur.* & *in cap. cum apud de Sponsal.* si delinquent, puniri debent ut cæteri, etenim perfectum habentes intellectum, nullam excusationem merentur, atque in hoc sensu & cum his declarationibus intelligenda videtur non tantum doctrina *Farinacc. in q.* 98. *num.* 160., sed & *Antonii Matthei de crimin. in prologom. cap.* 2. *num.* 12.; etsi enim verba hæc addiderit -- *Si tamen Surdus simul & Mutus quis natus sit, aut & Surdus tantum natus, quia a teneris destitutus fuit eo sensu, quo præcipue proficimus; gravioris pœnæ gratia fieri posset, tanquam parum intelligenti, honestorum, turpiumque discrimina*; nihilhominus his verbis tantum eos explicavit qui habent aliquem intellectum sed non plenum; minime autem illos in priori casu positos, qui omnino intellectu destituti sunt, neque hic casus, cum altero confundendus erat, ut confundenda minima sunt crimina ab Infantibus, & Pupillis pubertati proximis admissa.

6 Insuper tam ejusdem *Farinacii*, *quam Matthei* conclusio, alteram declarationem exigit, enim vero in sensu etiam eorum distinguere oportet crimina *Jure positivo*, *vel Bannimentali* prohibita, ab his quæ *Jure naturali vel divino* prohibentur; In primo enim casu etsi Mutus, & Surdus perfectum haberent intellectum, notionem tamen legis positivæ seu Bannimentalis habere non possunt, quia illam nunquam audierunt, neque audire potuere, secus vero si delinquant in rem, Jure naturali, vel divino vetitam, ut recte distinguit Petrus *Bellug. in Specul. Princip. rubric.* 47. §. *sciendum num.* 21. *fol. mihi* 228, qui *num.* 23. scite respondit ad Textum in *leg.* 1. §. *propter casum ff. de postuland.*, & cum eadem distinctione aliis adductis, docet *Sabelli in* §. *Mutus num.* 3. *tom.* 3. propterea in hoc casu *Voluntarium* cessat, non quia Mutus & Surdus intellectum non haberet, sed ratione ignorantiæ.

7 *Tertio loco* succedunt Dormientes, qui Infantibus, comparantur in *l.* 1. §. 3. *ff. de acquir.*, *vel amitt. possess.*, enim vero dormiens, animæ functionibus quiescentibus, rationis minime compos est, & quemadmodum Infans non intelligit, ita nec ipse nec somnus vitio imputari potest, quia res humana & naturalis est, ad tradita per Text. *in l.* 27. §. *si fornacarius ff. ad leg. Aquil.*; propterea delictum a dormiente admissum, a reatu immune erit, tanquam involuntarium, ut est Textus *in clement. unic. de homic.*, & tanquam Factum a Furioso, & Amente, cui dormiens comparatur, Text. *in cap. majores*, §. *adhuc*, & §. *Item quæritur de Baptism.* ita communiter docent *Alberic. Roman.*, *Alexand.*, & *alii in d. l.* 1. §. *adipiscimur*, & congruit ad rem *Plato de legib. libro* 6. -- *Nemo* (inquit) *dum dormit alicujus pretii est, non magis, quam si non viveret*, Unde Virgilius libro 6. eneid.

Mors homini facilis, dulcique simillima somno.

8 Hac ratione *Noctambuli*, quos alii vocant *Somnoambuli*, *aut Somni surgi*, uti Periclis Servus, qui inter dormiendum in tecto spatiari solebat, & ille alter *Pisanus*, de quo Bartol. *in l. ut vim ff. de just. & Jur.*, qui noctu dormiens se armabat, & vagabatur per Urbem cantando, nec non de *altero* narrat Delrio *disquis. magic. libro* 1, *cap.* 3. *qu.* 3.; ac de aliis exemplis abunde *Korman. in libro de miracul. Vivor. fol.* 220. & *Tandler in disquis. Phisic. Medic. fol.* 182.; hac ratione, inquam, *Noctabulus* delinquens in actu quo somno correptus, vagatur, a delicto excusatur juxta docte, & erudite tradita per *Daniel. Classen. de Jur. aggrat. cap.* 13. *l.* 4. *fol.* 140 & *Anton. Matt. de crimin. in prologom. c.* 2. *n.* 13.

9 Quod non tantum in foro fori, sed etiam in foro interno animæ admittunt Theologi, ea potissimum ratione, quod omne peccatum, ex judicio rationis dependet, quo sublato tollitur omnis ratio peccati; Judicium autem in dormiente esse non potest, cum dependeat ab operationibus potentiarum animalium quæ tunc tempore somni veluti ligantur, & quiescunt, quod & testatur *D. Bernardus in libro de liber. arbitr.* dicens -- *Vesanis*, & *Infantibus*, & *Dormientibus*, *nihil quod agant*, *imputatur*, *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 154. *artic.* 5. plura refert *Didac. Covar. in clement.* 1. *p.* 3. *relect. num.* 7. *per tot. de homic.*, & Petr. a Plat. in epitom. *delict. c.* 31. *nu.* 7., & *seqq.*

10 Declara supra positam conclusionem, nisi tu culpa fuerit dormiens, quoniam sciebat se eo vitio laborare, ut dormiendo surgere arma caperet, vim inferret, verberaret, occideret, & cœtera hujusmodi, nec diligentiam adhibuit, ut huic rei obviam iretur arma removendo, se ligari vincirique si opus esset præcipiendo, & alia, quibus futuro periculo consulatur faciendo, teneretur enim de culpa, per id quod simile habetur *in l. Lege Cornelia ff. ad Leg. Cornel. de sicar.*, & *in l. si Putator. ff. ad Leg. apud aquil.*, & docent *Alexand.* & *Jason. in d. l.* 1. § *adipiscimur*; *Barbos. in clement. si furiosus de homic.*, *Sayr. de censur. libro* 6. *cap.* 17. *num.* 36. *Clasen. loc. citat. versic. nisi dormiens* & quo ad pœnam Irregularitatis in hoc casu Incursam tradunt *Covar. loc. citat. post. num.* 5., *Marian. Soccin. in cap. ad audientiam num.* 54. *de homic.*, & *Petr. a Plat. d. cap.* 31. *num.* 5.

11 Aliud culpæ exemplum explicat *Anton. Mattheus in d. cap.* 2. *num.* 13. in Muliere valde somnolenta, quæ Infantem tenellum pænes se collocavit eumque sternens oppressit, quod culpa non vacat; *neque enim* (sunt verba Matthei) *debuit collocare cum sciret, aut scire deberet, arctissimo sopore, devictis, hujusmodi aliquid facile evenire posse*, quam culpam, citra mortem puniendam esse Judicis arbitrio suadet *Textus in leg.* 1. §. *sed etsi*, *in l.* 3. §. *ex Senatu*, & *in L. in L.* §. *quod si quis ff. ad leg. Cornel. de sicar.*, *Bonifac. de Vitalin. infra citan.* verum cessante culpa, nullam pœnam practicari posse in Patre, Matre, seu Nutrice, quæ dormiendo Infantem lactantem suffocaverint, docet Bonifac. *de Vitalin. de malefic. titul. de Parricid. nu.* 5. *fol. mihi* 119., ubi quod in dubio propter amorem Parentuum, debet præsumi potius illum mortuum casu, quam dolo, *argum. leg. Matris C. de inoffic. testam.*, & *cap. afferte de præsumpt.*, nam nullus amor est qui vincat Paternum, & magis Parentes timent de filiis, quam de se ipsis, *leg. isti quidem ff. de eo quod met. caus.*, & Mater nunquam de filio obliviscitur cum sit pars suorum viscerum, *cap. ad Romanom.* 2. *qu.* 6., & idem potest dici si reperiatur mortuus in lecto Nutricis, si Mulier bonæ famæ, & conditionis fuerit; *Idem Bonifac. in Clement.* 1. *num.* 23. *de homicid. Anton. Gomez. de delict. cap.* 3. *num.* 19., ubi testatur de casu evento in Civitate Salamantina *Petr. a Plaz. in epitom. delict. cap.* 22. *num.* 28., & *seq.*, & *Menoch. de arbitr. Judic. cas.* 327. *nu.* 1., & *seqq.*

12 Aliud

12 Aliud culpe exemplum quo ad Blasphemiam refert Alexand. Roman. in pragmat. 1. *de blasphem. num.* 128. his verbis ubi postquam ex mente aliorum Doctorum generalem conclusionem posuit, excusari dormientem blasphemando, ita subdit -- *Ego tamen distinguerem, prædicta procedere, quando Blasphemus non esset solitus blasphemare si autem vigilans esset pessimus blasphemator, non deberet de blasphemiis in somno factis impunitus recedere, minus tamen, quam si vigilans blasphemasset, est enim in culpa, qui linguam fecit disertam, & acutam in blasphemiis, & maledicentiis, per ea quæ simili habentur in leg. Cornelia ff. ad leg. Cornel. de Sicar., quæ sententia confirmari poterit, quia est nocturna pollutio in dormiente non sit peccatum, si tamen culpa, præcessit ex ciborum ingluvie, vel ex lasciviis cogitationibus, non erit sine peccato, cap. 1. distinct.* 6., *D. Thomas &c.*, quibus verbis hoc, non non esse speciale tantum in crimine Blasphemiæ, deprehenditur, (ut non recte opinatus est *Reynald. cap.* 1. §. 1. *num.* 35., ubi doctrinam præfati Romani inter specialia Blasphemie recensuit), sed in omnibus quibuscumque criminibus, in quibus culpa aliqua in dormientibus, & delinquentibus considerari potest, juxta præcedenter adnotata.

13 *Quarta loco* succedunt *Ebrii*, siquidem non longe distat Ebrius ab insano, demente, & furioso, ubi enim est ebrietas, ibi & furor est *cap. venter. distinct.* 35., imo veluti absens censendus est Ebrius, juxta illud Publii *Absentem lædit, qui cum Ebrio litigat*, propterea Ebrius delinquens clementius puniendus est, per Text. in *leg. omne delictum*, §. *per vinum ff. de re milit.*, *in cap sane* 15. *qu.* 3., & *in cap. inebriaverunt.* 15. *qu.* 4. Imo Imperator edicto sanxit, ne omnino puniretur, qui de se temulentus male loqueretur *in leg. Cod. si quis Imper. maled.* quam sanctionē longo ante tempore observabat Pyrrus Epirotarum Rex, qui (teste *Plutarch. in illius vita*) cum audisset a quibusdam Adolescentibus inter bibendum, conviciis, maledictisque, se oneratum, jussit eos omnes interdiu coram agi, quod ubi factum est, eorum primum rogavit, an ea de se dixisset, cui Juvenis respondit, hoc nempe Rex diximus, diximusque longe plura, si plus vini habuissemus; sive ut scribit *Quintilli in lib.* 7. *cap.* 4. Iam vero (inquit) nisi lagena defecisset, occidissemus te, quæ simplex veritatis confessio Regis iram in risum convertit.

14 Nonnulli autem, inter quos *Peripateticorum Princeps Aristotil. lib.* 3. *Ethic cap.* 5., & *libr.* 2. *Politic. cap.* 10. ex Pittaci Mitelensis unius ex septem sapientibus, lege, existimant Ebrios delinquens duplici pæna afficiendos esse eo quod in duplici culpa essent, se inebriando, & delinquendo. Sed huic legi occurrit Bald. in *leg.* 1. *Cod. unde vi*, *versic. extra quæritur* inquit enim, non inficiandos has duas culpas, quod dolus multo deterius est, quam multæ culpæ; sed verius existimo dictum *Aristotilis, cum leg. Pittaci*, intelligendum esse de eo, qui proposito se inebriavit, ut in ipsa ebrietate facinus aliquod admitteret, & ex ebrietate, impunitatem, vel ultionis diminutionem obtineret, huic enim nullo modo parcendum, suadet ratio ipsa naturalis, & Jura, etenim non tantum in culpa, sed in dolo est, prout in his terminis pro pena ordinaria concludunt, *Anchar. quæst. forens.* 13. *post. n.* 5. *Caball. resol. crimin. cas.* 297. *num.* 4., *Crispolt. cas. milit.* 19. *num.* 7., & alii communiter.

15 Igitur in hunc sensum intelligenda est sententia *Antonii Matthei de crimin. d. cap.* 2. *num.* 14. *versic, Verum hi*, dum enim supponit ex sententia *Aristotil. magn. moral. cap.* 34. nec non *ex versibus Plautinis in Trucul.*, Ebriorum voluntates esse voluntarias in principio agendi, eosque in causa fuere, ut ignorantiæ causa, quidquam inde perpetraverint, non alio modo adaptari potest hæc actio voluntaria in principio agendi, nisi in illis, qui proposito se inebriarunt, ad delinquendum secundum antea notata, enim vero Vini potio in se malum non continet, nec quod illicitum nisi quando ad malum finem exceditur Juxta tradit. per *Sperell. decis.* 113. *num.* 37. *tom.* 2. nec magna Vini ingurgitatio, silente dolo, ordinariam ultionem importare posset, quia tantum culpam sapit, nunquam ordinaria animadversione puniendam.

16 Obtinere inquam posset *Matthei* sententia locum non tantum in superiori casu, sed in eo etiam, qui sciens se solitum in ebrietate delinquere, non se abstinuit ab immoderata Vini potatione, si enim hic se inebriavit, & delictum tunc patraverit, a pæna ordinaria non erit Immunis, cum dederit causam rei illicitæ, & culpa casum, præcesserit, ut adnotarunt *Anchar. in quæst. famil.* 13. *num.* 4., & *seqq. par.* 2. *Covar. in* 3. *part. relect. clem.* 1. *ante num.* 5. *Palaz. in d. cap.* 30. *num.* 3. *Caball. cas.* 297. *num.* 10. & *alii* enim vero ebrietas tunc peccatum non continet, propter ignorantiam quamdam, vel infirmitatem, cum homo nescit vini potentiam, vel propriam debilitatem, unde non putat se inebriari; At quando quis frequenter inebriatur, non potest per hanc ignorantiam excusari, quin videatur ejus voluntas eligere magis pati ebrietatem, quam abstinere a vino superfluo, unde redit peccatum ad suam naturam *Alphons. de Castr. de leg. prima cap.* 5. *docum* 6., & *Covar. in cap. alma mater par.* 1. §. 7. *num.* 7. *de sentent. excom.*; Sed omnes non admittunt, hanc culpam pro ordinaria pæna dictanda, sufficere, recurrentes ad quæstionem illam, quando operam dans rei illicitæ, teneatur pæna ordinaria ex crimine inde sequuto, de qua late *Carpzov. q.* 1. *num.* 16. & *seqq.* & *num.* 28. & *tom. primo*, & Nos late differemus ad partes in nostra *Juris prudentia criminali* Deo auspice quam primum typis danda.

17 Sed ne quis erret in supra posita conclusione, animadvertere oportet, quod Ebrietas tripliciter consideratur; *Prima* dicitur levissima, quæ tantum hominem exhilarat *secunda* dicitur levis, quæ mentem hominis turbat; *Tertia* magna, quæ mentis alienationem inducit *In prima* pæna non minuitur etenim in delinquendo voluntas concurrit nec exhilarati mentem, & intellectum turbat; *In secunda*, Doctores inter se non conveniunt, alii enim censent minorationi non esse locum, alii vero pænam esse minorandam, ut videre est *apud Farin. q* 98. *n.* 19. & *Conciol. resolut. crimin. verbo Ebrietas resol.* 1. *num.* 9; *In* Tertia vero, omnes conveniunt quod pena cessat, nam tales ebrii, ob mentis alienationem furiosis, & dementibus comparantur; *Carcn. de offic. S. Inquis. par.* 2. *tit.* 7. *num.* 12. *par.* 3. *tit.* 9. *num.* 40. *Lazar. de Blasphem. cap.* 8. *num.* 50. & alii apud *Conciol. loc. citat. verbo Blasphemia resol. primu post num.* 10., & *verbo Ebrietas resol.* 1. *per tot.*

18 Quibus autem modis, & quibus signis, & conjecturis Ebrietas probetur, & quomodo testes deponere debeant; remissive ex *Luca de Penna* agit *Bajard. ad Clarum q.* 60. *num.* 43. & *seqq.* & alios DD.

tra-

tradit. *Conciol. d. verbo ebrietas resol, 2. num. 4. & seqq.*; idcirco lectorem ad eos remittimus.

AD OBSERVATION. XXII.

SECTIO VII.

SUMMARIUM.

1. *Amantes patiuntur mentis imbecillitatem, & delinquentes excusationem merentur.*
   Antonius Mattheus *hanc excusationem ridiculam appellat sed rejicitur.*
2. *Amor inter furoris species connumeratur.*
3. *Probatur multis argumentis* usque ad num. 8.
8. *Jurisconsulti, & legum latores etiam Poetarum auctoritatibus usi sunt.*
9. *Explicatur conclusio, ut procedat in amore gravi, non levi.*
10. *Levitas, & gravitas amoris quomodo dignoscatur.*
11. *Objectioni contrariæ occurritur.*
12. *Amor levis assimilatur ebrietati levi, quæ non excusat, & ita nec ira levis.*
    Parva, modica, & nihil inter se æquiparantur
13. *De amoris violentia refertur exemplum notabile.*
14. *Quæ fiunt secundum consuetudinem loci carent dolo, & culpa; adducuntur rationes, & exempla*
15. *Adducitur sententia* Antonii Matthei.
16. *Limitatio adducta ob* Antonio Mattheo *rejicitur. expenduntur rationes.*
17. *Declaratur* Textus in l. 3. §. Divus Adrianus *in quo sensu intelligendus.*
    Quid in hoc casu respondit Accursius?
    Quid sentiere Bartol., & Jason *tradantur verus sensus* dictæ legis ex Gonzalez. Tellez.
18. *Consuetudo contra Jus naturale, & divinum non excusat, traditur ratio.*
19. *Credulitate ductas, quia audivit a Viro fide digno excusatur.*
20. *Referuntur Jura in contrarium loquentia, & credulitatem rejicientia.*
    Explicantur dicta Jura in quo sensu intelligenda

1. HIS omnibus supradictis subsequuntur *Amantes* qui ob nimium amorem mentis imbecillitatem patientes, mentis compotes esse nequeunt nec voluntarie delinquere videntur, unde recte, interea quæ ad *delictorum materialem causam* pertinent numerantur; hanc exceptionem, seu excusationem ridiculam appellat *Antonius Mattheus in dicto c. 2. post. num. 14.*, his verbis -- *Quantum vero ad amorem is solus prorsus non excusat, quam enim foret ridiculum, velle ita dicere, vi amoris victus Stuprum intuli Virgini, rapui, vel corrupi alienam Matrem familias, effregi ædes abstuli Ancillam, Domino invito &c.*, Verum quia *Mattheus* sine Lege & ratione vagatur, merito in hoc reiiciendam ejus sententiam, credimus.

2 Amorem inter species furoris connumerari ex Textu *in cap. cum juventute de præsumpt.*, concludunt uno ore DD., docentes, nihil hoc furore vehementius, quem retinere est perfectæ Philosophiæ, & est Textus qui & hanc affectionem furorem vocat *in §. illud Auth. quib. mod. natur. effect. Legitim.*, cui omnino assentiens *Socrates libro 3. Platon. de Republic.* inquit -- *Voluptate Venerea nulla vehementior nulla furiosor*, & apud ipsum Platonem in Symposio. Aghato, *nullam*, ait, *Voluptatem esse amore potentiorem*, quod satis perbelle expressit Latinæ eloquentiæ *Parens libro 4. Tusculan. quæstion.* ibi -- *maxime admonendus est; quanti sit furor amores, omnibus enim ex animi perturbationibus est profecto nulla vehementer*, Unde Baldus Jurisprudentiæ lumen in *l. præcibus versic. quid ergo C. de impub. & aliis sub tit.* Scribit -- *Philosophicum esse hujusmodi affectum intra debitos limites carcerare*, & sequitur *Curtius Senior. consil. 67. versic. Respondeo ad secundum.*

3 Quod amore capti Amentibus comparentur, & tanquam intellectus imbecillitatem patientes, quid facere voluntarie minime videantur? his suaderi potest argumentis auptosia Poætarum suffultis, quorum *Primum*, ex hoc depromitur, quod *Amentiæ* non infirmum est signum, sine sensu vivere, propriaque, ob leves, ac vanas curas negligere, hoc in amantibus verificatur juxta Propert. libro 2. elegiar. ibi --.

Quicumque ille fuerit, puerum qui pinxit amorem.
Nonne putas miras, hunc habuisse manus
Hic primum vidit sine sensu vivere amantes
Ac levibus curis magna perire bona

Alterum vero a timore, & tristitia descendit, quod patognomicum mentis Læsæ a melanchonia *Signum* esse probat Medicorum *Antistes Hyppocrat. cap. 7. §. 1.* utrumque autem in Amantibus reperiri, dubium haud est, de timore apud *Ovid. epist. 1.* sic Penelopen Ulissen alloquentem inducit *Res est sollicita plena timoris amor*, Tristes Amantes esse, ac suspiria & lacrymas continuo effundere, comprobari posset mille Poetarum locis, sint satis hæc pauca *Ovid. libro 3. methamor.*

Sed tamen hæret amor, crescitque dolore repulsæ
Et tenuant vigiles corpus miserabile Curæ,
Adducitque cutem macies

Idem Ovid. libro 2 de remed. Amor.

Artibus innumeris, mens oppugnatur amantum
Ut lapis æquoreis undique pulsus aquis

Plant. in Mercator.

Nam amorem hæc cuncta vitia sectari solent
Cura, ægritudo, nimiaque elegantia

Ærumnas, Furorem, & vigilias manifestant. *Virgil. libro 4.* Æneid.

Uritur infelix dido, totaque vagatur
Urbe furens, qualis conjecta Cerva sagitta.

& *Senec. in Hyppolit.*

Et somni immemor, Noctem querelis ducit

4 *Tertium* desumitur argumentum ab instabilitate, atque variabilitate, quæ dementiæ non leve signum est, At quid amantibus instabilius, quid variabilius? perbelle cecinit Propert. *ad Cynth. lib. 2. eleg.*

Non ita Carphathiæ variant, aquilonibus undæ
Nec dubio nubes vertitur atra noto
Quam facile irati verbo mutantur amantes

5 *Quartum* ab eo promit, quod majus, atque infallibilius insaniæ signum esse nequit, quam sibi ipsi mortem consciscere; Hoc quamplurimi facere Amantes, qui ob amorem nec sibi ipsis pepercere, vulgare *primum* occurrit exemplum Pirami, & Tisbes eleganter *a Nasone in methamorph.* descriptum. Iphis (alterum) Pueri, qui cum Anaxartem Puellam incredibili prosequeretur amore, neque tamen redamaretur laqueo se se suspendit, ut Idem *Ovid. narrat libr. 14. methamor.* Phyllidis *tertium* licurgi Tracum Regis filiæ, quæ ægre ferens se relictam, & a Demophoonte Thesei filio spretam,

quem

quem ab expeditione Trojana redeuntem hospitio receperat, atque unice deperibat, laqueo se præfocavit, in Amygdalum postea, ut Poetarum murmurat vox, conversa, *Pontan. libro 3. de stellis* sed ne longiusculi simus plura alia invenies exempla apud *Virgil. libro 12.*, *Dosith. apud Plutarch. in in paratel. & alios*,

6 *Quintum argumentum* ex hoc deducitur, quod in sanguinem liberorum, vel Parentum impias, ac scelestas commaculare manus, stultitiæ, lucidissimum est signum; At nonnullos amoris furiis impulsos id egisse, indubium non est, quod revocemus, de Medea legitur, Jasonis amore propriam sebolem unde *Virgil. Eglog.* 8.

Sevus amor ducit, Natorum sanguine Matrem
Commaculare manus

sic, & Scilla Nisi Regis filia, amoris impatiens Patrem interemit, de quo *Ovid. libro 2. metamorph.*

7 *Sextum argumentum* in eo residet, quod Patriam, prodere, fidem spernere, Religionem floccifacere insani Iudicii coniecturæ sunt fortissimæ; ad hæc Amatores impelli ubique traditur; Senec. *in Hippol.*, *Plaut. in mercat.*, *Statius ad Claud. Vxor. Ovid. libro 2. metamorph*; Desumitur *septimum argumentum*, ex amantium prodigalitate, quæ corruptæ mentis etiam indicium prebet; Simandra iactitat se apud *Plutarch.* suo Alcibiadi incomparabilis valoris Mausoleum erexisse; de Marseo Prodigentissimo scribit *Horat. libro 1. satir. 2.*, longinus una domo unicum mulieris congressum emere solitus erat cui in hæc verba rescripsit Imperator Antoninus *in leg. 2. Cod. de condict. ob turp. caus.* -- *Cum te propter turpem causam contra disciplinam temporum meorum, domum adve fariæ dedisse profitearis, frustra eam tibi restitui desideras*; De Caij Julii Cæsaris prodigalitate ab amorem tradit *Sveton. in ejus vita* de Heliogabalo; *Lamprid.* de Tigurium *Plutarc.*, denique omnes tum Historici, tum Poetæ inter furiosos. Et dementes, Amantes connumerant, *ut Senec. in Hippol. Plaut. in mercat. Terent. in Eunuc.*, *Propert. libro 2. leg. Virgil. in libro 4. Georg. & libro 6. & Menander.* obi ita concludit -- *Carere Amantes mente siquis non putet; quos esse potius mentis expertes putes?*

8 Quin obiici possit, has nugas esse Poetarum, & Philosophorum, ut nonnulli perperam excogitant, enim vero huic objectioni occurritur probando, quod etiam legum latores Poetarum auctoritatibus Philosophorum, & Medicorum usi sunt, ut apertissime constat in *leg. fulsinins ff. ex quib. caus. in possess. eatis*, *in leg. si Vxor ff. ad leg. Jul. de adult. in leg. septimo mense ff. de stat. homin.*, *in leg. si Pater ff. de solut. in leg. si proponebat ff. de Judic.*, *& in §. item pretium Instit. de empt.*, *& vendit.*; quibus in locis Consulti auctoritatibus *Homeri, Virgilii, aliorumque Philosophorum* moti sunt, tantoque magis, quia eorum dicta comprobantur, tum in Iure civili tum in Jure canonico, per allegatos Textus *in §. illud, auth. quomod. natur. effic. legitim.*, *& in cap. cum in juventute, de præs mpt.*, & plura scite tradit Paulus *Zicch. quæst. medic. legal. lib. 2. titul. 1. qu. 10. num. 1.*, *& seqq. 43.*, *& seq. & 48.*, *& seqq. tom. primo*, quæ contra *Mathei* sententiam summopere urgere videtur.

9 Hæc quæ dicta sunt (ne decipiaris) intellige in amore gravi, non levi, caute enim separandus est amore levi detentus ab amore gravi, item distinguendum, num amor inveteratus sit, ac radices agerit, an vero recens, & de facili amovibilis, quoniam si loquamur de levi amore laborante, absonum videtur ut clementius ipso delinquente, cum eo agatur ideirco in hunc sensum procedere utique *Mathei sententia* posset, licet per eum indistincte posita; comperies namque, huiusmodi affectum patientes recte discurrere, ac bene omnes operationes, quæ ad facultatem animalem pertinent, exercere, si levis passio sit, contra si gravis, tunc enim sine sensu vivere amantes aspicies, memoria labi, *imaginatione* falli, & perperam discurrere, tunc suspiria, lacrymas, zelotipias instabilitates, crudelitates nimias accidere experiuntur, tunc timores, mærores, impietates Patriæ, fideique proditiones, honoris vilipendia, famæ jacturas luxuriare videntur in ipsis, & omnia ea, quæ in superius adductis argumentis tradita sunt; quare æquum est, & condignum tales delinquentes si non excusari in totum, saltem Clementius puniri, quid enim, rogo tales ab Amentibus differunt? imo tantum abest, ut invicem discriminentur, quod vere, & proprie tales signa patoguomonica insaniæ illos manifestent.

10 Quo tempore autem levitas vel gravitas amoris accidat, & dignoscatur? Id ex dicendis percipere poteris, cum affectio hæc in principio est absque dubio non est gravis, sed levis, etenim non adhuc spiritus ob passionem parum destructi, partim silvestres, nigrique facti sunt, non adhuc nimiis curis cerebrum vacillat, & labefactatur, non adhuc memoria læditur, imaginatio conspurcatur, non adhuc Ventriculus spirituum pauperiem patitur, & non bene concoquet, nec partes debito alimento fraudantur. Hinc non statim macies, coloris defloratum, atque partium omnium debilitas succedit, secus autem cum in statu, in augmento, & cum iam altas egit radices morbus dicendum est, siquidem hoc tempore gravis affectus dicitur, ac insuper omnia recitata celeri pede sequuntur. Amoris signa, tum ex Iuris consultis, tum ex Medicis, recitat *Idem Paulus Zicchia loc. citat. d. qu. 10. num. 44.*, *& seqq.*, quem facile videre poteris, etenim liber non est rarus, ideirco quo pacto inveteratus a recenti amore discernatur, difficile non est dicere, quia cum symptomata levia apparent affectus in principio est, secus si gravia sint, plura de amore insano erudite discurrit *Sennert. practic. lib. primo par. 2. cap. 10.*

11 Audio tamen nonnullos limitate positam conclusionem, intelligentes, obiiciendo, quod & si Amantes respectu obiecti Amati insaniant atque circa hoc varia effingant, quæ rationem depravatam in ipsis arguunt, non tamen hoc respectu aliorum est, videmus enim de his recte discurrere quapropter delinquendo in his quæ nihil cum Amato objecto habent, excusandi minime essent; At facile his occurritur, animadvertendo, quod si admittitur intellectus depravatus, quo ad amatum obiectum, hoc etiam causa esse potest, ut etiam in aliis non recte, & prudenter agant, siquidem si ratio læditur principaliter quo ad objectum, quod amore prosequitur; minus principaliter, seu per concomitantiam offenditur quoque, & fædatur, quo ad reliqua; eoque fortius. Nam accidere potest, ut & in aliis depravetur, etiam tempore, quo delictum admittit, unde tutum est hos miseratione aliqua in pœnis infligendis tractari, defectu voluntatis, qua crimen essentialiter constituitur.

12 Firma igitur ex traditis contra *Mathei* sententiam

tiam ponitur conclusio, quod *gravis amoris passione percussus* delinquendo, mitiori pœna puniendus est ob rationes superius adductas, tum quia Amor ebrietati assimilatur ab Imperatore *in §. final.*, *&* ibi *glossa, verbo Buccamata, Institut. de success. sublat.*, & in hunc sensum de amoria passione gravi, non levi intelligenda videtur doctrina *Farinac.* per eum indistincte posita *in q. 98. num. 77. & seqq.*, etenim quæ levia sunt, & parva, crimen non extenuant, nec voluntatem perturbant, nec mentis alienationem induount, *Bald. in l. data opera num. 5. & seq. C. qui accus. non possunt*, *Ripa in l. final. num. 39. C. de revoc. donat.*, sic ira levis & parva consideratione digna minime videtur ad pœnam minuendam, *Dec. in l. quidquid num. 8. ff. de regul. Jur. Felin. in cap. sicut. de jur. jurand. num. 3. & seq.*, *Moron. de tregua & pac. q. 123. num. 5.* ita ebrietas parva, quæ mentem non alienat, *Bald. in l. 1. post n. 39. Cod. unde vi*, *Plaz. in epitom. delict. cap. 30. n. 2. Damhouder in practic. crimin. cap. 84. num. 19.* suffragante in hoc regula generali, quod *parva modica & nihil* inter se æquiparantur, *cap. licet causam §. quanquam verbo nulla vel modica de probat. l. scio ff. de in integr. restit.*, *Tiraquell. late in tract. de reb. exiguis per tot.*

13 Hinc de nimia amoris vehementia scite loquitur Daniel. *Classen. in tractat. de Jur. aggratiandi cap 13. §. 2.* ubi hæc notanda verba subdit -- *Quare quod quis ex amoris vehementia, dum sui compos non est, facit, illud meretur, vel omnino remissionem, vel prout circumstantiæ variant, quandoque etiam mitigationem pœnarum*, & de amoris magno impetu delinquente, seu de amoris inordinata passione loquitur. *Passerin. in praxi. q. 29. artic. 1. num. 41.* Memorabile est, quod refert *Busbequius epistol. 3. Turcica fol. 185. & 186.*, de Muliere quadam, quæ erga Puellam insano exarsit amore, ut ipsa sexum mentita sponsi vices subierit, & fraudes usque in thalami ingressum occultaverit; Parentes, qui filiam putabant collocasse Viro, deprehendentes se deceptos, hunc fictum sponsum ducunt ad *Gianizarorum* Præsidem, hic increpat mulieris tam grandis natu vesaniam; At illa -- *Abisis* (inquit.) *nescis quid valeat amor? faxit Deus ne ejus vires nunquam experiaris*; Ne quis propterea in ea quæ dicta sunt incidat, & mentem suam depravet, ab amoribus alienus sit irrationabilibus, & hos versus in mente infixos habeat.

Fœmina Corpus, opes, animum, vim, lumina, voces
Destruit, annihilat, necat, eripit, orbat, acerbat.

Amoris est, de quo tot mala, tot facinora enarrantur, qui hominem omnibus bonis expoliat, & omnibus internis, & externis sensibus orbat; perit enim in homine prudentia, depravatur ratio, confunditur memoria, ac denique intellectus ipse usque ad occasum ægrotat, *Leo Hebræus dialog. 3. de Amor.*

14 Pertinere quoque videntur ad *materialem delictorum causam*, quæ juxta loci consuetudinem fiunt: etenim Voluntas contrahendi dolum, aut culpam, deficit, quoties id fit, quod alii faciunt, etsi delictum esset, & improba consuetudo foret, juxta Textum in *l. quis sit fugitivus §. apud labeonem ff. de ædilit. edict.* illis verbis -- *quia id facit, quod ei publice facere licere arbitrabatur*, *& in l. si pignore &c. final. ff. de pignor. action.*, *Glossa in cap. cum venerabilis verbo migrasse de consuet.* quam communiter secuti sunt *Canonistæ omnes* signanter Petrus *Anchoran. in d. cap. cum Venerabilis, & consil. 51. & 283.*, ubi testatur ita practicasse: juxta quam sententiam, refert *Plutarchus problem. c. 83.* quod cum Romani olim Barbaros quosdam Diis immortalibus hominem immolasse accepissent, Magistratus eorum avertendos, puniendosque putarunt; quos tamen postea, cum id consuetudine quadam fecisse accepissent, impunitos dimiserunt, aliasque id post hac facere prohibuerunt; Item refert *Sveton. in Vita Domit. cap. 19.*, quod Domitianus Imperator, alioquin sævissimus, sanguinisque avidissimus, Scribas quæstorios ex consuetudine negotiantes, venia in præteritum donavit, cum tamen Lege Codia fuisset prohibitum, Scribas quæstorios exercere negotiationes.

15 In hanc sententiam prima facie convenire videtur *Antonius Mattheus de crimin. lib 48. ff. titul. 18 de pœnis cap. 5. post num. 10.* his verbis -- *Nam fatentur quidem, quod qui consuetudinem Civitatis sequutus peccat, non dolo id facere videtur, sed quod putet jure fieri*, inde tamen, hoc minime admittit in consuetudine introducta contra Legem municipalem, ibi -- *Imo nec consuetudo municipalis, si sit contra Jus civile omnino a pœna excusat, Nam constitutio Hadriani, qua vetuit mortuos in Civitate sepeliri, civilis est, nec tamen excusat a pœna 40. aureorum lex Municipii: igitur nec consuetudo municipalis l. 3. §. Divus Hadrianus ff. de Sepulc. violat.*

16 Sed salva pace *Matthei* Viri quidem doctissimi, limitatio per eum adducta nullo pacto destruere potest superius positam regulam legibus probatam, & communi Juris consultorum calculo receptam; etenim cum dicitur, non peccare qui consuetudinem Civitatis sequitur, necessario supponitur, quod ante introductum Jus non scriptum lex civilis esset id prohibens, quod inde consuetudine impune fieri introductum est, alioquin frustraneum esset asserere, quod consuetudo excusat in foro judiciali externo a malo, quoties lex non esset, quæ opus illud malum esse significaret, & delictum; etenim suapte natura licita, & nullo Jure etiam Civili vetita, necesse non habent, ut consuetudine confirmentur, ut licita dicantur; enim vero non omne illicitum punitur, sed illud demum, quod lex statuit esse delictum, *l. at si quis §. divus ff. de relig.*, *§. cum igitur*, *Auth. de non eligend. secundo nubent. Dec. in l. factum §. in pœnalibus post num. 10. ff. de regul. Jur.*, perbelle *Bald. consil. 14. tom. 1.*

17 Nec refragatur *Textus* a Mattheo adductus in dicta *l. 3. §. divus Hadrianus*, siquidem quamvia *Ulpianus* ibi post Adriani rescriptum his verbis conceptum -- *Divus Adrianus rescripto pœnam statuit 40 aureorum in eos qui in Civitate sepeliunt*, inquirat per hæc verba -- *Quid tamen si lex municipalis permittat in Civitate sepeliri? post principalia rescripta an ab hoc discessum sit, videamus, quia generalia sunt rescripta. Et oportet imperialia statuta suam vim obtinere, & in omni loco valere* nihilominus, quidquid enim ibi explicat *Glossator Accursius* his verbis -- *Quidam hic colligunt, quod consuetudo non vincit legem quasi primo fuerit lex Adriani, & postea supervenerit consuetudo; Judico, quod consuetudo superveniens vincit legem, sive sit generalis, sive sit specialis, & secundum hoc fiat hic punctum interrogative post dictionem sepeliri*, ac prætermissa sententia *Bartol. & Jason. in l. de quibus 31. n. 53. oppos. 7. ff. de legib.*, asserentium rescriptum Principis ibidem emanasse post consuetudinem, quare mi-

mirum non esse, quod legi posteriori ac consuetudine anteriori non derogetur, quæ tamen interpretatio, ultraquam dicti *Textus* literæ repugnet, resellitur etiam ex *cap. 1. de constit. in 6.*, verius dicendum est cum *Gonzalez T llez in cap. cum tanto de consuet. nu. 15. libro 1. num. 5. tom. 1.*, quod in dicto §. non agit de consuetudine, sed de Constitutione municipali alicujus Populi, qua proibitio generalis non sepeliendi mortuum intra Urbem, confirmata pœnali rescripto Adriani, abrogari non poterat, cum prohibitio esset generalis Imperatoria, & Constitutio municipalis injusta, quæ Juri communi derogare non poterat. Igitur non recte *Mattheus* legis municipalis, & consuetudinis confundendo terminos argumentatur, *lex municipalis non vincit legem, ergo nec consuetudo*; etenim lex municipalis unius loci juxta sensum dictæ Legis, non derogat Legi generali Principis; at consuetudo in eo loco introducta potest vincere legem quo ad illum locum juxta tradita per *Acouruf. loc. citat.*, aut saltem inducere in Populum credulitatem talem a prava animi destinatione eum excusantem, cum alia sit vis derogationis legis, alia credulitatis, pro exclusione doli & culpæ, quæ tum *justis, tum injustis rationibus* acquiri potest secundum Textus censuram *in l. igitur ff. de liber. causis*.

18 Excipe tamen a regula, Consuetudinem contra Jus naturale, vel divinum introductam, etenim nullo pacto consuetudo excusat quæ sunt intrinsece mala, *cap. final. de consuet.*, *cap. non satis cap. cum in Eccl siæ, & in cap. ex qua, de Simon. Hyppolit. de Marsil. in l. 1. ff. ad leg. cornel. de Sicar.*, & in hoc sensu convenimus cum *Mattheo loc. citat.* dicente, quod si mores civitatis juri divino, aut rectæ rationi adversentur, non possunt a pœna excusare. Ad rem confert quod de *Tauro Philosopho* scribit *Aul Gellin. noctium Atticar libro 10. c. 19.* nec non *Magnus Orator Romanus in action. 4. in Verrem*; qui plura desiderat, adeat *Farinacc. q. 95.* de more hanc minorationis causam per ampliationes & limitationes prolixius tractantem.

19 Proxima dictis videtur etiam delinquentis credulitas ex alterius relatione causata, unde dicterium, quod Viro fide digno credens a dolo excusatur, depromptum e visceribus Textus in *l g. non omnis §. a barbaris ff. de re militar.* illis verbis -- *Si bonus ante existimatus est, prope est ut affirmationi eius credatur*, in cap. in tua de sponsalibus, ibi -- *Si persona gravis cui fides adhibenda*, & in cap. tana 8. qu. 4. ibi, *quia de memorati Viri testimonio dubitare omnino non possumus*, & confert *Isocrates in præceptis, quæ ad demonicum Hipponici filium scripta reliquit, velim (inquit) existimes æque ducere, ita improbis non adhibere fidem, ut bonis credere*, ita glossa in l. *Titio fundus in verbo actiones, versic. sed. quomodo ff. de condit, & demonstrat.* cum alijs lato calamo adductis per *Bertaz. Consil. 421. num. 27. & seqq.* ubi ampliat & declarat: alias ampliationes & limitationes videre poteris apud *Farinac. quest. 90 num. 109. & seqq.*

20 Sed prædictis obstare videntur Iura, quibus edocemur, alterius assertioni non esse cito temereque credendum *cap. si quis præpostera festinatione distinct. 50.*, in *cap. si quid ergo distin. 86. cap. visis literis 16. q. 2. l. 1. §. dolum ff. de eo per quem factum erit, leg. 3. sed si sic accepit ff. de in re vers. 1. nimia credulitate C. de action., & obligat.*, *leg. sicut C. de fid. Instrument.* unde glossa *in cap. omnibus verbo bonis 2. quæst. 5.* leves vocat, qui cito credunt, quod etiam D. Hieronymus inquit in regul. Sanctimonial. ad Eustoch. cap. 16. -- *Non omnibus qui loquuntur sis facilis ad credendum; levitas enim credendo levem denotat mentem*. Concordabis hæc Iura inter se dissonantia, ut *prima* locum obtineant in eo, qui viro probo, & digno credit; *alia* vero intelligas in temere omnibus credente fide non dignis, scribit enim *Senec. ad Lucilium epistol. 3.* utrumque vitium esse, & omnibus & nulli credere, *Bald. in leg. indicia qu. 4. C. de rei vindic., & consil. 144.*, inquit propterea glossator in *cap. sicut de accusat.* honestæ Personæ merito esse credendum, & *in cap. cupientes verbo notitiam de election. in 6.*, videri notitiam certam, & indubitatam eius rei, quam a fide dignis accipimus; & confert Textus *leg. si a bonæ fidei ff. de rei vindic.*, ubi si a possessore bonæ fidei fugerit Servus, qui integræ opinionis videbatur, ut custodiri non debuerit, absolvendus est possessor; Hinc *Oltradus consil. 92.* consuluit, excusandum esse Custodem Castri, qui quempiam Nobilem Integræ opinionis ad custodiam Castri substituit, qui postea Castrum Hostibus prodidit, aut illud alias male servavit; & hæc satis quo ad *causam materialem*.

AD SECTION. I. OBSERV. XXII.

APPENDIX UNICA.

ARGUMENTUM

Late disputatur, an conatus etiam redactus ad actum proximum vulnerum ordinaria pæna puniatur de Jure communi in crimine tentatæ necis cum qualitatibus proditionis, & latrocinij.

Pro pæna extraordinaria est sequens primum juris responsum D. Advocati Pauperum, quo digito demonstratur erronea, & insulsa Doctrina tum Muscatelli, tum Rainaldi in contrariam abeuntium sententiam pro pæna capitali.

RESPONSUM I.

Romana, seu Ostien. prætensorum Vulnerum cum assertis qualitatibus proditionis, & Latrocinii.

Illustrissime, & Reverendissime Domine.

ANdreas Riviero e Terri Grecana in Regno Neapolis, in Carceribus Urbis detentus tanquam prætensorum Vulnerum Reus; cum assertis qualitatibus proditionis, & Latrocinij in personam Nicolai de Sanctis Soriani, quamvis, dum secunda vice quæstioni supponeretur (attenta torturæ divisione) prætensum facinus, tormentorum formidine commentus fuerit, nihilominus suprema capitali animadversione coercendus minime venit attentis Romanorum antiquis legibus, quibus tanquam Exterus addictus videtur ob permanentiæ Bannimentalis defectum, nunc haud controversum, & a quacumque vindicatum hæsitatione.

Enim vero ad tramites Juris communis, & crimen, & pænam intuendo, duo nobis probanda offeruntur, unum quod asserta Vulnera juxta Quiritum leges extolli in Facti specie, & qualificari nequeunt ad proditionem; Alterum vero, quod iis per erroneum suppositum admissis qualitatibus, neutiquam

gla-

gladii pœna locum sibi vindicare posset.

A prætenso criminis titulo exordiendo, deficit primo loco proditionis qualitas; siquidem si ad eam afformandam necessarium omnino est, ut inter offensum, & sontem amicitia talis præcedat, quæ naturalis minime sit secundum quam, homo homini quodam generali amore Amicus iuxta *Tullium lib. 2. de invent.* ubi -- *Amicitiam natura ipsa peperit*, sed ab assidua conversatione desumpta, taliter quod Amicos appellare debemus non levi Amicitia coniunctos, sed quibus fuerunt Iura familiaritaria quæsita rationibus, ut ait *Text. in leg. lata 223. ff. de verbor. signif.* unde Peripateticorum Princeps *lib. 4. Ethicor.* inquit -- *Neque enim absque experimento est nec unius diei Amicus*; qua de causa magni nominis DD. haud amicitiam ex modici temporis conversatione, multoque minus ex unico simili desumunt actu; sed plures, & diutinoa exigunt, *Bald. in cap. 1. num. 14. de probibit. feud. alien. per Federic.*, ubi plus addit, Amicum quem non posse dici ex unica commensalitate, vel cœna insimul sumpta, aut alloquutione unius diei, sed requiri perseverantiam non brevem; quam nec etiam ad mensea admittit *Sandeus Felin. in cap. Repellantur num. 2. de accus.*, cum aliis per eum allegatis.

Utique in facti specie nullibi ex processu huiusmodi liquet Amicitia ab assidua familiaritate, & conversatione proveniens, imo totaliter ab ipsomet excinditur offenso, ait namque -- *Che dopo aver ricevuto il denaro si volse verso il suo Offensore*, CHE NON CONOSCEVA, *ma l'aveva bensi veduto giorni prima in Civita Vecchia dicendogli, ob cammerata sei qua, dove vai? e rispostogli che andava buscando il pane, e voleva andare verso Porto d'Anzo, esso gli soggiunse che anche lui doveva andare, e che però sarebbero andati assieme fol. 2.* quibus in terminis non Amicitia ex præcedenti conversatione, & familiaritate ad proditionis qualitatem extollendam necessaria, sed altera tantum naturalia, & accidentalis desumi valet inefficax ad proditorium efformandum, alioquin crimina omnia ab hominibus in homines admissa proditoria forent, quod absurdissimum est asserere: potissimum quia Offensus qui pecuniam in crumena tunc exactam retinebat, præcavendi causam habebat, & suspicandi de eo quem semel antea, nonnisi per simplicem visum agnoverat eidemque responsum tradiderat -- *che andava buscando il pane*; ideo offensio, & furtum nullo pacto dici queunt in homine nil tale suspicante iuxta *Text. in cap. 1. de homicid. cum aliis allegatis per Lucam de Penna in leg. fin. nu. 7. C. de delat. lib. 10.* Imo ad rem convenit quod eleganter *Jacob. Cuiac.* scriptum reliquit *lib. 19. observ. 12.* cum nempe qui in servandis rebus suis vigilantiorem esse constiterit, plus consequi, quam alterum negligentiæ suæ auctorem quia desides atque socordes negligentiæ pœnam ferre debent, argumento *Text. in leg. 24. ff. quæ in fraud. Credit.*, *& in leg. 4. ff. quod vi aut clam.*

Deficit pariter Latrocinii qualitas, quippe consulto omisso antiqui Latrocinii vocabulo, tantum ad milites adaptato de quo perbelle *Festus Pompeius lib. 10.*, *& 17.*, *Varro de lingua latin. lib. 6. Brissanius de verbor. signif.*, *& Alexandr. lib. 6. genial. dier. cap. 22.* oculos vertendo ad Pandectarum leges, latrocinium nonnisi illis convenit, qui deprædantur cum hominis interemptione, ad differentiam Rapinæ, quæ absque cæde committitur, ad tradita per *Angel. in auth. sed novo Jure num. 8. C. de serv. fugitiv.*, *Jacob. Bonlanc. in leg. Capitalium §. Famosos nu. 18. ff. de pæn.*, *& Bartbol. Cæpol. in auth. sed novo Iure num. 53. in med. C. de furt.* ibi -- *Dicuntur etiam Improbissimi fures illi, qui in strata publica furantur sine tamen interfectione, & isti vocantur Grassatores; Item quidam dicuntur plusquam improbissimi fures, qui cum interfectione furantur*, ET ISTI NOTANTUR PUBLICI LATRONES. Quod autem latrocinium absque homicidio non committatur, excogitatum minime est, sed legibus clarissime probatur, *Text. in leg. Capitalium §. Famosos ff. de pæn.* ibi -- *Cognatis, & Affinibus interemptorum*, & alibi -- *Quo latrones homicidia fecissent*, *& in leg. Divus ff. ad leg. Pompei de parricid.* ibi -- *Quod si quis filium adulterantem occiderit magis Latronis, quam Patris Jure interfecisse videtur*, quæ verba -- *interemptorum &c. homicidia &c. occiderit &c.* nonnisi actum cædi perfectum apertissime indicant nunquam extendenda ad sola vulnera etiam lethalia nulla subsequuta morte, potissimum quia in odiosis nulla extensio, sive interpretatio admittenda venit ex notissimis, multoque minus adversus apertissimas legum sanctiones, quæ actum perfectum præscribunt iuxta censuram *Text. in leg. 1. §. Hæc autem verba ff. quod quisque Jur.* ibi -- *Rem perfectam significat, & consummatam iniuriam non receptam*, *& ibi Bartol. nu. 2. late Barbat. consil. 23. num. 17.*, *& seqq. lib. 2.*, *& de communi Vin. opinion. 822. num. 2.*, *& seqq.*

Seclusis propterea ad sensus Juris communis assertis duabus præmissis qualitatibus, quibus Fiscus prætensum crimen ad altiorem speciem extollere credit, vident Illustrissimi Domini Iudicantes, quod vulnera simplicia tantum nunquam qualificata redduntur, nec aliam iuxta Romanorum leges animadversionem patiuntur nisi exilium aut fustigationem iuxta *Text. in leg. fin. ubi Angel. de iniur.*, *& in § In summa Instit. de iniur.*, & magis expresse *Lancellott. Conrad. de offic. Prætor. in crimin. tit. de vulner.*, *& præsent. cap. 9. §. 3. num. 23.* ibi -- *Vel exilia temporali, vel interdictione rei certæ coercentur aut liberi homines humilioris conditionis fustibus subiiciuntur*, aut ad summum iuxta generalia Bannimenta Sac. Consultæ, quatenus ius obstrictus foret, temporalem triremium pœnam non transcenderent.

Ast crescit oratio: Admisso enim per omnem damnatam hypotesim (semper tamen impugnandam) quod præfata Vulnera qualificata cum asserto latrocinio forent, ut Fiscus autumat, adhuc etiam ad tramites Juris ultimum supplicium locum obtinere non posset; Hinc secundum aggrediendo articulum superius præmissum, absolutissimum est, undique Jura etiam Divina ab ipsa mundi origine pro quovis furto, nunquam mortis pœnam excogitasse, nec præscripsisse, & omissis antiquorum Lacedemonum, Ægiptiorum, Georgianorum, Germanorumque moribus furta impune dimittendi de quibus satis eleganter *Aulus. Gell. l. 11. Noct. attic. c. 18. Tacit. de morib. Roman.*, *Busbequius epistol. 3. pagin. 165.*, *& Alexand. ab Alexandr. genial. dier. cap. 3. lib. 6.* imposita non fuit laquei pœna *de Jure Divino*, ut legitur *Exod. cap. 22.*; Non de *Jure duodecim Tabularum*, nec de *Iure decemvirali*, ut latissime probat *Aul. Gellius noct. atticar. lib. 11. cap. 18.*, ubi ultra leges decemvirales, & 12. tabularum, leges a Solone Atheniensibus traditas recenset, superaddendo pulchram M.

Catonis sententiam -- *fures* -- inquit -- *privatorum furtorum in nervo, atque in compedibus ætatem agunt*; Non de *Jure Longobardorum*, ut recensent *Gandin. in tract. de malefic. rubr. de furt.*, & *latron. num. 2.* & *Dambouder. in pract. crimin. c. 100. num. 32.*; *Non Jure Pandectarum*, quo pæna extraordinaria, & arbitraria pro furto indicitur, *ut potet ex tot. tit. ff. de furt.*; Non *Jure Institutionis*, nam pro furto manifesto pæna in quatruplum datur, pro alio non manifesto in duplum, *ut in §. Ex maleficiis, Instit. de action. quæ ex d lict. nascuntur*; Non *Iure Codicis*, quod nullam in furto addidit pænam; Nec *Iure Authenticorum*, imo ibi ab Justiniano *in auth sed novo Iure C. de ser. v. fugit.* expresse præcipitur -- *Nolomus pro furto omnino aliquod membrum abscindi, aut mori, sed aliter castigari*.

Sulum namque Federicus Primus Imperator duram legem tulit *in tit. de pac. tenend. in usib. feudor. in cap. 1. §. Siquis quinque solidos*, qua furantes quinque solidos Furcarum pænam substinere debent; Verum hanc Constitutionem omnes reprobant; & damnant, præcipue *Anton. de Nigris in cap. Ad hoc 2. num. 25. de furtis*, *Paris. de Puteo in tract. de Syndic. verbo crudelitas officii cap. 1. num. 5.* & *post alios Nevizan. in Sylv. Naptial. lib. 1. num. 69.* addentes insuper, prædictum Federicum ejusque successores mala morte obiisse, neque illius generationem ad tertium pervenisse gradum. Hinc satis docte eximius *Andreas Alciat. in l. Probum ff. de furt.*, male institutas censet illas Civitates, in quibus fures suspenduntur.

Adeo Jurum quiriti mortis pænam indignam, & inæqualem Furto credidere; imo licet Gentiles Mosaicis legibus uniformes se reddiderint, ut non tantum de improbis furibus, quales sunt fures simplices; de Improbioribus, ut expilatores hæreditatis; de Improbissimis, ut Raptores, & Grassatores; sed nec etiam de plusquam Improbissimis, ut sunt latrones, asperam supremam capitalem animadversionem dictaverint, nisi data pluralitate furtorum, vel hominis interemptione; Hinc de latronibus sermonem habendo, ultimum tunc præscripserunt supplicium, quoties cum Furto hominum cædes concurrerent, famosique forent, ut apertis verbis colligitur ex responso *Consulti Callistrati lib. 6. de cognition.* quo Imperator Justinianus *in leg. Capitalium 28. §. Famosos ff. de pæn.* ita mandavit -- *Famosos latrones in iis locis, ubi grassati sunt quâ furca figendos o pluribus placuit, ut & conspectu deterreantur alii ab iisdem facinoribus, & solatium sic Cognatis, & Affinibus* INTEREMPTORUM *eodem loco pæna reddita, in quo latrones* HOMICIDIA FECISSENT, ex quo Tex. si veram, & genuinam illius interpretationem habere intendimus, duo concurrere oporteut ad mortis pænam infligendam, quod nempe latrones homicidia admisissent, aut vero fures famosi forent; adeoquod legum conditores supremum supplicium potius ob cædis Facinus, potius insuper ob Grassantium famositatem, quam ob furtum dictarum, ut Consultus in d. § *Famosos.* subdit -- *Majores nostri in omni supplicio severius famosos, quam integræ famæ punierunt*.

Igitur cessante Hominis cæde, perfecte inquam consumata, & expleta, non vulneribus tantum cæpta, cessat, & Latrocinii vocabulum, & pæna, dum ut diximus & modo repetimus, Jura de Homicidiis loquentia, actum perfectum efflagitant mortis, non vulnerum; actum scilicet consumatum, non actum proximum requirunt, ut individualiter tradunt *Alexand. ad Bartol. in leg. Qui ea Mente list. C. versic. Et ad l. quod ff. de Furt.*, *Bald. in leg. Fugitivus n. 3. C. d. de Serv. fugitiu.*, & post alios egregie *Thomas Gram. decis. 74. num. 28.*, ibi -- *Et ideo dixit pulchre Bartol. Quod si Lex, vel statutum dicet, ut si quis aliquẽ occiderit, puniatur tali pana, non poterit de occiso procedi, antequam vero mors sequuta non fuerit, etiam si certum sit, vulneratum ex illo vulnere moriturum, quod dictum exclamat, & sequitur Baldus &c.*

Verum est, non negamus, quod Hominis mors si non sequuta fuerit, & fur Famosus existeret, laquei supplicium non evitabit non ratione Furti, sed famositatis; At ad hanc famositatis qualitatem habendam unicum non sufficit Furtum, sed Furtorum pluralitas exoptatur; Imo tunc cessantibus qualitatibus *Viarum*, quæ Grassatores efformant; & *interemptionis Hominis*, quæ reddunt Latrones, quis ex pluribus Furtis, nec etiam dicitur Latro famosus, sed tantum fur famosus, ut latius explicat *Bartholomeus Cepoll. in dicta Auth. Sed novo Jure num. 46. & seqq.*, *Cod. de Sentent. fugitiv.*, & magis individualiter ad casum *num. 106. versic. Secundo casu*, ibi -- *Secundo casu, quando aliqui furantur in itineribus, vel in Strata publica, vel in Sylvis, vel in Domibus, vel in Mari, per vim cum Armis, vel sine, cum interemptione Hominis, & distingue, aut hæc fecerunt* SEMEL TANTUM, ET TUNC DICUNTUR SIMPLICES LATRONES, ET NON DEBENT FURCA SUSPENDI *propter Furtum, vel spoliationem, ut est casu in dicto §. Grassatores*; SI TAMEN INTERVENIT HOMICIDIUM, *prout præsupponitur, tunc pro Homicidio deberet mori, etiam pro spoliatione sola, & ita intelligo dicto §. Famosos; Aut hoc fecerunt plurios, & tunc dicuntur publici, & famosi Latrones, & isti debent Furca suspendi, & de hoc non est dubium, quia est Text. in leg. Capitalium §. Famosos ff. de pæn.*, *ubi sic eleganter dicit -- Famosos Latrones in his locis, ubi grassati sunt, Furca figendos quampluribus placuit, ut & conspectu deterrantur alii ab iisdem facinoribus, & solatio sit Cognatis, & Affinibus* INTEREMPTORUM *eodem loco pæna reddenda, in quo* LATRONES HOMICIDIA *fecissent; Majores nostri in omni supplicio, severius Servos, quam liberos, famosos quam integræ famæ damnaverunt* --, *& ita etiam potest intelligi Glossa hic, & dicit quod publicus Latro, qui scilicet consuevit furari, debet Furcis suspendi, scilicet quando Furtum factum est* CUM INTERREMPTIONE HOMINIS.

Merito DD. communi Calculo tradunt, quod ex tribus admissis Furtis fur tantum dicitur famosus, sive furandi consuetus, Furcis damnandus, ut pleno calamo docent *Damb. det. in Pract. Criminal. c. 110. num. 30.*, *Valenzuel. consil. 102. num. 128.*, *Gomez. de Delict. cap. 5. num. 6.*, & *Buccaron. de Different. 134. num. 5.*; Cumque in facti specie in Carceratum Andream deficiat famositatis qualitas, imo antea integræ famæ sit credendum, quia contrarium ex Processu minime experimur; Deficiat quoque mors Nicolai de Sanctis prætensi vulnerati, adeo quod desit Homicidium, consequenter solatium Affinium, & Cognatorum interemptorum (ut loquitur Textus superius expensus) dari haud posset, quia nemine interempto, nullo pacto infelix Carceratus ad Juris communis sensum gladii pœnam su-

subire potest, etsi assertum Crimen vi tormentorum fassus fuerit.

His stantibus parvi pendenda videtur (salva illius pace) auctoritas, sive potius ultronea assertio *Reynald. Tom. 2. observ. cap. 14. num. 65.*, qui persunctorie adversus expressa, imo apertissima verba citati *Textus in dicta §. Famosos*, ex falsa Doctoris auctoritate, & falso supposito, argumentando a contrario sensu dictum *Muscatelli* in contrariam abiit Sententiam, quam suis expressis verbis transcribere volumus -- *De Jure communi hujusmodi Delictum committentes* (loquitur de Latrocinio) *si semel tantum fecerint in metallum damnantur, vel in Insulam relegantur, dummodo prædæ Causa, nec occiderint*, *NEC NIXI FUERINT occidere*. (notentur quæsumus hæc verba, & subsequens ejus explicatio) *puta quia vulneribus lethalibus non vulneraverint*, *nam si alterum istorum evenisset pœna mortis essent puniendi etiam pro prima vice*, *Cepoll. Auth. Sed novo Jure nu. 104. Cod. de Serv. fugitiv.*, *Muscatell. de cognit. Delict. tit. de Furt. rapin. &c. §. De pœnis num. 33.*, alios inde addendo Doctores relatos per *Matthæum Sanz. controv. Crimin. 43. num. 13.*, licet casum Matthæi ad casum Grassationis adaptabilem reddat.

Melius utique se habuisset *Raynald.*, si hanc arduam non assumpsisset Provinciam, quam ita persunctorie, non degustatis Pandectarum legibus, & DD. per eum allegatis tam perniciosam in Inquisitorum detrimentum maxime Exterorum, & novis Romanorum Statutis non addictorum, describere Sententiam Juri contrariam, & communi DD. opinioni; Si enim Sententiam hanc posuisset, ut descripsit Muscatellus per eum allegatus, excusari posset, nisi ipse argumentum desumpsisset a contrario sensu ex dicto allegati Muscatelli; forte quia silentium ei præstare potuit, excusatione insuper dignus, si Doctor per eum ad lucem non allegasset dictum *Textum*, non *in dicto §. Famosos*, qui totaliter adversatur ejus opinioni, & minime ignotus erat prædicto Rainaldo, Doctori quidem non levis Fortunæ, sed *in § Grassatores* valde diversus *a dicto § Famosos*, utpote de Grassatoribus, non de Latronibus loquens; Si tandem Bartholomæum Cepolla in Authorem allegatum hujus tam perniciosæ Sententiæ pre manibus non habuisset, eumque legere, & videre haud valuisset eum allegando, prout referebatur a dicto Muscatello; At hæc omnia cessant in thesi nostra, ut distinctim probatur ex sequentibus.

Joannes Bernardinus, *Muscatell in dicta Rubric. de Furt. rapin. in §. Circa pœnas prædictorum n. 32. & 33.*, per hæc sequentia formalia verba se habet -- *Et primo de Jure communi cum Latrocinium committi possit, in Domibus, & itineribus, cum armis, vel sine, clarum est, quod non semper committi dicitur cum disrobatione in strata; Igitur si Latrocinium committeretur sine armis, vel si cum armis, tamen non in strata, sed forte in Domibus Dixerunt antiqui, quod isti qui semel commiserunt tale Latrocinium vocentur Latrones simplices, & consequenter si semel tantum hoc commiserint sine alicujus Hominis interemptione, seu NIXU AD INTEREMPTIONEM, ut puta, quia vulneribus lethalibus non vulneraverint*, *NON DEBENT FURCA SUSPENDI, & mori*, & late refert *Cepoll. in dicta Auth. num. 104.*, per *Text. in dicto §. Grassatores*, *qui opinionem hanc optime probare videtur, dum dicit GRASSATORES* (notandum quia non dicit Latrones) *qui prædæ Causa id faciunt, proximi Latronibus habentur, & si cum ferro aggredi, & spoliare instituerint, capite puniuntur, utique si sæpius, atque in itineribus hoc admiserint, cæteri in metallum damnantur, vel in Insulam relegantur*. Hactenus dulcissimus Muscatellus Doctor quidem summæ Doctrinæ, & Raynaldo non dissimilis, sed in opinionibus suis valde rigidus, & a Jure communi dissonans.

Ex prædictis itaque Muscatelli verbis vident primum Doctissimi DD. lucidantes, quod prædicti Doctoris loquutio se habuit in sensum negativum, nempe -- *Si semel tantum hoc commiserint sine alicujus Hominis interemptione, seu nixu ad interemptionem &c.*, *non debent Furca suspendi*; Raynaldus autem argumentando a contrario sensu, opinionem prædicti Doctoris transtulit in sensum affirmativum, his verbis -- *Dummodo prædæ Causa, nec occiderint, nec nixi fuerint occidere &c.*, *nam si alterum istorum evenisset pœna mortis essent puniendi, etiam pro prima vice*; Ast aberravit a recta semita, quia ei minime incognitum erat, quod argumentari a contrario sensu licitum tantum est in dispositione legis, minime autem in dictis Doctorum, imo nec etiam in decisionibus Tribunalium, ut docent Doctores allegati per *Sabell. in Summ. §. Argumentum num. 9.*

Norunt secundo Illustrissimi Domini Præsules in hoc præfulgentes Tribunali, quod *Callistratus in dicta leg. Capitalium 28.*, non indistinctim, nec simul de Grassatoribus, & Latronibus, & Criminis qualitates, & pœnas præscripsit, sed sejunctim per distinctos §§. loquendo, primo de Grassatoribus *in §. Grassatores*; Et de Latronibus *in §. Famosos*, diversimode se habendo in qualitatibus Criminum pœnisque dictandis; quippe *in §. Grassatores*, qui illi tantum dicuntur, qui in Viis publicis itinerantes aggrediuntur, tunc capitalem animadversionem imposuit, si sæpe sæpius hoc admiserint, & ferro aggredi curaverint, ibi -- *Grassatores qui prædæ Causa id faciunt, proximi* (non ejusdem naturæ) *Latronibus habentur, & si cum ferro aggredi, & spoliare instituerint Capite puniuntur, utique SI SÆPIUS, ATQUE IN ITINERIBUS hoc admiserint, cæteri in metallum damnantur, vel in Insulas relegantur*; in altero vero § *Famosos Latrones*, ita vocatos, quia prædæ Causa Homines interficiunt, ut dictum est, nulla habita distinctione, si semel, aut sæpius; Furca suspendendos esse censuit in solatium Affinium, & Consanguineorum *Interemptorum*, & sic ob cædes, sive Homicidia per eos patrata, prout verba *dicti §. Superius* retulimus.

Perperam itaque, & nullo Juris fundamento *Muscatellus*, de Latronibus loquendo ad propositum suum allegavit dictum §. *Grassatores*; ac in eadem incidit foveam *Raynaldus* quum & ipse distinctionem hanc agnovisset, loquendo *de Matthæo*, cæterisque auctoritatibus per eum allegatis, ibi -- *Cogita tamen an auctoritate Matthæi, & exemplum relatum faciat ad causam, quia videtur loqui de Grassatoribus de quibus agimus in sequenti casu*; Hinc eamdem tradere responsionem tenebatur, opinioni Muscatelli, & non persunctorie illam insequi, in tam ardua re, ubi de pœna mortis agitur; quia sibi novum utique non erat, quod in supremis capitalibus pœnis, leges juxta verborum sensum, & tenorem, intelligendæ veniunt, exclusa qualibet interpretatione, a simili per æquipollens, a proximitate, cæte-

terisque, imo etiam a majoritate rationis, ut latissime probant *Everard. in topic. legal. per tot. tractat.*, *&* *Villagut. de interpetrar. Leg. In tit. de Leg. Odiof.*

Ulterius tam Muscatellus, quam Raynaldus verba illa recensendo *occid rint, vel nixi fuerint occidere*, explicare intendunt verbum *nixi fuerint occidere*, quando vulneribus lethalibus vulneraverint, licet mors sequuta haud fuerit; At decipiuntur, & salva eorum pace peccant in falso supposito; siquidem admisso etiam per damnatam hypothesim, hujusmodi *nixi* (quod tamen in dicta *Leg. Capitalium*, §. *Grassatores*, *&* §. *Famosos*, minime legitur) illud nunquam interpetrationem recipere posset, ut Raynaldus, & Muscatellus autumant, quippe, *verbum nixus occidere, aut adulterare, vel aliud simile facere*, semper rem perfectam, & consumatam importat; homicidium nempe, adulterium, vel simile, ut ex *Bald.* docte tradit *Hyeronim. Cucchalon. in addit. ad Dec. in Leg. Non vult. hæres verbo necessitas litter. F. ff. de regul. Jur.* ibi -- *In simili consului Baldum ubi vult, quod stante statuto Placentino, quod quicumque nixus fuerit Adulterium committere, decapitetur, quod si quis tentaverit, & non potuit adimplere quod non sit decapitandus, sed quod puniatur alia pœna*; & per hæc formalia verba pertransit *Grammat. decis. 2, num. 19.*, *&* *decis. 74. num. 7.*, merito *Glossa in regul. ex eo non debet quis* fructum consequi, quod nixus est impugnare, *de reg. Jur. in 6.*, exponit verbum *nixus* eum effectu;

At Muscatellus, & eum eo Raynaldus non tantum perfunctorie, & erroneo supposito, imo verbis legis minime degustatis in eorum descenderunt perniciosorem sententiam, verum quoque, procul ab omni veritate, in sententiæ Auctorem allegarunt Bartholomæum *Cepolla in auth. sed novo Jure Cod. de ser. fugit. num. 103.*, qui numquam, imo neque per somnum tam apertum errorem *in repetit dicta auth.* scripsit, imo doctissime more suo contrarium firmavit, ut ejus verba (quæ per extensum referuntur) evidentissime ostendunt -- *Si vero loquitur de his, qui in strata publica, vel in Sylvis furantur, qui grassatores dicuntur, ut Leg. Capitalium* §. *grassatores, quod aut isti furantur sine INTERFECTIONE HOMINIS, & isti proprie grassotores vocantur, sed proximi latronibus habentur ut dicit Text. in* §. *Grassatores, aut furantur cum INTEREMPTIONE HOMINIS, & tunc proprie dicuntur latrones, ut est casus in dicta Lege Capitalium* §. *Famosos; primo casu pra pæn. Ego in hoc distinguerem, aut isti semel tantum furati sunt, aut pluries; si semel tantum, tunc debent in metallum damnari, vel in insulas relegari; Si pluries, tunc debent capite puniri, vel Furca suspendi, illud probat aperte in dicta Leg. Capitalium* §. *Grassatores ff. de pœnis, & hoc expresse tenet glossa, dum dicit vel grassati, idest ubi frequenter obsiderint itinera publica; nam si semel veniam merentur a Furca, ut d.* §. *Grassatores; Nec obstat glossa in dicto* §. *penult. quæ videtur exponere quod suspendatur, quia debet intelligi secundum legem quam allegat, nam allegat* §. *Famosos, ergo debet intelligi, quando concurrit furtum secundum* §. *Famosos, scilicet cum INTEREMPTIONE*; prosequendo desuper ad explicationem secundi casus latronum, verum quia ejus verba superius retulimus *in* §. 11., ideo hic ea repetere superfluum existimamus.

Confutatis propterea dictis, seu verius erroribus Muscatelli, & Raynaldi, & firma remanente sententia quoad tramites Juris civilis, numquam latrocinium, *hominis interemptione haud sequuta*, gladii pœna, coerceatur, descendimus libenter (ne quid in quæstione hac intactum relinquatur) ad ea pariter confutanda, quæ ex adverso per fiscum objici possent, licet intacta a præcitatis Raynaldo, & Muscatello; Et primo ad *Text. in leg. is qui cum telo 7. C. ad. Leg. Cornel. de Sicar.* ubi -- *Qui cum telo ambulaverit hominis necandi causa, sicut is qui hominem occiderit, Legis Corneliæ de sicariis pœna coerceatur*; Respondemus tripliciter, primo dispositionem præfati Textus, minime in facti specie adaptabilem esse; quippe Carceratus telo non ambulabat ad hominem necandum, sed baculum repente accepit, sub nomine sive vocabulo teli nunquam comprehensum, præsertim ad mortis pœnam dictandam, *Gloss. in clem. 1.* §. *Nos eorum verbo arma, de stat. Monach. Aretin. in tract. malefitior. gloss. armatus*, *& Ludovici Pontan. in Leg. 1.* §. *occisorum ff. ad S. C. Syllon.* Hinc Jacob. de Monte Judaic. *in comment. ad leges, seu usaticos Barcinonæ tit. de emendat. milit. num. 5.* ait quod in telis sive armis debet esse ferrum ad nocendum aptum, merito de Jure communi durius punitur qui gladio, & ferro vulnerat, quam baculo, & colligitur ex *Martiani verbis in Leg. 1.* §. *Divus ff. ad Leg. Corn. de Sicar.*, *& docet Jacob. Calic. ad usatic. Barcinon. de emenat milit. numer. 8.*, *&* 10.

Respondetur secundo, quod allegatus *Text. in Leg. is qui cum telo* intelligi debet ut pro conatu ab eadem lege imponatur pœna, non vero, quod imponatur ultimum supplicium, ut individualiter explicarunt *Cataldin. de Boncompagn. consil. crim. 55. num. 19.*; *& Petr. de Soncen. consil. crimin. 98. n. 6. tom. 1. divers. in parvis*, propterea communi calculo DD. tradiderunt; quod conatus, seu affectus, effectu, & delicto non sequuto punitur eadem lege, sed non eadem pœna, & quod ita *Text. in leg. Is qui cum telo*, & alia Jura punientia conatum intelligi debent, ita *Bald. in Leg. Data opera num. 55. versic. Non obstat C. de his qui accus. non possunt*, *Covar. in clement. si furiosus part. 2.* §. *Initium num. 6. de homicid.*; *De Monte quæst. 26. num. 31.*, *& Grammat. decis. 2. num. 22. decis. 74. num. 12. & vot. 8. num. 12.*

Respondetur tertio, quod de generali consuetudine totius Italiæ, imo totius Mundi, derogatum est legi *is qui cum telo*, ac omnibus aliis Juribus punientibus eadem pœna conatum non sequuto delicto; sed minori pœna plecti debeat, ut latissime probat *Hyeron Cavall. in commun. opin. quæst. 540. nu. 10. & 12. ideo sprevtat., in tit. de accusat* §. *1. num. 7.* ait quod de consuetudine non punitur morte is, qui animo occidendi aliquem percussit, effectu non sequuto; atque ita pluries pluriesque in Tribunalibus decisum fuisse testantur, *Bart. Theg. tract. crim. p. 19. num. 11. Gramm. vot. 8. num. 13.*, *& decis. 2. per tot.*, *Bertach. in repert. verbo Veneratio*, *Barbat. consil. 23. num. 26. & seqq. Ossasc. decis. 19. num. 4. Boer decis. 316. num. 3.*, *& Latius Ioseph. Ludovic. decis. lucen. 15. & seqq.*

His omnibus in facti specie addi potest, quarta responsio, inquisitum ante perfectum homicidii flagitium poenituisse, ut suo fassus est ore *fol. 360.* ibi -- *E nell' atto che io gli davo le dette bastonate, il detto Nicola, chiedendomi la Vita per l' amor di Dio, mi buttò subito il falzoletto &c. COS' IO ALLO-*

RA

RA MI FERMAI, PERCHE. VERAMENTE MI MOSSI A COMPASSIONE DI LUI, mentre per altro aveva animo d' ammazzarlo, e l' avrei ammazzato ad effetto di non esser scoperto. Hinc quemadmodum dicta confessio scindi non potest a dicta qualitate ex vulgatis, ita poenitentia in delictis, etiam quod ultra cogitationem fuerit deventum ad actum aliquem, *& etiam in atrocissimis sat est, ut delinquens non puniatur*, saltem poena ordinaria, secundum *Gloss. in L. qui ea mente versic. Si autem ad actum ff. de furt. Bart. in dict. l. qui ea mente num. 2. & seqq.* ubi tres leges ad propositum allegat., *Marsil. in l. qui falsam num. 16. ff. ad Leg. Cornel. de Falf.; Felin. in cap. 1. numer. 4. de praesumpt. & in trat. de conat. fallent. 1. Albert. Gandin. de poen. Reor. num. 4. De Monte q. 16. post. num. 25., & latius Covar. in Clem. si furiosus p. 2. §. Initium num 6. de homicid.* ubi quod haec est communis opinio, quam omnes fatentur.

Quo ex fonte poenitus dispergitur altera forsan obiicienda exceptio, quod in atrocissimis punitur affectus, licet non sequatur effectus, tum quia, ut diximus, in thesi de qua agitur, Inquisiti poenitentia ante expletum homicidii actum omne dubium tollit, non tantum in atrocissimis, sed etiam si de crimine laesae majestatis ageretur, secundum *Jacob. Butrigar. in l. quisquis vers. sane C. ad leg. Iul. majest., Foller. in pract. crim. verbo. Item quod commisit crimen. laes. majest. num. 89., & Bursatt. consil. 47. num. 38.* tum propterea quod generalis consuetudo totius Italiae comprehendit non tantum delicta atrocia, & atrociora, sed etiam atrocissima, ut tradunt *Felin. in tract. de const., versic. Et dictum Speculatoris, Affl. in constit. Asperitatem rubr. 11. num. 2. & rubr. 41. num. 6. part. 3., & Caval. in commun. opin. q 540. num. 14. & seqq. num. 18.* Hinc exemplificatur Assassinium a *Prob. in addit. ad Io. Monach in cap. pro humani num. 6. de homicid. in 6. Corn. consil. 202. num. 1. & seqq. lib. 1. ubi latissime, Gramm. Vot. 8. num. 12. & Gomez. de delict. cap. 3. post num 10.* ubi quod ita vidit practicari; Nec non Venenum, ut scripserunt *Bald. consil. 413. num. 4 lib. 3.* latissime *Burlat. consil. 23. num. 16. & seqq. tom. 2., Cepoll consil crim. 88 per tot., & late Grammat. decis. 2. per tot.* ubi refert ita fuisse resolutum.

Vindicata igitur nostra Sententia ab omnibus, & quibuscumque contrariis objectionibus, ad eam magis confirmandam Judicatorum exempla accedunt in terminis praecipue individualibus, imo fortioribus; Hinc refert. *Jo. Franciscus Sanfelic. decis. 40.*, quod quidam, qui transeuntem in via publica furatus fuerat, & eum armis derubatum vulneraverat; quia semel id commiserat non fuisse laqueo suspensum sed ad perpetuas triremes damnatum; refert insuper *Nicolaus Reusner decis. 21. libr. 2.* casum cujusdam qui in Via publica adortus Carrarium quemdam ex Taberna metallaria frequenter Argentum excoctum, & in monetariam officinam asportare solitum, eumdem derubavit, lethaliter ipsum vulnerando, onde Reo carceri mancipato, Judices de hoc casu consulti, poenam amputationis manus dexterae una cum perpetua relegatione Provinciae Saxonicae, dictandam esse decreverunt repudiata sententia Dicasterii Lipsiensis, a quo in eadem causa poena capitis fuerat indicta.

Demum ne taedio afficiamus Illustrissimos Dominos Judicantes alia & quamplurima recensendo exempla, sat erit pro complemento illud referre in hoc eodem Tribunali in terminis terminantibus sequutum, ac decisum anno proxime praeterito 1749. in personam Ioannis Augustini Ciamei Regnicolae; qui licet fassus fuisset vulnera cum qualitatibus proditionis, & Latrocinii in personam Francisci Antonii de Gavignano, nihilominus, me patrocinante, quia ob defectum permanentiae Bannimentalis, ad Iuris communis tramites judicandus erat; citra mortis poenam, ad triremes tantum damnatus extitit; adeo quod sufficit exemplum hoc ad ponendam falcem ad radicem hujus controversiae.

His omnibus superadditur ex abbundanti erronea Inquisiti confessio valde diversificans cum dicto praetensi offensi, nec non cum Testibus a Fisco examinatis suppositis, ut ocularriter ex lectura tam illius, quam inculpationis offensi, & depositionum Testium dignoscitur; & quemadmodum confessio debet esse invulnerabilis, & absque ullo prorsus errore, praesertim ad ultimum dictandum supplicium ex notissimis, ita procul dubio nec etiam posset Carceratus ad mortis poenam damnari vigore dictae confessionis, esto per erroneum suppositum semper impugnandum, praetensum crimen gladii poena expiandum foret; Nam ut egregie ait Tertullianus relatus a *Besold. practic. audactar. litt. P. §. 11. fol. 729.* Judices non debent esse contenti sola confessione, sed exigere verificationes tam in qualitate facti, & numero, quam loco & tempore, nec non in caeteris omnibus circircumstantiis, ea potissimum ratione, quod Reus qui in uno mentitur, in aliis nec etiam verum dixisse praesumendum erit, ex traditis per *Farin. qu. 81. num. 22.*

Quare &c.

T. Antamorus Pauperum Advoc.

Pro poena ordinaria est hoc alterum sequens D. Fisci Patroni responsum.

RESPONSUM II.

Romana, seu Ostien. Vulnerum cum qualitate proditionis, & Latrocinii.

Illustrissime, & Reverendissime Domine.

ANdreas Riviero Regnicola confessus, se pluribus percussionibus in capite vulnerasse Nicolaum de Sanctis cum qualitate proditionis, & Latrocinii animo eum occidendi, ultimo Supplicio puniendus venit, quamvis dictus Nicolaus quatuor vulneribus laethaliter affectus, tandem convaluerit, quin obstent deducta ad ejus defensam a D. Pauperum Advocato, prout ex munere nostri Officii demonstrabimus, ac ex infra dicendis a Sapientissimis Judicibus decidendum credimus.

Fassus enim fuit, quod cum praecedente die vidisset praefatum Nicolaum recepisse scuta septem circiter, eaque in Sudariolo alligasse, animus ei supervenerit, dictas pecunias rapiendi, quapropter se associavit cum dicto Nicolao, insimulque coenavit, & obdormivit, & die sequente iter Ostiam versus prosequentes, eum pervenissent ad quamdam solitariam Campaneam, ex abrupto dictum Nicolaum baculo in capite percussit animo ipsum occideo-

dendi, & derobandi; cum tamen idem Nicolaus humi projecto Sudariolo cum pecuniis, dimisso pileolo vulgo *Barrettino*, & subduploide, fugæ se dedisset, ipsum prorsus occidere non valuit, ut patet ex ejus ratificata confessione, quam integram damus *Summario num. unico*

Tria per Dominum Defensorem adducuntur ad evitandam pœnam ordinariam: Primum scilicet, quod deficiat qualitas proditionis, & Latrocinii; Secundum, quod attenta generali consuetudine, quatenus etiam ageretur de attentato delicto atrocissimo, & ad actum proximum redacto, nequeat pœna mortis puniri: Tertium tandem, quod huic poenæ locus non sit, quia juxta confessionem, a qua Judex recedere non valet, homicidium commiseratione motus complere noluit, quibus tamen non obstantibus locus est poenæ mortis, ut mox demonstrabimus.

Quo enim ad primum, quidquid sit de legibus illis veræ, & arctæ amicitiæ, unde vulgo dicitur, -- *Amicus est alter ego. -- Qui invenit, amicum, invenit thesaurum* --, prout ajunt Doctores exadverso allegati; Proditor in terminis, de quibus agitur, dicitur, qui sub specie, & colore amicitiæ occidit hominem, qui nullam habet causam præcavendi. *Decian. lib. 7. cap. 30. nu. 3. Clar. §. Homic. vers. Proditorie vero num. 10. Conciol. § Homic. resol. 5. num. 1.*, & communiter omnes.

Latrocinii etiam qualitas resultat ex ejus confessione, quod scilicet aggressus fuit Nicolaum ejus Socium animo ipsum occidendi, derobandi, ut Nos docet Dominus ipse exadverso scribens in §. 5., ibi -- *Dicuntur etiam improbissimi fures illi, qui in Strata publica furantur, sine tamen interfectione, & isti vocantur Grassatores; item quidam dicuntur plusquam improbissimi fures, qui cum interfectione furantur, & isti vocantur publici latrones.*

Quanto autem aucta fuerit improbitas Inquisiti in casu nostro, resultat ex qualitate proditionis, quæ excedit atrocitatem quorumcumque aliorum Criminum, & æquiparatur Crimini læsæ Majestatis. *Decian. lib. 7. cap. 30. num. 9., & cap. 31. per tot. Clar. §. final. quæst. 68. num. 33.*, ibi -- *Proditor punitur pæna Capitis, tamquam Reus læsæ Majestatis -- Bajar. vers. Proditor num. 105. ibidem*, ibi -- *Tripliciter dicitur quis Proditor. Primo, qui prodit Principem, vel Rempub. Secundo, qui prodit Socium, vel Amicum occidendo, vel vulnerando: Tertio &c.* -- Quapropter ambigendum non est de qualitatibus atrocissimi, de quibus supra, & idcirco quæstionis punctum residet, an Delinquens puniri debeat poena ordinaria, quando devenit ad actum proximum occidendi Socium, cum qualitate etiam latrocinii.

Quæstio hæc adeo dubia apud Doctores, non facile dissolvi valet ob contrarias hinc inde opiniones, quapropter *Farinacc. quæst. 124. num. 1.* dicit, quod in hac materia periculosum est firmare regulam, quia plura sunt Jura punientia affectum, non sequuto effectu, plura alia non punientia affectum, adeo ut *num. 2.*, contrarias a Doctoribus regulas firmatas fuisse testetur; & sane ipsemet *ibidem num. 11.* firmat regulam, quod quando fuit deventum ad actum proximum in atrocissimis locus sit poenæ ordinariæ, quam revocat *nu. 13.*, & latius *nu. 37.* cum pluribus Doctoribus, quorum tamen major pars non loquitur de atrocissimis, ac iterum sibi contrarius *num. 41.* redit ad primam regulam, quod scilicet tunc locus sit poenæ extraordinariæ, quando non fuit deventum ad actum proximum cum innumeris, quos ibi refert, & *num. 42.* concludit, ibi -- *Et ab ista Sententia, quæ ut vides, magis communiter recepta est, minime in judicando est recedendum* -- & rejicit opinionem *Petri de Sonceno*, qui indistincte puniendum esse conatum in atrocioribus, nulla habita distinctione, an fuerit deventum ad actum proximum, aut remotum,

Affirmativam regulam, quod scilicet puniri debeat conatus etiam morte non sequuta, docet *Text. Exodi cap. 21.*, ibi -- *Qui percusserit hominem volens occidere, morte moriatur* -- Hanc Sententiam divinæ legis sequutus fuit Agato in famigerata *Leg. 1. qui cum telo Cod. ad leg. Cornel. de Sicar.*, & quidem optima ratione, quia in delictis non exitus, sed voluntas inspicitur. *Leg. Divus Adrian.*, ibi -- *In maleficiis voluntas spectatur, non exitus -- ff. ad leg. Cornel. de Sicar. Leg. qui ea mente ff. de Furtis. Leg. Quisquis*, ibi -- *Eadem enim severitate voluntatem sceleris, quam effectum puniri Jura voluerunt -- Cod. ad leg. Jul. Majestat. Leg. Quod Reipub. ff. de Injur.*, quam conclusionem exornat *Tullius 2. Rethor.*, ibi -- *Non eventum cogitationis expectare oportere, sed qua cogitatione, & spe animus ad maleficium profectus sit, considerare, quo animo quid quisque faciat, non quo casu versatur, ad rem pertinere*, cum alijs, quos allegat *Farinac. qu. 87. num. 6*, qui subdit *num. 7.* quod in delictis attenditur animus, & voluntas, non autem exitus.

Quin obstet communis illa introducta consuetudo ex Platone, qui voluit, quod bonus ille Dæmon, qui profuit vulnerato, ut non periret, debeat aliquatenus prodesse etiam vulneranti, unde quam multi Doctores in terminis *legis 1., qui cum telo*, temperandum esse Juris rigorem consuluerunt, & quidem ab initio præfatæ poenæ *legis 1., qui cum telo*, quæ etiam actum remotum poenæ ordinariæ subjecit, asseruerunt, locum non esse, nisi deventum fuerit ad actum proximum, deinde etiamsi deventum fuerit ad actum proximum, pœnæ ordinariæ locum non esse, morte non sequuta, ac successive hanc Sententiam extendere conati sunt, non solum ad atrociora prout est homicidium, verum etiam ad atrocissima; hanc tamen consuetudinem improbat *Bart. in leg. 1. §. Divus Adrian. ff. ad leg. Cornel. de Sicar.*, & inquit, non esse per consuetudinem Italiæ abrogatum Jus commune, sed non servari, quia passim, & ubique Statuta aliter disponunt: cum ergo observentur poenæ a Statuto indictæ, & Statutum non comprehendat solum conatum, sequitur, poenas Juris communis hoc casu cessare, non quidem ex consuetudinis effectu, sed ex Statutorum dispositione; nec credendum esse Doctoribus, hanc consuetudinem in universa Italia extare affirmantibus, quasi in omni locorum foro versati sint. *Felin. cap. 1. num. 12. de Prodit. Alexan. in leg. Post dotem col. 2. ff. si certum petatur.*

Ex hisce variis Doctorum Sententiis diversimode variis in casibus judicatum fuisse testatur *Clar. §. fin. quæst. 92. num. 2.*, ubi quamplurimos Doctores allegat pro affirmativa, & refert casum cujusdam Nobilis, qui fuit laqueo suspensus, ex quo pluries conspiraverat, etiam veneno, in necem Agnati, licet illum occidere non potuisset, prout etiam cujusdam Forensis, qui de mandato alterius insultum fecerat in quemdam Papiensem, animo eum occidendi, pluresque alios casus refert *Papo* per ipsum allegat,

Re-

Referens deinde Doctores affirmantes, conatum, etiam in atrocissimis, non puniri pœna ordinaria, effectu non sequuto, distinguit: quando scilicet in delictis atrocissimis lex punit expresse solum conatum, eam servandam esse; quando autem non exprimit conatum, servandam esse consuetudinem, quamvis diversimode viderit judicari, quandoque pœna ordinaria, & quandoque extraordinaria punitum fuisse conatum in atrocissimis, unde Judicis arbitrio juxta facti circumstantias, & qualitates personales, ordinariam, vel extraordinariam pœnam imponi posse: & sane cessaret omnis quæstio juxta præfatam distinctionem, quia ex Juribus desuper allegatis expresse punitur conatus etiam non sequuto effectu, quibus non obstantibus irrepsit consuetudo, de qua loquuntur Doctores præfati, qui tamen non comprehenderunt atrocissimam qualitatem proditionis.

In terminis propterea proditionis *Peguer. dec.* 54. *num.* 11. alium casum refert cujusdam Petri Sous, qui proditorie ictu Archibusii vulneraverat quemdam Sygismundum, & ad Ecclesiam confugerat, fuit per Arbitros Curiæ Ecclesiasticæ, & Regiæ Audientiæ declaratum, non gaudere, & inde extractus morti fuit traditus: *& d. cis.* 62. pluribus rationibus firmat, proditorie vulnerantem, non solum pœna ordinaria puniendum esse, verum etiam Immunitate Ecclesiastica non gaudere, quod firmat etiam *Farinac. quæst.* 28. *num.* 25., licet contrarium communi Doctorum calculo, quoad Immunitatem in Praxi servetur.

Vulpel. cons. 145. Refert casum cujusdam Famuli, qui proprio Domino venenum propinavit, & ad mortem damnatus fuit, quia devenit ad actum proximum propinationis, licet mors sequuta non fuisset, unica illa ratione, quia concurrebat proditio, salus enim Dominorum committitur manibus Famulorum, qui Dominos ab aliorum insidiis custodire tenentur.

Cabal. de omni genere homic. num. 415. Post relatam communem opinionem, teneri scilicet pœna ordinaria eum, qui proditorie animo occidendi vulneraverit hominem, tametsi non occiderit, se refert ad ea, quæ subsequenter dixit respectu Assassinii, & veneficii, in quibus firmavit, pœnam ordinariam locum habere, quando deventum fuit ad actum proximum, prout de assassinio *num.* 501., *& seqq.*, & de veneficio *num.* 595., quibus in locis optime suam comprobat sententiam rationibus, & quamplurimis allegatis Doctoribus & idem tenet *Capye. dec.* 126. *nu.* 9. *Gabriel. Com. Conclus. lib.* 7. *conclus.* 1. *n.* 10., *&* 13. *Raynal. cap.* 24. *num.* 75., *& Muscatell.* ab eo alleg., ibi *Dummodo prædæ causa nec occiderint, nec nixi fuerint occidere* -- *Mattheus controver.* 43. *num.* 13. æquiparat vulnerantes ad effectum deprædandi, & occidentes ob eamdem causam, ibi -- *Quibus Juribus comprehenduntur etiam vulnerantes* -- *Carpzov. tom.* 1. *quæst.* 22. *num.* 77., ubi vulnerans lethaliter, sequuto furto, non modo punitur ultimo supplicio, verum etiam pœna rotæ; furto autem non sequuto, pœna mortis, non tamen qualificatæ *Gramat. decis.* 76., refert casum Inquisiti, qui fuerat monetas falsas, non facta adhuc impressione imaginis, quam Reus fassus fuerat, faciendam esse die sequenti, non obstantibus Juribus, & asserta consuetudine fuse per ipsum exornatis, attamen fuit ultimo supplicio condemnatus, quia fassus fuit animum imprimendi imaginem, prout in fine decisionis: ex quibus patet, *Raynal. & Muscatell.* quos reprobare conatur Dominus exadverso scribens:, communi Doctorum calculo, & quampluribus decisionibus approbatos fuisse.

Quod si in crimine latrocinii, vel falsæ monetæ, aut veneficii, quando deventum fuit ad actum proximum, pœna ordinaria locum sibi vindicat, eo magis dictæ pœnæ locus sit, non modo ex duplici qualitate atrocissima, sed præcise ex qualitate proditionis; Proditor enim adeo exosus est hominibus, ut cunctis horribilis appareat, omnes ab eo caveant, infamia notatur, quæ etiam transit ad Filios, qui propterea fiunt incapaces successionis tam ex Testamento, quam ab intestato, & plura notat *Decian. lib.* 7. *cap.* 30., *&* 31. *per tot.*, æquiparatur, ut diximus, crimini læsæ Majestatis, quapropter in dubium revocari nequit, quin teneatur pœna ordinaria, etiam effectu non sequuto, præsertim quando devenit ad actum proximum, scilicet ad vulnera. Ita clare disponit *Text. in dicta leg. Quisquis Cod. ad leg. Jul. Majest.*, ubi non solum in crimine læsæ Majestatis in primo capite; verum etiam in secundo, scilicet in eis, qui intersunt Consistorio Principis, & Senatoribus, conatum pœna ordinaria puniendum esse decernit, ibi -- *Cogitaverit, eadem enim severitate voluntatem sceleris, qua effectum puniri Jura voluerunt*, & ibi *Gloss. vers. Eadem enim*, ibi -- *hic ad actum proximum devenit, scilicet ad Sacramentum &c.*

Similem conatum respicit *Text. in cap. Pro humani de Homic. in* 6, ubi in crimine assassinii gravissimas imponit pœnas, etiam non sequuta morte ibi -- *quamquam mors ex hoc forsitan non sequatur.* Majori igitur ratione puniri debet vulnerans proditorie, animo occidendi, cum in Proditore major malitia, & iniquitas concurrat, occidens enim cum qualitate assassinii, occidit quidem incautum, seque movet ex lucro sibi promisso a Mandante; Proditor autem occidit non modo incautum, sed ipsum decipit sub colore amicitiæ, unde atrociorem continet qualitatem: in casu autem, de quo agimus, concurrit etiam eadem causa delinquendi, quia cum Sicarius occidat animo lucrandi præmium sibi promissum, Inquisitus motus fuit ex causa derobandi pecunias; unde in eo concurrit eadem atrocitas occidendi incautum animo lucrandi, & augetur ex qualitate proditionis, quæ omnes alias atrocitates excellit: ac idcirco etiam ex ista majoritate rationis vindicant sibi locum dispositiones divinæ, & humanæ, de quibus supra, contra vulnerantes animo occidendi, non obstante quacumque consuetudine introducta, quæ tamen a Doctoribus non extenditur ad crimen proditionis, cujus, loquentes de conatu in atrocissimis, nullatenus meminerunt, quinimmo *Farinac.*, qui sibi varios hinc inde Doctores allegat, cum agit de vulnerantibus proditorie, non modo in iis pœnam ordinariam locum habere, verum etiam nec Immunitate Ecclesiastica gaudere firmavit.

Hinc ubique contra Proditores leges clamant, adeout vulnerantes proditorie rejiciantur, & minime comprehendantur in Indultu generali *Franc. decis.* 716. *Mastril. de Indul. gener. par.* 2. *cap.* 29. *Angel. de delic. cap.* 66. *num.* 9. *Rovit. prag.* 2. *de abolit. num.* 55., *& seq. Gigas de Crim. læsæ Majest. lib.* 2. *rubric. de Prodit. quæst.* 6. *Rosa in pract. Decret. M. C. V. cap.* 6. *num.* 32.

Nec obstat, quod Inquisitus comprehendi nequeat in Bannimentis generalibus huius Gubernii, ex quo non resultet, stetisse intra districtum requisito

fito temporis spatio, quia dupliciter removetur objectum; primo nempe, quia omnes desuper congesta loquuntur in terminis Juris communis, adeout opus non sit recurrere ad dispositionem Bannimentalem; Secundo autem, quia ex ipsis Bannimentis disponitur, Forensem saltem teneri ad pœnas in ejus Patria injunctas, unde quatenus etiam non teneretur de Jure Communi, puniendus esset Jure Patriæ, scilicet Regni Neapolis, ubi, ut mox diximus, vulnerans proditorie pœna ordinaria tenetur, adeout excludatur etiam ab Indulto generali.

Denique descendimus ad tertium defensionis caput quod scilicet pœnitentia ductus, homicidium complere noluerit, ut asseruit in ejus confessione, commiseratione motus, juxta illam communem sententiam, quod in delictis pœnitentia excuset a pœna ordinaria, etiamsi deventum fuerit ad actum proximum, quin immo etiam in atrocissimis juxta Doctores exadverso allegatos §. 24. & seqq. hæc tamen conclusio locum non habet in casu, de quo agitur, tum quia non subsistit in facto asserta pœnitentia, tum etiam quia quatenus subsisteret, semper teneretur de vulnere proditorio inflicto animo occidendi, ideoque puniendus pœna mortis, quamvis non qualificatæ.

Evanescit asserta pœnitentia ex verbis ipsius confessionis,& ratificationis, quas integras annectimus in d.Sum n. unico,post enim verba illa exadverso relata ibi -- *Io allora mi fermai, perche veramente mi mossi a compassione di lui, mentre per altro avevo animo d' ammazzarlo, e lo averei ammazzato, ad effetto di non esser stato scoperto* -- subdit -- *mi presi ancora il di lui Corpetto, e Barretta, che lasciò nell' atto che si mise a fuggire, e percio non potei finire d' ammazzarlo, come per altro averei fatto, perche il medesimo fuggiva, e si era assai slontanato da me fol. 361.*

Clarius excluditur asserta pœnitentia ex ejusConfessionis ratificatione, ubi nulla facta mentione supponitæ commiserationis, subdit, ibi -- *Lasciandomi ancora in terra il suo Corpetto, e barretta di lana, che portava, si pose a fuggire correndo verso Ostia piano da fingere, che gli usciva dalle ferite di testa, che io gli aveva fatte, e fermatomi a raccogliere in terra il detto Fazzoletto, Corpetto, e Barretta, non potei sopragiungere più il detto Nicolò per ammazzarlo totalmente* -- & in fine concludit, *e questa e la verità, che adesso confermo, e ratifico fog. 366.*, & seq.

Ex hisce verbis apertissime resultat, Inquisitum, licet asseruerit, se commiseratione motum fuisse; non tamen ob hanc suppositam commiserationem revocasse animum occidendi præfatum Nicolaum, quia successive subdit, se ideo non perfecisse homicidium quia Nicolaus fugiens jam longe aberat, alias enim ipsum occidisset, ut notabilia demonstrant verba illa, -- *e perciò non potei finire d' ammazzarlo, come per altro averei fatto* --, veritas propterea ex ejusmet confessione in lucem prodit, quod scilicet dum Inquisitus sudariolum cum pecuniis humi projectum colligere voluit, miser Nicolaus opportunitatem sumens, fugæ se dedit; quapropter quamvis supponere velimus, Inquisitum aliquatenus miseratione motum, non tamen proinde homicidium non complevisse pœnitentia ductum dici valet,sed præcise quia Nicolaus capta opportunitate, celeriter fugæ se dedit, atrocissimum proditorium homicidium complere non valuisse, ibi -- *e perciò non potei finire d' ammazzarlo, come per altro averei fatto.*

Exclusa supposita pœnitentia ex confessione ipsius Inquisiti, ulterius quærendum non esset pro decidenda ejus morte, verumtamen quatenus etiam admitteretur asserta pœnitentia, (quæ utique non subsistit) attamen semper teneretur de delicto patrato scilicet de vulneribus læthalibus proditorie illatis, pro quibus tum ratione conatus, tum quoque ratione perfecti criminis tenetur pœna ordinaria ultimi supplicii.

Ratione conatus, quia cum agatur de crimine æquiparato, ut diximus, crimini læsæ Majestatis, pœnitentia, postquam deventum fuit ad actum proximum, Delinquenti non prodest, ut aperte disponit *Text. in d. leg. Quisquis*, & in crimine assassinii *Farinacc.* cum pluribus ab eo congestis *quæst. 116. num. 155.* ubi quod idem servatur in crimine læsæ Majestatis, etiam in secundo capite scilicet si agatur de Machinatione contra Consiliarios, & Senatores.

Ratione etiam ipsius delicti, nam proditorie vulnerans animo occidendi committit crimen suapte natura atrocius, & pæna Capitali dignum, juxta leges patrias Regni, ubi *ex Pragmatica* desuper relata, Forojudicatus pro vulnere proditorio excluditur, & non gaudet Indulto generali; quapropter etiamsi non teneretur pæna homicidii cum qualitate proditionis, & latrocinii, ex quo mors sequuta non fuit, attamen teneretur pæna ordinaria vulnerum cum qualitate proditionis, ut cum innumeris docet *Farinacc.* desuper allegata *quæst. 124. num. 33.* ibi -- *tunc enim, licet non posset imponi pæna principalis delicti non sequuti potest tamen imponi pæna delicti orti ex illo conatu, ex quo illata fuit offensio &c.*

Nec prodest Inquisito resolutio hujusmet Tribunalis exadverso deducta in causa Marci Antonii Josi sub die 24. Aprilis 1732., qui confessus de vulneribus læthalibus cum iisdem qualitatibus proditionis, & Latrocinii, fuit damnatus ad triremes perpetuas; nam præter quam quod decisio illa emanavit in paritate Votorum, unde allegari non valet pro decisione alterius casus; plura ibi concurrebant, quæ in dubium revocata fuerant a Suffragantibus pro pæna triremium; fuit enim hæsitatum circa minoritatem, quia ex descriptione Inquisiti apparebat annorum 15. aut 16. nec de identitate Personæ nominatæ *Marci, vel Marci Antonii* in eius Baptismate plene resultabat ex unico Teste, & aliquibus conjecturis. Confessio etiam verificata non fuerat circa qualitatem proditionis, nisi ex dicto ipsius vulnerati, ac ideo cum confessio emanasset vi tormentorum, licet ratificata, non satis verificata fuerat quoad qualitatem proditionis juxta dispositionem Legis 1. §. *Divus Severus ff. de quæstion.*, ubi confessiones Reorum pro exploratis facinoribus non habentur, si nulla probatio religionem cognoscentis instruat; unde cum qualitas proditionis non verificaretur, nisi ex dicto vulnerati, qui de per se, tamquam Pars offensa nullam facit probationem. *Specul. in tit. de Test. §. 1. num 89. Nell. de Testib. num. 20. Mascard. de probat. lib. 1. conclus. 26.n.1.* qualitatem illam atrocissimam non satis probatam Suffragantes prædicti crediderunt, præsertim quia tam ex dicto vulnerati, quam ex confessione vulnerantis nullum signum, seu color amicitiæ præcessisset, præter simplicem accidentalem, & momenta-

neam associationém prope locum delicti, hæsitatum proinde fuit, an concurreres vera, & arcta proditio, de qua nulla adest hæsitatio in casu nostro; quapropter causa redacta fuit ad solam qualitatem latrocinii, ut relevavimus ex quodam Voto alterius ex suffragantibus, & proinde non applicabilis casui nostro, in quo qualitas proditionis absorbet qualitatem latrocinii.

Concludendum propterea iuxta sensum *Carpzov.*, & aliorum, quod morte nonsequuta locus sit alicui minorationi pænæ, scilicet, ut reus non puniatur morte qualificata, quæ iniungitur pro homicidio cum qualitate proditionis, nempe percussionis cum malleo, jugulationis, & scissionis in frusta, sed simplici pæna furcarum, agitur enim de crimine pessimi exempli, quodque frequenter accidit, & dum hæc scribebam simile delictum patratum fuit in quodam Armeno, ac propterea procedi debet iuxta Juris rigorem, ut docent *Salycet. in leg. 1. col. 2. Cod. de fals. monet. Capyc. dec. 126. num. 9. Gramat. decis. 74. num. 1., & 29.*

Quare &c.

Jo. Philippus Toppi Fisci, & Rev. Cam. Apost. Procurator Gener.

Non obstantibus docte in hac Causa deductis per D. Fisci Patronum, fuit Inquisitus citra mortem ad pænam triremium perpetuarū damnatus per Tribunal Gubernii Urbis mense Aprilis 1750.

AD OBSERVAT. XXII.

SECTIO VIII.

SUMMARIUM.

1. *Discurritur de* Causa formali, *quæ in lege consistit.*
2. *Inter Jurium species primo est* Jus naturale.
3. *Iuris naturalis, & positivi discrimen.*
4. *In quibus Jus naturale consistit.*
   Sequitur Jus Gentium, *& unde ita dictum?*
5. *Quare de Jure divino tanquam digniori prius actum non est?*
6. *Jus divinum quomodo intelligatur large, & proprie.*
7. *Præcepta moralia veteris testamenti an hodie serventur? quid in Judicialibus, & ceremonialibus.*
8. *Jus civile dicitur Jus Romanorum, vel Jus Quiritum.*
9. *Obligationes ex delicto descendunt Iure Gentium, sed pæna ex Iure Civili.*

10.) 11.) 12.) *Plura de antiquis legibus civilibus memorantur remissive.*

13. *De Jure Canonico aliqua notantur.*
14. *De statutis particularibus, aliisque Constitutionibus.*
15. *Alia adnectuntur summatim quæ respiciunt* alias duas delictorum causas efficientem, & finalem, cum num. 16., & seqq.

1 PRolixius explicata in superioribus sectionibus *materiali delictorum causa* superest ut

aliqua breviter dicamus *de tribus aliis causis delictum efformantibus*; Quo ad *causam formalem* dictum est supra, quod lex ipsa format delictum, etenim leges ad id inventæ sunt, ut æquum ab iniquo, licitum ab illicito separetur, Hinc actus nulla lege vetitus, crimen non efformat, multoque minus animadversione aliqua coercendus videtur, imo permissus undique est, *leg. ab ea parte, leg. in exceptionibus ff. de probat. leg. qui accusare ff. de accus.*

2 Inter Jurium, seu legum species, primo se offert *Ius naturale*, quod commune omnibus est Animantibus, etenim natura ipsa omnia Animalia docet, *leg. 1. §. Ius naturale ff. de Instit., & Iur., §. 1. Instit. eod. titul.* Cicero pro Milon. — *Est enim hæc Iudices non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus:* quod Jus naturale nil aliud est, quam *illius vis quædam, quam habet per naturam sibi inditam ad discernendum inter operationes sibi convenientes, & disconvenientes*, quæ si in genere, & thesi consideretur, *lex naturalis*; si in particulari, & hypotesi *conscientia hominis* dicitur.; Et hoc jus in effectu a Jure divino Decalogi non differt, sed cum illo coincidit, quod scite Divus *Paulus in epistol. ad Roman. cap. 2. versic. 14.* ostendit his verbis — *Cum enim Gentes, quæ legem non habent* (puta Decalogi) *naturaliter ea, quæ legis sunt faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddent illis conscientia ipsorum, & inter se invicem cogitationibus accusantibus, aut etiam defendentibus.*

3 Hinc apposite Ludovic. *Molin. tom. primo de Iustit., & Iur. disp. 3. num. 2.*, discrimen inter Jus naturale, & positivum facit, quod *obligatio Iuris naturalis oritur a natura obiecti, & se se diffundat in præceptum*, & contra *obligatio Iuris civilis oritur a præcepto, & se se diffundit in obiectum*, ideoque ea, quæ Juris naturæ sunt, quædam prohibita sunt, quia mala sunt, non vero mala quia prohibita, & in bonis quædam præcepta, quia talia sunt, non vero talia quia præcepta sunt; sicut e contra in Iure positivo sunt quædam mala, quia prohibita, & bona quia præcepta.

4 Quoniam vero Jus naturale in tribus potissimum residet *In maris, & feminæ conjunctione, In liberorum procreatione, & educatione, nec non In mali propulsatione ad propriam tuendam Vitam*, multis modis propterea adversus hæc tria delinqui potest, sed quia materia hæc valde prolixa est, & pluribus sectionibus nec minus absolvi posset, ideo brevitatis causa eam omittimus, alibi Deo dante plenius examinandam. Post Jus naturale, *Jus Gentium* proxime succedit, descriptum ab Ulpiano in *leg. 1. §. Ius gentium ff. de Instit., & Iur.* his verbis. *Est Jus quo Gentes humanæ utuntur* ad differentiam Juris naturalis omnibus Animalibus communis, hoc tantum solis Hominibus, quod naturali ratione præcipue innitur, quæ in æquitate, & bonitate consistit; etenim ratione naturali, & æquitate carens, vel eam non audiens inter Bruta numerandus est, ut inquit *Gloss. in auth. demon. in princ. verbo dicentem* hinc ratione naturali, & æquitate uti debemus in materia criminum ad interpetrationem legum, & statutorum, ideo dixit Tex. *in cap. præsentium 1. qu. 5.*, quod naturalis ratio, & æquitas temperare

debet rigorem canonum ad excusandum delinquentes, quapropter de Jure omnium Gentium inter præcipua dogmata hoc connumeratur; *Quod tibi non vis alteri ne facias*, quod maximam æquitatem habere ait Dominius Ulpianus *in l. 1. ff. quod quisq. Iur.*

5 Sequitur *Jus Divinum*, nec quis miretur, quod de eo tanquam dignori prius loquutus non sim, & tanquam eo, quod præcessit omnes alias legum species; etenim nunc hic summatim agitur, de his Jurium speciebus, quæ scriptas habent leges, vel in intimis præcordiis, ut *Jus naturale*, & *gentium*, vel in tabulis ipsis *ut Leges divinæ datæ Moysi*, & ideo Jus Gentium leges Moysi præcessisse dixit Glossator *in l. ex hoc Jure ff. de Instit. & Jur. verbo Dominia distincta*; certum namque est, quod ante Moysen ex Jure Gentium, fuerint & delicta, & pœnæ, & dominia rerum distincta, & Judicia ordinata, ita enim inquit, Hermogenianus libro primo Jur. epitom -- *Ex hoc jure Gentium introducta sunt bella, discretæ Gentes, Regna condita, agris termini, obligationes &c.*, nec non alia, quæ recensentur a Text. *in l. 5. ff. de Justit. & Jur.* Idem certum est ex Jure Gentium Religionem erga Deum, & obedientiam Parentibus, & Patriæ descendisse, teste *Pomponio libro singul. enchir.* ibi -- *Jus Gentium est, quo Gentes humanæ utuntur, veluti erga Deum Religio, ut Parentibus, & Patriæ pareamus l. 2. ff. de Justit. & Jur.* idcirco Varro, teste D. Augustino, prius de humano Jure scripsit, quam de Divino, quod scilicet divinum Jus, & ab ipsis hominibus scriptum fuit afflante Divino spiritu.

6 Jus Divinum, quamvis Juris publici partem esse dixerit Ulpian. *in l. 1. §. hujus studii ff. de Justit. & Jur.*; nihilominus intelligi hoc potest, si large sumatur, ea ratione, quod lex civilis dicitur divinitas per ora Principum promulgata, cap. *Imperatores 11. q. 3. cap. quo Jure distinct. 8. cap. nemo 16. q. 3. l. 1. versic. manibus in Cælum erectis C. de veter. Jur. enucl.*, *Leg. final. versic. divino quodam motu, C. de præscript. long. tempor.*, & *§. quia igitur auth. de Instrum. cauth. & fid.*, proprie tamen Jus Divinum dicitur, quod ab ore Dei primum processit, idest lex Moysi data, & per Prophetas promulgata, *cap. in nona 16. qu. 7.*, & *in cap. cum causam de elect.*; *S. Thom. p. 2. quæst 78. artic. 2.*, sic & Evangelium a Redemptore nostro prolatum dicitur Jus Divinum, *cap. Jure dist. 8.*, *cap. non debet, de consang. & affin.*, & denique omnea Scripturæ Sacræ, quæ in veteri, & novo Testamento continentur, Jus Divinum recte nuncupantur, ut notant omnes *in cap. genus humanum distinct. 1.* & *Glossa in clem. quia de summ. Trinit. & fid. cathol. versic. nulla Juris sanctio.*

7 Plura de præceptis moralibus contentis in veteri testamento, nunc etiam in viridi observantia existentibus, ad rationis naturalis dictamen relatis, ut homo primum ad Deum, inde ad communem Societatem dirigeretur, tradit *D. Thom. p. 2. qu. 99. artic. 3.*, & de his loquutus est Salvator noster, dum inquit Matthei cap. 5. -- *Non veni solvere legem sed adimplere*; Judicialia vero, & ceremonialia consummata sunt in Christo Salvatore, in quem tendebant, ideo hodie non ligant, *cap. translato ubi omnes de constit.*, multa enim hodie conceduntur, quæ legibus illis erant prohibita; & hodie multa prohibita, quæ secundum illas Leges erant concessa, *cap. non debet, de consanguin. & affin.*, *cap. ab exordio distinct. 25. cap. his 33. qu. 4.*, dummodo tamen quid morale annexum non habeant, nam quo ad id non censentur sublata, *cap. final. §. his itaque distinct. 6.*, *Henric. Boich. in cap. 1. de constit. num. 3. & seqq.*, vel nisi hodie confirmata, & renovata essent per Summos Pontifices, *D. Thom. p. 2. q. 104. artic. 3.*

8 Post *Jus Divinum*, sequitur *Jus Civile*, quod non intelligimus Jus cujuscumque Civitatis quod quisque Populus sibi constituit, sed Jus commune Romanorum, juxta *Textum in §. quoties, Instit. de Jur. natural. Gent. & Civil.*, vel Ius Quiritum quo Quirites utuntur; Romam enim a Romulo, Quirites a Quirino appellantur, ut *Trebonianus* inquit *in §. sed Jus Instit. eod. titul.*, de quo late, & docte multa differit *Georgius Frantzk. in d. §. sed Jus num. 28. & seqq.* ubi quod Iuris civilis maxima pars originem trahit ex Legibus 12. tabularum, quas solas reliquorum Philosophorum Bibliothecis omnibus anteponere non veretur *Cicer. lib. 1. de Orat.*

9 Quamvis obligationes ex delicto prodeuntes non jure civili generaliter descendant, sed jure gentium & naturali, ex *l. 1. ff. de furt.*, & *§. 1. Instit. de oblig. quæ ex delict. nascunt.* Bartol. *in l. ex hoc jure num. 15. & ibi Iason num. 75. ff. de Iustit. & Iur.*, licet pœnæ jure civili descendant, cum Iure gentium nulla pœna reperiatur imposita, *Bald. & Salic. in dicta l. ex hoc Iure*, prout etiam obligationes provenientes ex quasi delicto; sunt tamen nihilominus quædam delicta a Iure civili inventa, quæ alias Iure gentium delicta non essent, ut in *l. probrum ff. de verbor. signif.*, & perbelle docet *Tullius in Verrem. 3.* exempla ponens.

10 Plura de Legibus *Draconis*, & *Solonis*; a quibus tanquam fontibus *Leges 12.* tabularum emanarunt, tradit Pomponius *in l. 2. §. exactis deinde ff. de orig. Iur* necnon Aulius *Gellius noctium Atticar. libro 11. cap. 17.* ubi quod Draco acerbior, & asperrimus fuit in poenis indicendis; *Aristotil. Polit. 2. cap. 9.*, *Alexand. ab Alexand. genial. dier. lib. 6. cap. 10. Plutarc. in Solon & Demosthen. in orat. contra Aristocrat.* & *de 85.* Legibus Solonis crimina coercentibus videbis *Pandulph. in suo libello de veter. Iurisprudentia.*

11 Insuper de antiquis Legibus Regum *Romanorum*, criminum punitionem respicientibus, *ex Romulo Leges 13.* enumerant Francisc. *Balduin. in suo libell. de legibus Romul.*, & *Pandulphus Prætejus, de veteri Iurisprud.*, ac aliam addit *Halicarnassæus libro 2.*, & duas Legea poenales *Numæ Pompilii* recenset Aulius *Gelsius Noctium Atticar. libro 4. cap. 3.*, & de aliis Legibus *Tullii Hostilii*, testis est *Halicarnass. libro 3.*, prout de *Legibus 12. tabularum* criminum materiam respicientibus, late tractant *Balduin*, & *Pratæjus loc. citat.*

12 De *Plebiscitis*, ad criminum ultionem pertinentibus, nonnulla tradunt *Tullius libro 2. de offic.*, *in Bruto* & *5. in Verrem*, *Valer. Maxim. libro 6. cap.*, *Alexand. ab Alexandr. Genial. dier. libro 1. cap. 9.* & *libro 4. cap. 1.*: de Senatis consultis criminalibus idem *Gellius libro 15. cap. 11.* & *libro 20. cap. 22.*: de Prætorum *edictis*, Principum *rescriptis*, & *orationibus*, *de respons. Prudent.*, & aliis antiquis Romanorum Juribus, videbis *Pratæjum*, & *Balduin. loc. citat.*: & plura de origine, & progressu Juris civilis, non minus docte, quam eleganter tradit, *Heinec. de antiq. Roman. Jurisprud. secund. ordin. Instit. in proæm. per totum tom. 1.* nec non *lib. 1. titul. 2. de Jur. Natur.* Gen-

Gentium & Civil, , ubi quomodo fiebant leges, scribebantur , communicabantur , promulgabantur , & & recitabantur .

13 Post Jus Civile supervenit *Jus Canonicum* a *Canone* verbo græco dictum, quod latine sonat idem ac regula , & illud dicitur , quod a Conciliis generalibus , vel Pontificum constitutionibus est compilatum , *ut habetur in cap. canonum statuta de constit.*, *ubi omnes Canonistæ* , *& in cap. si quis dogmata 15. quæst. 2.* , plura antem de Iuris Canonici prænotione, per integrum tractatum mirifice explicat *Joannes Doviat in prænot. Canonic.*, ubi etiam *de Conciliis , de decretalib. , decret. , Clementin. extravagant & de method. discend. & docend. Iur. Canon.* , & de differentiis inter Ius canonicum , & civile circa delictorum pœnas , prout etiam de pluribus speciebus delictorum repertis in Iure canonico non in Iure Civili, plura invenies apud DD. quos hic brevitatis causa omittimus. *Strein. in differ. utriusq Iur.*

14 Tandem consistit *Formalis delictorum causa* , ultra Iura superius expressa , *in statutis Municipalibus cujuscumque Civitatis , vel Regni* , nec non *in Constitutionibus , & legibus Municipalibus , edictis , & Bannimentis* editis ab habentibus potestatem condendæ legis , juxta Textum *in leg. 1. ff. quod quisq. Jur.* , & de statutis , quæ non valent , neque ligant , nonnulla notabilia habebis apud Doctores , prout de statutorum interpetratione tractatum edidit *Alderanus Mascardus* ; de legum , seu statutorum extensione , vel restrictione , latissime *Villagut. in tractat. de leg. extens. , & ampliat.* , & de gradibus extentionis legum , *Navar. in cap. pœnæ de pœnit. distinct. 1.*

15 Quo *ad causam delictorum efficientem* , diximus quod est homo : Hinc in Brutis non cadit crimen , quia in illis nec culpa datur : *Et licet in Genesi capit. 9. versic. 5.* , jusserit Deus Optimus Maximus vindicari etiam in Brutis sanguinem hominis , *& in Exod. cap. 21. versic. 27. , & seqq* , necari jubet Bovem cornupetam hominem occidentem , *& in Levitic. cap. 5. versic. 15. & 16.* occidi pecudem , quæ cum homine monstruosa Venere commixta fuerit ; & idem in multis locis servari testatur *Guid. Papa decis. 238. , ubi Addent.* , nihilhominus , ut bene advertit *Cornelius a lapide in Exod. d. cap. 21. versic. 28.* , id contingere non ob Bovis culpam , hæc enim esse non potest in Bruto ; sed ad terrorem , & exemplum hominum , ut hi magis ab homicidio exterreantur , & testatur suis temporibus , elapso scilicet sæculo , Porcos aliisque Bestias , Pueros , hominesve occidentes , suspendi , aut necari .

16 Igitur quia Homines delicta admittunt , distinguntur propterea *in Laicos , Clericos seu Præsbyteros Seculares , & Regulares*; enim vero , licet nonnulla crimina promiscue ab omnibus admitti possint , adsunt tamen nonnulla , quæ specialiter tantum ab Ecclesiasticis patrantur vel *ratione Ordinum* , vel *ratione divinorum officiorum* , vel ratione *Ecclesiasticorum Beneficiorum* , vel ratione *inhonestitatis Vitæ*; & quo ad Regulares alia sunt crimina specialia , quæ solummodo *ab ipsis Regularibus* admittuntur, non ab aliis nec Secularibus , nec Clericis , quæ late a *Claris. Author. in libro de delict.* recensentur , de quibus omnibus hic sigillatim discurrere nimis longum est ; præsertim quia hæ additiones seu observationes tam prolixiorem discussionem minime admittunt , alias esset conficere tractatum amplissimum tum Secularia , tum Ecclesiastica , & Regularia crimina continentem .

17 Adnotatione tamen dignum videtur , quod etsi *hominis appellatione* tam Masculus , quam fæmina continetur juxta sententiam *Caij in l. hominis 152.* , nec non Ulpiani *in l. Pronunciatio 195. ff. de verbor. signif.*, attamen hoc in favorabilibus locum sibi obtinet , secus in pœnalibus , & odiosis , in quibus Mulieres non comprehenduntur , nisi de illis expressa , & individualis mentio facta fuerit in constitutionibus aliisque statutis, & Bannimentis, prout *de anno* 1736. resolutum fuit *de mandato S. M. Clementis XII.* in causa Isabellæ Vannetti ; etenim declaratum fuit non esse in *Constitut. Clement. Incip. In supremo Justitiæ solio* comprehensam , taliter ut postmodum declaratio promulgata fuerit pro comprehensione Mulierum in prælaudata constitutione ; & ita etiam *de anno* 1745. resolutum fuit a Sacra Consulta , mordicus contradicente Fisco , in personam *Rosæ Mariæ Bernardini* , quæ prætendebatur furti familiaris Rea ac punienda ad tramites Bannimentorum Sacræ Consultæ , cum in illis individualis Mulierum mentio facta non sit ; taliter ut hodiernis temporibus de veritate dictæ distinctionis hæsitandum non est , signanter in Ecclesiastica ditione .

18 Hanc distinctionem probant , & mirifice explicant *Bartol. in l. verbum , hoc si quis ff. de verbor. signif.* , *Bald. in leg. quicumque C. de serv. fugi.* ; *Alexand. consil. 52. num. 7. & seq. lib. 4.* , *Decian. tractat. crimin. tom. 2. lib. 7. cap. 41. num 12. , & seqq. Caball. resol. crimin. 276. nu. 5. & seqq.* , *Farin. quæst. 103. num. 63. , & seqq & quæst 113. num. 173. & seqq* , *Brunor. a Sole quæst. l gal. 27. num. 43. Calvin. de æquit. cap. 14. part. 1.* , & decisum refert *Sabelli in summa §. receptatio nu. 5. & in §. statutum pænale nu. 17. versic.* Nec in receptante , *ubi allegat. Concil.*

19 Tandem quoad *causam delictorum finalem* , ea tam potissima est , ut fundamentum criminis dicatur , taliter ut ea cessante , cessent etiam indicia , & præsumptiones delicti , enim vero Nemo absque causa delinquere præsumitur , & se bonaque sua confiscationis periculo exponere : Hinc *Aristotiles lib. 2. Rethor.* inquit -- *Alius locus est a causa , ut si causa extiterit , factum esse dicatur , si non extiterit , non esse factum , nam simul est causa cum eo, cujus est causa , & sine causa nihil est .* Cicero pro *Roscio Amerin. , & in orat. pro M. Cælio* , & habetur in sacris literis *Job. cap. 5. versic. 5* -- *Nihil in Terris sine causa fit* ; Unde *Virgil. lib. 1. Æneid.* canit .

Musa mihi causas memora , quo nomine læso ,
Quidve dolens Regina Deûm, tot volvere casus &c.

Merito Jurisconditores tanti solent facere causam, ut eam ante omnia considerent , & interdum ipsi facto præponant , *ut in l. verum ff. de furtis , in l. in fundo ff. de rei vindicat. in leg. final. ff. de action. & oblig. , & in cap. origo 32. qu. 4.*

20 Causa hæc , ut præsumptio oriatur delicti , levis esse non debet , sed magna , & proportionata , & corrispondens gravitati delicti, de quo agitur ; siquidem quidquid sit in delictis commissis ex impetu , in deliberate admissis, causa debet esse ratiocinativa, nempe gravis , verisimilis , & crimini proportionata , necnon in specie probata , prout has causas docte explicat Marcus *Anton. Blanc. in tractat. de indic. num 255. & seqq.* , ubi unicuique causæ Jura accommodat : & latius *Francisc. Cason. in tract. de indic. tractat. 2. cap. 1. 2. & seqq.* ; subdit tamen *in cap. 3. num. 9.* , quod causæ debent esse graviores ,

quo-

quoties quæritur quis deliquerit; nam quando de Reo constat, & quæritur propositum, quælibet levis causa sufficit; discriminis rationem tradit, nam quando constat quis fecerit, lex de eo præsumit omne malum propter sequutum effectum; secus, quando quæritur quis fecerit, quia tunc lex non præsumit omne malum, imo non præsumit pro levi causa delinquere, & *cap.* 5. explicat, quando causæ non sufficiant, nisi cum vitio Personæ jungantur; & hæc satis, quo ad expressas *quatuor delictorum causas*, majora attende ex nostra *Jurisprudentia criminali*.

Ad Titul. XVI. Num. 77.

OBSERVAT. XXIII.

DE REO CONVICTO.

SUMMARIUM.

1 *De Jure Canonico & Civili Reus convincitur pro pœnas ordinaria etiam per Testes.*
Consuetudo introducta non damnandi Reum ad capitale supplicium, nisi fuerit confessus.
Constitutio S. M. Clementis XII. in cap. In supremo Justitiæ Solio *revocat convictum ad primævum.*
Juris dispositionem, abrogata qualibet consuetudine.
2 *Recensentur Jure Civilia, quæ de convicto loquuntur.*
3 *Quibus modis in Jure, quis dicitur Convictus.*
4 *Disseritur an ex indiciis indubitatis practicari possit pœna Criminis ordinaria.*
Prima sententia est negativa.
5 *Secunda opinio est affirmativa.*
6 *Constitutio prædicta Clement.* XII. *intelligenda est de convicto per Testes, & passim hanc interpretationem in Tribunalibus obtinuit.*

1 QUamvis de Jure communi tum canonico, tum civili definitum esset, Reum convinci ad subeundam ordinariam Criminis poenam non tantum per ejus invulnerabilem judicialem admissi sceleris confessionem, verum etiam per duos testes idoneos contestes, & omni exceptione majores, (cum declarationibus tamen infra recensendis), & eo non suffragante, Praxis, & consuetudo invaluisset ante annum nostræ Redemptionis 1735. in aliquibus Urbis, & Pontificiæ ditionis Tribunalibus, non deveniendi ad capitale supplicium nisi in confessos, suffulta fortasse aliorum Nationum non scriptis Juribus, quempiam capitaliter non damnandi, nisi confessum, juxta tradita per *Damahouder. in praxi civil. cap.* 334. *num.* 17., & *praxi crimin. cap.* 149. *num.* 5. *Diodor. Tulden.* in Commentar. in Codic. *libro* 7. *titul.* 65. *num.*2. & *Molder. libro* 4. *Semestr. cap.* 33., vel ob difficultatem reperiendi testes habiles, & omni exceptione majores ad convincendum, ut audivisse testatur *Auctor. noster in.t.*16.*n.* 77., nihilhominus S. M. *Clemens XII.* ad observantiam revocando primævum Jus scriptum quo ad Convictos juxta Juris Canonici, & Civilis dispositionem, de anno 1735., ita *in Constit. incip. In supremo Justitiæ solio §. præterea*, cubitalibus verbis præscripsit -- *Neve prætextu erroneæ, & nunquam approbatæ Consuetudinis, sive interpretationis quispiam decipiatur, ad omnium, & singulorum memoriam serio revocamus, prædicta pœna ordinaria teneri nedum ore proprio homicidium confessos, sed etiam, qui de commisso homicidio juxta Juris Canonici, ac Civilis dispositionem, quam in cæteris, quibuscumque delictis, sartam, tectamque fore volumus, convicti fuerint, quibusvis prætensis, usu & Stylo, rebusque judicatis in contrarium minime attentis.*

2 Quoniam vero *Constitutio prædicta* Convictum revocando ad Iuris tramites, ultra non progreditur ad formam præscribendam Convicti, opere pretium est, illum ad sensum Juris *civilis*, & *canonici* examini subiicere, ad dignoscendum, quibus in terminis, & quibus concurrentibus, quis dici possit, & pro tali haberi, ad ordinariam subeundam criminis animadversionem. De Jure Civili Imperator *Constantinus ad Catulinum Africæ* scribens; his verbis Convictum descripsit ad capitalem dictandam ultionem -- *Qui sententiam laturus est, temperamentum hoc teneat, at non prius capitalem in quempiam promat, severamque sententiam, nisi aut sua confessione, aut certe omnium qui tormentis, vel interrogationibus fuerint deditis in unum conspirantes, concordantesque rei finem, convinctus sit, & sic in objecto flagitio deprehensus, ut vix etiam ipse, ea quæ commiserit negare sufficiat.* Textus est *in l.*16. *C. de pœnis*; Insuper Idem Imperator ad effectum denegandi appellationem, *Convictum*, ad Catulium Proconsulem, ita descripsit -- *Observare curabis, ne quis homicidarum, veneficorum, Maleficorum, Adulterorum, itemque eorum, qui manifestam violentiam commiserunt*, ARGUMENTIS CONVICTUS, *testibus superatus, voce etiam propria, vitium, scelusque confessus, audiatur appellans*; *l.*2. *C. quor. appellat. non recipiant*; nec non *Impp. Grat., Valent.*, & *Theodos.*, Floro Præfecto Prætorii ita rescripserunt -- *sciant cuncti Accusatores, eam se rem deferre in publicam notionem debere, quæ munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis, etiam luce clarioribus expedita, leg. sciant cunct.* 25. *Cod. de probat.*, canonizata in *cap. sciant cunct.* 2. *quæst.* 8.

3 Sed ad pleniorem cognitionem prædictorum Textuum notandum est, quod nonnulli *triplici modo* censent, quem posse fieri convictum, *nempe per testes, per Indicia urgentissima, & indubitata, & per Instrumenta*, ut præcitatæ *leg. sciant cuncti* 25., & sunt *Bald.*, & *Salicet. in d. leg.* 25. quos sequitur *Auctor. titul.* II. §. 3. num. 14. Glossa tamen *in cap. Nos in quemquam* 2. *qu.* 1. verbo convinctum, *quatuor modis*, quem convinci tradit, nempe *testibus, instrumentis, facti evidentia*, & *Iuris interpetratione*. Hinc cum prælaudata Constitutio minime restrictive loquuta sit quo ad *convictos per testes*, sed verbis generalibus præscripserit -- *qui juxta Iuris canonici, ac civilis dispositionem convicti fuerint*; minime restrictionem habere prima facie videtur, ad eos, qui tantum *per testes convincantur* sed etiam ad alias *tres convicti* superius expressas species *per Indicia*, & *Instrumenta*, & *Juris interpretationem*, etenim ubi lex seu Constitutio generaliter loquitur generaliter intelligenda est, *leg. non distinguemus ff. de recep. arbit. leg. Præses ff. de offic. Præsid.*, *leg.* 1. §. *generaliter ubi glossa verbo infinitum ff. de legat. præstand.*

4 Quia enim responderi posset, quod quemadmodum

dum de Jure ex indiciis quantumvis violentissimis, & indubitatis nullo pacto practicari posset ordinaria criminis pæna, signanter capitalis, ita constitutio prædicta intelligi debet in terminis habilibus, nempe de convictis per testes, & non per indicia; operæ pretium est, ut disseramus, an præfati argumenti antecedens in Jure firmitatem habeat. *Prima Sententia est*, ex indiciis quantumvis indubitatis, & urgentissimis, Neminem posse dici convictum, ut pœnæ capitali subiici possit, hanc tuentur *Anton. Gomez. de delict. cap. 12. num. 25. Fachin libro primo controvers. cap. 29. Vinian. in rationab. Iuris Pontificis in cap. 14. de præsumpt.*, *& alii*; eam probant ex variis Juris Textibus primo *ex cap. nos 2. q. 1.* ubi Augustinus inquit — *Nos in quenquam sententiam ferre non possumus, nisi aut convictum, aut sponte confessum*; Secundo ex cap. literas 14. de præsumpt. ibi: *Propter solam suspicionem, quamvis vehementem, nolumus illum tam gravi crimine condemnare*; Tertio exemplo Salomonis relatum *in c. afferte 2. de præsumpt.* Quarto vi Legis absentem 5. ff. de pœnis — ibi — *Sed nec de suspicionibus debere aliquem damnari Divus Trajanus Assiduo Severo rescripsit satiusque esse impunitum relinqui facinus Nocentis, quam Innocentem damnare*; Quinto ex dispositione *l. 16. C. de pænis*, ubi ad pænalem sententiam non aliter deveniatur, nisi Reus fuerit confessus, vel probationibus clarissimis convictus; *Sexto* vi alterius *l. sciant cuncti C. de probat.* Et 7. ratione, etenim in dubiis, prout sunt indicia, proniores Judices esse debent ad absolvendum, quam ad condemnandum, ex *leg. Arianus ff. de action. & oblig. & in l. ambiguis 2. ff. de regul. Iur.*, nec non alias rationes addit. Ludovic. *Engel. in colleg. univers. Iuris canonic. libro 2. titul. 23 de præsumpt. num. 4.* ubi contrariis objectis satisfacit perbelle *Diodor. Tuldin. in Comment. Codic. libro 4. titul. 19. post. num. 21. versic. Novissime fol. 167.*

5 *Secunda sententia* priori directe opposita vult, ex indiciis, & præsumptionibus violentis, & quæ moralem certitudinem inducunt, condemnari aliquem posse ad pœnam ordinariam, hanc latissime tuetur *Anton. Matthæus de criminib. libro 48. ff. titul. 15. cap. 6. per tot.*, ubi plura Iura adducit, & contrariis respondet; hanc etiam in terminis illorum indiciorum, seu præsumptionum vehementissimarum, quæ certa, & indubitata sunt, amplectuntur signanter in criminibus occultis, & quæ sunt difficilis probationis *Schmier. in Process. Judic. cap. 12. nu. 41., & seq.*, *& Francisc. Schmalzgrueber. in Iur. Eccles. univers. part. 2. titul. 23. nu. 20.*, ubi ultra innumeros DD. quos recenset, ultra Iura adducta *num.* 16. alia Jura canonica adducit, & contrariis argumentis occurrit, hanc demum tradens rationem — *Ratio est, quia hujusmodi præsumptiones, non minus quam testes constituunt plenam criminis probationem, cum moralem ejusdem certitudinem pariant, quæ debet sufficere, cum non maiorem pariant depositiones duorum, vel trium testium, alias adulteria, incestus, & alia hujusmodi crimina occulta vix nuquam puniri pæna ordinaria possent, si hujusmodi probationes non sufficerent ad condemnandum, cum aliter probari non possent, adeoque frustra & inutiliter statuta ipsis esset ordinaria pæna*; cui accedit *VVeizenegger dissert. 6. c. 3. num. 34., & seqq.* his verbis — *Necessaria sive indubitata indicia sunt, ex quibus necessario id efficimus, quod intenditur, & cum talia indicia sint indubitata Iuri, debent etiam esse indubitata Iudici*.

6 Sed priori retenta opinione in praxi communiter recepta, & approbata, & quam uberius infra demonstrabimus, nulli dubium est, quod prælaudata Constitutio loquitur non *de convictis per indicia*, adversus quos de Jure tum civili, tum canonico, dictari pæna ordinaria nequit, signanter capitalis supplicii, sed *de convictis per testes idoneos & legitimos*, & sic in terminis habilibus: quod magis patet ex altero Chirographo *Sanctissimi Domini Nostri* BENEDICTI XIV. (de quo inferius) ubi specialiter provisum est, *quo ad convictos indiciis indubitatis*, ad differentiam præfatæ Constitutionis loquentis de *convictis per testes*; Hinc ut *Convictus per testes*, a *convicto per indicia indubitata* distinguatur, utrumque distinctim examinandum existimo ad formam tum præcitatæ Constitutionis, tum prælaudati Chirographi, ne unus cum altero confundatur.

SECTIO I.

De Convicto per Testes.

ARGUMENTUM

Agitur in hac sectione luculenter de his quæ requirantur ad quem convincendum per testes: duo enim esse debent contestes, non singulares, nec non omni exceptione majores, nullam nec minimam patentes maculam, & concludere debent per necesse, non autem per possibile; Plura, hic de exceptionibus tum contra Personas testium, tum contra eorum dicta, & examen, recensentur, nec non alia explicantur, quæ necessaria videntur, & ad materiam pertinentes.

SUMMARIUM

1. *Ut quis convincatur*, primo requitur, *quod testes sint duo.*
2. *Testis unicus non sufficit.*
   In levioribus an testis unicus cum aliquo adminiculo sufficiat?
   Opinio affirmativa.
3. *Contraria sententia est verior in puncto Iuris.*
   Rationes adducuntur, & Jura.
4. Carpzov. *sibimetipso est contrarius.*
5.) *Magis comprobatur sententia non admittens*
6.) *Testem unicum in criminalibus etiam adminiculis suffultum ad convincendum.*
7. *Conciliationes traditæ a* Farinacc. *recensentur in proposita quæstione.*
8. *In pecuniariis, Ædicta, & statuta fiunt: quod credatur unico testi cum adminiculis.*
9. Secundo requiritur *ad convincendum, quod testes sint contestes, & concordent.*
10. *Singularitas multis modis induci potest.*
11. *Testium singularitas triplex est, singularitas adversativa, seu* obstativa *quando dicatur.*
12. *Singularitas* adminiculativa, *seu* cumulativa *explicatur.*
13. *Singularitas* diversificativa, *quæ sit.*
14. *Singularitas obstativa omnino tollit fidem testibus.*
15. *Ex singularitate* diversificativa *oritur tantum semiplena probatio.*

Sin-

16. *Singularitas* adminiculativa *nec minus Reum convincit.*
17. *Crimen sollicitationis an probetur testibus singularibus remissive.*
18. Tertio requiritur *ad convincendum Reum, quod testes sint omni exceptione majores.*
19. *Defectus testium inhabilium non suppletur per numerum.*
20. *Testis quando dicatur integer, idoneus, & legitimus.*
21. *An testis idoneus, & integer differat a teste omni exceptione majore.*
22. *Qualitas, quod sit testis omni exceptione maior, an sit probanda, vel præsumatur.*

1 AB huiusmodi Convicto exordiendo, absolutissimum in Jure est, plura requiri ad convincendum Reum, ut ordinaria criminis ultione feriatur; *Primo* enim exoptatur, ut duo sint testes, cum talis numerus ad perfectam probationem inducendam requiratur, *cap. in omni negotio, cap. licet univers. de testib., leg. ubi numerus, & ibi glossa ff. de testib.*, quod non tantum de Iure humano probatur, sed etiam divino veteris, & novi testamenti, juxta illud Deuteron. *cap.* 19. relatum *in cap. final.* 35. *qu.* 6., quod Christus Dominus Noster *Matthæi cap.* 18. approbando citavit, *Ioan. cap.* 8., & Paulus ad Corinthios relatus *in cap.* 1. *caus.* 2. *quæst.* 4. *Sotus de Iustit., & Iur. libro* 5. *qu.* 7. *artic.* 7., *Antonius Matthæus de crimin. ad lib.* 48. *ff. tit.* 15. *de probat. cap.* 3. *num.* 1. *seqq. Magdalen. in tractat. de numer. testium cap.* 1. *num. primo, & seqq., Farin. de testib. qu.* 63. *num.* 234.

2 Hinc testis unicus nullo pacto videtur sufficiens ad quem de crimine convincendum, signanter in gravioribus, ubi de summo supplicio agitur; cum enim in Criminalibus de periculo Vitæ, & famæ, & simul quandoque bonorum tractetur, ad notata *in l. final. Cod. de quæstion.* nimis absonum, & inauditum esset, si Reus ex unico teste condemnaretur, *Magdalen. in d. tractat. de numer. testium cap.* 1. *num.* 13., & satis probat *Textus in cap. nullam §. sed hoc* 2. *q.* 5. ibi -- *Quorum vita adeo laudabilis est, ut omnibus imitanda appareat, de quorum assertione nulla dubitatio nasci poterit, eorum testimonio, duorum, vel trium testium, quilibet jure convinci, & damnari poterit.*

3 Et quamvis nonnulli in eam abierint sententiam in levioribus criminibus, quorum poena est arbitraria, relegationis, carceris, vel mulctæ pecuniariæ sufficere unicum testem ad convincendum, concurrente aliqua præsumptione seu adminiculo, puta fuga, fama, & similia ut voluere Bartol. *in l.* 1. *§. Idem Cornelio nu.* 3. *& ibi Marsil. num.* 3. *ff. de quæstion., Bald. in l. final. num.* 8. *C. de probat., Hyppol. de Marsil. in rubric. Cod. de probat. num.* 2:9. *& singul.* 433. & post alios Benedict. Carpzov. *in pract. Crimin. p.* 3. *q.* 114. *nu.* 52., *&* 53., ubi hac ratione movetur signanter quod in criminibus levioribus Judex ex præsumptionibus Reū punire potest, & sic in delictis leviusculis plena probatio per duos testes non tam necessario requiratur.

4 Attamen *contraria sententia*, quam mordicus probat Antonius *Matthæus de crimin. ad librum* 48. *ff. titul.* 15. *de probat. cap.* 3. *num.* 3., multo verior & probabilior videtur; cum enim in Jure constitutum sit indistincte unius testimonio nullam causam decidi posse, Deuteron. *cap.* 19. *versic.* 15., *cap. licet* 33. *de testib. cap. veniens* 10. *cap. cum a nobis* 28. *eod. titul.*, *cap. placuit* 10. *caus.* 2. *qu.* 5., & *l. jus jurandum.* 9 § 1. *C. de testib.*, quia unicus testis proficit, sed non sufficit, nec quidem in atrocissimis, *cap. ad non re* 33. *q.* 2., *Matthias Wesembec. in parat. ff. de testib. num* 5 *& seqq.*, *Metzer. consil. criminal.* 15. *num.* 82. indistincte Juris dispositio accipienda est, *ex vulgatis*, quod si quandoque Juris interpretes, ab hac recesserunt regula in causis modicis, & summariis, in quibus de parvo præjudicio agitur, intelligenda sane, eorum exceptio videtur in civilibus contentionibus, in quibus Judex non plenam, sed summariam adhibet cognitionem; non autem in criminalibus, etsi de levibus ageretur delictis, siquidem absurdissimum esset, uno teste ab Accusatore producto, Reum illico vel fustibus castigari, vel flagellis cædi, aut alia arbitraria coerceri animadversione; levia enim crimina de plano discutienda dixit *Domitius Ulpian. in l. levia ff. de accusat.* At planum istud non probationes legitimas, sed observationem dumtaxat solemnium excludit. Et quemadmodum Nemo ex suspicione damnandus, seu gravioris, seu levioris criminis Reus sit, satiusque vel nocentem absolvi, quam innocentem condemnari, *l.* 5. *§. ff. de pœnis*, ita vel unico teste gravato, qui dumtaxat suspicionem facit non fidem; *Vox unius, vox nullius*, etiam si præclaræ Curiæ honore præfulgeat, *d. l.* 9. *§.* 1. *C. de testib. Zanger. de quæstion. cap.* 2. *num.* 17.

5 Hinc mirandum de ipsomet *Carpzovio* sibi contrario; tradidit enim præcedenter *in eadem qu.* 114. *num.* 2. non quamlibet probationem Judici de re aliqua fidem facere posse, sed eam tantummodo quæ duobus fit testibus; Nam semiplena probatio imperfecte concludit, quæ licet in civilibus non semper, ac omni ex parte rejiciatur, in criminalibus attamen causis idoneæ & plenæ probationes requiruntur, aut evidentia ipsius facti, vel patrati facinoris propria delinquentis libera confessione, ad Textum *in cap. evidentia de accusat.*, *in l. ea quidem eod. titul.* proptereaque vulgo dici in criminalibus probationes luce meridiana clariores esse debere, *l. sciant cuncti* 25. *C. de accusat.*, ac graviora argumenta, & indicia, quam in civilibus requiri, *l. singuli* 14. *C. eod. titul.*

6 Et revera posterior sententia, quam Nos libenter amplectimur, eo magis comprobatur ex dispositione Textus in *cap. licet universis de testib.*, ubi Pontifex, per hæc verba se habet -- *Nulla est tamen causa, quæ unius testimonio quamvis legitimo terminetur*; quæ dictio nulla tanquam universalis negativa, omnes comprehendit causas etiam minimas per Textum *in cap. ad nostram ubi Panorm. num.* 5. *de election.*, *Gemin. consil.* 35. *num.* 4. *& seqq.*, concordat Textus in cap. veniens. 10. eod. titul. -- *Nec unius testimonium ad condemnationem sufficiat alicujus*, & admonet Stephanus Papa V. in cap. admonere 33 qu. 1. *Nec Evangelium, nec ulla divina, humanaque lex unius testimonio etiam idoneo, quempiam condemnat, vel justificat*; quodque ex dicto unius testis nonnisi præsumptio, non autem probatio oriatur, docet Glossa *in d. cap. licet* propterea Consultus in *l.* 1. *§. final. ff. quemadmod. testam. aperian.* ob dictum unius testis sigillum suum agnoscere negantis, suspectas tantum habet testamenti tabulas, non autem eas prorsus infringit.

Quod

7 Quodque in criminalibus signanter ad pœnam corporalem dictandam, non sufficiat dictum unius testis junctum cum fama, de communi tradunt *Musil. in l. de minore §. plurium num. 71. & seqq. ff. de quæstion.*; *Crot. in tractat. de testib. num. 102. Clar. in practic. Crimin. qu. 65. Bonacuss. in commun. opinion. p. 2. verbo fama cum teste, & post alios Rota apud Caputaq. decis. 8. p. 2. num. 1.*, imo nec etiam in civilibus probationem hanc admittit *Bossius in tractat. crimin. titul. de convict. num. 53.*, quodque cum illis nec minus sufficiant alia indicia, & adminicula, suadet regula non dari in criminalibus conjunctionem imperfectarum probationum, quarum quælibet de per se ad condemnandum non sufficiat, quam perbelle exornat magnus Criminalista *Albert. de Gandin. de malefic. in titul. de præsumpt. & indic. num. 2. versic E contrario fol. mihi 23.* tribus adductis rationibus -- *Et licet* (sunt ejus verba) *in causa civili, duæ semiplenæ probationes, unam probationem plenam adducant, tamen in criminali causa, ex dictis semiplenis probationibus, non erit quis diffinitive damnandus, quia in causa criminali probationes debent esse apertissimæ, quia strictius in ais proceditur*, & post alios de communi docet Anton. *Gabriel. in commun. conclus. libro 1. titul. de probat. conclus. 1. num. 23.*, & 26.

8 Plures conciliationes in hac quæstione tradis *Farinacc. qu. 86. num. 25. & seqq.*, sed ubi agitur ad pœnam corporalem recedendum non existimo a posteriori sententia, quam etiam Farinacc. admittit *num. 16.*, & probant *Antonius Gomez. de delictis cap. 12. num. 26.* ubi innumeros refert, ac optime causas civiles, a criminalibus distinguit; & cum eo convenit *Ayllon. in addit. num. 27.*, quamplurimos alios superaddens; Et de adminiculis, quæ sint & qualia debeant esse, ut etiam coadjuvare valeant probationes in pecuniariis, non autem in corporalibus, multa tradit Joannes *Escobar a Corro in tractat. de purit p. 2. qu. 6. § 5. & 6. per tot. fol. 97. & seqq.*

9 Hinc ex fonte hujusmodi distinctionis nonnulla edicta, & municipalia statuta emanari solent in aliquibus delictis pecuniaria mulcta vindicari suetis, (etsi ad terrorem potius pœna triremium in iisdem comminata quoque sit,) ut unico testi fide tamen digno credatur, alio concurrente indicio, seu adminiculo, quod a Principe fieri potest in certis casibus, ad tradita per *Reifenstuell in Ius Canon. libro 2. tit. 20. §. 18. num. 254. & seqq.* ubi quoque *num. 132.* casus recenset, in quibus de Iure, unico testi creditur.

10 *Secundo* requiritur ut prædicti duo Testes sint contestes, & concordes in omnibus circumstantiis temporis, loci, Personæ &c. etenim testibus non concordantibus in prædictis circumstantiis; & contestes quoties non existunt in actu, vel delicto super quo deponont, tamquam singularibus neutiquam credendum est, quemadmodum uni testi non creditur, ob rationem traditam *ab Anton Fabro in C. de Testibus lib. 4. tit. 15. definit. 46.* his verbis, *vulgatum est testes singulares non probare, & cum non sunt contestes jungi non possunt, ut numerum faciant, ideoque non plus probant mille, quam unus, quoniam alter alterius fidem debilitat* merito: ait *Caball. cas. 292. num. 9. restringit enim ac dividit lacerat singularites testium testimonia, quia omne divisum laceratum est, ideoque testes singulares non probant tāquam divisi, & lacerati*, quod magis probatur ex dispositione *Text. in l. qui sententia C. de pœn.* ibi -- *per testes in unum conspirantes, concordantesque rei finem convictus sit.*

11 Quoniam vero non omnis singularitas testibus nocumentum affert, sed obstativa tantum, non autem adminiculativa, proinde præmittendum est *primo* quod testium singularitas multipliciter induci potest, & secundum omnia decem prædicamenta, ut *in prædicamento substantiæ*, si unus testium deponat Cajum furto abstulisse jumentum, seu equum, alter vero asserat eum abstulisse Vaccam *In prædicamento quantitatis*, quando unus deponit furata fuisse centum, alius vero quinquaginta. *In prædicamento qualitatis*, quando unus testificatur actum pure factum, alter sub conditione, veluti si unus asserat equum derubatum fuisse sanum, alio dicente fuisse claudum. *In prædicamento ubi, & quando* quoties deponeret unus furtum commissum fuisse tali loco vel die, alter testetur furtum factum esse alio tempore, vel loco & sic loquendo de *cæteris prædicamentis* plenius relatis *per Bald. in L. Testium n. 14. C. de testibus in l. de quibus num. 37. ff. de legibus, & in l. data opera num. 31. & seqq. C. qui accus. non poss.* -- depromptis *ex text. in l. aut facta ff. de pœnis* -- ubi in pœnis dictandis, vel minuendis considerantur persona, causa, locus, tempus, qualitas, quantitas, & eventus *Perra in tract. de fideicommis. qu. 12. num. 771. & seqq* Hinc *Viv. in comm. opin. verb.* testes singulares *ex Bald. & aliis* inquit, quod testium singularitas inducitur vel ratione personæ, vel ratione causæ, vel ratione, Rei, vel ratione temporis, vel ratione loci, vel ratione circumstantiarum.

12 Præmittendum est insuper *Secundo*, quod testium singularitas triplex est, videlicet obstativa, adminiculativa, & diversificativa, *Bald. in Cap. licet causam num. 10. de probat. Pirhing. in jur. Canonic. lib. 2. tit. 20. num. 142. & Franciscus Schmier in jurispr. Canonic. Civil. libr. 2. tractat. 3. cap. 3. sect. 3. §. 2. num. 154.* -- Singularitas obstativa, seu ut alii dicunt, adversativa est, quando testes de eodem facto sibi contraria, & obstantia loquuntur, sic accidit quando unus dicit Sempronium Kal. Maj occisum esse, alter Kal. Augustis, vel quando unus dicit furtum, vel homicidium, sive aliud crimen factum fuisse in tali loco, alter vero in alio, repugnat enim, quod idem numero delictum acciderit diverso tempore, diversis in locis, & talis singularitas obstativa, seu adversativa reperiebatur in testimonio illorum duorum impudicorum senum apud *Daniel. in cap. 13.* quorum unus testabatur castam Susannam adulterium commisisse sub schino, alter sub pruno, quos proinde Daniel falsitatis convincerat, eo quod idem numero adulterium seu distinctis locis, seu arboribus fieri nequiverit.

13 Singularitas *adminiculativa*, seu ut alii loquuntur *cumulativa* vocatur, quando testes de diversis quidem actibus attamen ad unum, eumdemque finē tendentibus deponunt, ut si unus testis dicat se vidisse Titium abstulisse equum, alter vero asserat Titium audivisse, quod illum equum abstulerat, confitentem, quæ duo depositiones ad eundem actum, vel finem probandum tendunt, etenim unus de facto a se viso deponit, alter vero de fama, vel auditu; In hisce quippe, ac aliis hujusmodi casibus datur singularitas testium quantum ad actus illos de quibus deponunt (hi enim sunt diversi, cum aliud sit videre aliud audire) quia tamen iidem tendunt ad probandum eundem finem, & sic unius testis dictum alterius coadjuvat, vocatur propterea singularitas *admini-*

culativa, *sive cumulativa* juxta alios, *Card. de Luca de judic. disc. 32. num. 63. Schmier in dicta sect. 3. §. 5. num. 157.*

14 Singularitas tandem *diversificativa* ea dicitur quando testes deponunt de actibus diversis, quorum unus neque repugnat alteri, neque ipsius probationem coadjuvat, ut si unus dicat, Cajum commisisse furtum Romæ alius vero asserat, quod furtum commiserit in Civitate Firmana, ex quibus depositionibus non repugnat, quod Cajus bina vice furtum commisserit, sicque una depositio alteram non adjuvat in probando, sed quælibet manet singularis in substantia obiecti, atque effectus, siquidem ob loci diversitatem necessario diversitas actuum consurgit *Schmier. d. §. 3. num. 156.*

15 Quibus prænotatis, indubitati juris est, testes singulares *singularitate obstativa* nullo pacto probare, nec minus semiplene, taliter ut silet in his penitus quæstio, an Reum in Criminalibus convincant; etenim jura sunt satis aperta, quæ illorum testimonium ab omni probationis specie prorsus reiciunt, *in C. licet causam 9 §. quamquam de probat. in C. cum dilectus 32. de elect. & in C. bonæ memoriæ 23. §. contra ubi Gloss. verb. singulares de probat. Card. de Luc. loc. cit. num 60. Schmier d. §. 3. num. 155.* & cum aliis Caspar *Manz. in Summa proces. Crimin. cap. 6. nu. 41. & ad Constitutionem Carolin. art. 67. num. 7.* — hinc infertur, quod melius est habere pro se unum testem, quam innumeros testes singulares *singularitate obstativa*; nam unicus testis, cæteroquin idoneus, saltem probationem semiplenam ministraret, quam non dant testes singulares, etiamsi mille forent, *Jas. in admonendi num. 156. ff. de jurejurand. Bald. in l. jurisjurandi C. de testibus Cæpoll. cautel. 152.*

16 Quo vero ad *singularitatem diversificativam*, absolutissimum est, quod hujusmodi singulares testes nec minus reum convincunt: siquidem ex eorum depositionibus oritur tantum semiplena, non plena probatio, dummodo inter ipsos unus testis adsit omni exceptione major *Cap. cum 16. de Test. cap. bonæ memoriæ 23. & cap. 32. de elect. Schmier loc. cit. num. 156.* Ratio est, nam eo ipso quod testes illi inter se singulares sunt singularitate diversificativa, nullus eorum in sua depositione habet contestem, consequenter absurdissimum esset ex his plenam probationem ad convincendum desumere, cum ad esse convicti omnino requiratur, ut testes inter se sint contestes, & quamvis inter ipsos nulla reperiatur contrarietas, vel repugnantia, hoc tamen facit, quod quælibet depositio maneat in valore illo, quam habet unius testis depositio legitimi, & omni exceptione majoris, ad inducendam probationem semiplenam; & in hoc sensu adaptatur Regula, quod prolatio, per testes singulares eumdem parit effectum, ac unius testis depositio, etiam si illi mille essent, *Thom. Mezger. cons. crim. 15. num. 85. Weinzeger. dissert. 6. cap. ult. num. 187. Caspar. Manz. d. art. 67. num.*, Henric. Mollembec. divis Juridicentur 2. §. 38. *num. 27. & seqq.*

17 Demum quod pertinet ad *singularitatem adminiculativam*, ommissa disputatione, an hæc obstet in Civilibus causis, de qua *Tusc. litt. T. conclus. 265.*, & alii apud *Mascard. de probat. concl. 1205. num. 24.* In Criminalibus certum est, hujusmodi testes singulares, ut puta de diversis actibus, vel diversis indiciis commissi sceleris deponentes, plene non probare, consequenter Reum non convincere, ut in eum ordinaria animadversio dictari posses, solum tantum vel indicium ad torturam sufficiens efformarent, vel quandoque ad extraordinariam imponendam pœnam vix sufficere possent; ratio potissima est, nam in Criminalibus ad convincendum, & condemnandum in ordinariam pœnam, probationes non tantum indubitatæ esse debent; verum etiam testes nullam nec minimam in eorum dictis suspicionem seu exceptionem habere debent ad Textum *in Cap. testes 2. quæst. 7.*, *& Cap. 1. de except. Bart. in L. finem per d. quæst. Scacc. de judic. lib. 2. cap. 9. num. 367. & seq. Konigius in jur. Canonic. tit. de testibus num. 70 & seq. Schmier. d. §. 3. num. 157.*, & ad rem mirifice congruit Text. *in præalleg. L. qui sententiam C. de pæn.*

18 Sed an crimen sollicitationis ad actus inhonestos in sacramentali confessione probetur, per testes singulares ad formam Constitut. Gregor. XV.? Videbis *Pignatell.* latius tractantem *Consult. 104. tomo primo.*

19 *Tertio requiritur* ad convincendum Reum, quod testes non solum sint duo, & contestes, sed etiam probatæ Vitæ, omni suspicione, manifestaque macula carentes, & omni exceptione majores, ut probat *Textus in cap. licet universis 23. de testib.*, *& attestat.*, ubi Pontifex inquit — *Mandamus quatenus si inter Vos emerserit quæstio, non minus, quam duarum, vel trium Virorum, qui sint probatæ Vitæ, & fidelis conversationi testimonium admittatis*, *in cap. nullam §. sed. hoc, 2. qu. 5.* ibi — *Quorum Vita adeo laudabilis est, ut omnibus imitanda appareat, de quorum assertione nulla dubitatio nasci poterit, eorum testimonio duorum, vel trium testium, quilibet jure convinci, & damnari poterit*: magis expresse Celestinus III. *in cap. 1. §. si crimina de except.* ibi — *Cum sicut canonica instituta declarant, testes absque ulla infamia, vel suspicione, vel manifesta macula in ferendo testimonio requirantur; Alexand. III. in cap. licet 23. de testib.* ibi — *Non minus, quam duorum, vel trium Virorum, qui sint probatæ Vitæ, & fidelis conversationis testimonium admittatis, & in cap. in literis 14. eod. titul.* ibi — *Nec contra ipsos aliquos audias, nisi probatæ essent Vitæ, & opinionis, de quibus verisimile non esset, quod deberent pro aliquo dejerare*; Damasus Papa *in cap. 39. caus. 2. quæst. 7.* ibi — *Testes absque ulla infamia, aut suspicione, vel manifesta macula, veræ fidei plenitudine instructi esse debent, & tales quales ad Sacerdotium eligere jubet divina auctoritas, Bald. in l. sciant cuncti num. 4.*, *& ibi Salic.*, *& alii C. de probat.*, *Matthias Wesembec. in paratit. ff. lib. 22. tit. 5. de testib. num. 6.*, *Henric. Mollembech. indivis. Iuridic. centur. 2. §. 38. num. 19.*, & post alios *Chartar. decis. crim. 87. nu. 3.*

20 Hoc adeo verum est, ut licet in civilibus causis, testium inhabilitas suppleri possit per eorum numerum, ad tradita *per gloss. in leg. testium verbo numerus ff. de testib*, In criminalibus tamen testium numerus nullo pacto eorum defectum, atque inhabilitatem supplere poterit, ea ratione, quod in his ob gravitatem earum, & periculum majoris præjudicii, testes omnino debent esse omni exceptione majores, omnique suspicione, & macula carentes ad formam Canonicarum sanctionum, *Bald. in cap. ad nostram num. 1. de probat.*, *Iason in auth. si vero contigerit num. 6. de C. de Iudic.*, *Farin. late q. 63. n. 200.*

num. 200. *& seqq.* : & de hac *legitima convictione* intelligendus est Textus tum Juris civilis *in l. qui sententiam* 16. *C. de pœnis* , tum Juris canonici *in cap. At si Clerici de Iudic.* illis verbis -- *de criminibus in Iure confessi sunt seu legitima probatione convicti* , ut ibi explicat glossator in verbo legitima , ibi -- *puta per legitimos testes , & omni exceptione majores , ut in cap. inprimis* 2. *quæst.* 1. , *in criminalibus enim apertæ debent esse probationes , & luce clariores* , nec non *in §. Item verborum , Instit. de inutil. stipul.* ; sed pro majori dilucidatione qualitatis testium .

20 *Primo quæritur* quis dicatur Testis idoneus , legitimus , & integer ? Testis idoneus ille dicitur qui nulla exceptione legitima repelli potest , ita *glossa in cap.* 1. *in verbo idonei* , *& ibi Abbas nu.* 3. *de testib.* , quod magis patet *ex leg.* 1. *ff. de testib.* ubi omnes illi pro testibus idoneis agnoscuntur , quibus non interdicitur testimonium ; & huiusmodi *testis idoneus* alio vocatur nomine *testis legitimus* , utpote secundum leges ad testimonium ferendum admittendus , cum nulla legitima exceptione repelli valet ; & cum isto in re convenit *testis habilis* , *ac testis integer , seu integræ opinionis* ; qualis dicitur ille , contra quem nulla urget suspicio ; & e contra testis inhabilis dicitur ille , qui contra se habet aliquam legitimam exceptionem , quæ ipsum in totum vel in partem repellit ; *Gloss. Abb. , & Præpos. in cap.* 1. *de consang. , & affin.* , *Curset. in singul. verbo integer num.* 3 , *Alexand. consil.* 18. *num.* 5. *tom. primo* ; ubi ampliat in exceptione non in totum repellente , sed tantum ei de fide diminuente , *Mascard. de probat. in præfat. quæst* 6. *num.* 69 , ubi ampliat etiam ad minimam exceptionem , debilem , & pene nullius momenti , *& concl. f.* 1019. *num.* 5. , *Sous in aphoris. Inquisit. lib.* 2. *cap.* 13. *num.* 2. , *& D. Bictis in epitom. Judic. de testib. qu.* 39 *num.* 2.

21 *Secundo in quæstionem vocatur* , an testis idoneus legitimus , & integer differat a teste omni exceptione maiore ? Nonnulli censent testem idoneum idem esse , ac testem omni exceptione maiorem , ita *Gloss. in cap.* 1. *verbo maiores de consanguin.* , *& affin* ; *& in §. item verborum verbo idoneos* , *Instit. de inutil stipul.* , *Abbas in d. cap.* 1. *num.* 5. , *& Sousa loc. citat.* ; Alii vero rectius censent , quod testis omni exceptione maior sit aliquid plus , quam idoneus , & sunt *Mascard. de probat conclus.* 102. *num.* 15. , *& Farin. qu.* 62. *nu.* 3. ubi alios dat concordantes , ratio est , quia sicuti in aliis rebus dantur tres gradus , videlicet positivus , comparativus , superlativus , ut puta bonus , melior , optimus *leg. ubi autem §.* 1. *ff. de verbor. obligat.* , ita , & in testibus idoneis , debent admitti testes magis idonei , qui scilicet maioris existunt honestatis , & æstimationis , *cap. in nostra* 32. *de testib.* , & testes summe idonei , qui nimirum sunt optimæ opinionis , & qualitatis : Hinc consequens est , quod *testis idoneus* veluti positivo contentus minorem qualitatem importat , quam *testis omni exceptione maior* , seu in comparativo acceptus ; hic enim censetur esse fidelior testis , ac magis fide dignus , quam testis simpliciter idoneus , seu *legitima exceptione non repellibilis* .

22 *Tertio controvertitur* , an qualitas hæc , quod testis sit omni exceptione major , præsumatur , vel probanda sit ? distingue , aut in teste aliud non requiritur nisi idoneitas , & tunc ea præsumitur , nec opus est , ut ea articuletur , & probetur , ad *tradita per Cephal. consil.* 227. *num.* 59. , *& seq. libro* 2. *Paul. de Rubeis de testam. cap.* 35. *num.* 180. , *& seq.* , *Carocc. decis.* 126. , *num.* 12. , *& Theodor. de Rubeis in singul. Rot. Roman. tom.* 2. *circa stylum* , *& observ. Rot. in verbo testis §.* 15. , ubi ita pluries fuisse in Rota resolutum refert ; si vero testis debet esse omni exceptione maior , in huiusmodi casu qualitas ista per Fiscum , vel Adhærentem articulanda , & probanda est , signanter , quando lex , vel statutum dictam qualitatem requirit in teste in superlativo gradu (prout in hypotesi) , etenim nullo modo præsumitur , ut de communi testantur *Roland. consil.* 84. *num.* 7. *tom.* 3. , *Mascard. de probat. conclus.* 1360. *num.* 7 *tom.* 3. , *Caroc. decis.* 126. *num.* 12. , *Sperell. decis.* 173. *num.* 30. *tom.* 2. , *Paul. de Rubeis d. cap.* 35. *num.* 195. , *& seqq.* , *& late Farin. quæst.* 62. *num.* 5. , *& seqq.* & hic testis talis esse debet , ut nulla legitima exceptione repelli possit , etiam frivola , *Vermigliol. consil.* 144. *num.* 10.

SUBSECTIO I.

De inhabilitate Testium ratione Personæ , qui Reum convincere nequeunt.

SUMMARIUM.

1. *Non sunt testes idonei ad convincendum Impuberes furiosi & mente capti , sed quando hoc verum , explicatur.*
2 *Dementes , & fatui sub hac regula comprehenduntur.*
Item in Agone , & mortis articulo existentes.
3 *Impuberes nec etiam in delictis exceptis , & difficilis probationis convincunt.*
4 *Minores 20. annorum etiam in hac regula comprehenduntur.*
Explicatur Constitutio Carpensis in qua Provincia locum habeat.
Minores etiam in exceptis , convincere Reum nequeunt.
5) *Cæci , Muti & Surdi quando in testes recipi*
6) *possunt , & convincant ?*
7)
8 *Consanguinei , Affines , & domestici a testificando repelluntur.*
9 *Sub hac regula continentur Parentes , liberi , & omnes descendentes utriusque sexus.*
10 *Item Conjuges.*
11 *Item Domestici ; qui Domestici dicantur ?*
12 *In casibus difficilis probationis nec minus convincunt.*
13 *Computer an dicatur Idoneus testis , & omni exceptione major ?*
14 Ex capite subjectionis *qui a testimonio ferendo repelluntur.*
15 *Coloni sub hac censura comprehendi videntur.*
16 *Colonorum species recensentur.*
17 *Coloni quando a testificando repellantur ?*
18 *A testificando excluduntur , qui habent interesse in causa , sive primarium , sive secundarium.*
19 *Accusator nequit esse testis.*
20) *Denuncians an ad testificandum admittatur &*
21) *quando ? explicatur doctrina Elisei Bello-*
22) *grand. , & De Bictis in quo sensu intelli-*
23) *genda.*

24 *Qui usuras solverunt, non sunt idonei testes.*
25 *Testes qui tractant de se exculpando, & alium inculpando non probant, nec convincunt.*
26 *Famuli, Portitores, Negotiorum gestores, quando admittantur super rebus ab ipsis gestis*
27 *Affectionem habentes ad causam testificari nequeunt.*
28 *Advocatus, & Procurator Accusatoris non sunt testes idonei, nec convincunt.*
29 *Item Administratores, Negotiorum gestores, & Similes.*
30 *Idem dicendum est de Proxenetis, & mediatoribus.*
35 *Sed quid dicendum de testibus Universitatis.*
32 *Repelluntur & non convincunt testes ratione infamiæ.*
33 *Qui sunt Infames Infamia Juris?*
34 *Declarantur Infames Infamia facti.*
Infames nunquam convincere possunt etiam in casibus subsidiariis.
35 *Criminosi a testificando repelluntur.*
36 }*Qui sub nomine Criminosorum continen-*
37 } *tur.*
38 *Testis Pauper convincere nequit etiam si bonæ qualitatis fuerit.*
39 *Mulieres non sunt idoneæ ad convincendum.*
40 *Multoque minus ad testificandum, & convincendum admittuntur Infideles, Hæretici, Judei, & similes.*
41 *Inimicus nullam fidem facit, & ejus domestici, Amici, & Familiares non convincunt.*
42 *De testimonio laicorum contra Clericos, & e contra & de aliis remissive.*

1 SUnt autem plurima, quæ testibus valide opponuntur, quorum alia sumuntur *a circumstantiis Personæ*, alia *a qualitate dictorum*, alia *a forma examinationis*. A circumstantiis *Personæ* hæc habemur. Quidam tanquam inhabiles a testimonio reiiciuntur *ex defectu Iudicii discretivi*, ut Impuberes (hoc est Masculus minor annis 14., & fæmina minor 12. annis) *leg. testium* §. 5., & *leg. inviti* §. 1. *ff. de testib.*, eodem numero sunt furiosi, & mente capti, *leg. 3* §. 5. *ff. de testib.*, *leg. 20.* §. 4. *ff de testam.*, *leg. 5. leg. 40.*, & *leg. 124. ff. de regul. Jur.*, intellige tamen perpetuo furiosos, nam si intervalla habeant, tempore intervalli testimonium perhibere de his, quæ sana forsan mente vidit, non prohibendus est; si tamen de his testetur sanæ mentis factus, quæ in furore agnovit, admittendus non est; *Reuber. de testibus cap. 1. num. 17.*, *Vmm. disput. ad Proc ff. 16. thes. prima num. 3.*, *Mejer in colleg. Argentor. ad titul. de testib. thes. 6. post nu. 3.*; *Althus libro 3. Dicæolog. cap. 32. num. 5.*

2 Idem dicendum est de mente satuo, & similibus Personis stupidioris mentis, seu grossolanis hominibus, omni prorsus sensu, & intellectu carentibus *Campeg. de testibus regul. 114*, *Petr. Roitz. decis. 4. num. 319.*, & *seqq.*, *Froman. de Iur. furiosor. fol. 76.*; Hisce, ob rationis defectum, additur in agone, & mortis articulo existens, cui memoria Iudicium, & intellectus languescit, & deficit; nec non Ebrius in summa & profunda ebrietate constitutus; hi enim omnes a testimonii dictione repelluntur, *Campeg. de testib. regul. 117. Everhard. de testib. cap 1. num. 317. Althus. loc. citat. cap. 29. nu. 55.*, & *Colleg. Argentor. d. thes. 6. num. 3.*, & quæ dicta sunt de Impuberibus, sive Pupillis amplia etiam quoties Is pubes factus, de his quæ vidit in Pupillari ætate modo deponeret, nisi deponat de his, quæ tempore Pupillaris ætatis cadere potuerunt in sensum & intellectum Pupilli, & Is eo tempore habuerit aliquam discretionem, *Reuber. loc. citat. num. 12.*, & *seqq.*, nunquam tamen testis esset exceptione major ad convincendum sufficiens;

3 Hinc duo impuberes etiam in delictis, in quibus veritas aliter haberi non potest, nec minus convincunt, quia non sunt integri, & omni exceptione majores, *Boss. in tit. de indic. nu. 177. versic. Non tamen credas*, *Alciat. de præsumpt. regul. 1. præsumpt. 39. num. 5. versic. Non obstant.*, *Roland. consil. 24. num. 66.*, & *seqq. libro primo*, & *Hippol. Riminald. in consil. crimin. 84. n. 9. tom. 2. divers.*

4 Insuper non tantum Impubes, sed etiam Pubes major quatuordecim annorum, & minor viginti a testificando in criminalibus repellitur, ex Textu *in leg. in testimonium ff. de testib.* illis verbis: *Aut qui minor 20. annis erit*, *glossa in leg. inviti 2. verbo sed nec Pupillis ff. de testib.* In Provincia tamen Marchiæ *ex Constit. Carpens. libro 4. cap. 17.*, minores viginti annis, sed maiores quatuordecim ad testimonium perhibendum admittuntur, & eorum dicto, & attestationi plena fides datur; verum dicta Constitutio Carpensis ultra Provinciæ Marchiæ limites non egreditur vi *Constitutionis San. Mem. Paul. III. incip. ad perpetuam de anno* 1544. editæ ad differentiam Constitutionis Ægidianæ, quæ extensa fuit ad omnia loca Sedi Apostolicæ immediate subjecta etiam in Urbe tam a *Sixto* IV. quam a Paulo III., ut testantur *Ridolphin. in praxi par. 2. cap. 6. num. 1220*, & *seqq.*, & *cum aliis Bonfin. ad Bannim. General. cap. 7. num. 32.*, Quæ Bullæ Sixti IV., & Pauli III. per extensum habentur apud *Caballin. de Constit. Ægidian. in princ.*, quapropter ea quæ dicit *Farin. de testib. qu. 58. post nu. 10.* quod præfata conclusio quo ad minorem 20. *annis* majorem 14., non servatur vigore dictæ Constitutionis Marchiæ, *intelligenda sunt* de illa Provincia in qua Constitutio prædicta viget, & non alibi extendenda; Hinc huiusmodi *minores testes* etiam in casibus in quibus ob probationis difficultatem admittuntur, vel in criminibus exceptis, ut læsæ majestatis &c. juxta congesta per *Treutl. disput. vol. 2. disput. 5. thes. 5. litt. A. Umm. loc. citat. thes. primo num. 5.*, & *Mejer. d. thes. 6. num. 3.*, nec minus dicuntur integri, & omni exceptione majores ad convincendum, ut latius probat *Farin. in d. qu. 58. num. 34.*

5 *Secundo* quidam alii *ex defectu alicuius sensus corporei*, seu ob corporis vitium non convincunt, quia a testificando inhabiles habentur, ut sunt regulariter *Cæci*, *Surdi*, & *Muti*, *Matth. Vesemb. in paratit. ff. tit. de testibus num. 3.*, *Hann. tom. 5. de Iustitia*, & *Iur. tract. 4. num. 267.*, & *seqq.* ratio de *Cæcis* est, quia solus auditus in testibus regulariter non sufficit, sed præsentia, & visus requiritur, *cap. testes 15. caus. 3. qu. 9.*, *cap. cum causam 37. de testibus*, *leg. testium 18. Cod. eod. titul.* qui enim non vident, præsentes nunquam dici queunt, *leg. coram Titio 209. ff. de verbor. signif.*, *leg. quamquam prima ubi Bartol. ff. de auth.*, & *consens. Tutor.*, & quoad *Surdos*, & *Mutos* ratio est, tum quia animi sui sensum exprimere nequeunt, tum quia testes viva voce deponere, eiusque dicta a Iudice audiri debent.

6 Notant tamen DD. quod *Cœcus* a testimonio rejicitur in casibus, qui visum requirunt, dummodo non deponat de actibus ante cæcitatem visis, ad tradita per *Barthol. in l. ad testium 1. num. 5. ff. de testam. Mascard. de probat. conclus. 278. num. 9.*, *Hann. loc. citat. num. 267.* quia tunc cessat ratio, ob quam a testificando rejicitur, vel nisi agatur de re, quæ auditu percipitur tempore cæcitatis, dummodo loquentium voces notas habeat; sed ibi Judex diligenter exploret, an non deceptus sit Cœcus testimonium deponens, cum non sit difficile vocem alienam imitari, *Mascard. d. dicta conclus. 278. num. 15. & 16.*, *Roland. de Commiss. p. 2. libro 2. cap. 16.*, *Everard. de testib. c. 2. ex parte princip. n. 311. Campeg. regul. 118.*, *Meje in Colleg. Argentor. dicta th. f. 6. post n. 5.*, in hoc tamen postremo casu, etsi *Cœcus* deponat de auditu ob sibi notas contrahentium voces, non erit tamen integræ fidei, & omni exceptione major, proinde in numero illorum testium, qui ad convincendum requiruntur, non numeratur, ut ex doctrina *Angel & Albat.* docet *Campeg. d. regul. 118. limit. 5.*, *& Conrad in practic. §. 2. titul. de testib. quoad personas num. 73.*, & dissentientem *Mascardum*, *Pacianum* conciliat *Farinacc. qu. 61. nu. 30. & seqq.* in illis rebus, in quibus Cœcus non posset falli, ut in sono Campanæ, de strepitu, de tonitruum rumore, aut quod simile; secus si posset falli, ut cum deponeret de voce alicujus hominis.

7 Quo vero ad *Mutum, vel Surdum* is testimonium ferre non prohibetur super iis, quæ sub sensu cadunt, in quo non est impeditus, ut probat Textus *in l. discretis §. sin autem, & §. in eo autem C. qui testam. facer. possunt*; sic Mutus tantum, non Surdus deponere potest per scripturam ad sensum dicti Textus, *in l. discretis §. ubi autem C. qui testam. facere possunt, & in l. Pater §. Mutus ff. de acquir. hæredit.* vel Mutus, per signa, super his quæ audivit; & Surdus non Mutus, deponere poterit de his quæ vidit, ea ratione quia his respective sensus auditus, & visus non caret, consequenter cessat regula prohibitiva, *Unm. d. thes. prim. nu. 7.*, *Reuter. de testib. p. 1. num. 53. & seqq. Everard. d. cap. 2. num. 315. & seqq*; hos tamen nunquam crederem omni exceptione majores, ac ad convincendum habiles, ad tradita per *Joann. Wolfang in prax. Judic. p. prima cap. 9 num 70.*

8 *Tertio non convincunt* alii qui a testificando repelluntur ex *capite conjunctionis*, quo in numero sunt omnes producentis Consanguinei, Affines & Domestici, *l. testis 9.*, *l. penult. ff. de testib. l. 3. & 5. C. eod. titul.*; sic ad testimonium dicendum non admittuntur *Parentes pro liberis & liberi pro Parentibus*; ratio est, quia eos reciprocus amor suspectos reddit, *cap. si testes 3. § Parentes 4. qu. 2.*, *Engel. in Jus Canon. p. 2. tit. 20 num. 24.*, *& ibi Konig. num. 13.*, *Hil. rop. p. 3. tit. 19. cap. 2 post num. 10. Bach. ad Treutl. vol. 2. disp. 5. th. f. 8. litter. F.*

9 Igitur *Parentes & liberi omnes ascendentes, & descendentes*, tam Masculini, quam Fœminini sexus in infinitum, non habita quoad liberos emancipationis ratione, & potestatis patriæ, nec volentes quidem, tam pro, quam adversus se invicem, ad testimonium admittendi, multoque minus cogendi sunt, *ex sanctionibus tum Canonicis, tum Civilibus superius allegatis*; nec refert cujus conditionis fuerint, an legitimi, an naturales, an incestuosi, an spurii, an adoptivi; *Everard. d. cap. 2. num. 28. & seqq.*, *Reuber. de testib. p. 2. n. 33. & seqq. Unm. d. thes. 3. n. 18. Mejer. in colleg. Argen. tit. de testi. thes. 9*

10 Insuper sub hoc capite continentur *Fratres, & cæteri Consanguinei*, atque etiam *affines*, usque ad quartum gradum exclusive, *ex capite Consanguinei, capite accusationes 2. quæstio 5. cap. absens. 3. quæstio 9.*, *L. lege Julia, & Leg. 5. ff. de testib.* quod extenditur etiam ad Amicos & familiares, qui amicitia, vel familiaritate aliqua arctiori inter se junguntur, *d. cap. accusatores*, ubi etiam ratio indicatur, quia propinquitatis, & familiaritatis affectio Veritatem impedire solet; de Fratre autem vel Sorore, quod contra Fratrem, vel Sororem testificari liceat, extra dubium est per Textum *in Leg. 4. ff. de testib.*, licet Frater, aut Soror ad hoc cogi nequeant, tam in civilibus, quam in criminalibus, *Gomez. de delict. cap. 12. n. 24. Crot. de testibus p. 5. num. 196. Carpzov. in respons. Elector. respons. 89. num. 37. & seqq.* ubi hoc ad reliquos Consanguineos extendit.

11 Pariter sub hoc eodem capite continentur *Conjuges* pro se invicē deponentes, ob maximā inter eos affectionem, cum dicantur duo in carne una, *Gloss. in cap. si testes verbo item ne liberto 4. qu. 1. & in l. etiam 3. Cod. de testib. verbo eadem*, *Heltrop. p. 8. tit. 9. cap. 2. post num. 10.*, *Wesembec. loco citat. num. 3.*, licet Conjux contra maritum esse possit, sed non cogatur, *Anton. Faber. in Cod. lib 4. tit. 15 d. fin. 1.*, *Carpzov. d. respons 89. Perez. in Codic. tit. de testib. num 9. & 10. Mejer. ad d. th. f. 8.* Maritus vero contra Uxorem cogatur *Carpzov. in proc. tit. 6. num. 25. & 26.* — ob rationem quod in Marito contra uxorem deponente periculum non imminet, sicuti in uxore contra Maritum testificante; & quæ dicta sunt de Conjugibus ampliantur in sponsis, concubinis, amasiis qui nec ipsi regulariter pro se ipsis invicem testimonium dicere possunt *Everard. d. cap. 2. num 99. & seqq. Campeg. de test. regul. 10. Perez. in Cod. tit. de test. num. 9. & 10.* — & in casibus vel exceptis, vel ob difficultatem probationis admissis, nunquam omni exceptione majores testes dici possunt, & ad convincendum habiles ob regulam menti habendam in omnibus casibus, ut testes inhabiles in aliquo casu admissi nunquam dicantur omni exceptione majores, & consequenter non convincere, *B. ff. de indic. num. 150. & 177.* cum aliis late cumulatis relatis per *Farinacc. qu. 54. n. 33. & 88.* & generaliter *in qu. 62. num. 383.*

12 Continentur etiam sub hoc capite *domestici, de domo accusatoris prodeuntes* qui nec minus convincunt, quia a testificando repelluntur, *Cap. in litteris de test. l. 2. C. de testib. l. testes eos ff. eod. tit. Berber. in victor. juris p. 1. de probat num. 52. Francisc. de Claper. in decis. fiscal. caus. 35. qu. 1. numer 10.* Domestici autem de jure appellantur servi, liberti, & Mercenarii, *in l. aspiciendum §. furta domestica ff. de pœn. & in l. præsenti §. fine ff. de his qui ad Eccles. confug.* ubi quoque additur colonus adscriptitius *l. pridem plenius C. de quæst.* & generaliter *Bar. in l. 1. ff. ad S. C. Silani in.* domesticos appellat omnes de familia, qui in eadem domo habitant victum habent, ac sunt Mercenarii unde Bald. *in C. Litteris de test.* domesticos appellat cohabitantes ad unum panem & unum vinum, & sic comprehendit servientes, & ancillas, *Alex. cons. 150. num. 11. tom. 3. Alvarus Vallisc. consult. seu decis. 45 n. 3.* Et licet in casibus exceptis, & difficilis probationis admittantur, præsertim ad ea probanda, quæ intra domesticos parietes fiunt, tamquam magis informatis ut concludit *Gloss. in Cap. tertio loco de probat.*

lat. verb. jurati: numquam tamen dicuntur exceptione majores, & ad convincendum sufficientes, ob regulam superius positam, quod isti testes subsidiarii nunquam videntur integræ fidei esse, & in his terminis intelliguntur limitationes relatæ per Everard. *in d. cap. 2. num. 126. & seqq.* ubi 29 limitationes congerit *Meyer. in Colleg. Argentorat. de Testibus thes. 10. num. 13. & Sammlus in tract. de servit. personal. libr. 2. cap. 3.* -- prout, & in casu difficultatis probationis conclusio intelligenda est juxta declarationem docte his verbis traditam a *Joanne Wolfgang. in prax. judiciar. p. 1. cap. 9. num. 75.* -- *quod tamen notabiliter hoc sensu accipi debet, ut domestici, & similes testes recipiantur, si veritas aliter haberi non possit propter qualitatem negotii, veluti illud consanguineis, vel domesticis probabiliter notum sit* ut est casus *in C. in litteris 24. de testibus, & huc etiam pertinet text. in C. quoties 5. eod. tit, alioquin si non subsit tale motivum non recipiuntur testes domestici, licet veritas aliter haberi non possit, sed pars quæ neglexit testes adhibere in negotio imputet sibi, cur alios non adhibuerit, atque ita post Speculatorem expresse declarat Alberic. de Moltis tractat. de testibus nu. 68. atque ita in causa nobilis Domini de Kunsberg. contra viduam Domini D. Sutoris Electorale dicasterium pro justitia pronunciavit*

13 Ex hoc capite etiã *conjunctionis* testis legitimus ad convincendum minime dicitur Compater Accusatoris, vel offensi, qui eum scilicet de Sacro Fonte levavit, vel de Sacro Chrismate, vel e contra; ea ratione quod hujusmodi Compater Patri adoptivo æquiparatur, ut docent Francisc. *Curtius in tractat. de testib. conclus. 30. num. 63., Joannes Crot. de testib. num 101. Vincent. de Anna singul. 65. Borell. in consil. 66. num. 25.*, & late *Francisc. de Claperiis in decis. fiscal. caus. 35. qu. 1. num. 20. & seqq. fol mihi 289.*, Hine inquit Imperator *in l. si quis alumnam C. de nuptiis* quod nihil est, quod magis inducat paternam affectionem, & nuptiarum prohibitionem, quam filiatio spiritualis, & conferunt ad rem Textus *in cap. Martinus, cap. sua de cognat. spiritual., in c. ita diligere, & in cap. pictacium 38. qu. 3.*, etenim iden Compater vocatur, quia loco Patris habetur; & quamvis in contrariam sententiam *cum aliis* per eum adductis abierit *Farin. qu. 54. num. 193.*, adversus quam perbelle insurgit Idem *de Claperiis num. 21 & seqq.* omnibus Adversariis argumentis occurrendo, ipse tamen *Farin. 200.* convenit, quod talis Pater Spiritualis, vel e contra filius Spiritualis non sit testis integræ fidei, & omni exceptione major, taliter ut indubium est, quod Compater in causa filii Spiritualis, & iste in causa Compatris Reum convincere nequeant; Et idem dicendum de *Alumno, Nutritore, & Nutrice*, quod non sint testes omni exceptione majores ad convincendum, ex ponderatis per Farinace. *in d. q. 54 num. 107. & seqq.*

14 Quarto non dicuntur testes idonei, & omni exceptione majores ad convincendum, *alii ex capite subjectionis*, ut sunt subditi, Vassalli alicujus magistratus, aut Baronis; etenim duobus modis quis alteri subditus aut Vassallus esse poterit, vel ratione feudi, vel ratione Jurisdictionis ob rationem traditam n *Consulto Licinio Ruffino libro 1. Regular.* ijs verbis -- *Idonei non videntur esse, quibus imperari potest, ut testes fiant, leg. 6. ff. de testib. ubi glossa additional.* ibi -- *Quid autem de Vassallo? dicit Gulielm. in specul. quod Iuramentum fidelitatis est species servitutis, repellitur ergo, quia ei potest imperari, argum. hujus legis.* & quidem quatrupliciter imperari potest, vel ratione Patriæ potestatis, vel dominicæ, vel ratione obedientiæ, vel ratione Jurisdictionis, ad tradita per *Gloss. loc. citat. in verbo idonei*, confert Textus *in leg C. de* testib. ibi -- *Eos testes ad veritatem juvandam adhiberi oportet, qui omni gratiæ, & potentatui, fidem religioni Judiciariæ debitam possint præponere*, & ibi -- gloss. *& Potentatui, idest subditi, quia idoneus non est cui potest imperari a parte; Joan. Wolfang. in praxi Iudic. cap. 9. num. 77.* In contrariam tamen contra sensum legis inclinavit sententiam *Farin. q. 55. numero 182. & seqq.* more suo ampliando, & limitando; verum post tot ampliationes, & limitationes concludere coactus est *num. 212*, quod tales testes non sunt integræ fidei, & omni exceptione majores, quod satis est ad nostram materiam, ut convincere non possint, & probat etiam *Everard. in d. cap. 2. n. 159.*

15 Sub hoc capite *subiectionis* comprehenduntur Coloni, qui secundum glossam in *cap. in literis verbo de familia de testib.* sub imperio dominorum dicuntur esse, proinde ad testificandum pro domino admitti non debent, consequenter aliquem convincere nequeunt si de aliqua deponant offensa, vel delicto contra dominum, vel in re Domini admissa, *glossa in §. Pater verbo in ea re Instit. de testam; Ioann. Faber in leg. 2. versic. Item C. de testib. Campeg. de testib. regul. 14.* quod præsertim locum habet in Colonis Adscriptitiis, seu Censitis ex mente *gloss. in d. cap. in literis Alberic. in l. etiam ff. de testib. Ison. in §. in testibus versic. adde Instit. de testam, & Cyn. in leg. 2. C. de testib.*

16 Colonorum enim plures sunt species, quidam sunt adscriptitii, quidam Censiti, quidam perpetui, quidam conditionales, quidam Inquilini, quidam liberi, de quibus *glossa in rubric. Cod. de agricol. & Censit.* dicuntur *Adscriptitii*, qui per scripturam solo adscripti sunt; *Censiti* appellantur, qui ad certum censum præstandum tenentur, *leg. 2. C. in quib. Causis Colon. cens. libro 11., leg. 2. C. de apparit. mag. libro 12.* Alii dicuntur *perpetui*, ut *in leg. unic. Cod. de mendic. val. libro 11.*, alii *conditionales* ut *in leg. cum satis §. cum autem C. de agricol. & censit*; Alii *simplices*, qui aut sunt *Partiarii*, aut *nummis* colunt, *l. cum in plures § messem ff. locat. l. si merces §. vis major ff. locat.* Alii *originarii* qui ex aliquibus conditionibus nati sunt de quibus *in leg. cum scimus C. de agricol. & censit libro 11. in l. originarios, & in leg. quemadmodum C. eod. titul.* Alii dicuntur *simplices seu Villani*, & sunt homines alienum, aut recommendati, secundum *Roffred. in libell. de Iur. civil. tit. de Villan.* Insuper alii dicuntur *Angarii*: qui serviunt propriis expensis, de quibus erat Simon Cyreneus, quem angariaverunt post Jesum portare crucem; alii vero *Perangarii*, qui faciunt operas suis expensis, *leg. 2. §. ad paragariam C. de Episcop. & Cleric., & in leg. 1. C. quemadmodum ad civil. muner. libro 11.*

17 Igitur inter hos colonos, regula statuenda est, quod si sint tales, quibus Dominus imperare potest, & tunc omnino a testimonio reiiciuntur, ex Juribus in præcedenti casu adductis; si vero non sint tales in quibus non cadit domini imperium, & tunc admittuntur, sed non sunt integræ fidei, seu omni exceptione majores, ob præsumptam affectionem inter eos, & Dominum, juxta distinctionem *gloss. in d. cap. in literis*, communiter approbatam apud *Alexand.*

gand. consil. 57. *num.* 14. *libro* 7. ; taliter ut nentiquam in criminalibus convincere possint, *Specul. in titul. de test.* §. 1. *num.* 12. ; *Nell. de testib. num.* 12. & plene *Gabriel. commun. opin. titul. de testib. conclus.* 10. *num.* 58.

17 *Quinto* nullo pacto convincere queunt in criminalibus testes illi, qui reiiciuntur ex *capite subversantis proprii interesse*, ii nimirum quos causa ipsa concernit, *in* re enim propria testificanti non creditur, absurdissimum namque esset, ut quis Accusator, & testis simul esset, *cap. insuper de testib. leg. nullus ff. de testibus leg. in omnibus C. eod. titul.*, vel Is admitteretur in testem, in quo commodum, vel interesse habet, iuxta terminos Textus *in leg.* 1. §. *in propria causa ff. quand. appell. sit.*, idcirco Nemo, licet dignitate constitutus in *causa propria*, *aut re communi*, & ubi in totum, vel parte interesse aliquod vel commodum (quod consistit in bonis, vel favore, gratia, compensatione, lucro, laude, vel affectione aliqua probabili), aut incommodum, (quo refertur periculum, damnum, odium, reprehensio, metus futurus, vel aliud probabile interesse, vel affectio, ex ipsa causa proveniens) vel affectionem habet, in testem recipiatur per dicta Jura in *d. leg. nullus* 10., *& leg. omnibus* 10. *de testib.*, ubi nihil refert hoc interesse, commodum, vel incommodum testi obveniat principaliter, & certum, vel necessarium sit, aut saltem per consequentiam quamdam ; item quale sit emolumentum, sive enim de vero, sive de præsumpio, sive de pecuniario, sive alio commodo, sive de fama, & existimatione, aut laude consequenda, aut vitando dedecore, & reprehensione agitur, semper enim prædictæ dispositioni de non admittendo talem testem, locus datur ; ut scite præter *Farinace* materiam hanc latissime tractantem in *tract. de testib. qu.* 60. *n.* 2. *& seqq.* probant *Althus. libro* 3. *dicæolog. cap.* 34. *num.* 28., *& seqq. Everard. d. cap.* 2 *num.* 204., *& seqq.*, *VVesembec. in paratit. ff. de testib. num.* 3. *Treutl. vol.* 1. *disput* 6. *thes.* 8 *lit. D.*, *Campeg. de testib. regul.* 52., *& seqq.*, *Mejer. in Colleg. Argentor. ad titul. de testib. thes.* 7., *Perez. in Codic. tit. de testib. num.* 9., *& Carpzov. libro* 3. *respons. Elect. tit.* 7. *respons.* 67. *num. primo*, *& tit.* 9. *respons.* 88. *num. primo*, *&* 2.

18 Quo ex capite testes esse nequeunt *Primo* Accusator, vel plures qui accusationem impetrarunt, *Althus. d. cap.* 24. *num* 33 *& seqq. Everard. in d. cap.* 2. *num.* 204, *Wesembec. & Mejer. loco citat.*, omnes de domo Accusatoris prodeuntes, vel cum Accusatore, seu Accusatoribus continuam habentes conversationem, vel familiaritatem, *cap. Consanguinei* 3. *q.* 5. *in cap. testes* 4. *qu.* 3. *& in l. penult. ff. de testib.*, *Specul. in titul. de test.* §. 1., *& ibi Joann. Andr. & Bald. in addit. Aufrer. de reprobat. testium num.* 20. *Gigas. de crimin. læsæ majestatis libro* 2. *de probat. qu.* 2. *num.* 27.

19 Sed quid dicendum quo ad Denunciatorem ? distinguit *Eliseus de Bellagrand. in compend. method. crimin. tractat.* 1. *qu.* 13. *num.* 22. denunciatorem necessarium, qui ex præcepio, sive officii necessitate tenetur, a voluntario, & privato, ut primus testis esse possit, secundus autem non; discriminis rationem tradit, quod *denunciator necessarius* denunciat secundum conscientiam publicam, & testificatur secundum privatam ; privatus vero denunciat ut *Accusator*, & tanquam talis in testem admittendus minime videtur ; & in hanc distinctionem ex *Tosch.*, *& Bass.* descendit *Philipp. de Bictis in pract. crimin. qu.* 20. *tit.* 9. motus ratione adducta ab *Augustin. ad Angel. de malefic. in verbo Nec non ad denunciationem num.* 21., quod Publicus officialis secundum publicam conscientiam denunciat, & secundum privatam testificatur ; etenim officia hæc inter se compatibilia sunt : atque in hunc distinctionis sensum intelligunt Textum in *cap. licet Heli de Simon.* illis verbis -- *Ille qui venit ad denunciandum admittitur ad testificandum*.

20 Verum bona pace tum *Elisei Bellagrand.* ; tum *Philippis de Bictis*, nec non eorum, qui ab ipsis allegantur, eorum sententiam quo ad denunciatorem *necessarium* veram existimo, ut Is non totaliter a testimonio repellatur ; verum quod habendus sit inter testes habiles, & omni exceptione majores, tolerandum minime censeo ; negari namque non potest, quod Denunciator necessarius, post quam denunciationem suam ex officio expressit, aliquo modo contraxit, ea probare quæ denunciavit (licet de necessitate a Jure probandum non cogatur) ne mendax videretur in eo quod manifestavit, quoties non subsisteret ejus expositum ; qua præunte ratione, inficiari nequit aliquo modo verti si non primario, saltem secundario ejus honorem, laudem, aut dedecorem, ne mendax detegeretur, quod commodum secundarium, & consecutivum, imo præsumptum semper testi fidem diminuit ad tradita per adductos DD., quibus addimus *Passerin. in praxi q.* 12 *num.* 26. tanto magis quia tales denunciatores in eorum denunciationibus falsi comperti, impunes non evadunt, ad late tradita per *Mirand. de Ordin. Judic. q.* 12. *num.* 73. *& seqq.*

21 Potissimum, quia tales denunciatores necessarii manifestando crimina, semper apud Judices instant pro punitione delictorum, ut quotidie faciunt Procuratores, & Promotores Fiscales Curiarum, quibus in terminis Accusatoris formam assumunt in petitione justitiæ, & tanquam Accusatoribus æquiparati, testes esse nequeunt, ad tradita per *Passerin. loc. cit. q.* 8. *artic.* 12. *num.* 63. (licet *hic num.* 62. distinctionem prædictam *Elisei de Bictis* amplectatur) Imo si Judex denunciatorem necessarium in agendo persistere videat, ita ut potius sit Instigator, & Accusatoris personam induat, potest eum cogere ad probandum exposita, ac si Accusator esset; enim vero in hoc casu accusatio est palliata, siquidem quis solum extrinsece denunciare indicat, & tamen agit apud Judicem, ipsumque urget, & ad procedendum impellit, ut ad rem mirifice animadvertit Ludovic. *de Miranda de ordin. Judic. q.* 12. *art.* 2. *conclus.* 2. *num.* 18. ubi postquam docte de his publicis denunciatoribus, seu Fiscalibus loquutus fuit, & a quibus, & quomodo constitui debeant, inquit -- *Secundo dico, quod quando hujusmodi Denunciatores ita munus suum & officium explent, ut actionem in tali judicio videantur præferre, proferendo, & præsentando testes, & Judicem moleste urgendo, & excitando ut justitiam faciat, tenebuntur ipsi procul dubio, omnia, & singula præstare, quæ ad accusationem spectant, cum revera talis denunciatio, accusatio quædam palliata sit & nomine solo ab ea differat; ita tenet expresse Bartol &c. & habetur in l.* 1. §. *incidit ff. ad S C. Turpill.*, *quo fit, ut qui hoc modo denunciant, & fraudulenter utuntur hoc denunciationis genere, ad quod confugiunt, tanquam ad suæ pravitatis asylum, si legitimas probationes, reliqua necessaria non egregie*

præ-

præstiterint, sed in probatione ipsa defecerint, haud quaquam sunt exempti a pœna &c., & cum eo in hoc convenit Idem *Eliseus de Bellegrandi, d. tract. primo quæst. 3. num. 5.*

22 Sed quid dicendum in denunciatore Evangelico seu Fraternaliter, an in testem recipiatur? affirmative concludit, probat, explicat, & contrariis respondet Idem *doctissimus Ludov. Mirand. loc. cit. qu. 17. artic. 5. num. 182. & seqq.*, cujus dicta solum habere locum possunt quo ad Regulares, & in Tribunali S. Inquisitionis, ut ipse explicat, non autem in aliis Tribunalibus Secularibus, & Ecclesiasticis, in quibus ordo judiciarius servatur, & in quibus denunciantes semper exposcunt & instant procedi, & ad poenam deveniri, ut Juris est; & in levibus tantum hos publicos ex necessitate officii denunciatores in testes admitti tradit *Farinacc. q. 60. post num. 73.*, & latius *in q. 52. num. 168. & seqq. & 180. & seqq.*, verum eos etiam in levibus, nunquam exceptione majores crederem.

23 *Secundo* ex capite *subversantis proprii interesse* non dicuntur testes idonei, multoque minus ad convincendum habiles ii, qui asserunt alicui usuras solvisse, ut docent *Bald. in l. dictantibus num. 3. Cod. de testam.*, *Bertaz. consil. 33. n. 17. & consil. 170. num. 10. tom. prim. & consil. 251. num. 30. tom. 2. Osasch. decis. 72. post num. 5.*, quod procedit, etiam si eorum interesse expresse renunciarent, nam non propterea testes omni exceptione majores essent juxta doctrinam *Bursat. consil. 320. num. 89. & seqq. tom. 3. Claud. ad Bertazol. consil. 236. nu. 16. litter C.*, *Cravett. consil. 73. num. 30.*, *& post alios Caspar Manz chich. in suo Samaritan. Judic. tract. 2. cap. 3. section. prim. num. 13. except. prim. fol. 307.* negari enim nequit, quod licet ejus interesse renunciet, semper tamen aliquod modo offensus seu præjudicatus remansit ex solutis usuris, quod dicta renunciatione utique tolli non potest exemplo illius, qui offensam remitteret, & testificaretur.

24 *Tertio* sub hoc capite continentur omnes, qui deponunt, & tractant de se exonerando, & exculpando, & de alium inculpando etenim non convincunt imo non probant; Hinc si unus, vel duo, ex pluribus in rixa, vel de alio crimine inter plures imputatus, alios, vel aliter pariter inculpatum inculpet, seipsum exculpando non probat, ut in terminis furti docet *BRUNOR. a Sole in suis quæst. legal. 51. ante n. 99.* in terminis falsitatis *Port. Imolen. consil. 96. nu. 10.* & generaliter, *Riminald. consil. crimin. 82. nu. 23. tom. 2. divers.*, *Bertazol. consil. 60. num. 9. consil. 225. num. 21. & seqq.*, *& consil. 71. num. 28. tom. primo*, *Campeg. de testib. regul. 86. limit. 3.*, *& Albert. de Malet. in tract. testib. cap. 4. num. 68.* ubi explicat, quod ex quatuor qui fuerunt in domo, si Accusator unum tantum inculpet, seu accuset, potest alios tres in testes producere, etenim dicti testes in hoc casu non videntur deponere ad se exculpandum, secus vero si omnes quatuor accusasset, *Farin. quæst. 60. num. 20.*

25 Item continentur *Famuli*, *Partitores*, *Negotiorum gestores*, *seu aliæ Personæ*, dicentes aliquam rem, vel pecuniam sibi consignatas, alteri tradidisse, seu portasse, nam tractant ad proprium commodum de se exonerando, ut late probat *Idem Farin. loco citat. num. 23. & seqq.* ubi explicat; Hinc aliquem convincere nequeunt asserentes dictas res ab aliquo sibi derubatas fuisse, esto quod essent Personæ, quæ facerent particularem artem probandi has res juxta exemplum traditum a *Papiens.* relatum cum aliis *a Farin. loc. citat. num. 26.*, nam licet aliquo modo eis credendum sit, non tamen plenæ fidei videntur, ad tradita per Hippol. *Riminald. consil. crimin. 82. num 23. tom. 2. divers.*, *& consil 120. num. 10. & seqq. tom. 2. in ejus operibus.*

26 Comprehenduntur etiam sub hoc capite habentes affectionem ad causam, *ex cap. accusatores vel testes suspect. 3. qu. 5.*, *Abbas in cap. insuper num. 9. de testib.*, quia nec etiam convincit in criminalibus exceptis convincunt, puta hæresis & læsæ majestatis & similibus, *Oldrad. consil. 210. num. 7. Cravett. consil. 281. num. 4.*, sub quorum numero est, *qui affectavit*, ut accusatio, vel judicium super illo crimine institueretur, vel multum affectate deposuit, se magis benevolum, & affectionatum Accusatori ostendendo, quam Reo, *Anchar. consil. 227.*, *Cocheran. consil. 64. num. 39.*, *Alexand. consil. 152. num. 7. & seqq. libro 7.* vel desiderando, ut Accusator victoriam reportaret, *Paris. consil. 53. num. 17. tom. quarto consil. 55. num. 23.*, *consil. 61. num. 28. consil. 54. num. 28. & consil. 169. num. 34. & seqq. tom. 4.* insuper *qui consimilem causam* habet, causæ Accusatoris ad Textum *in cap. Personas de testib. ibi — Nolumus quod aliqui consimili morbo laborantes*; *Joann. Faber in §. Legatariis num. 2. Instit. de testam.*

27 Rursus *Advocatus*, *& Procurator* Accusatoris testes idonei ad convincendum, imo nec ad probandum dicuntur, ob præsumptam affectionem in causa, ex *cap. si testes omnes §. testes quos Accusator 4. q. 3. ibi -- Patroni etiam in causa, cui patrocinium præstitere, testimonium non dicant*, *l. final. ff. de testib. ibi*, *Mandatis cavetur ut Præsides attendant, ne Patroni in causa, in qua patrocinium præstiterint, testimonium dicant*, *Anton. Fabr. in Codic. libro 4. titul. 15. d. fin. 19.*, *Althus. libro 3. dicæol. cap. 34. num. 50. & 54.*

28 Quam prohibitionem etiam ad *Negotiorum gestorem*, *Administratorem*, *Sollicitatores*, *Executores negotiorum*; *Tutores*, *Curatores*, *& Actores ad lites in causis Pupillorum*, *minorum*, *& mulierum*, extendunt Doctores, taliter ut hi non tantum convincere Reum nequeant, sed nec etiam regulariter probant prout, ultra *Farin. loco. cit.* late tenentur *Umm. de process. disput. 16. thes. 4. nu. 31. Everard. in d. cap. 2. num 220. Albus d. cap. 34. num. 51. & seqq.*, *Meier. in Colleg. Argentor. d. thes. 7. & alii passim* Et notabis, quod in exceptis, & casibus difficilis probationis, in quibus admittuntur, semper sunt minus habiles, consequenter inefficaces ad convincendum, juxta regulam superius positam: reliqua vero, quæ *legatarium hæredem*, *Fideicommissarium*, *Creditorem*, *Debitorem*, *Cedentem*, *Donantem*, *Socium & Fidejussorem* respiciunt, earumque exceptiones personales ad testimonium perhibendum, quia potius civilem materiam Sapiunt, quam criminalem, idcirco remitto Lectores *ad Farinacc.*, nec non ad *Christophor. Frideric. in Process. Judic. p. 1. cap. 59 num. 27. & seqq. & ibi Tobias Heindengreg. in addit.* plenius tractantem.

29 Continetur etiam sub hac prohibitione *Proxeneta*, *seu Mediator*, qui in criminalibus non admittitur ad testificandum, multoque minus convincit, etiam in crimine Simoniæ, juxta Textum in *cap. 1. de testib. in 6.*, ibi — *Si non agatur criminaliter, sed civiliter*, *& ibi gloss. verbo criminaliter*, Campeg.

peg. de testib. regul. 86. limit. prima, imo talis Proxeneta potest suppleri ex depositione alterius testis integri contestis, vel ex numero, *Iason. in auth. si vero contigerit num. 5., & seqq. C. de Iudic. Marsil. singul.* 477., & eo fortius, quando aliquod perceperit emolumentum, vel sibi promissum fuit, vel munus, *Farinac. quaest.* 60. *nu.* 427., *& seq.*, & idem dicit in *num.* 431. de crimine usurarum, quod Proxeneta non sit testis idoneus ad condemnandum, *Everard. d. cap.* 2. *num.* 248. *Majer. loc. citat. de testib. thes.* 7., *Vmm. d. thes.* 3. *nu.* 24. *Christophor. Frideric. loc. citat. post num.* 22.

30 Sed quid dicendum de testibus Vniversitatis? regula est in criminalibus, quod testis de Vniversitate non admittitur ad favorem alterius eiusdem Vniversitatis, contra alium extraneum accusatum per eamdem Vniversitatem, ad *Textum in cap. super prudentia* 14. *quaest.* 2., & tradunt *Abb. in cap. insuper num.* 2. *&* 3., *& ibi Felin. num.* 104., *& seqq. Henric. Boich. num.* 16. *Dec. num.* 28., *& seq. de testib.*, nisi in quatuor casibus compendio relatis a *Christophor. Frideric. loc. citat. num.* 24., & a *Farinac.* mutuatis his verbis. *Nisi primo in defectum aliorum testium, vel secundo in casu defensionis, vel Innocentiae probandae, aut nisi tertio unus de Vniversitate testimonium diceret contra Concivem alterum eiusdem Vniversitatis, aut quarto forsan Vniversitas foret magna*, quae limitationes desumuntur ex traditis per *Abbat. in d. cap. insuper num.* 4. *& seq.*, & latius per *Farinacc. qu.* 60. *num.* 512., *& seqq.*, non erunt tamen in his casibus testes omni exceptione maiores, sic unus solus non semiplene, & duo non plene probabunt, nec minus convincunt, *Abb. loc. citat. num.* 2., *versic. circa secundum Afflict. decis.* 400. *num.* 3., *& seq.*, *& ibi Vrsill. in addit.*, *Crot. de testib. num.* 132. *Bonifac. de Vitolin. in rubric. de testib. num.* 13. *Covar. practic. quaest. cap.* 18. *num.* 4. *versic. quin, & ipse*, & late *Henric. VVagnerech. in commentar. exegut. Sacror. Canon. libro* 2. *tit.* 20. *cap.* 6. *notab.* 2. Et notabis quod sub nomine Vniversitatis intelligitur Vniversitas tam secularis, quam Ecclesiastica, Monasterium, Collegium, Corpus, Civitas, ut admonet *Christophor. Frideric. loc. citat.*, & plura alia tradit *Francisc. Schmalzbrueber in Jur. Eccles. Univers. p.* 3. *tit.* 20. §. 2. *num.* 61. *tom. primo*

31 *Sexto* non convincunt, imo *reiiciuntur* aliī a testimonio ratione infamiae, juxta terminos *Text. in cap. ob crimen* 4. *quest.* 3. *in l. testium §. lege.*, *& in l. ob carmen ff. de testib.*, sed distinguenda est Infamia Iuris ab infamia facti; Testis infamia Juris laborans penitus est repellendus tum in causa civili tum in causa criminali licet sit emandatus, sed non restitutus, *cap. testimonium, c. licet ex quadam de testib.*, *lib.* 3. §. *L. Iulia ff. de testib. Campeg. de testib. regul.* 29. *& seq.*, *Treul. vol.* 2. *disput.* 5. *thes.* 8. *litter.* A., *Anton. Fabi in Cod. libr.* 4. *tit.* 15. *defin.* 45., *Reuber. de testib. par.* 3. *num.* 5. *& seqq.*, *Carpzov. p.* 1. *defin. for. cap.* 16. *defin.* 71. *& in Proces. titul.* 13. *artic.* 5. *num.* 110. *& seqq.*

32 Qui autem sint Infames infamia Iuris, eos refert *Bartol. in leg. prima &* 2. §. *final. ff. de his qui notant. infam.* ubi aut sunt Infames *ipso Jure a lege*, vel etiam a statuto Infames expressi, & declarati ante sententiam, ut ab exercitu ignorantiae causa dimissus, in scenam ludrice prodiens certandi, pronunciandive causa, lenocinium faciens, corporisve sui quaestum, collocans in matrimonium filiam in potestate Genero mortuo intra tempus luctus, qui bina sponsalia, binasve nuptias suo nomine habuerit, si vir nubit in feminam, vel mulier nubit in virum, Mulier in adulterium deprehensa. Aut *secuta sententia* infames dicuntur, qui judicati sunt judicio publico v. g. calumniae, praevaricationis furti, vi bonorum raptorum, iniuriarum, de dolo malo, fraude, & similia, quae habentur *in leg. notatur. cum leg. seqq. ff. de ret. nupt.*, *in leg. prima ff. de sepulcr. violat.*, *& in leg. si re*, *C. ex quib. caus. infam. irrog.*

33 Infames vero infamia facti, quales sunt ii, quorum opinio, atque aestimatio, apud honestos, & graves viros gravatur, & quando quis convenitur, & accusatur pro aliquo delicto, actione non famosa, descendente tamen ex delicto *cap. testimonium cap. final. de testib.* hi in criminalibus (quidquid sit, in civilibus) absque dubio a testificando repelluntur, *gloss. in leg. Cassius verbo turpitudinem ff. de senat. ubi Bartol. versic. si vero quaeras*: imo in his casibus in quibus in subsidium admittuntur, ut quia agitur de delictis exceptis, vel difficilis probationis, tales subsidiarii testes nunquam dicuntur omni exceptione majores, & ad convincendum idonei ad tradita per *Pax Jordan. elucub. libr.* 14. *titul.* 18. *post nu.* 328. prout idem dicendum a fortiori est de testibus Juris infamia laborantibus, etiamsi admissi in subsidium fuerint in decem illis casibus relatis per *Ludovic. Gilhaus. in arbor. Iudic. tom. primo par.* 2. *cap.* 6. *artic.* 1. *de testib. num.* 22.; vel ubi veritas aliter haberi non potest, nunquam censentur integrae fidei, & ad convincendum sufficientes, ut ex pluribus tradit Idem *Pax Iordan. d. titul.* 18. *num.* 296.

34 Ex hoc capite namque a testimonio, & multo fortius a convincendo repelluntur Criminosi, Text. *in capite super eo* 1. *ubi gloss.*, *& DD. de testib. cap. constituimus* 3. *quaest.* 5. *leg.* 3. §. *lege Iulia ff. de testib.* late *Ludovic. Gilhausen. in d. artic. primo post num.* 23., cum hoc discrimine tamen, quod de Jure civili, criminosus debet esse condemnatus, ut a testificando arceatur, ut in *d. leg.* 3. §. *leg. Julia*; de Jure autem canonico sat est, quod crimen oppositum fuerit, licet adhuc condemnatio sequuta non fuerit, *d. cap. super eo*, *ubi gloss.*, *Abbas num.* 3. *& Felin. num.* 3., vel melius dicendum est, quod de Jure civili sat erit, quod crimen in Judicium per viam accusationis deductum fuerit, etenim Iure civili *Accusatus* a testificando excluditur, *leg. in testimonium ff. de testib.* canonizata *in cap. si testes* §. *in testimonium* 4. *q.* 3., *cap. final. ubi DD. de testib.*, sic etiam Carceratus a testificando quoque repellitur tum de Jure canonico tum civili, esto quod non fuerit adhuc condemnatus, *cap. si testes omnes* §. *lege Julia*, *ubi glossa verbo in vinculis* 4. *q.* 2., *d. leg.* 3. §. *lege Julia*, *& ibi gloss. verbo publica ff. de testib.*

35 Inter Criminosos autem a testificando repelluntur PERJURII, *cap. si qui convictus e. parvuli* 22. *qu.* 5., *cap. quicumque* 6. *qu.* 1. *cap. ex parte de testib.*, *Ricci decis.* 18. *tom.* 2. EXCOMMUNICATI, *capite veniens* 3. *de testib. capite excommunicamus* 1., §. *credentes de haeretic. Speculat. de testib.* §. 1. *num.* 30., *& seqq.* BANNITUS, *Vmm. in Process. Judic. loc. citat. thes.* 10., *Mejer. in Colleg. Argentor. de testib. thes.* 6. *post. num.* 7., USURARIUS *leg. improbus*, *ubi DD. C. quibus causis infam. irrog.*, *Everard. in d. cap.* 2. *nu.* 271. *Vmm. in d. disput.* 16. *thes.* 1. *num.* 10.

36 Praeter enumeratas Personas etiam sequentes pro-

propter commissum delictum, & hinc contractam infamiæ notam, & vilitatem tam in civili quam in criminali causa testificari prohibentur, *Fur*, *Homicida*, *Maleficus*, *Sortilegus*, *Adulter*, *Incestuosus*, *Sodomita*, *Falsarius*, & similes per Textum *in l. 3. §. Lege Julia ff. de testib. Campeg. de testib. regul. 27. & 28. Everard in d. tract. de testib. cap. 2. num. 251. & seqq. p. 6. princip.*, adduntur & alii, ut *MERETRIX*, *l. palam §. non solum ff. de rit. nuptiar.*, *l. athletas §. ait Prætor ff. de his qui notant. infam.* *BIRRUARII*, *Bald. in l. fin. l. q. 7. & seqq.*, *C. de edict. divi Adrian. tolland.* *SPURII* *cap. si gens Angelorum distinct. 16. Plotus de in lit. jurand. §. 50. nu. 12.*, *BLASPHEMI*, *LUSORES*, *EBRII*, *HISTRIONES*, *APOSTATA*, *FALLITI*, *PRODITORES*, *BUFFONES*, *ET CALUMNIATORES*, de quibus omnibus late agunt *Pax Jordan. d. tit. 18. nu. 491. & seqq.*, *Campeg. de testib. regul. 42. & seqq.*, *Gilhausen ind. arbor. p. n. 27.*, ubi addit *LENONES PUBLICANOS*, *STIPENDIARIOS*, *ET TESTES PRÆTIO CORRUPTOS*, & *Christoph. Frideric. de Process. Judic. cap. 59. num. 14. & seqq.*

36 Insuper testis Pauper, licet bonæ qualitatis non dicitur testis omni exceptione major, proinde licet in totum a testimonio non repellatur, non tamen erit sufficiens ad convincendum; etenim contra se habet semper præsumptionem illam mendacis, & corruptionis, apertis literis expressam a *Textu in l. 3. in princ. ff. de testib.*, *canonizata in cap. si teste*, *§. testium fides 4. q. 3.*, *& in cap. in primis*, *§. si d. de personis 2. q. 1.*, *Pax Jordan. d. titul. 18. num. 521. tom. 3.*, atque ita intelligendi videntur Doctores illi docentes, Pauperem probatæ Vitæ & honestæ, nec minime suspectum, in testem recipi posse, quos refert *Christof. Frideric. dicto cap. 59. num. 16.* intelliguntur enim, quod non in totum repellatur, non autem, quod sit integræ plenæ fidei & omni exceptione major, ut explicat *Pax Jordan. loc. citat. num. 581.* & latius probat *Reinfestuel in Jus Canon. libro 2. tit. 20. de testib. num. 93. tom. 2.* ubi contrariis objectis occurrit.

37 *Septimo* rejiciuntur a testificando, aut saltem ad convincendum non sunt idoneæ *Mulieres* ratione *sexus*, signanter de Jure canonico, *cap. Mulierem*, *& ibi Gloss. verbo nec testi. 33. qu. 5. cap. forus*, *& ibi glossa verbo fœmina de verbor. signif.* Et licet de Jure civili non repellatur, ex *l. ex eo ff. de testib. l. qui testamento §. mulier ff. de testam.*, nunquam tamen dici possunt omni exceptione majores, *Unm. d. disp. 16. thes. 4. num. 19*, *Albhus. libro 3. decalog. cap. 32. num. 9. & 10.*, Hinc tres fœminæ nec minus in causis criminalibus convincunt, ut ex Farinacc. & aliis docet *Reinfestuel. in Jus Canon. libro 2. decret. titul. 20. §. 3. num. 87. tom. 2. & Pirhing. in Jus Canon. tom. 2. de testib. num. 68.*

38 *Octavo* rejiciuntur a testimonio ferendo, & nullo modo convincunt, *ratione Religionis*, Judei, Hæretici, seu alii Infideles deponentes contra Christianos, *cap. non potest*, *cap. Pagani*, *& ibi glossa verbo accusatus 2. q. 7. cap. ipsa pietas 23. qu. 4.*, *l. quoniam 21. & auth. credente C. de hæretic.*, & quamvis in delictis exceptis, & difficilis probationis in testes admittuntur, nunquam tamen sunt integræ fidei, & ad convincendum habiles, sed tantum ad indicium, & præsumptionem, *cap. fidei favorem & cap. contra Christianos de hæret. in 6.* *Pax Jordan. loc. citat. num. 413.*, *Everard. d. cap. 2. num. 320.* *Campeg. de testib. regul. 46.*, *Joannes Wolffang. in praxi Judic. p. 1. cap. 9. num. 85.* Francisc. *Schmier in Jurisprud. canonic. libro 2. tractat. 2. c. 5. sect. 1. §. 4. post num. 61. tom. 2.*

39 *Nono* tandem a testificando rejiciuntur *ratione odii*, Inimici, ac exteri ae Domo, familiaritate, & conversatione Inimicorum prodeuntes, nec non illorum Amici, qui nullo pacto habiles dici possunt ad aliquem convincendum, *cap. repellantur*, *cap. cum P. Manconella*, *cap. cum oporteat de accus. l. 3. ubi gloss. ff. de testib. leg. quoniam C. eod. titul.*, Inimico enim nec minus credendum est in articulo mortis costituto, etiam si Sanctissimam Eucharistiam sumpsisset, *Marsil. in l. 1. §. præterea post num. 7. ff. de quæstion*, *Wolffan. d. cap. 9. num. 87.*, *Pax Jordan. d. tit. 18. num. 159. & seqq.* & de teste Amico vel Familiari Inimici, vel Accusatoris; signanter quando amicitia, vel familiaritas est magna, quod non sit omni exceptione major, consequenter non convincat late agit *Christophor. Frideric. in d. c. 39. post num. 34.* ubi alios allegat, & nonnulla Jura adducit *Farinacc. Schmier. in Jurisprud. Canon. to. 2. libro 2. tract. 3. cap. 5. section 1. §. 4. post num. 59 & 61.* Et de *Compatriota* Inimici, vel Accusatoris, quod non sit testis omni exceptione major contra exterum, ex *Francisc. Curtio de testib. conclus. 30. post num. 64.*, docet *Pax Jordan. in d. titul. 18. num. 268. tom. 3.*

40 Plura de testimonio laicorum contra Clericos & e contra præter *Farinacc.* quem omnes tanquam Antesignanum allegant, tradit *Anaclet Reinffestuel, in Jus canon. loc. citat. §. 1. num. 160. & seqq.* ubi etiam quomodo, quando, & per quem examinari Clerici debeant, *Pax Jordan. d. titul. 18. nu. 590. & seqq* ubi etiam agit de testimonio Religiosorum, *Christophor. Frideric in d. cap. 59. post num. 3*, nec non plura de testibus, qui non dicantur omni exceptione majores (consequenter ad convincendum inefficaces) compendio tradit *Modern. J.C. Neap. Joseph. Sorge in Jurisprud. forens. tom. 8. cap. 66. num. 20. & seqq.*

SUBSECTIO II.

De Testibus inhabilibus, & non convincentibus ob exceptiones, & defectus in eorum dicta.

SUMMARIUM.

1 *Dictum testis obscurum, dubitativum, incertum, & æquivocum in criminalibus non probat.*

Testes debent concludenter per necesse, non autem per possibile.

Verba ambigua testis interpretari debent favore Rei in exclusionem delicti.

2 *Testis confuse, & obscure deponens, an possit iterum examinari publicatis attestationibus?*

Quæstio distinctione resolvitur.

Judex ex officio potest quandocumque testes examinare.

3 *Prima illatio ad regulam circa testes obscure deponentes, & non concludentes.*

4 *Secunda illatio ad testem deponentem de credulitate.*

5 Te-

5 *Teſtis rationem ſui dicti reddere tenetur.*
Ratio teſtis quomodo eſſe debet, ut ſit congrua?
6 *Explicatur ratio reddenda per teſtem ſecundum corporis ſenſum rei de qua quæritur apeum.*
7 *Quæ requiruntur ut teſtis de viſu probet?*
8 *Loci diſtantia impedit teſti ſenſum viſus.*
Item tempus; *& quomodo teſtes de geſtis nocturno tempore deponere debeant, & interrogari?*
9 *Teſtes deponentes ad lumen Lunæ non ſunt omni exceptione majores.*
10 *Ad convincendum teſtes de falſo in factis nocturnis multum facit theorica novilunii, & plenilunii.*
11 *Quæ requirantur ut teſtes de geſtis nocturnis deponentes, probent?*
12 *Explicatur motus Lunæ per dies 29. & horas cum tabella quibus diebus, & horis nocturnis lucent.*
13 *Tabella prædicta non recte procedit, quando noctes vel ſunt majores, vel minores horarum duodecim, ſed tunc regulari debet ſecundum motum cujuſcumque ſigni Zodiaci, cum hac animadvertentia quod ſigna* Septentrionalia *majus tempus exigunt noctibus hyemis, quam ſigna* Meridionalia *in noctibus æſtivis.*
14 *Teſtes deponentes de geſtis nocturnis, cognoſcere debent delinquentem, & hujuſmodi cognitionis addere debent.*
15 *Teſtes dicentes cognoviſſe delinquentem ad vocem non convincunt.*
Nec minus probant dicentes aliquem ad clamorem cognoviſſe.
16 *Teſtes liquidantes Reum per nomen, & cognomen, non ex propria ipſorum ſcientia, quomodo ipſum identificare debent?*
17 *Teſtes non habentes notionem delinquentis debent eum inter plures recognoſcere, & quomodo fieri debet talis recognitio:*
18 *Teſtes in actibus carnalibus etiam videntes Virum ſimul commixtum cum Muliere, non convincunt.*
19 *Hujuſmodi teſtes nec minus convincunt in crimine Sodomiæ.*
Sodomiticus actus abſque emiſſione ſeminis intra vas, non punitur pœna ordinaria.
Opinio Rainaldi *evellitur a* P. Ameno.
20 *Teſtes ſingulares an probent? remiſſive.*
Teſtes de auditu alieno non merentur fidem in criminalibus.
21 *Conteſtis ſi non concordat cum eo qui illum conteſtavit, neutri creditur.*
Si conteſtes ſint plures, qui eos allegavit dicitur falſus.
22 *Teſtes allegati in conteſtes non examinati, præſumuntur auditi, & depoſuiſſe contra Fiſcum*
23 *Teſtes non concordantes cum dicto Accuſatoris non convincunt nec probant.*
24 *Teſtes deponentes per eadem verba, & per eumdem præmeditatum ſermonem, non convincunt*
25 *Teſtes inveriſimilia, & impoſſibilia deponentes non probant.*
Quæ depoſitio dicatur inveriſimilis? remiſſive explicatur dictum Maſcardi.
26 *Teſtis poteſt eſſe varius, contrarius, & vacillans*
27 *Teſtis quando eſt varius cui depoſitioni ſtandum eſt?*
28 *Limitatio ad regulam.*
29 *Quid dicendum de teſte ſibimetipſi contrario.*
30 *Teſtis vacillans an probet?*

31) *Teſtes contrarii inter ſe, quando non probant,*
32) *& quando inter ſe conciliantur,*
33) *&*
34) *Quid dicendum in contrarietate, ſeu repugnantia teſtium in ſubſtantialibus.*
35 *Teſtes varii, aut contrarii, quomodocumque inter ſe concilientur, nunquam tamen dicuntur teſtes omni exceptione majores, & efficaces ad convincendum.*
36 *Teſtis contradicens cum dicto Accuſatoris nunquam ad concordiam reducitur.*
37 *Teſtes plures pro Fiſco & pauciores pro Reo, nequeunt eumdem convincere.*
Nec etiam duo conteſtes, ſi tertius ab ipſis conteſtatus ab illis diſcordat.
38 *Teſtis pecunia corruptus non probat, nec convincit*
39 *Quæ expenſæ poſſunt licite, citra corruptionis ſuſpicionem a teſtibus recipi.*
40 *Teſtis falſus in uno, falſus in omnibus.*
41 *Proceſſus in una parte falſus, an in totum falſus habendus? afferuntur* DD. *opiniones & quæſtio diſtinctione reſolvitur.*
42 *Teſtes deponentes per ſcripturam, & non viva voce non probant.*
43 *Teſtis in repetitivo negans depoſuiſſe, ut apparet in informativo, non probat.*
44 *Negativa nuda eſt improbabilis, & quomodo teſtes negativam coarctare debent.*
45 *Teſtes negantes conſanguinitatem, & alia in interrogatoriis, convicti de mendacio non probant.*
46 *Teſtes deponentes ultra interrogata fidem non merentur.*
47 *Teſtes deponentes contra aliquam ſcripturam vel Inſtrumentum, quando illud, vel illam de falſo redarguere poſſint, ſi de toto illius tenore non deponunt.*

1 DElibatis exceptionibus, teſtium Perſonas reſpicientibus, quæque Reum convinci impediunt, libenter ad ea, quæ adverſus eorum dicta, & ad tollendam, vel enervandam illorum fidem, ut convincere nequeant, opponuntur, deſcendimus. Multa adverſus dicta teſtium obiici poſſunt; *Primo* quod teſtis, vel teſtium dictum ſit obſcurum, & non clarum, ut inquit *Gregorius IX. in cap. cum clamor. de teſtib.*, ibi -- *apertis atteſtationibus L., et G. ſuper ſimonia, ita depoſuere confuſe, quod ex dictis eorum non poteſt veritas declarari*; Hinc teſtis obſcure dubitative, incerte, ſeu æqua voce deponens nullam in criminalibus meretur fidem; etenim probatio obſcura, & incerta non relevat; ex decreto Innoc. III. *in cap. In præſentia* 8. *de probat.*, eo quia debet concludere per neceſſe, non autem per poſſibile, tum quia non probat hoc eſſe, quod ab hoc contingit abeſſe, *leg. non hoc* 4. *Cod. und. legit.*, *leg. neque natales C. de probat.*; tum quia teſtis verbum ambiguum ſemper favore Rei, & in delicti excluſionem interpetrandum eſt, & contra eum qui produxit, *cap. ex literis de probat. cap. inter dilectos de fid. Inſtrum.*, & *in cap. cum tu* 16. *de teſtib.* ibi -- *Nos dicta teſtium benigne interpetrari volentes ne perjurii reatu notentur, quin utrumque eſſe potuit: L. ſemper in dubiis ff. de regul. Iur.*, *gloſſa in d. cap. cum tu* 16. *verbo benigne Matt. VVeſembec in parat. ff. libro* 22. *titul.* 5. *num.* 7. *verſic. contra dicta fol. mihi* 527. *Ioann. Brunneman. in proceſſ. Iudic. cap.* 20. *num.* 70.

ubi paria sunt obscure, & nihil respondere per, Textum in leg. de ætate §. nihil ff. de interrogat. action.

2 Sed modo quæritur an testis, qui confuse, & obscure dixit testimonium, possit publicatis attestationibus iterum examinari ad declarandum eius dictum? distingue, aut id petitur ab Accusatore, & concedi nullo modo debet propter periculum subornationis, ad Textum in leg. produci 23. de testib. ubi glossa verbo produci, versic. Tertio quod non potest, & in §. quis vero, auth de testib., eadem glossa in cap. in præsentia verbo verbum dubium; si vero Judex id ex officio facere voluerit, & utique ei permittitur, non obstante attestationum apertura, etenim Judex quotiescumque necesse fuerit, testem interrogare, & iterum examinare poterit, ut est Textus in d. cap. cum clamor de testib. ubi glossa verbo ita deposuere, ibi -- dicas quod Judex ex officio suo hoc facere debet, & præcipue hic, ubi agebatur ex officio Judicis per Inquisitionem, non ad petitionem alicujus, & ideo si obscure dixit, iterum examinetur testis, & declaret, sive interpetretur dictum suum, quia in ambigua oratione spectatur sententia eius, qui eam protulit, & qualitercumque potest Judex inquirere veritatem, inquirere debet, & ante publicationem, & post, undecumque visum fuerit Judici potest interrogare, quia publicæ utilitatis interest ne crimina maneant impunita.

3 Infertur propterea, quod testis deponens per verba, quæ de necessitate non concludunt, ut puta, si bene memini, ni fallor, salva veritate forsitan possibile est, prima fronte mihi videtur, & similia nullam facit probationem, multoque minus convincit ut plura exempla tradendo docent Mascard. de probat. conclus. 1370. per tot. Francisc. Bordon. in manual. S. Officii section. 66. n. 23. Francisc. Schmalzgrueber. in Ius Eccles univers. par. 2. titul. 20. num. 102. versic. 3. Pirhing. in Jus canon. par. 2. titul. 20. num. 234., Caren. de offic. S. Inquis. p. 3. titul. 6. num. prima, & seqq., Francisc. Schmier. in Jurisprud. canon. tom. 2. libro 2. tract. 3. cap. 5. section. 2. §. 3. num. 106. & post. alios Pax Jordan. elucubr. libro 14. titul. 18. num. 1031. & seqq. ubi ex Farin. plures ampliationes, & limitationes congerit

4 Infertur etiam, quod testificans per verbum credo, uti incerte deponens nullam facit probationem, imo nec præsumptionem, etiam si testis dicat se certo, vel firmiter credere, ratio est, nam ad hoc ut testes probent, concludant, & convincant, testificari debent de certa scientia, non vero de credulitate, eo quod per credulitatem non potest veritas sciri, & cognosci; etenim non est testis officium, judicare, sed solum simpliciter factum narrare, ad Text. in cap. literas de præsumpt. & in cap. tertia loco. Cod. titul. Bald. in leg. sive possideti. post. n. 5. C. de probat. Cyn. in l. testium num. 9. C. de testib., Ludovic. Engel. in colleg. Jur. canonic. libro 2. tit. 20. §. 4. post. num. 52.; Nicol. Perrenot. in tract. de testib. section. 29. per tot. fol. 201., & Pax. Iordan. dicta titul. 18. num. 1006.

5 Secundo objici potest, quod testis interrogatus ut dicti rationem non reddiderit, ut Iura mandant in cap. cum. causam 37. de testibus in l. solam C. de testib., & in §. licet auth. de testib. ea ratione, quod causam sufficientem sui dicti non reddens non simpliciter, sed malitiose loqui videtur; unde respondens scio, quia scio, vel quia sic est, fidem mæreri non debet, non eadem enim debet esse ratio cum dicto l. pro hærede ff. de petit. hæredit., Innoc. in cap. causam de testib., Joann. Brunneman. de process. Judic. cap. 20. num. 71. ubi ratio debet reddi per sensum corporeum, aptum illi rei, de qua deponit. Nam dictum testis a ratione pendet, & per illam restringitur, ampliatur, & declaratur, Vmmius de processu disp. 16. num. 81. Klock. consil. 29. num. 314. & seqq. tom. primo, Schmier loc. citat. dicto §. 3. num. 107. tom. 2.

6 Ratio enim, ad quam tenetur testis, reddi debet vel de visu, quando factum controversum in oculos incurrit, vel de auditu proprio, si factum non sub oculos, sed aures cadat, quod si concernit gustum absque dubio illius obiectum, seu sapor nec videtur, nec auditur, proinde si quis vitrum plenum E. G. videat, non potest testificari, quod Vino sit refertum nisi etiam Vinum gustaverit, adeoque testis de gustu testificaturus rationem dicti per hoc reddere debet, quia gustavit, Stryck de Iur. sens. dissert. 6. c. 3. num. 1. & 4. & seqq., Idem de olfactu, etenim si de odore sit controversia, utrum E. G. hæc, vel illa materia sit Balsamum, ambra, tabaccus &c. utique fidem faciet testis, si rationem hanc reddat, quod materiam illam olfecerit, Stryck in dicto tractat. dissert. 5. num. 37. & seqq.; Ac eodem modo de his quæ cadunt sub sensu tactus, ut mollities, durities, gravitas, levitas &c, nam tenetur testis rationem sui dicti adducere, quia tetigit, Stryck loc. citat. dissert. 7. cap. 2. num. 22. & seqq. Schmier in d. §. 3. num. 107. & seqq.; Hinc rationem adducens, sed suo dicto incongruam, quia, E. G. non cadit factum sub illo sensu corporis, non probat, siquidē paria sunt non reddere, vel non reddere sufficientē l. solam, versic. nec alii. C de testib., Rota in causa Novarien. cor. Dunozet., & apud Paulum Rubeum in tract. de valid. legal. cap. 43. num. 27. & seqq.

7 Hinc non videtur sufficiens sola depositio testium de visu ad convincendum; ad effectum enim, ut hujusmodi testes plene probent tria concurrere debent; Primo juxta distantia; Secundo, quod oculorum vitio non laborent; Tertio aer non obscuratus, ut ex Joan. Sperlinero Instit. Physic. lib. 8. cap. 3. qu. 1. docet Samuel Strykius in d. tractat. de Jur. sensuum dissertat. 1. de visu cap. 4. de testib. de visu num. 32. & seqq.; quamobrem si probandum esset, quod Titius aliquod admisisset crimen, si testis dixerit, Titium fuisse illum, quia vidit, satis est; Item si dixit vidi faciem ejus, satis exprimit, nisi a tergo se vidisse asserat.

8 Huic autem dicto de visu derogatur loci distantia, si namque a longe dixerit se vidisse. advertenda est distantia, ut si est tanta, in qua sensus communiter possit decipi, plenam fidem non faciat; secus si distantia esset modica, ut docte ponderat Bartol. in tract. de testib. num. 42., propterea Idem Stryck inquit, quod talis testis nec etiam facit indicium; huic etiam derogatur tempus, quod verificatur in testibus deponentibus de factis, seu delictis nocturno tempore commissis, qui nisi reddant scientiæ causam, nempe quod luna lucebat, aut lumina erant accensa noctis obscuritatem tollentia, non solum non probant, sed etiam de falso suspecti essent ita docet gloss. communiter recepta in l. si cum exceptione §. in hac verbo ignorat. ff. de ea, quod met. caus. Bald. in l. si non speciali num. 1. ubi Jason. num. 10. C. de testam., & consil. 50. num. 5. tom. 3., sic Athenis testes hujusmodi de falso damnatos fuisse, post Plutarc. in Vit. Alcibiad. testatur Menoch. de arbitr. cas. 279. num. 2., & late Polidor. Ripa de

non

millam. temper. cap. 57. per tot., ubi quod in criminalibus ad offensam testis etiam non interrogatus, reddere tenetur rationem luminis lunæ, aut alterius lucernæ; secus vero ad defensam, nam talem rationem nisi interrogatus reddere non tenetur, *& nu.22. & seqq.*, plures limitationes congerit, quodque noctes *authumnales*, *& æstivæ sunt clariores*, & in his casibus sint pervigiles Judices ad testes interrogandos de hora præcisa delicti, Nam luna non in omnibus horis lucet, ad docte tradita *per Vincent. Mixill. in consuet. Barens. fol. mihi* 305. *nu.* 5.

9 Quodque hujusmodi testes deponentes de visu, ex lumine lunæ etiam plenæ, non sint omni exceptione majores, consequenter inhabiles ad convincendum, ob rationem, quod habet luna radios lugubres, tradunt *gl. ff. in §. nostra autem in verbo lucubratione Instit. de legat. Felin. in cap. sicut num.* 5. *versic. Item inficiari de re iudic. Roland. a Valle consil.* 3. *num.* 43. *tom.* 3. *Zilett. inter consil. crimin. divers.* 115. *nu.*42. *tom.*2., latissime *Codex Syntagm. commun opin. lib.* 4. *de probat. titul.* 9. *num.* 221. *tom.* 1. *fol. mihi* 500.

10 Hinc ad sæpe sæpius convincendos hujusmodi testes de falso, admonet *Pelidor. Rip. loc. citat. post num.* 46., quod plurimum facit theorica novilunii, plenilunii, & aliorum in ordine ad varia anni tempora, *ex Cepoll. cautel.* 231., siquidem si ad calculum revocatis lunæ diebus appareat lunam ea nocte non effulsisse, rejicitur testis, & falsi damnabitur, ut ita aliquando fuisse damnatos scripsit, *Bald. & Angel. in l. si cum exceptione §. in hæ ff. quod met. caus.*, Idem si luna esset parva, vel pluisse constet, aut aliter aerem obtenebratum fuisse, *Oldrad. consil.* 207., *Plot. de in lit. Jurand. numer.* 843. *& seqq.*

11 Et ad rem ita perbelle docet *De Angelis de offic. ual. Baron. c.* 237. *n.*2. -- *Ubi testes deponere debent de delicto noctis tempore commisso, necesse est ut dicant, vidisse, quia aer erat clarus, quia luna lucebat, vel quod aliud lumen erat accensum, imo non erit sufficiens dicere, quod luna lucebat illa nocte, sed erit declarandum, quod lucebat illa hora delicti, & circa hoc advertere debent Officiales, qui est recipiunt*, & quoniam testes nocturni hanc patiuntur exceptionem obscuritatis nocturnæ, ut testis nocturnus probare valeat, adducendo rationem sui dicti, quia luna lucebat ea hora, qua commissum fuit delictum, opus est referre regulam ad cognoscendum, quibus horis luna de nocte luceat, & Judex sciat, an testis juste loquatur.

12 Notum est apud omnes, quod luna est dierum viginti novem, & aliquid amplius, ut Judex sciat quando luna lucet, ne decipiatur a testibus, lunationes ejus usque ad decimam quartam inclusive multiplicantur per quatuor, & quot vicibus in numero multiplicato intrat numerus Quinarius, tot horis lucet luna de nocte, & unitates, quæ superfunt, indicant minuta horæ, nempe unaquæque unitas supra quinarium, continet 12. minuta, & sic numeratur lumen lunæ, incipiendo numerare horas ab occasu Solis, hoc modo.

Prima die Luna non lucet nobis, quia non potest intrare numerus quinarius.

Secunda die ad occasum Solis, Luna lucet una hora, *& m.* 36., quia binarius quadruplicatus facit octo, in quo intrat semel quinarius, & tres unitates, quæ faciunt 36. *m.* sic discurre in sequentibus usque ad diem decimum quintum plenilunii, quo die luna lucet per totam noctem; *A luna vero* 16 usque ad finem regula retrograda est servanda, non amplius dies lunæ multiplicantur per quatuor, sed solum unitates multiplicantur per quatuor, excluso *die* 16., numerando per retrocessum ab ortu Solis per horas matutinas, sicuti per horas vespertinas progrediebatur post occasum Solis in crescentibus lunationibus, sic.

Decimasexta die luna lucet undecim horis cum *min.* 12., nam ex data regula, ex hac die exclusa, usque ad trigesimam inclusive, sunt quatuordecim unitates, quæ quater ductæ faciunt 56., in quo quinarius undecim vicibus intrat cum unica unitate, ac proinde ea nocte luna lucet undecim *horas & m.* 12. & cum hac regula progredere quoad alios dies, usque ad diem 29., quæ caret luce sicut primus dies, quia ipsa intermediat inter Solem, & nostrum aspectum ac proinde a Nobis videri non potest; sed pro minori tædio in calculationibus, hanc tabulam tradimus parum dissimilem, ab ea quam tradit *De Angelis loc. citat. num.* 3. quam hausimus *a Bordon. in manual. S. Officii sect.* 69. *num.* 5.

Prima die non lucet.
Secunda die a sero ad horam usque lucet, & non ulterius.
Tertia die lucet per duas horas.
Quarta die per tres horas *cum* 22. m.
Quinta die per quatuor horas.
Sexta die per quinque horas cum 8. m.
Septima die per quinque horas cum 56. *m.*
Octava per sex horas cum *m.* 24.
Nona die per septem horas cum 12. *m.*
Decima die per octo horas.
Undecima die per octo horas cum 48. m.
Duodecima per novem horas cum 5. *m.*
Tertia decima per decem horas cum 34. *m.*
Quartadecima per undecim horas cum 48. *m.*
Decima Quinta est plenilunium, lucens per totam noctem.
Decimasexta incipit lucere post primam noctis horam usque ad ortum Solis.
Decimaseptima a secunda noctis hora ad ortum Solis.
Decima octava a tertia noctis hora.
Decima nona a quarta hora noctis ad ortum Solis.
Vigesima a quinta noctis hora per totam noctem.
Vigesima prima a quinta noctis hora.
Vigesima secunda a sexta noctis hora.
Vigesima tertia a septima noctis hora.
Vigesima quarta ab octava noctis hora.
Vigesima quinta ab octava noctis hora.
Vigesima sexta a nona noctis hora.
Vigesima septima a decima noctis hora.
Vigesima octava ab undecima noctis hora.
Vigesima nona caret luce nobis.

13 Verum tabella hæc inservire recte poterit in Æquinoctiis, cum dies & noctes currunt æquales duodecim horarum; in aliis vero temporibus, in quibus noctes crescunt, vel decrescunt, non eam invenieris exactam; nam cum Nox erit horarum *octo vel novem*, in qua etiam sex signa zodiaci cursu faciunt per noctem, dicta regula uti non poteris, sed in hoc casu consulendi sunt Astronomi; etenim in noctibus *octo horarum*, cum luna pervenerit ad ultimum quadratum Solis, nempe die 21. *vel* 22., tunc luna incipit lucere hora quarta, nempe in media nocte us-

usque ad ortum Solis, & tamen in posita tabella apparet lucere hora quinta; propter hoc regul audium magis existima juxta motum signorum peragrantium in zodiaco tam *septentrionalium*, quam *Meridionalium*.

14 Sed redeundo ad testes deponentes de gestis nocturno tempore, notandum insuper est, quod ipsi addere debent, quod viderunt, & cognoverunt delinquentem; potest enim contingere, ut videant, & non cognoscant, unde de cognitione debent reddere causam scientiæ, scilicet, quod erat suus Concivis, vel quia illum in practica prius habebat, ut eum aliis docet Idem de *Angel. de Offic. Baron. cap. 237. num. 5.*, *& Samuel Stryck in d. tract. de Jur. Sens. diss. 4. cap. 4. nu. 43.*, & notabilem casum in quo tales testes, nec etiam ad lunæ lumen probant, refert *Vin. in commun. opin.*, *opin. 951. post nu. 7.*, & de aliis casibus decisis videndis *Matthei de regim. Regni Valent. cap. 8, §. 8. num. 205. & seqq.*, *& De Ros. in pract. Crimin p. prima c. 1 num. 26.*, *versic. Unde Antonius*, & de testibus cognoscentibus delinquentes ex igne tormentarii pulveris accensi, occasione explositionis Archibugii, loquuntur *Carn. de Offic. S. Inquis. p. 3. titul. 6. num. 25.*, *& Caldero decis. Carolin. 7. num. 48. t.p.*

15 *Tertio objici* potest, quod testes dixerunt cognovisse delinquentem ad vocem; etenim nunquam dicuntur omni exceptione majores, consequenter duo non essent idonei, & efficaces ad convincendum, quemadmodum unus non efformaret indicium ad torturam juxta Doctrinam *Flin. in cap. sicut num. 5. de re judic. Boss in it. de indic. num. 173.*, *Roland. a Valle consil. 1. num. 42. & seqq. tom. 3.* ubi late *Cravetta consil. 99. num. 9.* & hoc duplici ratione, tum quia fallax est scientia, quæ a Voce desumitur, cum fatis sit alienam imitari, & alios fallere domesticos, *Clar. quæst. 21.*, *Polidor. Ripa in tract. de nocturn. tempor. cap 58. nu. 10. & seqq.* & post alios *Prat. respons. crimin. 6. nu. 27. & seq.* tum quia Voces sæpe mutantur, cum alia sit Vox Pueri, alia Adulti, alia Juvenis, alia sani, alia ægroti, alia ebriosi, alia spirante vento, alia tempore quieto, ut ex Bartol. declarat *Rip. loco citat. cap. 58 post num 10.* & multo minus convincunt testes deponentes aliquem cognovisse acclamantem, etenim ex notitia vocis non colligitur notitia clamoris, *Cravett. consil. 1 n. 4. Farin. q. 69. n. 112. 167. & 172. & Samuel Stryck. in dicto tract. de Jur. sens. dissert. 3. de audita cap. 1. num. 172.*, *Conciol. alleg forens. 83. num. 24.*

16 *Quarto* obiicitur contra dicta testium ad eos repellendos, aut inefficaces reddendos ad convincendum, quod testes Reum liquidant per nomen, & cognomen, non ex sua ipsorum certa scientia, sed ex aliorum auditu, & tamen illum inter plures more solito non recognoverunt, ut de identitate illius Personæ appareat, & indubitate, & certe liquidetur Persona, quam Judex punire intendit, juxta terminos Text. *in l. hac actione 3. § si quis noxali ff. ad exhibend.*, *in l. cum 3. §. quod ait ff. de public.*, *& Vectigal.*, *& in l. certum ff. de reb. credit.* ibi — *Certum est cujus speciei, vel quantitas, quæ in obligatione versatur, aut nomine suo, aut ex demonstratione, quæ nominis vice fungitur, qualis quantaque sit ostenditur; nam & Pædius nihil referre ait proprio nomine res appellatur, an digito ostendatur, an vocabulis quibusdam demonstretur, quatenus mutua vice res fungantur, quæ tantundem præstent.* *Glossa in §. si vero ignoti litter. E. authent. de testib.*, *& in l. final. §. sin autem dubius verbo cognoscant C. de Jur. deli. rand.*, & ratio deducitur ex traditis per *Joan de Anic. consil. 52. num. 9.*, *& Hyppol. Riminald consil 360. num. 32. & seqq. tom. 3. Carol. Anton. de Ros. in praxi crimin. cap. 9. num. 17. & seqq.* ubi idem practicandum edocet, quoties testes Reum per nomen solum, vel cognomen nominant; quia plures esse possunt ejusdem nominis, & cognominis, etenim ut convincant necesse est, ut Reus a testibus liquidetur per demonstrationes, ac differentias, quæ Personam a persona distinguunt, ad *Text in leg. si nominatim 34. ff. de condit.*, *& demonstr.*

17 Et hæc fortius locum habent, quoties testes dicant, se nominatim Delinquentem non cognoscere, sed quod bene eum cognoscerent si viderent: Nam debet Reus ipsis testibus ad effectum præmissum, ut recognoscatur, & identificetur exhiberi in habitu, & vestibus, prout erat tempore delicti, ita, quod illis non inferatur recognoscendi difficultas, ad tradita *per gloss. in cap. cum causam verbo de causis*, *versic. Et si dubitetur de testib.*, *Bald. in l. final. §. cum igitur*, *& in §. sin autem dubius nu. 17.*, *& ibi Angel post. num. 5.*, *Salicet. num. 9.*, *C. de Jur. d lib. Bartol. in l. testium num. 4. ff. de testib. Lancellot. Conrad. de offic. Prætor. in praxi*, *tit. de testib. rubr. de non cognosc. litig. num. 45. & seqq. fol. 135. Pax. Jordan. elucubr. lib. 14. titul. 18. num. 844. tom. 3.* Advertat tamen Judex, ut ante hanc recognitionem, faciat testes in eorum examine describere ætatem, staturam, capillaturam, & faciem Inquisiti ad evitandam subornationem, ut admonet *Idem Carol. Anton. de Ros. in d. cap. 9 n. 15.*, & cum *Scacc.*, *Guazz infra citand. num. 7.*, *Cavalcan. in tractat. de testib. part. 5. num. 207.* Et qua Forma debeat fieri hujusmodi recognitio latina explicant *Scacc. de Judic. cap. 86. nu. 59.*, *& seqq. tom. 1. de Ros. loc. citat. num. 19.*, *Guazzin. ad def. nf. Reor. defens. 20. cap. 19 num. 7.*, ubi allegat *Milleum*, *Foller. & alios*, *& cap. 20. per tot.*, ubi requisita recenset hujusmodi recognitionis, seu confrontationis, quæ summatim etiam recensentur a *Carol. Anton. de Ros. in dicto cap. 9 num. 19.*, *& De Angel. in tractat. de habilit. Reor. copit. 25. per tot.*

18 *Quinto* obiici contra dicta testium potest, ad effectum, ut non convincant, quod unus post alium per rimulam ostii, Virum & Mulierem adulterium patrantes, seu inter se commiscentes viderunt, aut alium sodomiticum actum, quem committentem: fundamentum est, quia crimen Sodomiæ, prout illud Adulterii directe, & sufficienter probari non potest per testes de visu deponentes, se vidisse hunc, & illam se commiscentes, etiam si adderent deprehendisse Adulterantes in ipso coitu, & vidisse eos habere membrum in membro; cum delicti consummatio inducatur per emissionem seminis, quæ visu a testibus percipi non potest, ob aliquod intrinsecum impotentiæ impedimentum, ut perbelle *ex Panorm.*, *Cravett. Campeg.* & aliis docet *Joan. Zingeri in tract. de quæst. cap. 2. num. 73.* his verbis *sic etiam si testes d ponant se vidisse Titium supra Cajam jacentem, nisi tamen dicant expugnasse, sen eripuisse pudicitiam tremulantibus feminibus, ut utar verbis Poæ a Pontani, adulterium non probatur, nec quidem præsumptive, cum fieri possit Titium Cajam non cognovisse, aut minime id perficere potuisse, vel ob impotentiam, aut aliam causam, vel quod Caja inepta fuerit ad actum venereum cum eo perficiendum,*

&c

& in hunc sensum conveniunt *Ioann. Harprect. in §. Item lex cornelia 4. num. 59 Instit. de public. Iudic. Anton. Matth. de probat. cap. 2. num. 22. Samuel. Strikius cap. 4. de testib. de visu post num. 28. 52.*, & *53.*, & *dissert. 3. de audit; cap. 1. post num. 37. & seqq.*, & *Carpzov. in pract. crimin. quaest. 122. num. 75. tom. 3.*

19 Propterea tales testes nec minus convincunt in crimine Sodomiæ ad effectum capitalem dictandi ultionem; nam non concludunt per necesse, quod tamen intra vas sodomiticum emissum fuerit, prout requiritur ad talem pœnam imponendam ob rationes, & auctoritates late adductas per *Carol. Anton. de Rosa in pract. crimin. libro 2. cap. 3. post num. 43.*, & *seqq.*, *ubi ex Sanfelic. decis. 351.*, ita decisum fuisse testatur; & pro tortura tantum ex depositionibus talium testium decisum fuisse refert *Samuel Strykius in d. tract. de Iur. sens. dissert. prima de visu cap. 4. de testib. de visu num. 52.*, & *53.*, nec dissensit *Carpzov. in pract. crimin qu. 76. n. 59. tom. 2.*, & cum aliis Anton. *Polic. de praemin Reg. Audient. titul. 10. cap. 34. num. 7.*, ubi in conflictu opinionum hanc pro extraordinaria amplectitur duabus ductus rationibus per eum adductis; hinc audiendus minime videtur *Dominicus Rynald. in cap 21. §. 1. num. 40.*, & *seqq.*, qui sententiam pro pœna ordinaria amplexus est debili fundamento ductus, quod validissimis rationibus reiicitur *ab Auctore nostro P. Anton in tract. de Delict. titul. 4. § 11. post num. 39*, & *seqq.*, prout etiam distinctio *Farinac. in qu. 148. num. 63* in quo sensu sit intelligenda, declarat *Anton. de Sous. in aphorism. Inquis. libro primo cap. 59. post. num. 7.*

20 *Sexto* obiici potest contra dicta testium ad enervandam, vel debilitandam eorum fidem, quod sint singulares, de qua exceptione diximus supra *in section. prima*, quin dicta repetamus; *Septimo* contra eos obiicitur, quod de auditu alieno deposuerint, ac proinde nullam mereantur fidem, ad *Tex. in cap. licet ex quad m. de testib.*, *in cap. tam literis eod. titul.*, & in *leg. testium ubi gloss. in verbo praesto Cod. de testib.*, late Camill. *Borell. in summ. decis. tom. 2. titul. 13. per tot.* ubi docte, & eleganter *ex plurium Philosophorum auctorisatibus* quinque humani corporis sensus explicat, nempe *visum, auditum odoratum, gustum*, & *tactum*, ex quibus causa scientiæ a testibus omnino reddi in eorum depositionibus debet ad evitandas hominum falsitates, & mendacia, & *num.* 28. docet quod præsumptio illa quæ oritur ex dicto testis deponentis de auditu alieno, operatur ut transferat onus probandi in Adversarium, dummodo a quibus Personis audiverint, nominet; etenim non debet esse melioris conditionis copia, quam Auctor, *cap. fraternitatis de haeretic.*, quam præsumptionem admittimus in Civilibus, non autem in criminalibus, in quibus nulla præsumptio delicti ex dicto talium testium oritur, ex traditis per *Piring. in Ius canon. libro 2. tit. 20. de testib. num. 137.*, & notabilis est casus relatus a *Caramuel. in Theolog. resulat. num. 1881.* late etiam agit *Pax Jordan. in d. libro 14. tit. 18. num 882. & seqq.*, & plura de testibus de auditu alieno deponentibus ultra *Farinacc. in suo tractat. de testib.*, tradit *Anaclet. Reiffenstuel in Jus Canon. libro. 2. titul. 20. num. 360. & seqq. tom. 2.*

21 *Octavo* opponitur contra dictum testis, quod alium dederit in contestem, qui vocatus, & examinatus negat id, quod alter testis deposuit; ex hoc enim casu non tantum primæva depositio redditur inefficax, & invalida, sed etiam de Falso suspecta ad Text *in l. 1 ff. quemadmod. testam. aper. gloss. in cap. licet causa verba contradicant de probat Bald. in l. testium 14. num. 13. C de testib.*, & *in d. cap. cum causam 37. num. 7.* ubi *Felin. num. 2. Alexand. consil. 34. vol. 3. consil. 43. & 90. tom. 4.* & nulli dubium est, quod neutri credendum sit; etenim quilibet in dicto suo remanet singularis, singularitate *OBSTATIVA, gloss. in cap. bonae memoriae verbo singulares de elect.* & *in cap. nihilominus 2. quaest. 9. verbo eadem est quaestio*, *Innoc. & alii in cap. nostra de testib.*, *Franciscus Carrab. in tractat. de praemin. M. C. num. 21. & seqq.*, *Prat. discept. crimin. respons. 23. num. 75. & seqq.* Verum quando plures sunt a dicto teste dati in contestes, tunc si ipsi deponant contrarium, non solum datus testis dicitur suspectus de falso, sed dicitur omnino Falsus, ut declarant *Bald.*, & *Felin. loc. citat.*, *Farin. cons. 37. num. 14. & consil. 81. num. 23. tom. primo*, *Eugen. consil 27. num 51. tom. primo.*

22 Et si testis, aut testes dati in contestes sint vivi, nec appareant per Fiscum examinati, non modica oritur suspicio contra ipsum Fiscum, Accusatorem producentem, & testem, qui eos contestavit, ad tradita per *Farinac in quaest. 69. num. 92.*, & *Vermigliol consil. 61. num. 16.* nam intrat regula *Vulpelli in consil. 40. num. 2.* communiter in Tribunalibus recepta; quod tales contestati, vel contestatus extraiudicialiter auditi fuere, & quia deponebant contra Fiscalem intentionem idcirco formiter non examinati, nisi Fiscus probasset, quod in contestem vel contestes vocati examinati non fuerint ob aliquod impedimentum legitimum, vel ob illorum absentiam iuxta individualem doctrinam *Escobar. de perit. & nobil. par. 1. quaest. 6. §. 4. rubric. de examin. testium num. 6. & 7. Prat. discept. crimin. respons. 29. num. 23.*

23 *Nono* obiicitur, quod dictum testis, vel testium contradicit in tempore cum dicto Accusatoris ut exempli gratia Accusator dicat delictum commissum esse die 3. Iunii, testes vero deponunt illud patratum fuisse de mense Maii siquidem in hac verborum dissonantia, aut Testes, aut Accusator, sunt falsi, nec ad concordiam reduci possunt in civilibus, multoque minus in criminalibus, in quibus liquidissime requiruntur probationes, DD. communiter *in l. 2. §. creditum ff. si certum petat.*, & *in cap. cum su obi Felin. num. 9 de testib.*, *Surdus*, *Vermigl.* & *Rota apud Prat. discept. crimin. respons. 6. num. 36. & seqq.* ubi quod eo fortius non tantum non convincunt, sed nec etiam ullum probationis gradum efformant, quando discordant cum Accusatore, quoad locum; nam eis obstat singularitas obstativa exemplo testium Susannæ *ex cap. nihilominus*, ubi *gloss. 3. q. 9. & cap. licet ubi gloss. de testib.*, *Idem Prat. respons. crimen. 30. num. 39.*, & *Vermigl. consil. crimin. 408. post. num. 16.*

24 *Decimo* opponitur contra dicta testium, quod per eadem verba, & per eumdem præmeditatum sermonem deposuerint; tunc enim non solum non convinciunt, sed tanquam subornati, & de falso suspecti omni fide destituti videntur, ad *Textum in l. 3. §. primo ff. de testib.* ibi — *unum, eundemque præmeditatum sermonem. Nell. de testib. num. 195. Tindar. de testib. par. 3. cap. 10. num. 5. Mascard. in rubric. C. de probat. num 358. & seqq.* cum aliis *apud Joann. a Royas de haeretic. par. 2. num. 133.* quod ita

mutа,

mita, quando vis esset in verbis, vel quando testes essent interrogati de formalitate verborum, quia tunc idem præmeditatus sermo illis non obstat, imo si discordarent in verbis, non probarent juxta ponderata per *Farin. de testib. q. 65. num. 28.* ubi plures alias limitationes adducit.

25 *Undecimo* obiicitur contra dicta testium, quod inverisimilia deposuerint, vel impossibilia, ut exemplificando docet *Passerin. in praxi crimin. q 14. artic. 2. num. 17. Boss. de opposit. contr. testes num. 94 & 96.* ubi etiam declarat quæ depositio dicatur inverisimilis, *Brunor a sole in quæstion. legal. q. 51. num. 107. & seqq., Caravit. consil. crimin. 116. num. 16. & seqq. tom. 2. divers.* nam quod inverisimile est, & impossibile falsitatis imaginem habet, nec testium numerus hunc defectum sanare poterit, *Mascard. de probat. conclus. 1364. num. primo & seqq. & num. 12 & seqq. tom. 3.* ubi limitat in teste omni exceptione majore, qui sui dicti rationem concludentem adduceret, vel pro se haberet aliquam præsumptionem, sed pace *Mascardi* nec non *aliorum*, qui hanc eamdem limitationem repetunt, restrictio hæc superflua videtur, etenim nullo pacto testis dictum potest de inverisimilitudine, seu impossibilitate redargui, quoties concludentem rationem suo dicto addit, vel præsumptionem pro se habet; imo in his casibus testis depositio potius verisimilitudine adminiculata videtur, quam inverisimilitudine, seu impossibilitate.

26 *Duodecimo* opponitur, quod testis sit *varius*, vel *contrarius*, vel *vacillans*; *VARIUS, SEU VARIANS* dicitur, qui varia loquitur Bald. *in cap. præterea num. 7. de testib. cogend.* hoc est, qui non stat firmus in dicto suo, puta quia in uno Judicio sic, in altero autem, sive iterum examinatus diverso modo loquitur super eodem facto, nulla variationis causa assignata, alioquin si variationis causam assignaret, potius dictum suum corrigere, quam variare censeretur, *Joann. Andreas in dicto cap. præterea post num. 10.*, *CONTRARIUS* vero testis dicitur, qui deponit duo, vel plura inter se repugnantia, ut si quis interceptus, per diversas interrogationes sibi factas, talia asserat in uno, eodemque examine, quæ prorsus inter se repugnant, & simul esse non possunt; (quod multoties experitur in testibus qui repetuntur sub interrogatoriis); quæ contrarietas multoties in distinctis testibus detegitur, non raro directe contraria, & mutuo repugnantia deponentibus; quorum testium contrarietas inveniri potest in omnibus materiis, & per singula decem predicamenta, ut de testium singularitate dictum est; *VACILLANS* vero dicitur testis, quando timendo, dubitando, vel titubando testimonium dicit, *Joan. Andreas in dicto cap. præterea post num. 10.*, onde ut testis censeatur vacillans, sufficit, quod dubitando, timendo, aut titubando deponat, etsi non loquatur contraria; idcirco ait *Paris de Puteo in tractat. de sindic. §. viso de Judicis post num. 7.*, quod quis dicitur vacillare in testimonio, quando deponit, dubitando, vel tremendo, vel sudando præ nimio timore loquendi.

27 Quibus præmissis, quo *ad testem varium*, regula est, standum esse primæ juratæ illius depositioni, quando in diversis Judiciis, vel in diversis examinibus super eodem Judicio, varia, seu contraria deponit, ea ratione, quod non debet esse in potestate testis per falsi machinationem tollere jus jam quæsitum parti, pro qua prius deposuit, & congruunt verba Textus *in l. generaliter C. de non numer. pecun.* ibi -- *Nimis indignum est, ut quod sua quisque voce dilucide protestatus est, in eumdem casum proprio valeat testimonio infirmare*: Accedit Textus *in cap. sicut nobis de testibus*, ubi non creditur testibus, qui asserebant se corruptos testimonium perhibuisse, sed mandat Pontifex, ut super hoc diligenter inquiratur, & si probetur corruptionis veritas, tunc primum sententia retractetur.

28 Patitur tamen regula limitationes, ut quando ex intervallo se corrigens, facti allegat errorem, & probat, tunc enim falsi pœnam evitat, & secundum dictum, non primum, attendendum erit, tanquam validum, & legitimum, *Gloss. in cap. final. verbo juxta causa de jur. jurand. in 6.*, *Zoesius libro 2. decretal. titul. 20. de testib. num. 41.*, Item quoties secundum erit magis verisimile, quam primum, vel adminiculatum, vel aliis præsumptionibus, seu conjecturis suffultum, ad *Textum in cap. literas 14 de præsumpt.*, *in cap. per tuas 12. de probat.*, & *in cap. cum causam 37. de testib. Tindar. in tract. de test. variat. libro primo cap. 11. num. 5. & c. 14. num. primo*, Item quando primum dictum esset non juratum, secundum vero juratum, cum vis depositionis consistit in juramento, *cap. testib. de testib. & attestat. Tindar. loco citat. num. primo, & seqq.* & alias limitationes, & declarationes invenies, præter *Farin.*, apud Camill. *Borell. in summ. decis tom. titul. de testium Variet per tot.*

29 Quo vero ad *testem sibimetipsi contrarium* in una eadem depositione, certum est, non valere ejus testimonium, ut probant *Textus in cap. nihilominus 3. q. 6.*, *in capite quod autem 23. quæstio 7. in capite sollicitudinem 54. de appellat.*, & *in cap. licet causam 9. §. quanquam de probat.* nisi forsan hoc fecerit incontinenti corrigendo dictum suum, ut habetur *in cap. præterea de testib. cogend.* ibi -- *Quorum testium testimonia si quandoque non studiose, sed in proferendo erraverint, & se incontinenti correxerint, reprobari non debent*, & ibi glossa *in verbo incontinenti.* explicat hoc verbum, idest in eadem Judicis instantia, antequam loquatur Partibus, vel antequam recedatur a præsentia Judicis, quia postea subornatus præsumitur.

30 Quo vero *ad testem vacillantem*, quando deponit vere dubitando fidem non meretur, quia hoc ipso, quod vere dubitet in neutram inclinat Partem, sicque incertum est ejus testimonium, nec est ratio cur uni potius, quam alteri Parti assensus præbeatur ac proinde tollitur ejus fides in totū, Joann. *Andreas in c. præterea post n. 10. de testib. cogend.*, ubi *Innoc. & Baldus* inquiunt, quod qui dubitando loquitur, vacillat in ejus fide; quod si vero sit tantummodo vacillans, quatenus deponit titubando, timendo, sive sudando, tunc probatio ejus non tollitur in totum, bene tamen de ejus fide diminuitur, *Alberic. in l. qui falso num. 5. ff. de testib.*, & Judex debet testis vacillationem, & causam ipsius in actis ponere, & per quem modum vacillavit, debetque ipsam vacillationem scribi facere in actis ipso deponente intelligente, & tunc quando deponit juxta Textum *in l. de minore §. tormenta ff. de quæstion.*, *Innoc. in capite quoniam contra de probat. Bartol. in l final. ff. de quæstion. Iacob. Cagnolen. in repet. cap. quoniam contra post num. 55. de probat.*, *Paris. de Puteo loco citat. post num. 7.*

31 *Decimo tertio opponitur*, quod testes sunt inter se contrarii, ac repugnantes: Verum in hoc ad plura animadvertere oportet, aliquando enim unus testis repugnat, seu contrariatur pluribus, & merito consensu plurium victus fidem eorum non infirmabit

sed

sed potius ipse solus infirmatur ob rationem adductam in *Textu in cap. venientis de testib.*, nisi testis ille simul cum aliis subscriptus sit Instrumento, cujus fides jam vacillabit, *l. 1. ff. Testam. quem adm. aper.*, aliquando duo sibi contradicunt, & proinde invicem fidem derogant, tales enim testes sunt singulares singularitate obstativa, *DD. in l. 9. C. de testib.* quo in casu, ex sententia Martini scribit *Jacob. Cujac. in cap. 13. de fid. Instrum.* hos testes invicem contrarios perinde sibi fidem detrahere, ut de scripturis dicitur *in l. diversæ 14. C. de fid. Instrum.*

32 Quoniam vero aliquando plures pluribus repugnant, seu contrariantur, & sibi ipsis fidem adimunt, & collidunt, ad *Text. in cap. cum in Ecclesia Sutrina ubi gloss. de caus. possess. & propriet.*, *in cap. super his de pœnis cap. licet de probat.*, *in l. ubi repugnantia ff. de regul. Iur. in l. qui falso vel varie ff. de testib.*, *& in l. cum precum C. de liberal. causa* propterea in hoc casu *quinque* sunt gradus, seu officia Judicis juxta tradita per *Oldendorp. de testib. cap. final.*, *& Mysing. practicar. observat. centur. 4. observ. 38.* enim vero *primo* distinguendo tentare debet testimoniorum conciliationem, si forte tantum in specie dissident; æqua enim interpretatione opus est, non vero calumniari dicta testium, aut rationem oportet, ut inquit Alexand. III. in *capite cum tu 16. de testib. ibi Nos dicta testium benigne interpretari volentes, ne perjurii reatu notentur, quia utrumque esse potuit*: Et quamvis hæc conciliatio videatur juxta sensum Pontificis pertinere ad evitandum perjurium, & crimen falsi, adhiberi etiam potest ad faciendam fidem, nisi Judici aliud videatur, *Rebuff. de testib. num. 113.*

33 *Secundo* quoniam verisimilitudo cognata naturæ dicitur, & e contrario, id quod non est verisimile imaginem habet falsitatis, idcirco explorandum est, quæ testimonia sunt verisimiliora, idest naturæ, qualitatique, & consuetudini negotii convenientiora *Leg. 21. § 3. ff. de testib.*, *Viv. decis. 199. & decis. 366.*, vel firmiore innixa pertesti m reddita ratione, *Gramm. consil. civil 30.* videndum *Tertio* qui testium fidei auctoritate præcellant ex honestate, fama, dignitate singulorum, *l. 3. ff. de testib.*, de qua prælatione latissime *Camill. Borell. in summ. decis. tom. 2. tit. 14. titul de Testium prælatione per tot.*. Videndum insuper *Quarto* si omnia jam dicta in eadem paritate concurrunt, tum demum sequitur id Judex quod majori numero testes asseveraverint, *l. 2. §. 3. ff. de testib.*, *Bursatt. consil. 332. Hieron. a Laurent. decis. 122.*, quod si & hic æqualitas sit, pronunciabit semper contra Fiscum, vel Accusatorem, cum probatio incerta, & obscura nullius momenti sit *cap. ex literis de probat.* & in parium suffragiorum conflictu, ac testimoniorum inexplicabili pugna, pro Reo semper pronunciandum videatur, *l. in ambiguis l. 2. ff. de regul. Iur.*

34 Videndum *Quinto*, an contrarietas, & repugnantia sit in substantialibus, vel aliis, etenim contradictio in substantialibus circumstantiis, signanter loci, vel temporis omnem fidem illis adimit, exemplo testium *Susannæ* apud *Danielem cap. 13.* ut dicit *Azo. in Summ. Codic. libro 4. titul. 21. n. 5.* *Ioann. Berber. in Viator. Iudic. titul. 2 num. 72 & seqq. p. 4.*, *Tindar. de testib. cap. 7. nu. 1. & seqq.* *Damhouder. in praxi crimin. cap. 171. num. 14.*, *Ioann. Millæus in pract. crimin. §. invocatus num. 10 & seqq.* Si autem vacillarent, vel essent varii, aut contrarii in circumstantiis non substantialibus, vel quo ad extrinseca, non tamen circa factum principale, tunc fide destituti minime dici possent, ut habetur *in d. cap. cum Ecclesia Sutrina ubi Gloss. in verbo vacillasset*, *& in d. cap. super his de pœnis*, *Curtius in tract. de testib. conclus. 5. num. 16. & seqq.*, *& Boss. in tit. de tortur. testium n. 28 & seqq.*

35 Unum tamen advertendum est in hac materia *convicti*, quod tam testis in se varians, contrarians, vel vacillans juxta sensum Modestini *in leg. 2. ff. de testib.*, *in leg. eos qui ff. ad leg. Corn. de falsis*, *& in leg. qui falso, vel varie ff. de testib.*; quam testes inter se contrariantes, & repugnantes, juxta alios *Textus superius allegatos*, etsi quandoque ad concordiam reducuntur, signanter ad evitandum perjurium, & falsitatem, ex dispositione Textus in *d. cap. cum tu de testib.* nunquam tamen possunt dici habiles, & omni exceptione majores ad convincendum, ea ratione, quod per varietatem, vacillationem, vel contrarietatem, factum semper redicitur dubium, ut optime animadvertit *Ludovic. Roman. consil 156. num. 2.*: Hinc absurdissimum esset, ut probatio dubia deservire possit ad convincendum in pœnam ordinariam, quæ apertissimas, & luce meridiana clariores exigit probationes, ad Textum *in cap. in præsentia de probat. in leg. 16. C. de pœn.*, *in leg. 25 C. de probat.*, *& in leg. Mitem C. eod. titul.*, *Vdalric. Zas. in leg. inter stipulantem § si Stichum num. 12. ff. de verbor. oblig.*, & post alios *Borell. consil. 6. num. 32.*, *& in summa decis. d. titul. 12. num. 7.*, *& seqq. tom. 2.*

36 Et notabis etiam, quod si testis contradicit cum dicto Accusatoris, qui eum produxit, vel alterius testis, qui eum in contestem allegavit, nunquam inter eos potest dari concordia, *Innoc. in cap. cum contingat de offic. deleg.*, *Bartol. in leg. 2. §. creditum ff. si certum petat Angel. de malefic. in verbo falsa. in num. 27. versic Quid si sint plures*, & cum *Cravett.*, *& Conrad.*, *Borell. d. titul. 12. nu 32.*, qui ante *num. 28.*, *& seqq.* explicat, & declarat, quando testis dicatur se incontinenti corrigere ad evadendam variationis notam, plures ad id referens Doctorum opiniones.

37 Pront idem dicendum est, quando Accusator plures testes haberet pro se factum deponentes, alii vero pauciores ab eis discordarent; licet namque cæteris paribus valeat testimonium plurium inter se concordantium, ipsi tamen convincere Reum nullo pacto possent; etenim negari nequit, quod ex tali quorumdam contradictione, licet pauciorum, circa delicti substantiam, seu qualitates intrinsecas facti non concordantium, testium fidem debilitari, ut minus probent, juxta doctrinam *gloss. in cap. in nostra verbo adversa*, *& ibi Abbas num. 3. de testib.*, *Pirhing in Ius Can. libro 2. titul. 20. de testib. n. 145.* atque ita dicendum esset, quoties duo testes contestes, tertium contestem allegarent, qui negaret interfuisse, vel aliquid scire, aut recordari alicujus facti; quamvis enim dicti duo concordantes præferri debeant unico testi, nihilominus ex contradictione hujusmodi tertii, inficiari nequit, illorum depositiones aliquo modo debilitatas esse, ut amplius integræ fidei dici non valeant, & ad convincendum insufficientes *ob auctoritates paulo ante adductas*; potissimum quia, cum dictus tertius testis ab ipsis allegatus sit in contestem, nulla potest inter eos dari concordia, ex traditis *in præcedenti numero*; eoque magis quia unicus testis faciens per Reo præferri debet

duobus testibus fisci, saltem ad illorum dictum debilitandum, ut ex *Abbat.*, *Cret.*, *Gabriell.*, *& Boss.* docet in terminis similibus *Farin. qu. 65. nu.* 112., *&* 157., & faciunt *tradita supra in sectione prima nu. 17., & 19.*

37 *Decimo quarto* excipitur contra testium dicta, quod depositio fuerit facta per testes non pro veritate, sed mediante pecunia, unde illorum depositio nihil probat, imo testis pecunia corruptus poena falsi tenetur, Text. *in L. 1. §. sed, & si quis 2. ff. ad L. Corn. de fals. Misinger. pract. observ. centur 6. observat. 67. Vulpellus cons. 68. num. 7. & seqq.*, quod procedit etiam si pecuniam receperit pro ferendo vero Testimonio, ad tradita per Anton. *Gomez. ad Leg. Tauri 83. post num.* 10., ea ratione, quod ille qui tenetur aliquid gratis facere, si pro eo recipiat pecuniam, turpiter recepit, *ut in Leg. 1., & 2. ff. de condit. ob turpem causam Anton. de Bell. tract. crim. lib. 1. quæst. 26. nu. 65.* -- Excepto casu quoties Testis aliquid palam reciperet pro expensis, vel in compensationem servitii, nam tunc nullo modo illius dictum infirmatur, multoque minus punitur; ratio est, quia testi providendum est de victu a producente, *C. statum § penult. de rescript. in 6. L. quoniam liberi C. de Testibus, & L. eos C. de appellat.* Enim vero jacturam sentire non debet pro alieno commodo, *L. si quando C. de test. Gloss. in C. 2. vers. producentis de judic. in 6.*

38 Hinc Baldus *in C. 1. de Testibus nu. 2.*, inquit quod testis potest recipere omnes expensas, quas facit eundo, & redeundo; & infert, quod quando proceditur per Inquisitionem, Fiscus seu Principis Patrimonium solvit expensas, *Arg. Text in L. Mulier ff. de captiv. & postlim. revers., & in L. cum Navarcorum C. de Navibus, & Navic. lib. 11.* -- Et subdit etiam, quod testis consequi potest aliquid ultra expensas in recompensationem eorum, quæ perdit, quando avocatur a suis negotiis, & sequitur *Felin. in dict. Cap. 1. num. 2., & Guid. p. quæst. 68. num. 5.* -- ubi docet quod si testis esset laborator, consequitur Salarium ultra expensas; plura alia in hac materia traduntur *per Cotum in tract. de test. n. 406. & Policem. de Præeminent. tit. 7. cap. 3. n. 51. t. 1.*

39 *Decimo quinto* opponitur quod testis falsus in aliqua parte, seu circumstantia sui examinis, falsus haberi debet in omnibus ratione individuitatis juramenti: propterea testis depositio, tamquam individua non potest dividi, sed vel in totum acceptari, vel in totum rejici debeat, ad tradita *per Bald. in L. nulla 24. num. 2. ff de legibus Alex. cons. 72. num. 12. tom. 1. Hodierna ad Surdum dec. 16. n. 1., & seqq. Rota dec. 538. num 3. part. 4. recent., & dec. 262. num. 6. part. 6.* cum aliis adductis *per Cinciol. alleg. forens. 3. num. 32. & seq.* -- quodque testis in uno falsus, in omnibus falsus haberi debeat; probat Text. *in C. cum non dist. 16. in C. pura 11. quæst. 2., & in L. cum ejusdem ff. de ædilit. edict.* late pluribus adductis *Baldaxar. de Angel in addit. ad Gizzarell. d. 86. num. 7 & seq.*, ubi rationes expendit, *& ibi Joseph. Mele num. 7. & seq.*, ubi de communi opinione testatur.

40 Sed incidenter in quæstionem vocatur, an hac eadem ratione processus in una parte compertus falsus, super uno capite, censeatur etiam falsus in reliquis? pro affirmativa est *Novar. in prælud. de gravam. Vassal. gravam 1. num. 9. 10.* nec non late *Gizzarell. d. 86. per tot.* ubi quod talis processus comburi debet; aliter distinguit *Rainald. observ. crimin. cap. 18. §. 7. num. 153.* qui parum constans sibi ipsimet, contrarius apparet *in addit. ad d. c. 18. §. 7. num. 153. suppl. 4. num. 2., & seqq.* In hoc conflictu amplectenda videtur distinctio docte relata per *Fiechin. controv. Forens. lib. 9. cap. 79.* -- quam magis comprobat *Anton. Merenda contr. jur. lib. 5. c. 50. n. 2. his verbis -- distinguendum esse reor inter falsitatem cui error, imperitia, aut negligentia causam dedit, & eam quoque, quæ ex dolo profecta est: primo casu falsitatem non nocere partibus separatis existimo; secunda vero utique; Ut hujus sim Sententiæ hac facit ratiocinatio Quod fides adhibeatur instrumento facit illa notariis tributa a Principe mediate, aut immediate hoc enim facit, ut instrumentum a Notario confectum tantum habeat veritatis opinionem, ut ab eo discedere judici non liceat, nisi evidentibus probationibus ejus fide fuerit confutata, quod est illud quod dicere solemus, instrumenta publica probationem esse; Cum autem imperitia, error aut negligentia notarii in aliqua parte testamenti non sit falsis, ut existimemus idem quoad alias partes separatas, quia ex diversis non fit illatio, merito dicimus, falsitatem instrumenti in aliqua parte, cui non dedit malitia causam, non obesse aliis instrumenti partibus separatis: cum vero dolose eum scripsisse in aliqua parte rem, aliter ac gesta fuerit, constiterit, tunc evidens causa est, cur non præstemus eisdem instrumento nec etiam in aliis partibus separatis, quia opinio, quam de probitate Notarii habere solemus, eo ipso evanescit, quod infidelem eum fuisse constiterit in aliqua vel minima re; & proinde basis, cui instrumentum innititur, tollitur, qua sublata, ipsum corruere necesse est. Cum autem mala consequentia sit, Notarium eo tempore, quo instrumentum, de quo agimus, conscripsit, indignus fide erat; ergo eodem morbo laboravit antecacto tempore; propterea constituimus differentiam inter instrumenta antea Facta, & illud, de quo agimus; illa fide digna esse censemus, hoc vero nequaquam.*

41 *Decimo sexto* excipitur contra dictum testis, quod non viva voce, sed per scripturam deposuerit, cum regulariter prohibitum sit per scripturam testificari Cap. testes 3. quæst. 9. ibi -- *per quamcumque scripturam testimonium non proferant, sed præsentes de his quæ noverunt, & viderunt, veraciter testimonium dicant, Turrec. ibi in summ., & Præpos. in 1. notant.* quod locum sibi vindicat non tantum in testibus præsentibus in loco judicii, sed etiam in absentibus, qui per litteras, vel per scripturam judici transmissam depositionem suam efformare non possunt ob regulam, quod fides non faciat fidem, cum quatuor defectus patiatur citationis nempe, juramenti, præsentiæ, & quod non viva voce deponant, *Decian. cons. 51. Ricc. dec. 99. p. prima & late Pax Jordan. lucubrat. l. 14. tit. 17. num. 189. & seqq.* ubi ampliat, & limitat, *& tit. 18. num. 830. & seqq.* ubi ampliat, quod nec etiam creditur Cardinali, qui eum Juramento in fide extrajudiciali attestaret, *Beltramin. ad Greg. XV. d. num. 14.* Propterea inani fundamento tuentur nonnulli accusatores eorum intentionem justificare eum fidibus, seu depositionibus testium extrajudicialibus, nam nec minus admittuntur ad Reorum defensam, quorum probatio est magis privilegiata.

42 *Decimo septimo* objicitur contra dictum testis quod in repetitione, vel confrontatione negavit deposuisse, prout reperitur scriptum in Processu informativo; Et quamvis Doctores in hujusmodi casu dicant, minime testi credendum esse, quoties primæva

mera depositio a teste subscripta fuerit, vel facta sit coram Judice, & Notario, ad tradita per *Clar. in pract. crimin. qu. 53. num. 17.*, *Farinacc. consil. 139 num. 2. tom. 2.*, *Thesaur. Jun. quaest. forens. libro primo qu. 31. post num. 5.*, *Giurb. consil. 78. n. 16. & seqq.* adde eus, quod in casu quo examinatus fuerit per Notarium, nec ejus depositionem testis subscripserit, non creditur ei contra Notarium, nec Notario contra testem nisi essent plures, quam duo, *Guazzin. defens. 28. cap. 15. in princ.*, *Caball. resol. crimin. cas. 183. num. 3. Thesaur. Jun. loco citat. num. 7. & alii*, nihilominus prælaudati doctores loquuntur in terminis, quando agitur de puniando Notarium, vel testem de falso, non autem, cum inquisitio esset, an talis depositio eo modo a teste revocata in repetitione Reum afficeret, vel Reum convincere posset; eo namque casu, extra dubium est, primævam testis depositionem tanquam imperfectam nullius ponderis contra Reum esse, imo habendam, ac si facta minime fuisset, ut validis rationibus probat *Ziff. de legitim. Process. libro 3. qu. 110. per tot.*, ubi omnibus argumentis contrariis occurrit; & plures casus explicat *in quæstione sequenti per tot.*

43 *Decimoctavo* opponitur contra dicta testium ad effectum fidem illorum dictis adimendi, & consequenter testes inefficaces ad convincendum constituendi, quod per eosdem testes ad favorem Fisci, vel Accusatoris, aliqua negativa vaga, & indeterminata deposita fuerit contra Reum, ut cum Fiscus aliquod probare conetur, Reum non fecisse, quod crimen excluderet, siquidem talis negativa non cadit sub sensu, & de sui natura est improbabilis, ad tradita per *Herculan. in tractat. de negativ. proband. num. 133. & seqq.*, *Pocian. de probat. libro primo cap. 37. & seqq. Anton. de Bellis in tractat. criminal. libro 5. qu. 23. num. 9* ad effectum enim, ut testes Fisci favore, negativam aliquam probent, eam coarctare tenentur loco, & tempore, ut etiam hæc in sensum testis cadit, uti affirmativa, *Herculan. in d. tractat. num 260 & seqq. Pocian. libro primo cap. 36. num. 13. & d. cap. 37. num. 27 & seqq.*, imo testes de dicta negativa coarctata deponentes, ut probent, non solum removere debent *sensum ab actu*, dicendo *non vidisse, non audivisse, & similia*, sed debent etiam removere *actum a sensu* dicendo, *Nec esse aliter posse, quin ipsi testes vidissent, vel audivissent*, aliis negativam non probarent, ut communiter tradunt *Gabriel. commun. conclus. de testib. conclus. 4. num. 5. & seqq.*, *Guazzin. defens. 28. cap. 1. num. 12.*, *Vermigl. consil 248. num. 9 & consil. 252. num. 7. & seqq. & post alios Rot. decis. 42. num. 5 coram Ludovis.*

44 *Decimo Nono* opponitur contra dicta testium, quod super interrogatoriis, negarunt se esse *Consanguineos, Affines Accusatoris, vel Rei Inimicos, aut Pauperes, Sollicitatores, & similia*; etenim si revera tales esse comperiuntur, quod negarunt, non solum extraordinarie puniuntur, & nullo pacto Reum convincere nequeunt, tanquam hac falsitatis, & perjurii labe maculati, verum etiam probationis gradum minime constituunt, juxta doctrinam *Francisc. Cursii de testib. cap. 7. num. 5., & seqq.*, *Alberic. de Milet. in tract. de testib. cap. 7. num. 42.*, quam communem esse dicit *Bursatt. consil 331. nu. 12. tom. 3.*; *Farin. qu. 67. num. 126.*, *& Caren. de offic. S. Inquis. part. 3. tit. 6. num. 71.* nisi qualitas a teste negata, ei fidem non adimeret, quia non esset de illis, quæ testes a testificando repelleret, secundum declarationem traditam a *Farin. in d. qu. 67. num. 131., & seqq.*, *& Caball. resol. crimin. cas. 34. num. 5.*

45 *Vigesimo* objicitur contra dicta testium, ad effectum eorum fidem enervandi, aut tollendi, ne convincere possint Reum, quod deposuerint extra interrogata, seu extra id, quod erat fisci fundamentum, super quo examinati fuere, & jurarunt, quodque nihil probent, per Textum *in cap. de testibus ubi gloss. verbo non jurati de testib.*, *gloss. in leg. si duo Patroni §. Idem Julianus verbo probent ff. de jur. jurand. Mascard. de probat. concl. 1365. num. primo, & seqq. tom. 3*, prout etiam nihil probat, & suspectus est testis respondens non interrogatus, secundum *Innoc. in cap. Inquisitionis in verbo Il ficere de accus*, *Brunor. a Sole in quæst. leg. d. 51. num. 59*, *Decian. consil. 65. num. 11. tom. 3.*, *Mascard. de probat. conclus. 1368. post num. 3.*, & late *Farinac. de testib. qu. 71. num. 1., & seqq.*, ubi prædictam conclusionem ampliat, & limitat, explicatque prolixius, quando testis dicitur extra articulos deponere.

46 *Vigesimo Primo* opponitur contra dicta testium, quod non convincunt Notarium de falso, multoque minus redarguant Instrumentum, vel aliam quamlibet scripturam de falso, quoties, hi deponunt tantum super aliquo facto particulari contento in dicto instrumento, vel scriptura, & non super toto illius tenore, ea ratione, quod ad effectum reprobandi instrumentum, vel scripturam, & eam de falso redarguendi, testes descripti in eodem Instrumento, debent deponere de toto tenore ipsius Instrumenti, & facti, signanter cum fuerint interrogati super aliis capitibus Instrumenti; quoniam testes, qui dicunt se non recordari de eo, quod verisimiliter recordari debent, non carent suspicione falsi; nec dicat quis, quod sufficit, quod recordetur de eo, de quo contenditur, quoniam respondetur, quod ubi agitur de reprobando Instrumento, & in crimine falsi, testes debent recordari de omnibus, & non de aliquo tantum, alias suspicione carere non videntur, ut scite probat *Petrus Ancher. in quæst. famil. lib. 1. quæst. 71. num. 12., & seqq.*, & aliam rationem docte tradit *Aymon. Cravett. consil. 75. num. 28. & seq. tom. 1.*, ubi testes non deponentes super toto tenore, dicentes memoriam se non habere, valida suspicione notantur; etenim quare de hoc magis recordari se potuere, & non de aliis partibus Instrumenti, undique a verisimilitudine alienum est; Congruit *Gloss. in leg. 21. verbo debent ff. de his, qui notantur infam.* illis verbis — *Potuit esse, quod non adhibui fidem, quia non dixerunt plenum factum*; *Cardin. Paris consil 13. nu. 17., & seqq. tom. 3.*, *Alexand. consil. 43. n 16. tom. 4.*, *Mascard. de probat. in præfat. quæst 6. num. 72., & conclus. 919. num. 3. tom. 2.*, & cum aliis *Farin. qu. 158. num. 134.*

SUBSECTIO III.

De testibus, qui non convincunt ob exceptiones, quæ opponi possunt contra eorum examen.

SUMMARIUM.

1 *Testes examinati a Judice incompetenti non probant*

bant, nec convincunt.

Judex Laicus Processum construere nequit contra Clericum.

2 *Judex Laicus non tenetur stare Processui facto a Judice Ecclesiastico, sed limitatur in causa mere Ecclesiastica.*

3 *Explicatur doctrina Genuensis.*

4 *In causa Immunitatis testes examinati per Judicem Laicum, non probant coram Judice Ecclesiastico.*

5 *Testes quando iterum examinantur nequeunt se referre ad primum examen.*

6 *Clerici, & Religiosi examinari nequeunt coram Judice Laico absque licentia, de qua debet constare in actis.*

7 *An si examinati fuerint absque licentia probent, & convincant?*

8 *Testes examinati absque juramento non probant.*

9 *Testis ante jurare debet, & postea se examini subiicere.*

10 *In dubio semper præsumendum pro validitate examinis.*

11 *Juramentum in criminalibus a Partibus remitti nequit.*

12 *Testis ultroneus, & sponte se offerens ad testificandum non convincit, nec probat.*

13 *Testis examinatus non a Judice, sed a Notario non probat.*

14 *Notarii officium est acta scribendi, non autem interrogandi, & examinandi testes.*

15) *Declaratur conclusio in quo sensu intelligen-*
16) *da.*

17 *Fortius regula procedit, quoties Judex delegatus esset Clericus, cui commissa esset Processus constructio contra Clericum.*

18 *Testes examinati per turbam, & insimul non singulariter non probant.*

19 *Idem dicendum est de Confrontatione testium cum Reo.*

20 *Testes allecti ad deponendum spe impunitatis non probant.*

21 *Testes non legitimati nec Repetiti non probant nec convincunt.*

22 *Quid servatur in Urbe vigore Constitutionum Apostolicarum.*

23 *Testes qui id posuerunt tædio longæ carcerationis non convincent.*

Exempla adducuntur, & declarantur quando Testis compelli possit per carcerationem ad deponendum.

24 *Limita conclusionem quando testis esset de crimine informatus.*

25 *Sed quæ concurrere debent in hoc casu, & quanto tempore detineri in carceribus, explicatur*

26 *Testes interrogati suggestive non probant, nec convincunt.*

27 *Suggestio duplex est aperta, & palliata, & utraque explicatur.*

28 *An Judici liceat depositionem testis in Scriptis non redigere, si videat eam Reo utilem, & Fisco damnosam?*

29 *Quid in hoc casu servetur in Regno Neapolis.*

30) *Testes examinati in Ecclesiis, vel domibus*
31) *Ecclesiarum non probant, nec convincunt.*

32 *Testes examinati a solo Judice absque Notario non probant, nec convincunt.*

33 *Ampliatur conclusio etiam si Judex esset Notarius*

34 *In defectum Notarii eligendi sunt duo Viri Idonei ad scribendum acta.*

35 *Plures limitationes ad regulam, remissive.*

36 *Testes non convincunt quando testes examinati non fuerunt per delegatum, sed per intermediam Personam.*

37 *Notarius non potest testibus Juramentum deferre, nec etiam in præsentia Judicis videntis, & tacentis.*

38) *Testes examinati, scribente altero Notario,*
39) *& non electo ad causam, non probant, sed quando hoc limitatur.*

40 *Testes privilegiati qui ad examen cogi nequeunt si vocati, non allegarunt eorum privilegium non probant, tanquam ultronei, & sponte deponentes.*

41 *Testes qui nequeunt cogi ad se examinandum, si examinentur, non convincunt, nec probant.*

42 *Advocatus & Procurator an contra clientem ad testificandum cogi possint.*

43 *Testes examinati post publicatum Processum, & didicita testificata non probant, multoque minus convincunt.*

44 *Declaratur, in quo sensu intelligenda sit dicta conclusio.*

45) *In criminalibus distinguitur inter Processum*
46) *constructum ex officio, & ad instantiam Accusatoris.*

Explicatur opinio Fulv. Majoran. *in quo sensu intelligenda, & concilianda.*

Ad defensam testes quomodocumque etiam post didicita testificata possunt examinari.

1 POst exceptiones, quæ opponi possunt tum contra *Personas*, tum contra testium *dicta* ad eas defecimus, quæ obiici adversus *illorum examen* queunt, *Primo* enim obiici potest, quod testes examinati fuerint a *Judice incompetente*; etenim tunc non solum non convincunt, sed nec etiam aliquam fidem merentur, per Textum *in l. 3. §. Idem Divus ff. de testib.*, *& in l. 16. ubi Bald.*, *& Salic. C. de testib. Mascard. singul 211. versic. testis examinari Farin consil 193. num. 5. tom. 2.*, *& de testibus quæst* 80. *num.* 118., sic testes examinati coram Judice laico contra Clericum, nulliter examinati videntur ex defectu Jurisdictionis, etenim Judex laicus Processum construere contra Clericum nequit; minusque Clerici confessio coram Judice laico eum afficeret, *Cap. At si Clerici in princ. de Judic.*, *ubi Anton. de Butr. num. 3 & 28.*, *Abbas num. 2.*, *& Ancharr. num. 7.*, *Clarus quæst 36 num. 42. Farin consil. 76. num 1.*, *Peregrin. de Immun. Eccles. cap. 3. num. 2. versic.*, *& confirmat Ambrosin. in tract. de Immun. Eccles. cap. 11. num. 3.*, *Afflict. ad Capell. Tholos. decis. 165 num. 1.*, *& decis. 168 num. 3.*, *Caren. de off. S. Inquis. part. 3. titul. 7. §. 12. in princ.*

2 Et e contra Judex Laicus non tenetur stare testibus, & Processui fabricato per Judicem Ecclesiasticum contra Laicum, sed debet denuo causam cognoscere, & testes examinare, *Felin. in cap. at si Clerici in princip.*, *& num. 14. de Iudic. Bartol. in leg. divus num. 3.*, *& in leg. non dubium ff. de Cust. d. Reor.*, *Baldus consil. 260. num. 2. libro 3. Anfrer. de potest. secul. super Eccles person. regul. 4. num. 7.*, *& seq. Matth. Afflict. in constit. Regn. Neap. rubric. 27. par. prima num. 32. Clar. in practic. crimin. qu. 96. num. 7.*, *& ibi Bajard. nu. 14.*, cum aliis adductis per *Alexandr. Ambros. loc. citat. num. 3.*

num. 3., versic. Etsi Judex, ubi declarat hoc intelligendum esse, dummodo causa non esset mere Ecclesiastica, quia tunc laicus Judex non potest revidere, sed tenetur stare Processui ab Ecclesiastico fabricato, juxta Textum in cap. Inquisitionis §. prohibemus ubi DD. de hæretic. in 6. Panormit. in c. p. 1. num. 12. de off. J. dic. ordinar., Gundisalv. de hæretic. qu. 16. num. 5., & seqq., & de communi Julius Clarus in practic. crimin. qu. 96. num. 7.

3 Dicit tamen Marcus Anton. Genuens. in praxi Archiep. cap. 6. num. primo, & seqq., quod Clericus remissus a Curia Seculari una cum actis factis coram Judice Laico de observantia dictæ Curiæ Archiepiscopali constituitur, & examinatur, & si vult habere dictos testes pro repetitis, & sic Processum per declarationem legitimare, proceditur ad ulteriora, & ad sententiam, quin testes denuo examinentur, & repetantur; Et quamvis Idem Genuens. nu. 2. plura in contrarium de Jure referat, subdit tamen, quod dicta observantia est rationabilis, eamque pluribus rationibus probat, hoc limitando num. 5. in causis Sanctæ fidei, in quibus Curia solet de novo examinare testes, antequam Reus constituatur, quod ultimum probat Coren. d. tit. 7. num. 75. Verum multum in puncto Juris est dubitandum de dicta observantia juxta late tradita per Guazzin. ad defensam Reor. d. fens. 20. cap. 9. num. 1., & seq., & Petrum Caball. resol. crimin. cas. 225 num. 31., & seqq., etenim Clerici, & aliæ Personæ Ecclesiasticæ nec etiam consentire possunt in Judicem laicum.

4 Hinc quoque infertur, quod testes examinati per Judicem laicum contra Reum prætendentem gaudere Immunitate Ecclesiastica, pro delicto per eum commisso, non probant coram Judice Ecclesiastico, uti examinati a Judice incompetente, taliter ut Judex Ecclesiasticus debeat recipere novas informationes, & probationes super præterito delicto, ut scripserunt Anton. de Bellis tract. criminal. libro 5 prag. m. 1 unic. tit. 42. n. 5., Antonell. de regim. Eccles. libro primo cap 9. n. 108, Vulpell. in praxi fori Ecclef. cap. 3 num. 22., Peregrin. de Immun. Eccles. cap. 3 num. 2., Diana par. 5. tract. 1 fol. 9., & post alios P. Graffet. de nec. prodit. §. 29 num. 100. ubi alias refert opiniones; & circa hujusmodi Processus constructos a Curia laica, plures resolutiones Sac. Congregationis refert Riccius in synops. decret. verbo Processus per tot.

5 Et quando testes iterum per Curiam Ecclesiasticam examinari debent, nequenot se referre ad primum examen, sed debent ita per extensum deponere, ut nulla habeatur ratio de primo examine, propter præsumptionem, quæ resultat contra illum, qui recepit primum examen nullum, ex eo quod erravit in suo officio, ut per Textum in leg. 3. §. quia potest ff. de suspect. Tutor. docet de Laurent. in decis. Avenion. 91., & in hoc casu congruunt auctoritates congestæ per Guazzin. d. fens. 25. cap. 1. num. 19, Farin. de testib. qu. 66. num. 42., & Thom. Trivisan. decis. 46. per tot.

6 Secundo excipi potest contra examen, quod examinati fuerunt Clerici, vel Religiosi coram Judice Sæculari absque licentia Episcopi, vel Superiorum, signanter in causis criminalibus capitalibus ad Text. in C. quemadmodum 14. quæ 2. in C. testimonium 11 qu. 1. & utrobique Gloss. in C. de cætero de Testibus ubi Abbas, Alberic. de Malet. in tract. de test. cap. 5. num. 30. & 31. & cap. 6. num. 34. Corrad. Lancellot. de offic. Prætor. in tit. de poss. in Testium nu. 77. Marta de jurisd. cas. 128. num. 1. centur. prim. p. 4. Cavalcan. de Test. qu. 3. num. 54. ubi quod Clerici, vel Regulares debent jurare in manibus sui Prælati, Laurent. Tamen. in pract. cauthel. 279. num. 1. & seqq. ubi quod dicta licentia debet inseri in actis & ita resolutum fuit a Sac. Congregatione Immun. in una Aquilana 5. Maij 1737. his verbis relata a Riccio in Sinopsi -- Clericus absque licentia Episcopi non potest testimonium ferre, etiam in causa Civili coram Judice Laico, sed pro licentia nihil est solvendum, quod adeo verum, ut nec etiam testis Clericus possit deponere coram alio Judice Ecclesiastico non suo sine licentia ut ex Bald. & Anton. docet Carol. de Graff. de effect. Cleric. effect. 10. num. 3. Riccius d. 61. num. 3. tom. 2. & Squillant. in tract. de obligat. Cleric. p. 2. num. 54. ubi docte & late tradit in quibus casibus hæc licentia sit ab Episcopo concedenda, & in quibus casibus neganda; & de pœna Clericorum absque dicta licentia deponentium agit Diaz. in pract. Crimin. Can. cap. 99. num. 21. & seqq. --

7 Verum si Clericus deposuerit absque dicta licentia, nonnulli censent, illius depositionem non esse irritam, ex quo nullibi hæc nullitas disposita reperitur, Affer. in tract. de test. num. 18. Guid. p. d. 65. num. 1 Fuscus in singul. in litt. C. num. 99. Campegg. de Test. reg. 297. limit. 2 & 3. non propterea tamen hujusmodi Clerici, & Religiosi ita deponentes plenam fidem facerent, multoque minus convincerent, siquidem docet Carol. de Graff. loco citat. post num. 7. quod Clericis, vel Religiosis ita deponentibus sine Superiorum licentia non est ita credendum, prout deponentibus cum licentia, quia tunc videntur quodammodo se obtulisse ad testificandum, cum alias ad hoc cogi non potuissent sine licentia, allegans Cravett. cons. 2. num. 5. lib. 1. Jul. Scarlatin. cons. 105. num. 20. & Rot. Rom. d. 77. num. in p. 2. -- sic conciliari possunt DD. opiniones, quod Clericorum depositio nullitati non subjaceat, non autem quod ex ea plena oriatur probatio, quæ tunc dici posset, quando cum Superioris licentia deponeret, ac proinde tales testes in his casibus ad Reum convincendum inefficaces essent.

8 Tertio opponi potest, quod testes absque juramento examinati fuere, cum præcipuum Testium examinis requisitum in juramento sistat, sine quo nihil probant, C. nuper C. de Test. & C. Fraternitatis de Test. Leg. juris jurandi, & l. Testium 14. C. de Testibus, quod adeo verum est: etiamsi judex facultatem haberet summarie procedendi absque strepitu, & figura judicii; etenim substantia, forma, vis, & fundamentum depositionis testis, in omnibus, & quibuscumque casibus consistit in juramento, C. penult. 3. qu. 9. C. nuper 51. & C. tuis 39. de Testib. Nec a præstatione hujusmodi juramenti eximi possunt Clerici, Monachi, Religiosi, & Episcopi, alias fidem non facerent, ex d. Cap. 39. & 51. ubi Bald. Anchor. nu. 2., & aliis Viv. com. opin. 931. post num. 3. & ampliat Guazz. def. 14. capite 3. n. 7 in quacumque persona cujusvis authoritatis, præeminentiæ, & dignitatis, licet quoad Eminentissimos DD. Cardinales contrarium teneant Land. n. de Cardin. qu. 56. & Rota apud Coccin. d. 4. num. 2.

9 Ad effectum enim, ut jurata testis depositio fidem faciat oportet, ut testis prius juret, & postea se examini subjiciat, etenim si prius deposuerit, & postea juraverit, depositio est nulla, ex Text. in Leg. jurisjurandi, ubi gloss. Cynus Bartol. Angel. Salycet.,

cet., *& alii C. de Test.*, & de communi opinione testantur *Viv. d. opin. 931. num. 9. Mascard. de probat. concl. 1362. num. 10. tom. 3. Scacc. de Judic. lib. 2. cap. 8. num. 533.*, quod adeo verum, ut non sufficiat, quod testis juret incontinenti post examen, siquidem ante illud jurare debet, ut illius depositio valeat, prout de veriori opinione DD. testatur *Moncada ad Crot. in tract. de Test. num. 231. litt. C.*, quem sectantur *Farin. qu. 71. num. 39. Guazz. def. 14. cap. 3. num. 6. & seqq. Caren. de offic. Sanctæ Inquisit. p. 3. tit. 7. num. 1., & seqq. & Zuff. de Legitim. process. quæst. 38. num. 10. & seqq.*, & hoc etiamsi testes essent numero plures, nam numerus, juramenti defectum non supplet, *Mascard. loc. cit. num. 9., & alii apud Farin. in dict. quæst. 74. post num. 64.*

10 In Dubio autem semper præsumendum est pro validitate examinis, & præsertim, quando Notarius testatur, in principio examinis juramentum præstitum fuisse, prout communiter practicari solet ad tradita *per Guazz. dict. cap. 3. num. 5.*, Verum si testes numero plures repetiti in interrogatoriis evacuandis dicunt, non antea, sed post examen jurasse, tunc videndum remanet an testi, seu Testibus potius credatur, vel Notario? Sed quæstio hæc facile resolvitur ex dictis *in Superiori subsectione*, ubi demonstratum est, quando, & in quibus casibus credatur Notario, sive ejus scriptis, & quando testibus, quin ibi dicta denuo hic repetantur.

11 Et quamvis in Civilibus causis hujusmodi juramentum de consensu partium remitti possit; in Criminalibus tamen nequiquam a parte juramentum remitti valet, juxta tradita *per Mascard. de probat. lib. 1. quæst. 5 num. 107. & seqq.*, ubi late probat, *& Guazz. loc. citat. cap. 3. num. 12., alios adducens*, etenim in criminalibus, in quibus de magno præjudicio agitur, nequeunt partes id remittere, multoque minus juramentum, quod pro forma examinis Testium a jure desideratur ex legibus superius allegatis.

12 *Quarto* excipi potest, quod testes ultronee ad se examini subiciendum obtulere, ad hoc enim ut testibus fides in judicio adhibeatur, & convincere possint, oportet ut producantur a Partibus, seu ad instantiam Partium in criminalibus ad examen vocentur, aut quod a Judice ex officio ad ferendum testimonium sint compulsi, alias sponte ad testificandum se offerentes jure suspecti præsumuntur, & Inimici, *ad Textum in leg. Jure omnia § 1. ff. de Procur.*, *& in §. si vero ignoti Auth. de testib. collat. 7.*, *ubi gloss. a verbo festinantes*, *Bartol. in leg. post legatum §. his verum ff. de his quib. ut indign.*, *Mascard. de probat. conclus. 1311. num. 43., & seq. tom. 3.*; Hinc ut testes talem evitent exceptionem, necesse est, ut citentur, vocentur, producantur, vel a Judice compellantur, *Eliseus de Bellagrand. in compend. meth. bod. crimin. tract. 5. quæst. 17. num. 3., & seq.*, *Passer. in praxi criminal. qu. 15. artic. 4. num. 72.*, ubi hanc regulam restringunt, quoties ageretur ad Reorum defensam, ut cum dictum testis necessarium esset ad liberandum Innocentem a morte, gravi damno, pœna, infamia falsa, & similibus, quia tunc tenetur sponte accedere ad testificandum, ad liberandum Innoxium, ex sententia *D. Thomæ in secunda secundæ qu. 70. artic. primo*, *Ludovic. de Mirand. de ordin. Judic. qu. 17. artic. primo num. 1., & seq.*

13 *Quinto* objicitur, quod licet testes appareant examinati a Iudice scribente Notario, liquet tamen, quod fuerunt interrogati, & examinati non a Judice, sed a Notario, etenim Judicis officium est testes interrogare, & examinare, Notarii autem scribere; Quoad officium Judicis, in Jure canonico est *Textus in cap. præsentium 2. §. si vero de testib. in 6.* ibi — *diligenter examinare procures*, & ibi glossa additionalis *in verbo interrogatoria*, ubi ex *Hostiens.* arguit contra Judices, qui committunt examen testium Notariis, cum in propria persona ipsos audire debeant; etenim cum in probationibus sit tota vis causæ, potius debent committere alia, quam testium examinationem; De Jure civili est Textus *in leg. 3 §. ideo ff. de testib.* ubi Consultus Callistratus ad Judicem inquit — *Tu magis scire poteris, quanta fides sit testibus adhibenda, & an ad ea, quæ interrogaveris, verisimilia responderint*, quod repetit Justinianus *in §. illud etiam, auth. ut non definiet, ubi gloss. verbo testibus, & in authent. apud eloquentissimum C. de fid. Instrum., & ibi gloss.*, & docent *Salicet in Auth. sed Judex num. 2. Cod. de Episcop., & Cleric. Marsil. in leg. 1. §. si plurimum num. 12., & seqq. ff. de quæstion., Campeg. de testib. regul. 285., Viv. commun. opin. 927. nu. primo, & seqq., & Majoron. in opoprax. crimin. par. prima cap. 3 num primo.*

14 Et quo ad Notarium, quod ejus officium sit tantum acta scribendi, & testium depositiones, non autem eos interrogandi, & examinandi, est Textus *in cap. quoniam contra de probat*, in quo Innocent. III. his verbis mandat — *Judex semper adhibeat, aut publicam si potest habere Personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa Judicii acta conscribant, videlicet interrogationes &c.* (quas nempe facit Judex) *& depositiones testium*, quod præscriptum est a prælaudato Pontifice in Concilio Generali Lateranensi, ut pateat Notarii officium in scribendis tantum actis, quod antea de Jure incognitum erat, licet in Quiritis legibus pluries de Notarii mentio facta sit, ut notant *Garzon. in d. cap. quoniam contra*, *VVolfang. Latius de Republic. Roman libro 2. cap. 4.*, *& Gre. lib. ad Codin. libro 2. cap. 5. nu. 21.*

15 Intellige tamen præfatam conclusionem, ut dixi, quando in informativo appareret, testes examinatos fuisse *per Iudicem scribente Notario*, & in Repetitivo testes testificarentur, se examinatos, & interrogatos fuisse per Notarium, in præsentia Judicis nil aliud peragentis; in hoc namque casu ultra falsam assertionem, quod *Iudex eos examinasset, & interrogasset, cum solam præsentiam præstitisset, & nil aliud fecisset*, dictum examen ob infectione salvari nequit; etenim sola Judicis præsentia non sufficit ob rationem superius expressam, quod ad Judicis officium pertinet testes examinare, & interrogare, *non autem adstare; & infra n. 37.* & multo minus illorum examen salvari potest prætextu, quod Judex Notario, hæc examina commiserit; Nam quamvis de consuetudine tales commissiones fieri possint, ad tradita *per Farinacc. qu. 77. n. 151., & Pax Jordan. in lucubrat. libro 14. titul. 18. post num. 114. tom. 3.* nihilominus commissio hæc registrari debet in Processu, & apparere debet, quod Notarius in vim dictæ commissionis de mandato examinaverit, non autem describere, quod testes legaliter a Judice examinati fuerint; sapit enim modus hic procedendi non tantum de falsitate, sed etiam de informitate dicti examinis, quod *Iure ordinario* non habet firmitatem

quia

quia Notarius ex se talem potestatem testes examinandi non habet, multoque minus *Iure delegato*; Nam de dicta commissione non constat, nec uti delegatus testes examinavit; enim vero constare debet de dicta delegatione, seu commissione, saltem per attestationem ejusdem Notarii in Processu describendam, aliter ea numquam præsumenda est, nec concipienda ad colorandam falsitatem prædictam juxta doctrinam *Bald. in leg. ad Personar, versic. sed on commissarius scribit suam commissionem ff. de Iure jurand., Felin., & Marsil. apud Lamberteng in tractat. de contract. eorum gloss. 14. post num. 46.*

16 Et hæc multo fortius locum haberent, quoties in partibus trasmitteretur Judex delegatus, seu Commissarius cum Notario ad construendum Processum; nam talis Judex delegatus non haberet facultatem subdelegandi, & committendi examina testium sibi ipsi delegata, & commissa, Notario sibi dato, ad effectum tantum explend. officium suum in scribendis interrogatoriis datis a Judice, & testium depositionibus; Nam DD. qui de consuetudine testantur posse Judicem committere testium examen Notario intelligendi videntur in terminis habilibus, nempe de Judice ordinario, facultatem habente delegandi, & committendi, non autem in Commissariis, & delegatis, qui subdelegare nequeunt, ut communiter docent *Bald. in leg. more majorum num. 2. ff. de Jurisdict. omn. Iudic. Ioson. in leg. a Iudice ff. de Iudic., Scialoy. de for. compet. cap. 51. post nu. 46. Olrect. de Iurisd. libro 4. cap. 2. num. 14, & seqq. & Rota decis. 258. num 2. de offic. delg. in novis, & decis. 168 eod titul*, cum aliis &c.

17 Et magis magisque superius dicta locum habent quoties delegata esset alicui Clerico construendo Processus contra Ecclesiasticum; nam ob alium defectum committere Notario non posset testium examen ne egrederetur limites facultatis sibi datæ tanquam Clerico, quæ Notario signanter laico incommunicabilis esset, cum nec Episcopus possit laico delegare ut cognoscat de causa criminali Personæ Ecclesiasticæ ob rationem, quod laicus est incap. x Jurisdictionis Ecclesiasticæ, etiam consentiente Episcopo, *cap. significasti 18., & ibi gloss. de for. compet., cap. si diligenti 12. eod. titul, Baltassar Thomas. in tractat. var. tom. 4. titul de secular. in Eccl. cognosc. num. primo, & num. 118. De Gross. de effect. Cleric. effect. primo num. 560., & Speciall. decis. 126. num: 42:*

18 *Sexto objici* potest, quod testes non convincunt & quod examinati fuerunt per turbam, & insimul, & non singulariter & separate, quilibet de per se, prout examinari debent sub pœna nullitatis eorum examinis, *ad Textum in cap. venerabilis 52., & ibi Glosso Abbas, & alii de testib. Bess. in tractat. de oppos. contr. testes num. 88., Rota decis. 262. nu. 4. coram Coccin. decis. 6. nu. 10. coram Duran., & decis. 283. num 10. apud Postium de manut.*, siquidem talis modus testes examinandi per turbam præbet modum falsitatibus committendis, quia unus alium instruit, ut considerant *Farinacc. de testib. quæst. 80. num. 94. & seqq., & Caren. de offic. S. Inquis. part. 3. titul. 7. num 62.*, ubi alias adducit rationes; Et quatenus amplectenda esset opinio *Zuffi de legitim. Process. lib. 1 quæst. 33.*, docentis testes ita examinatos haberi loco unius; adhuc conclusio nostra firma remanet, quod convincere nequeant; etenim ad convincendum, duo, & non unus, debent esse testes.

19 Item dicendum est, quoties testes confrontandi essent cum Reo, nam confrontari debent separati, unus post alium, non autem omnes insimul, ita ut nemo sciat alterius depositionem, & ita servandum est in Sociis criminis, quod etiam separate confrontari debeant, ad tradita *per Cartar. de interrog. Reis lib. 3. cap. 3. num. 28., Ambrosin. de proc. ff. Informat. lib. 2. cap. 9 num. 14. & seqq., Zuff. loc. cit. quæst. 136. per tot., Scacc. de Judic lib. 1. cap 86. num. 60., & Guazz. ad defens. Reor. d fens. 20 cap. 20. num. 4.*; nisi adesset Consuetudo examinandi testes insimul, & turmatim, quia tunc illorum dictum valeret, ut de consuetudine *Franciæ* testatur *Papon. arrestor. Franciæ lib. 9. tit. 1. §. 20.*, & de consuetudine Sabaudiæ, *Anton. Fabr. in Cod. dic. titul. 15. de testib. lib. 4. defin. 3., & Gadofredus Abavo de testib. qu. 6. num. 23. & seqq., & in praxi §. testium coactio num. 48. & seqq.*

20 *Septimo* opponi potest ad destruendos testes ne convincere possint, quod allecti fuerunt ad se examini subjiciendos spe impunitatis promissæ a Principe, vel a Judice; enim vero tales testes tali promissione corrupti deponere videntur, tanquam Denunciatores, & non pro veritate, ad Textum *in l. non omnis 5. §. final. ff. de re militar., Bess. in titul. de opposit contra testes num. 21., Farinacc. quæst. 43. num 192., & consil. 161. num. 9., & consil. 182. num. 25. tom. 2.*, quod procedit non solum in impunitate expresse promissa, sed etiam tacita, ut quando testis, vel testes pluribus criminibus implicati, dimissi post examen fuerunt impune, juxta tradita *per Guazzin. ad defens. Reor. d fens. 20. cap. 24. nu 2.*, ea ratione, quod sufficit impunitatis promissio vera, vel saltem opinativa, secundum *Vermigl. consil. crimin. 42. nu. 12.*

21 *Octavo* objicitur contra testes ad effectum eos non solum repellendi *a Iudicio convicti*, sed ad illorum depositionem penitus evertendam, quod examinati non citata parte in Processu informativo, non fuerunt postmodum a Reo nec legitimati per declarationem, multoque minus repetiti, nec Confrontati (intellige in Tribunalibus, in quibus de stylo, vel privilegio speciali confrontatio habet vim legitimationis, ut est Tribunal Gubernii Urbis); siquidem testes recepti pro informatione Curiæ absque debitis solemnitatibus debent inde legitimari, aut repeti Parte citata, alias nullam fidem faciunt, ad Textum *in cap. de testibus 19 de testib., in leg. jus jurandi, in leg. si quando, & in authent. quod si quis C. de testib., Abbas in cap. 2. de testib. post num. 7.*, imo nec indicium, etiam si testes essent mille, & ageretur de Tribunali summe privilegiato, & habente brachium Regium, ac potestatem procedendi suo libero arbitrio, & ad modum Belli; nam adhuc teneretur testes sine citatione Inquisiti examinatos repetere, aut aliter legitimaci facere, ut promiscue tradunt, *Bajard: ad Clarum quæstion. 45. num. 14. & 16., Hondedi conf. 101. num. 16. tom. 1., Bursatt. consil. 201. num. 99. & seqq., Farin. consil. 55. num. 2., & quæst. 39. num. 15. & seqq., & qu. 72. num. 98. & num. 99.*

22 Imo in Urbe, & in toto Statu Ecclesiastico testes non repetiti non faciunt nec quidem indicium ad torturam, *ex Bulla Pauli III. constit. 58., confirmata a Pio IV. in constit. 85*, quam refert *Conciol. resol. crimin. verbo testes quoad examen resol. 6. num. 3.* ubi late de hujusmodi defectu per ampliationes, & limitationes, & non tantum repetendi sunt testes deponentes super probationibus, quæ Reum in specie gra-

gravant, sed etiam examinati, ad probandum corpus delicti, ut ex *Scialoy.* subdit *Idem Conciol. loco citato in addict. post num. 31. versic. Adde pro coronide*. Sed de hujusmodi testium legitimatione prolixius Nos Deo auspice dicemus infra *in observ. 24.* in qua erit titulus specialis de legitimatione Processus, cum ejus formulis.

23 *Nono* objici potest ad effectum debilitandi testium depositiones, ne convincere possint quod tædio longæ carcerationis examinati fuerint, & deposuerint: ut quando per plures dies in carceribus detenti essent, & meticulose deposuissent, juxta votum & intentionem Fisci, ut se a carceribus liberarent, ut de detento in carceribus per spatium viginti dierum loquitur *Conciol. Consil. crimin. 7. post num. 43.*; de detento per duos menses & plus loquitur *Farinacc. in consil. 193. num. 3. tom. 2.* ubi quod in tali casu depositio videtur per vim extorta, *ex Berò, Conrad. & Boss.*, quos ibi allegat, præsertim cum injuste, & indebite detinebatur, sequitur *Vermigl. consil. crimin. 33. num. 15.*; de teste detento per tredecim dies maxime in sene loquitur idem *Vermigl. consil. 74. num. 6.*, & de detento in carceribus ultra annum idem *Vermigl. consil. 123. num. 19.*, enim vero licet testes citati seu vocati ad testimonium perhibendum, compelli ad hoc possint per mulctam, captis pignoribus per censuras a Judicibus Ecclesiasticis, ad *Textum in cap. 1. & 2. & in cap. cum contra 9. de testib. cogendis*, vel per comminationem exilii, *Ambrosin. de process. informat. libro primo cap. 3. num. 7.* vel per carcerationem, quoties renuerint se examini subjicere, ut docent *Cavalca in tit. 87. num. 9., Scacc. de Judic. libro 2. cap. 10. nu. 102. & seqq., Genuens. in prax. cap. 10. num. primo & seqq*; nihilominus in carceribus detineri non debent, cum ad se examinandum comparent, & non deponunt juxta mentem Fisci, eo labili fundamento, quod verum dicere recusent, & veritatem occultare; tum hoc modo esset testes compellere ad pejerandum, & falsum deponendum, ut se a vexationibus, & a carceratione se liberarent, ut physice patet ad sensum.

24 Declara tamen hoc non procedere, quando testis de delicto esset verisimiliter informatus, ut quia illud commissum fuit ante ejus domum, Apothecam, vel stationem; vel quia ipse fuit in loco commissi delicti, & recusat dicere veritatem, in hoc namque casu extra dubium est, quod per carcerationem compelli potest ad deponendum ea, quæ pro veritate manifestanda sunt, & ipse occultare studet in Reipublicæ detrimentum, cujus interest delicta puniri, & Provinciam malis hominibus expurgare, juxta mentem *Doctorum superius adductor.*; imo quod in his casibus possit etiam testis torqueri per quartam partem horæ, & quandoque usque ad horæ dimidiam docent *Boss. in tract. crimin. titul. de tortur. testium num. 2. Farinacc. qu. 79. nu. 16. & 81.*, nec non alii largam nu relati per *Conciol. resol. crimin. in verbo tortura resol. 20. per tot.*, ubi ampliat declarat, & limitat, & *in verbo testium miscellanea resol. prim. per tot.* proinde in hujusmodi casibus carceratio fidem testibus non tolleret tanquam compulsis, nisi essent tam longa, ut eos tædio carcerationis deposuisse appareat.

25 Animadvertendum tamen est, quod per Constitutionem Sanct. mem. Pauli V. de Reformat. Tribunalium (per extensum relata a *Rinaldphino post prax fol. 51. & seqq.*) statutum est *in §. 10. num. 24.* quod testes pro informatione Curiæ nonnisi in gravioribus causis carcerentur, quodque tunc pro relaxatione nihil poenitus solvant, nec etiam pro alimentis, quæ vel instigator, si adest solvere debeat, vel Fiscus, quam Constitutionem confirmavit, & observari mandavit *Sanctissimus D. N. Bened. XIV.* in ejus Constitutione incipiens -- *Justitiæ gladium* -- ubi insuper in titulo de *visitat Carcerat.* Carcerum Visitatoribus injungit, ut hæc observent --, *& essendo Carcerati come Testimonj, se siano stati ritenuti più di tre giorni contro la disposizione delle Leggi communi e se siano stati Carcerati in causa che non sia delle più gravi contro la detta Riforma* -- taliter ut testes in casibus, in quibus carcerari possunt juxta tradita in præcedenti numero, detineri non possunt ultra tres dies, & si contrarium servatum fuerit, non solum delinquitur contra dispositionem Constitutionis, verum etiam illorum depositiones tamquam indebite compulsæ debitam fidem non merentur ob tædium Carceris.

26 *Nono* Objici potest quod testes non convincunt eo quia Judex in illos interrogando non verbis generalibus, sed in specie interrogaverit. De jure enim vetitum est tum testem, tum Reum in specie interrogare; nam potius suggestionem sapit, ut inquit Domitius Ulpian. in *l. 8. de offic. Proconsul.* his verbis -- *qui quæstionem habiturus est non debet specialiter interrogare, an Lucius Titius homicidium fecerit, sed generaliter quis fecerit; Alterum enim magis suggerentis, quam requirentis videtur, & ita Divus Trajanus rescripsit l. 1. §. qui quæstionem ff. de quæst. Fulv. Majoran. in opoprax. Crim. tom. 1. cap. 4. num. 1. & 2.* -- *Scialoja in tract. de tortur. Reor. cap. 8.* num. 8. *ubi loquitur* de hujusmodi suggestione vitanda, tam in Reo, quam in testibus, *ex Guazzin. Farinacc., Chartar., Gomez. Anton. de Balbis, & aliis* quos repetit *in C. 14. num. 79.* ubi postquam declaraverit hoc limitari posse in Inquisitione speciali formata contra aliquem ex indiciis particularibus contra aliquem urgentibus, quod tunc nempe possit testis interrogari de eo, contra quem sunt dicta indicia *ex Bart. Farin. & Guazzin.* ibi allegatis, subdit tamen quod cautius, & melius erit, si testis in genere interrogetur dato quod adsint indicia contra certam personam.

27 Pro pleniori autem cognitione hujusmodi suggestionis animadvertere oportet, quod suggestio duplex est *aperta, & palliata*. Aperta dicitur, cum de ea aperte patet ut in interrogatione, an Titius pugione Sempronium occiderit, juxta Text. *in d. l. primo §. qui quæstionem Scaccia de judic. lib.* 1. *cap. 86. num. 8. Majoran. d. cap. 4. num. 2. Farin. quæst. 79. num. 78.* -- Palliata vero dicitur per oppositum, quando de ea ex interrogatione non apparet, & hæc fit dupliciter, *Primo* quando nullo modo apparet de qua re Testis fuerit interrogatus, ut puta quia scriptum sit *ad opportunas Domini interrogationes* a quo interrogandi modo regulariter est abstinendum, quia is est Læno suggestionis, & plenus propterea periculis, ad tradita per *Flamin. Chartar. de execut. sent. cap. 2. num. 76. cum seqq.* & expresse hoc prohibitum requiritur *a prælaudata Constitutione* Pauli V. *in d. §. 10. num. 20.* his verbis -- *& tam Reos, quam testes interrogent de scriptis, & extensis a Notario integre verbis omnibus interrogatorii, rejecto prorsus, & sublato abusu illo scribendi* -- *ad opportunam Domini interrogationem, vel interrogatus respondit, aut subdens interrogatus, aut similia, quem*

tam

tamquam perniciosum, & uti suggestivarum interrogationum velamentum, & fraudibus plenum damnum — Secundo vero modo, quando Judex extenso interrogatorio prævenit, ac præit testem in responsione, indicando ei viã respondendi, quod genus suggestionis est valde perniciosum, sitque vel in damnum Rei, vel in damnum Fisci, *Scaccia in d. cap.* 86. *n.* 8. *& num.* 40., *&* 41. ubi explicat. *Francisc. Pegna ad Emeryc. in director. Inquisit. p.* 3. *comment.* 18. §. *inter cæteros & Misorana loc. cit.* ubi subdit, quod potest bene Judex hujusmodi interrogatoriis *ad opportunas &c.* uti quando testis primo interrogatus non perfecte evacuavit interrogatorium sibi per Judicem factum.

28 *Sed incidenter hic quæritur:* num Judici liceat interrogare verbotenus testem, & illius depositionem in scriptis non redigere, si agnoverit eam fore Fisco damnosam? Quæstionem hanc resolvit *Scaccia in d. quæst.* 86. *num.* 9. — his verbis — *Aut Judex intendit scribi aliquam tantum partem depositionis; Aut eam intendit integram omitti; si partem, dico quod non, quia Judex, & Notarius debent illam integram scribere, alias erant rei gehennæ; Si intendit integram omitti, utique potest, ne videatur alicujus personæ defensivum processum fabricare.* Sed contra ultimam partem distinctionis *Scacciæ* urget prope modum prælaudata Constitutio S. memoriæ Pauli V. novissime confirmata a Sanctissimo D. N. Benedicto XIV. in dicta Constitutione *Justitiæ gladiis:* præcipitur enim in dicta Constitutione *in d.* §. 10. *num.* 21. *&* 22. per hæc verba — *Responsiones similiter Reorum, & Testium integre de verbo ad verbum, prout ex eorum ore profluunt, & etiam quod contra Fiscum sint, non diminute, nec per relationem, & in externæ nationis hominibus adhibito scriba, vel interprete illius linguæ perito fideliter scribi faciant; Nec ullo pacto judicibus liceat, vel Notariis, testes, quos ipsi verasimiliter informatos crediderunt, citatos, seu vocatos extrajudicialiter cum juramento, vel sine eo interrogare, & non scriptis eorum responsionibus dimittere, forsan ex eo, quod contra Fiscum deponant, & pro Reo; sed omnino prævio juramento de veritate dicenda, examen eorum recipiatur, & in scriptis redigatur, dummodo non adsit vehemens suspicio subornationis,*

29 Quodque etiam ita dispositum fuerit in Regno Neapolis testatur Joannes *de Nigris in cap. Regni* 272. *incipien. si cum sceleratis num.* 37. ubi allegat Pragm. *incipien. item quia nobis datum est*, quæ est inter Pragmat. num. 27. §. 50. de *offic. Magist. Instit.* (relata per *Fulv. Mijonan. in opopraxi crimin. tom. primo cap.* 3. *nu.* 2.), qua expresse provisum est, ut actuarii integras testium depositiones tam pro Fisco, quam pro Reo scribant sub pœna arbitraria; imo Judex debet testes interrogare super toto negocio, ut possit inde etiam explorare Innocentiam rei: propterea infert *prædictus Auctor*, quod male faciunt Iudices, & Notarii informationes capientes, quando non scribunt ea, quæ faciunt favore Inquisiti, nam tollunt defensiones, etenim si omnia scriberent, eliderentur indicia, per eos acquisita, ex eodem Processu informativo; & sic illaqueant eorum animas ad gehennam, nam testis officium est ut veritatem dicat pro utraque parte, ad *Textum in auth. sed Judex C. de Episcop., & Cleric., & in* §. *si vero auth. de testib.*, & Judex non admittens probationes, ex quibus liquet de Inquisiti Innocentia puniri debet, *ut ex leg.* 1. §. *final. ff. ad leg. Ju-*

liam pecul., *Baldo.*, *& Marsil.* docet; Idem *De Nigris in d. cap.* 272. *num.* 18., ex quibus colligere quisque poterit, nunquam approbandum, neque tolerandum stylum, seu consuetudinem introductam, de non examinandis testibus favore Inquisiti, contra Fiscum deponentibus, cum Judicis officium in eo vertat, ut sit veritatis indagator, & Inquisiti innocentiam ex se ipso quærat, juxta *Textum in leg. si non defendantur ff. de pœnis, cum similibus.*

30 *Decimo* excipi poterit, quod testes per Judicem Laicum in Ecclesiis, seu earum domibus examinati fuerunt absque licentia Ordinarii, siquidem in his locis omnino Judicibus secularibus interdictum est, causas, seu Processus agitare, absque Episcopi licentia, per Textum *in cap.* 1. *de Immun. Eccles. ubi Abbas num.* 2., *& in cap. decet eod. titul. in* 6. *Bartol. in leg. nemo C. de sacros. Eccles.*, *nu.* 5. ubi quod in Ecclesiis, & Ecclesiarum domibus Judex laicus testibus juramentum dare, eorumque examen recipere nequit. *Gemin. in cap.* 1. §. *ordinarii de Immun. Eccles. in* 6. *Silvestr. in summa verbo Immunitas*, *num.* 3., imo *Sperell. in decis.* 51. *post. num.* 5., *& seqq.* mordicus sustinet, Ordinarium, nempe Episcopum non posse, nec debere, auctoritatem tribuere Judici laico, Vulneratos, vel testes examinandi in loco sacro, vel Immuni, signanter ubi agitur de causa sanguinis, cum hoc omnino prohibeatur Iudici laico, per Textum *in cap. cum Ecclesia, de Immunitat.* sub pœna excommunicationis, non utique latæ sententiæ, sed ferendæ, ut ibi *subdit glossa*, & communiter *Doctores*.

31 Qua attenta prohibitione desumpta etiam ex Iure civili, ex *leg. denunciamus C. de his, qui ad Eccles. confug.* testium examen a nullitate salvari nequit, ut definitum est a Gregorio X. *in Concilio Lugdunensi* relato *in cap. decet de Immun. in* 6. ubi in §. *Ordinarii* mandat locorum Ordinariis, ut dictam prohibitionem observari faciant, & insuper ipso Jure annullat, quidquid secus in dictis locis factum fuerit, *Et nihilominus* (sunt verba Textus) *processus Judicum Secularium, ac specialiter prolatæ sententiæ in eisdem locis omni careant robore firmitatis; Abbas in dicto cap. cum Ecclesia post num.* 3., *&* 7. *Leo in Thesaur. for. Eccles. lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 9.; quodque examen factum a Judice laico in loco Immuni sit nullum, & invalidum resolutum fuit a *Sac. Congregatione Immunit. in una Nucerina* 1. *Septembris* 1671. relata *per Ricc. in Synop. verbo examen num.* 2., *& in verbo recognitio num.* 9., ubi aliam resolutionem refert.

32 *Undecimo* objici potest, quod testes recepti, & examinati fuerunt per ipsum solum Iudicem absque Notario, (ut supra aliquo modo dictum est) contra expressam prohibitionem *Textus in cap. quoniam contra de probat.*, cum Notarii sint pars quidditativa Judicii, & Judices sine illis esse non possint, & ad Judicis officium pertinet habere Tabelliones ex Textu *in l. universos Cod. de decur. lib.* 10., *& in* §. *ex Provinciali auth. de def. ass. Civitat.*, *Giurba consil.* 88. *num.* 7.; *Lelius de Zanchis de privileg. Eccles. privil.* 110. *num.* 1. *& seqq.*, *Gizzarell. decis.* 24. *num.* 3., & in Regno Neapolitano est, *Ritus M. C. V.* 159, *constitutio incip. Magistri Camerarii*, nec non *Regia Pragmat. sub titul. de actuar. & de offic. Magistr. Instit.*, quibus cavetur, acta debere scribi per Notarium, *De Angelis ad Gizzarell. d. decis.* 24. *num.* 7., *Berlich. practicar. conclus. libro* 1. *conclus.* 8. *num.* 48.

33 Imo si Judex, etiam esset Notarius, nec minus acta scribere posset, & testium examen in actis redigere, quia per Notariatum Judicis non suppleretur ad illud maximum falsitatis impedimentum, quod Pontifex considerat *in d. cap. quoniam contra de probat.*, his verbis — *ne falsitas præjudicet Veritati*, & quia litigator, contra huiusmodi Judicis assertionem veram negativam probare, & ostendere non poterit, *Natta consil.* 138. *num.* 23. *tomo* 1., *Capiblanc. de Baronib. in pragmat.* 3. *num.* 228. *par.* 1., tum propterea, quia nemo duplici officio fungi potest, *Felin. in d. cap. quoniam nu.* 54., *Guid. Papa decis.* 564. *post num.* 1., *Berlich. conclus.* 8. *n.* 49. Idcirco in locis, ubi non reperiuntur Notarii, Judex debet eligere duos viros idoneos ad conscribendum acta, ad formam *d. cap. quoniam*, aliter ipsi Judici nulla fides præstatur, nisi in quantum constaret per legitima documenta; imo ipse Judex debita pœna puniri debet, nempe ad resarcienda omnia damna Parti, *ut dicit gloss. in dicto cap. quoniam verbo negligentiam*, ubi se remittit ad Textum *in d. cap. sacro de sentent. excom. Vivius decis.* 48. *num.* 7.

34 Ad effectum autem eligendi duos viros idoneos non Notarios ad conscribendum acta, quoties in loco Judici Notarii non adsunt, necesse est, ut prius constet, atque liqueat, in dicto loco nullos penitus Notarios publicos reperiri iuxta ponderata per *Ludovic. Schrader. infra citand. par.* 10. *section.* 16. *num.* 30., ubi remissive ex *Augustin. Berò in d. cap. quoniam num.* 19. indicat quomodo, quibusve modis, de hoc constare possit, & subdit, quod sub nomine duorum virorum non intelliguntur feminæ, tanquam incapaces officiorum publicorum.

35 Plures limitationes ad dictum *cap. quoniam* invenies apud *Berlich. in d. conclus.* 8. *num.* 50., *& seqq.* nempe in parvis terris, & oppidis in quibus non habetur copia Notariorum, ubi adest consuetudo, ut a solo Judice examinentur; In caussis brevibus, quæ fiunt a Judice non in forma Judicii, & in his, quæ sunt voluntariæ Jurisdictionis; insuper aliam limitationem invenies apud *Raynald. cap.* 28. *in* §. 1. *num.* 94. *&* 95. *tom.* 3., quoties agitur de Processu fabricato a solo Judice in factis mulierum, ne deturpentur familiæ. Insuper restringitur dispositio dicti *cap. quoniam* quando Inquisitus legitimavit testes examinatos a solo Judice per declarationem ad tradita per *Zuff. in tract. de legitim. Process. qu.* 176. *post num.* 10. *& seqq.*, vel quando Inquisitus damnatus sit in contumaciam, ratione fictæ confessionis, *Zuff. loc. cit. qu.* 200. *post num.* 5. *& seqq.* Plura adducere possem adversus prædictas limitationes, sed brevitatis causa sisto calamum, interim remitto lectorem ad *Ludovic. Schrader. in tractat. de feud. tom.* 2. *p.* 10. *section.* 16. *num.* 2., *& seqq. fol. mihi* 439., ubi plures ampliationes, & limitationes congerit.

36 *Duodecimo* excipitur, quod delegatus, cui commissa fuerit receptio, seu examen testium, non per se ipsum, sed per intermediam personam Notarii eos examinavit, quod minime hoc facere poterat, ut docet *Abbas in cap. cum Bertoldus de re judic.*, ubi si Is, cui commissa est testium receptio subdeleget alium ad testes examinandos, Parte reluctante, examen erit nullum, & eum sequitur Nicol. Anton. *Gravat. in addit. ad Vestrium in praxi lib.* 6. *cap. final. num.* 34., nisi in literis delegatoriis, seu commissionis facultas addita fuerit *recipiendi examen tam per se, quam per ejus Notarium*, ut explicat idem *Vestrius loco citat. num.* 10., propterea testes ita examinati non solum non convincerent, sed eorum receptio, & examen nullum, & invalidum esset, ex defectu potestatis.

37 Quodque Notarius non possit Juramentum testi deferre sine Judice, vel ejus mandato, tradit *Bartol. in l. videamus* §. *deferre ff. de in lit. jurand.*, cum aliis relatis *a Vestrio loc. cit. cap.* 2. *post. nu.* 10. ubi subdit, quod hoc adeo verum est, ut sola Judicis presentia, & patientia absque dicto mandato non sufficeret, prout adversus *Butri* sententiam firmat *Bartol. in d. l. videamus*, ea ratione, quia in deferendo testi Jurandum Judicis auctoritas desideratur, *&* qui habet auctoritatem satis alias non facit si sit præsens, & taceat, *per Textum in l.* 4. *ubi Bartol. ff. de auctor Tutor.* per quem Textum infert generaliter *Bartol. in l. quæ. dotis ff. solut. Matrim.* quod scientia, & patientia illius, ad quem actus, cura, & sollicitudine tantum in Judicio spectat, non inducit consensum in his, quæ fiunt per alium, & sequitur *Felin. in cap. tuis quæstionibus nn.* 7. *& seqq. de testib.*, propterea si diceretur in aliquo examine *Examinatus fuit N. per me Notarium, cui per me præstito juramento &c., coram, vel præsente Domino Judice*, quin adderetur de illius mandato, testium examen esset nullum ob rationes superius deductas, & hoc non tantum in Judice delegato, qui hujusmodi actum subdelegare non potest, nisi expresse sibi impartiretur in literis commissionalibus, juxta superius tradita; verum etiam in Judice ordinario, Nam taciturnitas, & præsentia non haberet vim commissionis, nisi expresse appareat, vel de ea testetur Notarius; & de testibus examinatis per Notarium absque mandato Judicis, quod minime probent, etiam si accedat Rei confessio, ex pluribus docet *Altimar. de nullit. sentent. tom.* 2. *rubric.* 13. *qu.* 8. *num. primo & seqq.* ubi alia explicat.

38 *Decimotertio* objicitur, quod testes non convincunt, eo quia post quam Judex Notarium elegit ad examinandum testes in causam, vel construendum Processum, alio Notario usus est; siquidem Notarius semel electus, & deputatus ad conscribenda acta examinis, vel Processus, isto officio fungi debet, usque ad finem totius examinis testium, vel constructionis Processus, nec potest absque justa, & legitima causa ab hoc officio removeri, ante completum examen, vel Processum, ad textum *in capite cum plures de offic. delegat. in* 6., *in l. ubi acceptum* 30. *ff. de Judic.*, *in l. in fraudem* 45. §. *quoties ff. de Jur. Fisci*, *& in l. Pomponius* 9. *ff. de negot. gestis*, *Bartol. in l. cum sententia C. num.* 3. *& ibi Salicet. C. de sent.*, *& interloq. omn. Judic.*, *Bald. in l. gesta C. de re judic.*, *Felin. in d. cap. quoniam num.* 4. *de probat.* ubi *Decius post n.* 10. *Asin. in praxi* §. 14. *cap.* 8. *num* 2, Hinc si talis Notarius absque justa causa remotus sit, & alius surrogatus, examina, & acta ab alio conscripta, nullam penitus fidem, & probationem faciunt, *ut ex Textu in d. l. in fraudem* 45., *Bald.*, *& Decio docet Ludovic. Schrader in tract. de feud. d. sect.* 16 *num.* 21. *& seqq.* ubi quod in casu absentiæ, morbi, vel alterius impedimenti alter Notarius subrogari potest, & debet a Judice, *Anton. Sola ad Constit. Sabaud. libro* 3. *titul.* 35. *gloss.* 10. *num.* 3.

39 Insuper addit *Altimar. loc. citat. num.* 25. quod Notarius in causa deputatus, ipse debet scribere sua manu Processum, examina testium, & alia

acta

acta pertinentia ad dictam cauſam ; nam ſi alius ſcriberet, fidem non faceret, cum ſit electa induſtria Perſonæ, *ex Abbat. in conſil. 68. num. 3. libro 2.*, *Pacian. de probation. libro 1. capit. 65. num. 39.*, ubi allegat Bald. *F lin. Dec. & alios*, & ſubdit, quod Doctores inter ſe non conveniunt, an poſſint acta per alium Notarium non electum ſcribi, Modo a Notario electo inde fuerint ſubſcripta ? Etenim nonnulli cenſent hoc fieri poſſe, *alii* autem *negativam* ſubſtinent ; ipſe tamen *Pacian.* diſtinctione utramque conciliat, ut opinio affirmativa procedat ſi alius Notarius ſcriberet de licentia Judicis, *nam* tunc ſubſcriptio Notarii electi ſufficit ad acta anthenticanda ; opinio autem negativa locum obtineat, quoties id abſque licentia Judicis factum eſſet ; hanc tamen quæſtionem difficilem vocat, & eam remittit *ad Gabriel. in commun. opinion. de præſumpt. conclus. 3. num. 34.*

40 Conſulto *omiſſa exceptione*, quod teſtes fuerint *examinati in diebus feriatis*, etenim quidquid ſit in civilibus, in criminalibus teſtes recipiuntur, ac eis juramentum defertur maxime in gravibus cauſis in quacumque die feriata, etiam in die dominico, ut ex *Caball.*, *Cavalcan.*, *& Guazzin.* tradit *Altimar. loc. citat. num. 30. & ſeqq.*, prout etiam prætermiſſa *altera objectione*, quod teſtes examini non ſe ſubſcripſerint, nec ſignum Crucis appoſuerint, etenim hoc Jure cautum non reperitur, ut *ex Guazzin.*, *& aliis* tradit *Idem Altimar. num. 77.*, excipi poteſt *Decimo Quarto* contra examen teſtium, quod teſtes privilegiati, *qui* ad deponendum cogi non poſſunt, ſtatim ac fuerunt citati, vel vocati, exceptionem *non* oppoſuerunt, ſed ſe præſentarunt apud Judicem ad deponendum ; etenim habentur ac teſtes ſpontanei, & ultronei, ad convincendum ineſficaces, imo nullius fidei, *ut ex Baldo, Decian., & Caball.* docet Fulvius Majorana *in opoprax. crimin. tom. 1. cap. 2. num. 5. & ſqq.*, ubi ſigillatim recenſet, qui ad teſtificandum compelli nequeunt, videlicet Parentes contra filios, & e contra *l. Parentes 5. C. de teſtib.*, Gener adverſus Socerum & e contra, Privignus adverſus Vitricum & e contra, Uxor contra Maritum, & e contra, Frater contra Fratrem ; *cap. conſanguinei 3. quæſt. 5. cap ſi teſtes §. lege Julia quæſt. 3. l. lege Julia ff. de teſtib.* ; Conſanguinei, & Affines, liberti, Advocati, & Procuratores contra Principales, *nec non* alii, de quibus loquitur Textus *in l. inviti la 2. ff. de teſtib.*

41 Igitur teſtes, qui *non* debent examinari contra perſonas ſuperius deſcriptas, ſi coacti, vel ſponte non allegando privilegium, examinati fuere, non tantum non convincunt, ſed nec etiam faciunt indicium, ob rationem quod teſtificati ſunt in cauſa, in qua examinari non debebant, nec compelli poterant, *ita Bald. in L. lege julia ff. de Teſt. Blanc. de indic. num. 355. Gomez. de delictis cap. 11. num. 24.*, & de hujuſmodi teſtibus privilegiatis late agit *Farin. quæſt. 78. num. 57. & ſeqq.*, hanc *num.* 100 tradens rationem, quod quemadmodum dicti Teſtes privilegiati cogi *non* poſſunt ad Teſtimonium ferendum, ita ſi ferant, teſtimonium non valet, dummodo tamen eorum privilegio non renunciaverint, exceptis his, qui ad teſtimonium cogi non poſſunt propter reverentiam, ut ſunt filii contra Patrem, liberti contra Patronum, & ſimiles, Uxor contra *maritum* : Nam iſti etiam *in* delictis difficilis probationis, & *in* atrociſſimis examinari *non* poſſunt, niſi

conſulto Principe, ut paſſim practicatur, imo ſolet ſemper apponi clauſula, quando examinantur contra alios -- *præſtito juramento de veritate dicenda præter ſanguine conjunctos.*

42 Sed dubitatur, num *Advocatus*, vel *Procurator* etiam invitus cogi poſſit ab adverſa parte ad deponendum contra ſuum Clientem ? Et cogendum eſſe judicavit Curia Pariſienſis, Teſte *Amæo Roberto rer. judicatar. lib. 2. cap. 19.*, & latius probat *Diodor. Tulden. in comment. in Cod. lib. 4. tit. 20. poſt n. 3*, his verbis -- *Non magis enim Patronus clientis utilitati obſtringitur, quam Iuſtitiæ, & ejus officinæ judiciis. Aſtringitur quidem Patronus Clienti, ut non modo, quæ cauſam adjuvant, explicet, ingerat, & aſtruat, ſed & quæ officiunt, premat ; veruntamen viciſſim obligatus eſt judiciorum Sanctitati, tanquam quilibet, & quis civis, laborantem veritatem teſtimonio adactus adjuvare qua poteſt; videamus ergo utrum obligatio prævaleat; certe conſtat, in conflictu rationum vincere illam, quæ ſtat a partibus publicæ utilitatis ; Communis autem utilitas hujus ſententiæ æquitatem commendat, ut veritas pluribus præſidiis poſſit ſublevari ; ne ſuffugio aliquo quaſi licitæ fraudes cauſidicorum confirmentur, ne litigantium malitia legittimo quaſi patrocinio mitatur ; Accedit quod nec fides Clienti debita adſtringat patronum ad dolum ; dolus autem non tantum in eo eſt, qui obſcure loquitur, ſed & in eo, qui inſidioſe diſſimulat, L. ea quæ ff. de contrab. empt.* -- *id ſcilicet, quod explorandi alter jus habet, tantum excipitur, ſi abunde teſtium ſuppetat præter Patronum* -- contrariis deinde argumentis occurrendo, ut longum eſſet omnia hic deſcribere. Contrariam tamen ſententiam tuetur *Tull. Criſpolt. in caſ. militar. caſ. 23. num. 23. verſ. atque hinc* -- Sed opinionem *Tulden.* comprobat *Anton. Matth. in tract. de probat. cap. 5. num 60. & ſeqq.*, ex cujus dictis procedere opinio poſſet *Criſpolti*, ut non poſſint Procuratores, & Advocati cogi ad Teſtificandum quatenus panderent ſecreta cauſæ ſibi commiſſa

43 *Decimo Sexto* demum excipitur, quod Teſtes non convincunt, imo tanquam ſuſpecti de ſubornatione nihil probant eo, quod examinati fuere poſt publicatum proceſſum, & didicita Teſtificata, ſiquidem regula eſt, poſt Proceſſus publicationem, & poſt didicita teſtificata, ad evitandam falſitatem, & teſtium ſubornationem teſtes recipi non poſſe, ad Text. *in cap. in cauſis in cap. Fraternitatis, in cap. intimavit, in cap. ultra tertiam de teſtib., in Clementin. final. eod. titul., & in auth At qui ſemel C. de probat., Placentin. in ſumma C dic. lib. 4. titul. 20., Cyn. in l. per banc ubi Bartol. C. de tempor. appelland. Bonifac. de Vitalin. in Clement. teſtibus num. 143. de teſtib.*, & ſic paſſim in omnibus Tribunalibus ſervatur, ut teſtantur *Theſaur. decis. 262. num. 3.*, *Capic. latr. decis. 187. num. 16. Surdus decis. 126. num. 9.*, *Afflict. decis. 216. num. 1.*, *Capell. Toloſ. decis. 373.*, *& Burz. decis. 73. num. 42.*, *& ſeqq.*

44 Intellige tamen concluſionem prædictam, dummodo ultra publicationem intervenerit etiam cognitio teſtificatorum, & teſtificata ſint dedicita, alias ſola publicatio facta non impedit novam teſtium productionis, etenim ſubornationis timor ceſſat, quoties Pars, ſeu Accuſator notionem teſtificatorum non habuerit, *ut in d. cap. ultra tertiam ; gloſſ. in cap. conſtitutus il 2. verbo induxit de teſtib.*, *Azo in ſumma Codic. lib. 4. titul. 21.*, *Joan. Berber. in Via*

ror Juris p. 4. titul. 3. de probat. num. 21., *versic. Advertendum tamen*, In dubio, quotiescumque non constat, an sint didicita testificata, sed est facta publicatio, eo casu cum nonnullis docet *Petr. Surdus consil. 176. post nu. 7. & seqq. tom. 2.*, præsumendum esse, quod visæ fuerint testificationes, & didicita testificata ad impediendam aliorum testium productionem, & examen. Verum, *Camill. Borell. in summa decision. tom. 2. titul. 9. num. 80.*, hoc procedere existimat, quando publicatio facta esset ad Instantiam Accusatoris, qui peteret post illam novam testium productionem, quia non admitteretur; quam declarationem veram censeo, alias sola publicatio semper sufficeret, nam semper secum præsumptionem traheret adductam a *Petro Surdo*, *loc. citat.*, adversus apertam legum dispositionem requirentium ultra publicationem, testificatorum cognitionem.

45 In criminalibus autem distinctio hæc communiter videtur recepta; aut enim processum est in causa ex officio Judicis, non existente Accusatore, & tunc possunt testes semper recipi, etiam post publicatum Processum, & didicita testificata per Fiscum, siquidem in Judice novos testes ex officio examinante cessat subornationis timor, *Argum. Text. in cap. cum Clamor. ubi gloss. de testib.*, *Felin. in cap. per tuas eod. titul.*, etenim testes Judici semper sunt publicati, *Bartol. in l. 2. §. si publico num. 15. ff. ad legem Jul. de adulter.*, *Borell. in d. titul. 9. num. 51.*, & *num. 30.*, ubi quod fiscus admittitur ad producendos novos testes etiam post didicta testificata per viam restitutionis in integrum, ad tradita *per Guido Pap. Bor. Ursill.*, & *alios per eum allegatos*, *Gomez. de d. lict. cap. 13. num. 34.*, & *de Marinis resolut. lib. 1. capit. 109.*, & *ibi Rodoer. in addit num. 2.*, & *seqq.*

46 Si vero in causa fuerit Accusator, & tunc non potest Judex post didicita testificata novos testes recipere, & examinare, ob timorē subornationis; & in his terminis habet locū, quod *ex Feller. De Angelis, Farin.*, & *aliis docet Fulvius Majoran. in sua praxi crim. par. 2. cap. 5. post n. 10.*, *Vermigl. consil. 326. num. 5.*, & *seqq. Natta consil. 565. num. primo*, & *seqq. Prat. in respons. 20. num. 64.*, & *seq.*, & *disceptat. forens. tom. 3. cap. 40 num. 75.*, & *seqq.*, *Gaill. de pac. public. cap. 18. num. 10.*, & latius *Raynald. in observat. crimin. cap. 32. §. 4. nu. 314.* & *seqq.* Sed ut verum fatear, nimis larga videtur opinio *Majoran. loc. citat. num. 14.* asserentis, quod in criminibus, in quibus procedi possit ex officio, sive adsit Accusator, seu Instigator sive non Judex ex officio semper potest novos testes examinare, etiam post didicita testificata, & probationes coadjuvare in qualibet parte litis favore Reipublicæ ne delicta maneant impunita, etenim existente Accusatore in causa, licet in crimine ex officio procedi posset, semper subornationis timor adest, ideo cogitandum, præsertim quia hodiernis temporibus vigore Bannimentorum in omnibus fere delictis ex officio procedi potest, sicque destructa remaneret regula prædicta, quod nullimode dicendum est; tantummodo enim admittenda aliquo modo esset opinio dicti *Majoran.* cum Judex adeo circumspecte se gereret, ut testes novos examinaret, quin ad Accusatoris notionem perveniret, taliter ut illi locus non esset testes subornandi; plures declarationes ad regulam habebis apud *Camill. Borell. in d. titul. 9. per tot.*; & quo ad testes ad defensam, quod admitti debeant etiam post didicita testificata, probat *Anton. Matth. de criminib. libro 48. ff. titul. de probat. cap. 4. n. 5.*, & est conclusio apud Doctores plusquam indubitata, ob rationem quod quocumque tempore Reo postulante defensiones non sunt denegandæ etiam post sententiam.

SUBSECTIO IV.

De aliis pertinentibus ad materiam Convicti per testes.

SUMMARIUM.

1 *Agitur de dubiis resolutis in particulari Congregatione; approbatis a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIV. quo ad Convictos.*
2 *Exceptis delictis expressis in resolutione primi dubii, alia non comprehenduntur.*
3 *Quænam dicantur delicta atrocissima explicatur Doctrina* Julii Clarii.
4 *Refertur sententia* Farinacii, *& aliorum.*
5 *Quid senserit in hoc casu* Sfort. Odd.
6 *Delicta promiscue in Jure appellantur: gravia, atrocia, pessima, detestabilia, & sunt atrocissima.*
7 *Juxta* Math. de crimin. *gravitas delicti non dijudicatur ex supplicii qualitate.*
8 *Explicatur Doctrina* Mathei.
9 *In Bannimentis generalibus Urbis nonnulla crimina declarantur atrocissima, quæ in puncto Juris talia non sunt.*
Atrocissima dicuntur duplicis generis in iisdem Bannimentis, quo ad tormenta, & quo ad pœnam.
10 *Quæ sunt atrocissima quo ad tormenta non comprehenduntur in dicto Chirographo.*
11 *Delicta debent esse consummata, & perfecta ut locus sit dispositioni dicti Chirographi, non autem attentata.*
12 *Qualitas, quæ crimen aggravat probari debet per testes integros, non autem exceptiones patientes.*
13 *Rejiciuntur qui contrarium tenent, & conclusio pluribus rationibus comprobatur.*
14) *Qualitas delictum aggravans est de substantia*
15) *extrinseca, non intrinseca delicti, referuntur verba* Farinacc.
16 *Chirographum loquitur quo ad suppletionem de indiciis, seu adminiculis delicti substantialibus, probandis etiam per testes minus habiles.*
17 *Corpus delicti probari nequit per testes inhabiles.*
18 *Deficiente corpore delicti nequit quis convinci, nec etiam per propriam confessionem.*
19 *Homicidium appensatum quando dicatur?*
20 *Insidiæ non requiruntur ut homicidium dicatur appensatum.*
21 *In dubio cædes non præsumitur appensata, sed aliqua perturbatione, casu, vel rixa sequuta*
22 *dicta per* Anton. de Mattheis *in quo sensu intelligenda.*
23 *Qualitas animi deliberati indiciis & præsumptionibus probatur.*
24 *De his conjecturis & præsumptionibus, remissive.*

In

In conflictu præsumptionum, quæ præsentantur inclusivæ, vel exclusivæ.

25 *Homicidium committens ex causa bestiali, seu irrationabili non dicitur comprehensus in Chirographo.*

26 *Explicatur quæstio, an premeditate Titium occidere volens, si Cajum per errorem occidat, comprehendatur in hoc Chirographo?*

Primo ponitur opinio affirmativa.

27 *Opinio negativa validis rationibus tuetur, & comprobatur.*

28 *In legibus & Statutis causa proxima & immediata, non autem remota, & mediata attendi debet.*

29 *Verba statutorum intelligi debent proprie, & stricte,*

30 *Diluitur objectum, & explicatur Textus in* l. 30. ff. ad leg. Aquil.

31 *Magis comprobatur opinio negativa.*

32 *Declarantur in quo sensu procedant Bannimenta Urbis & S. Consultæ.*

In Homicidio commisso ex errore consideratur culpa, non voluntarium,

33 *Dissolvitur objectio,*

34 *Traditur alia ratio a* Gribaldo, & Chartario.

35 *Fur fam sus qui dicitur? & an furta debent esse propria, vel impropria.*

36 *Ultra delicta expressa in Chirographo, alia comprehendenda non sunt.*

37 *Verba* patiantur plures exceptiones, *an intelligantur de una, vel pluribus?*

Testes patientes plures exceptiones in totum repelluntur a testificando.

38 *Quæstio resolvitur pro unica exceptione,*

Expenduntur rationes.

39 *Qui nam dicantur illi qui a testificando in totum repelluntur?*

40 *Ratio quare dicti testes in Chirographo rejecti fuere.*

41 *Alia plura in hac materia remissive.*

42 & seqq. *aliæ adnectuntur quæstiones hanc convicti per testes materiam respicientibus, quo ad testium inhabilitatem usque ad nu. 61.*

1 USque adeo ad intelligentiam prælaudatæ *Constitutionis S. M. Clementis XII.*, diximus de testibus, defectus, & maculas patientibus, qui juxta Juris canonici, & civilis dispositionem convincere nequeunt. Quoniam vero post prælaudatam Constitutionem, supervenit *de anno* 1753. Chirographum Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI XIV. (per extensum relatum in hoc *Secundo volum. fol.* 275.) quo mandatur inviolabiliter observari ea que in particulari Congregatione discussa, & resoluta sunt, interquæ hoc *primum Dubium* resolutum habetur his verbis -- *An duo, vel tres testes concludentes per necesse delictum, & aliquos patientes exceptiones, præter illas, pro quibus testes de Iure in totum repelluntur a testificando, possint suppleri tam ex aliis indiciis, & conjecturis probatis per testes minus habiles, & idoneos, quam ex numero testium ad effectum imponendi pœnam ordinariam? Responsum -- attentis frequentia delictorum, & facilitate, qua Rei negativi evadunt promæritas pœnas, esse consulendum Sanctissimo, ut declaret in Tribunalibus supremis, & suas Vices gerentibus, ac in delictis atrocissimis, Homicidiis appensatis, & furibus famosis, posse suppleri tam ex indiciis, quam ex numero per testes minus habiles, & idoneos,* Nec non hoc Alterum -- *An idem servandum sit in delictis sequutis in lupanaribus, Custodisque Bernariorum, aliisque locis, ubi nec actu, nec habitu solent intervenire, aut intervenerint alii testes, quam Personæ infames? Responsum affirmative, dummodo suppletio fiat per indicia, & conjecturas, quæ probentur per alios testes*: idcirco, quia hæc duo limitant, & restringunt in casibus in eodem Chirographo expressis, quæ in superiori *sectione, & subsectionibus* dicta sunt, nonnulla propterea ad sensum prælaudati Chirographi notanda veniunt.

2 Et quo ad *primi dubii* resolutionem, *primo* animadvertendum est, quod exceptis delictis ibidem expressis, nempe *atrocissimis, Homicidiis appensatis, & furibus famosis* alia crimina comprehendi minime videntur ob rationem cunctis notam, quod in legibus, & Constitutionibus pœnalibus nulla extensio admittenda est, taliter ut omissa, & non expressa sub *Iuris communis* censura continentur, ut ex regula *Textus in cap. odia de reg. Iur. in* 6. *in* §. *cum igitur, auth. de non elig.* latius probat *Cravett. de antiq. tempor. par.* 4. *in* §. *Transeo nunc ad num.* 148. *versic. contrarium fol. mihi* 368. ubi plures expendit rationes, & contrariis argumentis occurrit; *Gigas de crimin. læs. Majestat., libro primo titul. primo n.* 3. *& seqq., Vivius de commun. opin., opin.* 271., & omnium latissime *Alphons. Villagut. in tract. de extens. leg. rubric., de extens. leg. pænal. respect. mer. pænal. num. primo, & seq. fol.* 114., *& seq.*, ubi Jura, & DD. auctoritates allegat; si enim alia crimina comprehendere legislator voluisset, utique expressisset, nec ea silentio prætermisisset, tantoque magis quia proœmium prælaudati Chirographi respicit frequentiam Homicidiorum, & aliorum *Delictorum Qualificatorum* ibi -- *per apportare opportuno rimedio alla frequenza degl' omicidii, ed altri delitti qualificati*; ac deinde Summus Princeps approbando prædictas resolutiones mandat Tribunalibus supremis eas observari in casibus expressis ibi -- *Debbano giudicare, e venire alla condanna e totale esecuzione delle pene, nelli sopra espressi casi a tenore di dette resolutioni, quali vogliamo, che abbiano forza di legge universale &c.*

3 Notandum est insuper ad veram cognitionem delictorum expressorum in dicto Chirographo, quod delicta *atrocissima*, de quibus loquitur præfatum Chirographum, sunt ea pro quibus lex, seu statutum imponit pœnam graviorem, quam simplicis mortis, ut puta *igne cremari, in frusta scindi, Rotæ inseri, ad caudam equi trahi*, vel hujusmodi, quando aliquid addit ultra mortem, ut *in crimine læsæ majestatis Divinæ & humanæ in primo capite, Parricidii, Assassinii, Grassationum, Homicidii proditorii, falsarum monetarum, Sodomiæ, & similium*, vel quando addit alias qualitates ultra pœnam mortis, ut quando extendit pœnam etiam in filios, ut in crimine læsæ majestatis, vel quando concedit aliqua specialia adversus delinquentes, ut in crimine Raptus Mulierum honestarum, & Virginis, ut docent *Iul. Clarus in pract. crimin.* §. *primus n.* 9. *versic. Ego autem duo*, ubi etiam dicit, quod omnia delicta, pro quibus a lege, vel statuto imponitur pœna mortis *naturalis*, vel *civilis* triremium *in* perpetuum, dicuntur gravia & atrocia, non atrocissima: sequitur Scaunarol. *de visitat Carcerat. libro* 2. §. 6. *cap.* 4. *de tortur. inferend. num.* 14. *fol.* 278.

fol. 278., ubi quod levitas, vel gravitas delicti ex levitate, vel gravitate pœnæ optime dignoscitur.

4 At *Farinacc. in qu.* 18. *num.* 88. primo loco refert, quod ubi imponitur poena mortis naturalis crimen dicitur gravissimum, vel atrocissimum, ex doctrina *Salyceti, Bartol.*, *Carrer.*, *Foller.* & *aliorum*, quos allegat, deinde recenset opinionem *Iulii Clarii*, a qua non credit dissimilem sententiam Senatus Mediolani, relatam per eumdem *Clarum* nec non opinionem *Fabii a Monteleon. in sua praxi arbitral. fol.* 405. *post num.* 16. ac tandem ob Doctorum dissentiones concludit, se nihil posse dicere, sed id totum prudentis Judicis arbitrio remitti, qui id potissimum existimabit atrocissimum secundum loci, & consuetudinem Civitatis; postmodum autem Idem *Farinacc.* loquens de *torment. Vigil in qu.* 38. *num.* 71., describit crimina atrocissima per hæc verba -- *Bene verum est, quod id solum in atrocissimis consuetum video, ut in crimine læsæ majestatis, assassinio, stratarum Latrociniis, disrobatoribus famosis, Bannitis, & his similibus*, quibus verbis convenire videtur cum opinione *Iulii Clarii*, quam in præcedenti *quæst.* 18. *num.* 89. retulit, sed non amplexus est.

5 Inter hujusmodi diffidentes Doctores *Sfort. Odd. in tractat. de restit. in integr. p.* 2. *qu.* 80. *nu. prin.* & *seqq.* explicando delicta *levia, gravia seu atrocia, graviora seu atrociora, & gravissima seu atrocissima*, ex *Alb. in cap. tuæ de pœnis* tradit, quod *crimina atrocissima* dicuntur omnia ea, in quibus inest dolus, sunt publica, non privata, & pro eis capitale supplicium imponitur; ac contra opinionem *Clari* opponit Textum *in l. auxilium ff. de minor.* ubi Adulterium vocatur *atrocius* delictum, & tamen pro eo de Jure civili imponitur poena mortis, sed bona pace *Sfort. Odd.* differentia est inter crimina *atrocia, atrociora, & atrocissima*, ut differunt inter se gradus *positivus, comparativus & superlativus*; dicitur enim Adulterium crimen atrocius *in gradu comparativo*, sed non *atrocissimum* in gradu superlativo, quod animadvertens prælaudatus *Auctor* conciliat opinionem *Albertis* cum opinione *Clari*, desumpta ex *Bartol. in l. levia ff. de accus.*, quod delictum publicum (semper supponendo dolo admissum) quando non punitur supplicio capitali dicitur *grave* seu atrox; quod autem punitur pœna mortis simplicis dicitur *gravius vel atrocius*; quod vero expiatur ultione capitali qualificata dicitur gravissimum *seu atrocissimum*, proinde convenire videtur cum *Claro* magno quidem Criminalista.

6 Et quamvis *Anton. Polic. in tract. de præemin. Reg. Audient. tom prim. titul.* 3. *cap.* 2. *num.* 62. conveniat cum opinione *Clari*, addit tamen, quod delicta atrocissima promiscue in Jure, & a DD. vocantur gravia, atrocia, pessima, detestabilia -- sic apud *Sanfelic. decis.* 173. crimina Assassinii, & falsæ monetæ, quæ alias sunt atrocissima, vocantur *gravia*, sic *Campan. de for judic. resol.* 2. *nu.* 34. & *seqq.* atrocissimum crimen a minore patratum vocat *atrox*, Sic in *cap. pro humani, de homic. in* 6., crimen Assassinii, quod est atrocissimum, vocatur *horrendum* Sic in *l.* 1. *C. de rap. Virgin.*, & *in l. Raptores C. de Episc. & Cleric.*, crimen raptus vocatur *pessimum & detestabile*, quod tamen Doctores appellant atrocissimum.

7 Insurgit adversus præfatos DD. *Anton. Matth. de Crimin. in prolegom. cap.* 4. *num.* 3., inquiens falsissimum esse, criminis qualitatem ex pœna dijudicandam, exemplificat enim, quod si leges capite puniri jubent qui Caballum furatus fuerit, & qui aliquem interfecerit, ære potius, quam vita mulctetur, quis dixerit propterea gravius esse furari Caballum, quam occidere hominem? desuper alia referens exempla, concludit propterea, quod crimina graviora dici debent non habito respectu ad pœnam, sed habita consideratione ad dolum, nec non ad offensionem, etenim naturalis dictat ratio, eo gravius unumquodque admissum esse, quo gravius, aut divina, vel humana majestas, aut honestas, aut utilitas Reipublicæ per id offenditur, ut sunt crimen majestatis, cædes, adulteria, incestus, raptus Sacrilegium, violatio sepulchri, & adulteratio monetæ, superaddens quod reiteratio delictorũ circumstantiæ, crimen grave, aut leve dijudicant, ad Textum *in leg. aut facta* 16. *ff. de pœnis*.

8 Et quidem rationes *Matthei*, sunt multum convincentes, non propterea recedendum videtur a regula per DD. tradita, *atrocissimum* reputari ex gravitate supplicii, seu ex pæna mortis qualificata; siquidem possunt Principes in eorum Dominiis, quædam delicta, quæ suapte natura non sunt gravia, graviora, & atrocissima habere, & qualificatis, ac exasperatis ultionibus ea vindicare, ratione temporis, ac ex delictorum frequentia, quæ summopere Rempublicam perturbant: merito inquit *Farinacc.*, quod *atrocissimum* non ita, & ubique semper debet ita existimari, sed juxta leges, & consuetudines illius Civitatis: enim vero, unum idemque crimen asperiori ultione punitur in uno loco, ratione temporis ac frequentia ejusdem criminis quam in altero; propterea in eo loco, in quo pæna exasperatur, & qualificatum supplicium dictatur, crimen vocatur atrocissimum ex *gravitate pænæ*, quod tale non posset dici ex qualitate criminis, quod aliunde non tam exaspera pæna vindicatur.

9 Hinc in Bannimentis generalibus Urbis de *anno* 1747. promulgat. nonnulla crimina declarantur atrocissima, quæ forsan in puncto Iuris, & in aliis dominiis talia non sunt: intelligo tamen, quod ea *atrocissima* in dictis Bannimentis declarata, comprehenduntur in prælaudato Chirographo, quæ talia declarantur non tantum respectu *ad modum procedendi, & deveniendi ad tormenta, sed etiam ad pænam*, prout explicatur *Veneficium in capite* 8. *versiculo E percio* sequentibus verbis -- *E si averà un tal delitto per atrocissimo tanto nel modo di procedere, quanto ne tormenti, e pena*, & explicatur etiam fractura Pacis in *cap.* 14. ac in aliis capitibus alia crimina *atrocissima* etiam quoad pænam recensentur, quæ possunt legi in iisdem Bannimentis; cætera vero, quæ declarantur *atrocissima* tantum ad effectum procedendi, & torquendi, ut legitur quoad Infanticidium, *in cap.* 10. §. *ma perche* his verbis -- *Ed il delitto, si riputerà sempre atrocissimo tanto nel modo di procedere, che de tormenti &c.* nec non alia crimina in iisdem Bannimentis inter atrocissima enumerata sub eadem formalitate verborum, neutiquam comprehensa dici possunt, sub nomine *delictorum atrocissimorum*, de quibus loquitur Chirographum; etenim illud loquitur de illis *atrocissimis*, quæ ultione qualificata expiantur, ut delinquentes convicti dicantur ad debitam animadversionem subeundam, & sic ad effectum pœnæ, non de aliis ita dictis ad effectum procedendi, & deveniendi ad tormenta, ut patet ex illius apertis verbis -- *debbano giudicare, e venire*

alla

alla condanna, e totale esecuzione delle pene nelli sovraespressi casi a tenore di dette resoluzioni, & patet etiam ex verbis dictorum Bannimentorum, nam si voluissent ea inter atrocissima quoque numerare qua ad pœnam (quæ in atrocissimis dictari non potest, nisi in convicto) utique expressissent, prout in aliis capitibus, ubi voluerunt, expresserunt ad Textum in l. si quis ita 16. ff. de testam. tutel., in l. 9. §. 1. ff. locati, & in l. 59. ff. ad S. Consult. Trebell., Otton. Tabor. in thesaur. Iurisprud. libro 19. cap. 8. §. 32.

10 Hinc quemadmodum verba illa -- Ed il delitto si reputerà sempre atrocissimo tanto nel modo di procedere, che de tormenti, nullo pacto adaptari, & convenire possunt, ut idem delictum dicatur atrocissimum ad condemnandum: Nam modus procedendi, torquendi, & condemnandi inter se diversificantur, & distinguuntur, ut quod sufficit in modo procedendi, non sufficiat in modo torquendi, & quod sufficit in uno, vel altero, non sufficiat ad condemnandum, ut notissimum est criminalia elementa ediscentibus. Ita extendenda minime videntur ad ea atrocissima, de quibus loquitur Chirographum ad effectum unice convincendi, & damnandi, ob regulam Textus in l. 4. §. toties ff. de damn., quod ubi non conveniunt verba, nec minus legis, aut statuti locum habet dispositio, l. 21. ff. de milit. testam., Bartol. in d. l. 4. §. Prætor. cum aliis apud Tiraquell. in l. si unquam verbo libertis num. 2. 5. & seqq. C. de revoc. donat., propterea semper intelligenda, & restringenda veniunt secundum subjectam materiam, cui conveniunt, & adaptari possunt non extra, l. 18. ff. de damn. infect. Leg. profectitia 5. ff de Iur. dotium., l. in delictis §. detracta ff. de noxal., Andreas Knicher de autocrat. Roman. Imper num. 282. & Henning. Arnis. de Iur. Majestat. cap. 5. num. 9., esto quod generalia essent, l. 3. §. si quis ff. de stat. liberor., l. ut gradatim ff. de muner., & honor., in l. si ex pluribus 89. ff. de solut., in l. 1. ff. nequid in loc. public. & in l. non est novum 26. ff. de legib., eoque magis, quod agitur de statutis pœnalibus, & correctoriis nullam etsi minimam admittentibus extensionem, & ampliationem, sed stricte intelligendis, ut jacent, capite odia de reg. Iuris in 6. Gloss. in cap. cupientes §. quod si per viginti de elect. in 6. Bald. in l. in illud num. 3. & seqq. C. de Sacros. Eccles. Wesembec. libro primo consil. 6. num. 135. Gartman. Pytor libro primo quæst. 16. num. 23.

11 Tertio animadvertendum est, quod ad hoc ut habeat locum dispositio dicti Chirographi necesse est, ut delicta atrocissima sint consummata, & cum effectu patrata, alias si tantum attentata (etsi attentatum supplicio capitali esset expiandum, ut quo ad attentatum proditorium, seu Vulnera cum qualitate proditionis inflicta legitur in dictis Bannimentis generalibus in cap. 13. §. E nella) in eo utique non comprehenduntur, ob rationem, quod Verba legis, seu statuti cum effectu, & consumatione delicti intelligi debent, & non cum attentato, cap. qualiter 3. ubi gloss. de pactis l. 1. §. hæc verba ff. quod quisque Juris l. penult. §. docere ff. ne quis eum, etiam in atrocissimis, Bald. in l. data opera, versic. in pœnis statutorum C. de his qui accus. non possunt Alexand. in addit. ad Bartol. in l. qui ea mente litter. C. versic. Et adde ff. de furtis, Philipp. Franch. in cap. pro humani post num. 7. de homicid. Hieron. de monte in quæst. 16. num. 9. & seqq. Vivius opin. 822. num. 1. & seqq., ubi de communi, etiam quod deventum esset ad actum proximum, & immediatum, Franch. loc. citat., Bald in l si quis non dicam rapere num. 2. C. de Episcop., & Cleric. Hieron. Cuccalon. ad Dec. in l. non vult. hæres esse n. 7. litter. A. ff. de regul. Jur. Zillett. inter consil. crimin. divers. 55. post num. 52. tom. 1. in parvis; quæ conclusio procedit non solum in delictis atrocissimis, sed etiam in homicidiis deliberatis, expressis in eodem Chirographo; etenim pari ratione de consummatis, & non attentatis verba Chirographi intelligenda sunt.

12 Quarto animadversione dignum videtur, quod qualitates, quæ crimina ad altiorem gradum extollunt, & aggravant, unde dicuntur atrocissima, ut exempli gratia qualitas efformans latrocinium, proditionem, assassinium, & similia, probari concludenter debent ad formam Juris communis per testes legitimos, & idoneos, & non per testes exceptiones patientes ad formam prædicti Chirographi, ea ratione, quod ubi testes inhabiles per legem, aut statutum habilitantur, ut in aliquibus delictis probent, hoc sane intelligendum videtur, quoad probationem principalis delicti, non autem quo ad probationem qualitatum, quæ delictum aggravant, vel extollunt in aliam speciem, ut scite docet Bartol. in l. quæstionibus ff. ad leg. Jul. majestat, ubi ponit exemplum de eo, qui cum esset Rector Provinciæ successorem in Regno non admisit, & sic crimen læsæ majestatis commisit; inquit enim Bartol., quod ad probandum, quod quis Successorem non admiserit, admittuntur testes infames, & inhabiles, sed ad probandam qualitatem, quod ille Successor erat legitimus (nam qualitas crimen læsæ majestatis efformans consistit in legitima successione, siquidem indubitati Juris est, successorem illegitimum non admittere, crimen majestatis non esse) non admittuntur dicti testes inhabiles, Cum Bartol. congruit summopere doctissimus, Bald. in auth. si testis productus num. 7. C. de testib., ubi inquit, quod si statuto cavetur, quod super adulterio testes infames admittantur ad testificandum, hi tamen non admitterentur ad probandam qualitatem, adulterium efformantem, quæ consistit in matrimonio, sine quo frustra de adulterio quæreretur; & hoc (inquit Baldus), quod in qualitate matrimonii non adest crimen, licet sine eo adulterium non committatur, quam Bartol., & Bald. sententiam amplectuntur Campeg. de testib. regul. 30. versic. sexto quia, Lancellott. Conrad. de offic. Prætor. rubric. de testib. verbo, infamis num. 13., Boss. de indic., & consid. ante tortur. nu. 32., Dec. consil. 410. nu. 15. Riminald. cons. 361. num. 32. & seqq. tom. 4. Mascard. de probat. conclus. 857. num. 35. tom. 2., & conclus. 462. post n. 37. tom. 1., ubi alios allegat.

13 Et quamvis contra Bartol., & Baldi sententiam insurrexerint Angel. in l. famosi num. 3. ff. ad leg. Jul. majestat.; & Salicet. in auth. si dicatur num. 10. & seqq. C. de testib. existimantes, quod concesso uno, censentur concessa omnia alia, per quæ pervenitur ad illud unum, maxime substantialia, quodque idem esse debeat regula de toto quo ad totum, quod de parte quo ad partem, nihilominus, salva pace tum Angel., tum Saliceti, regulæ per eos adductæ nullo pacto convenire queunt, ubi agitur de statutis pœnalibus, & Juris communi correctoriis, tum quia nec etiam per sensum subauditum debemus inducere Juris correctionem; cap. cupientes §. quod si per viginti de elect. in 6. l. sancimus C. de testam. & in l. præcipimus C. de appell. imo per sensum subauditum est emendanda Legis correctio, Gloss. in auth. ex testamento C. de collat., & in d. cap. cupientes, ob rationem quod correctio ex statuto

tuto induci non debeat nisi expresse in eo dicatur, *Jason. in l. omnes Populi ff. de Iustit., & in l. final. §. in computatione C. de Iur. deliberand.* tum etiam quia in eodem Chirographo multiplicarentur specialia, nempe quod non solum testes, aliquas patientes exceptiones, in criminibus ibi expressis convincere possent Reum quo ad delictum, sed etiam quo ad qualitates crimina in altiorem gradum extollentia, aggravantia, & qualificantia; cum undique talium specialium multiplicatio a Jure sit vetita *cap. singula distinct. 89. l. cum post 69. §. gener. ff. de Iur. dot., l. 1. C. de dot. promis., Doctores in l. singularia ff. si certum petat; Decian. respons. 13. num. 23. libro 3.*, Hinc regula est, quod quoties statutum, seu Constitutio duo operari posset contra Jus commune, illud intelligi debet, ut in uno tantum sortiatur effectum, *Francisc. Curtius in l. transigere num. 20. C. de transact.; Osasch. decis. 59 num. 13. & decis. 165. post num. 21.*, cum aliis apud *Otton. Tabor. in thesaur. Iurisprud. libro 17. § 5. to. 2.*; ubi quod specialia non sunt passim admittenda, nec trahi debent in argumentum, vel in consequentiam, quia ab eis non est licitum arguere, ut docent *Abb. cons. 114. num. 5. libr. 2.; Paul. de Castro. Consil. 97. num. 3. libro 2. & Guid. Pap. decis. 473.*

14 Nec verum est, quod qualitas delictum efformans, vel illud qualificans, seu aggravans sit de illius substantia intrinseca, taliter ut in probatione dividi minime possit, juxta argumentum *Angel. & Salic.*; Nam *Farinac. in tractat. de testib. quæst 56. num. 78.* distinguendo substantialia intrinseca, & extrinseca, docte occurrit prædicto argumento his verbis -- *Ego autem non sic credo in casu nostro hos terminos esse declarandos, quia etsi adulterium non possit stare, Matrimonium tamen nihil commune habet cum adulterio, nec potest dici illius substantia saltem intrinseca (extrinseca autem forsan sic), Item licet non detur crimen læsæ majestatis in non admittente Successorem, nisi hic fuerit legitimus, iste tamen Successor sit legitimus nec ne nihil commune habet cum denegata admissione, nec dicitur de illius substantia saltem intrinseca, nec ad illud aliquo modo infert.*

15 Propterea Idem *Farinac.* amplectitur *Bartol. & Bald.* opinionem, dicendo, -- *Et ideo credo Bartol., & Baldum in eorum exemplis optime loquutos fuisse, dum negant testes admitti ad probandum Matrimonium, licet admittantur ad probandum adulterium;* & non *admitti ad probandum successorem legitimum, licet admittantur ad probandum eum non admissum, quia unum non infert ad alium, nihil inter se unum cum altero habet commune, nec unum potest dici de alterius substantia intrinseca; verum quando adminicula tendunt, & inferunt ad substantiam delicti principalis, puta ad probandum adulterium volo probare amplexus, munera, colloquia &c. & similia, vel ad probandum crimen læsæ majestatis, volo probare nocturnas conventiculas, convocationem facinorosum hominum, & similia, & tunc, quia ista adminicula dicuntur de substantia delicti, cum inferant ad ipsum delictum, nihil credo esse, quod impediat, quin & per infames probari possint, sicuti etiam potest probari delictum principale, & illo modo intelligendo limitationem Angel. & Salic. de substantialibus adminiculis loquendo, eam credo verissimam.*

16 Quamobrem juxta sensum *Farinacii* de his indiciis, & adminiculis substantialibus loquitur Chirographum in dicto *primo dubio*, dum ait -- *possint supplere tam ex aliis indiciis & conjecturis probatis per testes minus habiles & idoneos*, non autem de qualitatibus delictum efformantibus, vel qualificantibus; nam hæ non sunt de substantia intrinseca delicti, sed extrinseca, proinde minime probandæ per eosdem testes inhabiles; nam non sequitur, probatur Parricidium vigore statuti per testes inhabiles, ergo qualitas parricidii, quod delinquens sit filius Interfecti, probatur etiam per Infames; aliud enim est Parricidii delictum ut in se admissum, quia nempe testes viderunt illud committi tanquam homicidium, & in hoc probant inhabiles; aliud vero, quod illud homicidium sit qualificatum, seu Parricidiū, quia probatio filiationis, seu consanguinitatis, haberi non potest per inhabiles, Chirographum enim ob enormitatem sceleris dispensat probationem quo ad admissum factum, non autem quo ad qualitates nec multiplicat specialia: atque ita in *secundo dubio* ob difficillitatem probationis admittit testes infames ad probandum sequutum factum, non vero qualitates illud aggravantes; etenim qualitas non est cum facti substantia confundenda, *Arniseus 2. relect. politicor. cap. 1. section. 2. num. 12 & seqq.* idcirco inquit perbelle *Otton. Tabor. in thesaur. Iurisprudent. libro 15. cap. 3. de qualitate §. 19.* quod si probationis privilegium detur in aliqua specie delicti, intelligitur quo ad probandam substantiam delicti, non autem illius qualitates.

17 Hinc a simili dicendum est, quod quamvis in delictis atrocissimis, homicidiis appensatis, nec non furibus famosis, etiam in lupanaribus, custodiis Birrnariorum, aliisque locis occultis, admissis possunt in vim dicti Chirographi Delinquentes convinci per testes inhabiles, aliis indiciis, & conjecturis pariter per testes inhabiles præter infames, adminiculati, non propterea tamen corpus delicti in iisdem criminibus probari debet per testes inhabiles, aut minus sufficientes, sed liquido, & concludenter ad formam *Textus in leg. 1. §. Illud autem ff. ad S. C. Syllan.* signanter in illis criminibus, quæ sunt facti permanentis, quorum vestigia oculariter inspicienda veniunt, ad tradita per *Clar. quæst. 4.*, *Guazzin. defens. 4. cap. 2. num. 17, & seq.*, & alios apud *Anton. Polic. de præemin. Reg. Audient. tom. 2. titul. 10. cap. 2. num. primo, & seqq.*, ut de hoc alibi latius dicemus Deo dante in *sect. secunda*, ubi quod nec etiam indiciis indubitatis potest corpus delicti probari, & suppleri, ubi lex talibus indiciis contenta est ad aliquem convincendum.

18 Et revera, ubi deficit corpus delicti, quis nullo pacto convinci potest nec per testes etiam idoneos, & omni exceptione majores, multominus per indicia indubitata, imo nec per eiusdem Rei confessionem; Nam deficit judicii criminalis fundamentum, sine quo omne quod super ædificatum, est imperfectum, & nullius ponderis, etiam Inquisiti accedente confessione, non minus ficta, prodeunte ex contumacia, quam vera, *leg. inde Neratius ff. ad leg. Aquil., leg. in confessionibus cum leg. sequenti ff. de interrog. action., De Ballis tractat. crimin. libro 2. qu. 9., Clarus, Grammat., Giurba, Caren., & alii innumeri* apud *Anton. Polic. d. cap. 2. nu. 2., & seqq.* Confessio enim, multoque minus testes delictum efficere queunt, quod tale esse fundamentaliter minime constat, ut in vim Textus, *in leg. liber homo ff. ad leg. Aquil.* scite probant *Amesetta de*

po-

potestat. in seipsum libro primo cap. 14. *num.* 10., *& seqq.*, *& Anton. Faber. in Codic. in titul. ad leg. Cornel. de Sicar. defin.* 8., ut namque inquit *Plaut. in theatr. libro* 13. *ea nos scire non possumus, quæ essentiam non habent*, *Daniel Moller. libro* 3. *semestr.*, *cap.* 3., *& seqq.*

19 Quoniam vero in dicti Chirographi prima resolutione post *delicta atrocissima* descenditur ad deliberata, seu *appensata Homicidia*, opere prætium est patefacere, quando Hominis cædes appensatæ, seu deliberato animo admissæ dici possint; Dicitur Homicidium appensatum, seu præmeditatum, vel deliberato animo admissum, cum quis re præmeditata, & perpensa, præcedente animi deliberatione aliquem aggreditur, & interficit, ut vulgo dicitur A SANGVE FREDDO, ad tradita per *Bossium in tract. crimin. titul. de homicid. num.* 53., *Clar. in §. homicidium num. primo versic. Deliberatum vero*, *& post num.* 7. *versic. Ex proposito*, *Menoch. de arbitrar. Judic. cas.* 361. *num.* 3., *& seq. & nu.* 5. 15. 21., *&* 55. *Giurb. consil.* 63. *post num.* 30., *& Iul. Chartar. decis. crimin.* 65. *num.* 25.

20 Verum an requirantur insidiæ ut homicidium ex proposito, *seu appensatum* dicatur; Doctores inter se non conveniunt; veritas tamen est quod proditio, & insidiæ non requirantur, sed sat est: ut appensatum dicatur, quod animo deliberato patratum fuerit; ut namque ait *Petrus Gambacurta in tract. de Immunit. libro* 5. *cap.* 4. *num.* 15.; Qui prævia animi deliberatione occidit, loca, & opportunitatem quærit ad id perficiendum, quod deliberavit, ideo appensate, seu appostate, delinquere videtur; ita docent *Plot. consil. criminal.* 133. *tom.* 1. *divers.*, *Clar. in pract. qu.* 30. *versic. punctus est*, ubi ita exempla refert *Guil. Papæ decis.* 121. ubi ita pluries judicare vidisse testatur; *Ioann. Gallus quæst.* 172. § *per arrestum*, *& Papon. libro primo titul.* 11. *arrest.* 18., & est communis opinio, quamvis alias verum sit, quod vix reperies quempiam appensate, & animo deliberato aliquem occidere volentem, quod prius ei insidias non instruat, locum, & tempus expectando, ut mente conceptum, & deliberatum animum exequutioni ponat *Andreas Fachin. controv. lib.* 9. *c.* 93. *versic. Tertio*, *Peguer. decis.* 54. *num.* 10.

21 In dubio autem, Homicidium, non præsumitur appensatum, seu deliberatum, consequenter in dicto Chirographi dispositione minime comprehensum, sed potius, casu, vel rixa, aut improviso perpetratum, pertinet propterea ad Fiscum, seu Accusatorem, hanc animi deliberati qualitatem a cæde separatam, probare, tum quia in dubiis semper minus malum præsumendum est, teste *Alciat. in tract. de præsumpt. regul.* 3. *præsumpt.* 6, tum quia qualitas appensati, seu præmeditati, tanquam aggravans, & augens delictum, semper ab asserente probanda est juxta doctrinam *Bartol. in leg.* 1. §. *ait Prætor ff. ne quid in flumin. public. in leg. qui non ignorat C. qui accus. non poss.*, *& in leg.* 2. §. *diem ff. quemadm. testam. aperi* -- *Marsil. in leg. si quis nec quæstio num.* 154. *ff. de quæstion.*, *Cepoll. consil.* 57. *versic. Et illa qualitas*, *Anton. Lanar. consil.* 43. *num.* 30. *Mastrill. de indult. cap.* 28. *num.* 18., *Cavalcan. in tractat. de homicid. tit. de homic.*, *& aliis crimin. excusand. num.* 85. *post Carpan. ad novas Constit. Mediolan. titul. de pœnis fol.* 250., *& Iul. Cæsar. Calvin. de commun. conclus. Iur. in dub. conclus.* 469., *&* 470.

22 Nec obstant Jura adducta per *Matthæum ad libr.* 48. *ff. titul.* 5. *de Sicar. cap* 3. *num.* 15., ubi in dubio cædes, sicut quævis injuria, præsumitur dolo malo facta; etenim admittendo dolum in dubio, non inde sequitur, quod cædes sit appensata, & præmeditata, siquidem datur actus dolosus simplex distinctus a præmeditato, qui verificatur in eo, qui in rixa absque præcedenti animi deliberatione delinquit, cum vero animus dolosus potuit supervenire in rixa, ex genere armorum, ex ictu punctim facto, & loco vulneris, licet antea in mentem conceptus minime esset, ut *ex Claro* docet *Marcus Anton. Eugen. consil.* 38. *num.* 21., *& seqq. tom* 2., idcirco inquit *De Angelis in tract. de delict. cap.* 70. *part.* 1. *num.* 1., Dicitur Homicidium purum, seu simplex quando voluntas nocendi immediate procedit ex provocatione, ut in rixa, ita ut ante eam nullus adesset occidendi animus, & dicitur simplex in pura rixa commissum; præmeditatum vero, si inde committatur *a sangue freddo*, & hos gradus Voluntarii, unum ab altero docte distinguit, & explicat *Grassett. de nec. prodit.* §. 2., *&* 3. *per tot.*, nec non *Caball. in tract. de omn. gener. homic. num.* 5. *& seqq.*, ubi primo distinguit homicidium deliberatum a simplici sine appensamento; & hoc secundum subdistinguit, *in dolosum*, *culposum*, *casuale*, *necessitate*, *& lege permittente admissum*, magis comprobans *numer.* 385., quod in dubio animus deliberatus non præsumitur.

23 Animadvertendum est tamen, quod qualitas animi deliberati tanquam difficilis probationis, & in animo consistentis, præsumptionibus, indiciis, & conjecturis probatur, juxta doctrinam *Boss. in titul. de homic. num.* 57. *& seqq.*, *Covar. in Clement. si furiosus part.* 2. §. 1. *num.* 1. *de homic.*, *Thor. in Cod. rer. judic. alleg.* 38. *in addit. versic. Homicidium autem*, *& Matth. de Regim. Regni Valent. cap.* 8. §. 8. *num.* 46. *&* 78., hæ tamen præsumptiones, & conjecturæ animi deliberati qualitatem demonstrantes, plene & perfecte, ac per duos testes comestes probari debent, ut post alios docent *Farin. consil.* 61. *num.* 18. *tom.* 1., *consil.* 136. *num.* 528. *& post num.* 32., *consil.* 192. *num.* 27. *tom.* 2., *& quæst.* 126. *num.* 98., *Vermigl. consil.* 25. *num.* 15. *Caball. de homic. num.* 308., *& Castill. decis.* 173. *num.* 2. *&* 3. *libro* 2., & ob rationes superius adductas, testes inhabiles ad probandam hanc qualitatem, seu præsumptiones animum deliberatum demonstrantes, non admitti debent; nam, ut probatum est, Chirographi verba non comprehendunt testes super qualitate deponentes.

24 Quænam autem sunt conjecturæ, & præsumptiones animum deliberatum, seu appensatum demonstrantes, hic non recensentur, ne magis prolixiores simus, interim lector sitim extinguere poterit apud *Farin. consil.* 138., *&* 193., *& qu.* 126. *nu.* 158. *& seqq.*, *Mascard. de probat conclus.* 98., *Menoch. de arbitr. Judic. cas.* 361., *Marium Giurb. consil.* 2., *Julium Chartar. decis.* 4., *& decis.* 95. *Mastrill. decis.* 293., *Matth. de Regimin Regn. Valent. tom.* 2. *cap.* 8. §. 8. *num.* 70., *& seqq.*, & alios per eosdem allegatos; apud quos etiam invenies conjecturas, & præsumptiones hanc animi deliberati qualitatem excludentes, quarum potissima mihi videtur ea, quando nulla probatur præcedens Inimicitia, aut alia ratiocinativa causa, quæ moveret animum Delinquentis ad deliberate crimen admittendum, ut dixi *in observ.* 22. *sect.* 8. *de causa finali*

delicti; Et semper in conflictu præsumptionum illæ amplectendæ veniunt, quæ præmeditationem, & appensamentum excludunt, dummodo exclusivæ sint fortiores, aut saltem numero pares, *Giurb. consil*, *46. nu. 26. Bajard. ad Clar. §. homicidium n. 18. Farin. qu. 126. num. 102.*, *& Mastrill. decis. 297. num. 73. lib. 3.*

25 *Sed quæritur*, num qui absque præcedenti causa ratiocinativa, & sic absque animi prævia deliberatione cædem patraverit impetuose, aliqua causa ductus bestiali, vel Auctor rixæ fuerit, ut nullam excusationem a pœna ordinaria mereatur vigore Constitutionis *S. M. Clementis XII. incipien. In supremo Justitiæ solio*; an inquam, Is comprehensus dici possit, sub verbis *primæ resolutionis* contentæ in prælaudato Chirographo? Et negative respondendum videtur, siquidem dictum Chirographum non habuit considerationem ad capitalem ultionem, qua homicida punitur, sed ad cædes *appensatas*; quapropter, ubi qualitas hæc appensamenti non convenit, clarum est, quod Chirographi dispositio non adaptatur, ad tradita per *Abb. in cap. item cum quis num. 5. de restit. spoliat. & ibi Berò num. 27. Dec. in cap. ex parte il 2. num. 39.*, *& seqq. de offic. delegat.*, *& ibi Felin. num. 5. & seqq.*, cum aliis adductis a *Carol. de Graff. in tract. de except. except. 2. num. 3. & seqq.*, ubi hanc tradit rationem, quod quando qualitas est causa alicujus effectus (prout est qualitas appensati ultra homicidium expressa in dicto Chirographo) non sufficit adesse homicidium, nisi & illa *appensati* qualitas adsit, sunt namque in hoc casu inter se inseparabilia, *Gloss. & Bartol. in l. cum actum ff. de negot. gestis*, *Bald. in l. matrem nu. 2.*, *& ibi Alden. litt. A.*, *& C ff. de probat. Ansat. decis. Ancont. 91. num. 13.*, de facto talia homicidia absque appensamento nominantur in Bannimentis generalibus S. Consultæ *cap. 25. versic. dichiarando* illis verbis; *Che commetteranno omicidj anche senz' appensamento, che si siano mossi da una causa bestiale, ed irragionevole*, nec a Bannimentis generalibus Urbis *cap. 7.* ibi — *Chi a sangue caldo, e senza alcuna premeditazione &c.*

26 *Dubitatur item*, an qui præmeditat occidere Titium, si postea præter intentionem, & appensatum directum in Titiū, errore occidat Cajum, & sic unū pro altero, an hujusmodi Homicidium comprehensum diei possit in eodem Chirographo loquente *de Homicidiis appensatis*? Prima facie videtur respondendum, affirmative, ea ratione, quod cum Voluntas ejus, qui occidit *unum per alio*, voluerit factum illud, quod postea *unus pro alio* interfectus fuit, ideirco eadem deliberata, seu appensata Voluntas simul etiam voluisse videtur occisionem ex prædicto facto natam; qui enim sponte actum admisit aliquem, censetur etiam in ea omnia consentisse, quæ ex actu illo consecutura providere poterat ut inquit, *Puffendorf. element. Jurisprudent. Universal. lib. 2. axiom. 1. §. 2.* unde *in l. qui occidit 30. ff. ad leg. Aquil.* dicitur — *Qui occasionem damni præstat damnum fecisse videtur*.

27 Verum adductis minime refragantibus, dicendum est, hunc casum non esse in dicto Chirographo comprehensum; moveor, ad effectum enim, *ut homicidium appensatum*, in eodem Chirographo comprehensum dicatur, nulli dubium est, quod tale facinus *proprie*, *& vero* tale esse debet; est namque notissimum ex Juris primævis elementis, quod statuta omnia, & Constitutiones pœnales; semper intelligi debent in casu *vero*, *& proprie*, non autem *improprie*, *& ficte*, seu per similitudinem, ob strictam, imo arctissimam interpretationem, quam habent, *Gloss. in cap. cupientes §. quod si per viginti de elect. in 6. Bald. in l. maximum num. 13. C. de liber. præter.*, *Hartmann. Pistor. lib. 1. quæst. 16. nu. 23.*, *late Menoch. consil. 5. nu. 2. 3. & seqq.*, tale autem non dicitur interfectio *unius*, pro deliberato animo *alterius*, etenim cum in occidente *unum pro alio*, præmeditata Voluntas interficiendi *unum*, & consequenter electio Facti idonei ad prædictum finem non sit vere, ac proprie causa occidendi *alium*, qui prædicto facto occiditur, idcirco vere ac proprie, *ex voluntate deliberata* occidendi *unum*, non fit, quod quis occidat alium; *ratio* conclusionis est, quia *occidens unum pro alio*, non eligit, nec utitur tali facto tanquam medio, vel instrumento ad occidendum illum, quem tamen tunc non occidit; unde voluntas *occidendi unum* tali medio, vel Instrumento, non est tunc *vera*, *& propria causa* interficiendi alium, licet Is alius tunc vere tali medio, quamvis non *ad talem finem*, *& effectum* adhibito, occidatur, sed omnino *præter ipsius occidentis intentionem*; fuisset enim *vera & propria* causa occisionis, si tunc occisus vere fuisset, quem prædictus occisor, prædicto facto, tanquam Instrumento ad id apto, & electo, occidere volebat; Cum ergo Voluntas occidendi unum pro alio non utatur tali facto, pro Instrumento ad eum occidendum, quem tunc per accidens, & non volens occidit, proinde dici nequit causa principalis proxima, & immediata prædictæ occisionis, sed potius impropria, remota, & mediata.

28 Igitur non remota & mediata, sed proxima & immediata causa in *statutis*, *legibus*, *& constitutionibus omnibus* attendi debet signanter pœnalibus, & correctoriis, ut *Quintilian.*, inquit *orator. Justit. libro 7. cap. 4.*, dixereque Consulti *in l. 61. §. Socius ff. pro Socio in l. 15. §. 1. ff. ad leg. Aquil. in l. qui domum 59 ff. locat.*, *& in l. cum de boe 27. ff. de except. rei judic.* sic apud Juristas proxima, & immediata cujuscumque rei causa attenditur, non autem remota, & impropria, idcirco Bartol. *in l. metus autem §. sed licet ff. quod met. caus.* inquit, quod in dubio Textus loquens de causa intelligitur de proxima, non remota, *Joann. Andreas in addit. Specul. titul. de injur. §. sequitur versic. sed pone*, *Ludovic. Gomez. super regul. Cancell. de Jur. quæsit non tollend. qu. 3 versic. Ex istam partem*, non immerito perbelle scripsit *Bald. consil. 136. libro 2.* quod eventus, qui procedit a causis proximis, & immediatis attenditur respectu illarum causarum, si autem non sunt causæ immediate, tunc eventus non attribuitur illi principio remoto, sed causis propinquioribus, *Oldrad. Consil. 25. versic. præterea*.

29 Insuper Idem Bald. *in l. 1. oppos. 4. C. si Servus exter. se emi mandav.*, loquens de causa proxima, & remota, inquit, quod in statutis causa remota *non* procedit, nam verba debent proprie, & stricte intelligi, siquidem inspecta veritate, causa causæ non dicitur causa causati, per *Text. in l. 1. §. dejecisse ff. de vi*, *& vi armat*, & hoc non tantum inter Juristas, sed etiam apud Theologos, ut *Alexand. Alens. in p. 4. Summæ. qu. 20. membr. 2. artic. 2. §. 11.*, *D. Bonaventur. libro 2. sentent. distinct. 22. artic. primo quæst. prima*, *& Gabriel libro primo distinct. 25. qu. unic.*, *& li. 2 distinct. 2. notab. 1.*

30 Hinc non refragatur ratio dubitandi in principio

pio

pio posita, etenim *Pauli Jurisconsulti* dictum in *d. l. qui occidit* 30. illis verbis *Qui occasionem damni præstat, damnum fecisse videtur*, intelligendum est improprie, seu interpetrative, non autem proprie; sic non verum inspecta veritate, sed solum inspecta Juris interpetratione, ut videre est apud *Bartolom. Cepol. consil. crimin. 2. num. 16.*, ubi alios ad id refert, & simul inde infert, quod in statutis, in quibus verba proprie, ac stricte intelligi debent, dictum illud non procederet: quod magis patet ex verbo, illo *videtur*, quo *Paulus* usus est, importat enim non veritatem rigorose sumptam, sed assimilationem quamdam, nec non fictionem, ut patet ex *Rebuff. in l. ostensum 38. versiculo Interdum notat ff. de verbor. signif.*

31 Propterea concludendum est, quod voluntas, & præmeditatio, seu appensamentum occidendi Titium, cum nullo modo se extendat ad occidendum Cajum, imo Cajum, & quemcumque alium omnino excludat, præmeditatio ista extendi non debet ultra limites deliberatæ Voluntatis quo ad Titium, quia nullo modo dicitur *appensatum*, imo neque cogitatum quo ad Cajum; & quamvis occisio hæc sit intrinsece mala, quia cædem hominis continet, si non in specie, saltem in genere, non tamen dici potest intrinsece, seu cum dolo in corde nimirum ex proposito admissa, sed tantum mala in se ipsa absque delinquentis appensamento; enim vero scite inquit Oswald. *Hillinger. in notis ad Donell. de Jur. civili, libro 16. cap. 7. litter. S.*, quod factum aliquod non male justum vocatur, quamvis illud juste factum non fuerit, quando scilicet factum ipsum materialiter quidem cum juris norma congruit, sed facientis intentio nequaquam fuit, ut factum illud cum dicta Juris forma congrueret, *Puffendorf element. Jurisprud. univers. libro primo definit. 16. §. 1. & seqq.*, & *Possidon. de emption. & Vendit. libro primo dub. 12. num. 43.*, ubi quod aliud est facere aliquid dolosum, seu aliquid continens in se dolum in re ipsa, aliud est facere aliquid dolose, seu cum dolo in corde, & ex proposito.

32 Nec impedimentum præstant Bannimenta tum generalia S. Consultæ *cap. 25. §. Et quando*, tum Urbis *cap. 6.*, ubi talia homicidia per errorem admissa supplicio capitali vindicantur, etenim ut in superiori quæstione dictum est, *qualitas appensamenti* expressa in dicto Chirographo non regulatur ex qualitate poenæ capitalis, quæ etiam imponitur in homicidio ex causa irrationabili, & bestiali, licet non appensate admisso, sed ex *animi deliberatione, & voluntate* specifica illud tale admittendi homicidium in personam exempli gratia Titii, de quo delinquens cogitavit, & appensate delinquere intendit; alioquin confunderentur termini, siquidem admitteretur *appensamentum* in illius hominis cæde, nunquam mente concepta, & quæ non fuit Delinquenti voluntaria quo ad illum, sed tantum culposa, ut punctualiter docent Matth. *Wesembec. in §. Item lex cornelia de Sicariis num. 2. Instit. de public. Judic.*, ubi quod prava voluntas in genere non sufficit, sed debet esse in specie, & contrariis occurrit legibus, dicens hanc sententiam humaniorem esse, *Cepoll. consil. crimin. 33. num. 3. & seqq. & num 9.*, *Carrer. de homicid. §. homicidii num. 59.*, *Damhouder. in praxi criminal. cap. 85. num. 7.*, *Menoch. de arbitrar. cas. 324. num. 10.*, *Mascard. de probat. conclus. 864. num. 5. & seqq. Thesaur. decis. 243.*, ubi ita judicatum refert, & latius *Julio. Chartar. dec. crimin. 56. n. 37.* & *seqq.*, quorum sententia myrifice probatur ex *leg. illud 3. §. final.*, & *in leg. si cum servo 4. ff. de injur.*

33 Neque objici potest, quod in genere saltem fuit Voluntas hominem interficiendi, licet restricta *ad Titium*, & non ad alios. Nam hujusmodi Voluntas nonnisi indirecte considerari potest ad sequutam cædem in alterius Personam, ob rationem quod casus evenientes ex aliquo opere præter operantis intentionem, vel ab eo non præcogitati, non sunt voluntarii nisi indirecte, & per accidens, ut ex *D. Thoma 2. 2. quæst. 64. art. 8.*, consentiunt omnes Theologi: igitur quemadmodum homicidium sequutum in aliam personam, quam ab eo præmeditatum, longe abest a sua intentione, ita nullo modo, quoad ipsum delinquentem respectu ad interfectum cædes est appensata, ut a simili argumentatur *Fagnan. in 5. lib. decretal. tit. de homicid. cap. 12. num. 58. & 62.*, ubi quod mors personæ præter intentionem delinquentis sequuta non potest dici nisi per accidens ab eo volita, nunquam tamen directe, & proprie, idcirco eum versetur in statutis poenalibus, & odiosis comprehensus hic casus minime videtur, nisi exprimatur, ut ex *arg. Text. in L. si Prætor. ff. qui in fraud. creditor.*, aliisque juribus probat idem *Prosper. Fagnan. loc. cit. num. 62. vers. 6.*

34 Aliam rationem superaddit *Gribald. in tract. de omni gener. homicid §. fin. de proditorio homicidio num. 33. & seq. versic. quæro si aliquis* nempe, quod præmeditatio ad homicidium cum eventu, & effectu intelligenda est, licet enim delinquens Titium interficere in corde habuerit, cogitaverit, præmeditaverit, quia tamen erravit in persona cogitata, culpa, seu errore ductus, ejus actus tum agentis, tum patientis inde indeterminatus, & inconsummatus remanet, nam persona patiens id est ea, quæ occidi debuerat, non subest intentioni personæ agentis, & sic accidens non dicitur consummatus, & in effectum deductus, quoad voluntatem, & convenit *Chartar. loc. cit. num. 38. vers. unde non --* ubi hæc verba subdit, *& ad rationem in contrarium excogitatam, quod animus occidendi adfuit, & eventus sequutus est propositum, cum vellet hominem occidere, & occiderit, respondit talem concursum animi, & effectus esse respectu generis, & in abstracto, non in specie, vel in concreto, & jura semper in specie, & in concreto loqui, nec genus in abstracto considerare, sed ipsas species, in quibus cadit realis determinatio, genera enim sola cognitione comprehenduntur, & pœnam non merentur; species vero ad facta, & sensus applicantur, & de illis jura disponunt.*

35 Post *d. licta atrocissima, & homicidia appensata* fit mentio in eadem primi dubii resolutione de furibus famosis; dicitur de jure *fur famosus* qui tria, aut plura furta commisit, ut late explicat *Farin. qu. 167. de furtis num. 48., & seq. ex gloss. in Auth. sed novo jure verb. castigabitur C. de serv. fugitiv.*, & signanter *num. 84.* explicat, quod tria furta debens sumi in proprio significatu, nam tria vel plura *furta impropria* non faciunt numerum, ut quis dicatur latro famosus, multoque minus ad eum pœnæ mortis puniendum *ex Cepol. cons. 71. num. 7., & seq.*, & de furtis impropriis commissis a commodatario, qui re commodata ad alium usum utitur loquitur *Card. Turch. pract. conclus. vers. furtum conclus. 564. num. 23., & 24.*, quodque fur famosus dicatur ex tribus furtis distincto tempore patratis

quando omnia tria adscenderent ad summam scutorum vigiuti præscribunt *Bannimenta generalia Urbis cap.* 59. nec non *Bannimenta generalia Sac. Consultæ cap.* 54. late etiam *Raynald. observ. Crimin. cap.* 14. *num.* 3., *& seq.*, ubi quod tria furta debent esse commissa ex intervallo, & diversis temporibus, & non continuata, quodque furta impropria non comprehendautur; unde qui tres, vel plures truffas commisserit, sub hac censura non continetur, tamquam furta impropria, prout idem de utentibus, vel contrectantibus rem depositam ultra usum destinatum, ac insuper *num.* 25. explicat, num, ut fur dicatur famosus, requiratur, quod pro primo, & secundo furto fuerit punitus, an vero sufficiat quod de dictis furtis constet in processu?

36 Præter delicta in prædicto Chirographo expressa nullo modo alia comprehendenda veniunt, etiamsi similitudinem cum expressis haberent, ex ponderatis per *Nicolaum Everard. in loco a ratione legis larga num.* 17., *& in loco, a simili num.* 10., *&* 12., nam statuta, & Constitutiones correctoriæ & pœnales nec minimam extensionem patiuntur, *ex C. odia de regul. jur. in* 6., ubi odia restringi, favores convenit ampliari, *Cap. renovantes dist.* 22., *& Leg. cum quidam ff. de liber.*, *& posthum.* cum similibus, de quo tamen satis dictum est *supra nu.* 2.

37. Post delictorum expressionem, seu individuationem loquitur Chirographum in eodem primo dubio de *testibus aliquas patientibus exceptiones, præter illas, pro quibus Testes in totum repelluntur a testificando*: unde quamplurimæ dubitationes removendæ sunt ad verum intellectum dictorum verborum: & *Primo* dubitatur, an verba illa *aliquas exceptiones* relative ad verbum *testes* intelligenda sint de unica exceptione, an vero de pluribus? de jure absolutissimum est, testem, sive testes inhabiles admitti in casibus difficilis probationibus, nec non in delictis exceptis, quoties unam tantũ, quisque ex Testibus, exceptionem, seu defectum pateretur, non vero si plures, ita tradunt *Marsil. Natta Gabriel. Carrer. Bocc. Bertazzol. Riminald. & Bursatt. de communi opinione loquentes* apud *Farin. par.* 62. *n.*80. & latius *num.* 281. ubi quod quando inhabilitas testis resultat ex pluribus defectibus, tunc non admittuntur, etiam in casu a jure permisso, nedum ad probationem, sed nec etiam quoad inditium, seu præsumptionem, quia (sunt verba præcisa Farin.) *prorsus & omnino repellitur*, innumeros DD. allegans de communi opinione testantes, nec non *Rot. decis.*689. *num.* 3. *par.* 3 *in noviss.*

38 Hoc præmisso respondetur ad quæstionem, loqui Chirographum *ad sensum juris* de unica tantum exceptione, & non de pluribus, tum quia statutum, sive constitutio semper passivam recipit interpetrationem a jure communi maxime in pœnalibus, taliter ut interpetrandum semper sit, ut illud quam minus fieri possit lædat, etenim correctoria extrinsecam interpetrationem non recipiunt, ut pulchre tradunt *Aldograd. cons.* 4. *num.* 17. *& seqq. tom* 1. *& cons.* 88. *num.* 10. *Christineus decis. belgic.* 103. *n* 20. *& seq. tom.* 1. *Magon decis. lucen.* 6. *n.* 31. *Tusch. practicar. conclus. litt.* 5. *conclus.* 573. *&* 496. *&* 607. — tum quia plura specialia in una eademque constitutione pœnali admittenda non sunt, quod nempe Chirographum voluisset non tantum testes inhabiles ad [illegible]ndum admittere, verum etiam pluribus de[illegible]natos, cum duo specialia simul ad dictan[illegible]remum capitale supplicium, in una eademque constitutione, seu lege juri communi contraria minime præsumenda sint; imo neque censendum, summum legis latorem de duobus specialibus loqui voluisse, *in l. quod vero contra*, *& in l. jus singulare ff. de legibus. Natta cons.* 613. *num.* 6. *& seqq. lib.* 3. *Cephal. cons.* 75. *num.* 53. *& cons.* 117. *num.* 36. *tom.* 1. *& Campana in quæst. unic. post. resol. n.* 41. quia verba ejusdem Chirographi omnem hæsitationem adimunt, apertis enim verbis inquit — *aliquas patientes exceptiones præter illas, pro quibus testes de Iure in totum repelluntur a testificando*: ex quibus descendit, quod cum ex Doctrina *Farin.* nec non communi *DD. opinione* superius probatum sit, testes inhabiles *plures defectus patientes in totum a testificando de jure repelli* apertissime liquet, Chirographum de unico tantum defectu, & non de pluribus loqui, alias quælibet interpetratio illius verbis contrariari videretur.

39 *Secundo* postulatur, qui nam præter *expressum casum* ad sensum præfati Chirographi, dicantur illi, *qui in totum de jure a testificando repelluntur*? Quæstio hæc ut verum fatear, maximam discussionem exposceret, si omnes personales testium exceptiones a jure prodeuntes, iterum revocandæ essent, ad dignoscendum, quænam illæ sint, quæ testes a testificando repellunt in totum, quæque in partem: breviter autem dico, quod ad hoc dignoscendum hac regula uti poteris, quando testis omnino repellitur, ut nec etiam, in delictis exceptis, & difficilis probationis, imo nec in illis casibus, in quibus inhabiles admittuntur, in testes recipiantur, tunc indubie eos habebis tanquam testes a iure in totum repulsos; exempla habebis in superioribus *subsectionib.* 1. 2. *&* 3. & latius apud *Farinac. in tractat de testib.* siquidem distincte & sigillatim de quolibet defectu, testem inhabilitante discurrit, & quibus in casibus, in totum repellitur & quibus autem in totum non repellitur, sed ei de fide diminuetur, ut V. G. *Inimicitia capitalis* omnino testem in totum repellit, etiam in exceptis, & difficilis probationis ad tradita per eumdem *Farin. q.* 53. *num.* 3. *num.* 5., *&* 7. Amicitia vero Inimici in totum non repellit, *Idem Farin. num.* 43. sic levis Inimicitia in totum non repellit, Insuper *Pater pro filio, filius pro Patre Fratres simul* habitantes sub eodem tecto Patria potestate & bonorum communione in totum repelluntur, *Farin. q.* 54. *num.* 84. 139. *&* 115. Pater vero, & filius spiritualis in totum non repellitur, *Idem Farin. q.* 54. *num.* 198. & sic discurre de aliis.

40 Ratio autem, quare in resolutione *primi dubii* dicti Chirographi excepti sunt, qui in totum a testificandi repelluntur, deprehenditur ab eodem *Farinac. de testib. q.* 62. *num* 287 quod nempe tales testes nullum faciunt indicium ad differentiam *testium inhabilium, qui in totum non repelluntur*, sed tantum modo eis diminuitur de fide, etenim examinati faciunt indicium, ex doctrina *Felin. Diaz. Marsil. Brun.*, *& Carrer.* quos ibi allegat; subdit tamen *Idem Farinac. num.* 289. quod testes inhabiles, qui examinari non debebant propter reverentiam, prout in *filiis, Parentibus, servis*, & similibus: hi examinati non faciunt indiciũ ac proinde numerari possunt intereos, qui in totum a testificando rejiciuntur. Addit insuper *num.* 290. *& seqq.* alia duo exempla de testibus, qui non debuerant examinari propter ætatis, aut sexus defectum, vel propter timorem affectionis; verum se remittit ad ea, quæ specialiter de illis suo loco præcedenter dixerat.

41 Alia

41 Alia plura tradit *Eliseus de Bellagrand. in compendios. rer. crimin method. tractat. 3. quæst.* 20. *num.* 2., & antea *quæst.* 17. *per tot.* explicat quantum probent in eis sibus, in quibus admittuntur, *& in quæst.* 21. explicat quoque, quando inhabilitas ex numero suppletur; & utitur hac distinctione, quod inhabilitas testium illorum, qui in totum repelluntur non suppletur per numerum, quia nihil quod est, supplementum non recipit; inhabilitas, vero illorum, qui in totum non repelluntur, sed solum in fide diminuti sunt, numero suppletur in civilibus, non in criminalibus. Et de teste habente interesse in causa, quod in totum repellatur, & nulla detur suppletio, docet *Farin. quæst.* 60. *num.* 3., *& quæst.* 62. *num.* 318. *& num.* 342., prout de testibus ratione *Inimicitiæ, vel tanquam interessatis*, repulsis, quod hi, in totum repellantur, nec admittantur in exceptis, & difficilis probationis, ex pluribus docet Anton. *Polic. de præemin. Reg. Audient. tom.* 1. *titul.* 7. *cap.* 2. *num* 98. *& n.* 104. ubi de testibus plures defectus patientes, quod nec etiam in exceptis, & crimine læsæ majestatis admittantur, nec etiam cum tortura.

42 Idcirco probavi supra, quod tales testes, nunquam dici possunt in numero *illorum testium*, de quibus loquitur Chirographum; nec movet, quod ibi dicitur in numero *plurali*, & non singulari, *aliquas patientes exceptiones*, siquidem illud verbum plurale est relativum ad verbum *duo vel tres testes* plurali significatione conceptum, non autem ad exceptiones; etenim dictio *aliquas* si accipiatur relative ad unumquemque testem singulariter, nonnisi singularis, & unica esse potest; & eo magis resolvitur in singularem ex subsequentibus verbis, *præter illas pro quibus testes de Jure in totum repelluntur a testificando*; Nam testes plures exceptiones patientes, de Jure in totum repelluntur, etiam in criminibus exceptis, etiam læsæ majestatis, & in criminibus occultis, imo nec etiam admittuntur cum tortura, ut ex *Menoch. Gabriel. Gratiano, Cancer., Vermigl. Guazzin., Andreol*, & aliis probat Idem *Polic. d. cap.* 2. *num.* 104 *& seqq.*

43. Accedente potissimum altera ratione; quod quemadmodum tales testes nullam recipere queunt suppletionem, vel coadjuvationem ex aliis, ad tradita per *Bald. in l. falsus* 19. *num.* 3. *C. de furtis*, *Cravett. consil.* 9. *num.* 12., *Natta consil.* 298 *nu.* 10., & cæteros apud *Farinac. consil.* 39. *num.* 18, *consil.* 120. *num.* 3., *consil.* 147. *num.* 28. *& de testib. quæst.* 62. *num.* 340., ita nullo pacto in eadem *dubii resolutione* comprehensi videntur, nam potissima causa admittendi testes inhabiles (non tamen in totum reprobatos) ea videtur in dicto Chirographo, ut depositiones talium testium suppleantur ex aliis indiciis, & numero testium, quæ suppletio dari nequiquam potest testibus plures defectus patientibus, juxta communem Doctorum Sententiam superius deductam. Et notabis, quod ad effectum, ut testes patientes plures defectus in totum omnino a testimonio repellantur, sufficiunt duo defectus, seu duæ exceptiones, ut ex *Marsil. Cravetta, Parid, Gram. & aliis*, scite probat Jacob. *Menoch. de arbitr. Judic. cas.* 99. *num.* 7., his verbis -- *Responderunt duos defectus omnino testi fidem adimere, nec eis etiam in subsidium credi*, & de communi opinione testatur, *Suarez. in thesaur. recept. sentent. verbo testes n.*216.

44 Idem dicendum est de testibus patientibus exceptionem *in dicto*, nam isti nec quidem suppletionem recipiunt ex alio testimoniorum numero, multoque minus ex indiciis; ratio est, nam illorum dictum penitus reprobatur, & quod non subsistit, adminiculationem, seu suppletionem non admittit; etenim non entium nullæ sunt qualitates, *Surd. consil.* 61. *post num.* 59. *tom.* 1., *Farinac. consil.* 10. *num.* 16. *& consil.* 60. *num.* 16., *Conciol. consil. crimin.* 2. *num.* 25., *Gabriel. commun. conclus. de testib. conclus.* 6. *num.* 9., *Farinac. de testib. qu.* 62. *n.* 319., & generaliter de testibus nullam fidem facientibus ex eorum defectibus, seu exceptionibus, tum *in persona*, tum *in dictis*, tum *in eorum examine*, quod non possint suppleri per alios, multoque minus ex indiciis, conjecturis, aliisque adminiculis, ob rationem, quod adminiculari, & suppleri nequit, quod nihil est, unanimi voto docent *Surd., Vermigl., Farin.*, & alii apud *Anton. Conciol. d. consil.* 2. *numer.* 24. 25. *& seqq.*, & dixit *Rot. decis.* 558. *n.* 3. *part.* 2. *recent.*, a quorum dictis non recedas, etenim ratio per eos adducta, *quod non entis nullæ sunt qualitates*, non tantum ex legibus, sed naturali innixa est principio, ut annuunt Jura in *cap. non firmatur de reg. Jur. in*6. *in cap. quod sicut de elect.*, *in cap. non præstat in cap. quod nullum de regul. Jur. in*6, *in l. quod initio* 30., *& in l. penult. ff. de regul. Jur.*, cum aliis innumeris; adminiculatio namque, vel suppletio, ut locum habeat, semper referri debet ad id, quod aliquam probationem facit, non autem ad illud, quod qualibet fide prorsus est destitutum, *Barbos. in cap. cum dilecta post num.* 28. *de confirmat. util. Surdus decis.* 289. *nu.* 7. *& seqq.*, *Reinos obs.* 74. *num.* 5. *& seqq.*, *Bernard. Græve ad practic. Camer. Imperial. lib.* 2. *conclus.* 1. *nu.* 32. *& seqq.*, *& Joann. Otton. Tabor. in Iurisprudent. lib.* 12. *cap.* 28. §. 9 *tom.* 2.

45 Animadvertendum est tamen, quod exceptiones, seu defectus, quæ testem inhabilitant, ad testimonium perhibendum, debent probari de tempore depositionis, & examinis fuisse, Nam si post examen supervenerint non obstant, sed sat erit, quod tempore depositionis testis fuerit habilis, prout e contra, si tempore depositionis non erat habilis non probat, licet post depositionem fiat habilis, *l.* 3. *in princ. ff. de testib.*, *Gram. consil.* 36. *nu.* 5. *& seqq.*, *& consil.* 41. *num.* 7. *& seqq. in civilib.*, *Mascard. de probat. conclus.* 26. *nu.* 5. *& conclus.* 1356. *n.* 9., & est opinio communiter recepta, *Althus. libro* 3. *Dicæolog. cap.* 31. *nu.* 5., *Everard. de testib. cap.* 1. *part.* 6. *princip. nu.* 7. *& seqq.*, *& Carpzov. lib.* 3. *respons. Elector. tit.* 9. *respons.* 87. *n.*10. *& seqq.*

46 Aliqua dicenda remanent, quoad resolutionem *secundi dubii* contenti in eodem Chirographo, *& primo* quæritur, an verba illa -- *An idem servandum sit in delictis sequutis in lupanaribus &c.*, comprehendant omnia delicta, an vero tantum superius expressa, *nempe*, *homicidia appensata*, *delicta atrocissima*, *seu qualificata*? Prima facie videtur respondendum, quod omnia comprehendant crimina, eo quia verbum illud *In delictis sequutis in lupanaribus &c.*, indefinitum est absque restrictione, unde facit regula, quod verba generalia, & indefinita, generaliter sunt intelligenda. Verum magis intrinsecè introspiciendo mentem Summi Legis latoris *in proæmio dicti Chirographi*, nec non delicta in præcedenti dubio expressa, dicendum est, quod verbum illud *In delictis &c.* intelligendum est, *de homicidiis appensatis*, *& delictis atrocissimis*, *& qualificatis*, & non ultra.

47 Ra-

47 Ratio est, siquidem ex proæmio colligitur, qualis fuerit intentio, & mens legislatoris, nec non causa finalis illius legis, *cap. ex multa ubi Abbas de vot. leg. in regula §. licet versic. Initium constitutionis demonstrat. ff. de Jur.*, *& facti ignor.*, *& in leg. final. ff. de hæred. instit.*, *Bald. in cap. secundo requiris de appellat.*, & *in leg. 1. ff. de orig. Jur.*, *Bartol. in leg. 1. ff. ad Senat. Consult. Maced.*, *& in leg. ambitiosa ff. de decret. ab ordin. faciend.*, mens autem supremi legislatoris ea fuit, ut aduoetur Congregatio particularis, ad occurreodum malis, quæ ex *Homicidiis, aliisque qualificatis criminibus* frequenter in dies prodeunt, a Reis admissis, fiducia ut debitas poenas eluderent in negativa persistentibus; ut patet ex sequentibus verbis — *Per apportare qualche opportuno rimedio alla frequenza degli omicidii, ed altri delitti qualificati che si commettono in Roma, e nel nostro Stato Ecclesiastico da Rei sú la confidenza di non poter esser condannati a morte se spontaneamente non confessano &c. dovesse convocare avanti di voi una Congregazione particolare &c.*; Igitur dubia in dicta particulari Congregatione resoluta, & deinde per *Sanctissimum Dominum nostrum* BENEDICTUM XIV. valde pervigilem pro Reipublicæ tranquillitate, approbata, limites delictorum, in proæmio dicti Chirographi, expressorum, & pro quibus onice Idem Supremus legislator, dictæ Congregationis adunationem mandavit, egredi non possunt, nam cessante proæmio, & sic causa finali legis, vel statuti, cessare etiam debet illius dispositio: Textus in *leg. adigere §. quamvis ff. de Iur. patron.*: sic quilibet effectus ampliatur, & restingitur a sua causa finali, *leg. cum Pater §. dulcissimi ff. de legat. 2. leg. si is qui ff. de acquir. possess.*, *& in leg. 2. §. primo ff. de action.*, *leg. voluntas C. de fideiuss.* cum similib., *Benedict. Vad in addit. ad Lanfranc. de Orian. in repet. Textus in cap. quoniam contra de probat. in proæm. num. 2.*

48 De facto post excitatum *primum dubium* eadem Congregatio, superius expressa delicta, per verba generalia, & non restrictiva ad dictum primum dubium, exprimit, his verbis — *Attentis frequentia delictorum, & facilitate, qua Rei negativi evadunt promeritas pœnas, esse consulendum Sanctissimo, ut declaret in Tribunalibus Supremis, & suas Vices gerentibus, ac in delictis atrocissimis, Homicidiis appensatis, & furibus famosis posse suppleri &c.*, taliter ut, hæc expressa tantum crimina comprehendi videntur tam in primo, quam in aliis *duobus sequentibus dubiis* affirmative resolutis; nam pro his tantum resolutum est *consulendum esse Sanctissimo ut declaret*, prout deinde declaravit in dicto Chirographo ibi — DEBBANO GIUDICARE, E VENIRE ALLA *condanna, e totale esecuzione delle pene negli sopra espressi casi a tenore di dette resoluzioni &c.*; Hinc convenit regula, quod expressa in præcedenti, repetita etiam censentur in aliis, licet expresse dictum non fuerit; nam omnia eamdem causam finalem habent, & regulantur a proæmio legis, Constitutionis, seu statuti, ad tradita per *Bartol. in leg. Prætor §. Eritque ff. de vi bonor. raptor.*, merito dicunt Doctores, quod cogitatum in genere generice sumi debet, quando nullus specialis casus est antea expressus, sed si expresso aliquo casu speciali, subsequatur generalis expressio, seu cogitatio in genere, non extenditur, ultra præcedentem casum expressum, ita *Paul. de Castro consil. 30. versic. sed certe libro primo*, & alii apud *Hippolit. Riminald. consil. 199. num. 46.*, *& 116. tom. 2.*

49 Verum adversus prædicta insurgi posset dicendo, quod si in *secundo dubio* alia crimina non continentur, nonnisi præcedenter in *primo* expressa, frustranea fuit resolutio, quod in delictis sequutis in lupanaribus, Custodiis Birruariorum, aliisque locis, ubi nec actu, nec habitu solent intervenire alii testes nisi Personæ infames, hæ convincere possunt, quoties supplerentur per indicia, & conjecturas probatas per alios testes; nam satis de hoc in *prima resolutione* provisum fuerat, eo quia ad convincendum admittendo in expressis criminibus testes, exceptiones aliquas patientes, præter illas, quæ Testes de Jure in totum repellunt, satis comprehendere quoque tales Infames evincitur, eo quia Birruarii, Meretrices, Lenones, aliæque Personæ consimili Infamia notatæ a Jure non in totum repelluntur, sed in exceptis, & difficilis probationis aliquid de fide diminuitur, prout de Meretrice *ex Salicet. Plota, & aliis* probat *Farinacc. qu. 56. num. 366.*, *& num. 369.*, ubi allegat Textum *in cap. licet Hely de Simon.*, *& in leg. in quæstionibus ff. ad leg. Iuliam Majestat.*, ubi Iulia meretrix detexit conjurationem Catilinæ.

50 De depositione Birruarii aliqua conjectura adminiculata, quod probet, nec reprobetur tradunt *Gratus consil. 43. num. 21. & seqq. tom. primo Mascard. de probat. conclus. 189. num. 5. & seqq.*, *& Granut. theorem. 19. num. 12. & seqq.* De Lenone, quod non repellatur, imo admittatur ad testificandum in his, quæ facta sunt in prostribulo, docet Idem Farinacc. loc. citat. *num. 369.*; & generaliter *de quocumque teste infame sive facti, sive Juris*, quod non repellatur in his, quæ sunt difficilis probationis probat *Plot. de in lit jurando §. 4 num. 27.*, ubi quod licet *Lenones Meretrices, Concubinarii, & Infames* non sint regulariter testes idonei, tamen quando agitur de actu facto in prostribulo, quod sciri non potest, nisi verisimiliter per eos, ex quo communiter aliæ Personæ honestæ in eo non versantur, tunc ad probandum delictum admittuntur, *Bartol. in l. cunctos Populos num. 12. versic. nisi forte, & ibi Salycet. num 18. C. de summa Trinit.*, *& Fid. Catholic.*, ubi hos testes in subsidium admittunt, & alii apud *Farin. de testib. qu. 56. num. 50.*, *& seqq.* ubi loquitur de teste notato infamia Juris, *& n. 120.* loquitur de notato infamia facti, & in utroque casu concludit (ad conciliandam diffidentiam opinionum), quod ad summum talibus testibus de fide diminui posset, ut non plene probent, unde firmum remanet, quod dicuntur testes, qui a Jure repelluntur, sed non in totum a testificando.

51 Augetur difficultas, siquidem in *primo casu*, seu *in primo dubio* considerata onice fuere crimina *atrocissima, Homicidia appensata, & Furta famosa* tanquam excepta ratione *immunitatis Flagitii*, nulla habita consideratione an hæc palam, vel clam admittantur, an fuerint facilis probationis, an in locis remotis, latebris, vel in publico loco commissa, taliter ut si casus daretur, quod aliquod ex dictis criminibus patratum esset in publica Platea, foro, vel alio publico loco, nonnullis adstantibus, & aliæ probationes non haberentur, nisi duo, aut tres testes exceptiones patientes, aliis indiciis adminiculati, vel testes numero essent majores, utique ad sensum dictæ primæ resolutionis, approbatæ a Sanctissimo Domino Nostro BENEDICTO XIV. in prælaudato Chirographo, præfati testes delinquentem convincerent, nulla habita ratio-

tione, quod magis integri testes haberi potuissent in facto publice sequuto, & hoc *ob immunitatem dictorum delictorum*, ut dictum est.

52 At in secundo casu, seu dubio, consideratur unice *difficultas probationis*, eo quod in dictis infamibus locis, aliæ personæ (a communiter accidentibus) non solent intervenire actu, & habitu, nisi Personæ infames, idcirco non de superius expressis delictis tantum, sed de omnibus aliis criminibus in dictis locis admissis resolutio *secundi casus* intelligenda est, alioquin *prima*, & *secunda resolutio* inter se confunderentur, nam eodem modo admitterentur Infames (qui in totum a Iure in exceptis non repelluntur, ut probatum est) ad convincendum, quoties vel *Homicidium appensatum*, *vel aliud crimen atrocissimum* admitteretur in publicis locis; & eodem modo sufficerent ad convincendum, quoties prædicta delicta in lupanaribus, aliisque infamibus locis patrata essent; quin aliquod discrimen esset inter delicta difficilioris probationis ab his, quæ facilioris probationis existunt.

53 In hoc rationum conflictu, utique movent, quæ pro dubitandi ratione adductæ fuere *num.* 49. *& seqq.*, sed plus urgent rationum momenta præcedenter deducta *num.* 46. *& seqq.* et præcipue, quod ex *proœmio Chirographi* apertis verbis liquet, *Supremum Principem* non alia mente ductum ad expeditum remedium adhibendum, nisi *ob frequentiam homicidiorum, aliorumque criminum qualificatorum*, ut exprimit in principio dicti Chirographi, & hanc ob causam præfatæ particularis Congregationis adunationem mandasse; taliter ut in *primi dubii* discussione, de aliis delictis mentio facta non fuerit, nisi *de atrocissimis*, *Homicidiis qualificatis*, *& furibus famosis* juxta Principis mentem, & finem adunatæ Congregationis; licendam itaque existimo juxta mei imbecillitatem, & pro veritate, quod quæstio hæc declaratione indigeret, ab eodē supremo Principe facienda, etenim sic in dubio aliter concludi non posset, nisi pro exclusione aliorum criminum, præter expressa, nec refragatur *primi motivo* adducta in *num.* 49. siquidem in delictis conjunctim *in lupanaribus*, *aliisque infamibus locis* considerantur, quod ut plurimum tales testes omnino a testificando in totum repelluntur non ob *unicam infamiæ exceptionem*, *quæ* de Jure in totum non repellit in his, quæ sunt difficilis probationis, sed ob defectuum pluralitatem, quia duos simul habent, imo plures, prout est *Mulier meretrix*, *& Mulier Lena*; patiuntur enim unum defectum tanquam *Mulieres*, alterum tanquam *vel* alterium tanquam *Meretrices vel lenones* respective, ita Birruarii patiuntur primum defectum *tanquam viles*, *tanquam Pauperes* (Nam ut plurimum Pauperrimi sunt) alterum insuper *tanquam Birruarii*.

54 Cumque superius probatum sit testes duos, aut plures patientes defectus de Iure *in totum a testificando repelli* etiam in exceptis, & difficilis probationis, additum *est secundum dubium*, seu *secundo resolutum* est, *hos testes* etsi duplici, aut triplici defectu notatos convincere in delictis (nempe superius expressis) sequutis in lupanaribus, Custodiis Birruariorum, aliisque locis, ubi nec actu, nec habitu intervenire solent, *aut intervenerint alii testes*, quam Personæ infames, dummodo suppletio fiat per indicia & conjecturas, quæ probentur per alios testes, & sic prædicti testes plures exceptiones patientes admittuntur in expressis criminibus ad convincendum, ob probationis difficultatem, taliter ut hujusmodi testes, non existente *dicta probationis difficultate*, non convincerent, eo quia *in responsione* exclusi fuere inter eos, qui de jure in totum a testificando repelluntur; convincerent tamen juxta secundam responsionem quoties prædicta delicta admitterentur in locis in dicto secundo dubio expressis; & cum hac distinctione diluitur quoque *alterum argumentum in n.* 51. pro ratione dubitandi deductum.

55 Hinc sequitur quæstio *secundo* excitanda, num Infames admitti debeant ad convincendum in delictis, sequutis in prædictis locis, quoties non expresse constaret, quod alii testes, præter infames tempore admissi sceleris in iisdem locis intervenerint, eo quod talis qualitatis probatio a Fisco omissa, fuerit? Ante *quæstionis* resolutionem, præmittendum est, quod *de Iure* ad effectum admittendi Inhabiles, & infames ad testificandum ob probationis difficultatem, probanda omnino est hujusmodi difficultatis qualitas per eumdem Accusatorem, testes inhabiles producentem, vel Fiscum; etenim sua sponte natura non præsumitur, ut de communi docent *Alciat. de præsumpt. regul.* 1. *præsumpt.* 47., *Lanfranc. de testib. num.* 31. *Plot. de in lit. jurand* §. 4. *num.* 34. *Brunor. a Sol. quæst. legal.* 51. *num* 91., *& cum aliis Gabriel. de testib. conclus.* 7. *num.* 12., quo præmisso, responderi posset ad positam quæstionem, quod talis probationis omissio non impediret, quin testes infames convincerent, ea ratione, quod in casu dicti Chirographi Accusator, nec Fiscus, de necessitate arctantur in casu dicti Chirographi ad prædictā qualitatē probandam, siquidē in locis prædictis ex verisimilibus causis, imo ex notorietate præsumit idem Chirographum, quod aliæ Personæ intervenire non solent, nisi Infames, ad similitudinem Textus in *cap. tertio loco de probat.*, ubi in gestis in Capitulo, nonnisi Canonici intervenire solent, *& in l. consensu* § *servus C. de repud.*, ubi in factis domus nonnisi domestici interveniunt; quæ Juris præsumptio relevat Accusatorem, vel Fiscum a probandi onere ob rationem, quod talem præsumptionem pro se habens ab hoc probationis onere liberatur, nam tantæ potentiæ hæc Juris præsumptio est, ut pro veritate habeatur, donec contrarium probetur, ad Textum, *in cap. quæ verisimile de præsumpt.*, *in cap. final. de restit. spoliat. in* 6., *& in l. cum de indebito ff. de probat.*, *Sperell. decis.* 27. *num.* 68., *& decis.* 171. *num.* 52.

56 Verum in contrarium dici posset, quod *in secundo casu* dicti Chirographi, non tantum consideratur verisimilitudo, quod aliæ Personæ, nisi infames, in iisdem locis, nec actu nec habitu intervenire solent, verum etiam, quod *non intervenerint alii testes*; igitur probatio hæc quod alii testes *non intervenerint*, spectat ad Fiscum, tanquam qualitas expressa in dicto Chirographo; enim vero non contenta est lex, illa sola præsumptione deducta a communiter accidentibus, & verisimilitudine, quod testes idonei nec actu, nec habitu intervenire solent, sed etiam subdit, *intervenerint alii testes*, propterea a Fisco omnino probandum est, quod de tempore delicti alii *testes non intervenerint*, ob rationem, quod qualitas adjecta verbo intelligi debeat secundum tempus ejusdem verbi, ad Textum *in l. in delictis* §. *extraneus ff. de noxal.*, *& in l. Titius ff. de testam. milit.*, *Rot. decis.* 582. *num.* 4., *& decis.* 496. *num.* 2. *part.* 1. *recent.*, *Sperel. decis.* 167. *num.* 28. *tom.* 2., alias dispositioni haud erit dicti Chirographi, secundum tradita *per Bartol. in l.* 1. §.

quod

quod autem ait Prætor ff. ne quid in flumin. public., *Becc. consil.* 53. *num.* 9., *Surd. consil.* 45. *num.* 15. *tom.* 1., & *consil.* 403. *num.* 28. & *seqq. tom.* 3., & *Gratian. discept. forens. capit.* 773. *num.* 20., & 21. *tom.* 4.

57 Igitur in hunc sensum, diversimode ad superius positam quæstionem respondendum esset, nempe, quod quando per Accusatorem, vel Fiscum probatum minime fuit, quod tempore delicti *alii testes non intervenerint*, nisi Personæ Infames, locus non sit dispositioni dicti Chirographi, ad Inquisitum convincendum per depositionem hujusmodi Infamium testium, etenim defecit in substantiali probatione qualitatis expressæ ab eodem Chirographo per hæc verba -- *ubi nec actu, nec habitu intervenire solent, aut intervenerint, alii testes, quam Personæ infames*; nec juvari potest præsumptione quod in his locis nonnisi infames intervenire solent, siquidem particularis illa Congregatio promovendo dubium, hac sola præsumptione minime fuit contenta, sed factum positivum addidit, -- *aut intervenerint alii testes*, enim vero ad Fiscum pertinet hujus qualitatis probatio, *quod alii non intervenerint testes*, nam ipse se fundat in dispositione Chirographi, non Reus, ad late tradita in similibus per *Gemin consil.* 96. *n.* 7. & *seqq. Port. consil.* 64. *num.* 4., & *consil.* 117. *num.* 30. & *seqq.*, *Roland. consil.* 10. *num.* 10. & *seqq. libro* 4. & *num.* 21. & *seqq.*, & cum aliis *Cardin. Tusch. practicar. conclusion. litter. Q. conclus.* 17 per totum, ubi facit multas illationes.

58 Ast quia si hujusmodi amplecterentur rationes (quæ utique graves, & non leves sunt) major difficultatis cardo insurgeret ad hanc negativam probandam, eo quia se habet Doctorum sententia, quod qualitas hæc, *non alios intervenisse in illo actu testes* probanda sit aliunde, quam per testes infames, & inhabiles, unde inquit *Farin. de testib. qu.* 62. *post* 68 *sublimit.* 3. -- *Et sic quando in actu alii non intervenerunt testes, ista qualitas aliunde probanda est, quam per ipsos testes examinatos, quibus si dixerint, alios, quam ipsos minime intervenisse, minime etiam credendum esse, scripserunt Alexand., Petr. Menoch.* &c. Videndum propterea, an Doctorum opinio hæc, quam *Farinac.* communem, & receptam dicit, Juri, rationique consonat.

59 Sed bona pace *Farinacc.* nec non illorum quos ipse allegat, si vera, & practicabilis, eorum sententia foret, nunquam dari posset hujusmodi negativæ probatio phisice, & rationabiliter, in omnibus, etenim si alii essent testes, qui deponerent, quod alii præter infames, & inhabiles in illo tunc actu, sequuto exempli gratia in postribulo, intervenerint, frustra quæreretur delicti probatio per Infames, & inhabiles; nam iidem testes, qui ex certa eorum scientia testificarentur super negativa, *alios minime intervenisse*, deponere quoque possent; quomodo illud factum sequutum fuerit, quin opus esset depositionibus infamium, & inhabilium; Neque replicari potest, quod talis negativa, forte probari possèt per testes tantum de illa notionem habentes, non autem de sequuto facto, nam peto, aut tales testes fuerunt præsentes, aut longe absentes: si præsentes discrimen non video, cur deponere audeant de tali negativa, alios nempe testes in dicto loco non intervenisse, & de cœtero ignorantiam insimularentur quo ad sequutum factum, cum eadem *coarctatio negativa* per remotionem *sensus ab actu*, & *actus a sensu*, (alias non probat, ut dictum est in *subsection.* 2. *num.* 43.) per necesse coarctare deberet sequutum factum, non enim Veritati consonat, neque absque notabili suspicionis nota, stare potest testis dictum -- *Non vidi alios loco N., nisi Meretrices*, & *si fuissent certo vidissem nescio tamen quis in eodem loco crimen illud admiserit*, stare enim simul non possunt, hæc duo inter se contraria, quippe si omnem attentionem adhibui, ad videndum, an aliæ Persone intervenerint præter Meretrices, & Infames, negativam coarctando, cum remotione *actus a sensu*; utique necessario videre debuissèm Delinquentem alioquin si hunc non vidi, nec minus videre potui an alii in eodem Postribuli loco intervenerint nec ne, consequenter negativam hanc coarctare minime possum cum utraque *remotione sensus ab actu*, & *actus a sensu*; quæ ratio phisica, & naturalis magis urgere debet, quam allegatæ scribentium opiniones in hujusmodi casibus prorsus inapplicabiles & toto Cœlo incongruentes; etenim ratio naturalis, signanter ad statutorum interpretationem est omnium potentissima, taliter ut ea sufficiat in causis definiendis ut latius probat *Zas. in l.* 84. *n.* 10. & *seqq. ff. de verbor. oblig.*, & *Joann. Otton. Tabor. in thesaur. Jurisprud. lib.* 16. *cap.* 5. §. 2. *to.* 2.

60 Imo nec etiam verificari posset Doctrina *Farinacii cum ejus Asseclis*, quoties aliquod crimen admitteretur in partibus intrinsecis domus, ubi sunt *Birruariorum Custodiæ*, *vel Meretrices habitant*, siquidem dato, quod alii ex vicinioribus locis deponere auderent, quod alios ingredi non viderunt in dictis locis, nisi Personas infames, adhuc tamen, quis ille erit testis, qui tam audax esse poterit, ut coarctare negativam possit ab extra, quod intus eamdem domum alii non fuerint? potuit enim per fenestram, vel in via, per aliquas horas non videre introeuntes, nisi Infames: at quomodo certificare poterit testis, quod antequam ipse in fenestra, seu via, se poneret non intervenerint? imo plus, quis ille adeo attentus dici possit, ut etiam si per diem integrum in eo loco staret, nonnisi domum illam introeuntibus, & intervenientibus serviret? quis ille Judex, qui talibus testibus fidem præstare deberet?

61 Dicendum propterea existimo, quod qualitas illa expressa in Chirographo his verbis *aut intervenerint alii*, probari quidem a Fisco potest per eosdem testes Infames, dummodo recte negativam coarctent ut coarctare debent, & tribus rationibus moveor, tum quia ubi alia via succurri nequit, a regulis ordinariis receditur, & omni via occurritur ad probationes supplendas ut fieri potest, ad Textum *in l. ex consensu C. de repud.*, & *in l. Filium cum ff. de his, quæ sunt sui, vel alien Jur.*, *Bald. in auth. quas actiones num* 9. *C. de Sacros. Eccles.*, *Carpzov. p.* 1. *constit.* 12. *defin.* 5. *num.* 3 & *seqq.* tum quia hujusmodi depositiones Infamium summopere adminiculantur & coadjuvantur ab ipsa Lege, quæ communiter accidentibus præsumit in dictis locis, alios intervenire suetos non esse, nisi Infames, quæ sola Juris præsumptio liquidissima probatio vocatur a gloss. *in l. si Tutor ff. de peric. Tutor.* per *Textum in l. licet*, & *ibi Jason. num.* 13. *ff. de legat. primo*, *Forster. consil. Murp. libro primo consil.* 8. *n.* 16 & *seqq.*; & prolixius cum aliis *Joan. Otton. Tabor. in thesaur. Jurisprud. libro* 14. *cap.* 68. §. 1. *tom.* 2. tum quia notorium est, quod in his locis accedere, & intervenire non solent, nisi Infames, hinc quæ notoria sunt probatione non indigent, sed ex se sunt manifesta ad Textum *in cap. evidentia* 9. *de accusat. in cap. super eo de testib. cogend.*, & *ibi glossa verbo*

non

non requirunt, *& in cap. manifesta 15, qu. 2. Iacob. Cujac. in l. 12. §. 12. ff. de contrab. empt. Cappel. Tholos. decis.* 441. *num.* 2., *& Scheuckbar. in suo virid. conclus. libro primo conclus.* 55.

62 *Tertio* in quæstionem vocatur, num in hoc casu testes Infames cum tortura admitti debeant, vel sine ad convincendum? De Jure conclusio est certa, Infames in illis casibus, in quibus in subsidium admittitur ob probationis difficultatem, vel quia de exceptis criminibus agitur, absque tortura admitti non posse, Textus *est in l. ob carmen*, §. *si ex rei conditio ff. de testib.* his verbis -- *Si ex rei conditio sit, ut Arenarium testem, vel similem Personam admittere cogimur, sine tormentis testimonio ejus credendum non est*, *& in* §. *si vero auth. de testib. collat. 6. cap. tertio* §. *si ex rei conditio* 4. *qu.* 3. ubi canonizatur Textus dispositio *in d. l. ob carmen gloss. in l. 3.* §. *lege Julia in verbo palam ff. de testib.*, *Bartol. in l. cunctos Populos num.* 12. *& ibi Bald. num.* 5. *S. Nicet. num.* 18. *& Ioson num.* 46. *C. de summa Trinit. & Fid. Cathol.*, *Grotus de testib num.* 45. quod non tantum in Infamibus infamia Juris, sed etiam infamia facti admittunt, & extendunt *Alberic. Bald. Aretin.*, *Bess. & alii apud Farin. qu.* 79. *num.* 23., *& qu.* 56. *num.* 56. *& seqq. & qu.* 62. *num.* 379.

63 Igitur cum in dicta *secunda resolutione* contenta in prælaudato Chirographo, Juri communi derogatum non fuerit quo ad torturam talium testium, sed simpliciter dictum fuerit Infames in dictis casibus esse admittendos ad convincendum, dummodo suppetant alia indicia, & conjecturæ probatæ per alios testes; ad formam Juris communis intelligenda videtur, potissimum ad convincendum: & eo magis *tum quia* duo specialia nullimode admittenda veniunt in eadem lege, seu Constitutione pœnali, ut Infames convincant, & admittantur ad testificandum absque tortura; *tum quia* legis correctio præsumi non debet, nisi aperte exprimatur, *l.* 27. *versic. Quod enim non mutatur C. de testam* nam correctio legum in dubio est vitanda, *cap. cum expediat de elect. in* 6., *Don ll lib. 8 commentar.* 11. *lit. L & ibi Osuald. Hiliger.* late *Roman. consil* 322. *n* 2.

64 Insuper ultra deducta, *duo alia* summopere notanda videntur ad veram ejusdem Chirographi intelligentiam, quo ad utrumque superius expressum dubium; *Primum* quod verbum illud *concludenter per necesse delictum*, exigit probationem de necessitate concludentem, quod nullam admittat hæsitationem, aut possibilitatem in contrarium; siquidem hæsitatio, aut possibilitas, quæ aliquo modo probationes incertas, & dubias reddunt, eas prorsus obscurant, ut non amplius probatio, sed probationis hæsitatio dicatur, ex communi dicterio, quod non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, *cap. inter corporalia* §. *cum quis de translat. Episc.*, *cap. recepimus de privileg. leg. veteribus* 39. *ff. de pactis*, de quo latius dictum *in praecedenti subsect.* 2. *nu.* 1., *& seqq.*: enim vero, quamvis in prædictis delictis, tum ob illorum immanitatem, tum ob probationis difficultatem dispensati fuere testes minus habiles, imo Infames ad convincendum, habito respectu ad eorum personales tantum defectus; nihilominus quoad exceptiones, seu defectus ab *illorum dictis* provenientes nihil dispensatum est, sed ad Juris communis tramites, pernecesse delictum concludere debent, semotis prorsus *dubiis, incertis, & æquivocis responsionibus*; semotis *variationibus*, *contrarietatibus*, *falsitatibus*, alijsque omnibus in præfata *subsect.* 2. dictis.

65. *Alterum*, quod eadem probatio *concludens* requiritur etiam, quoties testes Infames testificari deberent de delictis sequutis in lupanaribus, Custodiis Birruariorum, alijsque locis; enim vero, etsi explicite repetitum non fuerit verbum illud in *subsequenti secundo dubio*, subintelligitur tamen impliciter, ac si cubitalibus verbis expressum fuisset, tum quia repetitum censetur, tum quia interpretationem hanc passivam a Jure communi recipere debet; non agitur enim de *verbo*, *seu qualitate* a Jure communi deviante, in quo casu dicta in præcedenti contra Jus commune repetita, non censeri debent in subsequentibus, *ex argum. Textus in leg. uxori* 33. §. *uxor ff. de legat.* 3., sed secundum jus commune prolatum, quod in omnibus subsequentibus proximis pro repetito haberi debet, juxta celebrem distinctionem *Angel. in* §. *Ac ne plurima*, *Instit. ad leg. Aquili.*, quam amplectitur *Ioann. Otton. Tabor. in thesaur. Iurisprud. libro* 16. *cap.* 32. §. 5., *versic. declarat.*

SECTIO II.

De Convicto per Indicia Indubitata.

SUMMARIUM.

1. *In Urbe, & tota ditione Ecclesiastica sopita est quæstio, num ex indiciis indubitatis deveniri possit ad pœnam ordinariam in atrocissimis, & homicidiis appensatis.*
   Chirographum Sanctissimi D. N. Papæ Benedicti XIV. *est aliquo modo similis* Pragm. Regni Neapoli.
2. *Adducuntur Jura, & rationes, quibus in puncto Juris nititur sententia illa pro pœna ordinaria ex indiciis indubitatis.*

3) *Ostenditur origo Textus in* l. sciant cuncti C.
4) de probat. *unde firmatur sententia pro pœna ordinaria ex indiciis indubitatis*, *& in quo sensu loquatur.*

5) *Revocatur ad verum sensum altera dispositio*
6) *Textus in l.* 16. *C. de pœnis*, & in l. 18. eod. titul.

7) *Rejicitur opinio* Antonii Matthæi de crimin.,
8) *& explicatur quodnam dicitur manifestum.*

9) *Crimina atrocissima, & occulta probantur in-*
10) *diciis, & conjecturis, sed pœna extraordinaria in puncto juris expiantur.*

11. *Chirographum comprehendit delicta in eo expressa & non alia, & quæ requisita concurrere debent, ut illud locum habeat, explicantur.*
12. *Præeminentia Chirographi præfulgent tantum Tribunalia suprema, & Collegialia in eo expressa, & non alia.*
13. *Crimina debent esse atrocissima, & homicidia appensata, ut locum habeat dispositio Chirographi.*
14. *Constare liquido oportet de corpore delicti, ut quis dicatur convictus.*
15. *Duo specialia nequeunt concurrere in eodem statuto pœnali, & Juris communis correctorio.*
16. *Rejicitur opinio* Raynaldi *existimantis in delictis facti transeuntis corpus delicti probari debere per evidentiam.*

17) *In delictis facti transeuntis corpus delicti pro-*

18) batur per præsumptiones, & conjecturas, & non per evidentem ocularem inspectionem.
19 Explicatur axioma multiplicationis specialium in quo sensu intelligendum.
20 Didac. Sgroi a Raynaldo allegatus non loquitur juxta sensum ejusdem Raynaldi.
21 Declaratur in quibus terminis procedere Raynaldi sententia posset.
22 Quid dicendum de criminibus facti permanentis ex accidenti effectis facti transeuntis.
23) Late disputatur, an corpus delicti facti permanentis probari possit per præsumptiones, & conjecturas, ubi liquido probari nequit?
24) Refertur opinio affirmativa pro tortura & pœna ordinaria.
25 Sententia negativa non esse locum torturæ, pluribus rationibus probatur, eaque ampliatur etiam accedente confessione Rei, usque ad num. 31.
32 Exemplis magis eadem sententia comprobatur, rejecta decis. 29. Salernit., & Sausfelic. decis. 28.
33 Rejicitur quoque opinio Raynald. aliorumque contrariam sententiam amplectentium.
34 Constare non tantum debet de corpore delicti, sed etiam de qualitate sceleris in his, quæ figuram delictorum, & non delictorum habent.
Plura remissive de signis demonstrantibus Venenum, vel suffocationem, aut strangulationem.
35 Constare insuper debet de identitate Corporis delicti, ut Chirographum locum habere possit.
36 Indicia debent esse indubitata ut dispositio Chirographi procedat.
Quod nam dicatur indicium indubitatum?
37) Recensentur exempla indiciorum indubita-
38) torum relata per Guidon. de Suzaria, Gan-
39) diu. Conslant. & alios.
40)
41)
42 Indicia indubitata qualia dicuntur in prædicto Chirographo.
43 Indicia indubitata juxta Chirographum concludere debent per necesse.
44 Explicatur quænam sit illa rationabilis hæsitatio quæ adimi debet ab animo Judicis.
45 Indubitatum non datur absque hæsitatione, nisi sit præsumptio Juris, & de Jure juxta Bossium.
Referuntur exempla, quibus demonstratur indicia habita per Doctores tanquam indubitata, comperta fuisse falsa.
46 Indicia apud aliquos sunt indubitata, & apud alios non talia existimata.
Quid præscriptum fuerit in Regno Neapolis ad hanc hæsitationem evitandam.
47 Explicatur quæ certitudo requiratur in Judice, ut hæsitationem omnem removere possit in vim dicti Chirographi.
Certitudo debet esse moralis, non phisica, aut metaphysica, quæ nunquam datur etiam in testibus, & in Reorum confessionibus.
48 De hac certitudine morali loquitur Basilic. ubi Bossio respondet.
49) Hæc certitudo moralis explicatur a Passerino
50) & latissime a Hyeronim. Grasset.
51 Hanc certitudinem moralem explicat etiam Francisc. Maradei.
52 Judices adimere debent hanc hæsitationem tanquam Viri boni, & æqui, non ex eorum inclinatione.
53 Refertur distinctio Petri Barbosæ Judicis credulitatem respiciens erga hæsitationem actualem, & virtualem.
54 Etiam in exemplis indiciorum indubitatorum relatorum per Doctores, datur dubitatio.
55 Juxta distinctionem Barbosæ major certitudo requiritur in delictis palam admissis quam in occultis, & clandestine patratis.
56 Agitur de effectibus præsumptionum Iuris & de Iure, nec non de triplici præsumptione hominis; & quo ad indicium vehementissimum seu indubitatum, requiritur semper certitudo moralis.
57 Monitum ad Iudices, ut caute se gerant quoties agitur de condemnando in pœnam ordinariam ex Indiciis indubitatis.
58 Referuntur verba Regentis Marciani ad idem propositum.
59 (Valde proficuum esset Reipublicæ, si sententiæ latæ ex indiciis indubitatis reviderentur in
60 (gradu appellationis, aut saltem per viam revisionis, non obstantibus præcedentibus statutis appellationes prohibentibus.
61 In crimine falsæ monetæ quomodo quis convincatur secundum Bannimenta generalia Urbis, & de super alia requisita recensentur, ut locum habere possit dispositio Chirographi, & in quibus aliis delictis illud extensum fuerit per eadem Bannimenta generalia & quas Personas comprehendit usque ad n. 76.

1 Diù inter DD. agitata, & discussa quæstio, num ex Indiciis indubitatis ad ordinariam mortis deveniri possit expiationem, tandem in Urbe, totaque Pontificia ditione sopita est in delictis atrocissimis, seu qualificatis, & homicidiis appensatis, vigore dicti Chirographi, quo approbatur, & pro lege servari mandatur tertium dubium in præfata particulari Congregatione, de mandato Sanctissimi adunata, his verbis conceptum, & resolutum -- Tertio An contra Convictum indiciis indubitatis concludentibus per necesse, taliter ut adimant ab animo Judicis omnem rationalem hæsitationem, quod res aliter se habere potuerit, deveniendum sit ad pœnam ordinariam? responsum affirmative; quod aliquo modo simile videtur Pragmaticæ 12. de offic. Iudic. editæ pro Regno Neapolis per Cardin. Zapat. tunc eiusdem Regni Proregem sub die 20. Decembris 1621., qua per hæc verba definitum est: POSSINO LI GIUDICI delli Tribunali Regii, nelli delitti atroci, ed esemplari seguir l'opinione, di dar per l'indizii indubitati la pena ordinaria, dichiarando quelli indizii indubitati, che sono tali, che provati legittimamente inducano la mente del Giudice a credere fermamente il delitto esser commesso dall'Inquisito, quietando il suo intelletto in questa ferma credenza.

2 Antequam vero deveniamus ad ea, quæ necessario requiruntur, ut locum habeat dicti Chirographi dispositio, & apud quos Judices, præmittendum præter tradita in observ. 23. quoque hic videtur, sententiam illam, quæ de Jure per indicia indubitata ad ordinariam pœnam deveniri posse, authumat, his legibus probari; primo per Text. Imperat. Theodos. Arcad., & Honor. in l. si qui 34. C. ad leg. Iul. de adult. illis verbis -- Manifesta fide atque indiciis evidentibus publicabunt, & infra -- Et velut convi-

ctum

dum facinus confessumque puniri: Secundo per Textum Domitii Vlpiani *in leg. 1. §. Cornelio ff. de quæst.* ibi -- *Sed argumentis causam examinandam*: Tertio ex *l. ubi falsi Cod. ad leg. Cornel. de falsis* ibi -- *Argumentis testibus scripturarum collatione, aliisque vestigiis veritatis*: Quarto per *Text. in leg. non omnes §. a barbaris ff. de re militar*; his verbis -- *Sed hoc licet liquido constare non possit, argumentis tamen cognoscendum est*: Quinto ex l. 2. C. quod non recip. ibi -- *Argumentis convictus*: Sexto per Text. *in l. 4. C. de offic. Assess.* Et septimo Synodaliter, per Textum in *l. sciant cunct. 25 Cod. de probat.* ibi -- *Vel indiciis ad probationem indubitatis*; Quibus motus *Donellus in titul. de probat. cap. 10.* inqui -- *Ista signa evidentia sunt, & tacita quædam testimonia, non dubitarem hunc Carnifici tradere, si Iudex essem*, adversus quem doctissimus, & eruditissimus *Philip. Maresca* ita loquitur -- *Siste Donelle, siste magnus Vir, Iudex ideo non fuisti, quia ex præsumptionibus utique Reum damnasses; Quid dixisses, si esses Reus, an te ipsum ex his Carnifici traderes?*

3 Verum adversus *Sententiam prædictam* mordicus insurgit præfatus *Maresca* apud *Sarnum in pract. crimin. cap. 46. num. 57. & seqq.*, ubi ad quæstionem, inapplicabiles dictas leges esse probat singulariter, & distincte adductis Textibus occurrendo, ac veram, eorumque genuinam significationem tradendo, & præcipuæ ultra rationes, & explicationes per dictum *Maresca* traditas non movet Textus *in d. l. g. sciant. cunct. 25. C. de probat.* ad quem omnes tanquam ad Sacram anchoram confugiunt ad probandum, quod de Jure datur per indicia indubitata convictus; siquidem si ad primævam originem reducatur in aperto est, legum latores ibidem de *indiciis indubitatis* loquutos fuisse ad effectum eximendi, & liberandi Accusatorem a calumniæ nota, non autem ad Reum diffinitive damnandum, signanter in exasperam capitale supplicium; Vtque veritas hæc magis demonstretur, accedamus quæso ad fontem, unde præfatus Textus originem traxit.

4 Originem namque traxit ex *Codice Theodosiano*, & eum dimidiate Tribonianus in Codicem Justinianeum transtulit *ex leg. 3. Codic. Theodos. sub titul. de abolit.* ubi hæc leguntur verba: *fallaciter incusantibus maxime post exhibitionem accusati, nullius loris color, vel ut derivata excusatione proficiat, non publica abolitio, non privata talibus prospiciat subveniatque Personis, non specialis indulgentia, nec beneficium quidem eos generale subducat, sciant cuncti Accusatores, præmeditentur, ante præcaveant, eam se rem deferre in publicam notionem, quæ munita sit testibus, instructa documentis, signis ad probationem luce clarioribus expedita*, ubi Gothofred. in notis liter. E. inquit: *Hæc Tribonianus omisit, voluit enim hanc hujus legis Sententiam ad nudum probationum tractatum traducere ab abolitionum argumento, neque etiam modo relata est in decretum can. 2. caus. 2. 2. q final. &c.* & latius Idem *Jacob. Gothofred.* in comment. d. legis manifeste probat *hanc legem adversus Calumniatores latam esse*, hæc subdens verba -- *Et tamen cum totam hanc legem propius intueor, suspicio mihi vera suboritur, Theodosium hac lege, voluisse a præcipiti, & temeraria accusatione quemque deterrere, omni abolitionis spe, temerario, & præcipiti Accusatori præcisa.*

5 Perperam proinde *Textus in d. l. sciant cuncti* quasi vehiculum trahitur ad Reum convincendum per *indicia indubitata, seu signa luce clariora*, cum alium sensum longe diversum habere debeat juxta superius adducta originalia verba; Et quidem ex peculiari Constitutione Imperatoris *Constantini*, relata in *l. 1. Cod. Theodos. de pæn.* translata deinde per eumdem Tribonianum in *Codice Justinianeo sub l. 16. de pænis*, manifeste liquet, non posse ex indiciis, esto urgentissimis, esto etiam quod de immanibus flagitiis ageretur, ad capitale supplicium deveniri; Unde non minus eleganter, quam docte ita scriptum reliquit doctissimus *Jacob. Gothofred. in comment. dictæ leg. 1.* -- *Nonnisi ergo confesso Reo, vel omnium testium depositionibus CONVICTO, sicut jam ipse negare non possit, capitalem pænam in atrocioribus criminibus a Judice imponi posse, vel debere, definit hac lege Constantinus Magnus; temperamentum hoc, inquam Iudicibus hac Constantini Magni constitutione, præscribitur, cum & alia quin nulla de morte hominis cunctatio longa sit, confessum igitur, vel liquido Convictum Reum esse hac parte oportet; denique ut capitalis sententia ferri, pænamque imponi possit a Judice, convictus non censetus, nisi qui manifesta probatione convictus in unum conspirantium, & concordantium rei finem, nisi denique dilucidæ, & probatissimæ probationes sint; alioquin si Reus parte tantum testium obruatur, partem vero pro sui defensione possit arripere, Iudex sententiam capitalem promere non potest*, & paulo post subdit -- *Breviter Constantinus hac lege, immodice sævientibus Iudicibus, temperamentum adhibere voluit.*

6 Congruit itidem altera *Imperatoris Constantii* Constitutio, relata in eodem *Codic. Theodos. sub titul. de pænis l. 4.* ac per Tribonianum translata in Codice *Iustinian. sub l. 18. eod. titul.* dum dicitur -- *Manifesta probatione Reis convictis, ultio differenda non sit*: merito de præfata *l. sciant cuncti quæ est final. Cod. de probat.* perbelle ita inquit inter eruditos nemini secundus *Ioann. Otton. Tabor. in tractat. de indic. in analyps. artic. 22. num. primo fol. 121.* -- *Objici ex adverso solet l. final. Cod. de probat.*, ubi *indicia cæteris probationibus, per testes & instrumenta comparantur respondeo comparantur indicia & quidem indubitata cæteris probationum speciebus non in quæstione de pæna, sed in quæstione de accusatione, quatenus quis eam sine periculo possit instituere*: & urget propemodum *Innocentii III.* Constitutio *in capite literis 14. de præsumpt.* his verbis -- *propter solam, quamvis utique vehementem, nolumus, illum de tam gravi crimine condemnari.*

7 Non recte propterea *Antonius Matthæus* Vir quidem sane doctus, ac omni eruditione plenus *in libro 48. Pandectarum titul. 15. cap. 6.* in eam sententiam descendit pro pœna ordinaria infligenda ex indiciis indubitatis, purificando indiciis, & argumentis pressum ac si testibus convictus esset, etenim Jura ab eo adducta facili responsione diluuntur ab allegato *Philippo Maresca* cujus dicta; non, referimus, nam satis liber omnibus patet, non enim quia delicta sunt atrocissima, & immania contentus hac tantum speciositate esse debet Judex, sed *rei veritate*, quis delinquerit, ut de crimine læsæ majestatis inquit *Modestinus libro 12. Pandect.* his verbis -- *Hoc tamen crimen a Iudicibus non in occasionem ob principis majestatis venerationem, habendum est, sed in veritate, l. famosi §. 3. ff. ad leg. Iul. majestat.*; hinc non immerito Jura; *manifesta probatione convictis* capitalem ultionem differendam non

non esse præscripserunt; Quid namque sit *manifestum* explicat Pontifex *in cap. cum olim. de verbor. signific.* -- *Nos referibimus* (sunt verba textus) *intelligeris manifesta, quæ vel per Confessionem, vel per probationem legitimam nota fuerint, aut evidentia rei, quæ nulla possit tergiversatione celari.*

8 Sententia hæc in puncto Juris, communiter ab omnibus Tribunalibus recepta fuit, prorsus *Antonii Matthæi, & sequacium* opinione rejecta, & quamvis Tribunalia consideraverint in delictis occultis, clandestinis, immanibus, & atrocissimis, ob probationum difficultatem, etiam probationes ex indiciis, præsumptionibus, & conjecturis amplectendas esse; ne probationũ difficultate res pereat, crimina impunita remaneant, & de eorum iniquitatibus improbi delinquentes triumpharent, ut *de assassinio* conjecturis & præsumptionibus probando in vim Textus *in cap. pro humani de homic. in sexto*; de læsæ majestatis crimine pariter, *ex l. non omnis §. a Barbaris ff. de re militar.*, argumentis, & indiciis justificando, ac promiscue *de delictis carnis, falsæ monetæ, Veneni, Partus suppositi, & similium in abditis locis, vel nocturno tempore* admissis, tradunt *Vivius decis. 157. nu. 9., Farinac. qu. 115. num. 50., Gram. vot. 3. num. 3., Bossius de partu suppos. num. 10., & Rip. de nocturno tempor. post cap. 55. num. 2. & seqq.*

9 Nihilhominus in iisdem criminibus, indiciis urgentissimis, violentis, & indubitatis concurrentibus, nonnisi extraordinaria ultio practicata fuit, nunquam tamen capitale supplicium, ut passim testantur summæ gravitatis Doctores, *Boss. in tract. crimin. sub titul. de convict. nu. 34., & de part. suppos. nu. 32. Iul. Clar. in pract. crimin. qu. 20. versic. suas tamen, Gabriel. consil. 180. num. 20., & seqq. libro primo, & consil. 177. num. 5. tom. 2., Ioseph Ludovic. conclus. 45., Gomez. de delict. cap. 3. num. 45., Boer. decis. 164. nu. 5., & seqq. Grammat. decis. 42.*, & cæteri apud Hyeron. *Cavall. in commun. contra communes quæst. 337.*; atque in hunc sensum utique ad Juris tramites intelligi, & explicari debet *convictus per indicia indubitata*, de quo dictum est præcedenter *in hac observ. 23.*, ut nempe dicatur per talia indicia convictus ad effectum vel pœnam extraordinariam subeundi, vel eum quæstionibus subjiciendum, nunquam autem quoad ordinariam animadversionem, ut in specie *de crimine veneni, sodomia, delictis carnis, falsa moneta, cæterisque aliis clandestinis criminibus* practicandam esse ex hujusmodi indiciis, extraordinariam coercitionem triremium ad tempus, vel vita durante secundum qualitatem indiciorum tradunt *Gramm. dicta decis. 42. num. 14., & seqq., & vot. 28. nu. 7. & seqq., Afflict. in constit. Regn. Neapolit. nu. 28., Foller. in pragmat. prima de Sodom. nu. 21, Gomez. ad leg. Tauri 80. num. 18., Grivell. decis. 23. num. 28. De Franchis decis. 372.* existimarunt enim, quod valde periculosum est, ad mortem solis præsumptionibus, & indiciis, esto indubitatis, damnare, siquidem probatio per indicia, & præsumptiones semper dicitur probatio minor, nunquam perfecte Veritatem dilucidans, ad tradita per *Bald. in leg. 1. num. primo C. de testib.*

10 Hæc in puncto Juris communis. Nunc autem particulariter descendendo ad *convictum per indicia indubitata* juxta dispositionem præfati Chirographi quod talia indicia locum *plenæ probationis* habet, in specialibus tamen criminibus in eodem Chirographo expressis, non vero in omnibus, ut dicendum sit cum *Bald. in leg. Cives C. de appell., & in cap. 1. §. conventiculam de pac. Juram. firmand.* in usibus feudor., *nil mirum si probationis appellatione veniat conjectura, quando lex illam pro veritate habeat* potissimum quia talium immanium flagitiorum frequentia supremum legislatorem movit ad hoc præscribendum juxta tradita per *Claud. Saturnin. libro singul. de pœn.* his verbis -- *Nonnunquam evenit, ut aliquorum maleficiorum supplicia exacerbentur, quoties nimirum multis Personis grassantibus exemplo opus sit, leg. aut facta §. final. ff. de pœnis*, unde illud quoque congruit dictum in simili ab Antonio Fabro *in Codic. libro 9. titul. 6. defin. 4.* evulgatum *In ea incidimus tempora, ut propter frequentiores tanti sceleris suspiciones, & ad terrorem exemplo aliquo opus esse videtur; pervulgatum enim est, licet usu periculosum Cassii Senatoris verbum apud Tacitum; Omne magnum exemplum habere aliquid ex iniquo, quod publica utilitate compensatur*, dicimus quod plura *cumulative, non disjunctive* concurrere debent, ut quis in vim dicti Chirographi, per indicia indubitata convictus dicatur, & ultioni ordinariæ subjici possit; enim vero ubi ex statuto *plures qualitates* exhauriuntur, *omnes copulative* concurrere debent, ut illud locum habeat, *Bart. in leg. nit Prætor §. quod autem ff. ne quid. in loc. public.*

11 *Primo enim; respiciendo ad Judices*, requiritur, ut tali præeminentia ad convincendos Reos, per indicia indubitata, nec non per testes patientes exceptiones, & infames, juxta *primi, & secundi dubij resolutiones*, præfulgeant suprema, & Collegialia tantum Tribunalia, his verbis ab eodem Chirographo individuata, & expressa -- *Dichiaramo, e commandiamo, che in avvenire tutti li Tribunali supremi, e che esercitano le nostre veci, tanto in Roma, che in tutto lo stato Ecclesiastico, comprese anche le Legazioni di Bologna, Ferrara, Ravenna, Urbino, e Benevento, debbano giudicare, e venire alla condanna, e totale esecuzione delle pene nelli sopra espressi così a tenore di dette resoluzioni &c.* non vero alia, in dicto Chirographo minime specificata, ob rationes ex *Angel., & Felin.* in similibus traditas per *Prosper Caravit. in tit. M C.V. rit. 47. num. primo, & seqq.*; enim vero clamitat commune dicterium, unius ut judicet inclusionem, alterius exclusionem esse, ad Textum *in leg. cum Prætor. 12. ff. de Judic., Angel. consil. 375. num. 2., & seqq., & Bald. consil. 273. num. primo, & seq. libro 5.*, ubi hoc præcipue extendit, quando alicui, aliquod specialiter committitur, per modum superioritatis, vel excellentiæ Tribunalis, prout in dicto Chirographo.

12 *Secundo ad delicta intuendo* postulatur, ut crimina sint *atrocissima*, vel ageretur *de homicidiis appensatis* aut *furibus famosis*; pœnale namque, & correctorium est *Chirographum prædictum*, proinde restringendum, & coarctandum ad crimina tantum in eo expressa, & non ultra juxta *Textus* censuram *in cap. odia de regul. Jur. in 6. in leg. factum §. in pœnalibus ff. eod. titul., & in leg. 3. §. hæc verba ff. de negot. gestis, Hartm. Pistor. qu. 16. num. 23. libro primo, & qu. 31. nu. 20., Schurpf consil. 15. num. primo centur. prima, VVesemb. consil. 6. num. 235. libro primo*; quæ autem dicantur *delicta atrocissima, cædes præmeditatæ, furesque famosi* satis dictum est *in præcedenti subsect. 4. nu. 2. & seqq.*

13 *Tertio* exigitur, ut principaliter in expressis criminibus liquido, & certe constare debeat *de corpore*

pore delicti, non enim probatio hæc expleri potest per indicia indubitata, quoties crimina sunt *facti permanentis*; sed omnino per manifestas, liquidas, concludentes, & evidentes probationes de corpore delicti constare oportet, ne duo specialia in uno, eodemque statuto comprehenderentur, nempe quod Indicia indubitata deservire possent ad delinquentem in specie indicandum, eademque item sufficere quoque deberent ad crimen generice demonstrandum, adversus *Textus* censuram *in cap. singula distinct.* 89., *in leg. cum post §. gener. ff. de Jur. dot. & in §. licet, Instit. de adopt.*, *Curt. in leg. transigere num.* 20. *Cod. de transact.*, *Decian. respons.* 13. *num.* 23. *tom.* 3.

14 Communiter namque inquiunt Iuris Interpetretes, statutum exemplificantes, quod si unum posset, vel duo operari contra Jus commune, illud intelligi debeat, ut in uno tantum sortiatur effectum, *ut ex Cacheran. Curtio, Gozadin. Roland.*, *Purtio, Grat.*, aliisque probat *Ioannes Otton. Tabor in th saur. Jurisprud libro* 17. *cap.* 43. §. 5., *& §.* 13. *&* 14., ubi plus subdit, quod absurdum esset duo concurrere in eodem statuto specialia, nam specialitates nec quidem trahi, & admitti debent in consequentiam, *Mysinger. consil.* 10. *num.* 72. *libro* 1., Et ad rem faciunt tradita per Bernardin. *Muscat ll. in praxi criminal. titul. de situ Scopittæ num.* 12., *& seqq.*, & magis punctualiter *Ramirez. ad l. g. Reg.* §. 26 *num.* 23., ubi advertit, quod bene statui potest, ut plena delictorum probatio non requiratur, prout est *statutum in Aragonia*, ubi indiciis proximis, & indubitatis probatur delictum, etiam ad pœnam ordinariam, dummodo tamen de corpore delicti plene constet; & eum sequitur *Maradei in obs rvat. ad Pragmat. singul* 288. *num.* 3. ubi de corpore tamen delicti plene constare oportet, & non sufficit, si constiterit his indiciis indubitatis ad imponendam pœnam ordinariam.

15 Verum ob eamdem *multiplicitatis specialium cumulationem* acquiescendum non existimo opinioni *Raynald.* asserentis *in cap.* 21. §. 4. *&* 5. *num.* 52., quod etiam in delictis, in quibus *non remanent vestigia*, non debeat practicari capitale supplicium ex indiciis indubitatis, eo quia tunc indicia duo operarentur nempe delictum, & delinquentem, & sic duo specialia in se haberent, hæc subens verba — *puto enim quod saltem corpus delicti debeat esse certum & per evidentiam apparere, & propterea in adulterio, incestu, sodomia sine fractura quidquid sit in aliis delictis, dicta opinio non debet procedere*, *ut considerat*, *& b ne secundum me*, *Sgroi in lucern. Prælatorum par.* 5. *cap.* 4. *num.* 26. *&c.* siquidem primo intuendum erit, quod cum præfatus *Raynald.* loquatur de delictis facti transeuntis, quæ suapte natura vestigia non relinquunt, ut sunt *adulterium, incestus, & sodomia absque fractura*, ab eo exemplificata, fundamentum non video, quo deinde ipsemet *Raynald.* motus in relata verba descenderit, se putare, quod saltem corpus delicti debeat esse *certum, & per evidentiam apparere* cum in criminibus prædictis vestigia minime relinquentibus probatio *per evidentiam* nullo pacto dari possit, eo quia, quod non remanet, sed transit, *evidenti oculari inspectioni* non subiicitur; imo refragatur primævis Physicæ elementis quibus edocemur, *non esse, & esse sed non apparere similia, & æquiparata esse*, ad late per *Damhouder in tract. parium aut simil. verbo esse in apparenter fol.* 164. *& ibi* — *Nicol. Tolden. in addit.* de verbo *non apparens fol.* 24., *& in verba non constare fol.* 89. *ubi non constat esse, & non est, sunt paria ex Textu in leg.* 1. *ff. de contrab. empt.*

16 Hinc unanimi voto in ea sunt Doctores sententia (nemine discrepante), quod in delictis facti transeuntis, quorum vestigia non remanent, sufficiunt ad corpus delicti probandum conjecturæ, & præsumptiones ob impossibilitatem explendi ocularem inspectionem, illudque per evidentiam demonstrandi ut videre est apud magnum criminalistam *Clarum in q.* 4. *num.* 2. ubi hæc verba subdit: *E super hoc in practica nulla solet fieri difficultas*, *Peguer. in praxi crimin cap.* 12 *num.* 5., *Rocc. de offic. rubric.* 14. §. 1. *num.* 5. *Majoran. in op. praxi crimin. lib. primo cap. primo num.* 3. *& seqq.* & alios ubique de re criminali tractantes, ea ducti ratione, quod in his, quæ suapte natura, liquido probari non possunt ne probationum facultas angustiaretur contra bonum commune, & ne veritas facile periret, Jura contenta sunt ea probatione, quæ fieri potest, ne res reddatur improbabilis, & per consequens impunibilis *Felin. in cap. veniens il* 2. *num* 21. *de testib.*

17 Insuper *secundo* sedulo perspiciendum est, quod admissa de Jure corporis delicti probatio in talibus criminibus, non per evidentē & ocularem inspectionem, sed conjecturis, & præsumptionibus, ut *in antecedenti numero* satis dictum est, utique decipitur *Raynaldus* existimans, has conjecturas & præsumptiones minime sufficere pro *delicto in genere*, quoties pro *delinquente in specie* is convinci deberet vigore statuti per *indicia indubitata*; decipitur inquam, non enim statutum *præscribendo indicia indubitata* pro plena probatione *Delinquentis* (ut est Chirographum de quo loquimur) immutat, aut alterat conjecturalem, & præsumptivam probationem *pro delicto ipso* prout est in genere, sed illam ad Juris communis tramites remittit, ut Jura exigunt explendam, proinde ridiculum esset, talium criminum immutare naturam & in his suapte natura facti transeuntis probationem evidentialem prætendere, eo quod delinquentes per indicia indubitata in specie convincuntur, cum undique impossibile sit evidentiā habere in facto illo, quod statim ac factum est transivit & vestigium minime reliquit, nisi *Raynaldus* scientiam aliquam supernaturalem habuisset, ea quæ transiere, & non apparent, ad factum revocare, ut appareant, & vestigia ostendant.

18 Nec movet ratio *cumulationis specialium*, quam pro sua firmanda sententia adducit; etenim *axioma seu Juris dicterium illud*, non esse in statutis signanter pœnalibus, & correctoriis multiplicanda specialia, cum grano salis intelligendum est, quoties *ambo specialia*, quæ cumulari prætenderentur, in eodem statuto pœnali, a Jure communi unum, & alterum deviarent, & sic statutum, non unum, sed duo corrigeret, contra Iuris communis dispositionem, prout in his terminis loquuntur *DOCTORES* quos larga manu refert Joann. *Otton. Tabor in thesaur Iurisprud libro* 17. *cap.* 43. *duo specialia* §. 5. his verbis; *specialia non sunt multiplicanda, exemplum ponunt Doctores in statuto, quod si unum, vel duo possent operari contra Ius commune; illud intelligi debeat, ut in uno tantum sortiatur effectum*; secus autem quando *illud aliud*, quod cumulatur, a Jure communi non aberrat, imo Juri communi consonat, ut est probatio corporis delicti per conjecturas in delictis facti transeuntis; tunc enim nullo pacto dici potest, quod cumularentur duo specialia, multoque minus *duo specialia in se haberent* (ut utar verbis Raynaldi) sed statutum *unum* tantum effectum haberet, nempe quod

quis

quis per *indicia indubitata* convinci possit ad ordinariam criminis subeundam animadversionem (etenim revera, ut probatum est, hoc a Jure summopere deviat) non enim pro speciali habendum erit, quod Jure fieri permittitur, ut in similibus terminis ob hanc eamdem distinctionem optime probat *Anton. Pichard. libro 2. Institut. §. 1. post. num. 10. de milit. testam tom. primo*, ubi quod non est novum, aut inauditum duo specialia & privilegia concurrere in eadem causa, & persona, quando expressa a lege conceduntur.

19 Nec ad intentum *Raynaldi* opitulatur doctrina *Didac. Sgroi* ab ipsomet *Raynaldo* non recte ad verum sensum allegata; enim vero præfatus *Sgroi in d. p. 5. cap. 4. num. 26.*, loquitur non de *corpore delicti sodomiæ*, sed de qualitate probanda, quod Sodomita intra vas semen effuderit, ut ordinariæ capitalis supplicii pœnæ locus sit, & in hunc sensum insurgit contra *decisionem Mastrilli*, ubi ob probationem factam per testes deponentes vidisse unum supra alium, commovendo corpus per actus motivos luxuriæ, damnatus fuit Sodomita ad poenam ordinariam; propterea hæc verba subdit -- *Melius tamen fecisset, si sequendo secundam opinionem æquiorem Reum torturæ subjecisset cum clausula citra præjudicium probatorum, ad sciendum ab ejus ore, an semen, aut saltem membrum intra vas emisisset, quia si etiam esset negativus, ultra torturam non potuisset evadere pœnam extraordinariam, & delictum nunquam remaneret impunitum.*

20 Igitur opinio *Raynaldi* in sensu, in quo loquitur, nullo pacto amplectenda videtur, ad probandum corpus delicti per evidentiam in delictis facti transeuntis; etenim, nullo pacto videmus, ubi nam sit hæc evidentia *in copula adulterina, vel incestuosa, aut Sodomitica absque fractura*, quæ transit, & vestigia non relinquit, nisi eam fingamus in mente *Raynaldi* conceptam; In *duobus enim casibus*, ab ipsomet *Raynaldo* non consideratis, ejus opinio optime procedit, *Primo* quoties ageretur de probanda qualitate, quæ illud tale crimen efformaret, ut exempli gratia *matrimonium* ad efformandum Adulterium; *Consanguinitas, vel Affinitas*, ut liquere possit Incestum admissum esse. Quod *semen intra vas emissum fuerit*, ut habeatur copula Sodomitica perfecta, & consumnata, & sic de aliis qualitatibus, in hoc namque casu indubium est, *quod tales qualitates* probari debent non *per indicia indubitata*, sed per liquidas, concludentes, & manifestas probationes, ne multiplicarentur specialia contra Juris dispositionem, quod has qualitates liquido probandas esse præscribit, non conjecturaliter, ut latius probavi in iisdem *terminis Chirographi*, quoad primam resolutionem in eo contentam in præcedenti *Subsect. IV. n. 12. & seq.*

21 *Secundo* autem, quoties admissa crimina suapte natura essent Facti permanentis, quæ vestigia relinquunt, sed ex accidenti effecta sunt facti transeuntis, ut quia hujusmodi Vestigia periere, vel quia Cadaver, exempli gratia, in homicidio fuit combustum, in mari, vel flumine projectum, aut alio modo absconditum, ut reperiri non possit; in hoc namque casu nullimode prætendi potest, quod quis per indicia indubitata convinci queat pro poena ordinaria, quoties de corpore delicti, nisi per indicia, & præsumptiones constaret; nam multiplicarentur contra Juris communis dispositionem specialia, quod quis in genere, & in specie convinci posset per indicia, cum ad utrumque effectum liquidas probationes exigat, cum nec etiam in hujusmodi casu supplere posset Inquisiti confessio ad comprobandũ delicti corpus præsumptionibus, & conjecturis suffultum.

22 Ad quod magis demonstrandum opportune *in quæstionem vocatur*, num corpus delicti Facti permanentis, quod oculis subjici non possit ob cadaveris combustionem, projectionem in mari, seu aliter occultati, possit hoc casu probatione dubia, & præsumptiva suppleri conjecturis, & indiciis, tum ad effectum deveniendi ad tormenta, tum damnandĩ in ordinariam ultionem capitalem, accedente quoque Inquisiti confessione? Omissis exemplis relatis per *Bernard Porro in addit. ad Tranquill. Ambrosin. de process. informativ. cap. 2. num. 3.*, quibus ostenditur, processum fuisse per Senatum Mediolanum ad inquisitionem, licet de corpore delicti non constaret; in ea sententia est, *Carol. Anton. de Rosa in praxi crimin. lib. 1. cap. 1. num. 21. & seqq.*, quod in his casibus probatio corporis delicti haberi possit per præsumptiones, & conjecturas, ne Delinquens in sua malitia glorietur, saltem ad effectum torquendi, auctoritate motus *Muscatelli, Fabri, Caballi, & Cassanei*, quos allegat: imo subdit, quod corpore delicti per conjecturas, & præsumptiones probato in casibus præmissis, in quibus probatio per evidentiam haberi minime potest, accedente Inquisiti Confessione, possit Reus pœna ordinaria capitalis supplicii puniri, juxta *decisionem Salernitani 29.*, ubi Reus ita confessus capitali expiatione damnatus extitit.

23 In eamdem sententiam pro tortura descendit *Francisc. Sanfelic. decis. 28. num. 3.*, ubi quatuor *judicatarum exempla* refert, & eum sequitur *Joannes Baptista Mucci in dilucidat. ad Sanfelic. dilucidat. 28. num. 13.*, ubi in occultis arbitratur sufficere solam famam publicam ad effectum deveniendi ad tormenta, probatam tamen non per duos, sed formiter per septem testes, ne improbi Delinquentes cadavera comburendo, vel aliter occultando, a debita ultione tuti evaderent, ob corporis delicti deficientiam; & eamdem *Sanfelicii decisionem* amplectitur *Pratus in addit. ad Philipp. Paschal. de virib. Patriæ potest. part. 3. cap. 1. num. 72.*

24 Verum quidquid dicant præallegati Doctores, eorumque sequaces; quicquid efflagitent, & exemplis illustrare eorum sententiam authument sub specie, ac publici boni colore, ne crimina impunita evaderent; Figmenta potius noscuntur a primævis Juris elementis aberrantia; siquidem nec condemnationi accedente Inquisiti Confessione, nec torturæ locum esse posse ad suppositi criminis confessionem habendam, melius dicam extorquendam, res manifesta est, legibus, & rationibus demonstranda. Et a tortura exordiendo absolutissimum in Jure est, ad quæstionem deveniendum haud esse, nisi Judici *liquido* admissum esse crimen *constiterit*; ita præscriptum legitur in monumentis *Domitii Ulpiani libro 1. ad edictum -- Illud sciendum est, nisi constet ALIQUEM ESSE OCCISUM NON HABERI de familia quæstionem, liquere igitur debet scelere interemptum, ut Senatus Consulto locus sit; quæstionem autem sic accipimus non tormenta tantum, sed omnem Inquisitionem*, Textus est in *leg. 1. §. item illud ff. ad Senat. Consult. Syllan.*; quæ verba *constet, & liquere*, non præsumptiones, & conjecturas, sed plenas, & evidentes exigunt probationes *ad Textum in leg. Lucius 82. ff. de condit., & demonstrat. Gloss. in Clement. Constitutione de electiion., & in Clement. præ-*

sen-

senti verbo constiterit, *de sentent. excomun.*, *Bald. in leg. bonæ fidei num. 7.*, *& seqq. C. de reb. dub.*, *Rota decis. 532. nu. 1. part. 2. recent.*, *& decis. 53. num. 1. coram Ludovis.*, *& Theodor. de Rubeis in singul. Rot. Roman. tom. 2. clars. 216. n. 10.*

25 Quod verbum *constet* passim alibi a Jurisconsultis positum est, ubi de facto generico probando ageretur, priusquam ad specialia acta deveniretur; sic enim inquit Consultus Florentinus *libro* 10. *Instit.* -- *utique prius constare debet testamentum factum esse Leg. divus 25. ff. de milit. testam.* Sic Consultus Africanus libro 3 quæstion. -- *Prius enim oportet esse aliquod testamentum ut Senatus Consulto Liboniano locus sit*, *l. si quis §. prim. ff. ad Leg. Cornel. de falsis*; sic Idem Domitius Ulpianus libro 8. disputat. -- *Verum oportet constare prius, & de crimine pronunciare*, *l. ejus qui §. nec enim ff. de Iur. Fisci*; sic tandem (aliis brevitatis causa omissis) rescripsere Imperatores *Severus*, *& Antoninus*, *in l. 1. C. ubi causæ Fiscal.* ibi -- *Nec bona a Fisco peti posse, priusquam de crimine constiterit apud eum.*

26 Ratio potissima est, siquidem ut scite inquit ex *Baldo* Francisc. *Brun. in tractat. de indic. & tortur. p. 2. q. 5. num. 7. & seqq.*, tortura infertur *ad liquidationem Personæ delinquentis, non ad liquidationem facti*, hæc subdens verba -- *Quarto Iudex debet animadvertere, ut non ponat aliquem ad torturam nisi prius constet de delicto*, exemplum enim perniciosum est torquere nisi constet delictum; legitur enim Servum Marci Agrii Argentarii insimulatum occidisse Alexandrum Titi Fannii Servum, eoque nomine tortum confessum facinus, supplicio affectum, parvulo tamen tempore interjecto, ille cujus de nece creditum erat, domum rediit, teste *Valerio Maximo libro 8. de quæstion. cap. 4.* Conferunt ad rem tradita per *Angel. Scyaloja in tract. de tortur. Reorum cap. 3. num. 16.*

27 Magis urget ratio, siquidem si liquido non constito de corpore delicti, confessio minime allicit ad Reum damnandum, signanter in ordinariam animadversionem, ut inferius probabitur, frustra illud quæritur, cujus eventus nihil operatur, *l. hæc stipulatio § divus ff. ut legat. nomin. caveat*, *l. ad probation. in C. de probat.*, merito hanc eamdem sententiam pro exclusione torturæ, etiam in casibus, in quibus contra Reum legitima extarent indicia, non obstante quacumque facultate, seu arbitrio Judici a lege, vel statuto, vel per Chirographum speciale a Principe concesso, tuentur *Farin. Guazzin. Maur. Burg.* cœterique alii apud *Conciol. resol. crimin. verbo tortura resol. 2. num. 2. & seqq.*, & licet aliqui id limitant in Latronibus, qui hominum cadavera abscondere solent; valde tamen de hac restrictione dubitant, eamque rejiciunt *Augustin. ad Angel. de malefic. rubric. fama publica præcedente num. 108.*, *& Henric. Bocer. in tractat. de quæst. & tortur. cap. 3. num. 3. versic. deinde*, merito testatur *Sabelli in summa divers. tractat. §. corpus delicti num. 5. versic. Et ita*, quod in duplici causa ob probationem corporis delicti per conjecturas Inquisiti fuerunt dimissi sub fidejussione, nec adversus eos ad torturam deventum est.

28 Sed magis accedendo ad comprobationem eorum, quæ dicta sunt, ex indiciis indubitatis non posse deveniri ad pœnam ordinariam, nisi de corpore delicti liquido, & includenter constaret, non per indicia, & præsumptiones, etiam in illis criminibus facti permanentis, ex accidenti effectis facti transeuntis, repetere juvat argumentum a majoritate rationis a confessione Inquisiti depromptum; enim vero talis confessio nec minus ad condemnandum sufficit, signanter ad gladii pœnam dictandam; siquidem in potestate hominis non est, delictum facere, quod non est, multoque minus per talem confessionem sibi mortem inferre, cum suorum membrorum dominus non sit, *l. liber homo ff. ad Leg. Aquil.*, semper enim confessio (delicti corpore non constito) impossibilitatem, falsitatem, & dicti erroneitatem saperet, licet Reus ipse errorem minime allegaret ad Textum *in l. inde Neratius §. final. ff. ad Leg. Aquil*; *& in l. in confessionibus cum Leg. seqq. ff. de interrog. action.* & scite ponderat doctus *Balthas. Amescua in tractat. de potestat. in seipsum libro primo cap. 14. num. 12. fol. 110. & capite 19. num. 19.* Et ad rem mirifice congruunt verba *Domitii Ulpiani in l. 3. §. divus Severus ff. de quæstion* -- *Confessiones Reorum pro exploratis facinoribus haberi non oportere, si nulla probatio Religionem cognoscentis instruat.* Nec non Pauli in *l. si is ff. de confess.* -- *Si tamen occisus est homo, ex confesso tenetur.*

29 Quod locum habet, sive confessio fuerit emanata de homine occiso cognito, de cujus vita facile liquere potest, sive de homine ignoto, etiam si confiteretur projecisse cadaver in mari, & fuerit repertus sanguis in loco confessato prope littus maris; nam non constito de homine interempto, non sufficit hæc confessio ad pœnam signanter mortis ordinariam, ut rejecta opinione *Angeli*, *& Chassanei*, ex pluribus auctoritatibus Sacræ Scripturæ probat *Camill. Borell. in summa decis. tom. 2. titul. 3. de confess. num. 14. & seqq. fol. 44.*, & pro hac sententia alegat *Bald. Joann. de Anicis*, *& Blanc.* unanimi voto dicentes confessioni standum non esse: hanc etiam opinionem tuetur *Arnald. Albertin. de agnosc. assert. Chatolic. qu. 25. num. 24.*, ubi loquitur de Muliere malefica, quæ fassa est, se infantem unum, vel plures suis maleficiis occidisse, quod ei simpliciter non sit credendum, nisi aliter vere, & realiter constet, illos fuisse necatos: & hanc eamdem sententiam tanquam veriorem amplectuntur *Hunnius in resol. Iur. ad Treutler tom. 2. disputat. 31. thes. 2. q. 10 fol. 384. & seqq.*, ac innumeri alii relati ab *Anton. Polse. de præmin. Reg. Audient. tom. 2. tit. 10. cap. 2. n. 17* ubi mordicus *decis. 29. Salernit.* impugnat; prout de veriori opinione testatur *Vincentius Mancini in tractat. de confess. cap. 3. artic. 3. post num. 5.* his verbis -- *Magis placet Negativa, quam veriorem existimo*, *& num. 10.* subdit, quod ubi non constat de delicto, etiam si millies Reus sit confessus, est locus absolutioni, atque ita decisum fuisse quo ad Latrones, & derobatores Stratarum rejecta opinione Muscatelli, & Rocci refert *Michael. de Calderò decis. 9. post. num. 35. tom. primo.*

30 Enim vero quælibet simplex confessio Rei etiam spontanea, quamquam versemur in crimine hæresis, sufficiens non est ad condemnandum, præcipue in capitale supplicium, quia Fiscus ad suam intentionem fundandum sumere nequit delicti probationem ex solo ore ipsius Rei, cum Rei confessio pro explorato facinore habenda non sit, minusque Reus potest probare, & esse testis contra se ipsum, cum non sit Dominus membrorum suorum, *l. liber homo ff. ad leg. Aquil.*, *l. de minore §. tormenta ff. de quæstion.*, *Bald. in authen. sed novo Iure versic. sed pone, quod si aliquis Cod. de servis fugitiv.*, merito confessio

pro-

proprie probatio non dicitur, sed delicti relatio, ut ex Bossio tradit Almonz. Ciazz. in disceptation. prim. num. 20., & 234., idcirco Judices confessioni fidem præstare non debent, nisi fuerit verificata.

31 Quod si Jura, & rationes non movent confessionis fragilitatem demonstrantia, dum liquida abest verificatio corporis delicti, moveant inquam exempla in reprobationem decis. 29. Salernitani, relata per Bernard. in Schol. ad Ambrof. de process. informat. cap. 1. libro primo, versic. circa hanc probationem, ubi duos casus recenset duorum Inquisitorum, qui occidisse Personas ab eis nominatas fassi fuerant, & tamen Innocentes comperti sunt, eo quia vivi redierunt insimulati Interfecti: Alind memorabile exemplum refert Vincentius Mancin. in d. tractat. de confess. cap. 3. artic. 4. post num. 27. in personam cujusdam Magistri Puerorum: Alia duo exempla recensentur ab Elisæo Danza de pugna DD. tom. 2. titul. de corpor. delicti. cap. 1. nu. 17 fol. 213 etenim qui mortui dicebantur, vivi comperti sunt, unde exterritus de reditu unius, qui mortuus dicebatur, ob quam causam Angelus Pacillus gravissima Inquisitione præmabatur, hæc scripta reliquit verba -- Moneo igitur Judices, ut caveant tanquam ab igne fidem præbere testibus, neque procedere, non facta liquida probatione delicti in genere, & sic corporis mortui &c.; Casum alterum, utique in mentibus Judicum infigendum refert Christophor. Crusius de process. indicior crimin. p. 4. cap. 2. num 24. versic. Iulius vero fol. 5. Plura alia memorabilia habentur apud Baptist Fulgos. de fact. & dictis memorab. libro 8. cap. 4. Sed superlative memoranda, & menti insculpenda ea videntur, quæ recensentur ab Ænnæo Rubert. rerum Judicatar. libro primo c. 4. de falso cædis damnato, & Constantin. Cæsar. in specul. peregrin. quæst. libro primo quæst. 17. § 2. n. 39. & seqq. fol. 118 & seqq. ubi propterea summopere invehit adversus Salernitani decisionem,

32 Hinc rejicienda, imo respuenda omnino videtur rigida opinio Reynald. asserentis in cap. 1. §. 1. ad 7. num. 157., quod confessio Rei superveniens suppleat, & perfectam probationem corporis delicti inducat ad pœnam ordinariam dictandam; etenim ejus dictum simul cum Zuffio, Carpzov., & Chassan. quos allegat, eamdem merentur redargutionem, quam tradidere communiter Doctores decisioni Salernitani, existimantes has opiniones esse valde periculosas, & erroneas, idcirco in his casibus melius & tutius est, ut deveniatur ad extraordinariam triremium pœnas adversus hujusmodi Confessos, nunquam vero ad mortis ordinariam; etenim si qui mortui insimulati sunt, redeant, occurri potest damnatum e triremibus revocando, quod remedium adhiberi nequit quoties capitale supplicium dictatum esset.

33 Et redeundo ad materiam convicti per indicia indubitata addimus, quod non tantum constare liquido debet de corpore delicti, ut ad pœnam ordinariam per indicia indubitata deveniri possit, sed etiam in delictis illis, quæ figuram habent delictorum, & non delictorum, liquere oportet de qualitate sceleris, ut in homine reperto suffocato in puteo, reperto mortuo in lecto, similibus; etenim ita evenire etiam possunt absque scelere, & propterea constare debet, illum scelere peremptum juxta literalem dispositionem prædicti Textus, in l. 1. §. item illud ff. ad S. C. Syllan., potuit enim id sine dolo, & scelere fieri, ut ex se patet, & habetur in l. proinde la 2. in princ. & ibi gloss. ff. ad Leg. Aquil.: constare igitur debet de qualitate mortis, quia non dicitur constare de facto, nisi etiam constet de qualitate facti, l. si per alium §. docere ff. ne quis eum B. ff. in tractat. crimin. titul. de delict. n 3. & seqq. & plura ad rem docte tradit Ioannes Brunnum in de process. crimin Inquis. cap. 7. num. 12. & seqq. ubi loquitur de mortuo reperto, & ose scitur an naturaliter, vel scelere, seu violenter perierit; idem de suffocato in aquis, vel puteo, an casu inciderit, an seipsum præcipitaverit, an ab alio violenter peremptus fuerit: rursus de mortuo, an naturali morbo, vel veneno occubuerit, Clar. in pract. crimin. qu. 4. num. 5. Ambrosin. de process. informat. libro primo cap. 1. num 14. & seqq. & ibi Bernardin. Porr. in schol. ubi nonnulla exempla refert, Scacc. de Iudic. cap. 83. num. 3 & seqq. tom. prim. ubi magistraliter loquitur; & plura ad propositum congerunt Salellus in pract. crimin. verbo corpus delicti num. 21. & seqq, Anton. Polic. in tract. de præemin. Regiar. Audient. tit. 10. cap. 2. num. 19. & seqq. tom. 2. & Carol. Anton. de Luca in praxi crimin. cap. 2 num. 9 cap. 3. ubi de signis veneni, & cap. 13. de signis d. 34. monstrantibus suffocationem, & Strangulationem, ubi allegat Farin., Giurb. Conciol. Guazz. & alios.

34 Insuper ut quis convinci possit per indicia indubitata, non tantum constare debet de corpore delicti, & de qualitate sceleris, sed etiam de illius identitate, nempe quod sit illudmet, de quo quæritur; quæ probatio spectat ad fiscum, siquidem in criminalibus identitas non præsumitur, sed probanda omnino est per eum, qui in ea se fundat ad Textum in leg. si in rem ff. de rei vindic., & in leg. 1. § si quis argentum ff. deposit., Bartol. in leg. 1. n. 2. C. si unus ex plurib. appell in leg. Is qui Reus ff. de public. Indic., & in leg. demonstratio ff. de condit., & demonstr. Abb. in cap. cum Joannes post num. 16. d. fid. Instrum Petrus Philipp. Corneus in consil. 144. num. 10., & seqq. tom. 4., Cravett. consil. 198. num. 3., & seq. tom. primo, imo ad exclusionem delicti potius pluralitas præsumitur, ex traditis per Surd. consil. 173 num. 41., & consil 307. nu. 18., & Costa de facti, scient., & ignor. inspect. 13. num 9., ea ratione, quod identitas rerum actuum, & personarum non præsumitur, sed pluralitas, quando agitur criminaliter, & ad pœnam, Card. Zabarell. in cap. cum Ioannes num. 3. versic. Ex his infertur, d. fid. Instrum., Bursatt. consil. 116. post num. 28. tom primo, & Cravett. consil. 294. nu. 2.

35 Quarto (redeundo ad requisita Chirographi, ut quis convincatur per indicia indubitata) postulatur, ut Indicia sint de illis indubitatis, quæ concludant pernecesse taliter, ut adimant ab animo Judicis, omnem rationabilem hæsitationem, quod rem aliter se habere potuerit (sunt verba præcisa dicti Chirographi), quæ autem sint hæc indicia taliter indubitata, hic labor, hoc opus; Indicium indubitatum sive attendatur doctrina Pauli de Castro in leg. sciant cuncti 25. num. 5. de probat relata per Lanceliott. Conrad. de offic. Prætor. in crimin. titul. de negat. crimin., & torment. num. 48. fol 305., sive altera Bald. in leg. ea quidem num. 7., & seqq. C. de accus. illud est, quod arctat mentem Judicis, ut omnino credat, nec possit in contrarium inclinare, etenim ex tali demonstratione animus quiescit, & plus investigare non curat, ita docent Boer. decis. 164. num. 3., & seq. Merta vot. 248. post nu. 3. Anton. Gomez. de delict. num. 25. in med., & alii

apud

apud *Juliu. Chartar. decis. crimin.* 94. *num.* 97., & 98. idcirco inquit Angel. *Scyaloja. in tractat. de tortur. Reorum cap.* 4. *num.* 1. — *Indicia indubitata sunt illa, quæ movent animum Iudicis ad credendum a Reo fuisse perpetratum delictum, ut non possit persuaderi ad credendum contrarium, ex Marsil., Guazzin, Caball., & aliis ibi allegatis.*

36 Indiciorum indubitatorum tria exempla recensendo *Guidon. de Suzar. in tract. de indic., & tortur. num.* 99., *& seqq.* plura conjungit in unum, ut dicatur Indubitatum his verbis — *Si statuta continetur, quod nemo &c. nisi indicio indubitata præcesserint, en exemplum de indiciis indubitatis; Est Camera habens unum aditum, & exitum, non plures, de dicta camera exivit quis pallidus, trepidus cum cultello nudo sanguinolento in manu, & statim post exitum reperitur homo recenter occisus in dicta Camera, certe ista sunt indicia ad probationem maleficii indubitata, ex quibus non solum ad tormenta, sed etiam ad condemnationem, & pœnæ impositionem potest procedi; nam palliditas, & trepidatio, est unum indicium contra ipsum; Item delatio gladii, præsertim nudi, est aliud indicium, nam de portantibus arma lex male præsumit: Item quod erat gladius sanguinolentus erat aliud indicium. raro tamen contingunt talia indicia.*

37 Prosequitur ad aliud secundum indicium referendum, pariter plura cumulando ad unum efficiendum indubitatum, ut sequentibus verbis legitur in *num.* 100. — *Est & aliud indicium ad probationem indubitatum, & istud sæpius contingere potest, ut enim occiditur Titius, de hoc accusatur Sejus, sed de visu nulli teste deponunt, sed probantur ista contra Sejum, primo quod Sejus erat Inimicus Titii: 2. probant testes, quod viderint Sejum extrahentem gladium contra Titium: 3. probatur, quod Sejus aufugit tempore perpetrati maleficii 4. probatur per famam, & vocem publicam, quod Sejus dictum Titium interfecit: certe ista quatuor simul juncta, quamvis singula per se non sufficerent, efficiunt tamen indubitatum, non solum ad torturam, sed etiam ad condemnationem &c.*

38 Ac deinde *num.* 101. etiam ex plurium cumulatione, tertium indicium indubitatum refert ibi — *Est addere aliud exemplum de præsumptionibus, seu indiciis indubitatis; ecce defertur Sejus, quod Titium fecit occidere: non sunt testes, qui dicant hoc se vidisse, tamen probantur ista indicia, primo quod Sejus erat Inimicus Titii: 2. quod dictus Sejus perpetrato homicidio, receptavit homicidam, 3. quod homicida erat domesticus, & familiaris Seji: 4. quod Fama est, quod Sejus fecit occidere Titium 5. quod Sejus se jactavit, quod fecerat occidere Titium, & est homo, de quo est verisimile quod talia faceret: & 6. quod olim offensiones aliquæ intervenerunt inter eos,* quod ultimum, bona pace dicti doctoris, superfluum videtur; etenim primo loco admissa *inimicitiæ causa* semper probata videtur aliqua præcedens sequuta offensio, ex qua Inimicitia ortum habuit; imo addendum existimo; quod in hoc casu quoque per fiscum probanda esset *non causa* in delinquente Mandatario, alias data propria ipsius causa præsumptum mandatum evanesceret, & indicia prædicta indubitatum non efformarent.

39 Insuper *hæc tria exempla indiciorum indubitatorum* sufficientium ad condemnationem, ex Thoma de Piperata, refert *Albert. Gandin. in tractat. de malef. rubric. de indic, & præsumpt. in sub. n.* 10. *& seqq. fol.* 24. imo præcedenter *num.* 3. *& seqq* sex alia indiciorum indubitatorum exempla recenset, quæ pariter referuntur per *Ioann Constantin. in comment ad Regias constit. Franciæ artic.* 163. *versic. sed quæ & qualia dicuntur fol.* 368. ubi *primo* exemplificat præsumptionem Juris, & de Jure; *secundo* transactionem factam super crimine dato prætio *tertia* notorietatem: reliqua omittuntur, tanquam ad casum non congruentia, & de *primo* notabili indicio indubitato relato per *Guid. de Suzar.* late loquitur *Farin. q.* 52. *num.* 50.

40 Cæteri autem Doctores indicia indubitata ita exemplificant; *PRIMO* in duobus rixantibus, quorum alter rixa finita, repertus est Vulneratus, ut ab altero Corrixante percussus dicatur; sic oritur indicium indubitatum contra eum, qui in rixa visus est ademare, licet non percutere, si finita rixa reperiatur Adversarius ademantis Vulneratus, vel occisus, *Andreol. controv. forens.* 172. *numer.* 3 cum aliis. *Altimar. ad Rovit. decis.* 63. *post. numer.* 10., & *Angel. Scyaloja in tract. de tortur. Reorum cap.* 4. *post num.* 3. *SECUNDO*, quando quis visus est cum ense evaginato persequi alium fugientem, repertum postea Vulneratum, *Andreol. d. contr.* 172. *post numer.* 3. *Altimar. loc. citat. versic. Secundo.* *TERTIO* quando quis visus fuerit exire de domo aliqua, quæ non habet, nisi unum aditum, juxta jam tradita; Et de explodente archibusiatam a domo, quod adversus Dominũ domus oriatur indicium sed non indubitatum, docet *Andreol. d. controv.* 172. *post n.* 7., & de viso egredi ex agro, vel vinea cum gladio evaginato, & sanguinolento, ubi reperitur interfectus, tradit *Cirlin controv. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 5., & *seqq.* *QUARTO* habetur pro indicio indubitato fuga a loco delicti, ubi crimen admissum est, cum armis evaginatis; quod eo magis locum habet, quando in eodem loco delicti, nullus alius visus fuerit, nisi Reus, *Crispolt. cas. milit. n.* 14. *nu.* 27.; *Ginch. consil.* 13. *num.* 16. *& seqq.*, *Vivius decis.* 292. *post num.* 23. *QUINTO* in adulterio dicitur indicium indubitatum repertio nudi cum nuda, ex Textu *in cap. literis* 12. *de præsumpt. Rota decis.* 69. *nu.* 7. *& seqq. post libr.* 1. *consilior. Farin.* Et plura alia indicii indubitati exempla habentur apud *Henric. Boter. in tract. de indic. c.* 3. *n.* 18. *fol.* 112. *& seqq.*

41 Quomodocumque autem superius relata exempla se habeant, illud certum est, quod vigore præfati Chirographi *indicia indubitata concludere debent per necesse taliter, ut adimant ab animo Judicis omnem rationabilem hæsitationem, quod res aliter se habere potuerit,* & prout late probat *Iuliu. Chartar. decis. crimin.* 41. *num.* 19. *& seqq.* etenim cum hæc indiciorum materia sit valde incerta, & deceptionibus obnoxia, ad Judicis propterea inspectionem, & regulatum ejus a Jure arbitrium remissum est negotium a prælaudato Chirographo, exemplo *Pragmaticæ Regni Neapolis* nam nequit de talibus indiciis certa regula dari ob varias rerum circumstantias, delictorum & personarum qualitatem, ut in puncto dictæ Pragmaticæ docte animadvertit *Carol. Petra in ritib. M. C. V. rit.* 274. *num.* 158. *tom.* 3., hæc tamen subdens verba — *Arbitrium autem non debet esse vesanum motum, aut affectatum, & tunc in cerebro confictum, sed juridicum, moribus legum præscriptum, rationisque dictamini consentaneum*; quodque ad formam dicti Chirographi debeat arbitrium Judicis esse rationabile, patet ex verbo illo — *omnem rationabilem hæsitationem.*

42 Sed pro majori dilucidatione *hujusmodi hæsitationis adimendæ ab animo Iudicis*, notandum est, quod ad effectum convincendi *per indicia indubitata*, ea talia esse debent, ut primo essentialiter concludant pernecesse, attentis verbis Chirographi -- *Convictum indiciis indubitatis concludentibus per necesse*; enim vero probatio de necessitate concludere debet, *l. veteribus 39. ff. de pactis*, *l. stipulatio ista §. in stipulationibus ff. de verbor. obligat.*, nam non probat hoc esse, quod ab hoc contingit abesse, *l. non hoc 4. C. de legitim. hæred.*, *l. neque natales 10. C. de probat.*, sic probatio non concludens non habetur pro probatione, sed tanquam dubia, & incerta non relevat, *cap. in præsentia de probat*, *l. si fuerit su. ff. de reb. dubiis*, *l. ad probationem 21. C. de probat. Mysinger. centur. 1. observ. 40.*, *Wesembec. consil. 19. num. 2.*; propterea ad rem perbelle ita edocet *Henric. Bocer. in tractat. de indic. cap. 3. post n. 16.* -- *Certum indicium, & indubitatum est, ex quo probato illud necessario, quod intendimus efficitur, cum enim ad condemnationem Rei sufficiat indicium hoc, necessario ut probet intentionem oportet.*

43 Verum concludere indicia taliter debent, ut adimant ab animo Iudicis *omnem rationabilem hæsitationem*, quod res aliter se habere, potuerit; si enim possibile sit, rem aliter se habere indicium non dicitur amplius indubitatum, ut inquit *Marim Giurba consil. crimin. 71. num. 3.* his verbis: *Indiciis convictus dicitur Reus, si clarissima illa sint, & indubitata; censentur autem indubitata, quæ taliter Judicis mentem arctant, ut cogatur ipse penitus credere, rem ita esse, quod non possit in contrarium inclinare: quo fit, ut si possibile sit, rem aliter se habere, tunc indicia non dicimus indubitata. Hinc monet Mascardus &c., quod si possibile est, rem aliter se habere, indiciis standum non esset*, & comprobant *Anton Gomez. de delict. cap. 12. num. 25. in med.*, *& Vermigl. consil. crimin 381.*, *& 396.*

44 Propterea *Bos. in tract. crimin. titul. de convict. num. 45.*, *ex Gandin.* dicit, quod nisi sit præsumptio Iuris, & de Iure, indicium seu indicia non adeo indubitata sunt, quin quandam sollicitam dubitationem recipiant; & revera indicia indubitata non videntur adeo clara, quin contra illa possit opponi, cum esse possit, quod quis commiserit homicidium ex causa defensionis, vel alio modo inculpabile, ut evenit in casu relato per *Cyson. de indic. tractat. 11. num. 4*, ubi quis occidit ense alium, & relicto ense fugit, supervenit Amicus interfecti, & dum apprehenso ense cruento insequeretur homicidam, captus est, sed liberatus, quia probavit in contrarium; potuit enim alius occidisse seipsum, sicut fecit Vlysses, qui abstulit ensem ab Ajace invento occiso in Sylva ministerio sui met, & accusatus a Teucro ut homicidii Reus, teste *Menoch. de arbitr. Iudic. cas. 270. post num. 28.*. Memorabile insuper est exemplum relatum a *Farin qu 52. post nu. 110.* de illo famosissimo fure dicto *Il Pretino di Lucca*, qui cum ex quodam Camino ascendisset in Cameram illius Mercatoris, dum ille se defrudere volebat, fuit vulneratus a dicto fure cum parvo cultro, & relicto dicto cultro aufugit per eundem caminum; cumque ad clamores accessisset Magister filiorum occisi, cum lumine accenso ad cubiculum dicti Mercatoris, cœpit conqueri, & convocare domesticos, qui videntes, quod in dicta Camera non aderat, nisi dictus Magister pallidus cum cultro sanguinolento in manu, & Camera non habebat, nisi unum Ostium (hoc enim ex superius traditis inter exempla indiciorum indubitatorum habetur) illum tradiderunt in manibus Curiæ, a qua ob hoc indicium acerrime tortus, fassus est, & morti traditus; post autem plures annos dictus fur devenit in fortiis Curiæ, & inter alia fassus est dictum homicidium, nec ob id Magister resurrexit.

45 De facto indicia, quæ apud aliquos habentur indubitata, apud alios non talia, sed dubitata existimantur, sic veram certitudinem non habent, nec suapte natura possibilitatem in contrarium excludunt: exemplum est de *Antonio Martino*, qui cum indiciis indubitatis fuisset per M. C. V. ad mortem damnatus, relatione facta, ante sententiæ exequutionem, Collaterali Consilio, per idem supremum Tribunal decretum est non esse locum exequutioni sententiæ *ex indiciis indubitatis*, ut testatur *Ioannes Baptista de Thoro in comp. ud. decis. par. 3. section. 3.*, *verbo Sodomita fol. 263.*, *& 264.*, quod agnoscens Regni legislator in tam ardua materia damnandi Reum per *indicia indubitata*, noluit esse contentus sola Regii Tribunalis decisione, ubi plures numero assident Judices, sed in causis delegatis præcipue, mandavit *in Pragmat. 13. de offic.*; ut ante executionem sententiæ, Judices, qui in hoc arbitrio fuerunt, Regio Collaterali consilio referant, & ab eo approbationem expectent, ibi -- *Vogliamo ed ordiniamo, che quando in alcuna di dette cause parerà a Giudici di eseguire tale opinione, e condannare l' Inquisito per indicii indubitati in pena ordinaria, debbano prima de eseguire la sentenza, che per tale opinione avranno proferita, essendo in Napoli, fare relazione nel Regio Collaterale conseglio, ed essendo in partibus inviarcela inscriptis, con riferire puntualmente i meriti della causa e gl' indizii sopra i quali sarà fondato l' arbitrio, acciò si possa da Noi intesa al relazione, ordinare se doverà, o non doverà la sentenza esseguirsi*; imo cum in Regiis Tribunalibus Neapolis a quacumque sententia capitali *appellari possit in suspensivo* ad S. R. C., & ad Regium Collaterale consilium (hodiernis temporibus ob Regis præsentiam nuncupatum di *S. Chiara*) convenientibus Judicibus Appellationis in eamdem Tribunalis a quo sententiam pro *indubitatorum existentia*, major descendit certitudo, ex plurium, atque plurium in unum votorum suffragio: quæ certitudo non tam facile deprehenditur, ubi talis appellatio in suspensivo denegatur a capitalibus sententiis.

46 Ex prædictis igitur ad removendum dubium, quod superesse posset, an queant talia indubitata indicia dari, quæ Judicis animum movere possint ad illa arbitranda, & eorum intellectum quiescere absque hæsitatione, quod res aliter habere potuerit, additum est in d. tertia resolutione verbum -- *omnem rationabilem hæsitationem*, quod idem sapit ac *moralem certitudinem*; enim vero ut aliquis possit in criminalibus ad ordinariam pœnam damnari indubium est, quod aliqua certitudo de crimine perpetrato requiritur; cum autem certitudo hæc sit vel *metaphysica vel physica*, *vel moralis*, utique *metaphysica* supponenda non est, nam cum supponat necessariam connexionem prædicamentorum essentialium cum subjecto; in rebus moralibus, contingentibus, & fallentibus hæc utique nullo modo haberi potest, nec etiam per testes de delicto immediate deponentes, nec per ipsius Rei confessionem: Neque etiam *certitudo physica*, quæ desumitur ab experientia sensuum, supponenda

venit apud Judicem, qui plerumque delicto non est præsens; & si præsens esset, falli nihilominus posset, ob quam fallentiam nec etiam in testibus reperiri valet; ergo æstimanda est *certitudo moralis* à tanta, ut de criminis admissione non liceat dubitare, ex indiciis indubitatis seu violentissimis præsumptionibus *moralem certitudinem* inducentibus, ut ad rem doctè animadvertit *Francisc. Schmier in Jurisprud. Canon. Civil. libro 2. capit. 8. tractat. 3. section. 2. §. primo num. 41. 48. & seqq. tom. 2.* ubi quoque sub hac morali certitudine testes, & Rei confessionem his verbis comprehendit -- *Qui confessus, aut tribus, vel quatuor testibus est de crimine convictus, potest ordinario supplicio puniri secundum omnes; sed neque confessio neque depositio testium facit aliam certitudinem, quam moralem; accidere namque potest, & interdum solet, ut confessio sit elicita ex metu, depositio testium vero corrupta sit, & subornata; ergo moralis certitudo potest efficere, ut ordinario supplicio quis puniatur.* Hinc refert, quod ex violentis præsumptionibus, seu indiciis indubitatis facultas Salisburgensis probavit ad mortis ordinariam pœnam procedi posse; vel potuisse contra Interfectores S. Fidelis Sigmaringani ex ordine Capucinorum.

47 Et cum hac certitudine morali *Bosso* respondet Hyeron. *Basilic. decis. crimin. 1. n. 28.* -- *Neque dicas* (sunt ejus verba), *quod posito quocumque indicio indubitato, poterit aliter res habere, ex Bossio &c., nam respondetur, quod etiam in casu depositionis testium omni exceptione majorum, vel ex malitia, & obstinatione, vel ex ipsorum deceptione, etiam in casu confessioni ipsius Rei in tormentis factæ, aliter veritas poterit haberi, ex Textu, in l. 1. ff. de quæstion., & tamen in istis casibus habebitur certitudo moralis, & Judex prudentialiter, & ex Justitia ageret, hæc per Reos debitis pœnis coercendo, ita etiam dicendum est in indiciis indubitatis, quod etsi aliter Veritas se habere possit, tamen, ex quo ex indiciis ita se habere debuisset, ut prima facie apparet; idcirco secundum ipsa judicandum est, & non secundum rei veritatem, quæ soli Deo nota est; nulla enim res est, quæ aliter se habere non possit, adeo enim a natura compositi sumus, ut quæ certissima apparent, nos, nostrosque sensus fallant; remum fractum videmus in mari, colores in octagono, Irides in Cœlo, & his similia, quæ tamen diversa sunt ut videmus, & existimamus*, & magis specifice, & exemplificando, præcedenter probat *nu. 24. & 25.*

48 Quam tamen certitudinem moralem ita ad rem explicat *Petrus Maria Passerin. in praxi criminal. qu. 18. artic. 2. num. 28.*, -- *Et omnino advertere, quod licet ad justum judicium requirantur* CERTITUDO MORALIS, *cui potest subesse falsum, tamen non ex hoc requiritur, quod sola opinio, seu suspicio delicti sufficiat ad damnandum Reum; necesse igitur, quod Judex, vel ex statuto legis decernentis indicium aliquod habendum esse pro indubitato, vel ex natura rei, & circumstantiis inducat certitudinem talem, quæ in agibilibus, & moraliter excludat titubationem, & suspicionem contrarii, quod si indicium hoc præstat, non fundat præsumptionem, sed moralem scientiam, & in hoc sensu verum est, quod ex indiciis indubitatis, potest Reus saltem aliquando damnari in pœnam ordinariam*, idcirco *num. 3.* subdit quod indicia seu præsumptiones, quæ non sunt nisi opiniones probabiles admittentes titubationem, & formidinem oppositi, etiam si ista, seu istæ sint centum millia milionum, nunquam possunt inducere scientiam, & indicium certum, quia ex incerto non componitur, & colligitur certum, & tota collectio præsumptionum, est collectio actuum incertorum; & magis explicat *in qu. 25. articul. 2. num. 5. & seqq.*, & *in quæst. 29. num. 9. versic. quod quando*.

49 De hac propterea *certitudine morali* latissime loquitur *Hyppolit. Grassett. de neg. prodit. §. 29. post num. 210. & seqq.*, & *num. 217.* ubi quod indubitatio indicii ad *rem moralem* desumi non debet ex necessitate objecti ad sic se habendum, prout apprehenditur, sed ex necessitate intellectus, ita debentis apprehendere, quia regulariter, & communiter inter homines sic se habet ipsum objectum; cum quo tamen stat, ut aliquando, quamvis rarissime, aliter se habeat; & *num. 220.* describit certitudinem moralem, quam deinde *in num. 231.* in tres gradus distinguit, nempe *summum*, *medium*, & *infimum*, & pro indubitatis dicit sufficere *gradum medium certitudinis* moralis; & ad rem congruunt verba divi *Thomæ 2. 2. q. 70. artic.* -- ibi *In actibus enim humanis, super quibus constituuntur Judicia, & exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt contingentia, & variabilia; & ideo sufficit probabilis certitudo, quæ ut in pluribus veritatem attingat, & sic in paucioribus a veritate deficiat*.

50 De hac certitudine loquens *Francisc. Mirad. in animadv. ad observ. 234. post num. 7.* inquit, quod indicia indubitata sunt illa, ex quibus Judicis intellectus quiescit, & adæquatus remanet, Reum commisisse delictum; quemadmodum contingit in studendo aliquo articulo Juris, de quo controvertitur, in quo dicimus veritatem fuisse compertam, quando pacatus remanet animus super illo puncto absque aliqua vacillatione, & allegat *Tasson. de antepbat.*, ubi exclamat, quod Deus Optimus Maximus permittat in hoc habere Judices mites, & temperatos, & non sitientes humanum sanguinem: nec non *Farin. q. 86. num. 52.* ubi advertit Judices, ne abutentur hoc arbitrio, ne damnent eorum animam in perpetuum.

51 Hinc in vim dicti Chirographi Judices adimere debent ab eorum animo omnem hæsitationem tanquam Viri boni, æqui, non autem ex propria inclinatione, aut cervice, habita consideratione ad indicia, probationes, circumstantias, ac omnia alia ex processu prodeuntia, ex quibus regulare debet animum suum; consideratis omnibus, etiam minutissimis circumstantiis, tum contra, tum favore, Rei juxta sensum Textus *in l. milites § oportet C. de quæstion.* & *in l. quicumque C. de requir. Reis*, etenim ubi de vita hominis agitur, caute agendum erit, non enim in Processu, & caussis criminalibus, signanter capitalibus, agitur de glande legenda, non de calce fodienda, non de partibus lucri, & societatis contractus, non de testamentariis tabulis, neque de tritico, aut oleo legato, sed de fortuna, fama, & sanguine hominis, quibus nihil est in orbe Terrarum præstantius, *Marsil. in pract. crimin. §. decurionem num. 3.*, *Carpzov. in pract. crimin. qu. 116. num. 20* meliusque vitam, & sanguinem hominis intactum servare, quam post vulneratam, imo mortuam causam, remedium frustra suppeditare, *l. final. C. in quib. caussis restit. necess. non est. Corbin. respons. 7. num. 116. & seqq. tom. primo*, & memores sint illud Domitii Ulpiani esto Gentilis, & a pietate Chri-

 stia-

stiana alieni, *in l. absentem ff. de pœnis* -- *Sanctius est Nocentem absolvere, quam Innocentem damnare*, Principi namque & Judici non minus turpia videri debent supplicia, quam Medico vulnera, inquit *Senec. 1. de clement.* & suppliciis invigilare hostium est, *Isocr. in Areopag.* allegatus ab *Arnisa. in politic. libro primo cap. 16. de magistrat. fol. 371. Reinking. de regimin. Secul. & Ecclesiast. libro 2. class. 2. cap. 6. num. 5. & seqq.* quibus additur, quod lex, quo ad fieri potest, abhorret a pœna mortis, cum ejus scopus sit conservatio Reipublicæ, & individuorum in Republica, argum. *l. 1. & ff. de legibus Harprect. in §. hac actio 12. num. 7. Instit. de injur. tom. 4. fol. 289.*

52 Insuper quo ad credulitatem Judicis hanc excogitavit distinctionem doctus *Petrus Barbosa Lusitanus in comment. l. 2. in princ. num. 89. & 90. ff. solut. matrim. tom. 1.* -- Inquiens, quod credere aliquid firmiter, potest duobus modis verificari, *Primo* quando credo quid ita esse absque aliqua hæsitatione actuali, sed tamen cum aliqua hæsitatione virtuali, ita ut si aliquis me interrogaret, utrum illud habeam pro indubitato, vel quod existimem illud posse non esse verum, verisimiliter responderem, quod forsitan non erit verum, sed pro nunc credo firmiter ita verum esse; *Secundo*, quando credulitas est ita firma, ut neque actualem, neque virtualem habeam hæsitationem, seu dubitationem, ita ut si quis me interrogaret, responderem, illud esse verissimum, neque alicui dubitationi locum esse relictum, quæ credulitas dicitur assertiva apud *Cajetan. 2. 2. qu. 60. artic. 3. Navar. in rubric. de Judic. num. 50.*; ex qua distinctione inde idem *Petrus Barbos.* subdit, quod si simus in delictis, quæ occulto committuntur, ex prima specie credulitatis potest procedi ad pœnam ordinariam, quia attenta materia illa, indicia censentur indubitata, quamvis in aliis delictis talia non censerentur; rationem addit, quod quamvis Judex habeat in delictis occultis credulitatem cum aliqua hæsitatione, debet tamen deponere hæsitationem, conformando se cum Juris dispositione, quæ in hujusmodi delictis præsumptiones urgentes jubet reputari pro plena probatione, juxta Text. *in cap. præterea de testib. cap. litteris de præsumpt.*, *l. non omnis §. a Barbaris ff. de re milit.*, *Bald. in l. quicumque num. 25. Cod. de servis fugitiv.*, *Hostiens. in summ. decretal. titul. de filiis Præsbyter. post nu. 1. Angel. consil. 218. num. 7. Cassador. decis. 7. de dol. & contum.*; In aliis autem delictis non sufficit prædicta credulitas, quia tunc illa indicia non debent censeri indubitata, cum aliqua adsit hæsitatio saltem virtualis.

53 Rursus in comprobationem distinctionis prædictæ animadvertendum est, quod in exemplis indiciorum indubitatorum positis per *Joann. Andream in addit. ad Specul. in titul. de probat. §. videndum restat litter. E.*, *Abbatem Panormit. in cap. tertio loco num. 9. de probat. Bartol. in l. final. num. 5. ff. de quæstion.*, *Paridem de Puteo de Syndicat. verba tortura cap. 1. num. 2. & seqq.*, *& Carrer. in tract. crimin. §. Indicium num. 2. & seqq. fol. 43.*, nec non per alios Doctores larga manu relatos per dictum *Carrer. in d. num. 2.* (quorum præcipuos supra retuli), semper subest aliqua sollicita dubitatio, utrum per illa indicia plene, & perfecte censeatur probatum delictum, saltem quoad effectum imponendi pœnam ordinariam, ut in specie tradunt *Albert. Gandin. de malefic. titul. de præsumption. & indic. post. num. 14.*, *Felin. in cap. afferte. numer. 10. de præsumpt.*, *Bossius de convict. num. 45.*, *Gregor. in leg. 26. tit. 1. Gloss. dubda part. 7. & Barbosa loc. citat. num. 90.*, ubi subdit, quod si propter indicia indubitata perducatur Judex *ad secundam speciem credulitatis* (nempe absque hæsitatione actuali, & virtuali) tunc in omnibus delictis posset procedi ad pœnam ordinariam, nisi dicta indicia, quæ urgebant propter probationes Rei debilitarentur, *ex Alexandro consil. 15. num. 2. libro 1.*; & hanc *Barbosæ distinctionem* amplexi sunt *Rovit. decis. 63.*, *Novar. super pragmat. 12. de officio Iudic. collect. 9. Capic. latr. decis. 163. tom. 2.*, *Hyeronim. de Leo decis. 125.*, & alii; sed adversus eam insurgit *Basilic. d. decis. 1. num. 5. & seqq.*, multis adductis rationibus, & tandem *num. 24. & seqq.*, firmat quod *impossibilitas moralis* aliter se rem habendi sufficit ad firmanda indicia indubitata, ut animus Judicis quiescat, licet *in realitate* veritas aliter se habere possit, ut præcedenter satis dictum est.

54 Non negarem tamen, quod juxta *Barbosæ distinctionem* major certitudo requiratur in delictis non occultis, eo quia in illis non tam difficilis est probatio, ut in clandestine admissis, in quibus ob impossibilitatem probationis, lex semper contenta est minoribus probationibus, eo magis si talia indicia sint a Jure approbata, exempla habebis in *l. si quis ff. ad leg. Jul. de adulter* ubi lex habet adulterium tanquam indubitatum, quoties præmissa per maritum monitione, ne quis cum Uxore loqueretur, eumdem cum Uxore colloquentem invenerit, in l. *excipiuntur ff. ad Senat. consult. Syllan.* ubi ex quo servus cubuit ad pedes domini occisi, lex præsumit, ex quo tacuit, quod fuerit minister & particeps cædis domini, *in l. 34. C. ad leg. Iuliam de adulter* ubi de nuptias incestas contrahente post adulterii crimen proximitatis obtentu depulsum, & in *l. prima §. divus ff. ad leg. cornel. de sicar* ubi ex stricto gladio, & percussione indubitatum occidendi animum lex præsumit; idcirco inquit in his terminis Textus, *in leg. indicia C. de rei vindic.* quod indicia, quæ Jure non respuuntur non minorem, quam instrumenta continent fidem, sic apud *Dexar. decis. Sardin. 39.* Maritus qui cum Uxore cubuerat in eodem lecto, ea reperta mortua clauso ostio, cum nullus alius esset aditus, fuit morte animadversus.

55 De effectibus præsumptionum *Iuris* tantum, & *Iuris, & de Iure*, utrumque eorum effectum demonstrando docte & late agit Francisc. *Schmalzgraeber. de Jure Eccles. in univers. par. 2. tit. 23. num. 7. & seqq.* insuper *num. 5.* agit de triplici Indicio seu præsumptione hominis, distincto in *levi seu temerario*, *probabili seu discreto*, & *violente seu vehementissimo*, ac *num. 20.* concludit, quod si præsumptiones sint vehementissimæ, sive illæ sint Iuris, sive hominis, ortæ ex actibus delicto proximis, & huic ordinario semper connexis, *adeoque moraliter certis*, & *indubitatis* ex his in causis criminalibus ad pœnam ordinariam infligendam procedi potest a Judice, præsertim in criminibus occultis, & difficilis probationis, siquidem hujusmodi præsumptiones non minus quam testes constituunt plenam criminis probationem, cum *moralem ejusdem certitudinem* pariant, quæ debet sufficere, & non majorem pariunt depositiones duorum, vel trium testium, alias incestus, adulteria, & alia crimina occulta, vix unquam puniri ordinaria pœna possent, si hujus modi probationes non sufficerent ad condemnandum, cum aliter probari

bari non possent, adeoque frustra, & inutiliter statuta ipsis esset ordinaria pœna; idcirco. prælaudatus Auctor. *post. num.* 23. hoc monitum reliquit Judicibus — *Debet autem hic Judex quando ex præsumptionibus etiam violentis ad puniendum crimen procedit, caute dispicere ipsas circumstantias, & præsertim gravitatem criminis, nam quanto crimen est gravius, tanto ad condemnandum requiruntur fortiores, & vehementiores præsumptiones, quia cautius agendum est, ubi periculum majus vertitur: & in hunc sensum quoque conveniunt* Cardin. *Sfondrat de. leg. in præsumpt. Fundat. par.* 1. § 6. *num.* 3., *Konig. in lib.* 2. *decretal. tit.* 23. *de præsumption. n.* 23. *& ibi Wiest. num.* 24. *& seqq.*, & de præsumptionibus Hominis, quæ Judicis dicuntur, ex quibus desumi debeant, plura notabilia, tradit Emanuel *Gonzalez. Tellez. in librum.* 2. *decretal. titul.* 23. *in commentar. ad cap.* 2. *de præsumption. post. numer.* 12., *& seqq. tom.* 2.

56 Tandem monendi sunt Iudices, ne tam temere Iudiciis indubitatis ad capitale descendant supplicium dictandum, nimis confisi in *certitudine morali* ad eorum libitum percepta; siquidem temerarii sunt illi, qui probationis deficientiam ex propria credolitate supplere prætendunt, cum dominus Deus, qui omnia unico intuitu præsentia habet, de Sodomis judicium proferre noluerit, nisi descenderet, & videret; dixit enim — *Descendam, & videbo, utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint Genesis cap.* 18. *vers.* 21., quem locum allegat *Nicolaus de Lyra*, ut refert *Doring. tom. primo, Bibliot. Jurisconsultor. num.* 776., ut Homines ex hoc discerent, & videant, mundanum humanumque Judicium fallax esse; etenim cognitio veri, vel falsi fit ex rerum, repræsentatarum intellectui appenhensione, quæ phantasmata possint esse aut vera, aut falsa; omnes putant cognoscere bonum, verumque, sed persæpe decipiuntur specie recti: igitur protervi sunt, qui autumant se se nunquam decipi posse; Hinc *Calvinus*, & *Lutherus* decepti sunt, & Apostatæ omnes, qui falsa pro veris crediderunt, propterea hac de causa doctores omnes eum descendere cupiunt ad exemplificanda indicia indubitata, communiter inquiunt. *Hic labor, hoc opus*. Nam iuxta *Crusium. de indic. p.* 1. *cap.* 18. *num* 7. indicia non supplicii, sed quæstionis sunt principia, non pœnæ, sed tormentæ actus, ex quo de salute hominis agitur: merito *Rovit. decis.* 63. *nu.* 7. ait, quod propter incertitudinem cognoscendi quæ sint vera indicia indubitata, major Pars Tribunalium potius imponere elegerit extraordinariam animadversionem, quam ordinariam.

57 His, & aliis mature ponderatis per *Reg. Marcellum Marciani in suo oper. legal. posthum. tractat. de indic. delictor. in gener. cap.* 3. *num.* 10. Iudices hisce verbis admonet — *Caveant tamen Iudices, ne nimia facilitate admittant, quæ quandoque finguntur indicia, ipsosque leges nocentes faciant, cum calumniantibus favere compellent, quorum nefas, si Quintiliano declamat pro divite credimus, non potest nisi per Iudicum facinus imponere. Nullus unquam Innocens felix est, ut diligentia fingentium par sit, ac ubi legitimas probationes convincentia argumenta non habent, calumniæ genus est primum facile credidisse*; Nec Iudices quandoque terreat magnitudo criminis, ut facile ex hoc prorumpant, Indicia sufficientia esse, & indubitata, cum talia non sint; etenim criminis magnitudo non debet Innocentes ad supplicium ducere: igitur perbelle inquit præfatus Auctor *Crimini irascantur, non Reo eiusque partes diligenter rimentur, ne injusta neca læsæ Reipublicæ teneantur, ac dum verisimilibus mendaciis inconsulti credidere, ac turpius maleficii convincantur*.

58 Idcirco dixi, & repeto, quod valde proficuum Reipublicæ esset, ut in huiusmodi condemnationibus ad ordinariam supplicii capitalis pœnam, appellatio admitteretur in suspensivo (licet alias quo ad Reos confessos, & legitime per testes convictos ea denegata per statutum esset) aut saltem remedium aliquod adinveniretur, ut mandante *supremo Principe*, eadem indicia per aliud Tribunal Collegiale, vel per specialem Congregationem ad hoc deputatam denuo saltem per viam revisionis (si non per appellationem) discuterentur, ut magis exagitata, & discussa, veritas, & certitudo pateretur, juxta exemplum traditum in hac materia indiciorum indubitatorum, per *Sanfelic. decis.* 392. *post num.* 5. *tom.* 3., ut namque ait Amomian. Marcellin. libr 29. *De vita, & spiritu hominis, qui pars mundi est, & animantium numerum complet laturum sententiam diu multumque cunctari oportet, nec præcipiti studio, ubi factum irrevocabile est, agitari* —

59 Nec movent statuta, Constitutiones, seu alia specialia privilegia, signanter *Constitutio Leonis X.* appellationes in criminalibus prohibentia; etenim si tempus spectetur, quo tales Constitutiones promulgatæ fuere, tunc Rei ad Juris communis tramites ad supplicium non ducebantur, nisi liquido admissum crimen proprio ore faterentur, *ut supra dixi de appellat.*; Igitur, quod statutum Confessis, aut saltem per legitimos testes convictis appellationem denegans, ad formam, Textus *in l.* 2. *C. quorum appellat. non recip.*, extendi hac nostra tempestate debeat ad convictos per indicia indubitata, de quibus Statuentes nil penitus in mentem eo tempore habuerunt, imo firmam exist marunt, ex talibus indiciis ad capitale supplicium deveniendum minime fore, Religioni Judicantis libenter remitto; enim vero hoc unum est ex principiis legalibus, quod non quid dixerit, sed quid intellexerit legislator animadvertendũ est, argum. Text. *in l. in conditionibus* 19. *ff. de condit. & demonstrat. l.* 3. § *conditio ff. de adim. legat.*, *Carpzov part.* 3. *constit.* 3. *definit.* 16. *n.* 12., nec Voluntas legislatoris trahitur ad incogitata, addito etiam, quod in aliis dominiis signanter in Regno Neapolis, ubi ex allegata *Pragmatica* 12. *de offic. Judic.* Rei ex indiciis indubitatis damnantur ad capitale supplicium, appellatio per viam reclamationis admittitur, imo fieri debet relatio Regio Collaterali Consilio, ut testantur *Sanfelic. loc. citat. Thor. in compend. decis. verbo Sodomita part.* 3. *section.* 3. *& alii*.

60 Notandum, quod in crimine falsæ monetæ, (quod de Jure communi, & Bannimentorum generalium Urbis *cap.* 54. dicitur atrocissimum tum in modo procedendi ad tormenta, tum ad pœnam) secundum dispositionem eorumdem Bannimentorum generalium, *cap.* 53. *versic. Dichiarando*, hæc sequentia habentur tanquam indubitata ad convincendum Reos — *Si averanno per convinti ad effetto d'incorrere la pena sudetta ogni volta, che appresso di loro, o nelle loro abitazioni si troveranno l'Instrumenti sudetti con le monete false, ancorche queste non fossero perfezzionate, ma semplicemente gettate, & incominciate a battere, o gettare, a non ne avesse speso*

alcun

alcuna il delinquente, a cui non gioverà scusa alcuna, e molto meno quella, che potesse allegare d'essersi pentito, E similmente si averanno per convinti, se si trovaranno in casa, o appresso di loro le monete tosate con le tosature, e forbici atte, o le monete diminuite con acque forti, ovvero altri corrosivi &c.; & ita etiam dispositum reperitur in *Bannim. generalib. S. Consultæ cap. 56. versic. Inoltre* ibi -- *ritrovandosi in casa d'alcuno, o di lui abitazione o bottega, o altro luogo in qualunque modo ad essi spettante, gli Istromenti per gettare, o fabricar le monete false, e le monete fabricate, o gittate con detti Istromenti, saranno tali retentori d'Istromenti, e monete, giudicati come convinti di Fabricatori, e Monetarii falsi &c.; quando non vi concorressero circonstanze tali che muovessero l'animo di S. E. a giudicare diversamente*; taliter ut Indicium reperitionis Instrumentorum, & monetarum, quod de Jure communi inter dubitata numerabatur, & torturam transcendere non poterat ad tradita per *Honded. consil. 92. post n. 28. tom. 2.*, vigore dictorum Bannimentorum effectum est *indubitatum* sufficiens ad capitalem dictandam ultionem.

61 Verum, ut quis vigore *dictorum Bannimentorum* habeatur pro convicto, *ex reperitione Instrumentorum, & monetarum falsarum* (quæ *copulative*, & *non disjunctive* intelligi debent, ut aperte patet ex litera eorumdem Bannimentorum) oportet, dicta Bannimenta intelligere ad sensum Juris, nempe ut constet de mala qualitate, & fama Retinentis, & quod reperta Instrumenta ad aliud non sint apta, quam ad monetæ fabricationem; alias si apta etiam illa essent ad aliud opus licitum, talis reperitio non convinceret, sed potius Judicis animum dubium redderet, juxta tradita per *Boss. tractat. crimin. in titul. de falsa monet. num. 7. & seqq.*, *Guazzin. defens. 4. cap. 9 post num. 5. Vermigliol. consil. 218. num. 7. & consil. 219. n. 5. & Honded. d. consil. 92. post num. 28.*, *& Farin. qu. 115. nu. 124. & seqq.*, nisi evidenter appareret, quod monetæ repertæ, impressæ & fabricatæ fuissent cum iisdem Instrumentis, simul repertis; siquidem ex evidentia facti magis convincerentur, *cap. manifesta 2. quæst. 1.*, & multo minus convincerent, quando Is, penes quem fuerunt reperta, nominat Authorem, qui in illa domo ponere potuit, etiam si hoc non probet, juxta doctrinam *Farinac. consil. 175. num. 16. & seq. tom. 2. Vermigl. loc. cit., & Caball. resolut. crim. cas. 199. num. 12. & 21.*, ratio est, siquidem omnia illa requisita, quæ necessario concurrere debent ad sensum Juris communis, ad constituendam dictam reperitionem inter indicia ad torturam, eadem multo magis concurrere debent ad convincendum; etenim Bannimenta, hoc indicium extollendo ad lineam plenæ probationis, eo sensu accipienda sunt, ut concurrant, quæ de Jure requiruntur, ut talis reperitio indicium pareret, & sic complecti intrinsece necessaria, ad ponderata per *Bald. in l. leges n. 1. & 5. & in l. non dubium C. de legib.*, *Bartol. in l. de quibus num. 3. & seqq. ff. eod. tit.*, *& in l. Prætor. §. erit ff. de vi bonor. raptor. Hartman. Pistor. qu. 33. num. 1. libro 1.*; quid enim absurdius, quam ea non admittere ad convincendum, quæ, præclusis dictis Bannimentis, ad torquendum exoptarentur? Late *Joann. Octon. Tabor. in Thesaur. Iurisprud. lib. 10. cap. 10. §. 16.*, ubi lex nova disponens omnes declarationes Juris communis recipit.

62 *Quinto* requiritur, ut dispositio præfati Chirographi habeat locum, quod non *unum indicium indubitatum*, *sed plura saltem duo indubitata* concurrant, numero enim plurali, non singulari conceptum, & resolutum est dubium his verbis -- *An contra convictum indiciis indubitatis concludentibus per vece, e talisar &c.* atque ita sub hac pluralitate a Sanctissimo Domino Nostro approbatum; notissimum namque est, quod pluralis numerus saltem dualitatem requirit, nec uno contentatur, *cap. plurale 40. de regul. Iuris in 6. l. ubi numerus 12. ff. de testib.*, satis enim consideratum est; quam grave molestumque, indiciis quem ad capitale supplicium ducere, ideo pluralitas non narrative, sed dispositive pro forma posita est; siquidem duo, vel plura plus ponderis habent, facilius aliquid operantur; & magis ab animo Judicis omnem rationabilem hæsitationem adimunt, quod res aliter se habere potuerit, quam unum, ad Textum *in authent. cessante C. de legitim. hæred., cap. non potest 21. de prabend: in 6.*, *Regner. Sixtin. consil. Mar. tit. 9. nu. 10. & seqq.*, *libro 2. Vultei consil. 16. num. 55. & seqq. libro primo*; indubium quippe est, certitudinem facilius inveniri a pluribus, prout hæsitationem sæpe dari in uno, Textus *cap. final. distinct. 20.* & ibi *gloss. in verbo pluribus*; *Gaill. pract. observ. libro prim. observ. 33. num. 2. & seqq.*, propterea quia non æqualis viget ratio in singulari, ut in plurali, de pluralitate indiciorum Chirographum intelligendum est, ut verba ostendunt, *cap. ad audientiam 12. de decimis cap. porro de privileg. Wessembec. consil. 96. num. primo libro prim.*, atque hunc intellectum de pluralitate indiciorum indubitatorum habuit *Pragmat. 12. de Offic. Judic.* teste Blasio *Altimar. in addit. ad Rovit. observat. ad decis. 63. num. 12.* ibi -- *Observa: indicia indubitata ad effectum ut sit locus condemnationi, debere esse duo; nam unum non sufficit, tam quoad pœnam extraordinariam extra hoc Regnum, Menoch. &c. Farinac. &c. Guazz. &c. quam, quoad pœnam ordinariam in hoc Regno; per dictam Pragm., quæ cum loquatur per verbum plurale, plura indicia indubitata requirit*: consulto aliis omissis, qui allegari possent.

63 *Sexto requiritur*, quod prædicta Indicia indubitata sint legitime probata in genere suo; enim vero non sufficit, quod indicia indubitata adsint, sed omnino oportet, ut sint legitime probata, nam quælibet lex, seu statutum, cum quid requirit, illud legitime, & perfectum exoptat, ne absurda orirentur, ad Textum *in l. ut gradatim §. & si ff. de muner. & honor. gloss. in l. hujusmodi ff. de legat. primo Abb. in cap. Cumano notab. 9. de elect. Jason. in §. in personam Institut. de action.*, *Bertozol. in leg. si quis major num. 216. C. de transact. Angel. Aretin. in §. Jus civile Institut. de Justit., & Jur.* sic habet Indicium indubitatum a Majoritate rationis (eo quia agitur de magno præjudicio, ut est capitale supplicium) quod habet Indicium dubitatum; probandum per duos testes; convinci enim ita debet, ut sine calumnia non possit Reus delictum inficiari, *Altimar. in dicta observ. 63. post num. 12.*

64 Hinc testes non tantum duo esse debent, & contestes ad quodlibet indicium probandum, verum etiam idonei, & omni exceptione majores, ut exceptionem nec minimam in eorum Personas, seu dicta patiantur, esto quod ageretur de delictis atrocissimis, & difficilis probationis, juxta doctrinam *Gloss. in l. final. verbo Vel iudicii: C. famil. ercisc., & ibi Bartol., Bald., Angel., & Salicet. in cap. 1. verbo majores de consanguin. & affinit., & in §. item verborum verbo idoneos de inutil. stipul.*, *Bald. in l. si quis ex argentariis §. 1. num. 3. & seqq. ff. de eden-*

edend., sicuti unus testis, qui deponeret vidisse Sejum egredientem è domo, vel loco, ubi crimen admissum est, cum gladio cruento, & pallidum, indicium indubitatum non perfecte probaret ob rationem superius expressam, quod duo esse debent testes ad quodlibet indicium probandum.

65 Crescit argumentum, siquidem quemadmodum ex depositione etiam *unius testis* deponentis *de visu immediato*, vidisse nempe Sejum vulnerantem Cajum, vel testificantem de auditu proprio audivisse Sempronium mandantem Sejo, ut Cajum interficeret, non oritur indicium indubitatum, sed tantum dubitatum, seu semiplena probatio, ex qua Doctores indicium desumunt ad torturam solum sufficiens, ex *late traditis per Farin. qu. 37. num. 54. & seqq.*, ubi quoque magis explicat, tunc haberi dictum indicium ad torturam ex dicto illius, quoties omni exceptione major esset, absque aliqua prorsus macula, & invulnerabilis, *Guazzin. d. sens. 30. cap. 30. nu. 2.*, *Idem Farin. quæst. 36. num. 225.* Ita majori suggerente ratione nec minus haberi potest indicium indubitatum ex dicto unius testis dicentis vidisse Sejum e loco delicti egredientem cum gladio cruento, enim vero inficiari nequit, quod major probatio insurgit ex dicto testis, qui delinquentem admittere crimen vidit, quam ex dicto illius, qui tantum de probabili signo admissi sceleris testificatur, quia nempe cum gladio cruento fugisse e loco delicti viderit, proinde absurdissimum esset, quod unius testis minus probans, uti minime deponens de visu immediato, sed de circumstantiis proximis ad crimen, majoris ponderis esse deberet, ad efformandum indubitatum, & plus quam testis de immediato visu testificans, qui hanc præeminentiam haud habet, ut ejus dictum inter indubitata numerari posset, quandoquidem primæva Juris elementa Nos edocent, a majori ratione, minorem undique elidi, *ad Textum in cap. quod in dubiis de consecr. Eccles. in cap. 1. eod. titul. in 6. in l. si debitori ff. de fidejuss.*, *& in l. cui pacto 5. ff. de servis exportand.*, enim vero si id de quo magis videtur inesse non inest, nec etiam id de quo minus, *cap. licet univers.*, *& ibi glossa de testib.*, quod namque non licet majori non licet minori, *cap. si ergo*, *& ibi Glossa 8. qu. 1.* cum similibus.

66 Et quamvis Doctores in terminis torturæ supponant, quod testes singulares, quando sunt ultra duos, sunt omni exceptione majores, & deponunt de tribus indiciis valde proximis delicto, non remotis, & ad eumdem finem tendentibus, ut quia *unus* deponat vidisse Titium in Terra jacentem, qui asserit fuisse vulneratum a Sejo; *alius* deponat vidisse Sejum cum gladio Sanguinolento Fugientem, *& tertius* vidisse Sejum in nemus se abscondentem, & similia; conjungi possint, ut Reus torturæ subjici posset, ut videre est apud *Farin. qu. 37. post. n. 37.*, *Guazzin. defens. 30. cap. 32. num. 1.*, *& Caren. de offic. S. Inquis. part. 3. titul. 10. num. 26.*, nihilhominus, hæc extendenda minime videntur, ut efformari possit indicium indubitatum, ad effectum pœnam mortis ordinariæ dictandi ex indiciis indubitatis; nam valde inter se differunt, & distinguntur indicia, quæ ad torturam sufficere debent, & indicia indubitata ad condemnandum in pœnam ordinariam; enim *ad torturam* indicia sufficiunt, quæ sunt verisimilia, & probabilia, quæque Reum reddunt suspectum, *ad Textum in leg. prima §. 1. in leg. 18. §. 1. & 2. & leg. final. ff. de quæst. in leg. 3. & in leg. milites §. oportet Cod. eod. titul. Bocer. de indic. & tortur. cap. 3. num. 7. versic. Ad hæc fol. 89.* ad condemnandum autem signanter ad capitale supplicium, indicia non debent esse tantum verisimilia, & probabilia, quæ Reum suspectum reddant, & Judicis animum moveant ad aliquid credendum, vel discredendum juxta terminos *Textus in leg. probatur 7. ff. de probat.* sed indubitata, taliter ut omnem hæsitationem rationabilem ab animo Judicis adimant, quod res aliter se habere poturrit, & sic debent esse certa, & luce clariora, juxta Textum *in leg. indicia certa 19. C. de rei vindic.* prout optime distinguit Idem *Henric. Bocer. in dicto capit. 3. post. num. 16. fol. 110.*

67 Quod magis patet *ex duobus aliis* summopere intuendis, *unum*, quod iidem prælaudati Doctores, qui dictam conjunctionem quo ad torturam restrictive admittunt, super addendo quod quando Iudex devenire intendit ad torturam inferendam ex dictis indiciis probatis per testes singulares, qui sunt ultra duos, & omni exceptione majores, debet maxime temperare arbitrium suum, & Reum valde moderate torquere, cum deveniat ad actum maxime præjudicialem, ex probatione privilegiata, ut videre est apud *Giurb. consil. 87. n. 30.*, *Guazz. loc. citat. num. 1. vers. & isto casu*, *& Carena dicto titul. 10. num. 27.* manifeste indicant, hanc conjunctionem neutiquam permittendam esse in indubitatis ad condemnandum in mortis pœnam, cum vix sufficiat ad moderatam quæstionem: *Alterum* vero, quod idem Chirographum hanc conjunctionem etiam in fortioribus terminis abhorruit, siquidem proposito *Quarto dubio* an concurrentibus duabus semiplenis probationibus (suppositis unaquaque in genere suo perfectis) possint hæ simul conjungi ad pœnam ordinariam responsum fuit negative; id circo si ex duplici probatione semi plena in se perfecta, quam supponamus in unico teste omni exceptione majore de visu, vel auditu proprio immediato deponente, & in confessione extrajudiciali Inquisiti legitimis formis probata, neutiquam permissum est ad sensum præfati Chirographi indubitatum desumere ad pœnam ordinariam dictandum; multoque minus talis conjunctio toleranda est in aliis indiciis quorum unumquodque semiplenam non efformat, imperfecte probatis, aut deficientibus insubstantia probationis.

68 Imo in vim dictæ *Quartæ resolutionis* omnino requiritur, ut indicia indubitata suapte natura sint talia, quodque sint ex numero illorum *indubitatorum*, de quibus loquuntur Doctores; aut in numero illarum præsumptionum vehementissimarum, quæ *Juris*, *& de Jure* vocantur, non autem artificialiter per conjunctionem indiciorum ita efformata, siquidem etsi Doctores in puncto Juris communis, & quo ad infligendum extraordinariam tantum animadversionem conveniant, quod plura indicia dubitata conjugantur ad faciendum unum indicium indubitatum sufficiens ad condemnandum in extraordinariam pecuniariam, dummodo indicia dubitata non sint remota, & levia, sed sint gravia, & valde proxima, exemplificando duas semiplenas probationes, nempe si concurrat unus testis de visu, duo de confessione extrajudiciali, vel confessio habita in tortura, inde revocata, ut patet ex deductis per *Farinac. q. 36. num. 41. & q. 80. num. 49. & seqq. Guazzin. defens. 33. cap. 15. post. num. 3.*, *& Grasset. de nece prodit. §. 29. num. 194.* attamen Chirographum in vim dictæ *quartæ resolutiones* hanc conjunctionem etiam in duabus *semiplenis probationibus* abhorruit

ad

ad effectum ordinariam mortis pœnam dictandam, taliter ut ea, quæ de Jure jungi poterant quo ad extraordinariam, hac nostra tempestate vi ejusdem Chirographi jungi nullo pacto queunt ad capitale supplicium dictandum.

69 Hinc argumento a majoritate rationis additur, quod si nequeunt jungi duæ semiplenæ probationes, multoque minus jungi possunt ad efformandũ indubitatũ indicia illa, quæ sunt imperfecta in substantia Judicii, ut sunt *fama, inimicitia, minæ, fuga, & similia*, quorum unumquodque ex se non facit indicium ad torturam, esto quod essent perfecta in substantia probationis, idest unumquodque in suo genere perfecte probatum per duos testes habiles, & idoneos, esset, siquidem licere non debet in minoribus indiciis quod in majoribus ab eodem Chirographo minime conceditur, imo improbatur, ad Textum *in d. cap. si ergo 8. q. 1. & in cap. si Paulus 32. q. 5. & utrobique gl. ssa cap. licet universis, & ibi gloss. de testibus in l. 1. C. de negot. gest.*

70 Movet insuper alia ratio: etenim improportionabile esset, ut plura indicia dubitata in unum indubitatum coacerventur ad infligendam mortis pœnam cum indicia dubitata aliud non sint, nisi præsumptiones fortiter moventes animum ad aliquid credendum, vel discredendum, taliter ut non constituant indubitatam, sed dubiam credulitatem. Ad removendam namque omnem rationabilem hæsitationem ab animo Judicis indicia debent esse urgentissima, & indubitata, quod aliter res se haberi non poterit, prorsus his seclusis, quæ dubiam habent credulitatem; nam diligentius debet fieri examinatio ubi de hominis salute tractatur, juxta Textum in *leg. qui sententiam C. de pœnis & in l. ad dictos C. de appellat*, agitur hac de causa, etiam semiplenarum probationum conjunctio improbata extitit a dicto Chirographo, ne dubitationibus locus daretur in re tam ardua.

71 *Septimo intuendo delinquentes*, inter superius expressa requisita, hoc etiam addi potest, ut delicta contenta in dicto Chirographo patrata minime fuerint a Muliere, vel minore, siquidem tam Mulier, quam minor, minime comprehenduntur in statutis, Constitutionibus Bannimentis, aut Chirographis pœnalibus, nisi de illis fiat expressio, & individualis mentio, quæ tamen facta non legitur in dicto Chirographo; nec ad id probandum necessariũ videtur ad Doctorum auctoritates recurrere: Nam quoad Mulierem extat decisio recens non fuisse comprehensam in constitut. *S. M. Clemen. XII. incip. In supremo Iustitiæ &c.* taliter ut necessarium fuit, expressim declarare, ut in posterum Mulieres in dicta constitutione comprehenderentur, quam declarationem refert per extensum *Practic. Martini fol. 381. in secunda edit*, & habetur *etiam in hac 2. Par. fol.* 273. prout etiam de anno 1745. decisum fuit a Sacra Consulta non esse comprehensas in Bannimentis generalibus S. Consultæ, Quoad minores, pariter certum est, eos non comprehendi in statutis, & Bannimentis pœnalibus, nisi expresse, & individualiter de illis facta fuerit mentio juxta doctrinam *Bald. in auth nisi triennali C. de bon. matern. & in l. clarum C. de author. præstand Anchar. quæst. forens q. 39. num. 9. libro 2. Roman. singul. 816. Ferret. de gabel., num. 536. versic. quod est limitandum, Bonacoss. verbo minor libro 2. Piag. de consuet. q. 8. num. 91, & seqq.* Nam est communis Doctorum sententia minores non comprehendi in illis statutis, seu constitutionibus pœnalibus, aliquod disponentibus contra Jus commune, ad late tradita per *Francisc. Baron. in tractat. de effectib. minor. ætat. effect. 13. num. 103. & seqq., & Vincent. Carot. in tractat. de minor. in delict. excus. q. 49.*

72 Item non comprehenduntur, *Clerici, aliæque Personæ Ecclesiasticæ & Regulares*, quia de illis nec minus expressa mentio fit, & sub generalitate verborum non continentur, ob rationes docte, & late traditas *per Massin. in tractat. de confiscat. Bonor. quæst. 2. nu. 43. & seqq.*, cum enim Chirographum prædictum sit correctorium Juris communis, & pœnale, restringendum proinde est, & strictissime interpetrandum, ut Ecclesiasticos de quibus, non loquitur minime comprehendat, ut in simili Bulla docent *Cirtar. de pœn. Innoc. artic. 3. num. 555., Farinacc. consil. 65. num. 132., Vermigliol. consil. crimin. 115. num. 2., Cobel. ad Bull Boni Regimin. cap. 2. num. 14. & seqq.*; Quoties enim Summus Pontifex aliquam legem, vel constitutionem facit tanquam Rex, & dominus temporalis, tunc illa non comprehendit Clericos, vel Personas Ecclesiasticas, secus vero si tanquam Supremus Episcopus, Caput, & Moderator Ecclesiæ, juxta duplicem Personarum distinctionem in ipso Papa concurrentem, quam post *Textum in cap. cum inter il 1. de elect.* animadvertunt *Cobell., loc. citat. Massin. in dicta quæst. 2. num. 43. & seqq. ubi num. 45. declarat Cardin. de Luca de Jurisd. discurs. 68. num. 3. & seqq., & de Relat. Curiæ discurs. 2. num. 12. & seqq., & de Feudis discurs. 93 num. 5. & seqq. Pucian. de locat. cap. 63 num. 70. & seqq., & Rocca select. disput. cap. 160. num. 10. & seqq.*

73 Quod dictum est *de Mulieribus*, limita in Urbe ejusque districtu: Nam quamvis Mulieres in præfato Chirographo non comprehendantur; de illis tamen fit expressa mentio in novissimis Bannimentis Generalibus Urbis ejusque districtus promulgatis de anno 17.., nempe *in proœmio dictorum Bannimentorum*. *Indeque* quæ Bannimenta *in cap.* 155., revocant dispositionem ejusdem Chirographi, quò ad convictos per indicia indubitata, imo ultra *delicta atrocissima & homicidia appensata*, comprehensa in eodem Chirographo, juxta superius dicta *num.* 11. & 13, superaddunt etiam, quod per indicia indubitata convincantur etiam ad effectum incurrendi pœnam ordinariam, *li Rei di cedole false* (sunt verba Bannimentorum (*del Sagro Monte della Pietà, e del Banco di San Spirito*, verum hoc tantum procedit in Urbe ejusque districtu, & non ultra.

74 Item quo ad *Minores* extat explicatio in dictis Bannimentis, quod comprehenduntur omnes, qui annum vigesimum excesserint, licet sint minores 25. annorum, ut statutum est in proœm. eorumdem *Bannim. in §. dichiarando*; idcirco attendi debet ætas statutaria, non vero ea, quæ de Jure communi descendit. Insuper animadvertendum est, juxta tradita *in subsect. 4. num. 12. & seqq.*, quod licet delinquentes in dictis criminibus convinci possint per indicia indubitata, hoc tamen intelligitur, quo ad liquidationem delinquentis; etenim quo ad qualitatem, quæ crimen aggravat, & qualificat, ea plene probari debet ad tramites Juris communis, & non per indicia, ne contra Jus commune multiplicarentur specialia.

75 Pro complemento quæritur *an mandantes, consulentes, instigantes, auxilium præstantes, sive aliter complices in præfatis delictis*, comprehendantur sub dispositione dicti Chirographi? Et affirmative

tive respondendum videtur, *quo ad homicidia appensata, & delicta atrocissima* in Chirographo expressa, siquidem illud non loquitur de persona facientis; nec utitur verbis *Qui patraverit, commiserit &c.*, sed de re, nempe *in delictis atrocissimis, & homicidiis appensatis*. Quo vero ad fures famosos, quia loquitur *de persona* utique *Complices, Participes, & Auxiliatores* non comprehendit, ita distinguendo docent, *Bartol. in l. si Is, qui pro Emptore num. 61. ff. de usucap., & ibi Jason. numer. 382., in l. sed & si unius §. Servus num. 2. & seqq. ff. de injur., & in l. aut qui aliter §. final. numer. 3. ff., quod vi aut clam., Bald. in l. omnes Populi num. 32. & seqq ff. de Justit. & Jur.; Angel. in l. si per alium num. 1. ff. ne quis eum, qui: Abbas in cap. Mulieres num. 9. de sent. excom. Dec. in l. Is, qui damnum num. 2. & seqq. ff. de regul. Jur. Afflict. in constit. Regn. incip. cos, qui scienter numer. 21. & seqq., Carrer. in tract. crimin. titul. de homicidiis §. circa tertium num. 25. & seqq., Monticell. in regul. crimin. regul. 7. num. 184.*, & de communi post alios Magnus Criminalista *Clarus in pract. crimin. quæst. 89. num. 2.*, ubi quod *ab opinione Bartol.*, non est recedendum in judicando, & consulendo inquit.

76 Hinc ob eamdem rationem, quia Bannimenta generalia Urbis *in cap. 155.* extendendo, seu ampliando dictum Chirographum -- *Alli Rei di cedole false del Sagro Monte di Pietà, e del Banco di San Spirito*, loquuntur de *Persona Reorum*, & non de re minime comprehendere videntur Participes Auxiliatores, seu alio modo Complices; At quia præcedenter in *cap. 91. § dichiara* eadem Bannimenta ita se habent -- *Dichiara inoltre per ordine espresso avuto in voce dalla Santità di Nostro Signore, che rispetto a i fabricatori delle Cedole false, e quelli, che vi presteranno ajuto cooperativo, non solo il delitto sarà riputato atrocissimo, ma vuole inoltre, che resti compreso nel Chirografo fatto da Sua Santità rispetto a i Convinti di modo tale, che quando l'indizij siano così urgenti, che non rimangha alcuna esitazione nella mente del Giudice, debbano come Convinti Condannarsi alla pena ordinaria*, sumus extra quæstionem; probari tamen plene, & concludenter debet *qualitas, quod auxilium cooperativum præstiterint*, alias dicta dispositio locum habere non posset, juxta tradita *in subsect. 4. num. 12 & seqq.*

APPENDIX PRIMA.

AD OBSERV. XXIII.

SECTION. I.

QUoniam vero in *hac II. Par. fol. 275.* post Constitutionem *S. M. Clement. XII. incip. In supremo Justitiæ solio*, omissa fuit *declaratio ejusdem Constitutionis*, quo ad Reos convictos; idcirco hic addendam censui.

Dichiaratione della Bolla circa il procedersi contro li Rei convinti d'ogni Delitto.

COnsiderandosi, che la malizia, e la temerità d'alcuni affidata sovra la credenza, che li De-

linquenti nõ si puniscono colla pena ordinaria, e condegna imposta dalle Leggi, Statuti, Constituzioni, Editti, o Bandi per qualunque eccesso, o delitto, che da loro si commettesse, ogni qual volta venendo in poter della Corte, non se ne rendono giudizialmente confessi; e perciò poco, o nulla apprezzando qualunque rigoroso sperimento legale, che per la naturale robustezza per lo più vilipendesi, & sprezzato ogni timore di Divina, & Umana legge si avanza a commettere continuamente qualsisia Reato; Quindi è, che Monsig. Illustrissimo, e Reverendissimo Marcellino Corio di Roma, e suo Distretto Governatore generale, e Vice-Camerlengo, volendo togliere dalle menti di ciascuno detta vana, e insussistente credulità, acciò col timore del meritato castigo impongasi qualche freno più forte alle sceleraggini, d'ordine espresso della Santità di Nostro Signore avuto coll'Oracolo della viva voce, dichiara, che colla pena ordinaria, e rigorosa, comminata, & imposta o dalla ragione commune Civile, e Canonica, o da Statuti, o dalle Costituzioni Apostoliche, Editti, o Bandi sì generali, che particolari per qualunque Delitto atroce, o atrocissimo sarà in avvenire punita ciascuna Persona di qualsisia stato, grado, e condizione menzionata, & individuata in quelli, tanto se sarà confessa, che convinta in Giudizio dalle prove richieste, e volute dal Diritto Civile, e Canonico, considerate però le qualità delle Persone, le circostanze de fatti, de tempi, e luoghi ad arbitrio di Sua Signoria Illustrissima, e suoi Giudici, senza che gli suffraghi qualunque supposta, o pretesa consuetudine, stilo, ed osservanza de Tribunali, che si potesse allegare in contrario.

Volendo Sua Signoria Illustrissima, che la presente Dichiarazione affissa, e publicata astringhi, ed obblighi ogn'uno, come se le fosse stata personalmente intimata.

Dato dal Palazzo della nostra solita Residenza questo dì 22. Giugno 1735.

M. Corio Governatore, e Vice-Camerlengo.

Bartolomeo Zannettini Notaro per la Carità

APPENDIX SECUNDA.

USque adeo diximus de præeminentia Supremorum Tribunalium damnandi Reos convictos indiciis indubitatis ad pœnam ordinariam in delictis in prælaudato Chirographo expressis, & quamvis præeminentia hæc non extendatur ad Barones, Status Ecclesiastici, eorumque Baronales Curias; habentes tamen iidem Barones, Jurisdictionem cum mero & mixto Imperio, omissa tortura, * possunt
damnare Reos ad pœnas extraordinarias, quoties iidem Rei in negativa persistentes, præmerentur indiciis ultra torturam, ut patet ex sequenti *altero Chirographo ejusdem Sanctissimi Domini Nostri Benedicti Papæ XIV. Feliciter Regnantis*, summopere vigilantis pro totius Reipublicæ Urbis, & Orbis tranquillitate.

CLEMENS ARGENVILLIERES.

Sacræ Consistorialis Aulæ Advocatus, utriusque Signaturæ Referendarius, necnon SS. D. N. PAPÆ Prælatus Domesticus, & Auditor, Judexque Commissarius specialiter electus, ac deputatus (nunc S. R. E. Cardinalis Amplissimus.)

CUM SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER BENEDICTUS DIVINA PROVIDENTIA PAPA XIV. Supplicationibus Illustrissimorum, & Excellentissimorum DD. Romanorum, & Status Ecclesiastici Baronum benigne inclinatus, Chirographum manu SANCTITATIS SUÆ die 14. currentis Mensis subsignatum, Nobis pro executione in eo contentorum direxerit tenoris sequentis, videlicet.

MONSIGNOR CLEMENTE ARGENVILLIERES Nostro Uditore. Essendoci stato rappresentato per parte de' Baroni Romani, e del Nostro Stato Ecclesiastico, che in occasione, che Eustachio Mari era stato condannato dalla Curia Baronale di Monticelli alla pena d'anni sette di Galera per delitto d'Abigeato, del quale non era ne confesso, ne convinto, ma però era indiziato con indizi veementi, e maggiori di quelli, che si richieggono per la Tortura: La Congregazione, che presiede alle Consulte del Nostro Stato temporale, sebbene aveva riconosciuto la detta Sentenza per giusta, tuttavia senza interpellare ne il Barone di Monticelli, ne alcun altro de' Baroni a dedurre le loro ragioni, aveva giudicato, che la medesima Sentenza fosse nulla per mancanza di facoltà, e Giurisdizione; e perciò con aggravio di tutto il Baronaggio, aveva rimessa la Causa a Monsignor Governatore di questa nostra Città di Roma -- *Qui prævia circumscriptione Sententiæ Baronalis, condemnet, & transmittat ad Triremes per septennium Eustachium Mari: Et ad D. Secretarium cum Auditore Baronis, qui se abstineat a condemnando simpliciter ex Indiciis: Et communicetur circulariter resolutio omnibus Auditoribus Baronum, qui tamen recurrant in casibus particularibus pro habendis necessariis facultatibus* -- Credemmo per tanto Uffizio di buon Prencipe esaminare NOI stessi una tal controversia, che tanto interessava il Corpo più Illustre di detto Nostro Stato; E perciò sentite nella Segnatura di Grazia tenuta avanti di NOI il giorno 19. Luglio le ragioni addotte, tanto in scritto, che in voce, non meno dalli sudetti Baroni, che dal Procuratore Generale, e dall' Avvocato del Fisco, e della nostra Camera Apostolica, e quelle attentamente esaminate, anche con vedere, e ricontrare da NOI stessi le diverse opinioni de' Dottori, che in gran numero si allegavano per l'una e l'altra Parte, conobbimo facilmente, che quantunque ne alli Giudici Ordinari, ne a i Baroni sia lecito condannare alcun Reo non convinto, ne confesso, alla pena ordinaria, essendo cio riservato al solo Prencipe Supremo, o a quelli magistrati, a i quali dal Prencipe Supremo è stata in alcuni certi casi communicata quella Potestà, che chiamasi Economica; Tuttavia secondo il sentimento più commune, e più ricevuto de' Dottori è lecito ad ogni Giudice ordinario, e molto più a i Baroni, quali nelle loro Terre, o a titolo d'Investitura, o per altro legitimo titolo godono del mero, e misto Impero, condannare li Rei negativi, e non convinti, a pena straordinaria, quando sono gravati d'indizi veementi, e maggiori della Tortura; anzi esser talvolta più espediente per il ben publico, che tralasciata la Tortura, sieno tali Rei condannati a pena straordinaria; Onde formato questo punto, nel quale finalmente convenne anche lo stesso Fisco, altro non rimaneva a decidere, che l'articolo subalterno circa la qualità di detta pena straordinaria, quale il Fisco pretendeva dovesse essere o pecuniaria, o di semplice Esilio, o al più di tre Tratti di corda. Ma considerando NOI, che ristringendosi la facoltà de' Baroni a pene così leggiere, la pena straordinaria non avrebbe per lo più corrisposto nè al titolo del delitto, ne alla gravità degl' Indizi, e che con danno grandissimo della quiete, e tranquillità publica sarebbesi in poco tempo riempito lo Stato di Uomini malvaggi, e facinorosi, non potemmo, che lodare, ed approvare la consuetudine, e prattica, che da lungo tempo si osserva nelle Curie Baronali di condannare li Rei negativi indiziati, come sopra, anche a pena corporale grave, come quella della Galera, e altra simile, secondo la qualità del delitto, e la gravezza degl' Indizi, e percio rescrivemmo -- *Auditori juxta mentem* --. Volendo NOI pertanto oggi, che di quella nostra Mente, e Risoluzione resti un documento perenne, mediante il presente nostro Chirografo, nel quale vogliamo, che si abbiano per inseriti, e di parola in parola espressi il vero, e preciso stato di detta Lite, le ragioni dedotte per l' una, e l'altra Parte, gl' Atti, e Documenti esibiti in nome del Fisco, e de' Baroni, specialmente per provare, e respettivamente escludere la menzionata Prattica, e consuetudine delle Curie Baronali, ed ogn' altra cosa quantosivoglia necessaria da esprimersi; Di nostra certa scienza, e pienezza della Nostra Suprema Potestà vi ordiniamo, e comandiamo, che dobbiate nelle forme solite dichiarare in nome Nostro, e decretare, come Noi in virtù della presente *dichiaramo, e decretiamo, esser lecito a i Baroni Romani, e del Nostro Stato Ecclesiastico, quali in virtù d' Investitura, o per altro legitimo Titolo godono del mero, e misto Impero, tralasciando la Tortura, condannare a pena straordinaria, eziandio corporale, e grave, cioè alla Galera, & ad Opus, o ad altra simil pena li Rei negativi, e non convinti, quando sono indiziati d' Indizi veementi, e maggiori di quelli, che bisognano per la Tortura*; con ammonire però li medesimi Baroni, come NOI gl' ammoniamo, e incarichiamo, che prima di condannare alcuno in virtù de i sudetti Indizi alle pene sovraccennate, faccino esaminare, e riconoscere i Processi da Uomini esperti, e da bene, procurino, che li medesimi Rei per causa forse di loro povertà non restino indifesi, e che la pena straordinaria sia bensì adequata, ma non mai maggiore di quella conviene al titolo del delitto, e alla qualità degl' Indizj; E così in esecuzione del presente Nostro Chirografo ne pronunciarete qualunque Decreto, e farete tutt' altro, che per il totale adempimento, perpetua fermezza, e sussistenza del medesimo Chirografo stimarete in qualsisia modo esser espediente, e necessario, essendo così mente, & volontà Nostra precisa, ed espressa. Volendo, e decretando, che al presente nostro Chirografo, doppo, che sarà ammesso, e registrato nella piena Camera, e suoi Libri, secondo la Co-

Costituzione di Pio IV. nostro Predecessore, non possa mai darsi, *ne* opporsi di surrezzione, orrezzione, ne d'alcun altro vizio, o difetto della nostra volontà, ed intenzione, ne che mai sotto tali, o altri pretesti possa essere impugnato, moderato, o rivocato, ridotto ad viam Juris, o contro di esso l'aperizione Oris, o altro rimedio, e che cosi, e non altrimenti debba sempre, ed in perpetuo giudicarsi, definirsi, & interpretarsi da qualunque Giudice, e Tribunale, benche Collegiale, Congregazioni anche de' Reverendissimi Cardinali, Legati a Latere, Vice-Legati, Camerlengo di Santa Chiesa, Segnatura di Giustizia, Rota, Camera, e qualunque altro, togliendo loro ogni facoltà, e giurisdizione di definire, ed interpretare diversamente; Dichiarando NOI fin' d'adesso preventivamente nullo, irrito, ed invalido tutto ciò, che da ciascuno di essi con qualsivoglia autorità, scientemente, o ignorantemente fosse in qualunque tempo giudicato, o si tentasse giudicare contro la forma, e disposizione del presente nostro Chirografo, quale vogliamo, che vaglia, e debba aver sempre, ed in perpetuo il suo pieno effetto, esecuzione, e vigore colla semplice Nostra sottoscrizione, benche non vi sieno state chiamate, sentite, *ne* citate, quali si sieno Persone ancorche privilegiate, e privilegiatissime, che vi avessero, o pretendessero avervi interesse, e che per comprenderle fosse bisogno di speciale, ed individua menzione: Non ostanti la Regola della nostra Cancellaria *de Jure quæsito non tollendo*, e le Costituzioni, ed Ordinazioni Apostoliche Nostre, e de nostri Predecessori, Leggi, Statuti, Riforme, stili, usi, e consuetudini, e qualunque altra cosa, che facesse, o potesse fare in contrario, alle quali tutte, e singole, avendone il tenore qui per espresso, e di parola inserito, e registrato, e supplendo colla pienezza della nostra Potestà Pontificia, ad ogni vizio, e difetto, quantunque sostanziale, e formale, che vi potesse intervenire per questa volta sola, e per l'effetto sudetto ampiamente, ed espressamente deroghiamo. *Dato dal nostro Palazzo Apostolico di Monte Cavallo questo dì 14. Agosto 1746.*

BENEDICTUS PAPA XIV.

Volentes itaque injuncta Nobis ab eodem *Sanctissimo Domino Nostro Papa* debitæ exequutioni demandare; utendo facultatibus Nobis in dicto Chirographo tributis, ejusdem *Sanctissimi Domini Nostri Papæ* nomine *Declaramus, atque decernimus, supradictis Excellentissimis DD. Romanis, & Status Ecclesiastici Baronibus, qui virtute Investituræ, sive alio quocumque legitimo titulo, mero, & mixto Imperio potiuntur, licere, omissa Tortura, condemnare in pœnam extraordinariam, etiam gravem, & corporis afflictivam minorum ad Triremes, & ad Opus, sive ad aliam similem pœnam Reos negativos, & non convictos, dummodo tamen adversus præfatos Reos concurrant Indicia vehementia, & majora illis, quæ requiruntur pro Tortura*; Monentes tamen prædictos DD. Barones, quod, antequam in vim supradictorum deveniant ad condemnationem Reorum in supra relatas pœnas, examinari, & recognosci faciant Processus a Viris, doctrina, experientia, & probitate commendatis, curentque quod Rei ex causa forsan eorum paupertatis nullatenus indefensi remaneant, quodque pœna extraordinaria, ut supra, infligenda, sit quidem adæquata, & condigna, nonquam vero excedens illam, quæ titulo Delicti, & Indiciorum qualitati convenit, juxta in omnibus, & per omnia formam, seriem, ac tenorem memorati Chirographi; Non obstantibus Constitutionibus Apostolicis, Legibus, Statutis, cæterisque aliis, quibus idem Sanctissimus Dominus Noster Papa plenissime in præinserto Chirographo derogavit. In quorum fidem &c. Datum Romæ ex Palatio Apostolico Quirinali ex Ædibus nostris *hac die 20. Augusti 1746.*

C. Argenvillieres Auditor.

Loco ✠ Sigilli.

Dominicus Paparozzius Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ, ac Illustrissimi, & Reverendissimi D. Auditoris SS. D. N. Papæ Notarius &c.

Loco ✠ Sigilli.

Sequitur Fides super admissione in plena Camera, & registratione per Acta D. Pauletti Rev. Cam. Apost. Secretarii, & Cancellarii, videlicet -- Fidem facio per præsentes Ego Rev. Cameræ Apostolicæ Secretarius, & Cancellarius infrascriptus, qualiter in Plena Camera, habita die 22. Augusti 1746 præfatum Chirographum Sanctissimi exhibitum, & præsentatum fuit, illudque commissum Illustrissimo, & Reverendissimo D. Joanni Banchieri Cameræ Apostolicæ Clerico, & Judice deputato; deinde in sequenti Camera diei 16. Septembris dicti anni, ad relationem dicti Illustrissimi, & Reverendissimi D. Judicis, citato Illustrissimo, & Reverendissimo D. Joanne Juliano Rubini Cameræ Apostolicæ Commissario Generali, in executionem Decreti dictæ Plenæ Cameræ, ac Bullæ fel. mem. Pii Papæ IV. de registrandis ad nostrum, & registratum fuit in Libro Signaturarum Sanctissimi in Actis mei &c. existen sub fol. 72. tergo; In quorum fidem &c. Datum Romæ in Camera Apostolica hac die 16. Septembris 1746.

Ita est Felix Antonius Paulettus Rev. Cam. Apost. Secretarius & Cancellarius.

Ad titul. 19. num. 110.

OBSERVATIO XXIV.

De Legitimatione Processus.

SUMMARIUM.

1 *Processus Informativus nullam probationem facit nisi fuerit legitimatus.*
2 *Quot modis legitimari solet Processus Informativus, explicatur.*
3 *Processus legitimatur per declarationem.*
Actus quo assignantur Reo defensiones, & publicatur Processus.
4 *Post Publicationem Processus, ejusque copiam Reo traditam interpellatur Reus ad legitimandum.*
5 *Formula legitimationis Processus per declarationem.*
6) *Quid antea servabatur pro hac habenda declara-*
7) *tione, & quibus rationibus movebantur.*
8)

9 *Judices in Statu Ecclesiastico ad denegandam copiam Processus, nisi testibus pro rite, & recte examinatis habitis.*

10 *Quid de novo introductum est, & quibus rationibus.*

Stylus Civitatis dominantis, debet servari in omnibus Curiis inferioribus.

11 *Quando Inquisitus recusat legitimare Processum per declarationem quid faciendum?*

12 *Formula repetitionis testium.*

13 *Formula repetitionis Socii Criminis.*

14 *Formula torquendi testem qui in repetitivo a primo recedit examine.*

15 *Formulæ prædictæ habentur etiam apud* Martin. in ejus praxi.

16 *Repetitio debet fieri cura, & diligentia Fisci, vel adhærentis, & ejus expensis, & quando fit sumptibus Inquisiti.*

17 *Repetitio testium quomodo fieri debeat, & quid in repetitione Socii criminis.*

18 *Socius criminis quando sit repetendus nec ne?*

19 *Ante repetitionem testium producuntur Interrogatoria.*

20 *Formula Interrogatoriorum.*

21 *Processus legitimatio per confrontationem.*

22 *Formula confrontationis testis cum Reo*

23 *Alia Formula confrontandi Socium cum Consocio Criminis.*

24 *Plura alia de legitimatione Processus per confrontationem remissive.*

25 *Formula confrontationis testis cum Inquisitio, cujus nomen & cognomen ignorat.*

26 *Formula confrontationis Peritorum.*

27 *Formula confrontationis Physici.*

28 *Ex stylo Tribunalium Urbis testes in confrontatione non recensent in substantia, quæ deposuerunt in alio examine, sed tantum eis legitur examen.*

Non ita tamen practicatur in confrontatione Socii Criminis.

1 CUM in Jure, & in praxi absolutissimum sit, Processum Informativum nullam facere probationem adversus Reum in fortiis Curiæ existentem, nisi fuerit legitimatus, ut ex *Baldo*, & *Farinacc.* docet *Zaff. in tractat. de Legitimat. Process. qu. 50. post num. 10.*, ea ratione, quod testes per Fiscum ad Curiæ informationem examinati, Reo non citato, nullum probationis gradum efformant, imo nec præsumptionem, esto quod ageretur de Judice habente plenissimum arbitrium, de atrocissimis criminibus, esto insuper quod essent mille; etenim criminales causæ ad instar civilium multo magis requirunt testium examen cum eadem essentiali formalitate citationis Partium ad Textum *in cap. de testibus 19. de testib.*, *in l. juris jurandi*, & *in l. si quando 15. C. eod. titul.*; *Abbas in cap. 2. num. 7. & seqq. de testibus Bajard. ad Clar. q. 45. num. 14. & 16.*; imo in statu Ecclesiastico adsunt *Bullæ Pontificiæ*, quarum mentionem fecimus *in præcedenti observat. 23. subsect. 3.*

2 Idcirco *quinque modis* legitimari solet Processus Informativus; *Primo* per veram confessionem Inquisiti; *Secundo* per fictam ejus confessionem, quando nempe profugus est Reus, & contumax; *Tertio* per declarationem ab ipso Inquisito factam de habendo testes pro rite; & recte examinatis; *Quarto* per confrontationem, & *Quinto* denique per repetitionem; quorum *duo*, nempe *confrontatio* & *Repetitio* nomen habent *veræ Legitimationis*, alia vero tria, per *declarationem*, *veram confessionem*, & *fictam ex contumacia* resultantem prodeuntia, dicuntur Legitimationes fictæ juxta doctrinam *Zaffi loc. citat. qu. 97. num prim. & secundo*, ubi docte loquitur in hac materia; omissis propterea duobus Processum *legitimandi modis*, de aliis *tribus* hic aliqua summatim dicemus.

3 *Primo* se offert Legitimatio Processus *per declarationem*, proinde animadvertendum est, quod postquam fuerit completus Processus informativus, ac completis Constitutis cum Reo habitis, Judex decernit *Inquisitum sive Reum poni ad largam* (dummodo non agatur de delictis capitalibus, in quo casu solent Rei adhuc detineri in carceribus secretis) *publicari Processum, tradi copiam, eique assignada terminum ad suas faciendas defensiones*, cujus formula est sequens.

Die .... Mensis .... Anni ....

Ego Notarius &c. de mandato &c. ab officio discessi, & personaliter me contuli ad Carceres &c. quò perventus accersiri feci ad Cancellariam &c. NN. Carceratum pro homicidio &c. prout in præsenti Processu, cui accersito, præsentem Processum aperui & publicavi, copiamque eidem obtuli, & terminum trium dierum plus & minus arbitrio &c. ad suas faciendas defensiones assignavi omni &c., Actum in Cancellaria Carcerum &c. coram & præsentibus NN. testibus &c.

Ita NN. Notarius deputatus &c.

4 Hinc post dictum actum, Processusque publicationem, postque traditam Reo, Informativi Processus copiam adhuc non legitimati, ut inspiciat cum ejus Advocato, & de ipso Processu legitimando tractent, instante Fisco, citatur, seu interpellatur Reus, an velit legitimare vel declarando velle habere testes pro Curiæ informatione examinatis, pro rite, & recte examinatis, aut eos repetere, & quoties Reus voluerit illos declarare, Notarius de mandato Judicis accedit ad Carceres ad expiendum hunc actum, cujus formula est sequens.

Die .... Mensis .... Anni ....

5 Ego Notarius publicus, & Cancellarius Criminalis infrascriptus de mandato &c. e Cancellaria vel Officio Criminali discessi, & me personaliter contuli ad Carcerem publicum hujus Civitatis nuncupat. *la Larga*, ibique inter alios reperto NN. Carcerato pro &c. de quo in præsenti Processu &c. qui personaliter constitutus non vi, sed sponte, ac alias omni &c. medio ejus juramento, prout tacite juravit &c. declaravit, & declarat se velle habere, prout habet omnes, & singulos testes in præsenti Processu pro informatione Curiæ receptos, & contra ipsum examinatos, pro rite, & recte, ac legitime receptis, & examinatis præter mortuos, & absentes salvo tamen Jure excipiendi tum contra Personas, tum contra dicta eorumdem testium, nec non salvo etiam Jure repetendi, quatenus &c. & ita protestatur, & declarat non solum &c. sed & omni &c.

Actum in Cancellaria Carcerum &c. ubi supra præsentibus NN. testibus, ad præmissa vocatis atque rogatis.

Ita est N. N. Notarius deputatus, vel publicus Cancellarius Criminalis &c. rogatus &c.

6 Notandū est insuper quod retro temporibus erat Stylus in statu Ecclesiastico (non vero in Urbe) denegandi Reo copiam Processus, nisi per eum prius habitis testibus pro rite, & recte receptis, & legitime examinatis, unde completo Processu, ac

com-

completis Reorum constitutis, Judex hac formula decreti, ad tales copias decernendum & terminum ad se defendendum assignandum, uti suetus erat.

Tunc D. sedens &c. acceptatis &c. examen dimisit & mandavit ipsum Constitutum, poni ad largam cum termino trium dierum ad suas faciendum defensiones, & copiam Processus decrevit, habitis tamen prius testibus pro rite, & recte receptis, & legitime examinatis, salvis exceptionibus, & repetitione &c. ac sine præjudicio ulterioris Processus, & examinis, omni meliori modo &c.

7 Quapropter in vim *dicti Decreti* ante aperitionē & publicationem Processus accedebat Notarius, vel Publicus Cancellarius ad Carceres, & facta per Reum declaratione modo, quo supra, usque *ad Clausulam eum i &c.* ita per Notarium prosequebatur.

8 Qua declaratione per me &c. habita, illaque acceptata, Processum aperui, & publicavi copiamque cuicumque volenti exhibuit, & interim eidem N. N. Carcerato terminum trium dierum plus, & minus arbitrios &c. ad suas faciendas defensiones assignavi sine tamen præjudicio ulterioris Processus, & examinis, aliorumque Jurium Fisco quomodolibet competentium, & non alias &c. coram, & præsentibus N. N. &c. testibus &c.

Ita N. N. Notarius, & Cancellarius rogatus.

9 Rationes, quibus movebantur Judices in statu Ecclesiastico, exceptis Tribunalibus Urbis ad non dandam Reo copiam Processus nisi prius facta declaratione, aut aliter legitimato Processu, recensentur a *Flaminio Chartar. de interrog. Reis libro 3. c. 3. num.* 55. nempe ad tollendas omnes fraudes, ne antequam testes repetantur, illi a loco discederent, vel discedere cogerentur, aut inducerentur ne deinde repeti possint, & Jura fisci destruantur; Verum hujusmodi stylus in desuetudinem abiit, siquidem agnitum est, notabile, & summum præjudicium quod Reis inferebatur, eos cogendo ad hanc faciendam declarationem, antequam sibi, vel ejus Advocato Processus copia traderetur ad deliberandum an sibi proficuum, & utile sit potius declarare, vel repetere testes de quo præjudicio agit *Zuff. de legitim. Process. q. 183. num. 5. & seqq.* propterea hac nostra tempestate Rei non coguntur ad hanc declarationem faciendam, sed aperto & publicato Processu illis datur copia ante dictam declarationem, & sic *in toto statu Ecclesiastico* practicatur idem, quod practicatur, & practicari suetum *erat in Urbe*; non cogendi Reos ad habendos testes pro rite, & recte examinatis, sed eis positis ad largam datur copia Processus informativi, aliter non legitimatis dictis, & depositionibus testium.

10 Quod quidem gravibus suadentibus rationibus introductum est, rejecta prorsus primæva Praxi, tum *ob Constitutionem S. M. Pauli V. 71. §. 10. num. 27.* qua præscriptum est, Reos non esse cogendos ad hanc declarationem faciendam, *tum quia* non habita copia Processus, nequeunt Rei deliberare circa ea, de quibus certam notionem non habent, nec minus approbare, vel impugnare, quæ ignorant, cum approbationis vel refutationis substantia consistat in scientia, qua abeunte ignorans nihil agit, ad Textum *in leg. nec. ignorans C. de donat. & in l. si per errorem ff. de Iurisd. omnium Judic. Bald. consil. 176. libro 2. Guazzin. defens. 24. cap. 6. num. 12. & seq.* tum quia eadem Praxis, & ratio quæ viget, & urget in Urbe ad tradendam Processus copiam Reis, antequam declarent, traditam per *Zuff. de legit. Process. q. 162. num. 7. & seqq.* vigere, & urgere etiam debet in toto Ecclesiastico statu, etenim Praxis, & stylus civitatis dominantis haberi quoque debet pro lege in aliis locis inferioribus ejusdem status, maxime attenta dicta Constitutione Pauli V. ad tradita per *Peregrin. decis. 1. per tot., & Rot. decis. 541. num 5. par. 18. recent.* præcipue quia primævus stylus status Ecclesiastici a Jure communi aberrat, nam defensiones Inquisitis tollit. ad tradita per *Guazzin. loc. cit.*

11 Quod si Reus habita copia Processus, eoque citati ad declarandum, an velit habere testes pro rite, & recte examinatis renuerit hanc declarationem facere tunc iterum fiscus ejusque adhærens debent eum citare ad videndum Testes repeti, & ad dandum interrogatoria quatenus dare intendat, alius videndum repeti ex officio, quam citationem esse necessariam docet *Ambrosin. de mod. formand. Process. inform. l. 3. cap. 1. num. 48. & cap. 2. num. 1. Baiard. ad Clar. quæst. 45. num 24.* ubi plus subdit, quod si talis citatio omitteretur, repetitio facta per Fiscum esset pænitus nulla.

Formula autem Repetitionis Testium est sequens.

Die .... Mensis .... Anni ....

12 Examinatus, & repetitus fuit per D. Locumtenentem, meque &c. in Officio &c.

N. N. fil. N. Testis alias pro Curiæ Informatione examinatus, & modo repetitus ad Instantiam Fisci, qui delato sibi juramento &c. fuit per D. prius interrogatus super Interrogatoriis datis ex parte Carcerati prædicti secundum Schedulam, &

Juxta primum Interrogatus; & monitus de vi, & importantia juramenti, & pœnis perjurii, rite, & recte respondit.

Juxta secundum &c. & sic de cæteris usque ad finem, postea vero fit.

Absolutus ab Interrogatoriis deventum fuit ad repetitionem super examine, seu examinibus ab eo factis ad favorem Fisci, & fuit per D.

Interrogatus, an ea, quæ alias dixit, & deposuit in aliis suis examinibus, pro veritate dixerit, & deposuerit, modoque tanquam talia promptus sit, & paratus illa confirmare, & ratificare, & quatenus &c.

Respondit .....

Et lectis sibi per me &c. de mandato &c. depositionibus per I. E. factis, una nempe sub die ..... coram ..... Altera vero sub die .... de quibus in præsenti Processu &c. illisque per I. E. bene auditis, & intellectis, prout asseruit, fuit per D.

Interrogatus, an ea, quæ modo sibi legi audivit, recognoscat esse examina alias per I. E. pro veritate facta, & de quibus supra &c. & quatenus an tanquā talia approbet, & ratificet, & quatenus &c.

Respondit .....

Et iterum ostenso I. E. per me &c. de mandato &c. Pallio, de quo in Processu inter duo alia Pallia consimilia, illisque per I. E. bene visis, inspectis, & consideratis, fuit per D.

Interrogatus, an inter ista tria Pallia sibi modo ostensa recognoscat adesse illud, de quo supra mentionem fecit in prædictis suis examinibus, & quatenus &c.

Respondit .....

Interrogatus; an prædictis suis examinibus ali-

qui-

quid addere, vel minuere intendat, & quatenus &c.

Respondit.....

Formula Repetitionis Socii Criminis.

13 Examinatus, & repetitus fuit per D. de quo supra meque &c. in Carceribus &c.

N. N. de quo alias, qui monitus, quoad se, delato autem quoad alios Juramento &c. prout tactis &c. fuit per D. præmissa prius protestatione, quod per quamcumque Interrogationē ipsi repetend. faciendā, & responsiones respective ab ipso dandas non intendit aliquod præjudicium inferre confessioni ab ipso sponte emanatæ, & in tormento comprobatæ, de qua in Processu, multoque minus juribus Fisco quomodolibet acquisitis, & competen. &c. & non alias, aliter, nec alio modo, de quo expresse protestatus fuit, & protestatur, quæ quidem protestatio habeatur pro repetita in principio, medio, & fine præsentis examinis, & ita &c. non solum &c. sed & omni &c.

Interrogatus super Interrogatoriis datis ex parte Carcerati.

Juxta primum &c. & prosequatur prout supra.

Absolutus ab Interrogatoriis fuit deventum ad repetitionem super examinibus alias factis, & per D.

Interrogatus, an ea, quæ alias dixit, & deposuit in præsenti Causa circa personam dicti N. Carcerati, fuerint, & sint ab ipso pro veritate deposita, & quatenus &c. an ea modo tanquam talia sit promptus, & paratus illa confirmare, & ratificare, & quatenus &c.

Respondit....

Et lectis sibi per me &c. de mandato &c. ad claram &c. depositionibus per I. E. factis sub diebus &c. de quibus in Processu illisque per eumdem E. bene auditis, & intellectis, fuit per D.

Interrogatus, an examina sibi modo lecta sint illamet per I. E. facta pro veritate, & quatenus, an modo uti talia approbet, & confirmet, atque ratificet &c.

Respondit....

Interrogatus, an prædictis suis examinibus velit aliquid addere, vel demere, & quatenus &c.

Respondit....

Interrogatus, ut modo dicat, an ea, quæ pro veritate testificatus fuit in prædictis suis examinibus, quæque in tormento funis etiam approbavit, sit nec ne promptus, & paratus iterum pro veritate confirmare, & ratificare in eodem tormento, & quatenus &c.

Respondit....

Tunc D. ad tollendam omnem maculam &c..... & hic extende formulam decreti superius indicati.

Formula torquendi Testem, qui in repetitivo a primo examine recedit.

14 Absolutus ab Interrogatoriis deventum fuit ad repetitionem sui examinis, alias ab eo facti, & per D. fuit.

Interrogatus, an ea, quæ alias dixit in præsenti Causa circa personam dicti N. Carcerati, fuerint, & sint vera, & ab ipso pro veritate deposita, & quatenus &c. an illa tamquam talia promptus sit confirmare, & ratificare, & quatenus &c.

Respondit. -- *Parte di quello, che dissi nell'esame sudetto, è vero, & altra parte è falso; però mi faccia leggere detto esame, acciò possa dirgli quel, che posso annullare, e ratificare.*

Et lecto sibi per me &c. de mandato &c. examine, de quo in Processu sub die.... illoque per I. E. bene audito, & intellecto, prout asseruit, fuit per D.

Interrogatus, an examen sibi modo lectum sit illudmet, alias per J. E. factum, & an contenta in eo fuerint, & sint vera, & ab ipso pro veritate deposita, & quatenus &c. an tamquam talia modo approbet, & ratificet, & quatenus &c.

Respondit -- *Ho sentito &c. e lo riconosco per quello medesimo da me fatto, e la parte di esso, che voglio ratificare, è, dove si dice &c. e quella, che voglio annullare, è, dove si dice &c. perche la verità &c.*

Et sibi per D. dicto, unde, & qua ratione J. E. motus fuerit ad deponendum in examine prædicto se &c. dum revera, prout modo asserit, id nullo pacto &c.

Respondit -- *Tanto m'indussi a dire che... &c. quanto che mi fu insinuato... &c. o pure, per liberarmi dalle Carceri &c.*

Interrogatus, ut dicat, in quo loco, de quo tempore, & quibus præsentibus a prædicto N. sibi fuerit insinuatum ad dicendum &c. ut modo supponit, vel exprimat, quanto temporis spatio in Carceribus detentus fuerit, & a quo, seu quibus, & quomodo fuit male tractatus.

Respondit....

Et monitus per D. ad veritatem ingenue super præmissis fatendam, cum inverisimile nedum sit, quod dictus N. simulaverit, & induxerit J. E. ad falsum deponendum contra d. N. verum etiam, quod J. E. ad solum effectum se eximendi a carcere descendere potuerit ad falsum deponendum, sed potius credendum sit, quod J. E. fuerit ab aliquo subornatus ad recedendum ab ejus primo examine, & dicto, cum meliorem rationem reddere nequeat, & ideo &c.

Respondit....

Vel alio modo.

Et monitus per D. ad recedendum a mendaciis, & libere fatendam veritatem, an ea, quæ apparent in dicto ejus primo examine, fuerint, & sint ab J. E. dicta, & deposita modo, & forma, prout jacent, quia cum ejus depositio emanaverit coram Judice, & Notario, & fuerit postea ab J. E. subscripta, non est præsumendum ab ipsis fuisse scriptum dictum examen, nisi ab J. E. fuisset dictum, & depositum, prout extat, & ideo &c.

Respondit....

Et D. replicante, & dicente, quod cum ejus depositio prædicta emanaverit, ut dictum est, coram Judice, & Notario, & modo ab illa recedat in tali parte, Curia prætendit, quod ipse fuerit ab aliquo subornatus, & propterea &c.

Respondit -- *dicendomi &c. rispondo, che io non sono stato subornato.*

Tunc D. Sedens &c. visa depositione J. E. facta sub die &c. in qua asseruit &c. modo autem negavit, consideratis pluribus circomstantiis, dictam primam depositionem concomitant. &c., quæ jam verificatæ fuerunt, & sunt adeo verisimiles, ut omnino credendum sit, J. E. in prima depositione verum dixisse,

xisse, modo autem mentiri, & præsertim cum non alleget sufficientem, seu verisimilem causam, fuisse J. E. ad d. priorem depositionem revocandam subornatum, & ideo ad effectum sciendi ab J. E. an ab aliquo, & a quo, seu quibus fuerit subornatus ad dictam priorem depositionem revocandam, & ad omnem alium meliorem finem, & effectum, citra tamen præjudicium quorumcumque Jurium Fisco quomodolibet competen., & acquisitorum, quibus per præsentem Torturam nullo modo præjudicare intendit, & non alias &c. de quo &c. ita quod &c. mandavit J. E. in loco tormentorum existentem per Custodes spoliari, ligari, & funi applicari.

Qui sic spoliatus, ligatus, & funi applicatus, antequam in altum elevaretur, fuit per D. benigne monitus, & hortatus ad veritatem fatendam super præmissis, alias in negativa, & mendaciis persistens in altum elevabitur. Ideo &c.

Respondit.

Tunc D. ad effectum prædictum, & non alias, aliter, nec alio modo, repetita protestatione, de qua supra &c. mandavit J. E. in altum elevari; qui sic elevatus cœpit dicere &c. . . . & fuit per D.

Interrogatus, ut veritatem fateatur super præmissis, & an ab aliquo fuerit subornatus ad recedendum a dicto ejus primo examine, & depositione, & quatenus &c.

Respondit . . . .

Et cum stetisset in d. tormento sic elevatus per spatium duorum. Miserere D. mandavit J. E. e dicto Tormento leviter deponi, disligari, brachia reaptari, revestiri, & ad largam poni omni &c.

15 Diximus, quod *secundus modus* legitimandi Processum informativum est Repetitio, idcirco traditæ sunt Formulæ, tum *repetitionis testium, & Socii criminis*, tum etiam *torquendi testem, qui in repetitivo a primo examine recedit*; quæ Formulæ repetendi testes, & Socios Criminis reperiuntur etiam impressæ apud *Martin. in practic. fol.* 105. *& seqq. primæ edition. & fol.* 221. *& seqq. in 2. edit.*; prout etiam aliam formulam examinandi, & torquendi testem, quando in repetitivo recedit a primo examine reperies quoque descriptam apud eumdem *Martin. fol.* 225. *& seqq. in 2. edit.*, *& fol.* 109. *& seqq. in 1. editione*. Libenter hoc dico lector, ne credas noviter eas excogitatas esse.

16 Ad ornatum autem dictarum formularum, notandum est *Primo*, quod repetitio testium debet fieri, cura & diligentia Fisci, vel ejus adhærentis (si in causa existat), nec non ejus expensis, quando fit non loco defensionis, sed pro *legitimatione Processus*: ratio est, nam ad Fiscum, vel ejus Adhærentem pertinet suam intentionem legitime fundare mediante testium repetitione, aliàs nihil probarent, *Ambrosin. de Process. informat. libro* 3. *cap.* 2. *nu.* 5. *& seqq. & ibi Bernard. Porr. in addit. n.* 3. *&* 20., quod intellige, quando Reus noluit testes habere pro rite, & recte examinatis; Nam si declaravit testes pro rite, & recte examinatis *Salvo Jure repetendi*, tunc repetitio expensis Inquisiti facienda est, *Guazzin. defens.* 24. *cap.* 8. *num.* 10., videbis *Zuffum de legitim. Process. qu.* 100. plures casus distinguentem *ex Danza, & Guazzin. & q.* 101. *per tot.*

17 Notandum est *Secundo*, quod repetitio testium ut legitime fiat, & subsistat, requiritur, quod facta sit cum omnibus suis qualitatibus, cum quibus factum fuit primum examen, nempe debent in repetitivo recognoscere rem, vel scripturam, quam recognoverunt antea in informativo, ad tradita *per Guazzin. defens.* 19. *cap.* 13. *nu.* 20. *& seqq.* Item si testis in Informativo habuit torturam, etiam in Repetitivo torquendus est, alias ejus dictum non afficit, *Ambrosin. loc. citat. cap.* 2. *post numer.* 16., *Guazzin. in d. cap.* 13. *num.* 10., ubi subdit; quod id quoque fieri debet in Socio criminis, quoties repetendus esset; licet hanc repetitionem non admittat *Conciol. in resol. crimin.* §. *Socius resol.* 4. *num.* 2., ob timorem, ne Socius recedat ab ejus dicto in tortura, & in faciem Consocii legitimati per Confrontationem, *Zuff. de legitim. Process. lib.* 3. *q.* 108. *n.* 12. *& seqq.*, quod durum existimat.

18 Notandum est *Tertio*, circa repetionem Socii criminis, quod quando in ejus confrontatione cum Reo non fuit data per Judicem facultas interrogandi dictum Socium, tunc est admittenda repetitio Socii criminis, ut de anno 1710. mense Julii rescriptum est a S. Consulta in causa Roræ Compagnucci Gubernatori Terræ Vissi, teste *Martin. in praxi fol.* 224. *in 2. edit.*, ubi per extensum refert tenorem literæ S. Consultæ.

19 Quoniam vero ante repetitionem testium solent per Defensores, & Advocatos Reorum produci Interrogatoria, super quibus debent * repeti prius, • Testes.
& postea super examine ab ipsis facto, alias non probant, ex traditis per *Ambrosin. lib.* 3. *cap.* 2. *num.* 1., *& Mascard. de probat. conclus.* 685. *num.* 3. *& seqq. tom.* 1., imo nec etiam omitti potest unum interrogatorium in Repetitivo, juxta *Mysinger. practic. observ. centur.* 1. *observ.* 32.; idcirco hic tibi datur Formula Interrogatoriorum, quando agitur de repetitione Peritorum scriptorum relata *per Thomam Scipion. in praxi crimin. lib.* 4. *cap.* 2. *nu.* 21., qua quisque uti potest in formandis Interrogatoriis in quocumque casu, mutatis mutandis &c.

Formula interrogatoriorum.

20 Interrogatoria infrascripta dat, facit, exhibet, atque producit Procurator, & eo nomine Petri Angelici Carcerati, in Causa, quam habet cum Fisco, illique Adhærente, petens super illis, Testes descriptos in calce istorum interrogatoriorum diligenter examinari, antequam deveniatur ad lecturam Peritiæ, per eosdem factæ, petens &c., & quatenus &c. non solum &c. sed omni &c. & pro faciliori Testium intelligentia vulgari Sermone loquendo.

Primo, s'ammonirà *ciascun Testimonio dell'importanza del giuramento, dell'infamia, ed altre Pene sì Spirituali, che Corporali, che incorrono coloro, li quali spergiurano, e delli danni, che debbono rifare alla Parte, contro la quale si spergiura, che tanto s'incorrono dette Pene in dir la Bugia, quanto in occultar la Verità in pregiudizio del Prossimo. Poi s'interroghi del nome, cognome, Padre, Patria, Età, ed Esercizio, dove abiti, da quanto tempo in quà, se solo, o compagnato con altri, e con chi. Se sia Povero o Ricco, se possiede cosa alcuna, se quello, che possiede, gli basti a vivere entro l'anno con la sua famiglia, e come faccia a vivere. Se sia stato mai Inquisito, Processato, Querelato, Carcerato, in qual Tribunale, da qual Giudice per qual Causa, e di che tempo, se sia stato assoluto, o aggraziato, e da chi, da quanto tempo in quà; se sia stato mai Scommunicato, in qual Tribunale, per qual Causa, e di che tempo, se sia stato assoluto da detta Scommu-*

mu-

munica, da quanto tempo preciso sia stata Scommunicato. Se ha bestemmiato il Nome del Sig. Iddio, della Sua Santissima Madre, de suoi Santi, con qual genere di Bestemmie, quante volte. Se sia solito frequentar Bettole, Osterie, o Magazzeni di Vino, se si sia mai Ubriacato, quante volte, se sia solito Ubriacarsi. Se sia solito giocare, ed a qual sorte di gioco. Se sia solito confessarsi, e communicarsi, quante volte l'anno, se sia solito farlo almeno la Pasqua, se nella Pasqua prossima passata abbia adempito il Precetto di S. Chiesa.

Secondo. *Dica, come si travi al presente esame, se sia venuto spontaneamente, a richiesto da altri, e da chi, con quali parole è stato richiesto, se vi era presente alcuno, e chi, se prima di venire ad esaminarsi ha discorso con alcuno in materia dell'Esame che deve fare, con chi, alla presenza di chi, riferisca minutamente tutto ciò, che gli è stato insinuato a deporre. Dica, se esso Testimonio sappia, o s'immagini sopra di che deve essere esaminato, e per qual cagione lo sappia, o se l'immagini. Se prima di venire al presente esame gli siano state lette, o mostrate Scritture, Processi, o materie concernenti il predetto esame, da chi, in qual luogo, alla presenza di chi, con qual occasione gli siano state mostrate, che discorso v'è intervenuto tra esso Testimonio, e quello, che gliel'a mostrate, racconti minutamente tutto il discorso fatto fra di loro, come pure dica, quel che contenevano li fogli, o materie, che gli furono lette, o mostrate. Dica se abbia fatta mai alcuna Perizia di Carattere* (dunec dicat fecisse Peritiam in hac præsenti Causa) *dica se la fece spontaneamente, o richiesto da altri, e da chi, e con quali parole fosse richiesto. Se la fece solo, o in compagnia d'altri e di chi, se desiderava, che vincesse, o perdesse quello a favor dal quale fece detta Perizia, se per far detta Perizia gli furono mostrate Scritture, o Processi, o materie, e quali Scritture, Processi, o materie, gli fossero mostrate, e da chi, in qual luogo, di che tempo, ed alla presenza di chi gli fossero mostrate semplicemente, o pure gli fossero lasciate in mani* (& quatenus asserat fuisse relictas in ejus manibus) *dica per quanto tempo le ritenne in mani, raccontando minutamente tutto quello, che si conteneva in detta Perizia dal principio sino al fine.*

Terzo. *Se conosca Pietro Angelici, da quanto tempo in qua, con qual'occasione lo principiò a conoscere, se del medemo sia Amico, o Parente, ed in che grado, Compare, o Commensale, o pure abbia ricevato dal medesimo qualche Servizio, o Cortesia, o speri di riceverlo, e per qual motivo ciò abbia avuto, o speri.*

Quarto. *Se conosca il Cavalier Giuseppe Politi, e Marco Confalonieri ambedue da Recanati, ed Ignazio Foglietta da Monte dell'Olmo* (quatenus negative respondeat, non interrogetur ulterius super hoc, quatenus vero affirmative) *dica, da quanto tempo in qua, con qual'occasione li principiò a conoscere, se de medemi sia Amico, o inimico, malevolo, o odioso, se vi abbia mai avuta alcuna differenza, rissa, e contrasto, Lite Civile, o Criminale, o pure altra Causa d'inimicizia. Se sia stato mai de medesimi Debitore, o Creditore, ed in che somma.*

Quinto. *Dica da quanto tempo in qua esercita il suo Mestiere, e in qual luogo l'abbia esercitato, e l'eserciti presentemente. Dica se mostrandosegli più Scritture gli dia l'Animo di riconoscere se siano state scritte da una sola Persona, e scribente, o pure da diverse Persone, e scribenti,* & quatenus affirmative *dica, da che conoscerebbe, e si conosca, che tali Scritture siano state Scritte da una sola Persona e scribente, o pure da più Persone, e scribanti, ed in qual forma distinguerebbe, e si possi distinguere un Carattere di una Persona, dal Carattere di un'altra Persona. Dica se nella cognizione, o descrizione di Carattere possa prender sbaglio, o ingannarsi, o pure non possa sbagliarsi, ne ingannarsi, e per qual Cagione, possa, o non possa ingannarsi, o sbagliarsi. Dica se sappia, che voglia significare l'Aria, ed Aspetto del Carattere, Naturalezza, Portatura, Formalità, Delineatura, ed ostenzione di Polso della scribente, Tiratura, Spianzo di Penna, e cilasso.* & quatenus affirmative *spieghi minutamente, che significano tali Parole.*

Sesto. *Dica se nel far la sudetta Perizia, gli fosse assegnata veruna Scrittura per Carattere certo di alcuno, e di chi, o verun'altra Scrittura, per Carattere incerto a dubbio, specificando qual Scrittura o Scritture gli fossero assegnate per Carattere certo, ed indubitato, e quali Scritture, per Carattere incerto, a dubitato, se in detta Scrittura, o Scritture assegnateli per Carattere certo vi sia l'Aria, e l'Aspetto del Carattere uniforme, al Carattere dell'altre Scritture assegnateli per mano dubbia, ed incerta, e se in detta Scrittura, o Scritture di Carattere certo, vi siano delle Lettere, tanto Majuscole, che Minuscole, e particolarmente la Majuscola P. e le Minuscole* l. r. q. p. *che comparate con l'altre Lettere Majuscole, e Minuscole, dell'altre Scritture, di Carattere dubbio, e particolarmente con la Majuscola* P. *e Minuscole* l. e. q. p. *dell'istesso Carattere dubbio, abbino, e si conosca aver l'istessa somiglianza, uniformità, e naturalezza di un'istesso scribente a segno, che si conosca, esser state tutte dette Lettere, e Scritture, tanto di Carattere certo, che incerto, e dubbio, scritte, e formate da una sola Persona, un solo Polso, e Scribante, specificando l'uniformità, naturalezza, e somiglianza, che possa tra la Scrittura, o Scritture di Carattere certo, e sue Lettere, con le Scritture, e Lettere del Carattere incerto,* & quatenus dixerit Scripturam, seu Scripturas, assignatas pro Caracthere certo, fuisse conscriptas, & exaratas ab alio diverso scribente, & non ab illomet, qui scripsit, & exaravit quoque Scripturas, assignatas pro Caracthere dubio, & incerto, *dica, da che comprenda, ed arguisca la diversità della Scrittura, o Scritture del Carattare certa, dall'incerto, diversità de Scribenti del Carattere certo ed incerto, adducendo le ragioni demonstrative, per le quali distingua la diversità tra dd. Caratteri, e scribenti. Dica, se le ragioni, che addurrà siano equivoche, e possi in ciò prender sbaglio o pure ragioni da non prender sbaglio, ne ingannarsi e per qual ragione possi, o non possi prender sbaglio, ne ingannarsi. Se vi siano, a vi possino essere altre ragioni più Forti, e più convincenti, che persuadino, e dimostrino il Contrario, cioè, che tutte le scritture, sì di carattere certo che incerto siano state scritte, e formate, non da più persone, Polsi, e scribenti, ma bensì da un istessa Persona, Polso, e scribente. Dica se gli basti l'animo di riconoscere le scritture esistenti in Processo, assegnateli per carattere certo, ed incerto per far d. Perizia, e se gli fossero mostrate, o pure non gli dia l'animo di riconoscerle, o non possa riconoscerle.*

In reliquis suppleat diligentia D. Judicis examinantis &c.

Nomina Testium examinandorum.

N. N. Filius N. }
N. N. Filius N. } super omnibus.

21 *Tertius modus* legitimandi Processum, est per *confrontationem* qui tantam efficax, & validus est in illis tantum Tribunalibus, in quibus vel ex particulari lege, vel expressa facultate a Sanctissimo impartita, vel ex Immemorabili stylo, ut est Tribunal Gubernii Urbis, fuerit introductus, & observatus; id circo has confrontandi formulas tibi damus, desumptas pariter ex *Practic. Martini fol. 205. secundæ edit.* imo melius ex *Praxi criminal. Thomæ Scipion. libro 4. cap. 3. num. 52. fol. 197. & seqq.*

Formula, Confrontationis.

Die .... Mensis .... Anni

22 Iterum constitutus personaliter coram D. Meque &c. in Carceribus Novis

N. N. fil N. de quo alias, qui monitus per D. de obligatione dicendi veritatem fuit per D.

Interrogatus, an tandem sit dispositus fateri veritatem melius, ac huc usque fecit in aliis suis examinibus, & constitutis super alias sibi contestatis, & quatenus &c.

Respondit ....

Tunc D. ad convincendum J.C. de mandacio, ipsumque disponendum ad fatendam veritatem pro legitimatione Processus, ac ad omnem alium meliorem finem, & effectum, mandavit ad ejus faciem adduci

N. N. de quo in Processu: quo adducto, delatoque eidem juramento dicendæ veritatis, prout tactis &c. juravit, & renovata per D. I. C. monitione, de qua supra &c. fuit per D. adductus.

Interrogatus, an ea omnia, quæ ipse dixit, & deposuit in suo examine (*seu suis examinibus*) circa personam præsentis C. fuerint, & sint vera, & pro veritate ab ipso dicta, & deposita, & quatenus affirmative, an modo tanquam talia sit nec ne promptus, & paratus confirmare, & ratificare in faciem præsentis C. & quatenus &c.

Respondit ....

Et lecto sibi per me &c. de mandato &c. examine ab ipso A. facto, de quo in Processu, alta, & intelligibili voce, illoque per ambos bene audito, & intellecto, prout asseruerunt, fuit per D. A.

Interrogatus, an ea, quæ sibi modo legi audivit, sint illamet per ipsum pro veritate deposita, & testificata, & quatenus affirmative, an tanquam talia modo ratificet, & confirmet in faciem I. C. & quatenus &c.

Respondit ....

Et iterum ostenso I. A. per me &c. de mandato &c. ad præsentiam S. C. Pallio (*vel alia re, de qua secundum casuum exigentiam agetur*) de quo in Processo &c. inter duo Pallia magis consimilia, illisque per I. A. bene visis, & inspectis, ac consideratis, fuit per D. A.

Interrogatus, an inter ista tria Pallia inter se consimilia (*vel ut supra*) sibi modo ostensa, recognoscat nec ne adesse illud, de quo mentionem fecit in prædicto ejus examine, & quatenus &c.

Respondit Sig. si, *che tra quelli trè ferrajoli mostratimi tra di loro consimili vi riconosco quello &c. che è questo istesso, ch' ora separando degl' altri prendo in mani, e mostrò a V. S.* prout indicans, & ab aliis separans D. mihique indicavit, & demonstravit Pallium, de quo in Processu -- prosequendo dicens -- *questo è d' esso, e per tale, e come tale riconosco benissimo anche alla presenza di questo Carcerato chiamato N., conforme ho deposto, e riconosciuto nel mio (o miei) esame lettomi.*

Præsente I. C., prædictaque omnia optime vidente, intelligente, & dicente -- *ho sentito &c. al che rispondo che lui ha deposto il falso.*

Replicante A. & dicente -- *Io ho detta la verità* --

Et data I. C. per D. facultate interrogandi A. cum protestatione, & monitione, quod Testes semel confrontati de Stylo Tribunalis Gubernii amplius non repetuntur.

Respondit *Io non voglio &c.*

Qua declaratione habita, & per D. acceptata, acceptatisque &c. A. e loco examinis licentiavit, ipsumque C. ad locum suum reponi mandavit sine præjudicio &c. omni &c.

Altera Formula confrontandi Socium cum Consocio criminis, & torquendi pro purgatione maculæ.

23 Expleto confrontationis actu, modo superius indicato, Socii cum Consocio criminis, dataque I. C. facultate interrogandi A. cum monitione. & protestatione, de qua supra, prosequere prout infra.

Et cum I. C. dixerit, nolle amplius interrogare I. A. fuit per D. adductus.

Interrogatus, an ea, que I. A. deposuit, & fassus fuit in d. suo examine (*sive examinibus*) & in faciem I. C. comprobavit, sit promptus, & paratus illa modo in tormento in faciem ejusdem C. quatenus opus sit, confirmare, & ratificare, & quatenus &c.

Respondit ....

Tunc D. ad purgandam omnem maculam, quæ circa dictum, & personam I. A. oriri, & considerari posset, ex quo se fecit Socium criminis, & ad tanto magis afficiendum personam supradicti Carcerati (*seu supradictorum. C. C.*) & in caput eorumdem absentium (*quatenus adsint absentes*) nec non ad alium meliorem finem, & effectum &c. mandavit I. A. in loco tormentorum existentem spoliari, ligari, & funi applicari.

Qui sic Spoliatus, ligatus, funique applicatus, antequam in altum elevaretur, fuit per D. benigne hortatus, ut Deum præ oculis habeat, qui est summa veritas, utque puram, simplicemque veritatem tradat, nec aliquem indebite inculpet, alias in hoc & alio seculo Deo, & Justitiæ rationem redditurus erit, Ideo &c.

Respondit -- *Ho sentito, che V. S. mi ammonisce &c.*

Tunc D. pro effectibus, de quibus supra &c. ac alias omni &c. mandavit I. A. in altum elevari.

Qui sic elevatus, incipiensque clamare *Oh Gesù &c.* fuit per D.

Interrogatus, an ea, quæ fassus fuit in suo examine, & postea comprobavit ad faciem præsentis C. vera fuerint, & sint, & ab ipso A. pro veritate di-

dicta, & quatenus affirmative &c. an omnia modo tanquam talia pro veritate ad faciem I. C. & in caput aliorum absentium (*quatenus adsint*) in tormento confirmet, & ratificet, & quatenus &c.

Respondit....

Et sibi dicto, ut modo recenseat ea, quæ fassus fuit, & ratificavit, & quatenus &c.

Respondit....

Et cum stetisset in dicto tormento funis sic elevatus tanto temporis spatio, quo prædicta omnia veluci calamo scribi potuerint, acceptatisque &c. D. mandavit I. A. leviter e tormento deponi, disligari, brachia reaptari, & ad locum suum reponi tam I. C. quam I. A. animo tamen &c. sine præjudicio &c. omni &c.

Si vero talis Socius erit Mulier, vel Impubes, non supponitur tormento Funis, sed alio leviori sibillorum sequenti modo.

Tunc D. Sedens &c. ad purgandam omnem maculam, quæ circa dicta, & personam I. A. oriri, considerari posset, ex quo se fecit Socium criminis, & ad tanto magis afficiendum I. C. & alios (quatenus adsint) de quibus supra in Processu &c. & in caput eorumdem absentium mandavit, ex quo mulier sibillorum tormento subjici, & sic Custodibus accersitis, & sibilis inter ejus digitis positis, & accomodatis ad præsentiam I. C. tormentari mandavit, & dum tormentabatur fuit per D.

Interrogata, an ea, quæ fassa fuit in suis examinibus, & postea comprobavit ad faciem præsentis C. vera fuerint, & sint, & ab I. C. pro veritate deposita, & ratificata, & quatenus affirmative, an ea omnia pro veritate confirmet, & ratificet in præsenti tormento ad faciem I. C. & caput absentium per ipsam nominatorum, & quatenus &c.

Respondit....

Et instante D. ut recenseat in substantia ea, quæ fassa fuit, & ratificavit &c.

Respondit....

Et cum stetisset in d. Tormento per tantum temporis spatium, quo prædicta veloci calamo scribi potuerint, D. acceptatis &c. mandavit sibila prædicta e digitis I. A removeri, & ambos ad locum suum reponi sine præjudicio &c. omni &c.

24 Plures quæstiones pertinentes ad hanc confrontationis materiam docte, & late examinatas habebis apud *Zuff. in tractat. de legitim. Process. quæst.* 132. *ad quæst.* 161 -- & præcipue circa stylum Tribunalis Gubernii legitimandi Processum per confrontationem, tria dubia examinat, & resolvit *in q.* 140. 156. *&* 157. Insuper nonnullas quæstiones theorico practicas, ac omni eruditione discussas, invenies apud *Joann. Ottun. Tabor. in tractat. speciali de confrontat. edito Giessæ Hassorum anno* 1663.

25 Et ad plenam notionem hujusmodi legitimationis Processus per confrontationem superaddimus has sequentes alias formulas, quarum *PRIMA quando confrontari debet testis cum uno, vel pluribus Inquisitis, cujus, vel quorum non habet neque nominis neque cognominis cognitionem*.

Die...., Mensis...., Anni....

Constitutus personaliter coram D. &c. meque &c. NN. fil. N. qui monitus quo ad se, delato autem quo ad alios juramento &c. prout tactis &c. juravit fuit per D.

Interrogatus an se tandem disposuerit ad veritatem fatendam super iis, de quibus fuit alias interrogatus, & signanter super argentis, aliisque Bonis, quæ Curia prætendit fuisse poenes ipsum, & Socios reperta tempore ejus capturæ, & quatenus &c.

Respondit &c.

Tunc D. mandavit adduci ad locum examinis N. N. de quo alias, quo adducto, & monitus quo ad se, delato autem quo ad alios juramento &c. fuit per D.

Interrogatus an I. C. velit tandem fateri veritatem super argentis aliisque bonis, quæ a Curia prætenditur fuisse pœnes ipsum, & Socios reperta tempore eorum Carcerationis, & quatenus &c.

Respondit.

Tunc D. ad effectum habendi recognitionem an II. CC. sint illimet, pœnes quos tempore eorum capturæ reperta fuerunt argenta, aliaque bona, mandavit ad locum examinis adduci, quatuor alios II. CC. magis consimiles, prout statim adducti fuerunt,

N. N. filius N.) N. N. filius N,
N. N. filius N.) N, N. filius N.

Quibus sic accersitis, & in ordine positis cum II. CC. qui juxta facultatem sibi locum eligerunt, nempe N. secundum locum in cornu sinistro, N. primum locum in cornu dextero, D. mandavit ad eorum faciem adduci,

NN. de quo alias in Processu, quo adducto, & delato sibi juramento &c. prout tactis &c. Juravit, fuit per D.

Interrogatus an inter istos sex Homines sic in corona positos recognoscat adesse aliquem ex illis, qui fuerunt carcerati, & de quibus alias deposuit, & quatenus &c. illos indicet, & tangat.

Respondit. *Avendo visti &c. questo che stà &c.* indicans, & postea movens se de loco ad locum manu tetegit primo Personas dictorum N. N. dicens &c: *quelli due sono quelli, e come tali riconosco &c.*

Qua recognitione habita, & per D. acceptata, acceptatisque &c. accersitos consimiles è loco examinis amoveri mandavit, ac illos in alia mansione separata detineri ad effectum &c. & prosequendo examen cum I. I. CC., & Adducto, renovatoque eisdem, & cuilibet ipsorum juramento, & monitione de veritate dicenda, prout tactis &c. jurarunt pro legitimatione Processus, ac alias omni &c. fuit d em A.

Interrogatus, an ea omnia, quæ I. A. dixit, & deposuit in suis examinibus de Persona præsentium CC, vera fuerint, & sint ab ipso pro veritate dicta & deposita, & uti talia promptus, & paratus sit confirmare, & ratificare in faciem II. CC. & quatenus &c.

Respondit. *Signor sì &c.*

Et lecto sibi per me &c. de mandato &c. ad claram &c. examine per I. A. facto, de quo in Processu &c. & per omnea bene audito, & intellecto, prout asseruit fuit per D. A.

Interrogatus an ea, quæ sibi modo legi audivit, sint illa met ab ipso pro veritate deposita, & uti talia ad faciem præsentium CC. pro veritate confirmet, & ratificet, & quatenus &c.

Respondit, *Ho sentito &c.*

Et iterum ostensis sibi ad præsentiam II. CC. argentis, de quibus supra, inter alia argenta consimilia illisque per. I. A. bene visis, inspectis, & consideratis, & præ manibus habitis fuit per D.

Interrogatus an inter argenta sibi modo exhibita recognoscat adesse illamet argenta per ipsum alias recognita, & de quibus mentionem fecit in examine

ne sibi modo lecto, & quatenus &c.

Respondit. *Hò veduto &c. e sono questi, che separo dagli altri, e mostro a V. S.* præ manibus accipiens illamet argenta, de quibus in processu dicens — *questi sono gl'argenti &c. e per tali, e come tali novamente li riconosco alla presenza &c.*

Præsentibus II. CC. & prædicta omnia viden., audien., & dicen. &c.

Primo loco } Inquisiti unus post alium.
Secundo loco }

Et data per D. facultate II. CC. interrogandi A. cum protestatione, & monitione, quod Testes confrontati de stylo Tribunalis Gubernii amplius non repetuntur.

Respondit. Primo loco N. }
Secundo loco N. }

Quibus declarationibus habitis, & per D. acceptatis A. licentiavit è loco examinis, & illud prosequendo cum II. CC. ad effectum de quo supra &c. mandavit ad locum examinis reconduci supradictos homines consimiles, prout fuerunt reconducti, inter quos prædictus N. pariter, secundum locum, & N. primum locum elegerunt juxta facultatem ad id concessam sibi per D.

Quibus sic in ordine positis — Sequere ut sup. &c.

Alia Formula recognitionis, & confrontationis.

Tunc D. ad effectum habendi recognitionem Personæ I. C. & ad omnem alium meliorem finem, & effectum, & ad convincendum I. C. de mendacio, eumque ad veritatem fatendam disponendum, ac pro legitimatione Processus, ac alias omni &c. mandavit ad locum examinis adduci [illegible] alios I. C. magis consimiles, prout accersiti fuerunt.

N. N. N. N.

Quibus sic accersitis, ac data I. C. per D. facultate eligendi inter eos locum sibi benevisum, & in ordine successive dispositis cum I. C. itaut primum locum ad sui libitum electum in ordine retineret, & mandavit ad eorum faciem adduci,

N. N. fil. N., de quo alias in Processu, quo adducto, & delato sibi juramento &c. prout tactis &c. juravit fuit per D.

Interrogatus an inter istos tres homines sic in ordine positos recognoscat adesse illum, de quo in ejus examine deposuit, & quatenus &c. eum manu tangat, D. mihique &c. demonstret.

Respondit. *Signor si &c. è questo, che stà nel primo loco a mano destra &c.* prout movens se de loco ad locum manu tetigit Personam I. C. dicens — *questo è quello &c. e per tale lo riconosco benissimo*.

Qua recognitione habita, & per D. acceptata, Accersitos consimiles è loco examinis licentiavit, & illud prosequendo cum I. C., & A., renovata eidem monitione de obligatione dicendi veritatem, & juramento I. A. prout tactis &c. juravit fuit per D. A.

Interrogatus an ea, quæ deposuit de Persona præsentis C. vera sint, & pro veritate dixerit, & deposuerit, & an modo pro veris ad ejus faciem ratificare, & confirmare intendat.

Respondit.

Et lecto &c. sequere confrontationem modo quo supra &c.

Secunda Formula respicit confrontationem Peritorum, hoc sequenti modo concepta.

Die.... Mensis.... Anni....

26 Iterum constitutus N. N., de quo alias, qui monitus per D. de obligatione dicendi veritatem fuit per D.

Interrogatus an se disposuerit veritatem fateri super alias sibi contestatis, & quatenus &c.

Respondit.

Tunc D. ad convincendum I. C. de mendacio ipsumque disponendum ad veritatem fatendam pro legitimatione Processus, ac alias omni &c. mandavit ad ejus faciem adduci N. N., de quo in Processu &c.

Quo adducto, & delato sibi, ac renovata I. C. monitione veritatis dicendæ, prout tactis &c. juravit fuit per D. A.

Interrogatus an ea, quæ dixit in sua Peritia, & examine, pro veritate dixerit, & deposuerit, & quatenus &c. modoque tamquam talia sit promptus, & paratus ea omnia, confirmare, approbare, & ratificare in faciem I. C., & quatenus &c.

Respondit.

Et lecto sibi per me &c. de mandato &c. examine, & Peritia per I. A. factis, de quibus supra in Processu &c. ad claram &c. illisque per ambos bene auditis, & intellectis, prout asseruerunt, fuit per D. A.

Interrogatus an ea, quæ modo sibi legi audivit sint illamet, quæ alias pro veritate deposuit, & testatus fuit, & quatenus an modo uti talia confirmet, & ratificet in faciem I. C.

Respondit. *Signor si &c.*

Et denuo ostensis per me &c. de mandato &c. I. A. ad faciem I. C. tam Bilietto, de quo supra in Processu, quam Scriptura per I. C. in eodem Processu facta ad dictamen D., & per I. A. bene visis, inspectis, & consideratis fuit per D. A.

Interrogatus an Scripturæ sibi modo ostensæ sint illæmet, super quibus I. A. fecit Peritiam, & quatenus, an illæ fuerint, & sint Scripturæ ab uno, eodemque Scriptore factæ, & quatenus &c.

Respondit. *Avendo visto &c.*

Præsente I. C. & prædicta omnia vidente, audiente, intelligente, & dicente *Ho sentito &c. al che dico &c.*

Replicante A., & dicente *Io dico, che ho detto la verità*

E data per D. facultate I. C. interrogandi A. cum protestatione, & monitione, quod Testes, & Periti confrontati de stylo Tribunalis Gubernii non repetuntur amplius.

Respondit.

Qua declaratione habita, & per D. acceptata, acceptatisque &c. A. licentiavit, & ad effectum, de quo supra mandavit ad ejus faciem adduci N. N., de quo supra.

Sequere confrontationem cum alio Perito, ut supra &c.

In hac confrontatione necesse non est, quod Periti interrogentur de cognitione Rei &c.

27 *Tertia Formula* continet confrontationem Chirurgi, vel Physici, quando examinati fuere in Processu informativo, super vulneribus, Venenis, aliisque casibus, in quibus requiritur Peritorum examen, ad probandum, quod crimen *scelere* admissum fuerit.

 Tunc

Tunc D. ad convincendum I. C. de mendacio, ipsumque ad veritatem fatendam disponendum pro legitimatione Processus, ac ad omnem alium meliorem finem, & effectum &c. mandavit ad ejus faciem adduci D. N. Physicum.

Quo adducto, & delato sibi juramento veritatis dicendæ prout tactis &c. juravit, ac renovata per D. I. C. monitione de obligatione dicendi veritatem fuit I. A. per D.

Interrogatus an ea, quæ dixit, & deposuit in suis Peritiis pro veritate dixerit, & deposuerit, & quatenus, sit promptus ea confirmare, & ratificare in faciem præsentis &c. & quatenus &c.

Respondit.

Et lectis sibi per me &c. de mandato &c. relationibus, & Peritiis per I. A. factis, & de quibus in præsenti Processu &c. ad claram &c. illisque per ambos prout asseruerunt bene auditis, & intellectis fuit A.

Interrogatus an ea omnia, quæ modo sibi legi audivit, sint illamet per ipsum deposita, & pro veritate relata, & uti talia nunc approbet, confirmet, & ratificet in faciem præsentis C. &c.

Respondit.

Præsente I. C. & prædicta omnia audiente, intelligente, & dicente. *Hò inteso*.

Et data per D. facultate I. C. interrogandi præsentem A. cum protestatione, & monitione, quod Testes confrontati de stylo Tribunalis Gubernii Urbis amplius non repetuntur Ideo &c.

Respondit.

Qua declaratione habita, & per D. acceptata, acceptatisque &c. A. è loco examinis licentiavit, & illud prosequendo cum I. C. pro legitimatione Processus de alias omni &c. mandavit ad ejus faciem adduci.

N. N. Chirurgum: sequere ut supra habetur.

28 Vidisti Lector, in supra descriptis *Formulis confrontandi testem, Peritum, aut Physicum cum Reo*, quod juxta stylum Tribunalium, confrontandus non recenset in substantia ea, quæ in alio examine deposuit; Sed illi, presente Reo legitur examen, sed adversus hunc confrontandi modum insurgit *Raynald. observ. cap. 34. §. 11. num. 5. & seqq.* dicens, quod confrontandus deberet recensere in substantia ea, quæ deposuit in alio ejus examine, juxta tradita per *Chartar de interr. libr. 3. cap. 3. num. 28 & Farinacc. quæst. 80. num. 91. & seqq.* idcirco subdit *Raynaldus*, quod Judices hac praxi male utuntur, sed responderi potest *Raynaldo*, quod stylus Tribunalium, etiam contra Jus, dummodo non sit naturale, neque divinum pro lege servari debet ad late tradita per *Joseph Amendol. in praxi par. 2. titul. 19. num. 10. & seqq* ubi quod stylus probatur ex inspectione aliorum Processuum ejusdem loci, & non debet esse difformis, *Cresp. de Valdaur. libro primo observ. 10. §. 1. num. 46.*; In confrontatione tamen Socii criminis cum Consocio, ac tortura, quæ ei infertur ad purgandam maculam, non ei legitur examen, ut practicatur de stylo in testibus, Peritis, aut Physicis, sed interrogatur, ut in tormento recenseat ea, quæ fassus fuit, & ratificavit, ut patet *ex Formula superius tradita nu. 23.* & hæc sint satis, quo ad legitimationem Processus, qui autem plura in hac materia exoptat, recurrat *ad Ziffum in ejus peculiari tractatu de legitim. Process.*

Ad titul. XX. num. 15. in med.

OBSERVATIO XXV.

De Degradatione verbali, & actuali.

SUMMARIUM.

1 *Inter pœnas Ecclesiasticas est suspensio.*
2 *Depositio quid significet.*
Degradatio, seu depositio Clericorum verbalis duplex est.
Degradatio Verbalis simplex quæ dicatur.
3 *Quando hæc degradatio Verbalis simplex Clericis imponatur, & pro quibus delictis.*
4) *De Jure Canonico Crimina etiam distinguuntur*
5) *in levia, atrocia, & atrocissima, & quæ dicantur.*
6 *Aliquando cum simplici depositione, Clerici detruduntur in Monasterium.*
Loco detrusionis in Monasterium, quid hodie practicatur.
7 *Ad hanc depositionem, seu degradationem simplicem infligendam non requiritur numerus Prælatorum.*
Vicarius Generalis, ex speciali mandato Episcopi, hanc depositionem simplicem dictare poterit.
8) *Depositio verbalis exauthorizativa, quæ dica-*
9) *tur, qui sint ejus effectus, & ad quem pri-*
10) *vative spectat.*
11 *Traditur Forma degradationis verbalis juxta* Textum in cap. 2. de Degrad. in 6.
12 *Qualis numerus Prælatorum requiratur.*
13 *Quid in hoc dispositum fuit Jure novissimo vigore* Concilii Tridentini.
Personæ quæ debent intervenire, uti Conjudices, & non simplices Assessores interesse debent.
14 *Degradatio realis, seu actualis, quæ sit.*
15 *Hæc actualis degradatio an quoque facienda sit coram Personis Ecclesiasticis?*
16) *Recensentur crimina, quibus Clerici degradan-*
17) *tur verbaliter, & actualiter*
18)
19)
20 *An pro crimine læsæ majestatis Clericus degradari debeat? & quid in aliis criminibus qualificatis.*
21) *Duo referuntur recentia exempla, unum pro*
22) *degradatione, alterum pro pœna triremium perpetuarum.*
23 *Quomodo intelligi debet pœna capitalis, seu Vitæ comminata contra Clericos in Bannimentis.*
24 *Clericus, vel Regularis quando dicatur incorrigibilis? remissive.*
Degradatio juxta Carol. de Graff. *non habet locum in delictis exceptis, nisi processum fuerit, per viam Accusationis.*
25 *An Judex Ecclesiasticus teneatur dare Processum Judici laico, & hic stare debeat dicto Processui, vel alium formare? remissive.*
26 *Modus practicus deveniendi ad degradationem verbalem, actualem, & consignationem degradati.*
27 *Formula sententiæ degradationis verbalis.*
28 *Refertur opinio illorum, qui existimant Prælatos assistentes non debere tanquam Conjudices votum dare.*
29 *Conciliari possunt dissidentes opiniones cum di-*

stin-

stinctione Follerii.

30 *Quod tradunt* Practici *in hoc degradationis actu*

31 *Quomodo fieri debet, & quo ordine actus degradationis realis seu, actualis.*

32 *Quomodo degradatio hæc juxta* Pontificale Romanum *fieri debet.*

33 *Verba, quæ profert Episcopus, in scriptis redigenda antequam deveniat ad actualem degradationem.*

34 *Formula* Pontificalis Romani *pro degradatione peragenda.*

35 *Formula, qua Episcopus degradans pronunciat, Degradatum consignari, & tradi Iudici Laico.*

36 *Describitur actus, & Formula, quo Degradatus consignatur Iudici Laico.*

37 *Alia plura ad eamdem degradationis materiam adnectuntur, spectantia, usque ad num. 43.*

AD ornatum eorum, quæ *hic Auctor* breviter dicit, quo ad degradationem, superaddendum est, quod in Jure canonico plures sunt contra criminosos Clericos, aliasque Ecclesiasticas Personas statutæ pœnæ ad mensuram gravitatis admissi sceleris, Inter cæteras autem utitur Ecclesia *suspensione, depositione simplici, & depositione exauthorizativa seu ipsa degradatione reali vel actuali* ad finem tradendi Ecclesiasticum Judici Seculari; *Suspensio* est censura, seu pœna Ecclesiastica, per quam alicui altaris ministerium, vel beneficii exercitium ad tempus interdicitur, seu prohibetur, ad tradita per *Bonac. tom. 2. titul. de suspens. disp. 3. punct. 1. nu. primo*; & quales in Jure, & Bullis Pontificiis statutæ sint suspensiones tum contra Clericos, tum contra Episcopos, tum contra Capitula, tum contra Religiosos, late recensentur a *Francisc. Schmier. in supplem. Jurisprud. canon. civil. cap. 3. q. 4. num. 24. & seqq. fol. 234. tom. 4.*

2 Depositio stricte sumpta remotionem perpetuam significat, *Corvin. libro 4. Iuris Canonic. titul. 46. Suarez, de censur. disp. 30. section. 1. num. 1.* & in hoc differunt suspensio, & depositio, quia illa ad tempus, ista perpetuo imponitur, *Abb. in cap. at si Clerici de Judic. Bernard. Diaz. in pract. crimin. canon. cap. 138. num. 1.* ubi simpliciter depositus, perpetuo depositus intelligitur, licet non exprimatur. Pro majori autem explicatione, animadvertendum est, quod *depositio, seu degradatio Clericorum verbalis* duplex est; *Prima* dicitur *simplex* quando quis privatur in perpetuum officio, & beneficio Ecclesiastico, non tamen privilegio Clericali, scilicet *fori, canonis, & bonorum*, cujus forma habetur in *cap. veritatis de dol. & contumac.* his verbis, *tulimus sententiam perpetuæ depositionis in ipsum, & eum tam a Pontificali, quam ab omni officio Sacerdotali privantes, sine spe restitutionis aliqua, duximus* CONDEMNANDUM, concordat *Textus in cap. At si clerici de Judic.* ibi — *deponendi, & ab altaris ministerio perpetuo removendi*, ita docent Canonistæ communiter *in d. cap. At si Clerici Sayr. libr. 5. de censur. cap. 20. num. 10.* Hinc Clericus depositus privilegia clericalia non amittit, ut notat gloss. *in cap. ut famæ verbo non amplius de sentent. excom.* & manifeste probatur *ex d. cap. At si clerici*, illis verbis —. *Sed non debet, quem habet depositum pro suis excessibus Curiæ tradere secularis*; quæ pœna simplicis depositionis potest imponi ab officio tantum, id est ab ordine, vel a beneficio tantum, vel a Pontificalibus tantum, vel a Jurisdictione tantum, *Gonzalez. Tellez. in cap. si quis num. 7. de Clerico ex commun. celebr., Suarez de censur disput. 3. section. 1. num. 3., & seqq.*, & quando in sacris canonibus fit mentio de depositione, intelligi debet de depositione simplici *Bonac. loc. cit. post. n. 7.*, ea ratione, quod verbum illud simpliciter prolatum semper interpetrandum est de minori pœna, *Bellett. disquis. Cleric. par. 1. tit. de favor. cler. personal. §. 10. num. 5. Bujard. ad Clar. q. 74. num. 1. Guazz. defens. 39. cap. 1. num. 12.*

3 Imponitur hæc depositio simplex Clericis pro delictis infamiam irrogantibus, ut sunt adulterium, Clericis Sacris initiati, concubinatus post monitiones, simonia, stuprum, incestus, furtum, perjurium, homicidium, & similia, vel majora crimina, quæ recensentur a *Joanne Petro Moneta de distribut. quotid. libro 2. q. 17. post num. 5. Bertachin. in tractat. de Episcop. p. 8. libro 4. titul. de causa materiali degradat. Hostiens. in summa titul. de accus. §. quis sit effectus versic. tradunt, Bonacc. loc. citat. de censur. disput. 4. punct. unic. post. num. 5. Sperell. dec. 116. num. 12. & seqq. tom. 2.*

4 Sed pro majori claritate notandum est, quod in Iure canonico ad instar Iuris civilis, crimina distinguuntur *in levia, gravia seu atrocia, & gravissima, seu atrocissima* LEVIA delicta de Jure canonico illa dicuntur, in quibus non intervenit dolus, vel si fit, est circa rem modicam, vel inter domesticos, super re similiter modica, *cap. cum dilecti de accus. Abbas in cap. tuæ discretioni num. 3. de pœnis*; GRAVIA vero, seu atrocia crimina in Clericis secundum Sacros Canones sunt *adulterium, Homicidium, Sacrilegium, falsum testimonium, &* ut habetur *in capit. si Episcopi distinct. 50. in cap. Apostolus distinct. 81. Cardin. in clem. prima notat. 5. de offic. Ordinar.*; simplex tamen fornicatio in Clericis non dicitur grave delictum, nisi in constitutis in Sacris, adversus quos depositione digna esset animadverti, licet de æquitate canonica, si pœnituerit, non deponantur *Cap. confraternitatis distinct. 34. gloss. in c. lator. verbo in corporalis. quæst. 7. Card. in clement. prima q. 2. de offic. ordinar.* quia pauci inveniuntur sine tali peccato, ut inquit *Textus in cap. quia Sanctitas distinct. 50.* atque ita intelligenda Jura canonica, quæ in contrarium allegari possent.

5 *ATROCISSIMA* vero delicta secundum sacros Canones sunt Hæresis, Apostasia, Simonia, Usura, & similia regulariter, quæ sunt depositione digna, de quibus abunde loquuntur Sacri Canones, in *cap. Archidiaconum & cap. Clericum distinct. 81. cap. Episcopus distinct. 35. cap. nulli distinct. 44. cap. 1. & 2. cap. si quis Clericorum distinct. 47. cap. 15. Episcopus, & cap. si quis rapuerit 23. q. 1. cap. 51. qui Sacerdotes cap. omnes 30. q. 1. cap. qui semel distinct. 50. cap. si quis Præsbiter distinct. 4. cap. in tantum distinct. 21. c. 51. si quis Sacerdotum 11. q. 1 cap. scelus 2. q. 3.* & similia: verum ex hujusmodi criminibus atrocioribus, seu maximis, Clericus non statim deponendus est, sed debet esse incorrigibilis, argum. Textus *in cap. cum non ab homine, & ibi Abbas num. 28. de Judic. gloss. in cap. Apostolos verbo ex damnatione distinct. 81. Silvester in summa verbo degradatio q. 4. Majol. in tractat. de Irregular. lib. 5. cap. 36. post. num. 3.* etenim ut advertit *Abbas in cap. At si clerici num. 3. de Judic.* hodie non multum attenditur ad quosdam Canones antiquos, qui de facili imponebant depositionis pœnam, ex quo nostri tem-

temporis ætas illius distinctionis censurā non patitur, ut dicit *Textus in cap. fraternitatis distinct.* 34. & signanter ob nullum delictum est deponendus Clericus, nisi in Jure specialiter exprimatur, *gloss. in summa* 15. *q.* 8. *verbo de ultimis* cum aliis ibidem allegatis.

6 Cum ipsa simplicis depositionis pœna aliquando additur, ut Clericus depositus detrudatur in Monasterium, vel ad perpetuam carceris pœnam, ad commissi sceleris pœnitentiam peragendam, *cap. tuæ de pænit. cap. Sacerdos distinct.* 81. cujus loco hodie Clericus damnatur ad triremes ad tempus, vel Vita durante, juxta delicti qualitatem, ut referunt *Farinac. q.* 129. *num.* 55. *Guazzin. ad defensam Reorum defens.* 39. *cap.* 10. *num.* 5. ubi exempla refert, signanter de Clerico Nobili damnato ob homicidium ad pœnam intrusionis in monasterium, facto prius verbo cum Sanctissimo, & quia erat inhabilis ad triremes, & propter non ordinariam ejus Nobilitatem: Hodie tamen servatur, quod si Clerici provident de eorum alimentis non transmittuntur ad triremes, sed illorum loco ad Ergastulum.

7 Advertendum tamen est, quod ad hanc depositionem infligendam, non requiritur illa solemnitas, seu numerus Prælatorum, prout requiritur ad degradationem, de qua inferius dicam, sed sufficit ipsa lex, vel sententia Episcopi, etiam sine consensu Capituli, ut colligitur *ex d. cap. veritatis de dol. & contumac.*, & docent *Joann. Andreas, Gemin. Franch.*, *& Anchar. in cap.* 2. *de pænis in* 6. *Sayrus de censur. libro* 5. *cap.* 22. *num.* 7. *& Menoch. de arbitrar. cas.* 415. *post. num.* 12. imo potest hæc sententia ferri a Vicario Generali ex commissione Episcopi, ad tradita per *Sbrozz. de offic. Vicar. quæst.* 157. *num.* 7. *& seqq.* ubi allegat *Baldum, Franch. & alios* subdens, quod ad hoc requiritur speciale mandatum, alias aliquem ab Ordine deponere nequit, sed tantum a beneficio amovere; Verum advertant Ordinarii, ne pœnam depositionis infligant, nisi in casibus a Jure expressis, ut ex pluribus monet *Sayrus loc. citat. cap* 21. *num.* 5. *& seqq.* ubi *viginti quinque* præcipua crimina refert, propter quæ in Jure expresse imponitur depositio.

8 *Secunda* species depositionis verbalis, quæ dicitur exauthorizativa, illa dicitur, quæ non solum perpetuo privat, ac removet Clericum ab omni officio, & beneficio (ut facit depositio verbalis simplex, de qua dictum est), sed illum privilegiis clericalibus privat, spoliat, ac degradat ad hoc, ut fiat de foro laicali, & ista primo fit per sententiam, & vocatur depositio, seu *degradatio verbalis*; & postea fit actu, & vocatur depositio, seu *degradatio actualis*.

9 Effectus enim hujus depositionis exauthorizativæ in eo consistit; nam cum certum sit, omnes in Mundo nasci laicos, & Seculari Principi a natura subditos, ob superveniens postmodum Clericatus privilegium quis a laicali Jurisdictione eximitur; Summus autem Pontifex, qui ex divina institutione Ecclesiasticis fori privilegium concessit, statuit, quod si Clerici vixerint indigne, committendo aliquod ex criminibus (inferius recensendis), Clericali privilegio deponantur, & priventur; consequenter ad originariam laici Principis Jurisdictionem revertantur, ut aperte colligitur ex verbis Textus *in cap.* 2. *distinct.* 24. ibi -- *Postquam de gradu ceciderit, ejus conditionis sit, cujus fuerat ante gradum. Ansald. de Jurisdict. part.* 3. *titul. unic. post nu.* 100., idcirco depositionis pœna in ordine ad spoliandum Clericum privilegiis Clericalibus ab Episcopo non potest inferri, nisi in casibus a Jure expressis; quia privatio privilegii Clericalis spectat privative ad solum Summum Pontificem, qui illud induxit, & extra casus expressos est consulendus Sanctissimus juxta casus relatos *a Farinacc. qu.* 8. *num.* 81. *versic. Ego in hoc & a Reynald. vot.* 174. *num.* 2., & alios duos casus (licet consulta S. Congregatione) refert *De Franchis decis.* 571. *num.* 1. *& post num.* 3.

10 Igitur degradatio verbalis (cujus cognitio privative spectat ad solum Judicem Ecclesiasticum ex Text. *in cap. cum non ab homine de Judic.*, *& Concil. Trident. session.* 13. *cap.* 4. *de reformat*) est sententia Episcopi lata super incursu pœnæ degradationis, ut habetur *in cap. degradatio de pænis in* 6. ibi -- *proprii Episcopi sententia*; etenim Episcopus non potest ex se illam pœnam imponere, sed sententiam fert super facto, quod constat, & super declaratione incursus pœnæ degradationis latæ per Canones, seu Pontificias Constitutiones.

11 In proferenda sententia degradationis verbalis, & in ipsa degradatione reali, seu actuali, Bonifacius VIII. *in cap. degradatio* 2. *de pænis in* 6. hanc formam præscribit -- *Degradatio qualiter fieri debeat a Nobis tua fraternitas requisivit, super quo tibi taliter respondemus, quod verbalis degradatio, seu depositio ab ordinibus, vel gradibus Ecclesiasticis, est a proprio Episcopo, sibi assistente in degradatione Clericorum in sacris constitutorum ordinibus, certo Episcoporum numero diffinito, canonibus faciendo, quamquam proprii Episcopi sententia, sine aliorum Episcoporum præsentia sufficiat in degradatione eorum, qui minores dumtaxat ordines receperunt. Actualis vero, seu solemnis (cœlestis militiæ militis, idest Clerici) degradatio, cum ad eam fuerit procedendum, ut ex auctorizatio ejus, qui militiæ deservit armatæ, cui militaria detrahuntur insignia, sicque a militia remotus Castris rejicitur, privatus consortio, & privilegio militari*; ubi glossa in figurato casu *versic. numero*, dicit, quod adjunget sibi Episcopus in causa Episcopi sex Episcopus, & in degradatione Præsbyteri, vel Diaconi tres, ob rationem, quod Episcopus ipse solus dat Ordinem, sed solus tollere non potest, excepto casu Heresis, in quo solus Episcopus, convocatis Abbatibus, aliisque Personis Religiosis suæ Diœcesis, degradare potest in vim *decretalis Gregorii IX. in cap.* 1. *de hæretic. in* 6., *& ibi Glossa verbo canonibus & in verbo pro hæresi*.

12 Quoniam vero Glossa *in d. cap.* 2. *de pænis verbo canonibus* allegat. Textum *in cap. si quis*, *& in cap. felix* 15. *qu.* 7.; a fonte eorumdem canonum diversus numerus legitur; siquidem tam *in cap. si quis tumidus* (desumptus ex Concilio Carthaginensi 1. *cap.* 11.), quam *in cap. felix* (pariter desumptus ex eodem Concilio Carthaginensi 2. *cap.* 10.), Pro Episcopis præscribitur numerus duodecim Episcoporum; pro Præsbyteris sex, & pro Diaconis tres; sic in *Glossa in versic. numero* error Typographi dignoscitur, dum dixit sex in degradatione Episcopi, cum dicere debuisset in degradatione Præsbyteri, ut patet inferius ex eadem Glossa *in verbo canonibus*, ubi in causa Præsbyteri sex Episcopos requirit.

13 Hodie autem, quia Concilium *Tridentinum in session.* 13. *cap.* 4. *de reformat.*, ea consideravit, quæ antea considerata fuere a Gregorio IX. *in d. cap.* 1. *de hæret. in* 6., quod nempe hic Episcoporum numerus facile haberi non posset; ita statuit -- *In casi-*

bus

bus, in quibus aliorum Episcoporum præsentia in numero a Canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere liceat, adhibitis tamen, & in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus usum Mitræ, & Baculi ex privilegio Apostolico habentibus, si in Civitate, aut diœcesi reperiri, & commode interesse possint, alioquin aliis Personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graves, ac Juris scientia commendabiles existant; Quæ Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ debent cum proprio Episcopo adesse in cognitione, & examine causæ, & in pronuncianda sententia degradationis, tanquam Judices ferendo suffragium, eo modo, quo ante Concilium requirebatur ex Gemin. in cap. degradatio numer. 5. de pœnis in 6. Archid. in summa 3. quæst. 8. Marc. Anton. Genuens. in practicab. Eccles. qu. 730., & Suarez. de censur. tom. 5. disput. 30. section. 1., num. 20., & sic concordes omnes esse debent in proferenda sententia contra Præsbyterum, nemine discrepante, nec sufficit major judicantium pars, juxta doctrinam Abbat. in cap. 3. num. 16. de sentent. & re judic. & ibi Felin. num. 5., Marant. de ordin. Judic. p. 4. distinct. 11. num. 71. & seqq., & Menoch. de arbitrariis casu 222. num. 10., quos refert, & sequitur Augustin. Barbos. de offic. & potest. Episcop. alleg. 110. post num. 26. versic. utrum, rejecta contraria opinione, & latius probat Bonac. disputation. 4. tit. de degrad. nu. 14. fol. 264., ubi quod Personæ Ecclesiasticæ debent adesse tanquam Judices, & omnes consentire, nemine discrepante; contrariis occurrendo argumentis.

14 Post degradationem verbalem sequitur degradatio realis, seu actualis, quæ est spoliatio, exauthoratio Clericalium privilegiorum, ac dimissio ab Ordine, seu extu Clericorum in executionem sententiæ verbalis degradationis, Bonacin. tom. 2. tit. de degradat. n. 2. ex Textu in d. cap. 2. §. Actualis de degrad. in 6., quæ degradatio realis, seu actualis differt a degradatione verbali, nam ex verbali, quæ fit per sententiam mandatur exauthorari, & spoliari Clericum, sed per ipsam sententiam non exauthoratur, nec privatur, nec spoliatur Clericus, nec dejicitur a suo gradu, & privilegiis Clericalibus, & lata sententia, seu facta degradatione verbali adhuc remanet Clericus sub Jurisdictione, & potestate Ecclesiæ, & gaudet privilegio Fori, ad tradita per Bonac. de censuris disput. 4. titul. de degrad. tom. 2. num. 3. versic. Tertio depositus fol. 364. ubi alios allegat, & disput. 2. qu. 5. punct. 3. §. 8. post num. 3. fol. 472., ubi loquitur etiam de appellatione, quæ interponi potest per degradatum; per realem vero, seu actualem degradationem, Clericus spoliatur, exauthoratur, & dejicitur ab ordine, & privilegio Fori, & revertitur ad Jurisdictionem Judicis laici ad Textum in d. cap. degradatio 2. de pœnis in 6., ubi DD. communiter apud Bonac. loc. citat. d. disput. 4. num. 2.

15 Quæsit Bonac. in d. disput. 4. num. 15., utrum actualis ipsa degradatio Clerici, ut Curiæ seculari tradatur, facienda sit coram Prælatis, vel Personis Ecclesiasticis, a quibus, ut dictum est, concorditer ferenda est degradationis verbalis sententia? Negativam refert opinionem, ex Alterio de censur., sed ipse attento Jure novo Tridentini affirmativam amplectitur, ob rationem, quod actualis, atque solemnis degradatio non solum consistit in prolatione sententiæ degradationis faciendæ, sed in ipsamet actuali degradatione, seu privatione gradus Sacerdotalis; & hanc tutiorem existimo.

16 Casus autem, seu crimina, quibus Clerici primum degradantur verbaliter, & postmodum actualiter exauthorizantur, & traduntur Judici laico, sunt primum CRIMEN HÆRESIS cap. excommunicamus §. damnati, & cap. ad abolendum § 1. de hæretic., cap. 1. & cap. super eo eod. titul. in 6, SECUNDUM EST CRIMEN FALSIFICATIONIS LITERARUM APOSTOLICARUM cap. ad falsariorum, de crimin. falsi, TERTIUM est crimen insidiarum & conspirationis contra proprium Episcopum, can. si quis Sacerdotum 11. quæst. 1. Doctores in cap. ad abolendum de hære ic. QUARTUM est crimen assassinii, ut in cap. pro humani de homic. in 6., QUINTUM est incorrigibilitas Ecclesiastici servatis gradibus præscriptis in Textu in cap. cum ab homine de Judic., qui quinque casus habentur in corpore antiqui Juris Canonici: nunc alii sequuntur deprompti ex novissimo Jure, seu ex diversis Extravagant. seu Constitutionibus Summorum Pontific., Hunc numero.

17 SEXTUM est crimen nefandum, adversus Præsbyteros, & Clericos Seculares, ac Regulares hujusmodi nepharium scelus contra naturam exercentibus, ex Constit. 72. S. Pii V. incip. Horrendum illud scelus, & in constit. 5. §. 11., Bullar. antiq. tom. 2., de cujus constitutionis intellectu plura tradit Farinacc. in quæst. 138. num. 30.; SEPTIMUM ET OCTAVUM est adversus eos, qui ad Ordinem Præsbyteratus minime promoti, missarum celebrationem reperti fuerunt usurpasse, vel Sacramentalem confessionem audivisse; Ab Inquisitoribus enim, & locorum Ordinariis ab Ordinibus, si quos habuerint, degradati statim Curiæ Secolari traduntur, debitis pœnis plectendi, ex Constitut. Pauli IV., apud M jol. de irregul. libro 4. cap. 13., ex Constit. Gregor. XIII. incipient. Officii nostri; ex Constit. Clementi VIII. incip. Et si alias 81., & Constitut. Urban. VIII. Apostolatus officium, ubi declaravit eas pœnas procedere etiam in Minoribus 25. annorum, Majoribus tamen 20. annor., ut in Bullar. antiq. tomo 2.

18 NONUM est crimen falsæ monetæ adversus Personas Ecclesiasticas tam Seculares, quam Regulares, quæ in Provinciis, Regnis, Civitatibus, & locis in Italiam dumtaxat existentibus, aureas, vel argenteas monetas tondent, fabricant, colorant, vel alias adulterant, aut adulteratas scienter erogant, vel exponunt; nam prævia degradatione Curiæ Seculari puniendi traduntur ex Constit. Urban. VIII. incip. In suprema edita Idibus Novembris 1627., ut in Bullar. antiquo tom. 4., DECIMUM est sollicitatio mulierum ad turpia in Confessione gravitate excessiva ex Constitut. 32. Gregorii XV. Bullar. antiq. tom. 4., UNDECIMUM est Astrologia judiciaria statum Reipublicæ Christianæ, Vitam Pontificis, & consanguineorum ejus definiens, ex Constit. 144. Urbani VIII., ut in antiquo Bullar. tom. 5.; DUODECIMUM est furtum Sanctissimæ Eucharistiæ, seu Sacræ Pixidis, (privative spectan. ad Supremum Inquisitionis Tribunal), juxta Motum proprium Innoc. XI. relatum a Cardin. de Alt ic. de inconstant. in fid. part. 1. cap. 34. post num. 82. confirmatum ab Alexandr. VIII. ad tradita per Ursoya Instit. crimin. libro 3. tit. 5. num 89., postmodum renovatam a Sanctissimo Domino nostro Papa Benedicto XIV. in ejus Constit. incip. Ab augustissimo Eucharistiæ Sacramento publicata die 12. Martii 1744., cum declaratione, quod in posterum non ad Fiscum, sed ad

Reum

Reum pertinet probare, quod Hostiæ non fuerint consecratæ, quodque ipsemet Reus non habuerit pravam intentionem, nec malum, aut sacrilegum finem abutendi, semper quod Sacræ Hostiæ derubatæ, aut aliter asportatæ conservabantur in Sacra Pixide, vel Ostensorio intra Tabernaculum, aut Reus in actu recipiendi Sacramentum Eucharistiæ, Hostiam ab ejus ore tolleret; etenim in his casibus satis probata est Fisci intentio, quod Hostiæ sint consecratæ.

19 *DECIMUM TERTIUM* ex Bulla *Pii IV. incip. in eligendis* 63 §. 19, si quis clam in conclave, ubi eligitur Summus Pontifex, aliunde, quam per hostium ingrediatur, degradatur, & Curiæ seculari traditur, teste *Thesaur. de pœnis Eccles. part. 2. titul. de conclave cap. 3.*, *ET DECIMUM QUARTUM* est illud contentum in Constitutione *S. M. Clementis XII. incip. In supremo Justitiæ solio §. insuper*, adversus Clericum primæ Tonsuræ, nullum Beneficium habentem Ecclesiasticum, duo homicidia præmeditata patrantem; quos casus (exceptis tribus proximis) recensentur a *Francisc. Monacell. in ejus formulario Eccles. tom. 2. titul. 15. formul. 11. nu. 3. & seqq.*, licet *Reynald. cap. 1. §. 14. num. 28.* ex Fagnano novem casus tantum recenset, & casum Furti Sanctissimæ Eucharistiæ seu Sacræ Pixidis refert idem *Dominicus Ursaja Instit. crimin. libro 4. tit. 5. numer. 89.*, ubi quod etiam comprehendit Regulares, *ex Pignatell. consult. 124. tom. 9.*, ubi quod in constitutionibus generaliter loquentibus comprehenduntur Clerici, & Regulares.

20 An pro crimine læsæ majestatis debeat Clericus degradari, & tradi Judici laico?, negative resolvit, rejecta contraria opinione, *Barbosa de offic. & potest. Episcop. alleg. 110. post num. 12.*, & strigis probat *Reynald. loc. citat. post num. 28. versic. In cæteris*, quapropter pro regula traditur, quod ultra exceptos casus, degradationi, & traditioni Curiæ Seculari non sit locus, ut notat *Rota in Lucana Jurispatronatus 4. Junii 1607. coram Coccin. num. 7.*; Sed obstare videtur Textus *in cap. novimus; de verbor. signific.*, ubi *Innoc. III.* inquit — *Ut Clericus, qui propter hoc, vel aliud flagitium grave, non solum damnabile, sed etiam damnosum fuerit degradatus, tanquam exutus privilegio Clericali, Sæculari Foro per consequens applicetur*, & docent *Anchiran. in cap. cum non ab homine num. 10. & seqq. de Judic.*, & *consil. 158. num. 5. & seqq.*, *Abbas in cap. At si Clerici num. 36. eod. titul.*; Sed videndus *Fagnan. in d. cap. cum non ab homine num. 37. & seqq.*, Nam latissime probat non esse locum degradationi, & traditioni Judici Seculari, nisi in casibus exceptis, loquens etiam in delictis, & cædibus qualificatis, & cum eo Idem *Raynald. observ. crimin. cap. 5. §. 1. ad 3. num. 145. & cap. 7. §. 1. num. 214. & seqq.*, & plura ad rem prolixius tradit *Julius Chartar. decis. crimin. 66. per totum*, ubi innumeros DD, & exempla refert *Farinace. consil. 143.*, ubi casum recenset, & *qu. 8. n. 81.*, & pro homicidio proditorio, videndus *Monac. ll. loc. citat. in adnotat. titul. 5. formul. 11. num. 2. vers. sic. U. proditor*, ubi testatur quid de consuetudine servatur videndi quoque, *Spada consil. 110. num. 12. & seqq.*, *Cabell. resol. crimin. cas. 60. numer. 33.*, *Sanmarol. de visit. Carcer. libro 1. §. 8. cap. unic. fol. 280.*, *Mercat. variar. libro 3. resol. 2. num. 1. & 13.*; Videnda etiam sunt exempla relata *per Reynald. l. d. cap. 5. §. 1. num. 116. 152.*, & *num. 167. & 169.*, & *vers. 174. Fagnan. loc. citat. num. 37.*, *De Franch. decis. 571.*, *Chartar. decis. 66.*, *Sayr. de censur. libro 5. cap. 22. num. 18. Donat. in praxi Regular. tom. 1. tract. 8. quæst. 7. num. 1. & seqq.*, & alios, quos brevitatis causa omittimus.

21 Inter exempla per allegatos Doctores relata, hæc duo novissima, & recentia, reticenda non sunt *Unum* de anno 1734. sequutum tempore *Sa. mem. Clementis XII.* etenim summus ille Pontifex consultus ab Episcopo Nusci, quo ad personam cujusdam Sacerdotis N. Rei confessi incestus cum ejus Fratriæ Viduæ, quam postmodum dolose, & improbe mediante Intromissione arsenici in pudendis in actu Venereo morti tradidit sic proditoriè infelicis Mulieris uterum venenando; ad relationem docti Viri D. *Advocati Mucci locumtenentis A. C. in criminalibus* cui ab eodem summo Pontifice commissa fuit causæ relatio, pro non degradatione rescripsit sub *die 6. Iunii 1734.* de quo rescripto ita testatur D. Relator — facta *relatione per me infrascriptum Sanctissimo Domino nostro super expositis, & resultantibus ex Processu per Curiam Episcopalem Nuscanam, compilato, Sanctitas Sua perpensis, & laudatis omnibus per dictam curiam gestis, censuit in casu delicti, de quo agitur, Sacerdotem N. carceratum esse condemnandum ad pœnam triremium in perpetuum, & privationis beneficiorum Ecclesiasticorum, & ad Episcopum Nusci pro executione* testatur tamen solita qua pollet ingenuitate idem D. Relator, quod quo ad qualitatem Veneni in Processu deficiebat consueta Peritia experimentalis siquidem Mulier in actu quo doloribus contorquebatur aliquam non paucam visibilem quantitatem Veneni ex utero reddidit in Massam, & inquisiti confessio recepta fuerat cum Juramento contra formam Concilii Romani.

22 Alterum pro degradatione Romæ sequutum Regnante S. M. *Innoc. XII.* etenim sub die 26. *Martii 1695.* degradati fuere & successive decapitati in atrio Carcerum novorum Urbis duo sacerdotes Regulares N. N. ob homicidium qualificatum ab ipsis commissum in personam Reverendi Patris Superioris localis Conventus N. N., ut constat ex *libro damnatorum ad mortem existente in officio Tribunalis Guberni Urbis*, alia exempla ultra adductos Doctores, refert Joannes *Grivell. decis. Dolan. 30. numer 7.* ubi refert casum cujusdam Sacerdotis, qui alium Sacerdotem, Patruum, & benefactorem suum proditorie, & ex insidiis crudeliter trucidaverat, & *numer 19.* alios casus resolutos refert Dominic. *Crisp. in tract. crimin. tract. 7. cap. 7. num. 27. & seqq.* ubi *num. 42.* resolvit, an degradatus possit appellare a Sententia degradationis, & dicere de nullitate, & *Carolus de Alexio ad Matthæum examin. 4. post. num. 46.* qui loquitur de homicidio commisso a duobus Regularibus cum qualitate proditionis, & latrocinii.

23 Pro coronide advertendum est, quod quando in edictis, vel Bannimentis pro aliquo crimine pœna mortis imponitur etiam contra Ecclesiasticos, & Regulares (ut passim legitur in Bannimentis generalibus Urbis) tunc quo ad dictos Clericos, vel Regulares practicari non potest capitale supplicium, siquidè pœna Vitæ simpliciter imposita Ecclesiasticis absque expressione degradationis, & traditionis Curiæ seculari, non Intelligitur de morte naturali; Nam hæc absque præcedenti degradatione verbali, & actuali in Ecclesiasticos dictari nequit, ut latius probat Idem *Carolus de Alexio loc. citat. num. 46.* ubi rationes, & Doctores adducit.

24 Quan-

24 Quando autem Clericus, vel Regularis dicatur incorrigibilis, ut possit degradari, & tradi Judici laico, prolixius examinat Carol. *de Graffis de effect. cleric. effect. primo num.* 797. *& seqq. Scacc. de Judic. libro primo cap.* 11. *num.* 62. *& seqq. Farinac. quaest.* 8. *num.* 49. *& seqq. Decian. in tract. crimin. par. prima libro* 4. *cap.* 9. *num.* 130. plura etiam de degradatione *idem de Graffis num.* 814. ubi Doctores ad satietatem allegat. *& n.* 833. subdit, quod Clericus nunquam debet tradi Curiae seculari, nisi contra eum processum fuerit per viam accusationis, ex *Bellamer. & Scapp.* quos allegat, ea forsan motus ratione, quod quando proceditur per Inquisitionem non potest de Iure canonico imponi pœna ordinaria, *ad Textum in cap. de manifesta* 2. *q.* 1. *in cap. si quis potestatem* 23. *q.* 4. *& in cap.* 1. *ut Eccles. benefic. Hostiens. in cap. in Archiepiscopatum de raptor. Bald. in margar. verbo pœna Marsil. in pract. crimin* §. *constante num.* 84. sed de hac limitatione cogitandum.

25 Ad quaestionem vero, an Judex secularis contra Clericum degradatum sibi consignatum debeat stare Processui formato a Judice Ecclesiastico, vel instituere novum Processum, vel formatum a Judice Ecclesiastico petere pro revisione, an juste formatus fuerit, adeas *Reiffenstuell in Jus canon. libro* 5. *t.* 37. §. 2. *num.* 49. *& seqq. & titul.* 8. *num.* 45. *& seqq. tom.* 5. *Sanfelic. decis.* 139. *tom. primo de Luca ad Franch. observat* 571. *num.* 2. *& seqq. Monacell. tom.* 2. *titul* 15. *formul.* 11. *num.* 12. *& seqq.* etenim citati Doctores latius quaestionem examinant, & resolvunt, nonnullis praemissis distinctionibus, *De Graffis in d. effect. primo post. num.* 828. alios allegat *Monacell. post num.* 12.

Actus Practicus deveniendi ad degradationem verbalem, actualem, & consignationem degradati.

26 Completo Processu in casibus, in quibus de Jure deveniri potest ad degradationem verbalem, & actualem, superius descriptis, ac expletis per Reum defensionibus, prout ordinarie in aliis practicatur, delictis, tandem devenitur ad *degradationem verbalem*, cujus formulae est sequens.

Formula Sententiae degradationis Verbalis.

27 In Dei nomine amen &c. Nos N. Episcopus N. (*describantur NOMINA OMNIUM Episcoporum, qui interveniunt in causa, vel ipsis deficientibus nomina aliorum in dignitate constitutorum*) in causa, & causis Inquisitionis, seu inquisitionum formatae, seu formatarum, per hanc Episcopalem Curiam N. (*seu aliud Tribunal Ecclesiasticum competens*) contra Clericum N. Civitatis, vel oppidi *seu Presbyterum vel Regularem N.* hujus diœcesis N. ad instantiam & querelam D. Promotoris fiscalis ejusdem Curiae, & N. Querelantis eidem Fisco adhaerentis de, & super (exempli gratia homicidio per eum cum qualitate assassinii commisso in personam miserabilis N. *vel ponatur aliud criminis nomen degradatione dignum*) & alias, ut latius in actis &c. Visa instantia R. D. Promotoris Fiscalis, & accusatione contra ipsum porrecta per praefatum N. Visis probatione corporis delicti, Testium depositionibus, constitutis, & confessionibus, visa citatione ad dicendum contra & ad sententiam, auditisque Procuratoribus, & Advocatis dicti N. oretenus, & in scriptis, auditoque in omnibus Domini fisci Patrono, viso denique, ac rimato toto Processu, ac visis, & consideratis omnibus aliis videndis, & de Jure considerandis, solum Deum, & Justitiam prae oculis habentes, in hunc, qui sequitur, modum pronunciamus, sententiam ferimus, declaramus, & promulgamus. CHRISTI NOMINE humiliter repetito, & invocato, Nos omnes qui supra dicimus, pronunciamus, decernimus, & diffinitive sententiando declaramus, supradictum N. Reum conventum, inquisitum, & modo quo supra processatum incidisse in pœnas (*V. G. Assassiniorum*) aliasque pœnas inflictas in sacris canonibus, decretis, & constitutionibus summorum Pontificum contra tales latas, & signanter in pœnas contentas in cap. pro humani de homic. in 6.) *vel in constit. &c. eo quia, fecit &c. apponatur descriptio delicti, vel delictorum, de quibus constat in actis*) propter quod crimen, vel crimina, de quo, vel quibus confessus, & convictus extitit, fore, & esse deponendum, ac omni officio, & beneficio Ecclesiastico, ac privilegio Clericali degradandum, prout Nos deponimus, degradamus, & declaramus, supradictum N. exutum, & privatum omni, & quocumque Ecclesiastico privilegio; ideirco authoritate Dei omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac nostra, eundem praefatum N. omni officio Ecclesiastico, & utroque Clericali privilegio, tum Fori, tum Canonis sententialiter, & perpetuo in his scriptis privamus atque ab illis verbo deponimus, ac pronunciamus, fore, & esse realiter, & actualiter juxta Sacrorum Canonum traditionem deponendum, & degradandum, spoliandum, & habitu Clericali, ac N. N. Judici Laico, sive aliis, ad quos spectat, tradendum fore, & esse, prout Nos per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam in his scriptis more majorum proferimus, pro Tribunali sedentes, deponimus, & degradamus, eumque privari, spoliari, & tradi mandamus, & ita dicimus, declaramus, ac diffinitive sententiamus, non solum praemisso, sed omni alio meliori modo &c.

Et subscribuntur omnes Episcopi, vel Abbates, aut Personae in Ecclesiastica dignitate constitutae, ut dictum est.

Ita pronunciavi Ego N. Episcopus N.

Ita pronunciavi (& hoc modo se subscribent omnes alii)

Postea sequitur Formalitas *lecta, lata &c.* ut practicatur de necessitate in aliis sententiis diffinitivis, & legitur dicta sententia praesente Reo.

28 Advertc, quod *hae subscriptio omnium Episcoporum, vel aliorum Personarum Ecclesiasticarum in dignitate constitutarum*, practicatur secundum opinionem *Bonacin.*, *Barbos. & aliorum* superius relatam *n.* 13. docentium, Praelatos, aliasque Personas in dignitate Ecclesiastica constitutas, quae degradationi interesse debent, juxta Concilii Tridentini decretum, assistere debere tanquam Conjudices, & suffragium dare, non autem pro actus solemnitate, quam etiam aliis relatis probat Petrus *Paulus Guazzin. Iunior. in tractat. ad defens. Animar. libro* 2. *defens.* 6. *cap.* 44. *num.* 41. *& Pellegrin. praxi Vicar. part.* 4. *section.* 16. *num.* 72. ubi post formulam, omnium subscriptionem requirit, ac *num.* 73. ita

ita vidisse practicari testatur; At quia opinio hæc impugnatur a *Petro Maria Passerin. in libr. 5. sexti decretal. in cap. 1. de hæretic. num. 24.*, ubi refert quamdam declarationem S. Congregationis Concilii, in qua dicitur, Abbates, & Personas in dignitate constitutas solum convocari ad actualem, & solemnem degradationem, ut assistentes, seu Assessores; his verbis conceptam -- *Non debent intervenire in examine Processus, sed tantum in solemni actual. degradatione, tanquam Assistentes, seu Assessores*, quam ex *Fagnano, Pirrhing. & aliis* verum existimat *Monacell. in d. titul. 15. formul. 11. post num. 14.*

29 Conciliari potest hæc dissentio *inter DD.* cum distinctione *Filler. in sua practic. crimin. canon. cap 33. num. 16.* dicentis, quod aut fit degradatio verbalis ad effectum perveniendi ad degradationem actualem, & tunc quando fertur sententia degradationis verbalis, & declaratur, perveniendum esse ad actualem degradationem, & eo casu requiritur dictus numerus Episcoporum, seu Personarum Ecclesiasticarum in dignitate constitutarum in ipsa verbali; si vero fiat dicta degradatio verbalis non ad effectum perveniendi ad actualem degradationem, & eo casu de generali consuetudine solus Episcopus per se, aut Officiales suos potest, non aliter interveniente dicto dictarum Personarum Ecclesiasticarum numero, degradare, punire, & deponere, & *numer. 20.* subdit, quod omnes illi, quando intervenire debent, non simpliciter assistere, sed ut Judices intervenire debent adeo quod omnes subscribere tenentur sententiam, & cum prædicta *distinctione Fillerii* concordat Pontificale Romanum, a Summis Pontificibus Gregor. XIII., & Clemente VIII. præscriptum, & novissime mandante *Sanctissimo Domino Nostro Papa Benedicto XIV.* editum *fol. 329. versic. circa depositionem*.

30 Et ut verum fatear, *apud omnes practicos* hanc formulam degradationis verbalis referentes, subscriptio omnium eorum, qui interveniunt, tanquam Judices, & non ut simplices Assistentes, habetur; sic *ultra Pellegrin. loc. citat.*, legitur *apud Episcop. Marell. in sua praxi crimin. canon. cap. 2. observ. 9. num. 27. & 35. fol. 184.*, & apud Marcell. *Megal. in praxi crimin. canon. capit. 16. post num. 25. fol. 435.*; propterea, qui contra praxim, traditam a præcitatis Doctoribus, amplecti existimaret opinionem *Passerini cum ejus asseclis*, aliud mutare non debet in tradita Formula, nisi in principio ponere nomen *solius Episcopi degradantis*, & *ipsius solius subscriptionem* in fine sententiæ, & subdere *præsentibus & assistentibus, RR. DD. N. N. &c.*

31 Post verbalem degrationem, juxta formulam superius traditam, devenitur ad actualem degradationem, quæ ab Archiepiscopo, cum assistentia aliorum Episcoporum, vel Personarum Ecclesiasticarum, juxta decretum *Concilii Tridentini sessione 13. cap. 4. de reform.* tali ordine expleri debet.

Præparatur tabulatum altum in aliquo atrio magno, sive Platea alicujus Ecclesiæ, vel in alio congruo loco, & ponuntur in dicto tabulato duo scamna, unum a parte dextera cum tapeto pro Illustrissimis DD. Episcopis, ac Vicario Generali, vel aliis Ecclesiasticis in dignitate constitutis, & aliud a parte sinistra pro Dominis Gubernatore, & aliis Ministris Justitiæ Secularis; Ante vero scamnum dictorum Episcoporum, & Vicarii apponitur tabula munita ad modum Altaris, & decenter parata cum Candelabris, in quibus sunt candelæ ceræ rubræ extinctæ, cum calice, & patena cum hostia, cum duabus phialis, seu ampullis, altera Vino, altera aqua repletis, cum Missali seu libro Evangeliorum, & vestibus omnibus Sacerdotalibus; quibus sic dispositis, assurgunt Episcopi vestibus Pontificalibus induti, & Vicarius vestibus suo statui decentibus similiter indutus, & asportato Reo coram eis, vestitur per ceremoniarum Magistros, seu alios Clericos huic functioni destinatos vestibus Sacerdotalibus (si sit Sacerdos, aliàs vestibus suo ordini convenientibus) ante altare prædictum, & tunc sic sacris vestibus indutus, & manibus tenens calicem præparatum, ac si ad celebrandum pergeret; vel si non sit Sacerdos, tenens vas, aut instrumentum, vel ornamentum ad suum ordinem spectans, ac si in suo officio deberet solemniter ministrare, adducitur ad præsentiam sui Episcopi, qui coram omni Populo, ad hunc effectum pro majori terrore congregato, declarat in vulgari alta, & intelligibili voce, qualiter dictus Reus, tale, vel tale delictum commisit, ex quo indignum tali gradu se reddidit.

Quo facto, prædictam sententiam verbalis declarationis, actualiter, effective, ac realiter exequendo, incipit illi auferre omnia insignia, ornamenta, ac vestimenta ei in ordinatione data, ordine retrogrado, incipiendo ab ultimis gradatim, usque ad vestem in prima tonsura sibi datam; In singulis autem vestibus utitur Episcopus, quibusdam terribilibus verbis, omnino oppositis his, quæ in collatione ordinum prolata sunt, prout inferius sigillatim recensentur.

32 Vel juxta Pontificale Romanum actualis hæc degradatio ita fieri poterit.

In primis in publico extra Ecclesiam paratur aliquis eminens congruentis spatii locus, pro degradatione facienda; supra quem ordinatur una credentia simplici tobalea cooperta, supra quam ponuntur ampulla vini, ampulla aquæ; calix cum patena, & hostia; unum vas vini; unum vas aquæ, liber Evangeliorum, liber Epistolarum; bacile cum buccali; & mantili; unum candelabrum cum candela extincta; liber Exorcismorum; liber Lectionum; claves, Antiphonarium, forfices, coltellus, aut vitrum; paramenta pro degradando, videlicet, si degradandus sit Archiepiscopus, ordinentur super dictam credentiam superpelliceum, sandalia, cum caligis; amictus; alba; cingulum; manipulus; tunicella; stola; dalmatica; chirothecæ; alia stola; planeta; mitra; annulus Pontificalis; pallium; baculus pastoralis; & aliqua vestis habitus sæcularis. Si vero degradandus non sit Archiepiscopus, sed Episcopus tantum, omisso pallio, ponuntur super credentiam omnia prædicta. Si vero Presbyter tantum, omissis pallio & aliis Pontificalibus paramentis prædictis, ponuntur ibidem omnia alia prædicta. Idem in aliis Ordinibus, etiam in ordinatione credentiæ observatur. Item paratur in dicto loco faldistorium pro Pontifice degradatore, sedilia pro Officialibus. Vocantur, & ibidem adsint ministri Pontificis; Judex sæcularis, cui degradatus committatur; Notarius, qui processum degradationis legit (si opus erit, vel Pontifici placet) & barbitonsor.

Hora congruenti ducitur degradandus, sive sit Archiepiscopus, sive quicumque alius, quotidiano suo habitu indutus, super dictum locum ad hoc præparatum; ubi cum fuerit, solvitur, & liber ibidem manet. Tum a Clericis induitur omnibus paramen-

mentis sui Ordinis , ut præmittitur , supra credentiam ordine suo positis, incipiendo a superpelicia , & continuando usque ad ultimum paramentum sui Ordinis. Quo sic induto , Pontifex degradator indutus amictu , alba , cingulo , stola , & pluviali rubeis , ac mitra simplici , baculum pastoralem in sinistra tenens , ascendit ad locum prædictum , & ibidem sedet in faldistorio , in convenienti loco sibi parato , versus ad populum, adstante sibi Judice sæculari. Tum degradandus , sive Archiepiscopus fuerit , sive alius , omnibus sui Ordinis vestibus sacris indutus , & singulis ornamentis ornatus , habens in manibus ornamentum ad Ordinem suum spectans , ac si deberet in suo officio ministrare , adducitur ante Pontificem , coram quo genuflectit . Tum Episcopus ut supra sedens , populo in vulgari notificat degradationis hujusmodi causam.

33 *Deinde idem Episcopus ad terrorem hæc verba proferre poterit.*

In Nomine Patris , & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Quia Nos N. Dei , & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N. per viam accusationis &c. cognoscentes de crimine assassinii (vel alio) contra N. Præsbyterum, vel Diaconum, vel Subdiaconum &c. hic præsentem , propter ipsius confessionem , vel legitimas probationes evidenter invenimus, eum illud commisisse , ob quod grande, damnabile , damnosum , & enorme crimen ipsum sententia in scriptis prolata sub die ... omni officio , & beneficio Ecclesiastico , ac utroque Clericali privilegio , tum fori, tum canonis privavimus , & deposuimus ; nec non in eadem sententia pronunciavimus realiter, & actualiter secundum Sacrorum Canonum traditionem esse dictum N. deponendum , & degradandum, & prout latius in dicta sententia , cui &c. ; idcirco Nos in vim prolatæ sententiæ de qua supra ad degradationem realem devenire volentes , authoritate Dei Omnipotentis Patris , & Filii , & Spiritus Sancti , & nostra , nunc ad dictam realem, & actualem degradationem præfati N. complendam devenimus secundum Sacrorum Canonum traditionem , & decreta S. Concilii Tridentini, præsentibus , & assistentibus infrascriptis &c. , *quo facto Pontifex degradator aufert ab illo singula ornamenta.*

Formula pro degradatione peragenda juxta Pontificale Romanum.

DEGRADATIO AB ORDINE.

PONTIFICALI.

34 S*I degradatus sit Archiepiscopus , Pontifex degradator aufert ab eo pallium , sic dicendo :*

PRerogativa Pontificalis dignitatis, quæ in pallio designatur , te exuimus , quia male usus es ea.

Deinde , vel si degradandus sit Episcopus tantum, Pontifex degradator amovet ei mitram , dicendo :

MItra, Pontificalis dignitatis videlicet ornatu , quia eam male præsidendo fœdasti , tuum caput denudamus ,

Deinde unus ex Ministris tradit degradando librum Evangeliorum , quem Pontifex degradator aufert de manibus degradandi , dicens .

REdde Evangelium , quia prædicandi officio , quo spreta Dei gratia te indignum fecisti , te juste privamus .

Deinde Pontifex degradator amovet annulum de digito degradandi , sic dicens :

ANnulum , Fidei scilicet signaculum , tibi digne subtrahimus , quia ipsam sponsam Dei Ecclesiam temere violasti .

Tum unus ex Ministris tradit degradando in manus baculum pastoralem , quem mox Pontifex degradator tollit de manibus degradandi , dicens :

AUferimus a te baculum pastoralem , ut inde correctionis officium , quod turbasti , non valeas exercere .

Deinde extractis sibi per Ministros chirothecis , Pontifex degradator abradit degradando pollices, & manus leviter cum cultello , aut vitro , dicens.

SIC spiritualis benedictionis , & delibutionis mysticæ gratia , quantum in nobis est , te privamus , ut sanctificandi, & benedicendi perdas officium , & effectum .

Post hæc Pontifex cum eodem cultello, aut vitro abradit leviter caput degradandi , dicens .

COnsecrationem , & benedictionem , atque unctionem tibi traditam radendo delemus , & te ab ordine Pontificali , quo inhabilis es redditus , addicamus .

Tum degradando per ministros extrahuntur sandalia.

DEGRADATIO AB ORDINE

PRESBYTERATUS.

M*Inistri tradunt in manus degradandi Calicem cum vino , & aqua , ac Patena , & Hostia , quem Pontifex degradator aufert de manibus degradandi , dicens :*

AMovemus a te , quin potius amotam esse ostendimus , potestatem offerendi Deo sacrificium, Missamque celebrandi tam pro vivis , quam pro Defunctis .

Deinde Pontifex degradator abradit leviter cum cultello, vel vitro pollices, & indices utriusque manus degradandi , dicens :

POtestatem sacrificandi , consecrandi , & benedicendi, quam in unctione manuum & pollicum recepisti , tibi tollimus hac rasura .

Quo dicto , Pontifex degradator accipit casulam sive planetam per posteriorem partem caputii , & degradandum exuit , dicens :

VEste Sacerdotali charitatem signante te merito expoliamus , quia ipsam , & omnem innocentiam exuisti .

Tum Pontifex degradator aufert a degradando stolam , dicens :

SIgnum Domini per hanc stolam turpiter abjecisti , ideoque ipsam a te amovemus, quem inhabilem reddimus ad omne Sacerdotale officium exercendum .

DEGRADATIO AB ORDINE

DIACONATUS.

M*Inistri tradunt degradando in manus librum Evangeliorum , quem Pontifex degradator tollit de manibus ejus , dicens :*

AMovemus a te potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei , quia id non competit , nisi dignis .

Xxx 2 *Tum*

Tum Pontifex degradans exuit degradandum dalmaticâ dicens:

Levitico ordine te privamus, quia tuum in eo ministerium non implevisti.

Deinde Pontifex degradator amovet degradando stolam de humeris, projiciens eam post tergum, dicens:

Stolam candidam, quam acceperas immaculatam in conspectu Domini perferendam, quia non sic cognito mysterio, exemplum conversationis tuæ fidelibus præbuisti, ut plebs dicata Christi nomini posset exinde imitationem acquirere, juste a te amovemus, omne Diaconatus officium tibi prohibentes.

DEGRADATIO AB ORDINE SUBDIACONATUS.

Ministri tradunt in manus degradandi librum Epistolarum, quem Pontifex degradator de manibus illius accipit, dicens:

Auferimus tibi potestatem legendi Epistolam in Ecclesia Dei, quia hoc ministerio indignus es redditus.

Tum Pontifex degradator exuit degradandum tunicella, dicens:

Tunica Subdiaconali te exuimus, cujus eor & corpus, timor Domini castus, & sanctus in æternum permanens, non constringit.

Deinde Pontifex degradator accipit a degradando manipulum, dicens:

Depone manipulum, quia per fructus bonorum operum, quos designat, non expugnasti spirituales insidias inimici.

Tum Pontifex tangens amictum degradandi, dicit

Quia vocem tuam castigasti, ideo amictum a te auferimus.

Post hæc unus ex Ministris tradit in manus degradando urceolos cum vino, & aqua, ac bacile cum manutergio, ac Calicem vacuum cum patena. Tum Archidiaconus tollit de manu degradandi urceolos cum vino, & aqua, ac bacile cum bucali, & manutergia. Pontifex vero calicem vacuum, & patenam tollit, dicens:

Potestatem tractandi sacrarium, tangendi pallas, vasa, & alia indumenta sacra, omneque Subdiaconatus ministerium exercendi, a te amovemus.

Deinde Ministri exuunt degradandum cingulo, alba, & amictu.

DEGRADATIO AB ORDINE ACOLYTHATUS.

Unus ex Ministris tradit in manus degradando urceolum vacuum, quem Pontifex degradator tollit de manibus illius, dicens.

Immunde, vinum & aquam ad Eucharistiam de cetero non ministres.

Tum unus Ministrorum tradit in manus degradando candelabrum cum cereo extincto, quod Pontifex degradator accipit de manibus illius, dicens.

Dimitte perferendi visibile lumen officium, quia præbere spirituale moribus neglexisti, atque universum Acolythatus officium hic depone.

DEGRADATIO AB ORDINE EXORCISTATUS.

Unus ex Ministris tradit degradando in manus librum Exorcismorum, quem Pontifex degradator tollit de manibus illius, dicens.

Privamus te potestate imponendi manum super energumenos, & dæmones de obsessis corporibus expellendi, omni tibi Exorcistatus officio interdicto.

DEGRADATIO AB ORDINE LECTORATUS:

Unus Ministrorum tradit degradando in manus librum Lectionum, quem Pontifex degradator tollit de manibus illius, dicens:

In Ecclesia Dei non legas ulterius, aut cantes; nec panes aut fructus novos ullatenus benedicas, quia tuum officium non implevisti fideliter & devote

DEGRADATIO AB ORDINE OSTIARIATUS.

Unus ex Ministris tradit degradando in manus claves Ecclesiæ, quas Pontifex degradator tollit de manibus illius, dicens.

Quia in clavibus errasti, claves dimitte; & quia ostia cordis tui male dæmonibus obserasti, amovemus a te officium Ostiarii; ut non percutias cymbalum, non aperias Ecclesiam, non sacrarium, non librum amplius prædicanti.

DEGRADATIO A PRIMA TONSURA.

Pontifex degradator extrahit degradando superpelliceum, dicens:

Auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum clericalem, & nudamus te religionis ornatu, ac deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te omni Ordine, beneficio, & privilegio clericali; & velut clericalis professionis indignum, redigimus te in servitutem, & ignominiam habitus sæcularis, ac status.

Tum Pontifex degradator cum forcipibus tondere incipit, & per barbitonsorem ibidem præsentem totaliter tonderi facit caput degradandi, dicens:

Te velut ingratum filium a sorte Domini, ad quam vocatus fueras, abjicimus, & coronam tui capitis, regale quidem signum Sacerdotii, de tuo capite amovemus, propter tui regiminis pravitatem.

Tunc Ministri Episcopi, seu Pontificis degradantis exuunt Degradatum veste, & habitu clericali, & ipsum induunt habitu seculari, quo facto, si fuerit talis casus, quo degradatus tradi debeat Curiæ seculari, Episcopus Degradator Degradatum amplius non tangit, sed complendo ACTUM devenit ad consignationem, & traditionem Degradati Judici laico, in hunc modum contra ipsum pronunciando.

For-

Formula qua Episcopus Degradans pronunciat, Degradatum consignari, & tradi Iudici Laico post expletum degradationis realis actum.

35 Propterea Nos N. considerantes, quod Tu N. in Sacris, & Præsbyteratus ordinibus constitutus, ut Homicida cum qualitate assassinii (gravitate, & notorietate criminis sic suadente) Curiæ seculari non sine animi nostri mærore tradendus es, & ideo coram nobis personaliter constitutus, & vestibus Sacerdotalibus indutus juxta præscriptam Pontificalis Romani formam, veste Sacerdotali, & singulis aliis in tuis ordinibus receptis, ac habitu, ordine dignitate, & privilegio Clericali, ac beneficiis perpetuo a Nobis exutus, spoliatus, depositus, degradatus, & exauthorizatus nuper fuisti, nunc dictam depositionem, & degradationem complentes, auctoritate Dei omnipotentis Patris, & filii, & Spiritus sancti, ac nostra, te sic depositum, & degradatum ab Ecclesiastica militia separamus, amovemus segregamus, rejicimus, & Clericali consortio, & privilegio penitus privatum, & sub Ecclesiæ protectione amplius non permanere declaramus & Judici N. præsenti tradimus, *ut* in suum forum te recipiat; eum enixe, & cum omni effectu quo possumus deprecantes ut amore Dei, pietatis, & misericordiæ intuitu, & nostrorum interventu præcaminum, miserrimo huic nullum mortis, vel mutilationis periculum inferat, sed illum *in* suum forum benigne recipiat, tractet &c.

Ita pronunciavi Ego N. Episcopus N. præsentibus, & assistentibus R. R. D. D. Abb. N. N., Archidiacono N. Decano N. &c.

36 *Quo facto, Ministri Curiæ Sæcularis degradatum sub eorum cura recipiunt, & custodiunt, & per Notarium, seu Cancellarium Curiæ Episcopalis, describitur actus traditionis, & consignationis in hunc modum.*

Qui Dominus Judex Secularis N. traditionem, & consignationem dicti Præsbyteri, vel diaconi N. degradati acceptavit, & illum una cum Processu (*quoties illi Processum esse tradendum Curia Ecclesiastica existimavit*) in suum Forum recepit, offerens se Jus, & justitiam administraturum, præsentibus & assistentibus.

Reverendissimo D. Abbate N. usum Mitræ & Baculi habent.
Reverendissimo D Abbate N.
Reverendissimo D V.J.D. Archidiacono &c. N.
Reverendissimo D. V. I. D. Decano &c.
Reverendissimo D. V. I. D. Præposito Collegiatæ N.

Reverendissimo D.V.I.D. Priore Collegiatæ N. omnibus in dignitate Ecclesiastica constitutis, ætate gravibus. ac Iuris scientia commendabilibus, qui commode interesse potuerunt; nec non præsentibus D. D. Canonicis, & capitulo Cathedralis, ac aliis Viris Ecclesiasticis doctrina, & virtute præditis.

Gesta, acta, & publicata fuerunt hæc in Oratorio publico (*seu Ecclesia, seu Sacrario*) N. J. die &c. Mensis . . . anni . . . . præsentibus supradictis Assessoribus, N. N. pro testibus adhibitis, & rogatis.

Ita est N. Cancellarius, & Actuarius Curiæ Episcopalis N. &c.

37 Usque adeo diximus de degradatione Clericorũ, aliquod clericale privilegium habentium; quid autem dicendum, si sint Moniales, vel Monachi Laici in nullo Clericorum gradu constituti, an & hi exauctorandi, & quomodo? Hunc casum a Nemine tactum dicit *Martin. del Rio in disquis. Magic. lib. 5. Section. 16. versic. Majus opus. fol.* 559. his verbis *De his ultimis non memini me quidquam legere, sed arbitror sufficere nudationem, seu spoliationem habitus Monastici, ut Viris caputium, fœminis velum cum Scapulari, & habitu supremo auferatur, vestisque Laica illis inficiatur, & ordine, cui se addixerunt, ejecti, spoliatique omnium Religiosorum privilegio, fortisque laicæ effecti declarentur, sicque Curiæ seculari tradantur*, & sequitur *Pellizarius in manual. Prælat. tractat. 7. cap. 3. num.* 123.& *de monialibus cap.* 8. *num.* 8. *versic. Quod autem fol.* 279.

38 Sed an Prælati Regulares habeant hanc potestatem deponendi subditos? negative resolvunt *Avila de censur. par. 3. disput. 5. libro 4. Sayr. de censur. libro 5. cap* 20. *num.* 28. *Barbos. ad Concil. Trident. Session.* 13. *cap.* 4 *de reform. post. num.* 5. nisi illis concessum sit; sed pro veritate videas *Didac. Sgroi in lucern Prælat. par. 7. cap. 3. num.* 198. *fol.* 839. ubi explicat Francisc *Schmalzgrueber. in Jus canon. tom. 5. titul. 37. post. num.* 146. ubi quod non possit degradatio actualis fieri a Prælato Regulari etiam si degradandus sit ejus subditus *Mogal. in praxi canon. cap.* 16. *num.* 8. ubi etiam loquitur de degradatione actuali, cum sit actus Jurisdictionis, non ordinis; *Joannes Baptista Lezana in summa quæst. Regular. verbo depositio post. num. 3.*

39 Insuper an detur degradatio realis, & actualis ficte facta ab ipsa lege, dissidentes opiniones refert Idem *Didac. Sgroi in dicto cap. 3. num.* 205. *& seqq.* obi quod in sensu illorum, qui hanc fictam degradationem admittunt in assassinio, vigore *Textus in cap. pro humani primo de homic. in*6. semper requiritur declaratoria Judicis Ecclesiastici; *& num.* 207. refert crimina, pro quibus Clericus ficte a lege degradatus habetur, *Menoch. de arbitr. cas.* 415. *post. n.* 28.

40 Quomodo formari debeat sententia degradationis, quoties Tribunal haberet utramque potestatem Ecclesiasticam scilicet, & secularem, habebis apud *Raynald. observat. crimin. cap. 7. §. 1. num.* 225. *seqq.* ubi exemplum refert; & *num.* 227. loquitur etiam de sententia degradationis proferenda contra Sacerdotem absentem, & contumacem: sed latius formulam degradandi verbaliter Absentem Contumacem tradit *Nicolaus Emeric. in director. Inquis. par. 3. nu.215. & seqq fol.530. & ibi Francisc. Pegna in commentar. 49. litter. D. latius agit fol.* 132. ubi etiam explicat, an in contumaciam verbaliter degradatus, si ad manus Curiæ Secularis devenerit, possit absque alia actuali degradatione morti tradi; *Carthar. de execut. sentent. cap primo post. num.* 282. *& seqq.*.

41 Rursus an Clerici primæ tonsuræ debeant actualiter degradari, & quid si in minoribus ordinibus constituti? inter se non conveniunt Doctores ut videre poteris apud *Rainald ad cap. 3. supplet. 3. n.21. & seqq. fol. 282. in edit. Venet* ubi, quod nunquam vidit practicari in minoribus constitutis ordinibus, inquit; sed non recedendum a ritu Pontificalis Romani docet *Monacell. ind. tit. 15. formul. 11. n. primo* rejecta opinione *Rainaldi, Passerin., & aliorum.*

42 Sed a quo fieri debeat degradatio Verbalis? distinguit Francisc. *Schmalzgrueber. in Jus canon. t.* 5.

in Ius canon. par. 4. titul. 37. num. 142. in hunc modum -- *Si degradandus sit Episcopus, vel Religiosus exemptus, degradatio verbalis fieri potest a solo Papa ex cap. accusatus, & cap. quamvis 3. q. 7. si vero inferior, ab Episcopo proprio, vel sede vacante a capitulo, vel horum Vicario generali*, & cum eo conveniunt *Reiffenstuell de Jur. canonic. lib. 5. titul. 37. de pœnis num. 39. & ibi Weistner. nu. 78. & 79., & Engel. post. num. 12.*

43 Quoniam vero supra recensendo casus, in quibus deveniri potest ad degradationem, mentio facta est *Constitut. Sanctissimi Domini nostri Papæ Benedicti XIV. incip. Ab Augustissimo* contra omnes utcumque *surripientes, vel asportantes, aut apud se retinentes Sacras Hostias, vel particulas consecratas, cum nonnullis declarationibus, & ordinationibus*, idcirco hic per extensum refertur, ne lector alibi eam perquirere defatigetur.

Sanctissimi Domini Nostri BENEDICTI PAPÆ XIV. Constitutio contra omnes utcumque surripientes, vel asportantes, aut apud se retinentes Sacras Hostias, vel Particulas consecratas, cum nonnullis declarationibus, & ordinationibus

BENEDICTUS EPISCOPUS.

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

AB Augustissimo Eucharistiæ Sacramento, in quo Salvator Noster, & Dominus JESUS CHRISTUS se ipsum nobis, tamquam gratiarum omnium fontem uberrimum, atque pretiosum æternæ gloriæ pignus, amandum, atque fruendum exhibere ineffabili benignitate dignatur; cui curvari convenit omne genu, omnesque gentes, & populos & linguas perennæ adorationis, & honoris tributum offerre; sceleratorum Hominum audaciam, multoque magis sacrilegas impiorum manus arcendas esse; in primisque a Nobis Apostolicæ auctoritatis clypeo, ac districto pœnarum gladio, quantum cum Domino possumus, longius propulsandas, tum ipso ministerii Nostri Officio, tum etiam Prædecessorum nostrorum exemplis admonemur.

Et sane cum alias Ven. mem. Prædecessor Noster Innocentius Papa XI. per suam Constitutionem datam IV. Idus Martii anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto, statuerit, ut omnes, & singuli utriusque sexus, qui de execrabili furto Hostiæ consecratæ, sive unius, vel plurium Particularum consecratarum, cum sacra Pyxide, vel sine illa, legitime, & judicialiter confessi, aut convicti fuerint, quive propria malitia, vel de alterius mandato, Hostiam ejusmodi, sive unam, vel plures Particulas consecratas, ad malum finem, apud se retinere, vel alio transferre, seu asportare præsumserit, condignis pœnis, & animadversionibus pro facinoris atrocitate plectantur, & pro prima etiam vice Curiæ seculari tradantur; non obstanti minori ætate, dummodo vigesimum annum attigerint; easdemque pœnas constituerit etiam contra Mandantes: Immediatus illius Successor fel. pariter record. Alexander Papa VIII., æquali zelo ad tam nefarium scelus eliminandum armatus, prædictam Innocentii XI. Constitutionem confirmavit, per aliam in simili forma datam XI. Kal. Januarii anni millesimi sexcentesimi nonagesimi; in qua etiam illud addidit, ut sub antedictæ Constitutionis dispositione intelligi deberent comprehensæ omnes, & singulæ personæ, tam Saeculares, quam Ecclesiasticæ, etiam Regulares, cujuscumque dignitatis, status, gradus Ordinis, Congregationis, Societatis, & Instituti, quibuscumque privilegiis, exemptionibus, & Indultis munitæ, & quavis speciali nota, aut individuatione dignæ, nulla prorsus excepta; easque omnes, si quas atrocissimi hujus criminis, quocumque modo, etiam sine qualitate furti, per se ipsas, vel per alios quoscumque, aut de alterius mandato, commissi, reas esse constaret, omnibus, & singulis pœnis tum antiquis, tum in dicta Innocentii XI. Constitutione innovatis, etiam quoad Ecclesiasticos degradationis realis, & traditionis brachio sæculari, omnino, & irremissibiliter abnoxias fuisse, & esse, atque in posterum fore declaravit.

Nos igitur, quibus horrendæ hujusmodi impietatis magis magisque præcavendæ non minor cura pectori insidet, supradictas Prædecessorum nostrorum Innocentii XI., & Alexandri VIII. Constitutiones (quarum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insertæ forent, haberi volumus) atque omnes, & singulas dispositiones, ordinationes, declarationes, & extensiones in illis contentas, prout jacent, Motu proprio, & ex mera scientia, & deliberatione Nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione confirmamus, approbamus, & innovamus, easque inviolabiliter, & inconcusse servari volumus & mandamus.

Cum autem, sicut Nos ipsi pluries agnovimus, dum adhuc in minoribus existentes, in Romana atque universali Inquisitione Consultoris munere fungebamur, in hujusmodi Causarum tractationibus, quæ coram Sacro prædictæ Inquisitionis Tribunali aguntur, hæ plerumque exceptiones a Reis, atque Reorum Advocatis proponi soleant; quod scilicet subreptarum Particularum, sive Hostiarum consecratio, & surripientium, sive asportantium, vel respective retinentium intentio ad malum finem directa, minime a Fisco probentur; & propter hujusmodi exceptiones, & deficientes in Fisco probationes ad easdem repellendas, hujus generis causas in longum protrahi contingat, atque etiam ipsi aliquando Rei delictorum suorum impunitatem, aut pœnarum minorationem pessimo exemplo obtinere tentaverint; Cumque super relevantia istarum exceptionum, quæ ex prædictarum Innocentii XI., & Alexandri VIII. Constitutionum contextu oriri asseruntur, & super eo, an ipsis Reis, vel Fisco potius incumbat onus conficiendi probationes pro supradictis exceptionibus fundandis, vel respective destruendis, novam aliquam declarationem Pontificia auctoritate suffultam memoratis Constitutionibus adjungi desideraretur; Idcirco Nos, volentes omnia sacrilegis Hominibus adimere subterfugia, per quæ condignas tantæ impietatis pœnas declinare, vel earum minorationem, & relaxationem prætendere, vel obtinere possent, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, atque etiam Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum a Sancta Sede spe-

specialiter deputatorum sensui, & consilio Nobis alias super hac re insinuato inhaerentes, ea quae sequuntur, opportune statuenda, & declaranda censuimus.

Quoties igitur per legitimas probationes constiterit, vel Hostiam, vel Particulas a Reo subreptas, sive alio modo asportatas, atque retentas, in Sacro prius Repositorio, seu Tabernaculo, vel in Sacra Pyxide, aut Ostensorio asservatas, indeque sacrilego ausu extractas, atque asportatas fuisse; vel eidem Reo constituto, aut alteri personae in actu Communionis a Sacerdote traditas, deindeque vel in eodem Communionis actu, vel post illum, ab ipso sumente ex proprio ore extractas fuisse; tunc satis, & abunde fundatam praesumptionem Fisco suppetere declaramus, pro asserenda earumdem Hostiarum, seu Particularum consecratione; ad quam excludendam nonnisi claras & concludentes in contrarium probationes admitti debere decernimus; quarum perficiendarum onus ad ipsum Reum pertinere dubitandum non est, ac ne in posterum dubitari contingat, praesentis declarationis tenore statuimus.

Inutiliter etiam a Reis, vel ab eorum Defensoribus proponetur exceptio non probatae pravae intentionis abutendi Sacramento ad malum, vel sacrilegum finem, nisi concludentibus, & juridicis probationibus, adstruendis pariter ab ipsis Reis, in quos tale onus praesentis declarationis vigore expresse refundimus, hujusmodi exceptio constabilita fuerit, & justa, aut excusabilis ratio asportationis, aut retentionis Sacramenti, plene comprobetur. Alias etenim Fisco semper assistet valida, & legitima praesumptio de intentionis pravitate, qui quiescumque probaverit, ipsam Sacrae Hostiae, vel Particulae subreptionem, asportationem, aut retentionem, absque eo quod, super malo, vel sacrilego fine, speciales probationes debeat cumulare. Itaque neque aliam superius memoratam exceptionem, ubi sufficienter, ut supra, probatae non fuerint, impiis tanti Sacramenti violatoribus ullatenus suffragari volumus, quominus omnibus, & singulis poenis, etiam pro prima vice traditionis brachio Seculari, & quoad Ecclesiasticos, degradationis realis, & traditionis pariter pro prima vice brachio Saeculari, in praefatis, & antiquioribus Praedecessorum Nostrorum, & juris sanctionibus, contra hujusmodi nunquam satis detestandi facinoris Reos juste, ac sapienter constitutis, subjiciantur, & cum effectu plectantur, & puniantur.

Decernentes praesentes Nostras Literas, & in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet in praemissis, seu eorum aliquo, jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, cujusvis status, gradus, Ordinis, praeeminentiae, vel dignitatis existant, sive alias specifica, & individua mentione, & expressione digni illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causae, propter quas eaedem praesentes emanaverint, adductae, verificatae, vel sufficienter, aut ullo modo justificatae fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, praetextu, & capite, etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Apostolicae potestatis plenitudine simili concesso, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter, & inconcusse observari.

Sicque, & non aliter in praemissis censeri, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicae Sedis praedictae Nuncios, aliosve quoslibet quacumque praeeminentia, ac potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & definiri debere; ac irritum & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quatenus opus sit nostra, & Cancellariae Apostolicae Regula de Jure quaesito non tollendo, aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis, etiam in corpore juris clausis, aut Literis Apostolicis quibusvis Personis, Collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, & S. Joannis Hierosolymitani, aliisve quiquslibet specifica, & individua mentione dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam clausulis, & Decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, & de Apostolicae potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium praemissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua mentio, seu quaevis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones praesentibus pro plene, & sufficienter expressis, & exactissime servatis, & specificatis respective habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad praemissorum effectum plenissime & amplissime motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Volumus insuper, & eadem auctoritate praedicta mandamus, ut eaedem praesentes, & in eis contenta quaecumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de eis ignorantiam praetendere valeat, ipsas praesentes, seu earum transumpta ad Valvas Ecclesiae S. Joannis in Laterano, & Basilicae Principis Apostolorum, de Urbe, nec non Cancellariae Apostolicae, & in acie Campi Florae per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est publicari, & affigi; Sicque publicatas, & affixas omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum periude afficere, & arctare, ac si unicuique illorum per-

personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

Utque earumdem præsentium transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis; ac sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides, tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti, declarationis, ampliationis, & extentionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadragesimo tertio, tertio nonas Martii Pontificatus Nostri Anno Quarto.

D. Card. Passioneus.

J. Datarius.

VISA DE CURIA
I. C. Boschi.

J. B. Eugenius.

Registrata in Secretaria Brevium.

Loco ✠ Plumbi.

Ad ornatum Formularij P. de Ameno *nonnullæ Formulæ tormentorum superadduntur, quæ in praxi servantur, signanter in Tribunalibus Urbis & Status Ecclesiastici.*

Formula Torturæ repetitæ.

Die.... Mensis.... Anni....

Iterum constitutus personaliter coram D.N. meque &c. in Carceribus novis.

N. N. de quo alias, qui monitus de obligatione dicendi veritatem, prout illam dicere promisit, fuit per D.

Interrogatus, an tandem sit dispositus fateri veritatem super crimine, vel criminibus sibi jam contestatis, & quatenus &c.

Respondit -- *La verità l'ho detta.*

Et per D. benigne monitus, & hortatus ad recedendum ab ejus obstinatione, liberamque tradendam veritatem super præmissis, alias pro ea habenda devenietur contra J. C. ad opportuna Juris, & Facti remedia, nempe ad tormentum funis, & quatenus &c.

Respondit -- *Sento l'ammonizione &c. al che rispondo, che la verità l'ho detta.*

Tunc D. Sedens &c, visa pertinacia J. C. veritatem de plano fateri recusantis, visis indiciis contra ipsum ex Processo resultantibus, aliisque visis viden., & consideratis consideran., inhærendo Decreto, vel Resolutioni Congregationis &c. in qua post auditos in suis Defensionibus tam in voce, quam in scriptis DD. Advocatum, Procuratoremque Pauperum, a quibus cum nil relevans ad ejus favorem fuerit deductum, fuit resolutum, ut contra J. C. procederetur ad tormentum funis, etiam repetitæ, mandavit eumdem in loco Tormentorum jam existentem per Carcerum Custodes spoliari, ligari, & funi applicari cum assistentia DD. N. Physici, & N. Chirurgi Charitatis, & Carcerum.

Qui sic spoliatus, ligatus, & funi applicatus, antequam in altum elevaretur, fuit per D. benigne monitus, & hortatus, ut, omissa pertinacia, liberam fateatur veritatem super præmissis, nec permittat, quod pro ea habenda in altum elevetur, prout elevabitur, quatenus in ejus obstinatione persistat, ideo &c.

Respondit -- *La verità l'ho detta.*

Tunc D. positis horologiis pulveris in solito cursu cum assistentia nominatorum Peritorum mandavit J. C. in altum elevari.

Qui sic elevatus cœpit clamare, & dicere &c.

Et instante D. pro veritate habenda.

Respondit -- *La verità l'ho detta.*

Et postquam denuo fuerit simili modo interrogatus, & Reus persistat in sua negativa, elapsa medietate horæ concluditur hoc modo.

Et cum stetisset in d. Tormento funis sic elevatus per spatium medietatis horæ ad horologium pulveris currentis, & nihil aliud ab eo haberi potuerit, D. mandavit, eumdem pro nunc leviter e d. Tormento deponi, disligari, brachia reaptari, & in mansione separata detineri animo &c. & sine præjudicio &c. & ita &c. omni &c.

Sequenti vero die, & post integrum lapsum viginti quatuor horarum continuabitur idem Tormentum per aliam horam modo sequenti.

Die.... Mensis.... Anni.

Iterum constitutus &c. N. N. qui monitus &c. fuit per D.

Interrogatus an tandem sit dispositus &c.

Respondit -- *La verità l'ho detta.*

Et monitus per D. ad recedendum ab ejus obstinatione negandi, tantisque mendaciis, liberamque veritatem fatendam super præmissis, alias pro ea habenda devenietur contra J. C. ad continuationem Tormenti.

Respondit -- *Sento &c. & io rispondo, che la verità l'ho detta.*

Tunc D. Sedens &c. visa pertinacia J. C. veritatem fateri nolentis, visis indiciis contra J. C. ex Processu legitime resultantibus, quæ per præcedentem Torturam illatam elisa minime fuerunt, aliisque visis viden., & consideratis de jure consideran., inhærendo Decreto, vel Resolutioni, de quo supra &c. cum assistentia eorumdem DD. N. Physici, & N. Chirurgi mandavit J. C. in loco Tormentorum existentem spoliari, ligari, & funi applicari.

Qui sic spoliatus, ligatus, & funi applicatus fuit denuo per D. monitus &c. & sequere eodem modo, quo supra.

Respondit....

Tunc D. positis horologiis pulveris in solito cursu mandavit eumdem in altum elevari.

Qui sic elevatus cœpit clamare, & dicere,

Et

Et instante D. pro veritate habenda.

Respondit....

Et postquam alias eadem modo interrogaveris, & Reus negativus persistat, durante tempore unius horæ, concludes hoc modo,

Et eum stetisset in d. Tormento sic elevatus per spatium unius horæ ad horologium pulveris currentis, & nil aliud haberi potuerit, D. mandavit eumdem e d. Tormento deponi, disligari, & brachia reaptari, & ad largam poni omni &c. & ita &c.

Formula Tormenti Taxillorum, nuncupat. Stanghette.

Iterum constitutus personaliter &c., *& postquam illum interrogaveris, & monueris eo modo, quo supra factum fuit, habitaque prius Peritia jurata Medici, & Chirurgi, qui testentur de impedimento corporali, pro quo non possit Reus tormento funis supponi, debet Iudex hoc facere Decretum.*

Tunc D. sedens &c. visa pertinacia J. C. veritatem fateri nolentis, visis &c. attenta Phisici, & Chirurgi Peritia super impedimento, quo Reus laborat, quo mediante non possit tormento funis supponi, mandavit eumdem Tormento Stanghettæ cruciari, prout accomodato J. C. per Carceris Custodes super strato ad hunc effectum præparato, accommodatoque illius pede intus Cippum, fuit monitus, & hortatus ut, omissa pertinacia, liberam veritatem tradat super præmissis, nec expectet Tormento prædicto cruciari, prout cruciabitur, quatenus in ejus obstinatione persistet, ideo &c.

Respondit -- *La verità l'ho detta.*

Tunc D. cum assistentia præfatorum Peritorum, mandavit J. C. d. Tormento comprimi, & cruciari

Qui dum comprimabatur, & cruciabatur fuit per D.

Interrogatus, ut veritatem dicat super præmissis.

Respondit -- *La verità l'ho detta.*

Et cum iterum comprimeretur, & cruciaretur, fuit denuo per D. monitus ad veritatem fatendam.

Respondit -- *La verità l'ho detta.*

Si vero Reus pluries compressus, & cruciatus, negativus remanserit, concludes.

Tunc D. cum videret J. C. in negativa persistere, & nolle aliud dicere, mandavit ejus pedem a Cippo removeri, & ad locum suum, vel ad Largam reponi, cum pluries compressus, & cruciatus de more fuisset per spatium medietatis, vel trium quadrantium horæ ad horologium pulveris currentis.

Adnotatione dignum videtur, quod Reus non debet semper comprimi, & cruciari d. Tormento, durante tempore recensito, sed interpolate, & aliquando, prout Medico, & Peritis visum fuerit, qui etiam debent esse cauti, ne Tortor violenter nimis, & plus debito comprimat.

Alia Formula tormenti Sibillorum, quod infertur Mulieribus, & Pueris, & in levibus delictis juxta Farinacc. q. 38 num. 68.

Die.... Mensis.... Anni....

Iterum Constitutus &c. vel constituta &c.

Prosequere interrogatorium ut supra, factaque monitione subdas.

Tunc D. sedens &c. visa pertinacia J.C. visis &c. pro veritate habenda, cum aliter ab ea haberi illa non possit, mandavit eandem, ex quo Mulier tormento Sibillorum supponi.

Prout accersitis Custodibus Carcerum, & Sibillis inter singulos ambos ejus digitos positi, antequam cruciaretur, fuit pluries benigne monita ad veritatem dicendam, quia alias d. tormento cruciabitur, ideo &c.

Respondit &c.

Tunc D. mandavit J. C. d. tormento cruciari, & clamare cœpit alta voce *oimè &c.*

Et cum stetisset in d. tormento supposita, manibus antea junctis; & inter earum binos digitos, Sibillis accommodatis, illisque per Carcerum Custodem fortiter compressis, per spatium trium Paternoster & nil aliud ab ea haberi potuisset, D. mandavit J. C. de tormento amoveri, & ad locum suum reponi omni &c.

Et quando adhibetur hoc tormentum ad purgandam maculam videbis *Martin. in praxi cap.* 59. *fol.* 233. & quo ad Mulierem tanquam Sociam Criminis *c.* 48. *fol.* 208. cujus Formula posita est a Domino Additionat. in *Observ.* XXIV. *num.* 23.

De Ratificatione Confessionis.

Quia P. Amenus in parte prima Praxis *Criminalis Tit.* 16. *Tortura* §. 9. *num.* 106. *fol.* 381. De materia Ratificationis Confessionis a Reo in Tormentis emissæ satis bene differuit, Formulam idcirco adhibendam in tali Ratificatione recipienda hic ponitur cum non sufficiat ad condemnationem Rei sola Confessio, in tormento habita, nisi deinde extra locum tormentorum formaliter ratificata fuerit.

Formula Ratificationis Confessionis.

Die.... Mensis.... Anni....

Iterum Constitutus personaliter coram D., de quo supra, meque &c. in Corritorio Carcerum Novorum, ubi nullum adest Tormentorum genus, neque illius signum.

N. N. de quo alias, qui monitus quoad se, delato vero sibi quoad alios juramento veritatis dicendæ prout tactis &c. juravit (& hoc fiet, quando ex eodem Processu remaneant alii Inquisiti super eodem crimine, si vero solus sit, uteris sequenti formula) qui monitus de obligatione veritatis dicendæ, prout illam dicere promisit, fuit per D.

Interrogatus, an ea omnia, quæ hesterna die fassus fuit occasione tormenti sibi illati, fuerint, & vera sint, & pro veritate dicta, modoque tanquam talia promptus, & paratus sit confirmare, & ratificare in hoc Corritorio, ubi nullum adest Tormentum, neque illius signum.

Respondit.....

Et sibi per D. dicto, ut modo summatim, & in substantia recenseat ea, quæ in dicto Tormento deposuit, vel ad comminationem, vel aliter, prout casus erit.

Respondit. *Quello, che io jeri dissi nel tormento della Corda, o della veglia, fù in sostanza, che io commessi il furto a danno di N.* & sic prosequere totam Facti confessati narrationem *è questo, e quanto dissi, a confessai jeri nel detto Tormento, ovvero quan-*

quando V. S. mi minacciò di darmi la corda, ovvero come sopra.

Interrogatus, an ea omnia modo promptus sit, & paratus confirmare, & ratificare extra dictum Tormentum.

Respondit. *Si Signore, che &c.*

Et lecto sibi per me &c. de mandato &c. ad claram &c. dicto ejus examine, facto in dicto Tormento, & de quo in præsenti Processu, quo per I. C. bene audito, & intellecto, prout asseruit, fuit per D.

Interrogatus, quid dicat de his, quæ sibi modo legi audivit, & quatenus &c.

Respondit. *Quanto V. S. mi ha fatto leggere da questo Signor Notaro, riconosco esser &c. e come tale, e per tale confermo in tutto per la verità in questo luogo.*

Et iterum ostensis sibi per me de mandato &c. rebus, vel armis, aut his (de quibus secundum casuum contingentias agetur &c.) de quibus in præsenti Processu, & per I. C. bene visis, inspectis, & considerati fuit per D.

Interrogatus quid dicat de rebus &c. sibi modo ostensis iterum, & quatenus &c.

Respondit. *Queste robbe* (& hic describentur qualitates rerum vel aliorum &c.) *che V. S. mi fa vedere di bel nuovo, riconosco esser quelle stesse di me rubbate, come &c.* & sic de singulis, *e come tali, e per tali le riconosco benissimo.*

Tunc D. acceptatis &c. examen dimisit, & I. C. ad locum suum (quatenus ageretur de imponenda poena mortis ordinaria) vel ad largam reponi mandavit sine præjudicio &c. non solum &c. sed & omni &c.

Aliquando evenit, quod Rei confessionem in tormentis factam nolunt ratificare, dicendo, illam emisisse præ dolore tormenti, idcirco tunc Iudex debet in Processu redigi facere dictæ Confessionis revocationem, eo modo, & verbis, quibus illam Reus revocat, juxta monitum *Raynald. observ. Criminal. cap. 34. §. 12. num. 64. tom. 3.* Sed postea debebit Judex eidem replicare, & contestare modo sequenti, vel alio magis proprio, ut Iudici videbitur.

Et sibi dicto per D. quod Tormenta inferuntur ad eruendam veritatem, quam cum I. C. dixerit, eaque verificata remanserit ex indiciis, aliisque ex Processu resultantibus, malitiosa propterea redditur I. C. responsio, præ dolore tormenti Confessionem relatam emisisse, ideoque benigne monetur ad veritatem fatendam.

Respondit &c.

Et sibi per. D. replicato, quod cum Indicia contra I. C. laborantia non solum in nihilo fuerint diminuta, imo aucta, ex confessione, Curia, & Fiscus legitime prætendunt posse deveniri contra I. C. ad ea, quæ Juris erunt, non obstante ejus inconstantia, ideo &c,

Respondit &c.

Tunc &c.

Vel si velit Judex iterum, Reum tormento subjicere post responsionem habitam ab Reo Confessionem ratificare nolente, ita se habebit.

Et sibi dicto per D. quod tormenta inferuntur ad eruendam veritatem, quam cum J. C. dixerit, eaque justificata remaneat, ex indiciis, & probationibus, ex Processu resultantibus, malitiosa propterea redditur I. C. responsio, præ dolore tormenti veritatem emisisse; idcirco quia indicia contra J. C. laborantia, non solum in nihilo fuerunt diminuta, imo aucta, & multiplicata, ideo benigne monetur ad dicendam veritatem, alioquin deveniretur contra J. C. ad continuationem tormenti, quatenus &c.

Respondit. *Signore, che V. S. mi dice &c. Rispondo, che la verità l'hò detta, e sono Innocente.*

Tunc D. sedens &c. visa pertinacia I. C. nolentis, de plano confessionem ratificare, viso, quod indicia contra J. C. resultantia in nihilo fuerunt diminuta, imo aucta, & multiplicata, aliisque visis videndis, & consideratis considerandis, inhærendo decreto in Congregatione facto, de quo supra &c., pro veritate habenda, cum illa aliter haberi non possit, mandavit pro continuatione tormentorum J. C. in loco tormentorum duci, ibique spoliari, ligari, & dicto tormento funis de more supponi cum assistentia D. D. Physici, & Chirurgi &c.

Qui sic spoliatus, ligatus, & funi applicatus, antequam in altum elevaretur, fuit iterum per D. benigne monitus, ut omissa pertinacia, liberam fateatur veritatem, nec expectet iterum, pro ea habenda, in altum elevari, prout omnino elevabitur, quatenus obstinatus, in illam negando perseveret.

Respondit. *La verità l'hò detta.*

Tunc D. repositis horologiis in solito cursu, cum assistentia nominatorum Peritorum mandavit J. C. in altum elevari.

Qui sic elevatus &c.

Si autem Reus sustinuerit negativam, concludendum venit hac methodo.

Tunc D. cum J. C. stetisset in d. tormento Funis, per spatium unius horæ, *vel* trium quadrantium, ad horologium Pulveris currentis, & nihil aliud ab eo potuisset haberi, mandavit J. C. leviter a tormento deponi, disligari, brachia reaptari, revestiri, & ad largam poni omni &c.

FINIS SECUNDÆ PARTIS.

INDEX

INDEX

RERUM NOTABILIUM,

Quæ in Tractatu De Incorrigibilium expulsione ab Ordinibus Regularibus, & in Constitutionibus Apostolicis ad materiam criminalem spectantibus huic tomo insertis, atque in Observationibus Cl. Viri Joannis Baptistæ Gallucci Advocati Romani continentur.

Res in Tractatu de Incorrigibilium Expulsione contentæ, in hoc Indice sub hac nota, De expulf. *Quæ in Constitutionibus Apostolicis, sub hac*, Constit. *Quæ verò in Observationibus extant, sub aliâ notâ*, Obser. *reperies*.

A

ABbates Mitræ, & Baculi usum habentes possunt tamquam Judices intervenire degradationi actuali Clericorum. *Obser.* 25. *a num.* 13. *pag.* 526. *& seq.*

Abortum committentes, & hujus delicti complices, quibus pœnis subjaceant juxtà Urbis Bannimenta. *Obser.* 22. *Append. ad sect.* 3. *num.* 6. *& seqq. pag.* 420.

Accusatores non recipiuntur in testes. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 18. *&* 24. *pag.* 463. *& seq.*

Acta primæ instantiæ, in casu appellationis transmitti debent ad Judicem Appellationis. *Obser.* 20. *num.* 1. *&* 2. *pag.* 384. Solmà Notario mercede, pro eorum copia, & quanta sit hæc merces. *num.* 3. *&* 14. *pag.* 384. *& seq.* A quo sit solvenda, & à quo acta sint transportanda. *num.* 19. *pag.* 386. Hæc merces non debetur, si appellans sit pauper; quinam dicantur pauperes, & quomodo probanda paupertas. *n.* 4. *& seqq. pag.* 384. *& seq.*

Acta dum appellans producit coram Judice appellationis an debeat partem citare, sive causa sit civilis, sive criminalis. *Obser.* 20. *num.* 17. *&* 18. *pag.* 386. Quænam acta exhibere debeat Judex, à quo appellatur. *num.* 22. *pag.* 386. Quid agendum si Curia Ecclesiastica, à qua appellatur ad Tribunal A. C. recuset acta transmittere. *num.* 15. *&* 16. *pag.* 385. *& seq.*

Acta si vel nondùm incœpta coràm Ordinario, vel non satis impinguata fuerint, non sunt communicanda Reo appellanti, sed hoc in carceribus detento, demandanda est actorum compilatio, vel impinguatio. *Obser.* 20. *num.* 25. *pag.* 387.

Acta comunicata sex Patribus, qui in Ordinibus Regularibus deputantur pro causis expulsionum Incorrigibilium, quomodo restituenda sint Superiori, qui ea communicavit. *De expulf. par.* 1. *q.* 5. *n.* 57. *pag* 170.

Actus legittimus non admittit conditionem. *De expulf. par.* 3. *q.* 32. *num.* 234. *pag.* 233.

Actus contra legem gestus ex ignorantiâ invincibili excusat à culpâ, & pœnâ. *Obser.* 22. *sect.* 2. *n.* 6. *pag.* 408.

Adminicula unde desumantur, & quid efficiant in causis criminalibus. *Obser.* 23. *sect.* 1. *n.* 13. *&* 17. *pag.* 457. *& seq.* Quomodo dici possint de substantiâ delicti, & concurrant ad convincendum de eodem delicto, & possint probari. *Subsect.* 4. *a num.* 14. *pag.* 488.

Administratio rerum temporalium competit Expulsis à Religionibus. *De expulf. par.* 3. *q.* 21. *num.* 129. *pag* 207.

Adolescentia quibus annis concludatur. *Obser.* 22. *sect.* 4. *num.* 2. *pag.* 411.

Adoptans aliquem in filium tenetur illum alere, non autem adoptati pater. *De expulf. par.* 3. *q.* 28. *num.* 184. *pag.* 221.

Adulter potest mutare statum, si conjux innocens nolit cum ipso reconciliari. *De expulf. par.* 3. *num.* 87. *pag.* 199.

Adulterium quomodo sit per testes probandum. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *num.* 18. *pag.* 470.

Adversarius quando non admittitur in testem. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 27. *pag.* 464.

Ære alieno; sive publico; sive privato, abuti prohibetur Depositariis, Exactoribus, aliisque Ministris sub gravibus pœnis. *Const. pag.* 264. *& seqq.*

Ætates hominum sex recensentur, & explicantur. *Obser.* 22. *sect.* 4. *num.* 1. *&* 2. *pag.* 421. Quæ ætas requiratur, ut quis pubertati dicatur proximus. *n.* 7. *&* 9. *pag.* 422. *& seq.* Utque usum rationis habeat, ac doli, & culpæ sit capax. *num.* 4. *&* 8. *pag.* 422. Et in excommunicationem, interdictum, ac irregularitatem incidat. *num.* 10. *pag.* 413.

Ætas quænam requiratur, ut delinquens possit ex indiciis torqueri, & pœnâ ordinariâ, aut extraordinariâ puniri, etiam in delicto atrocissimo. *Obser.* 22. *sect.* 4. *num.* 15. *& seqq. pag.* 423. *& seq.* Ubi res tota luculentissimo declaratur exemplo.

Ætas quæ requiratur, ut quis sit testis idoneus ad convincendum, præsertim in criminalibus. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *à num.* 1. *pag.* 460.

Affines cujuscumque gradus an testes esse possint respectu sui affinis. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *à num.* 8. *pag.* 461.

Alimenta Monacho de uno in aliud Monasterium propter delictum deportato Suppeditari debent à primo Monasterio, præsertim si Monachus bona illi intulit. *De expulf. par.* 3. *q.* 4. *n.* 19. *pag.* 181. Aliter, vel à primo, vel à secundo, vel ab utroque Monasterio, vel à Capitulo Generali, juxtà diversas rerum exigentias sunt ministranda. *ibid.*

Alimenta Religioso, injustè expulso à Religione, danda sunt à Monasterio, unde fuit ejectus. *De expulf. par.* 3. *q.* 4. *n.* 20. *pag.* 181. Etiamsi lis pendeat super validitate expulsionis. *num.* 22. *pag.* 182. Justè expulso alimenta non sunt præstanda, licèt bona Monasterio intulisset. *num.* 24. *pag.* 184. Quomodo possit expulsus alimenta sibi comparare. *q.* 5. *num.* 17. *pag.* 185.

Amantes furiosis, & amentibus comparantur. *Obser.* 22. *sect.* 7. *num.* 1. *&* 2. *pag.* 429. Idque pluribus exemplis, & argumentis demonstratur. *à num.* 3. *pag.* 439. Si delinquant, aliquam merentur excusationem, ob mentis imbecillitatem. *ibid.* Si tamen amor gravis fuerit, & quomodo id dignoscendum, & probandum. *à num.* 9. *pag.* 440.

Amor aliquando inter furoris species numeratur. *Obser.* 22. *sect.* 7. *num.* 2. *pag.* 439. Insani amoris affectus stupendi recensentur. *ibid. usque ad num.* 13.

Amici quando non recipiantur in testes, relatè ad amicos. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 39. *pag.* 466.

Annonæ publicæ Ministri, si fraudem committant, gravibus pœnis subjiciuntur. *Const. pag.* 265. *col.* 1. *& pag.* 266. *col.* 2.

Antianitatem, quâ in Religione gaudebat expulsus ab eadem Religione, non statim recuperat, si ad eam revertatur, sed prius probandus est. *De expulf. par.* 3. *q.* 29. *num.* 113. *pag.* 206.

Apostatas ab Ordinibus Regularibus possunt Ordinarii, & Superiores carcerare. *De expulf. par.* 1. *num.* 16. *pag.* 134. Apostatæ, intrà debitum terminum redeuntes ad claustra sunt absolvandi. *num.* 17. *pag.* 134. Annuatim, à Superioribus requirantur. *num.* 7. 12. *&* 31. *pag.* 312. 131. *&* 136.

Apo-

Apostata censebitur is, qui expulsus à Religione habitum clericalem deponit, ut laicaliter vivat, secùs si ad tempus deponat cum animo illum resumendi. *De expulf. par.* 3. *q.* 18. *num.* 109. *pag.* 205.

Apostoli statum Religiosum aliquo modo professi fuisse dicuntur. *De expulf. par.* 3. *q.* 32. *num.* 208. *et* 211. *pag.* 228.

Appellatio, & nullitas inter se differunt, & sunt duo juris remedia separata. *Obser.* 13. *num.* 15. *&* 18. *pag.* 340.

Appellationis usus frequens, & necessarius, & utilis est, & quare. *Obser.* 13. *num.* 2. *pag.* 338. Ejus origo, & antiquitas præsertim apud Romanos. *num.* 3. *pag.* 338. Milites aliquando appellare non poterant *num.* 4. *pag.* 338.

Appellatio olim diversimodè accipiebatur. *Obser.* 13. *num.* 4. *pag.* 338. Appellandi facultas omnibus competit in civilibus, & in criminalibus causis, tam de Jure civili, quàm canonico. *num.* 6. *& seqq. pag.* 339. Quibusdam casibus criminalibus exceptis. *à num.* 8. *pag.* 339.

Appellationes an admittantur in Tribunali Gubernii Urbis, latè discutitur. *Obser.* 13. *à num.* 12. *pag.* 340. *& seqq.*

Appellatio de Jure civili, non omisso medio ad Principem, sed gradatim est facienda. *Obser.* 19. *num.* 1. *pag.* 381. Limitatur id quoad quosdam Barones, & quoad aliqua Regna, quæ recensentur. *à num.* 9. *pag.* 382. De Jure Canonico potest appellari ad summum Pontificem, omisso medio, & quare. *à num.* 1. *pag.* 381. Quoad inferiores appellatio, etiam de Jure Canonico, gradatim est facienda, & qui sint inferiores. *num.* 5. *pag.* 381. Idque omnino servandum à Religiosis, Signanter Ordinis Minorum, etiam quoad recursus. *num.* 6. *pag.* 381. Appellatio hæc intra decendium est interponenda, aliter est nulla, neque iste terminus prorogari potest. *num.* 16. *&* 23. *pag.* 382. Limitatur in quibusdam casibus. *à num.* 17 *pag.* 383.

Appellatio interposita à non habente mandatum, aut die feriatà, an subsistat. *Obser.* 19. *num.* 21. *&* 24. *pag.* 383.

Appellatio dum interponitur, debent acta primæ instantiæ transmitti ad Judicem appellationis. *Obser.* 20. *à num.* 1. Vid. *Acta*.

Appellatio aliquando inter causas recusandi Judicem recensetur. *Obser.* 12. *num.* 5 *pag.* 328.

Appellare non licet vulnerantibus, aut aliter lædentibus Clericos notoriè. *Obser.* 14. *à num.* 7. *pag.* 342. Quid sit notorium. Vid. *Notorium*.

Appellatio non admittitur à commonitione Prælati. *Obser.* 14. *num.* 9. *pag.* 343. Neque in crimine hæresis, ac Simoniæ: neque à sententia excommunicationis, aut interdicti. *à num.* 13. *pag.* 343. Neque in crimine assassinii. *num* 16 *pag.* 344. Neque in delictis carnis, seu incontinentiæ Clericorum, *num.* 18 *pag.* 344.

Appellatio an intelligatur sublata in criminalibus, quando causa commissa est cum clausulà. *appellatione remotà*. *Obser.* 14. *num.* 11. *pag.* 343. Quid operetur hæc clausula. *num.* 12. *pag.* 343.

Appellationes si à Jure civili, aut Pontificio prohibentur, id quoad suspensivum, *non* autem quoad devolutivum intelligendum est, nisi quoad utrumque appellatio expressè prohibeatur. *Obser.* 14. *num.* 19. *pag.* 344. Neque prohibentur, si rationabilis adsit appellandi causa: nisi aliter in Jure caveatur. *num.* 17. *pag.* 344.

Appellatio an sit deneganda contumacibus in criminalibus. *Obser.* 15. *per. tot. pag.* 344. *et seqq.* Vid. *Contumax*.

Appellatio in criminalibus conceditur semper ac sententia excessum pœnæ continet. *Obser.* 16. *à num.* 3. *pag.* 351. An competat Fisco. *Obser.* 18. *à num.* 1. *pag.* 376. *& seqq.* Vid. *Fiscus*.

Appellationem à Reo interpositam in criminalibus utrùm, defuncto Reo appellante, ejus hæredes prosequi possint tum ad purgandam delicti, & pœnæ infamiam, tum ad bonorum jacturam reparandam, latè discutitur. *Obser.* 17. *per. tot. pag.* 353. *& seqq.* Ubi grave hujus appellationis ostenditur exemplum.

Appellationes in quibusdam causis civilibus, & criminalibus, aut in pœnis pecuniariis Fisco & R. C. A. applicandis non admittuntur, nisi vel Reus in carcerem se constituat, aut fiat depositum, aut cautio præstetur. *Const. pag.* 240. *col.* 1. *& Const. pag.* 248. *& seqq. & Obser.* 21. *num.* 13. *pag.* 395.

Appellationes in quibus casibus, & in quibus materiis non possint interponi à Tribunalibus Episcoporum, aliorumque Judicum Inferiorum ad majora Tribunalia, etiam Curiæ Romanæ, latè refertur. *Obser.* 20. *p.* 387. *& seqq. post num.* 28. *in Bullà Summi Pontificis BENEDICTI XIV.*

Appellari potest ab Episcopo ad Archiepiscopum, quando Episcopus procedit ut Ordinarius. *Obser.* 21. *à num.* 1. *pag.* 393. Non autem si procedat ut Delegatus, nisi forte in causæ commissione expressa solum fuisset ejus jurisdictio. *ibid* Quid si in rescripto posita fuisset clausula, *Auctoritate nostrà procedas num.* 5. *pag.* 394.

Appellatio non admittitur à rescripto gratioso; idque explicatur. *Obser.* 21. *num.* 6. *pag.* 394. Quid super hoc statuat specialis Constitutio BENEDICTI XIV. & quomodo hæc sit intelligenda. *à num.* 7. *pag.* 394. Si Reus sive in carceribus, sive extra carceres compositionem petat, & obtineat, utrùm à compositione appellare possit. *à num.* 8. *pag.* 394. *& seqq.*

Appellatio vaga ab omni gravamine, quod posset inferri, non admittitur, nisi gravamen respiceret determinatam causam coràm aliquo Judice. *Obser.* 21. *num.* 15. *pag.* 395. Admittitur appellatio ab indebità carceratione, torturà, aut excommunicatione comminatà. *n.* 16. *pag.* 395.

Appellatio unius suffragatur aliis in eàdem sententià condemnatis, si causa sit omnium eadem. *Obser.* 21. *n.* 17. *pag.* 395.

Appellationes ad Auditorem generalem Cameræ Apostolicæ quomodo recipi debeant in causis criminalibus, & quid observandum, ut rectè procedat. *Const. pag.* 291. *& seqq.* Reus appellans debet in carceribus formalibus detineri donec processus, & alia fiant. *ibid.*

Appellatio in suspensivo à sententiis capitalibus latis ex indiciis indubitatis videtur esse admittenda, licèt Constitutiones quædam Pontificiæ appellationes in criminalibus prohibuerint *Obser.* 23. *num.* 58. *&* 59. *p.* 509. Appellatio per viam reclamationis ab ejusmodi sententiis, admittitur in Regno Neapolis. *ibid.*

Appellationes dum interponuntur an citandus sit Judex, à cujus sententia appellatur. *Obser.* 18. *à nu.* 11. *p.* 377. An citandus sit Fiscalis. *à num.* 15. *pag.* 378.

Appellationi in criminalibus Reus nequit expressè renunciare. *Obser.* 14. *num.* 20 *pag.* 344. Limitatur in aliquibus, remissivè. *num.* 21. *pag.* 344.

Appellationes à Regularibus quando interponi possint. *Obser.* 20. *num.* 27. *pag.* 387.

Appellationes à Regularibus quarundam, Religionum gradatim sunt, faciendæ. *Const. pag.* 181. *& seq.* Quinam sit appellandi ordo inter Regulares. *De expulf. par.* 2. *q.* 1. *num.* 5. *pag.* 177.

Appellationes super nullitate, aut validitate Professionis Regularis ad quem Judicem sint interponendæ. *Obser.* 21. *post nu.* 21. *in Constit.* BENEDICTI XIV. *pag.* 396. *& seqq.*

Appellari à correctione non permittitur Regularibus, sive correctio judicialiter, sive extrajudicialiter facta sit. *Obser.* 14. *num.* 1. *&* 3. *pag.* 342. Nisi correctio modum excedat: idque etiam quoad levia delicta. *num.* 2. *&* 6. *pag.* 342. Quænam correctio sit excessiva. *num.* 5. *pag.* 342. Privilegia Regularium appellationem denegantia, quomodo intelligantur. *num.* 4. *pag.* 342.

Appellatio à decreto carcerationis pro Religioso Incorrigibili expellendo ab Ordine Regulari non est admittenda, nisi appellans gravia, & solida suæ appellationis fundamenta alleget. *De expulf. par.* 1. *q.* 12. *num.* 108. *pag.* 152. Si incorrigibilis appellet dum in carcerem detruditur ad expulsionem, non est audiendus. *par.* 2. *num.* 16. *pag.* 165.

Appellantes temerè quibus pœnis subjaceant ex jure tàm civili, quàm canonico. *Obser.* 21. *à num.* 18. *pag.* 396.

Arbitrium quomodo debeat regulari, & quid observandum sit, quando aliquid, præsertim ex metu factum, arbitrio Judicis relinquitur. *Obser.* 22. *sect.* 3. *à num.* 15. *pag.* 413. Quomodo regulari arbitrium Judicis contrà

Reos

Reos procedentia, præsertim ex indiciis. *Obser.* 23. *sect.* 2. *num.* 41. *pag.* 505.

Archiepiscopis non licet causas in Curiis Judicum inferiorum pendentes sibi assumere, nisi per appellationem ad ipsos deducantur. *Obser.* 20. *num.* 23. *pag.* 386.

Arma, quæ insidiosè celantur, omnibus omnino cujuscumque gradus, Ordinis, & conditionis, etiam Clericis, sub gravibus pœnis prohibentur. *Const. pag.* 255. *& seqq. & pag.* 268. *& seq.* Item *Const. pag.* 288. *& seqq.* Etiam Mulieribus. *Const. pag.* 273. *col.* 2.

Attentatum delictum. *Obser.* 22. *sect.* 1. *pag.* 405. Vid. *Conatus*.

Auditoris generalis Cameræ Apostolicæ in Tribunali quid observandum in causis criminalibus, & quænam attendenda sint, & peragenda ut ejusmodi causæ ritè, rectèque agitentur. *Const. pag.* 290. *& seqq.*

B

B*Annimenta* generalia Urbis, & S. Consultæ in criminalibus afficiunt Forenses, & absentes. *Obser.* 22. *sect.* 2. *num.* 14. *pag.* 410. Dummodo per designatum in Bannimentis tempus Romæ, aut in ejus districtu manserint, & alia plura concurrant, quæ explicantur. *d. num.* 25. *adnit. pag.* 410. *& seq.* Utrum afficiant Minores, Mulieres, Milites, & Rusticos. *num.* 23. *&* 25. *pag* 411. Bannimenta an, & quomodo Clericos afficiant. *Obser.* 25. *num.* 23. *pag.* 528.

Bannimenta eadem quid contra infanticidium, & abortum statuant. *Obser.* 22. *Append. ad sect.* 3. *num.* 5. *& seq. pag.* 420.

Banniti quomodo, & intra quod tempus se defendere ad Tribunal debeant. *Const pag.* 243. *& seq.* Nisi spontè comparuerint, sed capti fuerint, defensio iis non conceditur. *Const. pag.* 245. *col.* 1.

Bannitorum receptores, & fautores gravibus pœnis subjiciuntur. *Const. pag.* 248.

Banniti propter homicidium, aut qui Ministros justitiæ, vel testes, aut querelantes offenderunt, à Bannimine absolvi, nisi de speciali Summi Pontificis mandato, in Statu Ecclesiastico possunt. *Const. pag.* 261. *col.* 1. Nisi propter justitiæ servitium. *ibid. & Const pag.* 269. *col.* 2. *& pag.* 270. *col.* 1. Salvis Archiconfraternitatum privilegiis liberandi aliquem Reum. *pag.* 270. *col.* 1.

Bannitus non est à bannimento liberandus propter alterius banniti occisionem, nisi prius se in carcerem constituat. *Const. pag.* 240. *col.* 2.

Bannitus si quis occidat in Ecclesiâ, quas pœnas incurrat. *Const. pag.* 306. *col.* 2.

Bannum contra Reos contumaces quomodo formari, & publicari debeat in Statu Ecclesiastico. *Const. pag.* 295. *& seqq.*

Bannum est hominis diffidatio comminatoria, & quid hoc importet. *Const. pag.* 309. *col.* 2. In eo debet exprimi delictum, ejusque pœna, & quare. *ibid.* Debet quoque terminum continere, & quare. *ibid.* Debet solemniter publicari, & domi solitæ habitationis Rei intimari, dimissa copia, & de his omnibus relatio à Nuntio fieri debet. *pag.* 310. *col.* 1.

Bannum, Reo infrà terminum comparente, resolvitur in simplicem citationem, & quis sit iste terminus, qui nec minui, nec augeri à Judice potest. *Const. pag.* 310. *col.* 2. Termino nondum elapso, si quis Procurator in favorem Rei compareat, instando pro perquisitione Rei, ut compareat, Judex debet ei terminum assignare ad arbitrium. *ibid. col.* 2.

Barencellus Urbis debet damnatos ad triremes, de quibusdam designatis locis ad alia pariter designata loca intra definitum tempus transferre suis expensis, de quibus tamen aliunde compensatur. *Const. pag.* 279. *col.* 2.

Barones nonnulli privilegium habent procedendi contra subditos originarios, aut domicilistios extrà Baronis territorium delinquentes. *Obser.* 1. *num.* 9. *pag.* 213.

Baronibus Romanis, & Status Ecclesiastici, mixtum imperium legitimè habentibus, facultas data est damnandi ex indiciis, omissâ torturâ, ad pœnam extraordinariam, etiam gravem, Reos negativos, & non convictos. *Obser.* 23. *Append.* 2. *pag.* 514. *& seqq.* Dummodo indicia sint vehementia, & majora iis, quæ pro tortura requiruntur, & alia caveant circà cognitionem processûs, defensionem Reorum, & pœnæ modum. *ibid.*

Beneficium ecclesiasticum obtinere nequeunt expulsi à Religionibus. *De expuls. par.* 3. *q.* 5. *n.* 32. *&* 33. *p.* 184.

Bona in communi si aliqua Religio possideat, huic possunt bona acquirere Expulsi ab eadem. *De expuls. par.* 3. *q.* 21. *num.* 121. *pag* 207. Bona ejusmodi expulsi, si sint ex fructibus beneficii, quod forte Expulsus ex dispensatione obtinuerit, vel etiam ex hæreditate, aut ex donatione acquisita, spectant ad Ecclesiam beneficii, si Expulsus extra claustra moriatur. *q.* 22. *num.* 126. *pag* 2 9. Quid si ad aliud beneficium transferatur. *ibid.*

Bona, quæ acquirit Monachus beneficiatus, si ad aliam Ecclesiam transferatur, vel ad claustra redeat, cui sint tribuenda. *De expuls. par.* 3. *q.* 22. *à num.* 131. *p.* 210

Bona ab expulso ex Religione acquisita ex licitâ negotiatione, vel industriâ spectant ad Monasterium, à quo fuit expulsus. *De expuls. par.* 3 *q.* 22. *à num.* 134 *pag.* 210. Si decedat extrà claustra spectant ad Cameram Apostolicam, titulo spoliorum. *ibid.* Acquisita ex illicitâ negotiatione spectant ad eandem Cameram, etiamsi Expulsus ad claustra redeat, post tamen Judicis sententiam. *num.* 136. *pag.* 210. Acquisita contra justitiam sunt restituenda *ibid. & num.* 137. *&* 138. *pag.* 211.

Bona, quæ Expulsus licitè acquisierat, si ipse ad aliam transferatur Religionem, & in hac sive novitius moriatur, sive profiteatur, spectant ad prius Monasterium, nisi opportuna obstet donatio. *De expuls. par.* 3. *q.* 22. *num.* 139. *&* 141. *pag.* 211. Si primum Monasterium sit incapax talium bonorum, hæc spectant ad Cameram Apostolicam nomine spolii. *num.* 140. *pag.* 211.

Bona expulsi, qui in aliâ Religione recipiatur solùm ad pœnitentiam, spectant ad primam Religionem, exceptis alimentis. *De expuls par.* 3. *q.* 22. *num.* 142 *pag.* 211. Item bona Monachi, qui à Monasterio, cujus erat filius, ejicitur, & ad aliud ejusdem Ordinis transfertur. *ibid.*

Bona renuntiata, aut donata si expulsus recuperet, ea vel Monasterio, vel Cameræ Apostolicæ acquirit. *De expuls. par.* 3 *q.* 23 *num.* 153. *pag.* 214.

Bona à Religioso alicui Monasterio, vel Religioni quocumque modo acquisita, manent eidem Monasterio, aut Religioni, si Religiosus expellatur, & ad aliud Monasterium, vel Religionem transferatur, ibique profiteatur. *De expuls par.* 3. *q.* 28. *num.* 180. *&* 181. *pag.* 220. Quæ post professionem acquiruntur, manent Religioni, ad quam translatus est. *ibid.* Itaut prius Monasterium, vel Religio nec alimenta quidam suppeditare teneatur. *num.* 183. *&* 184. *pag.* 221.

Bonorum renuntiatio, & donatio. Vid. *Donatio. Renuntiatio.*

Bruta propriè non delinquunt, aliquando tamen illa tamquam delinquentibus pœnam mortis infligendam esse legitur, & quare. *Obser.* 22. *sect.* 8. *num.* 15. *pag.* 453.

C

C*Œci* an aliquando in testes admitti possint. *Obser.* 13. *subsect.* 1. *num.* 5. *&* 6. *pag.* 460. *& seq.*

Canonicus Regularis, renuens subesse Priori, est excommunicandus: si contumax fiat, est ejiciendus. *De expuls. par.* 1. *num.* 5. *pag.* 131.

Captivus de captivitate reversus recuperat bona sua etiam ab aliis occupata. *De expuls. par.* 3. *q.* 31. *à num.* 235. *p.* 233.

Carcerem unaquæque Religio habere potest. *De expuls. par.* 1. *num.* 18. *pag.* 134. Carceris custos quomodo relationem facere debeat dum in carcerem recipit Religiosum expellendum à Religione. *par.* 2. *num.* 15. *pag.* 165.

Carceratio formalis ad probandam Religiosi delinquentis incorrigibilitatem, ejusque expulsionem statuendam, non potest decerni, nisi Religiosus ter deliquerit, & trina præcesserit delictorum punitio. *De expuls. par.* 1.

q. 8. n. 75. & 80. *pag.* 146. & *q.* 11. n. 103. *pag.* 151. Non tamen requiritur relapsus in eadem, aut alia crimina. *ibid.* Sive trina punitio facta fuerit judicialiter sivè patentè, dummodò constet. *num.* 106. *pag.* 151. Carceratio hæc inducitur, ut sit pœna simul & medicina Religiosi incorrigibilis. *num.* 105. *pag.* 151.

Carceratio Religiosi incorrigibilis expellendi ut decernatur, quomodo à Judice expulsionis convocandi sunt Conjudices. *De expulf. par.* 2. *num.* 13. *pag.* 165. Quomodo facienda hæc carceratio. *num.* 4. 15. & *seqq. pag.* 163. & 165. Quid agendum, si Reus sit protervus, & ferox. *num.* 18. *pag.* 165.

Carceratio eadem semestris pro incorrigibilis expulsione potest decerni, quin Reus audiatur, & defendatur. *De expulf. par.* 1. *q.* 12. *num.* 107. *pag.* 152. An sit audiendus si appellet. *num.* 108. *pag.* 151. Vid. *Appellatio*.

Carcerationis tempus pro incorrigibilis Religiosi expulsione debet esse integrum, & continuum. *De expulf. par.* 1. *num.* 29. *pag.* 136. sufficit tempus sex mensium. *n.* 32. *pag.* 137. & *q.* 4. *num.* 45. *pag.* 139. Olim extendebatur ad annum. *ibid.* Carceratio semestris an debeat esse continua continuitate physicâ, vel morali. *q.* 13. *num.* 109. & *seqq. pag.* 153. Talis continuitas est de forma incorrigibilitatis. *num.* 111. *pag.* 153.

Carceratio pro Religiosi incorrigibilis expulsione debet esse, non ad solam custodiam, sed formalis, & cum pœnitentia. *De expulf. par.* 1. *q.* 13. *n.* 115. & 116. *p.* 154.

Carcerationis tempore Religiosus incorrigibilis non est à Religione expellendus. *De expulf. par.* 1. *n.* 19. *pag.* 136. Neque statim post expletum carcerationis semestris tempus, sed prius probandus est, an perseveret incorrigibilis, vel emendatus sit, & quomodo id observandum. *q.* 14. *à num.* 117. *pag.* 154.

Carcerati debent intra definitum tempus constitui, & examinari, nisi debita adsit dilationis licentia. *Conft. pag.* 280.

Carpensis Constitutio admittens minores 20. sed majores 14. annis ad testificandum, in solâ Marchiæ Provinciæ locum habet. *Obfer.* 23. *subsect.* 1. *num.* 4. *pag.* 460.

Cavalcatæ sine debitâ licentiâ factæ, sub gravibus pœnis prohibentur. *Conft. pag.* 247. *col.* 2.

Causæ recusandi Judicem quænam sint. *Obfer.* 8. & *seqq. per tot. à pag.* 321. Vid. *Recusatio*.

Causæ delicti quatuor numerantur: efficiens, finalis, formalis, & materialis. Explicantur. *Obfer.* 21. *à n.* 6. *pag.* 403. Causa efficiens quænam propriè dicatur. *Sect.* 8. *num.* 15, 16. & 18. *pag.* 453. Vid. *Homo*.

Causa finalis præcipuè in delicto consideratur: gravis esse debet, ut delicti oriatur præsumptio. *Obfer.* 22. *à num.* 19. *pag.* 453. an aliquando levis sufficiat. *ibid.*

Causæ formales delictorum recensentur, & expenduntur. *Obfer.* 22. *Sect.* 8. *per tot. à pag.* 451.

Causæ materiales delictorum multæ enumerantur. Eæque sunt Ignorantes, Pueri, Amentes, & alii hujus generis homines. *Obfer.* 22. *à sect.* 1. *ad* 7. *per tot. à pag.* 425.

Causa proxima, & immediata, non remota, attenditur in Statutis, & legibus. *Obfer.* 23. *subsect.* 4. *à n.* 27. *pag.* 490. Ubi de voluntate quando non sit causa proxime homicidii, adhoc ut istud dicatur appensatum.

Cautio danda est ab Instigatore, seu Accusatore, quando Fiscus appellat à sententiâ contrà se data. *Obfer.* 18. *à num.* 17. *à pag.* 378. Quid sit: à quo: quando: & ubi præstari debeat. *ibid.*

Cedularum falsarum Auctores, & Complices comprehenduntur sub dispositione Chirographi BENEDICTI XIV. in Urbe, ejusque districtu quoad pœnam, & alia in eo contenta. *Obfer.* 13. *sect.* 2. *n.* 73. & 76. *à pag.* 512.

Certitudo alia metaphysica, alia physica, alia moralis: *Obfer.* 23. *sect.* 2. *num.* 45. *pag.* 506. Moralis de patrato delicto requiritur & sufficit, ut reus ad pœnam ordinariam damnetur. Quid sit, unde, & an etiam ex indiciis habeatur hæc moralis certitudo. *ibid.* & *n.* 47. & *seqq. pag.* 507. Certitudo major requiritur quoad delicta non latentia, quàm quoad occulta. *à num.* 54. *pag.* 508.

Chirographum Summi Pontificis BENEDICTI XIV. ut ad probanda delicta atrocissima, & in locis infamibus patrata, admittantur testes inhabiles, expenditur; quænam scilicet delicta comprehendat, & quos testes admittat. *Obfer.* 23. *subsect.* 4. *per tot. pag.* 485. & *seq.* Et ut ex indiciis Rei convincantur ad pœnam ordinariam subeundam. *Sect.* 2. *per tot. pag.* 498. & *seqq.* Vid. *Delictum*. Indicium. *Testis*.

Christiani primitivæ Ecclesiæ bonorum proprietatem non habebant. *De expulf. par.* 3. *q.* 32. *num.* 211.

Circumstantiæ aliquæ non possunt rejici, dum contestationes fiunt Reis, etiamsi gravia adsint indicia. *Conft. pag.* 276. *col.* 1.

Citatio ad respondendum inquisitioni quomodo contra Reus fieri debeat in Statu Ecclesiastico. *Conft. pag.* 295. *col.* 2. & *seqq.* Explicatur. *pag.* 303. In eâ debet præfigi terminus peremptorius. *ibid.* Quando, ubi, & à quo fieri possit, ac debeat. *ibid.* & *pag.* 304. Citationis hujus relatio quomodo à Nuncio facienda. *pag.* 308. & *seqq.* Vid. *Relatio*. Citationes contra Forenses delinquentes quomodo, & ubi fieri debeant. *pag.* 310. *col.* 2.

Citari an debeat Judex, qui aliquem sententiam tulit, quando ab ejus sententia interponitur appellatio. *Obfer.* 18. *à num.* 11. *pag.* 377. & *seqq.*

Citandus quomodo sit Religiosus reus absens, qui fugit à carcere, dum contrà ipsum proceditur, ut expellatur à Religione. *De expulf. par.* 2. *à num.* 84. *pag.* 173.

Citandus est Reus, dum testes pro informatione sunt examinandi; alitèr neque probant, neque præsumptionem suppeditant. *Obfer.* 24. *num.* 2. *pag.* 516. In legitimatione processus si Reus citatus ad declarandum, testes esse ritè examinatos, nolit declarare, citandus est ad videndum testes repeti. *n.* 11. *pag.* 517.

Clausula hæc, *recusatione remota*, quid operetur in criminalibus. *Obfer.* 7. *num.* 3. & 4. *pag.* 320.

Clausula, *appellatione remota*, à quo apponi possit, & quid operetur in criminalibus, dum apponitur quando aliquæ causa alicui committitur. *Obfer.* 14. *num.* 11. & 12. *pag.* 359.

Clericis exercitia quædam sunt interdicta, quæ recensentur. *De expulf. par.* 3. *q.* 22. *num.* 138. *pag.* 211.

Clerici patrantes homicidium gravibus subjiciuntur pœnis. *Conft. pag.* 270. *col.* 2. Quando in Bannimentis pro aliquo crimine pœna mortis imponitur etiam contra Clericos, quomodo id intelligendum sit. *Obfer.* 25. *n.* 23. *pag.* 528.

Clericus in quocumque Ordine constitutus, de delictis convictus, deponendus est. Si fiat incorrigibilis, est excommunicandus, tandem sæculari potestati tradendus. *De expulf. par.* 1. *num.* 4. *pag.* 130. & *q.* 5. *n.* 52. *pag.* 141. Id autem aliquando intelligitur de privatione Fori Ecclesiastici. *ead. q.* 5. *num.* 53. *pag.* 141. Item in arctâ custodiâ detinendus, vel etiam Foro Ecclesiastico privandus. *par.* 1. *num.* 10. & 11. *pag.* 132. & 133.

Clericorum degradatio. Vid. *Degradatio*.

Codicillum condere nequit expulsus à Religione. *De expulf. par.* 3. *q.* 30. *num.* 195. *pag.* 224.

Cogitatio de delicto patrando propriè non dicitur delictum in jure, nec pœnam patitur. *Obfer.* 22 *sect.* 1. *num.* 1. *pag.* 405. Etsi nisi cogitatum delictum fuerit læsæ Majestatis. *num.* 5. *pag.* 406.

Colonus multipliciter accipitur. Quando in testem non sit admittendus. *Obfer.* 23. *subsect.* 1. *à n.* 15. *pag.* 462.

Commissarius vulgo dictus *delli Galeotti* debet, sub gravibus pœnis, ad triremes celeriter deferre damnatos ad illas. *Conft. pag.* 279. *col.* 2.

Commissio Judicis requiritur, ut citetur Reus ad respondendum inquisitioni contrà ipsum factæ. *Conft. pag.* 303. *col.* 1. & *pag.* 304. *col.* 1. Commissio hæc an fieri possit die feriatâ, & an aliquando præsumi. *ibid.*

Commissiones causarum, in quibus agitur de interesse Fisci, aut Cameræ Apostolicæ, non sunt signandæ, nisi citato Procuratore Fiscali, & Thesaurario. *Conftit. pag.* 241. *col.* 2.

Commissiones criminales Tribunalium Gubernii Urbis, Cardinalis Vicarii, & Auditoris generalis Cameræ Apostolicæ quomodo, & quibus expensis in posterùm sint facien-

faciendæ. *Conſt. pag. 279. & ſeqq.*
Compater an teſtis eſſe poſſit idoneus ad convincendum. *Obſer. 23. ſubſect. 1. num. 13. pag. 462.*
Complices delictorum in Chirographo BENEDICTI XIV. expreſſorum comprehenduntur ſub diſpoſitione ejuſdem Chirographi, excepto, quoad fures famoſos, & quare. *Obſer. 25 ſect. 2. num. 75 pag. 512.*
Compoſitio quomodò à Reo in carceribus, ſive extrà carceres conſtituto interponi poſſit, ut liberetur à carcere, aut à delicto. *Obſer. 21. à num. 8 pag. 394. & ſeqq.* An à tali compoſitione propter exceſſum, aut propter aliud appellari poſſit. *ibid.*
Compulſatio ſententiarum, admonitionum, & pœnitentiarum Religioſo incorrigibili à Religione expellendo illatarum, & in libris Provinciæ deſcriptarum, quomodò facienda in proceſſu. *De expulſ. part. 2. à n. 9. pag. 164.*
Computiſta generalis Cameræ Apoſtolicæ quomodo ſe gerere debeat circà expenſas pro commiſſionibus criminalibus, & pro deferendis damnatis ad triremes. *Conſt. pag 279. col. 2.*
Computiſtæ quicumque gravibus pœnis ſubjiciuntur, ſi ære alieno, ſive publico, ſive privato abutantur, aut fraudes in ſuo munere committant. *Conſt. pag 205.*
Conatus ſimplex ad malum, pœnitentià ſublatus, delictum propriè non dicitur in foro externo, nec delicti pœnas incurrit. *Obſer. 22. ſect. 8. à num. 1. pag 405.* Conatus affectus, & attentatum dicuntur principium exequendi ſcelus cogitatum. *num. 6. pag. 406.*
Conatus plures admittit gradus. *Obſer. 22. ſect. 1. à num 7. pag. 406.* Conatus redactus ad actum proximum diverſis pœnis juxtà diverſas locorum leges, ac diverſa delicta attentata punitur. *à num. 9 pag. 406.* Poteſt tamen Judex pœnam mitigare juxta rerum diverſitatem. *num. 23 pag. 407.*
Conatus redactus ad actum proximum vulnerum in crimine necis tentatæ cum qualitatibus proditionis, & latrocinii, an, & quà pœna ſit puniendus. *Obſer. 22. ſect 7 in append. poſt num 20. pag. 442.*
Concionandi munus interdictum eſt Fratri à quibuſdam Religionibus *De expulſ. par. 3 q 5. num 35. pag 184.*
Confeſſarius aſſignandus eſt Religioſo carcerato ad expulſionem. *De expulſ. par. 2. num. 22. & 23. pag 146.*
Confeſſio Inquiſiti etiam ſpontanea non ſufficienter probat corpus delicti, ut inde ad pœnam ordinariam, aut ad torturam deveniatur. *Obſer. 23. ſect. 1. à num. 24. pag. 502. & ſeqq.* Neque ſufficit in crimine hæreſis præſertim ad capitale ſupplicium. *num. 30. pag. 503.* Neque ſufficit ut Reus ipſe damnetur, præſertim ad ultimum ſupplicium. *à num. 28. pag. 503.*
Confeſſionis ratificatio ſub quà formulà à Reo facienda eſt. *Obſer. 25 pag. 537.*
Confrontatio teſtium, ſocii criminis, & Peritorum in quibus Tribunalibus ſit admittenda, & quomodo facienda pro legitimatione proceſſus. *Obſer. 24. à num. 22. pag. 521. & ſeqq.*
Congregatio Concilii multa quoad Regulares apoſtatas, & ejectos, & quoad eorum expulſionem, Decreta condidit, quæ recenſentur. *De expulſ. par. 1. à num. 13. pag. 133. & ſeqq.*
Congregationum ſacrarum reſolutiones vim legis habent in totà Republicà Chriſtianà. *Conſtit. pag. 308. col. 2.*
Congregationibus criminalibus in Tribunali Auditoris generalis Cameræ Apoſtolicæ quinam intervenire debeant. *Conſtit. pag. 291. col. 2.* Quinam habeant votum deciſivum, aut conſultivum in his Congregationibus. *ibid.* Congregationes hujuſmodi ſtatis temporibus haberi debent; quomodo perficiendæ, & quid in illis agendum ſit. *pag. 292. col. 1.*
Congregatio ſpecialis coràm Gubernatore Urbis coacta quid ſenſerit circà teſtium probationes, circà indicia ad convincendos Reos, & quoad alia in materià criminali. *Conſt. pag. 275. & ſeqq.*
Conjux an teſtificari poſſit reſpectu conjugis. *Obſer. 23. ſubſect. 1. num. 11. pag. 461.*
Conſanguinei in quocumque gradu an teſtificari poſſint quoad conſanguineos. *Obſer. 23. ſubſect. 1. à n. 8. pag. 461.*

Conſtituta ſpontanea Reorum, etiam Religioſorum, non ab alio, quàm à Tribunali A. C. recipi poſſunt; in quibuſdam tamen dumtaxat cauſis, & cum quibuſdam limitationibus. *Obſer. 20. n. 23. & 26. pag. 386. & ſeqq.*
Conſtitutiones Apoſtolicæ de Apoſtatis, & Fugitivis, ac de Incorrigibilibus expellendis ab Ordinibus Regularibus, quomodo, & ſub quà pœna attendendæ. *De expulſ. par. 1. n. 24. 25. 26. 31. & 35. pag. 134. & ſeqq.*
Conſuetudo contrà jus Divinum nulla ſubſiſtit. *De expulſ. par. 3. q. 32. num. 248. pag. 235.*
Conſuetudo delinquentes aliquomodo excuſat, & ad materialem delicti cauſam ſpectat. *Obſer. 22. ſect. 7. à num 14. pag. 441.* Dummodo conſuetudo non ſit contrà jus Divinum, vel naturale. *num. 18. pag. 442.*
Conteſtationes dum ſiunt Reis non ſunt reticendæ circumſtantiæ. *Conſtit. pag. 276. col 1.* Vid. *Circumſtantiæ.*
Contractus reciprocus intervenit Religionem inter, & eos, qui illam profitentur. *De expulſ. par. 3. q. 10. n. 68. pag. 198.*
Contumacia Rei in non reſpondendo in criminalibus idem eſt ac reſponſio, ac veluti litis conteſtatio. *Conſtit. pag. 303 col. 2.*
Contumacia Religioſi delinquentis duplex. *De expulſ. par. 2. q. 6. num. 66. pag. 144.* Quomodo contumacia ex unico crimine haberi, durare, & propter eamdem expelli à Religione delinquens poſſit. *à num. 66. pag. 144.*
Contumaciales cauſæ ut ritè, ac rectè agitentur in Statu Eccleſiaſtico quid obſervandum circà terminos ſubſtantiales. *Conſt. pag 295. & ſeqq.*
Contumax tamquam impropriè rebellis conſideratur. *Obſer. 15. num 1. pag. 344.* Quiſnam dicatur verus contumax. *à num. 2. pag 345.* Quis fictus, ſeu præſumptus. *num. 5. pag. 345.*
Contumaces etiam abſentes, quidquid olim loca quædam in uſu habuerint, in criminalibus damnantur. *Obſer. 15. num. 10. pag. 345.*
Contumacibus veris appellatio denegatur. *Obſer. 15. n. 1. 6. & ſeqq. pag. 344. & ſeqq.* Idque ſpecialiter in Statu Eccleſiaſtico, niſi contumax in carceribus ſe conſtituat. *num. 11. & 12. pag. 345.* Poteſt tamen contumax per Procuratorem reclamare contra exceſſum pœnæ in monitorio, aut in ſententià contumaciali expreſſæ, aut ex actibus fiſcalibus, aut ex inquiſitionis tranſmiſſæ tenore reſultantis. *ibid.* Comprobatur ex multis argumentis pro ſententiæ contumacialis retractatione adductis. *pag. 346. & ſeqq.*
Contumacis Procurator poteſt à ſententià pœnæ exceſſum continente appellare coràm Judice, qui ſententiam condemnatoriam tulit. *Obſer. 16 à num. 1. pag. 351.* Ab ejuſmodi exceſſu, aut à denegatà monitorii moderatione poteſt etiam appellare ad legitimum Superiorem. *à num. 6. pag. 351. & ſeqq.* Etiamſi Judex extrajudicialiter hunc exceſſum cognoſceret. *num. 9. pag. 352.* Contumacibus tamen non denegatur appellatio à pœnà uſque ad relegationem. *à num. pag. 352.*
Contumax non poteſt majori pœnà puniri, quàm crimen exigat. *Obſer. 16. num. 1. pag. 351.* Quando pro confeſſo habendus ſit. *Conſt. pag. 239. col. 2.*
Convictus Reus de aliquo delicto quis dicatur. *Obſer. 23. num. 2. pag. 454.* Olim, & alicubi non niſi per propriam confeſſionem Reus non intelligebatur convictus, ut pœnam, præſertim capitalem, ſubiret. *num. 1. pag. 454.* Aliter etiam convinci poſſunt de jure. Quid in hoc Clemens XII. ſtatuerit. *eadem Obſer. per tot. pag. 454. & ſeqq.*
Convinci poteſt Reus per teſtes ad pœnam ordinariam ſubeundam. *Obſer. 23. num. 3. pag. 454.* Ad hoc tamen neceſſarius eſt deſignatus numerus teſtium ſpecialibus qualitatibus præditorum. *ſect. 1. per tot. pag. 455. & ſeqq.* Nonnulli teſtes ad convincendum inhabiles ſunt ob propriæ perſonæ defectum. *ſubſect. 1. per tot. pag. 459. & ſeqq.* Alii propter ſuorum dictorum exceptiones. *ſubſect. 2. tot. pag. 466. & ſeqq.* Alii propter examinis defectum. *ſubſect. 3. tot. pag. 476. & ſeqq.* Aliquando tamen ad convincendum de quibuſdam delictis, & in quibuſdam locis patratis admittuntur per-

sonæ infames, & cæteroquin inhabiles, dummodo per indicia, aut per hujusmodi testium numerum, ac per alia suppleantur harum personarum defectus. *subsect.* 4. *pag.* 485. *& seqq.* Vid. *Delictum*. *Reus*. *Testis*.
Convinci potest Reus etiam per indicia indubitata. Ad hoc tamen multa sunt exactè attendenda. *Obser.* 23. *sect.* 2. *per tot. pag.* 497. *& seqq.* Vid. *Indicia*.
Copia Banni. Vid. *Bannum*.
Copia processus nunc in Urbe, & in Statu Ecclesiastico, in ejusdem processûs legitimatione per declarationem traditur Inquisito, licèt olim id in eodem Statu non fuerit in usu. *Obser.* 24. *à num.* 6. *pag.* 516. *& seq.*
Corpus delicti, etiam atrocissimi, præsertim permanentis est concludenter probandum, ut Reus convincatur, neque ad illud probandum sufficiunt testes inhabiles. *Obser.* 23. *subsect.* 4. *num.* 17. *pag.* 488. Si corpus delicti deficiat, Reus neque per testes omni exceptione majores, neque per propriam confessionem, multo minus per indicia convincitur. *num.* 18. *pag.* 488.
Corpus delicti permanentis non probatur per indicia, etiam indubitata, ut Reus convincatur, & pœnam subeat ordinariam, quamvis alicubi sufficiant. *Obser.* 23. *sect.* 2. *à num.* 23. *pag.* 501. Sufficiunt tamen ad probandum corpus delicti transeuntis. *num.* 26. *pag.* 501. Explicatur. *à num.* 19. *pag.* 501. *& seqq.*
Credulitas de aliquâ re duplex esse potest. Utraque explicatur. *Obser.* 23. *sect.* 2. *num.* 52. *pag.* 508. Utraque ex indiciis haberi potest. Quænam tamen requiratur, aut sufficiat in Judice, ut aliquem Inquisitum damnet. *ibid. & num.* 53. *& seqq. pag.* 508.
Credulitas delinquentis potest aliquando ipsum à reatu aliqualiter excusare. *Obser.* 22. *sect.* 9. *num.* 19. *&* 20. *pag.* 402.
Crimen. Vid. *Delictum*.
Criminales causæ, & criminalia judicia, quomodo, præsertim in Tribunali Auditoris Cameræ Apostolicæ, expediri debeant. *Constit. pag.* 190. *& seq.*
Criminales causæ quàm seriò discutiendæ antequam ad pœnam infligendam deveniatur. *Obser.* 23. *sect.* 2. *n.* 51. *pag.* 507.
Criminosi multipliciter intelliguntur, & à testificando rejiciuntur. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 34. *&* 35. *pag.* 465.
Culpa quotuplex sit; & quomodo ad delictum conducat. *Obser.* 22. *à num.* 14. *pag.* 404.

D

D*Amna* ab homicidis, sicariis, & bannitis illata, à quibus, quâ quantitate, & cui sint solvenda. *Constit. pag.* 252. *col.* 2.
Damnum temporale in Religionibus spirituale parit jacturam. *De expuls. par.* 2. *q.* 5. *n.* 49. *pag.* 140. Damnum Religioni illatum ex scandalo alicujus Religiosi reparatur per delinquentis damnationem ad triremes. *n.* 63. 65. *&* 72. *pag.* 143.
Debilitas ex infirmitate corporis, aut ex senectute proveniens in Expulso à Religione, eum impediat, ne ipse emendatus in Religionem iterùm admittatur. *De expuls. par.* 3. *q.* 27. *num.* 178. *pag.* 219.
Debita, quæ fortè pro sui sustentatione contraxit expulsus injustè à Religione, tenetur reddere Conventus, si illum revocet. *De expuls. par.* 3. *q.* 26. *n.* 169. *pag.* 217. Non item debita ejus, qui legitimè fuit expulsus, sive sponte, sive coactè revertatur. *à n.* 190. *pag.* 218. Nisi Conventus commodum aliquod reportaret. *n.* 173. *pag.* 218.
Declaratio pro legitimatione processus. *Obser.* 24. *à num.* 4. *pag.* 516. *& seqq.* Vid. *Legitimatio*.
Decrepitas quibus annis computetur. *Obser.* 22. *sect.* 4. *num.* 2. *pag.* 422.
Decreta à Clemente VIII. & à Congregatione Concilii condita super apostatis, fugitivis, & Expellendis ab Ordinibus Regularibus, bis in anno apud Regulares in mensa sunt legenda. *De expuls. par.* 1. *n.* 24. *pag.* 134. Recensentur. *à num.* 13. *ad* 36. *pag.* 133. *& seqq.*
Decretum S. Congregationis Episcoporum de non admittenda Contumaciæ appellatione quomodo intelligendum. *Obser.* 25. *à num.* 1. *pag.* 344. *& seqq.*
Defensio concedenda est Religioso in carcerem detruso ad expulsionem. *De expuls. par.* 2. *num.* 41. *pag.* 168. Quid si carceratus defensionem recuset. *num.* 42. *&* 43. *pag.* 168. Quid advertendum in his defensionibus parandis. *n.* 44. *pag.* 169.
Defensio Rei atrocis criminis à quocumque procurata non est admittenda, nisi Reus ipse in carcerem se constituerit. *Const. pag.* 239. *col.* 1. *& pag.* 253. *col.* 2. Defensio Rei in contumaciâ condemnati non est admittenda, nisi intrà sex menses. *pag.* 243. *col.* 1. Quomodo computandi isti sex menses. *ibid.* Prorogatur ad annum iste terminus. *pag.* 244. *col.* 1.
Defensio, nisi ex speciali gratiâ, non conceditur Bannitis, & in contumaciâ condemnatis in pœnam capitis, si capti fuerint. *Constit. pag.* 245. *col.* 1.
Defensiones sunt comparandæ Reis, quos ad pœnam extraordinariam Barones Romani, & Status Ecclesiastici damnare ex indiciis voluerint. *Obser.* 23. *Append.* 2. *pag.* 514. *& seqq.*
Defloratio puellarum gravibus pœnis coercetur. *Constit. pag.* 274. *& seqq.* Vid. *Stuprum*.
Degradatio Ecclesiasticorum quid sit, & in quo à suspensione differat. *Obser.* 25. *n.* 2. *pag.* 525. Alia est verbalis, alia actualis. *ibid. & num.* 8. *pag.* 526. Degradatio verbalis item duplex, nempe simplex, & exauthorizativa. *num.* 2. *&* 8. *pag.* 525. *& seqq.*
Degradatio verbalis simplex ea dicitur, per quam Clericus officio, & beneficio in perpetuum privatur. *Obser.* 25. *num.* 2. *&* 8. *pag.* 525. *& seqq.* Per hanc degradationem Clericus non omittit privilegia clericalia. *ibid. & num.* 14 *pag.* 527. Imponitur hæc degradatio propter delicta infamiam afferentia. *num.* 3. *pag.* 525. Quænam sint hæc delicta. *à num.* 4. *pag.* 525. *& seqq.*
Degradandus non est statim Clericus gravissimè delinquens, sed requiritur, ut sit incorrigibilis. *Obser.* 25. *num.* 5. *pag.* 525. Olim faciliùs imponebatur degradatio. *ibid.* Et simpliciter degradatus aliquando in Monasterium detrudebatur ad pœnitentiam. Nunc transmittitur ad triremes. *num.* 6. *pag.* 526. Si provideat de alimentis amandatur ad ergastulum. *ibid.*
Degradatio simplex fit sine solemnitate. *Obser.* 25. *num.* 9. *pag.* 526. Pot est fieri ab Episcopo, vel etiam à Vicario generali, dummodo speciale ejus mandatum habeat, vel à Capitulo sede vacante. *ibid. & num.* 42. *pag.* 533. fieri ab Ordinariis dumtaxat potest in casibus in jure expressis. *ibid.* Degradatio verbalis contrà Episcopum, aut Religiosum exemptum facienda est à solo Summo Pontifice. *ibid.*
Degradatio verbalis exauthorizativa, non solùm à beneficio, & officio Clericum removet, sed etiam privilegiis clericalibus spoliat, & Sæculari Potestati tradit. *Obser.* 25. *num.* 8. *&* 9. *pag.* 526. Non potest inferri, nisi in casibus à jure expressis, quoad alios, consulendus est Summus Pontifex. *ibid.*
Degradatio hujusmodi consistit in sententia, qua Episcopus declarat, Clericum incurrisse degradationis pœnam. *Obser.* 25. *num.* 10. *pag.* 526. Forma hujus sententiæ. *num.* 11. *pag.* 526. Episcopus olim in degradatione debebat alios Episcopos sibi adjungere numero diversos juxta diversitatem Ordinis, quo degradandus erat insignitus. *ibid. & num.* 12. *pag.* 526. Nunc ex Concilio Tridentino sufficiunt Abbates usum Mitræ, & Baculi habentes, vel aliæ personæ in Ecclesiasticâ dignitate constitutæ. *ibid.* Illæ tamquam Judices interveniunt, & in sententiâ omnes debent esse concordes. *ibid.*
Degradatio actualis à verbali differt, & Clericum realiter tradit jurisdictioni Judicis sæcularis. *Obser.* 25. *num.* 14. *pag.* 527. Probabiliùs facienda est coràm Prælatis, vel personis Ecclesiasticis. *num.* 15. *pag.* 527. Delicta, propter quæ degradatio actualis infertur, quatuordecim recensentur. *à num.* 16. *pag.* 527. *& seqq.* Inter hæc non computatur crimen læsæ Majestatis. *num.* 20. *pag.* 528.
Degradationis actualis exempla recentiora. *num.* 21. *&* 22. *pag.* 528.

De-

Degradatio actualis, per quam Clericus Curiæ Seculari traditur, non fit, nisi contrà eum per viam accusationis procedatur. *Obser.* 25. *num.* 14 *pag.* 529. Judex secularis degradatum recipiens, an processui formato à Judice Ecclesiastico stare, aut illum pro revisione petere, vel alium instruere debeat. *num.* 25. *pag.* 529. *remissive*.

Degradationis verbalis actualis formula, seu sententia. *Obser.* 25. *num.* 27. *pag.* 529. Formulæ degradationis à singulis Ordinibus incipiendo à Pontificali Ordine. *à num.* 34. *pag.* 530. *& seq.* Modus tradendi Degradatum Judici seculari describitur. *à num.* 31. *pag.* 530. *& seqq.* Actus hujus traditionis describendus à Notario, seu Cancellario Curiæ Episcopalis. *num.* 36. *pag.* 533.

Degradationis sententia contra Sacerdotem absentem, & contumacem quomodo proferenda. *Obser.* 25. *num.* 40. *pag.* 533. *remissive*. Degradationis sententia quomodo formanda in Tribunali Ecclesiasticam simul & secularem habente potestatem. *ibid.*

Degradari an possint Moniales, & Monachi Laici: & an Prælati Regulares, facultatem habeant degradandi. *Obser.* 25. *num.* 37. *&* 38. *pag.* 533. Quid si Clerici solum in prima Tonsura, aut in Minoribus Ordinibus constituti sint. *num.* 41. *pag.* 533.

Delegatio procedendi extra Ordinem est odiosa, ideoque non patitur extensionem, præsertim si extraordinaria sit. *Obser.* 3. *num.* 2. *&* 3. *pag.* 315. Delegatio, mortuo Delegato, quando transeat ad ejus Successorem, *Obser.* 4. *à n.* 1. *pag.* 316.

Delegatus Judex non potest procedere, antequam litteras Delegationis accipiat, aliter ejus acta nulla sunt. *Obser.* 2. *num.* 1. *pag.* 314. Neque convalidantur ex supervenientibus Delegationis litteris. *num.* 2. *pag.* 314. Neque in hoc creditur Judici, aut Notario asserenti, se vidisse delegationem. *num.* 3. *pag.* 314. Etiamsi Judex delegatus esset magnæ auctoritatis, aut assereret, se delegationem a Principe obtentam habuisse. *num.* 4. *pag.* 314 Nisi Princeps delegans esset in eodem loco. *num* 5 *pag.* 314.

Delegationis litteræ, si deperdantur, potest delegatio per Testes probari, si tamen jam fuisset in Actis præsentata. *Obser.* 2. *num.* 6. *pag.* 314.

Delegatus Judex citans absentem, debet in citationibus inserere integrum tenorem suæ delegationis. *Obser.* 2. *num.* 7. *pag.* 314. *&* *num.* 11. *pag.* 315 Sufficit inserere exemplum Delegationis, nisi citatus originale petat. *num.* 8. *pag.* 315 Quod non admittitur, ubi contraria viget consuetudo. *num.* 10. *&* 11. *pag.* 315.

Delegatus Judex potest solum procedere contra eos, qui deliquerunt post factam ipsi delegationem. *Obser.* 3. *à num.* 1. *pag.* 315. An possit cognoscere causam reconventionis, seu recriminationis. *à num.* 4. *pag.* 315. *& seqq.* Potest punire testem coram ipso falsum deponentem. *num.* 7 *&* 8. *pag.* 316.

Delegatus, cui commissa est alicujus causæ cognitio, potest etiam ferre Sententiam in Civilibus, non autem in Criminalibus. *Obser.* 3. *num.* 9. *&* 10. *pag.* 316. Non tamen potest Reos carcerare. *num.* 11. *&* 12. *pag.* 316. Delegati potestas sub clausula, ut aliquem *in possessionem inducat; inductum defendat, & manuteneat; Contradictores compescendo*, quandiu duret. *Obser.* 4. *à num.* 4 *pag.* 317.

Delegatus ad recipiendum Testium examen, an possit alium ad hoc subdelegare. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *num.* 37. *pag.* 482.

Delictum, quid significet, & unde nomen deducat. *Obser.* 22. *num.* 1. *pag.* 402. Diversis nominibus effertur in jure tam canonico, quam civili. *num.* 2 *&* 3. *pag.* 402.

Delictum à peccato differt, & quomodo definiatur. *num.* 4. *pag.* 402. Alias omnes actiones humanas origine præcessit, & quodnam fuerit primum delictum. *num.* 5. *pag.* 403. Delicti causæ, quænam sint. *à n.* 6. *pag.* 403. Vid. *Causa*.

Delictum a voluntate principaliter pendet. *Obser.* 22. *num.* 11. *pag.* 403. Dolo, & culpa contrahitur. *à num.* 14. *pag.* 404. Delictum ex ira, aut dolore commixtum, mitius est puniendum *num.* 18. *pag.* 404. Delictum homicidii in rixa, *ira &c.* commissum non excusatur in Statu Ecclesiastico, sed gravibus pœnis coercetur. *à num* 29. *pag.* 404. *& seq.*

Delictum mere cogitatum, aut attentatum, an sit puniendum. *obser.* 22. *Sect.* 1. *pag.* 405. Vid. *Cogitatio Conatus*. Delicti qualitas, & identitas constare debent, ut Delinquentes per indicia convincantur. *Obser.* 23. *sect.* 2. *num.* 33. & 34. *pag.* 504. Delicta occulta, non tantam, ut non occulta, probationem exigunt, ut ad pœnam exigendam, etiam ex indiciis deveniatur. *nu.* 54. *pag.* 508.

Delicta in Legibus non expressa, non intelliguntur in iis comprehensa. *Obser.* 23. *subsect.* 4. *num.* 2. *pag.* 485. Quæ delicta in Chirographo BENEDICTI XIV. ann. 1743. dicantur comprehensa. *à nu.* 1. *ad* 36. *pag.* 485. *& seqq.*

Delicta atrocia, atrociora, & atrocissima inter se gradu differunt. *Obser.* 23. *subsect.* 4. *num.* 5. *pag.* 486. Atrocissimum ex gravitate supplicii congruenter mensuratur, attentis præsertim locorum consuetudinibus, Legibus, & circumstantiis. *à n.* 3. *ad* 10. *pag.* 485. *& seqq.* Quamvis juxta nonnullos ex ipsa delictorum qualitate eorum atrocitas sit metienda. *ibid.* Delicta quædam quomodo, & cur in Bannimentis Urbis, & in dicto Chirographo dicantur atrocissima, ad effectum procedendi, torquendi, & condemnandi. *ibid.* ad eundem effectum delicta ejusmodi atrocissima, debent esse consummata, nec sufficiunt attentata. *num.* 11. *pag.* 487. Et qualitates delictum atrocissimum inducentes debent concludenter probari per Testes exceptionem non patientes. *num.* 12. *&* 13. *pag.* 487. aliud est probare delictum, aliud probare ejus qualitates aggravantes; & testes aliàs inhabiles, qui admittuntur ad probandum primum, non semper sufficiunt ad probandum secundum. *ibid.* *&* *à num.* 14. *pag.* 488. & qualitates aggravantes non sunt de intrinseca delicti substantia. *ibid.*

Delicti corpus requiritur, & est concludenter probandum, ut reus convincantur. *obser.* 23. *subsect.* 4. *num.* 17. & 18. *pag.* 488. Vid. *Corpus*. Delictum homicidii. Vid. *Homicidium*.

Delicta in Lupanaribus, similibusque locis infamibus commissa, & quæ BENEDICTUS XIV. in suo Chirographo dicit, posse per Testes aliàs inhabiles probari, non alia intelliguntur, quam quæ in eodem Chirographo sunt expressa. *Obser.* 23. *subsect.* 4. *num.* 45. *pag.* 493. *Declaratur à num.* 47. *pag.* 494. an autem alia delicta sub illo Chirographo comprehendantur, non satis constat. *ibid.* pro majori securitate id esset a Summo Pontifice declarandum. *num.* 53. *pag.* 495.

Delicta hujusmodi in dictis locis infamibus patrata, an probare, & de iis convincere possint Testes infames, & multiplicem exceptionem patientes, qui tamen suppleantur per conjecturas, & indicia ab aliis testibus probata; idque ob difficultatem probationis eo quod non nisi infames Personæ ad ea loca conveniant. *Obser.* 23. *subsect.* 4. *à num.* 54. *pag.* 495. An a Fisco, vel Accusatore probandum sit, non alios adfuisse delicto Testes, præter infames, & an hoc ipsum sufficienter probari potest per infames Testes. *ibid.*

Delicta punitum iri pœna ordinaria declaratur, tam si delinquentes delicta judicialiter confessi, quam si convicti de his fuerint. *Obser.* 23. *Append.* 1. *p.* 513. *col.* 2.

Delicta etiam in jure Canonico distinguuntur in levia, atrocia, & atrocissima. Explicantur. *Obser.* 25. *nu.* 4. *pag.* 525. Delicta juxta Sacros Canones atrocissima recensentur. *num.* 5. *pag.* 525. Quænam sint delicta, propter quæ Ecclesiasticus delinquens, deponitur. *à n.* 3. *pag.* 525. Delicta propter quæ degradatus Potestati Sæculari traditur, quatuordecim recensentur *à num.* 16. *pag.* 527. *& seqq.*

Delicta, propter quæ Regulares ab Ordinibus expellantur, debent esse gravia. *De expuls. par.* 2. *q.* 5. *n.* 46. *pag.* 139. Delictorum gravitas, alia Theologica, alia Legalis. *num.* 47. *pag.* 149. In hoc attendenda magis est gravitas Legalis, nisi lex alicujus Ordinis aliter disponat *n.* 48. *pag.* 140., & censendo sunt graviora, quæ totum ordinem magis lædere possunt. *ibid.*

Deli-

Delicta non tam gravia, si commlentur, aut Ordini valde noceant, possunt sufficere ad expulsionem. *De expulf. par. 1. q. 5. num. à num. 50. pag.* 140. *& feqq.* ubi referuntur exempla. Delicta impunita indicant Religionem relaxatam. *num. 51. pag.* 141.

Delicta Religiosorum dupliciter considerantur, nempe absolute, & relative ad Religionem, & quare. *De expulf. par. 1. q. 5. num. 55. pag.* 141.

Delictum unicum, etiam atrocissimum, non sufficit, ut Religiosus a Religione expellatur, nisi Delinquens post plures admonitiones, correctiones, & pœnas comminatas, & inflictas fuerit contumax, & in contumacia obstinatus, *De expulf. par. 1. q. 6. à num. 60. pag.* 143. *& feqq.* neque sufficit primum delictum, etiam enormissimum. *num. 71. pag.* 144. Delicta, ut quis dicatur incorrigibilis, & expellendus, sive sint ejusdem, sive diversæ speciei. *q. 7. à num. 72. pag.* 145. *& par. 1. 2. 1. pag.* 163. Delicta ejusmodi, quomodo probari possint. *par. 1. q. 8. à num. 81. pag.* 146. *& feq.*

Delicta propter quæ Delinquentes expelluntur ab Ordinibus Regularibus, debent esse notoria. *De expulf. par. 1. q. 8. num. 75. pag.* 146. Quomodo debeant esse notoria. *à num. 76. pag.* 146. quomodo probari possint ubi folium paternaliter fuerunt punita. *à num. 81. pag.* 146. debent habere quandam continuitatem moralem, & quodnam tempus inter unum, & alterum delictum requiratur, ut ea continuitas dignoscatur *à n. 84. pag.* 147.

Delicta, præscriptionem habere possunt, diversimode quoad tempus, juxta delictorum diversitatem. *De expulf par. 1. q. 9. num. 90. pag.* 148. Delicta sufficienter præscripta non sufficiunt ad expellendum Delinquentem ab Ordine Regulari, *num. 91. pag.* 148.

Delicta tria debent esse plene probata, ad effectum expulsionis, & punita distinctis punitionibus. *De expulf. par. 1. q. 9. num. 91. pag.* 148. Nec sufficit, quod de iis facta fuerit Inquisitio, aut solum semiplene probata fuerint. *num. 88. 89. & 92. pag.* 148. & 149. Delictum dupliciter aboleri potest. *ibid.* Tria delicta juridice probata, non autem punita, sed clementer condonata, non sufficiunt ad expulsionem *q. 10. à num. 93. pag.* 149. plura delicta per unam Sententiam punita, unum censentur quoad expulsionem. *num. 99. pag.* 150.

Demens, quis sit, & si delinquat, an sit puniendus. *Obser. 21. sect. 5. num. 14. & 18. pag.* 435. *& feqq.* Dementibus muti, & surdi assimilantur. *sect. 6. num. 1. pag.* 436. *Vid. Mutus.*

Dementes à testificando repelluntur. *Obser. 23. subsect. 1. n. 1. & 2. pag.* 460.

Denunciatores an etiam testimonium ferre possint. *Obser. 23. subsect. 1. à num. 19. pag.* 463.

Deportatus, & à Principe in pristinum statum restitutus, recuperat bona sua. *De expulf. par. 3. q. 32. à num. 235. pag.* 233.

Depositariæ Urbanæ ministri si fraudem committant, aut ministerium fideliter non impleant, graviter pœnis subjiciuntur. *Conft. pag. 266. col.* 1.

Depositarii æris alieni sive publici, sive privati gravibus pœnis subjiciuntur, si ære alieno abutantur, etiamsi ex abusu nullum damnum parti obveniat. *Conft. pag.* 265. Ejusdem pœnis subjacent complices, fautores, &c. illius abusus. *ibid.*

Depositum pœnæ faciendum est, antequam appellatio condemnati admittatur. *Conft. pag. 241. col.* 1.

Depositio Ecclesiasticorum quid sit. *Obser. 25. n. 2. pag.* 585. Vid. *Degradatio.*

Dicta nomine quid intelligatur. *De expulf. par. 1. q. 16. n. 142. pag.* 160.

Dispensatio a votis essentialibus Religiosorum soli summo Pontifici reservatur. *De expulf. par. 3. q. 15. num. 97. pag.* 202. Dispensatus simpliciter ad matrimonium, cessat esse Religiosus. *ibid.* Dispensatus à votis si velit ad Religionem redire, potest cogi ad novitiatum *q. 16. n. 98. pag.* 203. an teneatur iterum profiteri. *ibid.*

Dispensationem in votis solemnibus summus Pontifex non dat Episcopis, qui ex Religionibus assumuntur. Episcopi, qui se dispensatos existimant, periculosè decipiuntur. *De expulf. par. 3. q. 32. à num. 247. pag.* 235. Neque dispensantur in votis qui ab una ad aliam Religionem transeunt. *à num. 250. pag.* 236.

Dispensare quomodo possit Papa super votis solemnibus, & super juramento. *De expul. par. 3. q. 32. num. 202. p.* 227. *& n. 211. pag.* 218. Dispensatio sine causa concessa, est potius dissipatio *num.* 203. *p.* 227. Dispensatus sine causa in iis quæ sunt juris Divini, non est tutus in conscientia. *ibid.*

Dispensationem pro suscipiendis sacris Ordinibus, aut pro ministrando in susceptis à solo summo Pontifice obtinere possunt ejecti è Religionibus. *De expulf. par. 3. q. 5. num. 29. pag.* 183. Vel à Superioribus Regularibus si ad claustra redeant *num. 34. pag.* 184.

Domestici quinam dicantur, & an testes esse possint. *Obser. 23. subsect. 1. num. 11. pag.* 461.

Dominium quodcunque repugnat voto paupertatis Religiosæ. *De expulf. par. 3. q. 32. à num. 208. pag. 228. & à num. 237. pag.* 233.

Dominium rerum temporalium non habent expulsi à Religionibus. *De expulf. par. 3. q. 21. à num. 118. p.* 207.

Domus habitationis quænam propriæ dicatur *Conft. pag. 309. col.* 2.

Donata intuitu professionis Religiosæ ad quem pertineant. *De expulf. par. 3. q. 28. à num. 181. pag. 220. & feq.*

Donatio conditionata non subsistit, conditione non subsistente. *De expulf. par. 3. q. 23. num. 151. pag.* 214. Donatio etiam absoluta rescinditur per donatarii ingratitudinem. *num. 151. pag.* 214. Donatio ab ingrediente Religionem facta parentibus, vel amicis, vel ipsi Religioni quomodo subsistat, si donans à Religione expellatur. *à num 147. ad 159. pag.* 213. *&* 214.

Donationes modicæ inter vivos fieri possunt à Religiosis, annuente Superiore. *De expulf. par. 3. q. 30. num. 195. pag* 224. Donationes inter vivos, vel etiam causa mortis possunt facere expulsi a Religionibus. *n. 196. pag* 224. Donationes causa mortis non potest facere uxor, potest tamen Filius familias. *Ibid.*

Donatio, facta in vita ab expulso à Religione, de fructibus beneficii, quod forte obtinuisset, subsistit, dummodò non sit de iis, quæ immediatè acquiruntur Ecclesiæ. *De expulf. par. 3. q. 24. à num. 158. pag.* 215. Item donatio de fructibus propriæ industriæ, dummodo non sit ex illicità negotiatione. *num. 160. pag.* 215. Non autem donatio rerum pretiosarum, ac immobilium, *n. 162. pag.* 215 Hæc tamen donatio subsistit facta Religioni, quam expulsus ingrederetur. *num. 163. pag.* 215.

Dormientes, si delinquant, excusantur, in foro interno & externo. *Obser. 21. sect. 6. à num. 7. pag.* 437. Limitatur. *num. 10. pag.* 437. Quid de matre, quæ dormiens suffocat parvulum filium. *num. 11. pag.* 437. Quid de blasphemante in somno *num. 12. pag.* 438.

Dos pro matrimonio tradita, dissoluto per mortem matrimonio, est restituenda. *De expulf. par. 3. q. 28. num. 186. pag.* 220.

E

EBrietas, & ebrius multipliciter consideratur: An qui in ebrietate delinquit, sit puniendus, & quomodo probanda sit ebrietas. *Obser. 21. sect. 6. num. 13. & feqq. pag.* 438.

Ecclesiastici non comprehenduntur in Chirographo BENEDICTI XIV. quoad delicta, & alia in eo contenta *Obser. 23. sect. 2. num. 71. pag.* 512.

Ecclesiasticus Judex, etiam Episcopus, non potest Laico committere causam criminalem Ecclesiastici. *Obser. 23. subsect. 3. num. 17. pag.* 479.

Electio Patrum deputatorum pro expellendis Incorrigibilibus ab Ordinibus Regularibus, quomodo, à quibus, & quando facienda. *De expulf. par. 1. q. 16. num. 137. & 138. pag. 158. & feq.*

Emendatus censetur qui in emendatione perseverat. *De expulf. par. 3. q. 13. num. 87. pag.* 199. Emendatio expulsorum a Religionibus probatur per triennium post lapsum. *ibid.*

Episcopus habet territorium, & omnes Ecclesiæ in eo positæ

sunt

sunt de suo territorio, *Constit. pag.* 305. *col.* 2. Quos jurisdictionis actus exercere possit Episcopus in iis Ecclesiis tam in causis civilibus, quàm criminalibus, & quoad eos, qui ad eas Ecclesias refugiunt. *ibid. & seq.*

Episcopus non potest Laico committere cognitionem causæ criminalis contrà Ecclesiasticum *Obser.* 23. *subsect.* 3. *num.* 17. *pag.* 479.

Episcopo quomodo sit subjectus expulsus à Religione. *De expuls. par.* 3. *q.* 19. *num.* 113. *&* 114. *pag.* 206.

Episcopus ex Regularibus assumptus ascendit ad statum perfectiorem. Si ex Episcopo fiat Monachus descendit ad statum minus perfectum. *De expuls. par.* 3. *q.* 32. *num.* 215. *pag.* 229. Nam facilius est ut Monachus fiat Episcopus, quàm e contra. *ibid.*

Episcopus ex aliquâ Religione assumptus tenetur ad vota, & ad Regulam suæ Religionis, quantum ejus dignitas patitur. *De expuls. par.* 3. *q.* 6. *nu.* 39. *&* 47. *pag.* 186. & 189.

Episcopus ex Regularibus assumptus non dispensatur in Votis solemnibus, sed manet Religiosus, nec potest recuperare jus succedendi in bonis temporalibus, neque aliam proprietatem, aut dominium obtinere potest. *De expuls. par.* 3. *q.* 32. *num.* 251. *pag.* 236.

Episcopus ex Religione assumptus quomodo teneatur ad regulares observantias. *De expuls. par.* 3. *q.* 31. *à num.* 197. *pag.* 225. Si Episcopatui renuntiet, an teneatur redire ad Religionem, & hæc illum recipere debeat. *ibid.* Quid si degradetur, aut deponatur *ibid.* Episcopus Regularis quomodo differat à Prælato Regulari quoad obedientiæ votum. *num.* 199. *pag.* 225.

Episcopus ex aliquâ Religione assumptus manet adhuc Religiosus ad tria vota essentialia obligatus. *De expuls. par.* 3. *q.* 32. *à num.* 201. *pag.* 227. Non est necesse, ut talis Episcopus dispensetur super votis essentialibus, nam hæc non repugnant Episcopatui. *à num.* 204. *pag.* 227. Religiosus factus Episcopus non recuperat jus, quod ante habuerat ad bona patrimonialia, & in his succedendi. *num.* 200. *pag.* 227. *& à num.* 212. *pag.* 229. *& à num.* 219. *pag.* 230. *& seqq.* Si assumptus sit ex Ordine capaci possessionis bonorum in communi, jus succedendi, quod antea habebat in favorem Monasterii, transfert in suam Ecclesiam. *à n.* 219. *pag.* 230. *& seqq.*

Episcopus ex Regularibus assumptus habet administrationem bonorum, & fructuum suæ Ecclesiæ, non autem dominium. *De expuls. par* 3 *q.* 32 *à num.* 216. *pag.* 229. *& seqq.* An dominium acquirant Episcopi ex Clero Sæculari assumpti. *ibid.* Episcopus Regularis quidquid sive ex hæreditate, sive ex donatione, sivè ex industriâ acquirit, id pertinet ad suam Ecclesiam; si ex bis prodigè, aut supervacaneè consumit, aut donat, ipse, & recipientes tenentur ad restitutionem; non item Episcopus Sæcularis. *num.* 218. *&* 227. *pag.* 230. *&* 231. *& num.* 231. *pag.* 232.

Episcopus quicumque quomodo, & de quibus testamentum condere possit. *De expuls. par* 3. *q.* 32. *n.* 218. *pag.* 230.

Episcopus ex Religione Minorum de Observantia, præsertim strictioris, & Capuccinorum, nunquam jus acquirit succedendi in bonis patrimonialibus, & quare: quod tamen jus acquirere potest Episcopus ex alio assumptus Ordine capaci possidendi in communi. *De expuls. par.* 3. *q.* 32. *num.* 200. *pag.* 227. *& à num* 219. *pag.* 230. *& seq.* Episcopus Minorita nec in favorem quidem Ecclesiæ suæ potest jus illud succedendi acquirere. *à num.* 220. *pag.* 231. *& seqq.*

Episcopus Regularis an, & in quibus solvatur à Regulâ Ordinis, ex quo assumptus est. *De expuls. par.* 3. *q.* 32. *à num.* 223. *pag.* 231. Tenetur deferre habitum religiosum. *num.* 225. *pag.* 231. Expenduntur, & convelluntur rationes, propter quas Episcopus ex Regularibus assumptus recuperare dicitur jus succedendi in hæreditate, & habere posse dominium rerum temporalium. *à num.* 224. *ad* 250. *pag.* 232 *& seqq.*

Episcopatum si obtineat Religiosus non potest rescindere renuntiationem bonorum in professione factam, si bona jam fuerint alteri acquisita. *De expuls. par.* 3. *q.* 23. *num.* 148. *pag.* 213. *& q.* 28. *num.* 182. *pag.* 221. Debet omnia in Religione comparata resignare in manus Superioris ante consecrationem. *q.* 29 *n.* 193. *pag.* 224.

Episcopus Regularis si aliquid elargitur ex fructibus suæ Ecclesiæ quomodo in recipientes transferat dominium. *De expuls. par.* 3 *q.* 32. *à num.* 228. *pag.* 232.

Eucharistiam Sanctissimam qui surripuerit, aut alio quocumque modo abstulerit, asportaverit, aut retinuerit, cum, vel absque Sacrâ Pyxide, aut id in actu Sacræ Communionis fecerit ad malum finem, quicumque is surripiens, & cujuscumque sexus, gradus, Ordinis, conditionis & ætatis, dummodo annum vigesimum attigerit, etiamsi Ecclesiasticus tàm Sæcularis, quàm Regularis, gravissimis pœnis puniri decernitur, etiam pro prima vice, ita ut brachio Sæculari sit tradendus, sive mandans, sive executor fuerit. *Obser.* 25. *nu.* 18. *pag.* 527. *& num.* 43. *in Constit.* BENEDICTI XIV. *pag.* 534. *& seq.* Hujus criminis cognitio ad supremum Inquisitionis Tribunal pertinet. *ibid.* Si Ecclesiasticus Sæcularis, aut Regularis hoc crimen patraverit, erit actualiter degradandus, & Curiæ Sæculari tradendus. *ibid.* Præsumitur, Hostiam, aut Hostias ablatas fuisse consecratas, & ad malum finem surreptas, nisi oppositum concludenter à Reo probetur. *ibid.*

Exactores Camerales, aliorumq. locorum publicorum & piorum gravibus pœnis subiiciuntur, si æs publicum in suum commodum convertant. *Const. pag.* 266. *col.* 1.

Excommunicationem incurrit, qui habitum religiosum temerè deponit. *De expuls. par.* 3. *q.* 18. *num.* 103. *pag.* 204.

Excommunicari à Superioribus quarumdam Religionum possunt ejecti ab iisdem Religionibus, si intra terminos suarum Provinciarum audeant concionari, docere, aut Confessiones audire. *De expuls. par.* 3. *q.* 5. *n.* 35. *pag.* 184.

Excommunicationem incurrit expulsus à Religione, si matrimonium contrahat. *De expul. par.* 3. *q.* 6. *n.* 37. *p.* 185.

Excommunicari potest expulsus à Religione, si nolit ad eam revocantem redire. *De expuls. par.* 3. *q.* 9. *num.* 67. *pag.* 194.

Exilio multantur aliquando delinquentes extrà locum domicilii, non autem ob delictum, sed ob malam hominis qualitatem. *Observat.* 1. *num.* 11. *pag.* 313.

Exilium ubiquo modo potest Superior Regularis irrogare expulso à Religione. *De expuls. par.* 3. *q.* 20. *num.* 116. *pag.* 206.

Exulare jussus à Potestate Sæculari non frangit exilium, si in Ecclesia se recipiat positam in territorio, à quò exulare debebat. *Const. pag.* 305. An idem valeat de Clerico, aut alio quem Episcopus à sua diœcesi exulare jussit. *Ibid. & seqq.* An refugiatus in Ecclesia, aut ejus fidejussor subsit pœnæ pecuniariæ impositæ, contra fractorem exilii *ibid.*

Expensæ pro commissionibus, aliisque causis criminalibus, & pro deferendis damnatis ad triremes, quomodo, & a quibus faciendæ. *Const. pag.* 258. *& seqq.*

Expulsio incorrigibilium ab Ordinibus Regularibus definitur. *De expuls. par.* 1. *quæst.* 1. *num.* 37 *pag.* 137. Æquiparatur Excommunicationi. *Ibid.* Debet esse perpetua. *num* 38. *pag.* 137. Fit de legitimè professis, non jam de Novitiis. *num.* 39. *pag.* 138. Potest fieri ob solam incorrigibilitatem: non autem ob corporalem infirmitatem. *num.* 41. *pag.* 138. Judicialiter est facienda, Reus tamen debet prius audiri, & defendi. *num.* 40. *pag.* 138. Expulsio est utilis Religioni, & expulso. *quæst.* 2. *num.* 42. *pag.* 138.

Expulsio non est pura pœna, sed etiam remedium ad incorrigibilis resipiscentiam, & aliorum emendationem. *De expuls. par.* 3. *q.* 9. *num.* 63. *pag.* 193.

Expulsio ab Ordine Regulari, & degradatio in multis æquiparantur. *De expuls. par.* 3. *q.* 1. *num.* 4. *pag.* 177.

Expulsio ab Ordine Regulari correspondet privationi Fori Ecclesiastici. *De expuls. par.* 1. *q.* 5. *num.* 53. *pag.* 141. *& q.* 11. *num.* 102. *pag.* 151.

Expulsio Incorrigibilis, ut ritè fiat, quinque prærequisita concurrere debent, quæ recensentur. *De expuls. par.* 1. *q.* 4. *num.* 45. *pag.* 139.

Expulsio Incorrigibilium fit propter delicta. *De expuls. par.* 1. *q.* 5. *& seq. num.* 46. *& seqq. à pag.* 139. Vid. *Delictum*. Expulsionis causa finalis quæ sit. *n.* 48 *pag.* 140. Expulsio fieri potest ad cavendum grave detrimentum

tempo-

temporale Religionis. *ibid. & num.* 49. Expulsio principaliter inventa est ob bonum Religionis. *num.* 42. & 51 *pag.* 138. & 141.

Expulsio Monialium à Monasteriis an, & quomodo facienda. *De expulſ. par.* 1. *q.* 15. *per tot. pag.* 155.

Expelli ab Ordinibus Regularibus an possit is, qui aliquo incurabili morbo laborabat dum professionem emisit, idque etiam sive Religio protestata fuerit de nullitate, sive non. *De expulſ. par.* 1. *q. ult. num.* 147. *& seqq. pag.* 161. *& seqq.* An possit expelli, qui ære alieno gravatus, aut ad ratiocinia obligatus, intravit Religionem. *num.* 150. *& seqq. pag.* 162. An sint expellendi li, qui cum essent illegitimi, spurii, sacrilegi, incestuosi, vel naturales, criminosi, aut trahentes originem ab Hæreticis, aut Infidelibus relapsis emiserunt professionem. *num.* 153. *pag.* 162. Horum omnium expulsio, quatenus facienda, fieri potest absque interventu Ordinarii. *num.* 154. *pag.* 162. Intrà quod tempus sit facienda. *num.* 155. *pag.* 163.

Expulsionis Judex quis sit. *De expulſ. par.* 1. *q.* 16. *à n.* 130. *pag.* 157. Vid. *Judex*. Expulsionis sententia à quo, & quomodo ferenda. *ibid.* Vid. *Sententia*. Expulsionis litteræ testimoniales à Superiore dandæ sunt expulso. *num.* 146. *pag.* 161. *& par.* 2. *n.* 98. *&* 99. *pag.* 175.

Expulsio incorrigibilium ab Ordinibus Regularibus à solo Generali, assentientibus sex deputatis Patribus, est facienda. *De expulſ. par.* 1. *num.* 18. *pag.* 134. Expulsionis processus, quo modo instituendus. *ibid.* Vid. *Processus*. Expulsionis causæ plenè sunt probandæ. *ibid.* Expulsio hæc extremum remedium est. *n.* 20. *pag.* 134.

Expulsi ab Ordinibus Regularibus differunt juxta eorumdem Ordinum differentiam. *De expulſ. par.* 3. *q.* 3. *num.* 13. *pag.* 179. Expulsus unde alimenta habere debeat. *q.* 4. *à num.* 19. *pag.* 181. Vid. *Alimentum*. An possit promoveri ad Sacros Ordines, vel in susceptis ministrare, & obtinere beneficium, aut concionem. *q.* 7. *à num.* 25. *pag.* 183. Vid. *Irregularitas*. *Ordo*. *Suspensio*.

Expulsis non sunt concedendæ litteræ testimoniales ad S. Sedem, nec ad aliam Religionem ingrediendi. *De expulſ. par.* 1. *num.* 21. *pag.* 134. Sunt perpetuò suspensi; sed iterum recipiendi, si resipiscant. *n.* 22. *&* 23. *pag.* 134. Expulsionis Judices, & sententia. Vid. *Judex*. *Sententia*. Expellendorum carceratio. Vid. *Carceratio*. Generalis non potest alteri delegare facultatem expellendi incorrigibiles. *num.* 29. *pag.* 136.

Expulsum ab Ordine Regulari recipi ab Ordinario debet inter suos subditos. *De expulſ par.* 3. *q.* 1. *n.* 4. *pag* 177.

Expulsus aliquando etiam ab aliquo loco exulare jubetur, idque notificandum est Ordinariis. *par.* 2. *num.* 97. *pag.* 175. Expulsus potest cuicumque Ordinario se præsentare, & domicilium, prout libuerit, eligere. *par.* 3. *q.* 2. *à num.* 6. *pag.* 178. Tenetur Ordinario obedire æque ac alii Clerici, non autem strictius. *num.* 11. *pag.* 179. Potest pro libito mutare diœcesim, sed debet se præsentare Ordinario. *à n.* 10. *pag.* 179. Expulsi habitus. Vid. *Habitus*.

Expulsus non est cogendus ut redeat ad claustra, neque admittendus, nisi correctus. *De expulſ. par.* 1. *q.* 1. *num.* 38. *pag.* 139. In sæculo securior est. *quæſt.* 2. *num.* 42. *pag.* 138.

Expulsus tenetur redire ad Religionem, si hæc illum revocet. *De expulſ. par.* 3. *q.* 9. *n.* 67. *pag.* 194. Vid. *Religio*.

Expulsus à Religione tenetur se corrigere, ut iterùm in Religionem admittatur. *De expulſ. par.* 3. *quæſt.* 11. *à num.* 74. *pag.* 196. Si emendatus se offert Religioni, & hæc illum respuat, ipse in sæculo manet tutus in conscientiâ, *num.* 77. *&* 78. *pag.* 197. Debet tamen sæpiùs instare ut recipiatur. *ibid.* An sit tutus, si procuravit expelli. *q.* 12. *à num.* 79. *pag.* 198. An ad aliam Religionem cogi, vel sponte illam ingredi possit. *q.* 13. *à num.* 84. *pag.* 199.

Expulsus ab unâ Religione, si hac inconsulta & absque S. Sedis licentiâ, ad aliam transeat, potest à primâ revocari, si tamen nondum professus sit in secundâ. *De expulſ. par.* 3 *q.* 13. *num.* 90. *pag.* 200. Qui voverat Religionem in genere, & unum Institutum amplexus est, si ab hoc expellatur, non tenetur ad aliud transire. *q.* 14. *à num.* 91 *pag.* 201. Expulsus ab una Religione si aliam amplectatur, & hæc vel supprimatur, vel illum expellat, an expulsus teneatur ad primam Religionem redire. *q.* 15. *à num.* 95. *pag.* 201. An expulsus, si redire velit, teneatur ad novitiatum, & ad novam professionem. *q.* 16. *à num.* 98. *pag.* 203. Quid si expulsus in alio Ordine professus sit, & ad priorem redire contendat. *ibid.* Expulsus an gaudeat privilegiis Ordinis. *q.* 17. *à num.* 102. *pag.* 204. Vid. *Privilegium*. An sit Apostata, si habitum clericalem dimittat. *q.* 18. *à num.* 109. *pag.* 204. Vid. *Habitus*.

Expulsi bona primo Monasterio acquisita, vel donata, si ad aliam Religionem transeat, cui sint adjudicanda. *De expulſ. par.* 3. *q.* 28. *à num.* 180. *pag.* 220. Vid. *Bona*. Expulsus an possit prætendere scripta à se composita. *q.* 29. *à num.* 191. *pag.* 223. Vid. *Scripta*. In quo differat à servo manumisso. *num.* 194. *pag.* 224.

Expulsi à Religionibus adhuc sunt Religiosi, an teneantur ad vota, & ad Observantias Regulares. *De expulſ. par.* 3. *q.* 6 *à num.* 37. *pag.* 185. Vid. *Votum*.

Expulsus potest se civiliter obligare, ut sibi alimenta procuret. *De expulſ. par.* 3. *q.* 6. *num.* 40. *pag.* 88. An maneat Religionis jurisdictioni subjectus. *q.* 7. *à num.* 50. *pag.* 189. An teneatur ex voto obedire Episcopo, & Summo Pontifici. *q.* 8. *à num.* 53. *pag.* 190. Vid. *Obedientia*.

Expulsus à Religione an recuperet antianitatem, & alios gradus, quibus antea gaudebat, si revertatur ad Religionem. *De expulſ par.* 3. *q.* 19. *à n.* 110 *pag.* 205. Vid. *Antianitas*. *Præcedentia*. Expulsus quomodo dicatur subjectus Episcopo. *num.* 113. *pag.* 206. Expulso an possit irrogari etiam pœna exilii. *q.* 20. *à n.* 115. *pag.* 206. An ei competat dominium, & administratio rerum temporalium. *q.* 21. *à num.* 118. *pag.* 207. An possit Religioni, à quo expulsus est, bona acquirere. *num.* 121. *pag.* 207. Vid. *Bona*. An possit venire contra renuntiationem bonorum à se factam in professione, aut acquisita donare. *q.* 23. *&* 24. *pag.* 213. *& seqq.* Vid. *Renuntiatio*. *Donatio*.

Expulsum an si in illicita expendat, peccet contrà votum, & restitutio sit necessaria. *De expulſ. par.* 3. *q.* 25. *à n.* 164. *pag.* 216. An Conventus dum revocat expulsum, teneatur ad illius debita. *q.* 26. *à n.* 169. *pag.* 217. Vid. *Debitum*. An teneatur illum revertentem recipere, si timeatur infamia, aut scandalum, aut habeat morbum contagiosum, aut sit inhabilis ad officia Ordinis. *q.* 27. *à num.* 174. *pag.* 219.

Expulsus an possit condere testamentum, vel codicillum, aut donare causâ mortis. *De expulſ. par.* 3. *q.* 30. *à num* 195. *pag.* 214. Vid. *Testamentum*. *Donatio*.

Expulsi ex Ordinibus Regularibus debent à Superioribus annuatim requiri. *De expuls. par.* 1. *num.* 9. *&* 10. *pag* 131. *&* 133. Expulsi debent habitum clericalem deferre, & Ordinario subsunt, cui notificanda expulsionis sententia. *num.* 29. *pag.* 134.

F

F*Alsarii* gravibus pœnis subjiciuntur. *Conſt. pag.* 246. *& seqq.*

Fama cautè custodienda est, qui eam negligit, crudelis est. *Obſer.* 21. *Append. ad ſect.* 3. *num.* 1. *pag.* 415.

Famuli quando testes esse nequeant. *Obſer.* 23. *ſubſect.* 1. *num.* 25. *pag.* 464.

Fatuus quis dicatur, & an sit puniendus si delinquat. *Obſer.* 22. *ſect.* 5. *num.* 17. *pag.* 435.

Fautores, & receptores homicidarum, facinorosorum, & scelestorum gravibus pœnis subjiciuntur. *Conſt. pag.* 246. *& seqq.*

Feriæ in honorem Dei aliæ sunt mediatæ, ut feriæ Sanctorum, aliæ immediatæ, ut Paschatis. *Conſt. pag.* 308. *col.* 2. Aliæ item in commodum humanum, aliæ in honorem Dei. *pag.* 309. *col.* 1. Feriæ in honorem Dei attendendæ sunt in criminalibus. *ibid.*

Fidejussiones de non offendendis inimicis, nec violandâ pace.

ce, & tregua quomodo stipulanda. *Const. pag.* 242. *col.* 2. Fidejussores hujusmodi ad quid teneantur, & quænam actio ipsis competat adversùs contravenientes. *ibid.*

Filii an sint testes idonei. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *n.* 9. *pag.* 461.

Fiscalis ab Adriano Imperatore primùm constitutus fuit. *Obser.* 18. *num.* 5. *pag.* 376. Soli supremi Principes Fiscum habent, quamquam aliquo modo illum etiam habent Episcopi, & Barones. *num.* 6. *pag.* 377. qui potius vocetur Promotor Fiscalis? *num.* 7. *pag.* 377.

Fisco non est omnino vetita Appellatio. *Obser.* 18. *num.* 1. 3. *& seqq. pag.* 376. *& seqq.* Exceptis quibusdam Regulis. *num.* 2. *pag.* 376. Atque adeo admittendæ etiam sunt appellationes Promotorum Fiscalium Curiarum Ecclesiasticarum, & quomodo. *num.* 10. *pag.* 377. Fiscus non appellat à sententià contrà ipsum latà, nisi adsit Instigator, & hic debet dare cautionem. *num.* 17. *& seqq. pag.* 378. *& seqq.* Quid sit hæc cautio: quando: & ubi danda. *num.* 18. *& seqq. pag.* 378. *& seqq.*

Fiscalis generalis Romæ causas, & processus contrà contumaces debet celeriter expedire. *Const. pag.* 280. *col.* 2.

Fiscalem Advocatum deputare debet Superior Regularis, ut ex parte Religionis respondeat Advocato Rei carcerati ad expulsionem. *De expuls. par.* 2. *à num.* 45. *pag.* 169.

Fortasis quinam dicatur & quomodo procedendum contrà ipsum in criminalibus. *Const. pag.* 310. *col.* 2.

Forenses delinquentes non tenentur pœnà præscripta in statutis loci, ubi delinquunt & quare. *Obser.* 22. *sect.* 2. *num.* 17. *pag.* 410. Limita, nisi competentem moram in eo loco traxerint. *num.* 18. *pag.* 420. Tenentur tamen pœnis præscriptis in Bannimentis generalibus Romæ, & S. Consultæ. *num.* 14 *pag.* 410. datis tamen quibusdam conditionibus, & requisitis. *à n.* 19. *ad ult. pag.* 411. *ubi refertur exemplum.*

Formula repetitionis testium pro legitimatione processus, quando Inquisitus noluerit declarare, se eos habere pro ritè examinatis. *Obser.* 24. *n.* 12. *&* 15. *pag.* 517. *&* 519. Formula torquendi testes, qui repetitione à primo examine recedunt. *à num.* 24. *pag.* 518. Formula repetitionis socii criminis. *n.* 13. *&* 15. *pag.* 518. *& seq.* Formula interrogatoriorum ex parte Inquisiti producendorum pro repetitione testium. *à num.* 19. *pag.* 519. Formulæ confrontandi testes, & peritos, & socios criminis. *à num.* 22. *pag.* 521. *& seqq.* Formula recognitionis, & confrontationis. *pag.* 523.

Formula sententiæ degradationis verbalis actualis. *Obser.* 25. *num.* 29. *pag* 529. Formulæ degradationis à quocumque Ordine. *num.* 34. *pag.* 531. *& seqq.* Formula tradendi degradatum Curiæ Sæculari. *n.* 35. *pag.* 533. Formula torturæ repetitæ. *pag.* 536. Formulæ tormenti Taxillorum, seu Stanghettæ, & tormenti Sibillorum, ac ratificationis Confessionis. *pag.* 527.

Formula terminorum contumacialium in statu Ecclesiastico servandorum. *Const. pag.* 296. *& seqq.*

Forum in civilibus controversiis consideratur ratione originis, aut domicilii, aut contractus &c. *Obser.* 2. *n.* 2. *pag.* 312. Quid in criminalibus. *ibid. col.* 2.

Fugitivi ex Ordinibus Regularibus, annuatim à Superioribus sunt requirendi. *De expuls. par.* 1. *num.* 9. 12. *&* 31. *pag.* 132. 133. *&* 136. Possunt ab Ordinariis, aut à Superioribus carcerari. *num.* 16. *pag.* 134.

Furiosus quis sit, & in quo à mentecapto differat, & cum eo conveniat. *Obser.* 22. *sect.* 5. *n.* 14. *&* 15. *pag.* 435. Sub furiosi nomine plures insanorum species comprehenduntur, quæ recensentur. *num.* 17. *pag.* 435. Furiosus à testificando repellitur. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *num.* 1. *pag.* 460.

Furiosus amittit imperium voluntatis: si delinquat, nullam pœnam incurrit. *Obser.* 22. *sect.* 5. *n.* 1. *pag.* 433. Cavendum tamen ne Reus furorem simulet: quomodo id agnoscendum. *num.* 2. *pag.* 433. Qui post delictum in furorem incidit, an, & quà pœnà puniendus sit. *à num.* 3. *pag* 433. *& seqq.* Saltem in bonis puniendus videtur. *num.* 10. *&* 11. *pag.* 434.

Furiosorum delinquentium consanguinei non sunt puniendi, nisi bis injuncta fuisset illorum custodia. *Obser.* 22. *sect.* 5. *num.* 12. *&* 13. *pag.* 435. Eadem dicenda de

De Anton. Operum Par. 3I.

mentecaptis, & dementibus. Vid. *Demens.*

Fur deprehensus in attentato committendi furtum diversimodè consideratur, & diversimodè puniendus, juxtà attentati qualitatem, & gradum. *Obser.* 22. *sect.* 1. *num.* 14. *&* 15. *pag.* 407.

Fur famosus quis sit, & ut talis dicatur, quæ, quot, & qualis furta, & quomodo patrata requirantur. *Obser.* 23. *subsect.* 4. *num.* 35. *pag.* 491.

Furtum Eucharistiæ gravissimis pœnis punitur. *Obser.* 25. *num.* 43. *in Const.* BENED. XIV. *pag.* 534. Vid. *Eucharistia.*

G

G*Eneralem* Superiorem, nisi ultra tres dietas distet, adire debent Deputati Patres in causis expulsionum Religiosorum incorrigibilium ab Ordinibus Regularibus. *De expuls. par.* 1. *à num.* 49. *pag.* 169.

Gubernii Urbis Tribunal magnæ est præeminentiæ, & auctoritatis. *Obser.* 13. *num.* 13. *&* 19. *pag.* 340. *& seq.* An in hoc Tribunali admittantur appellationes in criminalibus. *num* 12. *& seqq. pag.* 340.

Gubernii Urbis Tribunali determinatus Judicum, & Notariorum numerus attribuitur cum certo stipendio. *Constit. pag.* 277. *col.* 2.

H

H*Abitatio*, & habitator differunt ab hospitio, & hospite. *Constit. pag.* 209. *col.* 1.

Habitum religiosum qui temerè dimittit, excommunicationem incurrit. *De expuls. par.* 3. *q.* 18 *n.* 105. *pag.* 204. Non item expulsus à Religione, si habitum clericalem dimittat. *à num.* 106. *pag.* 204. In his expulsis habitus clericalis non subrogatur religioso. *num.* 108. *pag.* 205.

Habitum clericalem deferre debent expulsi à Religionibus, si sacris Ordinibus initiati fuerant, sin autem, possunt deferre habitum laicalem, præsertim si victum sibi operà sua comparare indigeant. *De expuls. par.* 3. *q.* 3. *à num.* 13. *pag.* 179. *& seq.*

Hæredes Rei in criminalibus damnati, qui vivens appellavit, utrùm, eodem Reo appellante defuncto, possint ejus appellationem prosequi. *Obser.* 17. *per tot. pag.* 353. *& seq.* Ubi amplum refertur exemplum similis appellationis latè discussæ.

Hæreditas relicta alicui Monacho dum in uno Monasterio degit, eaque nondum aditâ, monachus à primo Monasterio expellitur, & ad aliud transit, ad quodnam ex his monasteriis pertineat. *De expuls. par.* 3. *q.* 18. *n.* 187. *pag.* 282.

Hæreticus relapsus dicitur, qui in hæresim specie diversam à prima incidit. *De expuls. par.* 1. *quæst.* 7. *n.* 73. *pag.* 145.

Homo solus propriè delinquere dicitur *Obser.* 22. *sect.* 8 *n.* 15. *pag.* 453. Juxta diversos Hominum ordines, qui recensentur, diversa considerantur delicta. *num.* 16. *pag.* 453. Hominis nomen Masculum & fœminam comprehendit; in favorabilibus tamen, non in odiosis, nisi id exprimatur. Exempla. *num.* 17. *&* 18. *pag.* 453.

Homicidæ, & homicidia, multis modis, gravioribusque pœnis coercentur. *Const. pag.* 246 *& seq.* Homicidas ne recipiant, sed potius ut capiant, nonnulli sub gravibus pœnis jubentur. *ibid.*

Homicidæ minores annis viginti, sed majores annis quatuordecim, non excusantur. *Const. pag.* 243. *col.* 1 Homicidæ quomodo se defendere, quomodo condemnari debeant. *ibid.*

Homicida aut ejus procurator, non est audiendus, neque ejus appellatio, vel executio admittenda, nisi in carcerem se constituat. *Constit pag.* 239. *& seq.*

Homicidæ, & qui consilium, auxilium, aut aliud ad perpetranda homicidia præstiterunt, ideoque tamquam Rei fuerunt banniti, à nemine nisi de expresso Summi Pontificis mandato absolvi possunt, sed perpetuo à Statu Ecclesiastico arceantur, etiamsi pacem à parte læsà obtinuerint; *Constit. pag.* 260. *& Constit. pag.* 268. *& seq.*

etiamsi homicidium in rixa patratum fuerit *ibid. pag.* 290. *col.* 1. Salvis Archiconfraternitatum privilegiis liberandi aliquem Reum. *Constit. pag.* 290. *col.* 1. Quid de privilegiatis vulgo *Patentati* . *ibid. col.* 2.

Homicidium appensatum, seu præmeditatum, quodnam dicatur, & quomodo patretur, itaut in Chirographo BENEDICTI XIV. ann. 1743. comprehensum intelligatur. *Obser.* 23. *Subsect.* 4. *num.* 19. & 20. *pag.* 489. Ad hujusmodi homicidium insidiæ probabilius non requiruntur. *ibid.* In dubio, homicidium non præsumitur appensatum. *à num.* 21. *pag.* 489. Homicidium simplex quodnam sit. *num.* 22. *pag.* 489. Qualitas animi deliberati, respectu homicidii appensati, præsumptionibus conjecturis, & indiciis probari potest, & quænam ista sint. *a num.* 23. *pag.* 489. Quænam sit præcipua præsumptio excludens animi deliberati qualitatem. *num.* 14. *pag.* 489. Homicidium impetuosè, etiam ex bestiali causâ admissum, non comprehenditur sub dicto chirographo. *num.* 25. *pag.* 490. Si quis animo præmeditans occidere unum, per errorem occidat alium, hoc homicidium non dicitur appensatum sub dicto chirographo comprehensum. *num.* 26. & 27. *pag.* 490. comprobatur. *à num.* 28. *pag.* 490. & *seq.* Quamquam hoc homicidium juxta urbis, & S. Consultæ bannimenta capitali supplicio punitur. *num.* 32. *pag.* 491.

Homicidium ex irâ, aut in rixâ patratum, non excusatur in Statu Ecclesiastico, sed pœnis contrà homicidas statutis punitur. *Obser.* 22. *n.* 19. & *seqq. pag.* 404. & 405.

Homicidiorum pœnis subjacent mulieres, & milites homicidæ *Constit. pag.* 273.

I

Identitas delicti constare debet, ut delinquens per indicia convincatur. *Obser.* 23. *sect.* 2. *num.* 34. *pag.* 504.

Ignorantiam distinguunt Jurisconsulti in justam, seu probabilem, affectatam, & supinam, seu crassam. *Obser.* 22. *sect.* 2. *num.* 16. *pag.* 410.

Ignorantia involuntarium causat, & ab errore differt. *Obser.* 22. *sect.* 2. *num.* 1. *pag.* 408. Alia dicitur juris, alia facti. *num.* 2. *pag.* 408. Utraque potest dici vincibilis, vel invincibilis: seu antecedens, aut consequens, aut concomitans. *num.* 3. & 4. *pag.* 408. Quænam ignorantia propriè causet involuntarium. *num.* 5. *pag.* 408.

Ignorantia totaliter invincibilis antecedens facti excusat à crimine, & pœna. *Obser.* 22. *sect.* 2. *num.* 6. *pag.* 408. An idem dicendum sit de ignorantia juris. *nu.* 7. & 8. *pag.* 408. Ex quibus conjecturis hæc ignorantia probetur. *num.* 9. *pag.* 409. Quid dicendum de ignorantia invincibili concomitante. *num.* 11. *pag.* 409.

Ignorantia invincibilis juris an excuset à pœnâ per legem impositâ quoad actum, seu factum aliâs lege antiquiori sive naturali, sive positiva damnatum. *Obser.* 22. *sect.* 2. *num.* 12. & 13. *pag.* 409. In hac materia juxtà recentiora Bannimenta Romæ non excusantur absentes, & Forenses. *a num.* 14. *pag.* 410. Etiamsi sciant pœnam non autem legem, dummodo in eorum locis eadem pœna, & lex vigerent. *num.* 19. & 20. *pag.* 410. Quamdiù Romæ, ejusve districtu morari debuerint Forenses, ne ignorantiam Bannimentorum allegare possint. *num.* 21. & 22. *pag.* 410. & *seqq.*

Ignorantia Bannimentorum Urbis excusantur minores 25. annis *Obser.* 22. *sect.* 2. *num.* 23. *pag.* 411. Quid de Rusticis, Mulieribus, & Militibus. *num.* 25. *pag.* 411. Utrùm excusentur Forenses delinquentes, si fateantur se per tempus in Bannimentis præscriptum moratos fuisse indeterminate in Statu Ecclesiastico, non autem, determinatè Romæ, ejusvè districtu. *num.* 26. Exemplum. *num.* 29. *pag.* 411.

Ignorantia invincibilis an excuset ab incursu censurarum, & ab irregularitate. *Obser.* 22. *num.* 24. *pag.* 412. *remissivè*.

Immunitas Ecclesiastica quibusnam Reis suffragetur. *Const. pag.* 252. & *seq.* & *Constit. pag.* 262. 271. 284. & *seq.* Quomodo, & cujus auctoritate Rei possint ex locis sacris immunibus extrahi. *ibid.* Quid si quis in ditione alicujus Principis delinquat, & ad alterius Principis statum confugiens, in locum immunem se recipiat. *pag.* 289. *col.* 1. & *pag.* 307. & *seqq.*

Impuberes non sunt testes idonei ad convincendum præsertim in criminalibus, etiam in delictis exceptis, & difficilis probationis. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 2. & 3. *pag.* 460.

Impuberes quando delinquere, & pœnis, ac censuris subjici possint. *Obser* 22. *sect.* 4. *num.* 9. & *seqq. pag.* 413.

Incorrigibilis Regularis quis sit, quomodò probandus, & quomodo ab Ordine expellendus. *De expulsi. par.* 1. *num.* 18. *pag.* 134. Vid. *Expulsio*.

Incorrigibilis Religiosus, ad hoc ut expellatur ex Ordine, non dicitur ex præsumptione juris, sed talis de facto esse debet. *De expulsi. par.* 1. *quæst.* 6. *num.* 63. *pag.* 143.

Incorrigibilis non censetur Religiosus, nisi prius omnia media ad correctionem inutiliter tentata fuerint. *De expulsi. par.* 1. *quæst.* 10. *num.* 97. *pag.* 150. Incorrigibilis ad expulsionem carceratus, non statim post carcerationis expletum tempus est expellendus. *quæst.* 14. *num.* 117. *pag.* 154. Quomodo approbandus an perseveret incorrigibilis. *num.* 119. & *seqq. pag.* 154. Probatus in carcere, & eductus, si ad solitam malam vitam redeat, potest ut incorrigibilis expelli. *n.* 123. *pag.* 155. Item fugiens ex carcere. *num.* 124. *pag.* 155.

Incorrigibiles Regulares magis expedit, ut ab Ordine expellantur, quàm ut in carceribus detineantur, idque ob bonum tam spirituale, quàm temporale. *De expulsi. par.* 1. *q.* 3. *num.* 43. *pag.* 138. Aliquando tamen expedit oppositum. *num.* 44. *pag.* 139.

Incorrigibilis Monialis. Vid. *Monialis*.

Incorrigibilitas in Ecclesiastico requiritur, ut degradari possit. *Obser.* 25. *num.* 5. *pag.* 525. Incorrigibilitas hæc ex quibus delictis, & quomodo habeatur. *n.* 24. *pag.* 529. Quando tanta sit, ut degradatus Curiæ Sæculari tradendus sit. *num.* 24. *pag.* 529.

Incorrigibilitas est unica causa cur Religiosus delinquens à Religione expellatur. *De expulsi. par.* 1. *q.* 6. *num.* 61. *pag.* 143. Incorrigibilitas hæc debet esse judicialiter probata post triplex crimen, monitiones, pœnas, & carcerem. *num.* 62. *pag.* 143. Quomodo ex unico delicto possit haberi. *num.* 63. & *seqq. pag.* 143. & 144.

Incorrigibilitas Religiosi delinquentis tribus modis dignoscitur: sed quæ specialiter attendatur in Ordine Minorum de Observantia. *De expulsi. par.* 1. *q.* 7. *n.* 72. *pag.* 145. Propter crimen speciei diversæ a prioribus jam punitis, habetur Incorrigibilitas sufficiens ad expulsionem. Declaratur exemplis. *num.* 73. & 74. *pag.* 145.

Incorrigibilitas, ob quam Religiosus delinquens à Religione expellitur, debet esse notoria, & quomodo. *De expulsi. par.* 2. *q.* 8. *num.* 75. & *seqq pag.* 146. Incorrigibilitas in ordine ad expulsionem non deducitur ex verbali monitione, & correctione de delictis. *q.* 10. *num.* 98. *pag.* 150.

Incorrigibilitas præsumpta non sufficit ad expulsionem. *De expulsi. par.* 1. *q.* 11. *num.* 103. *pag.* 151. Incorrigibilitatis præsumptio inducta ex tertio delicto non tollitur, nisi per triennium probatæ vitæ. *num.* 105. *pag.* 151. Incorrigibilitas unde, & ex quibus signis dignoscatur. *q.* 14. *num.* 119. *pag.* 154.

Indicia ad transmittendam Reo inquisitionem quænam sufficiant. *Const. pag.* 302. *col.* 2.

Indicia indubitata aliquando sufficiunt ad infligendam pœnam in causis criminalibus. *Const. pag.* 276.

Indicia indubitata nunc Romæ, & in toto Statu Ecclesiastico, vigore Chirographi BENEDICTI XIV. sufficiunt ad convincendos Reos de quibusdam delictis in eo Chirographo comprehensis, & patratis in locis infamibus. *Obser.* 23. *a num.* 3. *pag.* 454. & *seqq.* Et *fusius*, *sect.* 2. *num.* 1. *pag.* 498. Id aliquo modo convenit cum quadam pragmatica Regni Neapolis. *Ibid.* An etiam de jure convincant, expenditur. *a num.* 2. *pag.* 498. & *seqq.* Sed sola pœna extraordinaria ex jure practicata fuit ex indubitatis indiciis. *num.* 9. *pag.* 500.

Indicia ad convincendum admittuntur solùm in supremis Tribunalibus, & quoad delicta in dicto Chirographo expres-

expressa. *Obser.* 23. *sect.* 1. *num.* 11. *&* 12. *pag.* 500. Debet tamen de corpore delicti evidenter constare, ut indicia juxta tale Chirographum convincant. *n.* 13. *pag.* 500. Indicia tamen non sufficiunt ad probandum corpus delicti per factum permanens patrati, quidquid alibi practicetur. *a num.* 13. *pag.* 501. Sufficiunt tamen in delicto facti transeuntis. *a num.* 16. *pag.* 501. *& seqq.* Quid de sufficientia judiciorum pro delicto in genere, & in specie juxtà sententiam Raynaldi. *ibid.* Si delictum facti permanentis per accidens efficiatur facti transeuntis, indicia non sufficiunt ad probandum corpus delicti ad hoc, ut ad torturam, aut ad pœnam ordinariam deveniatur, etiamsi accedat Rei confessio, licèt spontanea: quamvis alii aliter sentiant. *a num.* 21. *ad* 32. *pag.* 502. *& seqq.*

Indicia indubitata, ut convincant ad pœnam ordinariam infligendam, exigitur ulterius, ut constet delictum fuisse scelere patratum. *Obser.* 23. *sect.* 2. *num.* 34. *pag.* 504. Quomodo concurrere possint ad convincendum de delicto atrocissimo. *Subsect.* 4. *a num.* 25. *pag.* 488. Quænam dicantur substantialia alicujus delicti, & quomodo probari possint. *ibid.*

Indicia, ut Reum convincant, debent esse ita indubitata, ut Judex omnem hæsitationem excludat. *Obser.* 23. *sect.* 2. *num.* 35. *pag.* 504. Indicia ejusmodi quænam sint, aut unde hauriri possint. *a num.* 36. *pag.* 505. Debent essentialiter concludere per necesse, idque justo Judicis arbitrio remittitur. *a num.* 41. *pag.* 505. *& seqq.* Exempla Innocentium ex indiciis condemnatorum. *ibid.* Indicia apud aliquos indubitata, apud alios talia non sunt. *num.* 45. *pag.* 506. Quid de pragmatica Neapolis in hac materiâ. *ibid.*

Indicia indubitata, ut Reum convincant ad pœnam ordinariam, debent gravem moralem certitudinem de patrato delicto inducere. *Obser.* 23. *sect.* 2. *n.* 46. *pag.* 506. Describitur hæc certitudo. *ab eodem num.* 46. *pag.* 506. *& seq.* Vid. *Certitudo*. Cauti admodùm esse, & multa ponderare debent Judices, ut omnem hæsitationem ex indiciis excludant, & capitalem pœnam dictent. *a num.* 52. *pag.* 507. *& seq.* Duplicem de patrato delicto credulitatem indicia possunt inducere. *a num.* 52. *pag.* 508. Vid. *Credulitas*. Indicia minora, præsertim à jure approbata, fortassis sufficiunt ad pœnam ordinariam in criminibus occultis, & quare. *num.* 54. *pag.* 508.

Indicia alia levia, alia probabilia, alia vehementissima. Et alia *Juris* tantum, alia *Juris de Jure*. *Obser.* 23. *sect.* 2. *num.* 55 *pag.* 508. Vehementissima æquè ac testes ad pœnam ordinariam convincunt de crimine, præsertim occulto. *ibid.* Indicia non sunt principia supplicii, sed quæstionis; nec actus pœnæ, sed torturæ: & quædam Tribunalia maluerunt extraordinariam irrogare pœnam ex indiciis. *num.* 56. *pag.* 506. Indicia cautè ponderari debent, nec facilè imponendum est capitale supplicium ex ipsis, cum fallere possint, nec facile indubitata indicia discernantur. *ibid.* *&* *num.* 57. *pag.* 509. Neque ob criminis magnitudinem debent indicia statim reputari sufficientia. *ibid.*

Indicia indubitata ut convincant pro capitali pœna, debent esse plura. *Obser.* 23. *sect.* 2. *num.* 62. *pag.* 510. Et legitimè in suo genere probata. *num.* 63. *pag.* 510. Saltem per duos testes contestes nullam in se, aut in suis dictis exceptionem patientes. *à num.* 64. *pag.* 510. *& seqq.* Pro torturâ haberi possunt ex unico teste digno, vel ex testibus singularibus, non item pro pœnâ ordinaria. *à num.* 65. *pag.* 511. Indicia plura dubitata, non jam remota ac levia, possunt conjungi ad efformandum indicium indubitatum pro pœnâ extraordinaria. *à num.* 68. *pag.* 511. *& seqq.* Non item pro pœnâ ordinariâ, ad quam requiruntur indicia in se ipsis indubitata inter vehementissimas præsumptiones *Juris & de Jure* computata. *ibid.*

Indicia indubitata convincunt quoad liquidationem delinquentis, non tamen probant qualitatem aggravantem criminis. *Obser.* 23. *sect.* 2. *num.* 74. *pag.* 512. Indicia falsæ monetæ quænam sint, *num.* 60. *pag.* 509. Vid. *Moneta*. Antequam ex indiciis pœna capitalis or-

dinaria infligatur, deberet admitti appellatio in suspensivo, vel saltem deberent per aliud Tribunal revideri, iterumque perpendi. *num.* 58. *pag.* 509. Vid. *Appellatio*.

Indicia vehementia sufficiunt, ut Barones Romani & Status Ecclesiastici mixtum imperium habentes, damnent ad pœnam extraordinariam Reos negativos, & non convictos, sub quibusdam tamen conditionibus circà processûs recognitionem, Reorum defensionem, & pœnæ modum. *Obser.* 23. *Append.* 2. *pag.* 514. *&* 515.

Infames alii dicuntur à jure, alii ex facto, & à testificando repelluntur. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 32. *& seqq.* *pag.* 465.

Infames personæ an aliquando admitti possint in testes ad probandum, & convincendum de atrocissimis delictis, & de patratis in locis infamibus. *Obser.* 23. *subsect.* 4. *à num.* 37. *pag.* 492. *& seqq.* An saltem admittantur ad probandum, non fuisse in iis locis alios testes tempore patrati delicti. *à num.* 54. *pag.* 491. *& seqq.* Vid. *Testis*.

Infamia morti æquiparetur, ejusque metus gravissimus est. *Obser.* 21. *Append. ad sect.* 3. *n.* 1. *pag.* 415. Vid. *Metus*.

Infamia Religioni obveniens ex scandalo dato ab aliquo Religioso, reparatur per pœnam. *De expulf. par.* 2. *q.* 6. *num.* 63. 65. *&* 71. *pag.* 143. *&* 144.

Infamiam juris & facti contrahit expulsus à Religione, & ob infamiam fit irregularis. *De expulf. par.* 3. *q.* 5. *num.* 31. *pag.* 184. Ab hac infamiâ non liberant Superiores, si revertatur ad Religionem. *n.* 34. *pag.* 184. *& q.* 9. *num.* 112. *pag.* 205.

Infamia, quæ posset obvenire Religioni, an impediat, ne expulsus in eam iterùm recipiatur. *De expulf. par.* 3. *q.* 27. *à num.* 174. *pag.* 219.

Infamia quamdiù duret. *Obser.* 22. *sect.* 4. *n.* 8. *pag.* 421.

Infantes, & infantiæ proximi, neque doli, neque culpæ capaces sunt, ideoque nec Delictum illis imputandum, neque ulla pœna, etiam irregularitatis infligenda. *Obser.* 22. *sect.* 4. *num.* 3. *pag.* 422. Explicantur aliqui textus Ss. Augustini, Hieronymi, & aliorum, qui videntur contrarii. *num.* 4. *& seqq.* *pag.* 422. Infantes aliquando peccare possunt. *num.* 8. *pag.* 422.

Infanticidium quibus pœnis punitur juxta Urnis, & S. Consulta Bannimenta, à quibus nec eximuntur mulieres illud committentes ob metum infamiæ. *Obser.* 22. *Append. ad sect.* 3. *per tot.* *pag.* 415. *& seqq.*

Infideles non recipiuntur in testes contra Christianos, & quinam dicantur infideles. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 38. *pag.* 466.

Inhabilitas ad Officia Religionis, qua laboraret Expulsus ab eâdem, an impediat ne ipse in illam iterum reciperetur. *De expulf. par.* 3. *q.* 27. *num.* 178. *pag.* 219.

Inimici à testificando repelluntur. *Obser.* 23. *sect.* 1. *num.* 39. *pag.* 466.

Inquisitio contrà Reum quomodo formari debeat in Statu Ecclesiastico. *Const. pag.* 295. *col.* 2. Explicatur. *pag.* 302. *col.* 1.

Inquisiti debent Cameræ Apostolicæ solvere quidquid olim Judicibus, & Notariis Gubernii pro Commissionibus solvebant. *Const. pag.* 78. *col.* 2.

Insanus quis dicatur, & si delinquat, an sit puniendus. *Obser.* 22. *sect.* 5. *num.* 18. *pag.* 436.

Insidiæ an requirantur, ut homicidium dicatur præmeditato animo patratum. *Obser.* 23. *subsect.* 4. *num.* 20. *pag.* 489.

Instrumenta an sufficiant ad aliquem de crimine convincendum. *Obser.* 23. *num.* 3. *pag.* 454.

Instrumenta ad monetam falsificandam apta sunt indicia sufficientia ad convincendum Reum. *Obser.* 23. *sect.* 2. *à num.* 60. *pag.* 510. Vid. *Moneta*.

Interesse qui habet in aliqua causa, à testificando rejicitur. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *n.* 17. *pag.* 463.

Interrogationes quomodo testibus, & Reis sint faciendæ, & quænam sint cavendæ. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *à n.* 26. *pag.* 480. *& seqq.*

Interrogatoria ex parte Inquisiti producenda in repetitione testium pro legitimatione processûs. *Obser.* 24. *à n.* 19. *pag.* 519.

Involuntarium violentum an à delictis excuset. *Obser.* 22. *sect.* 3. *num.* 5. *& seqq. pag.* 411. Vid. *Violentum. Vis. Metus.*

Ira, aut alia animi passio delictum aliquomodo minuit. *Obser.* 22. *num.* 18. *pag.* 404. Iræ tempus respectu delicti quomodo computandum. *num.* 19. 20. *&* 21. *pag.* 405.

Irregularitatem ex infamiâ incurrunt expulsi ab Ordinibus Regularibus, super quâ non possunt Episcopi dispensare. *De expulsi. par.* 3. *q.* 5. *à num.* 32. *pag.* 184. Liberantur ab eâ, si ad claustra redeant. *n.* 34 *pag.* 184.

Judex competens in causis criminalibus est, qui jurisdictionem exercet ubi crimen patratum est. *Obser.* 1. *n.* 1. *pag* 312. Judex domicilii, potest per accusationem procedere contra subditum in alieno territorio delinquentem quantum ad pœnam ordinariam. *ibid. num.* 2. Potest etiam per inquisitionem, si delictum commissum sit in loco subjecto Principi supremo, cui subjectus est locus domicilii non autem si non est subjectus eidem Principi. *num.* 3. *& seqq. pag.* 322. *& seq.* Judex domicilii non offenditur ex delicto alibi commisso. *num.* 10. *pag.* 323. Non potest aggratiare, aut absolvere subditum alibi delinquentem. *num.* 14. *pag.* 314. benè verò Judex admissi delicti. *num.* 15. *pag.* 314.

Judex habens jurisdictionem ordinariam, & delegatam, utraque uti potest in procedendo. *Obser.* 4. *num.* 10. *pag.* 317. Quando præsumendum est, eum usum fuisse ordinariâ, & quando delegatâ. *num.* 12. *pag.* 317.

Judicis munus suscipere nequeunt surdi, muti, perpetuo furiosi, & impuberes. *Obser.* 5. *n.* 1. *& seqq. pag.* 318. Ad hoc munus, ætas saltem viginti annorum requiritur. *num.* 3. *pag.* 318. quæ tamen ætas non sufficit pro Vicario generali Episcopi. *num.* 5. *pag.* 316. Neque suscipere idem munus possunt fœminæ, aut servi. *num.* 15. *pag.* 319.

Judicis recusatio. *Obser.* 6. *& seq. pag.* 319. *& seq.* V. *Recusatio.*

Judex cujus arbitrio remittitur observare, an aliquis ex metu deliquerit, quid observare debeat. *Obser.* 22 *sect.* 3. *à n.* 15. *& seqq. pag.* 413. *& seqq.*

Judex, cujus culpa non fuit expedita suspicionis causa, Partibus ad interesse tenetur. *Obser.* 10. *nu.* 8. *pag.* 324.

Judex debet quærere Reorum defensiones. *Obser.* 16. *nu.* 8. *pag.* 352.

Judices debent proniores esse ad absolvendum, quàm ad condemnandum. *Obser.* 23. *num.* 4. *pag.* 455.

Judex offensus, non ut persona privata, sed ut Judex, rectè potest super offensa sibi illata judicium exercere. *Obser.* 8. *num.* 8. *pag.* 322. Judex quando non possit esse Judex in causa propria. *num.* 7. *pag.* 322.

Judices Tribunalis Gubernii Urbis sub determinato numero, & stipendio designantur, exclusis aliis quibuscumq. *Const. pag.* 277. *col.* 2. Quid ipsis dandum sit, dum Commissiones exequuntur. *pag.* 278. *col.* 1.

Judex ad expellendos Religiosos incorrigibiles ex aliquo Ordine Regulari est solus Superior Generalis, & in hoc abrogata sunt contraria Religionum privilegia. *De expulsi. par.* 1. *num.* 18. 27. & 33. *pag.* 134. *& seq. &* q. 16. *num.* 130. *pag.* 157. Hanc expellendi facultatem aliis delegare non potest, nisi pro quibusdam locis distantibus, quæ recensentur. *num.* 131. *& seqq. pag.* 157. Debet uti consilio sex Patrum ad hoc deputatorum, & quomodo isti sint eligendi. *à n.* 136. *pag.* 158. *& num.* 28. 27. & 33. *pag.* 134. *& seqq.* Ipsi sunt tantùm consiliarii. *q.* 16. *num.* 143. *pag.* 160. Quid agendum, si eorum vota sint paria, aut disparia, aut aliquis eorum moriatur, aut Generalem adire nequeant ob distantiam; & quæ distantia à convaniendo excuset. *num.* 29. *pag.* 136. *& q.* 16. *à num.* 139. *pag.* 159. *& seqq.* Si Generalis moriatur, quis ei succedit in hoc Judicis munere. *num.* 133. *pag.* 157.

Judex expulsionis tenetur sequi vota Patrum Deputatorum in absolvendo, non in damnando. *De expulsi. par.* 1. *q.* 16. *num.* 144. *pag.* 161.

Judices pœnas graves incurrunt, si quidam banniti in contumaciam condemnati, absolvantur. *Const. pag.* 243. *col.* 2.

Judex delegatus. *Vid. Delegatus.*

Juramentum est fundamentum examinis testium, eique est absolutè præmittendum. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *num.* 8. & 9. *pag.* 477. Quid de Cardinalibus si essent examinandi. *ibid.* Hoc juramentum potest in civilibus de consensu partium remitti, numquam verò in criminalibus. *num.* 12. *pag.* 478.

Juramentum testibus non potest à Notario deferri sine Judicis auctoritate, nec sufficit sola Judicis præsentia. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *num.* 37. *pag.* 482.

Juramentum à custode carceris præstandum, cum Incorrigibilis Religiosus in carcerem detruditur ad expulsionem. *De expulsi. par.* 1. *num.* 15. *pag.* 165.

Jurisdictio quando dicatur excitata, aut delegata. *Obser.* 18. *num.* 3. *& seqq. pag.* 393.

Jurisdictioni Religionis remanet subjectus, expulsus à Religione. *De expulsi. par.* 3. *q.* 7. *à num.* 50. *pag.* 189.

Jus naturale omnibus animantibus commune est. *Obser.* 22. *sect.* 8. *num.* 2. *pag.* 451. Quid illud sit, & quomodo accipiendum, & cum Decalogo conveniat. *ibid.* In quo differat à positivo. *num.* 3. *pag.* 451. Quid respiciat, & quibus modis contrà ipsum delinqui possit. *num.* 4. *pag.* 451. *remissivè.*

Jus gentium quid sit, & in quò à naturali differat. *Obser.* 22. *sect.* 8. *num.* 4. *pag* 451.

Juris Divini descriptio, & quid illud amplectatur. *Obser.* 22. *sect.* 8. *num.* 5 & 6. *pag.* 452.

Jus civile quid sit, & unde originem ducat. *Obser* 22. *sect.* 8. *num.* 8. *& seq.* Ejus divisiones, & partes. *ibid.*

Jus canonicum quid sit, & ex quibus fontibus descendat. *Obser.* 22. *sect.* 8. *num.* 13. *pag.* 453.

Jus municipale describitur. *Obser.* 22. *sect.* 8. *n.* 14. *p.* 453.

Justinianus Imperator an introduxerit solemnitatem voti Religiosæ paupertatis. *De expulsi. par.* 3. *q.* 30. *nu.* 237. *pag.* 233. *& à num.* 245. *pag.* 235.

Juventus à quo anno computetur. *Obser.* 22. *sect.* 4. *num.* 2. *pag.* 422.

L

L*Aicus* potest esse assessor Vicarii Episcopi, aut alterius Judicis Ecclesiastici in criminalibus, etiam contra Clericos, non autem Vicarius generalis. *Obser.* 5. *num.* 13. *pag.* 319.

Laicus Judex non tenetur stare processui per Judicem Ecclesiasticum constructo, nisi causa esset merè Ecclesiastica. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *num.* 2. *pag.* 476.

Legatis de latere non licet causas apud Judices inferiores introductas sibi assumere, nisi per viam appellationis. *Obser.* 20. *num.* 23. *pag.* 386.

Legislatoris non verba, sed intelligantia est admittenda; neque Legislatoris voluntas ad incognita trahitur. *Obser.* 23. *sect.* 2. *num.* 59. *pag.* 509.

Legitimatio processus quinque modis perficitur; nempe per veram; per fictam confessionem Inquisiti; per ejusdem declarationem de testibus rite examinatis; per confrontationem; & per repetitionem. *Obser.* 24. *n.* 2. *pag.* 516. Legitimationes per confrontationem, & per repetitionem dicuntur veræ; aliæ vero tres fictæ. *ibid.* Legitimatio per declarationem fit publicando processum, tradendo ejus copiam Reo, eique terminum ad defensiones assignando, & Reus, nisi fuerit pro capitali delicto carceratus, ponitur ad largam. *à nu.* 3. *pag.* 51x. *& seq.* Processus copia olim in Statu Ecclesiastico, exceptâ Urbe, in legitimatione Inquisito non tradebatur, & quomodo tunc legitimatio hæc perficeretur. *à num.* 6. *pag.* 516. *& seqq.* nunc verò traditur, & quare *num.* 9. & 10. *pag.* 517. Si inquisitus nolit declarare testes pro alte examinatis, isti sunt repetendi, citato eodem Inquisito *à num.* 12. *pag.* 517. Legitimatio per repetitionem. Vid. *Repetitio.*

Legitimatio processus per confrontationem testium in quibusnam Tribunalibus sit admittenda. *Obser.* 24. *n.* 21. *pag.* 521. Quomodo fiat. *n.* 22. *pag.* 522. Etiam confrontando socium criminis cum consocio. *n.* 23 *pag.* 521.

Lenocinium qui committunt, gravibus pœnis subduntur. *Constit. pag.* 274. *& seqq.*

Lex delictum format, & per ipsam equum ab iniquo distinguitur. *Obser.* 22. *sect.* 8. *num.* 1. *pag.* 451. Lex naturalis, positiva &c. *Vid. Jus*. Legum 12. tabularum præstantia. *num.* 8. *pag.* 452.

Leges ejusdem auctoritatis, si sibi adversentur, posteriori parendum est. *De expuls. par.* 1. *quæst.* 6. *n.* 70. *pag.* 144.

Legibus non exemplis judicandum est. *Obser.* 1. *num.* 11. *pag.* 313.

Leges pœnales. Vid. Pœnales.

Libellus inquisitionis ab inquisitione differt in criminalibus. *Constit. pag.* 302. *col.* 1. Ad quid deservit iste libellus, & quid continere debeat *ibid.* quæ probationes sufficiant ad transmittendum Reo libellum inquisitionis. *ibid. col.* 2.

Librorum usum, non autem dominium, habet Religiosus, etiamsi libri sint manu scripti, & ab eo compositi. *De expuls. par.* 3. *q.* 27. *num.* 194. *pag.* 224. Si à Religione expellatur, non pot est prætendere libros à se compositos. *num.* 193. *pag.* 223.

Licentia Episcopi, vel Superioris requiritur, ut Clerici, aut Regulares coram Judice laico examinentur, præsertim in causis criminalibus. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *num.* 6. & 7. *pag.* 477. Non est Laico Judici concedenda licentia peragendi examinis in loco immuni in causis criminalibus *num.* 30. & 31. *pag.* 481.

Litteræ testimoniales expulsionis dandæ sunt expulsis ab Ordinibus Regularibus, & quare. *De expuls. par.* 1. *q.* 16. *n.* 246. *pag.* 161. & *par.* 2. *n.* 98. & 99. *pag.* 175.

Locumtenentes in Tribunali gubernii Urbis sub determinato numero, & stipendio, aliis exclusis, designantur *Constit. pag.* 277. *col.* 2.

Lunæ dies quot sint. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *n.* 12. *pag.* 469. Per quot horas luceat juxta diversos ejus periodi dies, & juxta diversa anni tempora. *ibid.* & *num.* 13. *pag.* 469. Quomodo lunæ lumen attendendum in examine testium de facto ad lunæ lumen viso deponentium *ibid.*

Lunaticus quis sit, & an sit puniendus, si delinquat. *Obser.* 22. *sect.* 5. *num.* 18. *pag.* 436.

M

M*Atrimonium* ab expulso à Religione irritum, est nullum. *De expuls. par.* 3. *q.* 6. *n.* 37. *pag.* 185. Qui post votum simplex Religionis contrahit matrimonium, peccat, dum primo consumat. *q.* 12. *num.* 83. *pag.* 198.

Memoriale exhibendum S. Congregationi pro obtinenda dispensatione super semestri carcere, ut expelli possit Religiosus incorrigibilis, qui à carcere fugit. *De expuls. par.* 2. *n.* 78. *pag.* 172. Memoriali addendum est summarium processus contra Reum incepti. *d. n.* 80. *p.* 173.

Mentecaptus quis dicatur, & an sit puniendus, si delinquat. *Obser.* 22. *sect.* 5. *num.* 14. & 17. *pag.* 435. Plures recensentur & explicantur species eorum, qui mentis læsionem patiuntur. *ibid.* & *num.* 18. & *seqq. pag.* 436.

Metropolitani non debent causas apud Judices inferiores pendentes apud se advocare, nisi per viam appellationis ad ipsos deferantur. *Obser.* 20. *num.* 23. *pag.* 386.

Metus alius dicitur cadens in virum constantem; alius in inconstantem. *Obser.* 22. *sect.* 3. *num.* 12. *p.* 413. Quid sit metus justus, qui etiam dicitur cadens in virum constantem. *num.* 13. *pag.* 413. Quæ fiunt ex metu, sunt mixta ex voluntario, & involuntario, & quomodo. *num.* 9. & *seqq. pag.* 413. Metus mortis, aut corporis cruciatus à delicto excusat: quoad alium metum, remittitur arbitrio Judicis. *num.* 15. *pag.* 412. Nullus tamen metus in foro Poli à peccato excusat. 19. *pag.* 414. Cum quibusdam tamen limitationibus. *num.* 20. *pag.* 414. An metus gravis in foro externo excuset à pœnâ, juxta jus civile, & canonicum. *n.* 21. & *seq. p.* 414.

Metus infamiæ gravissimus est. *Obser.* 22. *append. ad sect.* 3. *num.* 1. *pag.* 415. Metus offensionis probabiliter justus est, & cadens in virum constantem. *num.* 2. *pag.* 416. Metus minor sufficit ad excusandas mulieres à pœnâ, præsertim metus infamiæ, propterquem aliquando immunes fuerunt à pœnis indictis contra infanticidium. *ibid.* & *num.* 3. & 4. *pag.* 416. & *seqq.* ubi luculentissimum infertur exemplum.

Metus infamiæ nunc juxta Urbis bannimenta non excusat mulieres à pœnis contra Infanticidas indictis. *num.* 5. *pag.* 420. Quid de committentibus, aut suadentibus abortum pudicitiæ & honoris tuendi causa. *num.* 6. *pag.* 420. Quid in hac materia statuant Bannimenta S. Consultæ *num.* 7. & *seqq. pag.* 420.

Militares Ordines latè solum dicuntur Religiones. *De expuls. par.* 3. *q.* 32. *num.* 208. *pag.* 227. *num.* 211. *pag.* 229.

Milites pœnis contra homicidas statutis, aliisque subjacent, si delinquant. *Const. pag.* 273. *col.* 2.

Ministrorum justitiæ offensores à nemine absolvi possunt, nisi de speciali summi Pontificis mandato. *Const. pag.* 261. *col.* 1.

Minorum de Observantia Religio est incapax dominii, tum proprietatis, tum juris utendi quorumvis bonorum temporalium. *De expuls. par.* 3. *q.* 32. *n.* 219. & 220. *pag.* 230. & *seq.* Minorita dum Religionem suam professus, omne jus amittit succedendi in hæreditate, & obtinendi alia bona temporalia. *ibid.* Hoc jus non recuperat, etiamsi ad Episcopatum transferatur. *d. num.* 223. *pag.* 239. Minoritæ sub mortali nequeunt numeratam pecuniam civiliter contrectare, possunt verò si ad Episcopatum transferantur. *num.* 228. *pag.* 231.

Minores Religiosi S. Francisci prohibentur, ne ad personas extra suum Ordinem constitutas, cujusque conditionis & dignitatis sint, recurrant pro gratiis, dignitatibus, &c. in suo Ordine obtinendis; Appellationes autem gradatim facere debent. *Const. pag.* 282. & *seq.*

Minores ob ætatem non comprehenduntur in Statutis, & Bannimentis pœnalibus, nisi exprimantur. *Obser.* 25. *sect.* 2. *num.* 71. *pag.* 522. Limitatur id in Urbe, ejusque districtu, quoad delicta, & alia contenta in Chirographo BENEDICTI XIV. & quare: dummodo Minores annum vigesimum excesserint. *num.* 74. *pag.* 522.

Minores ætate 25. annorum delinquentes, etiam gravissimè, quâ pœnâ sint plectendi. *Obser.* 22. *sect.* 4. *n.* 25. & *seq. pag.* 424. & *seq.* Declaratur exemplo. *ibid.*

Minores determinatâ ætate non sunt testes ad convincendum idonei, præsertim in criminalibus. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 2. 3. & 4. *pag.* 461.

Minores Romæ delinquentes, an teneantur pœnis præscriptis in Bannimentis generalibus Urbis, & S. Consultæ. *Obser.* 22. *sect.* 2. *num.* 23. *pag.* 411.

Monachatus quomodo dicatur invariabilis. *De expuls. par.* 3. *q.* 25. *num.* 97. *pag.* 202.

Monachi ante Justiniani Imperatoris tempora consueverunt bona sua conferre in communem Monasteriorum utilitatem, abdicatâ penitus illorum proprietate. *De expuls. par.* 3. *q.* 32. *num.* 245. & 246. *pag.* 235.

Monachus quidquid acquirit, Monasterio acquirit. *De expuls. par.* 3. *q.* 29. *num.* 193. *pag.* 223.

Monachus jus succedendi in hæreditate habet favore sui Monasterii. *De expuls. par.* 3. *q.* 32. *n.* 219. *pag.* 230.

Monachus, ac Monialis si ex impudicitia filios procreaverint, à Monasterio sunt ejiciendi, & in ergastulis recludendi. *De expuls. par.* 1. *num.* 2. *pag.* 132. Monachis linea camisia non conceditur, *num.* 8. *pag.* 132. Ejiciendi quoque sunt Monachi, qui spretâ monitione, sæculariter vivunt, aut sunt proprietarii, vel contumaces. *num.* 6. 8. & 9. *pag.* 132.

Monachus ab uno Monasterio ejectus, potest ab Episcopo in alio Monasterio collocari. *De expuls. par.* 3. *q.* 1. *num.* 3. *pag.* 176. Deportatus ob delictum ad aliud Monasterium, à quo sit alendus *q.* 4. *num.* 19. *pag.* 181.

Monachi in nullo Clericali gradu constituti, an degradari possit. *Obser.* 25. *num.* 37. *pag.* 533.

Monetæ falsæ crimen inter atrocissima numeratur. *Obser.* 23. *sect.* 2. *num.* 60. *pag.* 509. Monetæ falsæ, aut imminutæ Indicia indubitata sunt instrumenta ad illas cudendas, aut tondendas apta. *ibid.* Ut instrumenta hæc tamquam indicia convincant Reum ad capitalem pœnam, requiritur, ut simul cum monetis falsis, aut corruptis reperiantur, neque ad aliud sint apta, & alia requisita concurrant. *num.* 61. *pag.* 510.

Monialis si carnaliter delinquat, in ergastulis est recludenda. *De expuls. par.* 2. *q.* 25. *num.* 125. *pag.* 155. Si ex aliis

aliis criminibus dignoscatur incorrigibilis, ad aliud Monasterium est transferenda. *num.* 126. *pag.* 156. Absolutè Incorrigibilis potest à Monasterio totaliter expelli de S. Sedis assensu. *num.* 128. *&* 129. *pag.* 156. Expulsa sustentari debet à Monasterio, in quo professa est, quamdiù lis de expulsionis validitate pendet. *num.* 127. *pag.* 156.

Moniales an degradari possint. *Obser.* 25. *num.* 27. *pag.* 533.

Monitio trina est de forma legis in causa expulsionis Religiosi ab Ordine Regulari. *De expulf. par.* 1. *q.* 6. *nu.* 63. *&* 64. *pag.* 143. *&* 144. *&* *q.* 21. *num.* 103. *pag.* 151.

Montis Pietatis pignora fideliter custodire ministri tenentur; si fraudem committant, & ministerium fideliter non impleant, gravibus pœnis subjiciuntur. *Conf. pag.* 266. *col.* 2.

Morbus incurabilis an impediat, ne quis in Religione profiteatur, aut efficiat, ut ab eâ expellatur. *De expulf. par.* 1. *q. ult.* *à num.* 147. *pag.* 161. An impediat ne expulsus, qui post expulsionem illum contraxit, iterùm in Religione admittatur. *par.* 3. *q.* 27. *à n.* 174. *pag.* 219.

Moribundi non sunt testes idonei. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *n.* 2. *pag.* 460.

Mortis pœna Ecclesiasticis non est infligenda sine actuali degradatione. *Obser.* 25. *num.* 23. *pag.* 528. Mortis pœna in Bannimentis Indicta etiam Ecclesiasticis, & Regularibus, non intelligitur de morte naturali, nisi exprimatur eos degradandos, & Curiæ sæculari tradendos esse. *ibid.*

Mortuus reviviscens recuperat bona sua. *De expulf. par.* 3. *q.* 32. *num.* 233. *pag.* 232.

Mulieres non comprehenduntur in Statutis, & Bannimentis pœnalibus, nisi exprimantur. *Obser.* 23. *sect.* 1. *n.* 71. *pag.* 512. Ideo non comprehenduntur in Chirographo BENEDICTI XIV. quoad delicta in eò comprehensa, & ad hoc ut convincantur juxtà statuta in eodem Chirographo. *ibid.* Limitatur tamen in Urbe, ejusque districtu, & quoad quamdam Constitutionem Clementis XII. & quare. *ibid.* *&* *num.* 73. *pag.* 512.

Mulieres arma prohibita deferentes, aut homicidium patrantes, pœnis contrà homicidas, & armorum prohibitorum delatores statutis, subsunt. *Conf. pag.* 273. *col.* 2. Immunitate Ecclesiasticâ non gaudent, si atrocia crimina committant. *Conf. pag.* 285. *col.* 2.

Mulieres an in testes recipiantur. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 37. *pag.* 466.

Munera quæ ex liberalitate Illustrium Personarum, completis processibus, dantur Notariis Substitutis Officii Charitatis, utrum ad eosdem Notarios, an potius ad Notarium Conductorem Officii pertineant, late discutitur. *Obser.* 22. *in fine.* *pag.* 329. *&* *seqq.* Quid de muneribus, quæ dantur iis, quibus Episcopus, aliusve Prælatus &c. locavit fructus sui Episcopatus, aut Prælaturæ &c. *ibid.* ac de similibus muneribus, quæ dantur aliis in diversis circumstantiis. *ibid.*

Muti, & Surdi alii sunt à naturâ, alii ex accidenti. An illi habeant perfectum, vel imperfectum intellectum: quibus comparentur: & an sint puniendi si delinquant, & ad quem pertineat probare, eos delinquentes habuisse perfectum intellectum. *Obser.* 22. *sect.* 6. *num.* 1. *&* *seqq.* *pag.* 436.

Muti, & Surdi an in testes admittantur. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 5. *&* 7. *pag.* 460. *&* 461.

N

Negativa quod testes præter infames non adfuerint quibusdam delictis in locis infamibus patratis, ut iidem infames de delicto convincant, à quo, & per quos testes sit probanda. *Obser.* 23. *subsect.* 4. *à num.* 56. *pag.* 495. *&* *seqq.* quomodo coarctanda. *num.* 61. *pag.* 496.

Negativa quomodo in favorem Fisci per testes sit probanda. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *num.* 43. *pag.* 475.

Negotiatio illicita Clericis interdicta, quænam sit. *De expulf. par.* 3. *q.* 22. *num.* 136. *pag.* 210.

Negotiorum gestores pluribus nominibus efferuntur, & quando non dicantur testes idonei. *Obser.* 23. *subsect.* 2 *num.* 25. *&* *seqq.* *pag.* 464.

Noctambuli si delinquant, excusantur, nisi delictum illis fuerit voluntarium in causa. *Obser.* 22. *sect.* 6. *num.* 8. *pag.* 437.

Notarius est pars quidditativa Judicii. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *num.* 32. *pag.* 481. Absque Notario à Judice distincto non potest perfici examen. *ibid.* *à num.* 33. *pag.* 482. Exceptis quibusdam casibus. *num.* 35. *pag.* 482. Ubi non adsunt Notarii, debet Judex pro examine duos ad scribenda acta idoneos deputare. *num.* 33. & 34. *pag.* 482. Notarius ad construendum processum electus, non est absque justâ causa removendus. *num.* 38. *pag.* 482.

Notarii quomodo stipulare debeant cautiones de non offendendis inimicis, & quas pœnas incurrant, qui in hoc deficiunt. *Conf. pag.* 242. *col.* 2.

Notarius quomodo per testes de falso sit convincendus. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *num.* 46. *pag.* 475. Notarii est testium examen scribere, non eos interrogare. *Subsect.* 3. *à num.* 13. *pag.* 478.

Notarius Curiæ Episcopalis debet describere actum tradendi Curiæ Sæculari Clericum degradatum. *Obser.* 25. *num.* 36. *pag.* 531.

Notariorum Tribunalis Gubernii Urbis absolutus numerus, & stipendium designatur. *Conf. pag.* 277. *&* *seqq.* Quid ipsis dandum sit dum Commissiones exequuntur; *pag.* 278. *col.* 1.

Notorium triplex est, nempè, juris, præsumptionis, & facti. *De expulf. par.* 1. *q.* 8. *num.* 75. *pag.* 146. Notorietas juris unde deducatur. *num.* 76 *pag.* 146. Quæ delictorum, & Incorrigibilitatis notorietas requiratur, ut delinquentes ab Ordinibus Regularibus expellantur *num.* 76 *&* *seqq.* *pag.* 146. *&* *seq.*

Notorium quomodo intelligendum sit. *Obser.* 14. *num.* 8. *pag.* 342.

Novitiatum ut iterùm peragat, an cogi potest qui à Religione expulsus, vel ab eâ ad aliquam dignitatem extrà illam assumptus, vellet ad Religionem redire. *De expulf. par.* 3. *q.* 16. *à num.* 98. *pag.* 203. Item si expulsus in alio Ordine professus esset. *ibid.* *&* *num.* 101. *pag.* 103.

Novitii non sunt propriè tamquam membra Ordinum Regularium. *De expulf. par.* 1. *q.* 1. *num.* 39. *pag.* 138.

Novitii ut ad habitum recipiantur, non indigent Ordinariorum approbatione. *De expulf. par.* 2. *n.* 14. *pag.* 233.

Novitii in Religionibus gaudent privilegiis Religiosorum. *De expulf. par.* 3. *q.* 32. *num.* 240. *pag.* 234.

Nullitas quid sit, & in quo ab appellatione differat. *Obser.* 13. *num.* 15. & 18. *pag.* 340.

Nullitates proponi possunt coram eodem Judice, qui Sententiam tulit. *Obser.* 16. *num.* 2. *pag.* 351. Nullitates notoriæ impediunt executionem etiam trium sententiarum conformium. *num.* 5. *pag.* 351.

Nullitas Professionis Regularis ex quibus capitibus sit desumenda; coram quo Judice, quo tempore & quomodo discutienda. *Obser.* 21. *post.* *num.* 21. *in Constit.* BENEDICTI XIV. *pag.* 396. *&* *seq.*

Nuntii Apostolici non debent causas coram Judicibus inferioribus pendentes ad se advocare, nisi per appellationem ad eos deferantur. *Obser.* 20. *num.* 23. *pag.* 386.

O

Obedientiæ votum quomodo perseveret in Episcopo ex Religiosis assumpto. *De expulf. par.* 3. *q.* 32. *n.* 204. *&* 213. *pag.* 227. *&* 229.

Obedientiam ex voto tenetur expulsus à Religione præstare Summo Pontifici. *De expulf. par.* 3. *q.* 8. *à num.* 53. *pag.* 190. Non autem Episcopo. *ibid.* Cui tamen in quibusdam specialiter obedire debet *num.* 59. *pag.* 192.

Ordinatorii actus in tribunali Auditoris generalis Cameræ Apostolicæ à quo fieri debeant, & ad quem sit ab iis appellandum. *Constit. pag.* 292. *col.* 2.

Ordines suscipere, aut in susceptis ministrare, absque Summi Pontificis dispensatione, nequeunt ejecti à Religionibus. *De expulf. par.* 3. *q.* 5. *à num.* 25. *pag.* 183. A

qua

quo Episcopo possit ejectus Ordines suscipere, si Pontifex cum eo dispenset. *num.* 30. *pag.* 184.

P

P*Apa*. Vid. *Romanus Pontifex*.

Parentes an sint testes idonei quoad filios. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 9. *pag.* 461.

Parsimonia, & moderatio aliqua etiam expulsis à Religionibus commendatur. *De expulsi. par.* 3. *q.* 21. *num.* 121. *pag.* 207.

Patriarchis non licet causas coram Judicibus inferioribus pendentes assumere, nisi per appellationem ad ipsos deferantur. *Obser.* 20. *num.* 23. *pag.* 386.

Patronus eligi pro defensione potest à Religioso carcerato ad expulsionem, & quisnam eligi possit. *De expulsi. par.* 2 *num.* 41. *pag.* 168. Si nolit Reus eligere, aut electus nolit munus acceptare, Superior debet ex officio illum deputare, & potest electum ad acceptandum cogere. *num* 42. *&* 43. *pag.* 168. Patronus quid allegare potest, & quomodo se gerere debeat. *à num.* 44. *pag.* 169. Eidem sunt communicandæ responsiones Advocati Fiscalis ex parte Religionis deputati. *ibid.* Patronus designandus etiam est, quando ab Ordine expellendus est Reus, qui fugit à carcere. *à n.* 87. *p.* 174.

Pauperes ab aliquo Judice appellantes, & causæ acta poscentes, non tenentur Notario solvere mercedem pro actorum copia: & quomodo eorum paupertas probetur. *Obser.* 20. *num.* 4. *pag.* 384.

Pauper an in testem sit admittendus. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 36. *pag.* 466.

Pauperes, nisi mali sint, non tenentur cautionem, aut depositum præstare, si Judicem recusent. *Obser.* 9. *num.* 7. *pag.* 323. Paupertas quomodo, & coram quo probari possit. *num.* 8. *&* 9. *pag.* 283.

Paupertas Religiosa primariò importat abdicationem proprietatis, & dominii: secundario privationem juris utendi. *De expulsi. par.* 3. *q.* 32. *num* 211. *pag.* 218. *& num.* 244. *pag.* 235. Paupertatis Religiosæ Votum solemne extitit etiam ante tempora Justiniani Imperatoris. *num.* 245. *pag.* 235.

Paupertas Religiosa quos gradus admittat, & an quodcumque, & quomodocumque dominium excludat. *De expulsi. par.* 3. *q.* 32. *num.* 237. *pag.* 233. *& à num.* 241. *pag.* 234. Quæ paupertas requiratur ad verum statum Religiosum. *ibid.*

Paupertatis votum specialiter spectat ad statum Religiosum & quid ea sit. *De expulsi. par.* 3. *q.* 32. *n.* 210. *p.* 228.

Paupertatis Votum extinguit omne jus in res temporales, & hoc votum remanet in ejectis à Religionibus. *De expulsi. par.* 3. *q.* 21. *num.* 118. *&* 119. *pag.* 207. An Religiosus beneficiatus extra claustra dispensetur in voto paupertatis. *quæst.* 22. *num.* 130. *pag.* 209.

Paupertatis votum non violat expulsus à Religione, si aliquid in res illicitas expendat. *De expulsi. par.* 3. *q.* 25. *num.* 166. *pag.* 216.

Pacis, & treguæ violatores gravibus pœnis subjiciuntur, sicut & eorum fidejussores *Constit. pag.* 242. *& seqq.* Quando ex præterita, aut ex nova causa pax violata dicatur. *Constit. pag.* 243. *col.* 1.

Peccatum quoad forum internum, etiam ab infantibus, aliquando usu rationis præditis, committi potest. *Obser.* 22. *sect.* 4. *num.* 8. *pag.* 421.

Peccat Religiosus, qui dat causam, ut expellatur à Religione, & illam non removet, ut iterum recipiatur. *De expulsi. par.* 3. *q.* 11. *num.* 76. *pag.* 197.

Per & pro, voces sunt, in quibusdam causis valde differentes. *Constit. pag.* 242. *col.* 2.

Peremptorius terminus quomodo necessarius in citationibus criminalibus, & quid operetur. *Constit. pag.* 303. *col.* 2.

Perfectio Christiana, præsertim Religiosa in quo consistat. *De expulsi. par.* 3. *q.* 32. *num.* 208. *&* 215. *pag.* 228. *& seqq.*

Phreneticus quis sit, & an sit puniendus, si delinquat. *Obser.* 22. *sect.* 5. *num.* 18. *pag.* 436.

Pœna debet commensurari delicto. *De expulsi. par.* 1. *quæst.* 5. *num.* 46. *pag.* 139.

Pœna inflicta pro delicto succedit loco monitionis. *De expulsi. par.* 1. *quæst.* 6. *num.* 64. *pag.* 144.

Pœnæ conventionales pacis, & treguæ ruptæ in favorem Cameræ Apostolicæ sunt stipulandæ. *Constit. pag.* 242. *col.* 1. Ad hanc pœnam conventionalem quinam, quando, & quomodo teneantur. *ibid.* ad hanc pœnam statim exigendam, crimen admissum habetur tamquam legitime probatum, etiamsi hæc clausula in stipulatione non fuerit apposita. *ibid.*

Pœna extraordinaria, non ordinaria infligenda est delinquentibus minoribus ætate 25. annorum: etiamsi delictum esset atrocissimum. *Obser.* 21. *sect.* 4. *num.* 17. *&* 18. *pag.* 424. *& seqq.* ubi amplum refertur exemplum.

Pœna extraordinaria à Baronibus Romanis, & status Ecclesiastici Reis ex indiciis infligenda non debet delicti, & indiciorum qualitatem excedere. *Obser.* 23. *Append.* 2. *pag.* 514. *&* 515.

Pœna mortis V d. *Mors*.

Pœnis in expulsionis sententiis latis subsunt Expulsi à Religionibus. *De expulsi. par.* 3. *q.* 6. *n.* 37. *pag.* 185. *& q.* 8. *num.* 5. *pag.* 189.

Pœnalia statuta nullam admittunt extensionem. *Obser.* 23. *subsect.* 4. *num.* 10. *pag.* 487. Neque duo specialia *num.* 63. *pag.* 497.

Pœnitentia imponenda Reo Religioso carcerato ad expulsionem. *De expulsi par.* 2. *num.* 21. *pag.* 166.

Pœnitentiarum liber Religiosis delinquentibus impositarum in quibusdam Religionibus haberi consuevit. *De expulsi. par.* 1. *q.* 8. *num.* 82. *pag.* 146. Pœnitentiæ gravis quænam dicatur, & quomodo ejus gravitas sit attendenda in causa expulsionis. *num.* 83. *pag.* 147. Verus pœnitens non est, qui aliquod corrigens delictum, cætera non curat. *num.* 87. *pag.* 147.

Politicum Religionis corpus analogicè se habet ad corpus naturale. *De expulsi. par.* 1. *q.* 5. *num.* 58. *pag.* 140.

Ponentes duo Consultæ deputantur, ut sint Assessores Auditoris generalis Cameræ Apostolicæ in causis criminalibus. *Const. pag.* 191.

Portitores quando non admittantur in testes. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 25. *pag* 464.

Præcedentias, quas in Religione obtinebat Expulsus ab eâ, non statim recuperat, si ad eamdem revertatur. *De expulsi. par.* 3. *q.* 19. *num.* 113. *pag.* 206.

Præcepta moralia in veteri Testamento contenta nunc etiam vigent: Judicialia, & cæremonialia jam expirarunt. *Obser.* 21. *sect.* 8. *num.* 7. *pag.* 452.

Præscriptio delictorum quid sit, & quo tempore compleatur juxta diversas delictorum qualitates *De expulsi. par.* 1. *quæst.* 9. *num.* 90. *pag.* 148. Quid operetur hæc præscriptio quoad delinquantium expulsionem ab Ordinibus Regularibus. *num* 91. *pag.* 148.

Præsumptio alia *Juris* tantùm, alia *Juris*, *& de Jure*. *Obser.* 23. *sect* 2. *num.* 55 *pag.* 508. Alia levis, alia probabilis, alia vehementissima, & hæc sive *juris*, sive *hominis* æque ac testes crimen probat, ut ad pœnam ordinariam deveniatur, præsertim si crimen sit occultum. *ibid.*

Præventioni inter Judicem Ecclesiasticum, & Laicum locus est in causis Clericorum criminalibus mixtis. *Const. pag.* 243. *& seqq.* Quomodo procedendum, attentâ præventione. *ibid.*

Primates non debent causas pendentes apud Judices inferiores ad se advocare, nisi ad ipsos appelletur. *Obser.* 20. *num.* 23. *pag.* 386.

Privilegium canonis nequit à Clerico renunciari. *De expulsi. par.* 3. *q.* 9. *à num.* 65. *pag.* 193.

Privilegia clericalia non amittit Clericus depositus per simplicem verbalem depositionem, bene vero per exauthorizativam. *Obser.* 25. *n.* 2. 8. *& seqq. pag.* 525. *& seqq.*

Privilegia Religionum alia respiciunt bonum spirituale, alia personam. *De expulsi. par.* 3. *q.* 17. *num.* 102. *pag.* 204. Privilegiis Religionis spoliantur qui ab illa expelluntur, excepto privilegio canonis. *à num.* 103. *pag.* 204. An iis privilegiis gaudeant qui à Religione ad aliquam dignitatem transferuntur. *ibid.*

Pro-

Probatio semiplena aliquando in rebus civilibus, non autem in criminalibus sufficit. *Obser.* 22. *sect.* 1. *num.* 5. *pag.* 456. Habetur etiam ex testibus singularibus singularitate diversificativâ, vel adminiculativa. *num.* 16. *&* 17. *pag.* 458.

Probationes duæ semiplenæ non sufficiunt ad pœnam imponendam in criminalibus. *Consi. pag.* 276. *col.* 1.

Probationes semiplenæ possunt constituere indicium sufficiens ad torturam, non autem ad pœnam capitalem *Obser.* 23. *sect.* 2. *à num.* 65. *pag.* 511. Duæ probationes semiplenæ non possunt conjungi ad pœnam ordinariam irrogandam. *num.* 67. *pag.* 511.

Probationes ex testibus infamibus in quibusdam casibus admissæ, debent esse de necessitate concludentes, ut convincant. *Obser.* 23. *subsect.* 4. *num.* 64. *&* 65. *pag.* 497.

Probatio incorrigibilitatis, & delictorum, propter quæ expulsio fit ab Ordinibus Regularibus, quomodo facienda. *De expuls. par.* 1. *q.* 8. *à num.* 76. *pag.* 146. *&* 147. Qua delictorum probatio requiratur ad expulsionem. *quæst.* 9. *per tot. pag.* 148.

Professio Religiosa non solùm fit ad contrahendam obligationem votorum essentialium, sed etiam aliorum votorum, & obligationum. *De expuls. par.* 3. *q.* 16. *num.* 99. *pag.* 203. Professionem an iterare debeat qui expulsus a Religione, vel ab eâ ad dignitatem assumptus, ad Religionem redire velit. *ibid.* Quid si expulsus in alio Ordine professus fuerit, & ad priorem redire contendat. *ibid.*

Professio Religiosa conditionem non admittit. *De expuls. par.* 3. *q.* 32. *num.* 234. *pag.* 233.

Professio Regularis, contra statutum irritans emissa, nulla est. *De expuls. par.* 1. *q. ult. à num.* 147. *pag.* 161. *& seqq.* An nulliter vel illicitè profiteantur, & expelli possint, qui insanabili infirmitate laborantes, aut ære alieno gravati, aut illegitimi, vel criminosi, aut trahentes originem ab Infidelibus relapsis, emiserunt professionem. *ibid.* Quomodo isti admitti possint ad professionem. *ibid.*

Professio Regularis utrùm valida, aut nulla sit, coràm quo Judice, intrà quod tempus, & quibus modis, & conditionibus sit discutiendum, & definiendum. *Obser.* 21. *post num.* 21. *in Const.* BENEDICTI XIV. *pag.* 396. *& seqq.* Ad Professionem Regularem nemo cogendus, & super hoc debent Ecclesiastici Superiores invigilare. *ibid.*

Professionis Regularis nullitas coram Ordinario, & Superiore Regulari expendenda est. *De expuls. par.* 3. *q.* 1. *num.* 3. *pag.* 176.

Professionis religiosæ tempus quomodo computandum pro anzianitate, aliisque gradibus, etiam quoad Expulsos, qui revertuntur ad Religionem. *De expuls. par.* 3. *q.* 19. *à num.* 110. *pag.* 205.

Professio religiosa profitentem quo jure spoliat, & illud transfert in Monasterium. *De expuls. par.* 3. *q.* 28. *nu.* 182. *pag.* 221.

Processus, eorumque compendia in Tribunali Auditoris generalis Cameræ Apostolicæ quomodo, & à quibus fieri, & subscribi, & ad quos transmitti debeant, *Constit. pag.* 291. *col.* 2. & *pag.* 292. *col.* 1. Quomodo communicari debeant Reis, & quomodo instruendi sint processus informativi, & difinitivi. *pag.* 291. *& seqq.*

Processus informativus non legitimatus, nihil probat contrà Reum in fortiis Curiæ existentem *Obser.* 24 *num.* 1. *pag.* 516. Processus legitimatio quomodo fiat *à num.* 2. *pag.* 516. Vid. *Legitimatio.* Processus copia. Vid. *Copia.*

Processus est à viris idoneis recognoscendus ad hoc ut Barones Romani, & statùs Ecclesiastici ad pœnam extraordinariam Reos ex indiciis damnent. *Obser.* 23. *append.* 2. *pag.* 524. & 525.

Processus in aliquâ parte falsus, an reputandus sit in omnibus falsus. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *num.* 40. *pag.* 474.

Processus formato à Judice Ecclesiastico contra Clericum degradatum, an stare debeat Judex Sæcularis, cui Degradatus traditur, vel illum pro revisione petere, an alium construere debeat. *Obser.* 25. *num.* 25. *pag.* 529.

Processus super Incorrigibilium expulsione ab Ordinibus Regularibus fieri debet juxtà Constitutiones cujuscumque Religionis. *De expuls. par.* 1. *num.* 18. 29. & 34. *pag.* 154. *& seq.* & *q.* 16. *num.* 140. *pag.* 159. Ejus summarium transmitti debet ad sex Deputatos pro causa expulsionis, & ad Generalem cum eorum voto, si illi Patres ob distantiam convenire nequeant. *num.* 29. *pag.* 156. *& q.* 16. *num.* 141. *pag.* 159. Quæ distantia à conveniendo excuset. *num.* 142. *pag.* 159.

Processus pro Religiosi incorrigibilis carceratione, & expulsione ab Ordine, quomodo inchoandus. *De expuls. par.* 2. *num.* 5. *pag.* 163. Quomodo inchoandus, si expellendus sit in Conventu liber. *nu.* 6. *pag.* 164. Quomodo adhibendi testes. *ibid.* Vid. *Testis.* Quomodo continuandus super admonitionibus, sententiis, & pœnis Reo carcerando inflictis, & infligendis. *à n.* 9. *pag.* 164. *&* *num.* 26. *pag.* 166. *&* *num.* 69. *pag.* 171. Et super convocatione Conjudicum. *num.* 13. *&* 14. *pag.* 165. Super admonitione Reo facienda à Superiore. *num.* 15. *pag.* 165. Super refutatione appellationis, quam Reus interponeret. *n.* 16. *&* 17. *pag.* 165.

Processus quomodo construendus, si Religiosus expellendus à Religione, dum ad carcerem damnetur, percutiat, aut occidat alium. *De expuls. par.* 2. *à num.* 19. *pag.* 165. Quomodo construendus circà Confessarium Carcerato assignandum. *à num.* 22. *pag.* 166. Et dum exploratur animus Carcerati, an velit resipiscere. *à n.* 24. *pag.* 66 *& seq.* Et si Carceratus respondeat, se velle in posterùm benè vivere. *à num.* 28. *pag.* 167. Aut si nulla, vel ambigua, seu contraria emendationis signa dederit. *à num* 32. *pag.* 167.

Processus præparatorius pro expellendo Religioso à Religione debet diligenter custodiri, & quamdiù. *De expuls. par.* 2. *num.* 30. *pag.* 167.

Processus pro expulsione Religiosi, qui unicum commisit delictum, sed perseverat in contumaci inobedientiâ, quomodo inchoandus. *De expuls. par.* 2. *num.* 90. *pag.* 174. & continuandus. *à n.* 92. *pag.* 174.

Processus quomodo construendus super expulsione Religiosi, qui vel pro tertio delicto esset carceratus, vel notabilem pro eo subiret pœnitentiam. *De expuls. par.* 2. *à num.* 65. *pag.* 17.

Processus ad expulsionem Religiosi, qui fugit à Carcere, in quo detinebatur in pœnam tertii delicti quomodo incipiendus. *De expuls. par.* 2. *à num.* 74. *pag.* 172. Si nondum completus fuerat processus pro tertio delicto, debet compleri. *ibid.* Quomodo continuandus processus super expulsione prædicti fugitivi. *num.* 76. *&* 77. *pag.* 172. Item si petita à S. Congregatione, & obtentâ dispensatione super semestre carceris requisiti pro expulsione. *à num.* 84. *pag.* 173. Quomodo conservandus processus si illa dispensatio non obtineatur. *à num* 81. *pag.* 173. Summarium Processus mittendum ad S. Congregationem, dum illa dispensatio petitur *à num.* 80. *pag.* 173. Quomodo facienda citatio talis fugitivi absentis. *à num* 84. *pag.* 173.

Processus quomodo construendus, si Religiosus, qui fuit carceratus ad expulsionem, & promissâ emendatione, ex carcere fuit eductus, & postea grave delictum committat, aut ad malos mores redeat. *De expuls. par.* 2. *à n.* 33. *p.* 167. *&* 168. Et cum defensiones, Patronus, & copia actorum Reo conceduntur. *à n.* 40. *pag.* 168. Vel si Reus defensiones recuset, & nolit eligere Patronum, in quo casu Patronus est à Superiore designandus. *num.* 42. *&* 43. *pag.* 168. Et circa Electionem Advocati Fiscalis ex parte Religionis, & quid ipse agere debeat. *à num.* 45. *pag.* 169 Processus completus quomodo debeat sigillari, quo titulo inscribi, & ad Generalem mitti. *à n.* 50. *pag.* 169. *& n.* 59 *pag.* 170.

Procurator quando in testem non admittatur. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 27. *pag.* 464.

Procurator in criminalibus regulariter non admittitur. *Const. pag.* 310. *col.* 2.

Protestatio facienda à Superiore, dum aliquem à Religione expellendum, in carcerem mittit. *De expuls. par.* 2. *num.* 15. *pag.* 165. aut dum Reus offendit aliquem ex iis, qui illum carceribus mancipare contendunt. *n.* 69. *&* 70. *pag.* 165. Vel dum Reum emendationem promittentem ex carcere educit. *num.* 29. *pag.* 167.

Pro-

Protestationes de nullitate professionis fieri solent à quibusdam Religionibus, si profitentes aliquo impedimento laborent, & quam vim habeant istæ protestationes. *De expulf. par. 1. q. ult. num. 149. pag. 162.*

Prævenitæ quando non in testes non recipiantur. *Obser. 23. subsect. 1. num. 29. pag. 464.*

Puberes quando, & ubi ad testificandum admittantur. *Obser. 23. subsect. 1. num. 4 pag. 480.*

Pubertati proximus ut quis dicatur, quænam ætas requiritur. *Obser. 22. sect. 4. n. 7. & 9. pag. 420. & 423.*

Pueritia per quot annos computetur. *Obser. 22 sect. 4. num. 1. pag. 421.*

Punitio paternalis inter Religiosos magis expedit, quam judicialis. *De expulf. par. 1. q. 8. à num. 7. pag. 146.* Per hanc punitionem mens legis impletur. *Ibid.*

Punitio trina trium delictorum requiritur, ut Religiosus dicatur incorrigibilis, & à Religione expellendus. *q. 6 à num. 22. pag. 143. q. 9. num. 91. pag. 148. & q. 11. num. 103. pag. 151.*

Pupillus si delinquit, excommunicari potest; sed quomodo retractari possit sententia. *Obser. 22 sect. 4. num. 13. pag. 423.* Potest aliis pœnis subjici. *num. 14. p. 423.*

Q

Qualitates delictum aggravantes non sunt de ejus intrinseca substantia, & concludenter sunt probandæ. *Obser. 23. subsect. 4. à num 12. pag. 487. & seq.* De qualitate delicti constare debet, ut Reus per judicia convincatur, & puniatur. *sect. 2. num. 33. pag. 504.*

R

Ratificatio Confessionis quomodo, seu per quam formulam a Reo facienda. *Obser 25 pag. 547.*

Rationis usus differt à doli capacitate. *Obser. 22. sect. 4. num 8. pag. 422.* Quæ ætas requiratur, ut quis rationis usum habeat. *num 6. pag. 422.*

Receptores sicariorum, homicidarum, & banditorum ad quid teneantur, & quibus pœnis subjiciantur. *Constit. pag. 148. & seqq.*

Reconventio locum habet in criminalibus. *Obser. 3. num. 4. pag. 315.* Aliquando est quid accessorium causæ principali. *num. 5. pag. 315.*

Recusationis Judicis causa est inimicitia. *Obser. 6. num. 1. pag. 319.* Aliæ causæ recensentur *Obser. 8. n. 1. & seqq. pag. 321 & seq.* Qua formula olim Romani Judicem recusabant. *Obser. 6. num. 2. pag 319.* Ex quibus causis originem sumpsit Judicis recusatio. *num. 3. pag. 320.* Recusandi Judicis facultas tanti momenti est, ut nulla lege, aut clausula, aut a Principe tolli possit. *num. 4. pag. 320.* Præsertim in criminalibus. *Obser. 7. num. 2. & 3. pag 320.* Nisi recusatio afferat frivola. *num. 2. & 3 pag. 320.* Aliquando non licet appellare, bene verò recusare Judicem. *num. 9. & 10. pag. 321.*

Recusatio Judicis an jure naturæ introducta sit. *Obser. 7. n. 4. pag. 310.*

Recusationis Judicis causa ante litis contestationem debet proponi, & quare. *Obser. 10. num. 1. pag. 324.* excipiuntur Rei in criminalibus, Rustici, & alii. *Ibid. & n. 2. pag. 324.* Quando etiam posteà proponi possit. *num. 4., & 5. pag. 324.* Potest proponi etiam per Procuratorem, & quid ad hoc requiratur. *n 6. & 7. pag. 324.* Barones possunt cognoscere causas suspicionis suorum officialium. *num. 9. pag. 324.*

Recusare Judicem quinam possint. *Obser. 11. n. 1. & seqq. pag. 325.* Judex recusatus ab aliquo Reo, intelligitur recusatus ab aliis Correis ejusdem individui delicti. *n. 6. pag. 326.* Omnes omnino Judices recusari possunt. *num. 9. pag 326.* Quid de Judice ingrato: ac malæ gratiæ, & unde hi Judices cognoscantur. *num. 7. & 8. pag. 326.* Quid de Judice Supremo, & Inferiori: Ordinario, ac delegato. *num. 10. & seq. pag. 328.* Quid de Proregæ, aut Præside Provinciæ. *num. 16. pag. 327.* quid de Episcopis, etiam visitantibus, aliisque Judicibus Ecclesiasticis. *num. 17. pag. 327.*

Recusationis Judicis causæ frivolæ recensentur, & expenduntur. *Obser. 12. num. 1 & seq. pag. 327. & seqq.*

Recusatus Judex habet actionem injuriarum contra recusantem, si Recusatio sit scandalosa, injuriosa &c. præsertim si recusans non probavit causam recusationis. *Obser. 9. nu. 1. & seq. pag. 322. & seq.* In quibusdam locis, ii, qui recusant Judicem, debent depositum pœnæ, aut cautionem præstare. *num. 3. & seq. pag. 323.* Ad id non tenentur pauperes, nisi sint mali. *num. 7. pag. 323.* quomodo probetur paupertas. *num. 8. & 9. pag. 323.*

Regularium Constitura in criminalibus à quo Tribunali recipi possint. *Obser. 20. num 23. pag. 386.* Regulares quando appellare possint. *n. 27. & seqq pag. 387. & seqq.*

Regularium privilegia appellationes Religiosis denegantia intelligenda secundum jus commune. *Obser. 14. num. 4 pag. 341.*

Regulares ut ad strictiorem Religionem transeant, quid requiratur. *De expulf. par. 1. num. 15. pag. 134.*

Regularis delinquens intra, aut extrà proprium Monasterium, & ad Ecclesiam Monasterii, aut ad aliam extraneam confugiens, an gaudeat immunitate Ecclesiasticà. *Const. pag. 307. col. 2.*

Regulares quorumdam Ordinum appellationes gradatim facere debent *Constit. pag. 281 & seq.*

Regularium expulsio à Religione. Vid. *Expulsio.*

Religiones omnes conveniunt in votis substantialibus, differunt autem quoad peculiarem regulam. *De expulf. par. 3. q. 32. à num. 207. pag. 228. & seq.*

Religiones non tenentur, sed possunt etiam per excommunicationem revocare eos, quos expulerunt. *De expulf. par. 3. q. 9. num 66. & 87 pag. 194* Quomodo super hac re intelligendum Gregorii IX. Decretum. *num. 60. pag. 191.* Religiones possunt compelli ad recipiendos ejectos correctos, & emendatos. *q. 10. à num 68. pag. 195.* Nisi urgentissima causa obstet. *num. 74 pag. 195.* A quo possit Religio ad hoc compelli. *num. 72. pag. 196.* non tamen tenetur eos illicò recipere. *num. 73. pag. 196.*

Religiosi olim ab Ordinariis dirigebantur, sed posteà exempti sunt. *De expulf par. 3. q. 8. n. 54. pag. 190.* Religiosus Status. Vid. *Status.*

Religiosus dispensatus super votis solemnibus, non esset amplius Religiosus. *De expulf. par. 3. q. 32. num. 206. pag 228.* Religiosus factus Episcopus. Vid. *Episcopus.*

Religiones quædam quare suppressæ fuerint. *De expulf. par. 1. q. 5. num. 56. & 59. pag. 142.* Improprius quorumdam in Religionem ingressus describitur, & comploratur. *ibid.*

Religiosorum Privilegia. Vid. *Privilegium.*

Relatio citationis factæ alicui Reo, est actus extrajudicialis; sed est de ordine judicii. *Const. pag. 308. col. 2.* Fieri debet die juridico, non feriato. *Ibid. & seq.* Potest fieri post terminum appositum ad exequendam citationem. *pag. 309. col. 1.* Debet in relatione apponi, citationem executam fuisse ad domum solitæ habitationis Rei Inquisiti. *Ibid.* Quid si Reus duas domos habeat *Ibid.*

Relegationis supplicium minus erit, quàm deportationis. *Obser. 22. sect. 4. num. 14. pag. 4 3.*

Renunciatio bonorum quæ fit à Professuris Religionem intra bimestre ante professionem est conditionalis, post professionem resolvitur in absolutam, & censetur vel contractus inter vivos irrevocabilis, vel donatio causa mortis. *De expulf. par. 3. q. 32. num. 233. pag. 232.* Talis renunciatio an immutetur, si Religiosus fiat Episcopus. *Ibid. & num. 234. pag. 233.*

Renunciatio bonorum facta parentibus, vel Amicis à Novitio intuitu Religiosæ professionis, si fuit absoluta, nec illi fuerint ingrati, non potest revocari, si ipse à Religione expellatur. *De expulf. par. 3. q. 23. à num. 148. pag. 213.* Si renunciatio, intuitu professionis facta Religioni fuerit, & absoluta, tenet irrevocabiliter, etiamsi renuncians injustè, aut ingratè, à Religione expellatur. *à num. 154. pag. 214.* Cuinam competit actio contrà Ordinem ad recuperanda bona

conditionatè renunciata. *num.* 159. *pag.* 214.

Repetitio testium pro legitimatione processus, si Inquisitus noluerit declarare, se habere testes pro rectè examinatis, facienda est citato eodem Inquisito. *Obser.* 14. *num.* 12. *pag.* 519. Formula hujus repetitionis. *num.* 11. *pag.* 517. Repetitio testium si pro legitimatione, non pro defensione fiat, Reo nolente illos pro rectè examinatis declarare, facienda est per Fisci curam, & expensas. *num.* 16. *pag.* 519. Si Inquisitus illam declarationem fecerit, *salvo repetendi Jure*, tunc facienda est illius expensis. *ibid.* Repetitio testium, ut subsistat, debet fieri cum primi Examinis qualitatibus, quæ recensentur. *num.* 17. *pag.* 519. Quomodo torquendus testis, dum in repetitivo discedit à primo examine. *num.* 14. *pag.* 518. Interrogatoria ex parte inquisiti in repetitione testium. *à num.* 19 *pag.* 519.

Repetitio socii criminis quomodo facienda pro legitimatione processus. *Obser.* 24. *n.* 13. *&* 17. *pag.* 518 *& seqq.*

Restitutioni non est obnoxius, qui ab Expulso à Religione aliquid illicitè accipit. *De expuls. par.* 3. *q.* 25. *à n.* 164. *pag.* 216.

Reus dicitur, qui ex quacumque causâ aliquid debet. *Obser.* 18. *num.* 20. *pag.* 380. Aliquando Reus fit Actor, & e contra. *ibid.*

Reus de jure communi, convincitur per propriam confessionem, & per testes idoneos. *Obser.* 23. *num.* 1. *pag.* 454. Olim Romæ, & in Pontificiâ ditione non infligebatur capitale supplicium, nisi Reis per confessionem convictis: nunc post specialem Clementis XII. Constitutionem pœna ordinaria infligi potest convictis per testes, & quare. *Ibid. & num.* 2. *pag.* 454. An etiam convinci possit per indicia, & per instrumenta. *num* 3. *& seqq. pag.* 454. *& seq.* Vid. *Indicia. Testis.*

Reus probare, aut testis esse contra se ipsum nequit. *Obser.* 23. *sect.* 2. *num.* 30. *pag.* 503.

Reus criminis, præsertim homicidii, debet se in carcerem constituere, ut ejus defensio admittatur. *Const. pag.* 239. *col.* 1. *& pag.* 241. *& seq.* Quomodo suam innocentiam probare debeat. *Const. pag.* 239. *col.* 2. Vid. *Defensio.*

Reis quorumdam criminum immunitas Ecclesiastica non prodest, & quomodo Rei e locis sacris extrahi debeant. *Const. pag.* 253. *& seq.*

Reus appellans ad Auditorem generalem Cameræ Apostolicæ debet in carceribus formaliter detineri, donec processus informativus conficiatur, & alia peragantur. *Const. pag.* 292. *& seq.*

Romanus Pontifex dum legem tamquam Dominus temporalis condit, eâ Ecclesiasticos non comprehendit, bene vero, si tamquam supremus Ecclesiæ Moderator. *Obser.* 22. *sect.* 2. *num.* 72. *pag.* 512.

Romanus Pontifex an possit dispensare in votis solemnibus, in juramento, & aliis quæ sunt juris Divini. *De expuls. par.* 3. *q.* 32. *à num.* 201. *pag.* 227.

S

Sacrificium proprium applicandi jus non habet Religiosus professus. *De expuls. par.* 3. *q.* 29. *num.* 194. *pag.* 224.

Salvicondutius quando, & in quibus casibus debeant à Judice offerri Reo, aut ab eodem Reo peti. *Const pag.* 310. *& seqq.*

Scandalum activum, vel passivum an impediat ne expulsus à Religione iterum in eam admittatur. *De expuls. par.* 3. *q.* 17. *num.* 179. *pag.* 219.

Scripta Religiosorum. Vid. *Liber.*

Senectus quando incipiat, & desinat. *Obser.* 22. *sect.* 4. *num.* 3. *pag.* 422.

Senectus imbecillitatem mentis affert, & puerili ætati comparatur. *Obser.* 22. *sect.* 4. *num.* 29. & 20. *pag.* 431. Ideo senes delinquentes mitiùs, tamquam pueri, sunt puniendi. *num.* 21. *& seqq. pag.* 428. Dummodo reverà mentis infirmitate laborent, aliter gravius puniendi essent, & quare. *num.* 25. *pag.* 431. Fuisse mentis firmitatem in senibus delinquentibus à Fisco probandum est. *num.* 26. & 27. *pag.* 482. *& seq.*

Sententia contumacialis contra Reos contumaces quomodo in statu Ecclesiastico formari debeat. *Constit. pag.* 295. *col.* 1. *& seqq.* Elapso termino præfixo in Banno, debet pronunciari die juridico. *pag.* 312.

Sententia in contumaciam lata contra criminosos, efficit crimen notorium, & est executioni mandanda. *Constitut. pag.* 243. *col.* 1.

Sententia contumacialis in criminalibus an retractari, aut moderari possit, & quomodo, & quare. *Obser.* 25. *post num.* 12. *pag.* 246. *& seqq.*

Sententia degradationis. *Obser.* 25. *num.* 29. *pag.* 529. Vid. *Degradatio.*

Sententiæ interlocutoriæ multa famulantur, quæ non sufficiunt definitivæ. *De expuls. par.* 2. *q.* 11. *num.* 103. *&* 104. *pag.* 151.

Sententia expulsionis incorrigibilium ab Ordinibus Regularibus à quo, & quomodo, quorum consilio, & voto sit ferenda. *De expuls. par.* 2. *q.* 16. *à num.* 130. *pag.* 157. *& seqq.* Hujus sententiæ copia danda est Reo, & loci Ordinario. *num.* 145. *pag.* 161.

Sententia triremium contra Religiosos delinquentes ferri potest per Superiorem Provincialem. *De expuls. par.* 2. *q.* 16. *n.* 135. *pag.* 158.

Sententia Superioris Generalis quoad expulsionem Incorrigibilis à Religione debet conformari voto aliorum Judicum. *De expuls. par.* 2. *num.* 87. *pag.* 135.

Sententia expulsionis Religiosi à Religione de se est perpetua, potest tamen per accidens fieri temporanea. *De expuls. par.* 3. *q.* 6. *num.* 45. *pag.* 188.

Sententia sive ad triremes, sive ad perpetuum carcerem, sive ad expulsionem contra Religiosum Incorrigibilem carceratum quomodo à Generali Ordinis ferenda, sive expellendus sit clericus primâ tonsura dumtaxat, aut aliis Ordinibus insignitus, sive sit laicus. *De expuls. par.* 2 *num.* 59 *pag.* 170. Sententia expulsionis quomodo debeat notificari Ordinario. *à num.* 97. *pag.* 173. *& par.* 3. *q.* 1. *num.* 2. *&* 5. *pag.* 176. *&* 177.

Sententia expulsionis Religiosi incorrigibilis ab Ordine Regulari non est ab Ordinario recognoscenda, an sit justa, vel injusta. *De expuls par.* 3. *num.* 1. *pag.* 176. *& seqq.* Neque à Nunciis Apostolicis. *num.* 5. *pag.* 177.

Sepulturam sibi eligere ad libitum potest Expulsus à Religione. *De expuls. par.* 3. *q. ult. num* 252. *pag.* 226. Nisi eligat, sepeliendus est in Ecclesiâ parochiali. *ibid.*

Servus à Domino ejectus fit liber, & sui juris. *De expuls. par.* 3. *q.* 7. *num.* 50. *&* 52. *pag.* 189. *&* 190. Si in servitutem se sponte tradidit, non potest recedere, sed dimitti potest. *q.* 12. *num* 80 *pag.* 198.

Servus nascitur filius genitus in servitute, nec libertatem acquirit, manumisso patre, vel matre. *De expuls. par* 3. *q.* 29. *num.* 194. *pag* 224.

Sibillorum tormentum Mulieribus, pueris, & in levibus delictis infertur, & quomodo. *Obser.* 25. *pag.* 537.

Sicarii, eorumque receptatores, & fautores gravibus pœnis subjiciuntur. *Constit. pag.* 248. *& seqq.*

Singularitas testium ex pluribus capitibus inducitur. *Obser.* 23. *sect.* 1. *num.* 11. *pag* 457. Triplex est, nempe obstativa, adminiculativa, & diversificativa. *num.* 12. *& seqq. pag.* 457. Testes singulares singularitate obstativâ nihil probant. *num.* 15. *pag.* 458. Singularitate diversificativâ semiplenè probant; Reum tamen non convincunt. *num.* 16. *pag.* 458. Item dicendum de singularitate adminiculativâ, licet hæc sufficiat ad torturam, & fortassis ad pœnam extraordinariam. *num.* 17. *pag.* 458.

Societas Jesu quid possit quoad eos, qui vota biennii in ipsâ emiserunt. *De expuls. par.* 3. *q.* 12. *à num.* 80. *pag.* 198.

Societatis Jesu Scholares quomodo dici possint Religiosi. *De expuls. par.* 3. *q.* 32. *à num.* 237. *pag.* 233. *& num.* 240. *pag.* 234.

Socius criminis quomodo repetendus in legitimatione processus. *Obser.* 24. *num.* 13. *&* 17. *pag.* 518. *& seqq.* Quomodo confrontandus cum consocio criminis, & torquendus. *num.* 23. *pag.* 521.

Sodomiæ crimen quomodo sit probandum. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *num.* 28. *&* 29. *pag.* 470. *&* 471.

Specialium multiplicatio in eodem statuto, præsertim pœnali,

mali,

niali, & correctorio, quomodo vitanda, aut admittenda. *Obser.* 23. *sect.* 2. *a num.* 14. *pag.* 501. Duo specialia quando in eadem causa, & persona concurrere possint. *num.* 18. *pag.* 501.

Spolium ad Cameram Apostolicam spectans comprehendit aliqua bona ab Expulsis à Religionibus, & ab Apostatis acquisita. *De expulf. par.* 3. *q.* 22. *à num.* 134. *pag.* 210. Vid. *Bona*.

Sponsa per vim ab alio cognita, potest à Sponso repudiari. *Obser.* 21. *sect.* 3. *num.* 7. & 8. *pag.* 412.

Stanghette tormentum quomodo detur Reis. *Obser.* 25. *pag.* 537.

Status Religiosi fundamentum Christus posuit, & quodnam sit. *De expulf. par.* 3. *q.* 32. *num.* 209. *pag.* 228: & *nu.* 239. *pag.* 234. An illum professi fuerint Apostoli, & Christiani nascentis Ecclesiæ. *ibid.*

Status Religiosi substantia in quo consistat. *De expulf. par.* 3. *q.* 32. *num.* 201. & *à num.* 207. *pag.* 227. & *seq.* Quomodo dicatur de jure Divino, & ex institutione Christi, & Ecclesiæ. *à num.* 208. *pag.* 228. Importat cujuscumque dominii abdicationem. *à num.* 220. *pag.* 228.

Status Religiosus in genere constituitur per tria vota essentialia, quibus si alia vota, & aliæ obligationes addantur, consurgit status Religiosus in specie. *De expulf. par.* 3. *q.* 15. *num.* 97. *pag.* 202. Status Religiosus in genere dicitur invariabilis, & in quocumque Instituto integer perseverat. *ibid.*

Status Religiosus quis sit institutionis humanæ & pendeat à jure humano, & quis sit institutionis Divinæ, & pendens à jure Divino. *De expulf. par.* 3. *q.* 32. *num.* 221. *pag.* 228. & *num.* 241. *pag.* 234.

Statutum, quod unum, vel duo contra jus commune operari posset, unum dumtaxat operari dicendum est. *Obser.* 23. *sect.* 2. *num.* 14. *pag.* 501. Quomodo specialium multiplicatio in Statutis vitanda. *ibid.*

Stultus quis sit, & an sit puniendus, si delinquat. *Obser.* 22. *sect.* 5. *num.* 17. *pag.* 435.

Stuprum sub gravibus pœnis prohibetur, quibus pœnis diversimodè subditur tam stuprator, quàm stuprata, etiamsi intercesserit promissio matrimonii. *Constit. pag.* 274. Puella deflorata non poterit cogere defloratorem ad matrimonium secum contrahendum, nisi concludenter probaverit matrimonii promissionem *ibid.* Neque si inter utrumque magna fuerit conditionis disparitas, etiamsi promissio matrimonii concludenter probaretur. *ibid.* gravibus pœnis subduntur parentes, & alii inducentes per lenocinium puellas ad stuprum. *pag.* 275.

Subscriptio omnium Episcoporum, aut aliorum Ecclesiasticorum, qui ad Clericum degradandum interveniunt ut Judices, an, & quando requiratur. *Obser.* 25. *à num.* 28. *pag.* 529. & *seq.*

Succedendi Jus non competit, nisi post mortem defuncti. *De expulf. par.* 3. *q.* 28. *num.* 186. *pag.* 222.

Suggestio, quæ fieri potest examinando Reos, vel testes, duplex est, aperta, & palliata; palliata item duplex. Explicatur. *Obser.* 22. *subsect.* 3. *num.* 27. *pag.* 480. Cavendum ab his suggestionibus. *à num.* 26. *pag.* 480.

Superiores Ordinum Regularium debent Fugitivos, & ejectos ex iisdem Ordinibus annuatim requirere, & ab Ordinariis compelli possunt ad illos recipiendos. *De Expulf. par.* 1. *num.* 7. & 12. *pag.* 132. & 133.

Superiores Ordinum Regularium omnia media tentare debent, ut Subditorum animas lucrentur. *De expulf. par.* 2. *q.* 10. *à num.* 96. *pag.* 149. & *seq.*

Surdus. Vid. *Mutus*.

Suspensio inter censuras Ecclesiasticas numeratur, & quid ea sit. *Obser.* 25. *num.* 1. *pag.* 525. In quo differat à depositione. *num.* 2. *pag.* 525.

Suspensionem perpetuam ab Ordinum exercitio, summo Pontifici reservatam, incurrunt Ejecti ab Ordinibus Regularibus, ita ut neque ad Ordines promoveri possint *De Expulf. par.* 3. *q.* 5. *à num.* 25. *pag.* 183. Ab illà liberantur, si ad claustra redeant. *num.* 34. *pag.* 184.

T

Taxatis emolumentum pro ministris tribunalis Auditoris Generalis Cameræ Apostolicæ quenam observanda in causis criminalibus. *Const. pag.* 294. *col.* 1.

Taxillorum tormentum quomodo detur Reis, & sub quâ formula. *Obser.* 25. *pag.* 537.

Terminus in citationibus præfixus, alius est expectativus, alius peremptorius. *Const. pag.* 303. *col.* 2.

Termini substantiales in causis contumacialibus quomodo formandi in Statu Ecclesiastico. *Const. pag.* 295. & *seq.*

Termini à quo, & ad quem quomodo se includant. *De expulf. par.* 3. *q.* 32. *num.* 214. *pag.* 229.

Testamentum quid sit. *De expulf. par.* 3. *q.* 30. *num.* 195. *pag.* 224. Testandi potestas pugnat cum voto paupertatis, ideoque Expulsus à Religione neque testamentum, neque codicillum condere potest de acquisitis. *ibid.*

Testamentum quomodo possit facere uxor absque Viri licentia, & filius familias. *De expulf. par.* 3. *q.* 30. *n.* 196. *pag.* 224. Testamenti, aut codicilli vim haberet Schedula, in quâ Expulsus à Religione disponeret, quid faciendum esset de rebus suis post mortem, unde esset nulla. *ibid.*

Testes de jure communi, & nunc etiam Romæ, ac in Pontificiâ ditione, quidquid olim fuerit, sufficiunt ad convincendum Reum ad hoc, ut ipsi pœna ordinaria infligatur. *Obser.* 23. *num.* 1. 2. & 6. *pag.* 454. & *seqq.* Duo tamen testes saltem requiruntur. *Sect.* 1. *num.* 1. *pag.* 456. Unus, etiam cum adminiculis non sufficit, licet crimen sit leve. Fortassis sufficit pro pecuniariis multis. *à num.* 3. *ad* 9. *pag.* 456. & *seq.*

Testes duo, ut convincant, debent esse contestes. *Obser.* 23. *sect.* 1. *n.* 10. *pag.* 457 Non sufficiunt testes singulares, quacumque singularitate, quæ multiplex recensetur. *à n.* 11. *ad* 17. *p.* 457. Vid. *Singularitas*. An testis singularis sufficiat ad probandum crimen sollicitationis. *num.* 18. *pag.* 458. *remissivè*. Iidem duo testes debent esse omni exceptione majores: an id præsumendum, aut probandum sit: quod nequa per numerum majorem suppletur. *num.* 19. & 22. *pag.* 458. & *seqq.*

Testis idoneus, legitimus, & integer, quis sit, & an differat à teste omni exceptione majore. *Obser.* 23. *sect.* 1. *num.* 20. & 21. *pag.* 459. Testis idoneus plures gradus admittit. *ibid.*

Testes ad convincendum, præsertim in criminalibus, idonei non sunt aliqui ratione propriæ personæ. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *à num.* 1. *pag.* 460. Ideo ad convincendum idonei non sunt Impuberes, seu pupilli, furiosi, amentes, Ebrii, moribundi, & similes. *num. ibid.* Quid si pupillus pubes factus, deponeret de iis, quæ in pupillari ætate vidit. *num.* 2. *pag.* 460. Duo impuberes non convincunt, etiamsi aliter, quàm per ipsos, veritas haberi non posset. *num.* 3. *pag.* 460. Neque convincit pubes, nisi in Provincia Marchiæ. *num.* 4. *pag.* 460.

Testes ad convincendum habiles non sunt Cæci, Muti, & Surdi. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *num.* 5. *pag.* 460. Quid si cæcus de auditu, aut de re, quam ante cæcitatem vidisset, deponeret. *num.* 6. *pag.* 461. Quomodo Muti, & Surdi saltem ad probandum admittantur. *n.* 7. *pag.* 461.

Testes idonei non sunt Parentes, Filii, Conjuges, aut Concubinæ, & similes, aliique consanguinitate, aut affinitate conjuncti; Neque domestici, neque Compatres, respectu suorum. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *à n.* 8. *pag.* 461. & *seq.* Neque Subditi, aut Vasalli quoad Dominos. *n.* 14. *pag.* 462. Neque Coloni aliis subjecti. *à num.* 15. *pag.* 462. Diversi sunt coloni. *ibid.* Nonnulli non prorsus à testificando rejiciuntur, sed non convincunt. *num.* 17. *pag.* 462.

Testes in criminalibus idonei ad convincendum non sunt ii, qui interesse habent in causa. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *num.* 17. *pag* 463. Ideo à testificando repelluntur Accusatores. *num.* 18. *pag.* 463. Quid de Denunciatore, etiam necessario. *à num.* 19. *pag.* 463. Quid dicendum

dum de Denunciatore Evangelico, aut Fraternaliter. *num.* 22. *pag.* 464. Neque convincunt, nec probant testes asserentes, se alteri solvisse usuras. *n.* 23. *pag.* 464. vel qui, ut se excusent, alios inculpant. *n.* 24. *pag.* 464. Neque convincunt Famuli, Partitores, Negotiorum gestores, Proxenetæ, Tutores, & similes: Neque Advocatus, vel Procurator, & qui affectionem habent ad causam. *à num.* 25. *pag.* 464. Quid de testibus cujuscumque Universitatis in favorem alicujus de eadem Universitate contra extraneum. *n.* 30. *pag.* 465.

Testes infames sive infamia juris, sive facti non admittuntur ad testificandum, multominus ad convincendum, saltèm in criminalibus. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *à n.* 31. *pag.* 465. Neque criminosi. *num.* 34. *pag.* 465. Quinam dicantur Criminosi, *à num.* 35. *pag.* 465. *& seq.* Pauperes, licet bonæ qualitatis, non convincunt, etsi admittantur in testes. *num.* 36. *pag.* 466. Neque mulieres. *num.* 37. *pag.* 466. Non convincunt, vel etiam à testificando contrà Christianos, rejiciuntur Infideles, *num.* 38. *pag.* 466. Itemque Inimici, eorum Familiares, & similes respectu inimicorum. *n.* 39. *pag.* 466. Quid de testibus laicis contra Clericos. *n.* 40. *pag.* 466. *remissivè.*

Testes ad convincendum idonei non sunt aliqui propter suorum dictorum defectum. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *à n.* 1. *pag.* 467. Testis vera probatio debet concludere per necesse, non per possibile. *ibid.* Testis obscurè, confusè, dubitativè, & æquivocè deponens, nihil probat in criminalibus; verba vero ambigua interpretanda sunt favore Rei. *Ibid. & num.* 3. *pag.* 468. Testis obscurè deponens non poterit, publicatis attestationibus, iterùm examinari, nisi Judex ex officio velit. *num.* 2. *pag.* 468. Testis de credulitate deponens, nec probat, nec præsumptionem inducit. *num.* 4. *pag.* 468.

Testis nihil probat in criminalibus, nisi rationem sui dicti reddat. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *num.* 4. *pag.* 468. Ratio reddenda est ex diversis corporis sensibus juxta diversam rerum exigentiam. *nu.* 5. *pag.* 468. Testis de viso deponens, ut convincat, requiritur congrua loci distantia, oculorum integritas, aer non obscuratus. *n.* 7. *&* 8. *pag.* 468. Si de nocturno facto deponat, quomodo ex diversis lunæ diebus veritas, vel falsitas depositionis dignosci poterit. *à num.* 8. *pag.* 469. Hujusmodi testes non convincunt ob incongruitatem luminis lunæ. *num.* 9. *pag.* 469. De falso convinci possunt, & aliquando puniti fuerunt. *n.* 8. 10. *&* 11. *pag.* 468. *& seq.* Testis de facto nocturno deponens, quomodò rationem sui dicti reddere debeat. *num.* 14. *pag.* 470.

Testes deponentes se cognovisse delinquentem ad vocem, non convincunt. Unus sic deponens non præbet indicium ad torturam. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *n.* 15. *pag.* 470. Neque individuantes Reum per nomen, & cognomen, aut per alterutrum, & non per certam scientiam. *num.* 16. *pag.* 470. Multominus si testes Reum nominatim non cognoscerent, bene verò si illum viderent. *num.* 17. *pag* 470. Quomodo pro hac recognitione Reus sit testibus exhibendus, & ante exhibitionem ab iis describendus. *ibid.*

Testes plures asserentes, quod unus post alium viderunt adulterium, aut actum sodomiticum, non convincunt. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *à num.* 18. *pag.* 470. *& seq.* Neque testes singulares, aut de alieno auditu deponentes. *num.* 20. *pag.* 478. Non probat, immo de falsitate arguitur testis, qui plures dedit contestes negantes id, quod ipse asseruit. *num.* 21. *pag.* 471. Si dati contestes vivi sint, nec examinati, suspicio esse posset contra Fiscum, Accusatorem, & testem, nisi Fiscus probaret non fuisse examinatos ob aliquod impedimentum. *num.* 22. *pag.* 471.

Testes Accusatori contradicentes quoad tempus, aut locum delicti, non convincunt, neque probant, quinimmo forsan falsitate laborant. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *num.* 23. *pag.* 471. Nihil probant, sed subornati videntur testes per eadem verba, eumdemque præmeditatum sermonem deponentes. *num.* 24. *pag.* 471. Aut si inverisimilia, vel impossibilia deponant. *num.* 25. *pag.* 472.

Testis in se varius, vel sibi contrarius, aut vacillans, non probat, nisi variationis causam redderet. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *num.* 26. *pag.* 472. Quis sit testis varius, quis sibi contrarius, quis vacillans, & quid attendendum quoad omnes hos testes, & quam fidem mereantur. *à num.* 26. *pag.* 472. Testes inter se ipsos mutuò contrarii ut plurimùm non probant. Quid tamen advertendum pro eorum conciliatione, & quam vim habere possint. *à num.* 31. *pag.* 473. Testis in se varius, aut sibi contrarius numquam est idoneus ad Reum convincendum. *num.* 35. *pag.* 473. Neque testes contradicentes dicto Accusatoris, etiamsi hic plures ex testibus haberet suæ depositioni concordes, pauciores contrarios. *à num.* 36. *pag.* 473. Unus testis Reo favens, præferendus duobus contrariis. *ibid.*

Testis pecunia conductus nihil probat, immo de falso puniendus esset, nisi pro expensis, aut pro damno pecuniam recepisset. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *à n.* 37. *pag.* 474. Testis in aliqua sui examinis parte, aut circumstantia falsus, in omnibus falsus reputatur. *num.* 39. *pag.* 474. Neque probat testis, etiamsi absens, per scripturam deponens. *num.* 41. *pag.* 474.

Testes in repetitione, vel confrontatione negantes, quod in processu informativo scriptum est, Reum non convincunt. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *num.* 22. *pag.* 474. Neque testes aliquam negativam vagam, & indeterminatam in favorem Fisci, vel Accusatoris deponentes contrà Reum. *num.* 43. *pag.* 475. Non convincit, nec probat, sed, puniendus est testis negans, se esse Accusatoris conjunctum, aut aliam habere qualitatem à testificando repellentem, quam reverà haberet. *num.* 44. *pag.* 475. Neque convincit, si extrà interrogata deponat. *num.* 45. *pag.* 475. Neque Notarium, aut scripturam de falso convincunt testes deponentes super parte, non super scripturæ tenore. *num.* 46. *pag.* 475.

Testes nonnulli ad convincendum idonei non sunt propter defectum examinis. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *à num.* 1. *pag.* 476. Tales sunt examinati à Judice incompetenti, aut à Judice laico contrà Clericum, vel contrà Reum prætendentem immunitatem Ecclesiasticam. *ibid.* Vel examinati à Judice Ecclesiastico contra Laicum, remisso processu ad Judicem laicum, nisi causa esset merè Ecclesiastica. *num.* 2. *pag.* 476. Quid de praxi cujusdam Curiæ Archiepiscopalis, dum ad illam mittitur Clericus à Curiâ Sæculari cum actis coràm istâ factis. *num.* 3. *pag.* 477.

Testes examinati per Judicem laicum contrà prætendentem gaudere immunitate Ecclesiasticâ, non convincunt, nec probant coràm Judice Ecclesiastico. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *num.* 4. *pag.* 477. Si hujusmodi testes iterùm examinandi sint in Curiâ Ecclesiasticâ, nequeunt se referre ad primum examen. *num.* 5. *pag.* 477. An convincant, vel probent in criminalibus testes Cleri, aut Religiosi examinati coràm Judice laico absque licentiâ Episcopi, vel Superioris. *à num.* 6. *pag.* 477.

Testes quicumque, exceptis fortasse Cardinalibus, non præmittentes examini juramentum indispensabiliter necessarium in criminalibus, non convincunt, nec probant. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *à num.* 8. *pag.* 477. In dubio de juramento præmisso præsumendum est pro validitate examinis, præsertim si Notarius id testetur. *num.* 10. *pag.* 478. Quid si testes in hoc contradicant Notario. *ibid.*

Testes ultro se offerentes examini non convincunt, nec probant, nisi id facerent ad defendendum Innocentem. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *num.* 12. *pag.* 478. Neque testes interrogati, & examinati à Notario, non à Judice præsente. *num.* 13. *pag.* 478. Idque factum in processu informativo testes in repetitivo attestarentur. *num.* 15. *pag.* 478. Amplia, si Judex delegatus in partibus transmitteretur ad construendum processum. *n.* 16. *pag.* 479. Multo magis si Clericus esset delegatus ad construendum processum contrà Ecclesiasticum. *n.* 17. *pag.* 479. An Judex possit Notario committere examen testium, & quomodo commissio constare debeat.

Testes turmatim examinati, aut cum Reo pariter turmatim confrontati, non convincunt, nisi consuetudo id alicubi permittat. *Obser.* 13. *subsect.* 3. *à num.* 18.

pag.

pag. 479. Neque testes qui sub spe impunitatis de propriis criminibus obtinendæ ad examen accesserunt. *num.* 20. *pag.* 479. Non convincunt, nec probant testes in processu informativo examinati, non citatâ parte, nec posteà à Reo legitimati, neque repetiti, neque confrontati, ubi tamen confrontatio testium habet vim legitimationis. *num.* 21. *pag.* 479.

Testes pro informatione recepti sine debitis solemnitatibus, nisi legitimentur, aut repetantur, citatâ parte nullam faciunt fidem in quocumque Tribunali. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *num.* 21. *pag.* 479. Romæ, & in Statu Ecclesiastico nec indicium præbent ad torturam. *num.* 28. *pag.* 479.

Testes ad examen sub pœnis compelli possunt: non tamen facile in carcerem sunt detrudendi. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *num.* 23. *pag.* 480. Nisi de crimine verisimiliter essent informati. *num.* 24. *pag.* 480. Nec nisi in causis gravioribus. *num.* 25. *pag.* 480. Neque ultrà tres dies detineri, nec quidquam pro relaxatione, aut pro alimentis solvere debent. *ibid.* Tedio longæ carcerationis examinati ad mentem Fisci, non convincunt in criminalibus. *a num.* 23. *pag.* 480.

Testes à Judice interrogati, & examinati verbis non generalibus, sed in specie, & per suggestionem, non convincunt, nec probant. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *n.* 26. *pag.* 480. Quomodo interrogandi testes, eorumque responsiones integræ scribendæ, etiamsi essent in favorem Inquisiti. *ibid.* *&* *num.* 29. *pag.* 481. Quid de praxi Neapolis in hac re. *ibid.*

Testium examen à Judice laico factum in Ecclesiis, aliisque locis immunibus, absque Ordinarii licentiâ, nullum est. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *num.* 30. *pag.* 481. Aut factum à solo Judice absque Notario. *n.* 32 *pag.* 481. Etiàmsi Judex esset Notarius. *num.* 33. *pag.* 482. Limitatur hoc in quibusdam casibus. *num.* 35. *pag.* 482. *remissivè*. Quid agendum ubi non sunt Notarii. *num.* 33. *pag.* 482. Vid. *Notarius*.

Testium examen alicui Delegato commissum, non autem ab ipso Delegato, sed ab intermediâ personâ receptum, non convincit, nisi in litteris commissionis facultas data esset illud sic recipiendi. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *num.* 36 *&* 37. *pag.* 482. Testibus non potest Notarius deferre juramentum sine expressa Judicis auctoritate, neque sufficit hujus præsentia, aliter testes non probant, etiamsi accedat Rei confessio. *ibid.* Non convincunt, nec probant testes, qui post electum à Judice Notarium ad eos examinandos, ab alio Notario examinati fuerunt. *num.* 38. *pag.* 482. An saltem valeat examen ab alio Notario scriptum, & ab electo subscriptum? *num.* 39. *pag.* 482. Testes in criminalibus recipiuntur etiam die feriatâ, eisque juramentum defertur. *num.* 40. *pag.* 483. Quid de eorum subscriptione. *ibid.*

Testes in criminalibus agere ex privilegio nequeunt parentes contrà filios, aliæque personæ, quæ recensentur. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *num.* 40 *pag.* 483. Si illæ sponté, aut coactè examinentur, non convincunt, nec probant, nisi privilegio renunciaverint, quibusdam exceptis, quæ nonnisi consulto Principe examinari possunt. *ibid.* *&* *num.* 41. *pag.* 483. An possit Advocatus, vel Procurator cogi ad examen contra suum clientem. *num.* 42. *pag.* 483.

Testes post publicatum processum examinati, non convincunt, aut probant, propter subornationis suspicionem; quoties tamen quæ testificata fuerant, jam essent cognita Parti. *Obser.* 23. *subsect.* 3. *num.* 43. *pag.* 483. In criminalibus si Judex processit sine Accusatore, potest alios testes examinare post processum publicatum; secùs si adstitit Accusator, nisi forte Judex esset admodùm circumspectus, aut testes essent ad defensionem Rei. *num.* 45. *pag.* 484.

Testes de jure inhabiles, sed ex Principis auctoritate redditi idonei ad probandum, & convincendum de delicto, aliquando non sufficiunt ad probandam aggravantem ejus qualitatem. *Obser.* 23. *subsect.* 4. *n.* 12. *pag.* 487. *&* *seq.* Testes etiam omni exceptione majores non convincunt, ubi delicti corpus deficit. *n.* 16. *pag.* 488.

Testes nonnulli à jure absolutè repelluntur à testificando, nec ullum faciunt indicium. *Obser.* 23. *subsect.* 4. *num.* 37. *pag.* 492. Quinam sint hujusmodi testes. *ibid.* *remissivè*. Testes, qui propter unam dumtaxat exceptionem dicuntur inhabiles, in jure admittuntur in casibus difficilis probationis, & in delictis exceptis. *num.* 37. *pag.* 492. Isti testes in speciali Chirographo BENEDICTI XIV. admittuntur ad probanda delicta in eodem Chirographo comprehensa, & in locis infamibus patrata, dummodo iidem testes, vel per numerum, vel per indicia suppleantur, & sic convincere possunt, & dummodo probetur quod delicto non adfuerint testes habiles. *a num.* 56. *pag.* 495. *&* *seq.* & *Const.* *pag.* 275. *&* *seq.* An hæc probatio fieri possit per testes inhabiles, vel infames, *ibid.*

Testes totaliter à testificando repulsi, nullo modo suppleri possunt, saltem in criminalibus. *Obser.* 23. *subsect.* 4. *num.* 41. *pag.* 493. Quinam sint testes propter unam, vel plures exceptiones ad testificandum inhabiles, & supplementum excludentes. *n.* 39. 43. *&* 44. *pag.* 492. *&* *seq.* Exceptiones testem inhabilitantes debent præcessisse examen; supervenientes post examen non efficiunt testem inhabilem. *num.* 45. *pag.* 493. Habilitas post examen superveniens testi non tollit anteriorem inhabilitatem quantùm ad antecedentem depositionem. *ibid.*

Testes infames admissi ad probanda delicta in dicto Chirographo comprehensa, & in locis infamibus patrata, ut convincant, necessaria est tortura. *Obser.* 23. *subsect.* 4. *num.* 62. *&* 63 *pag.* 497. Et probatio debet esse de necessitate concludens. *num.* 64. *&* 65. *pag.* 497. Testes ejusmodi ad convincendum admittuntur dumtaxat in supremis Tribunalibus Urbis, & Statûs Ecclesiastici. *Sect.* 2. *num.* 11. *pag.* 500.

Testes probantes indicia ad convincendum admissa in criminalibus, quinam esse debeant. *Obser.* 23. *sect.* 2. *num.* 64. *pag.* 510. Vid. *Indicium*.

Testium repetitio in legitimatione processus quomodo fiat. *Obser.* 24. *num.* 11. *pag.* 517. Vid. *Repetitio*. Testis torquendus est, si in repetitivo à primo discedat examine, aut in primo fuit tortus. *n.* 14. *&* 17. *pag.* 518. *&* *seq.*

Testis falsum deponens coram Judice delegato, potest ab eodem puniri. *Obser.* 3. *num.* 7. *&* 8. *pag.* 316.

Testes quomodo adhiberi, & examinari debeant in processu super expulsione Religiosi carcerati pro tertio delicto, vel qui pro eodem notabilem subiit pœnitentiam. *De expuls. par.* 2. *à num.* 66. *pag.* 171. Quomodo si carceratus fugit ex carcere. *num.* 75. *pag.* 172. Et circà citationem factam fugitivo absenti. *num.* 86. *pag.* 174. Et super contumaciâ delinquentis expellendi à Religione. *num.* 91. *pag.* 174.

Testes quinam, & quomodo examinandi, dum incboatur processus pro Religiosi incorrigibilis carceratione, & expulsione à Religione, qui Religiosus esset liber in Conventu. *De expuls. par.* 2. *num.* 6. *pag.* 164. Et ad probandas sententias, monitiones, & pœnitentias Reo inflictas. *à num.* 12. *pag.* 164. Testes adhibendi dum Incorrigibilis carceratus circà finem semestris carceris interrogatur, an velit se emendare. *à n.* 27. *pag.* 166. *&* *seq.* Quomodo examinandi, quando Reus ob emendationis promissionem a carcere eductus, in malam vitam relabatur. *num.* 35. *pag.* 167. *&* *seq.*

Tortura quando sit danda testi in repetitivo examine. *Obser.* 24. *num.* 14. *&* 17. *pag.* 518. *&* 519. Vid. *Testis*. Et danda socio criminis. *n.* 17. *pag.* 519. Etiam ad purgandam maculam criminis. *num.* 23. *&* 28. *pag.* 521. *&* 524.

Tortura an Reo, & testi dari possit, quin citentur, & audiantur. *De expuls. par.* 1. *q.* 12. *num.* 107. *pag.* 152.

Tortura non est infligenda, nisi liquidè constet delictum fuisse patratum. *Obser.* 23. *sect.* 2. *num.* 24. *pag.* 502. Nec nisi evidenter constet de corpore delicti. *num.* 24. *&* *seq.* *pag.* 502. *&* *seq.*

Tortura potest demandari ex indiciis habitis ex unico teste digno, seu ex semiplenâ probatione, vel etiam ex testibus singularibus conjunctis. *Obser.* 23. *sect.* 2. *à*

num.

num. 65. *pag.* 511. Ex testibus tamen singularibus debet mandari tortura moderata. *num.* 67. *pag.* 511.

Tortura ut ex indiciis infligatur, quæ ætas requiratur in eo, qui torquendus est. *Obser.* 22. *sect.* 4. *num.* 15. *pag.* 424.

Tortura requiritur, ut testes infames admissi ad testificandum quædam atrocissima delicta, & in locis infamibus patrata, convincant. *Obser.* 23. *subsect.* 4. *num.* 62. & 63. *pag.* 497.

Tortura repetita quomodo fiat. *Obser.* 25. *pag.* 536.

Transitus ad aliam Religionem quomodo admittendus quoad eos, qui ab aliqua Religione expelluntur. *De expuls. par.* 3. *q.* 13. *à num.* 84. *pag.* 199.

Tribunal Gubernii Urbis quot Judices, & Notarios habere debeat. *Const. pag.* 277. *col.* 2. Tribunalis Urbis in causis criminalibus quo modo se gerere debeant. *pag.* 278. & *seqq.* Ministri eorumdem Tribunalium cautè se gerere debent in permittendis capturis, perquisitionibus &c. contra denunciatos &c. *pag.* 280. *col.* 1.

Tribunalia, in quibus Rei ex indiciis convinci possunt ad pœnam ordinariam, recensentur. *Obser.* 23. *sect.* 2. *n.* 11. *pag.* 500. & *Append.* 2. *pag.* 514.

Triremium pœna qui damnati sunt, quomodo, & quibus expensis debeant ad triremes deferri. *Constit. pag.* 279. & *seqq.*

V

V*Asalli* quinam dicantur, & quando à testificando repellantur. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 14. *pag.* 462.

Velata si prolem ex impudicitia susceipiat, e monasterio est ejicienda. *De expuls. par.* 1. *num.* 3. *pag.* 132.

Vicarius generalis Episcopi quam ætatem, & quas alias qualitates habere debeat. *Obser.* 5. *num.* 12. & *seqq. pag.* 319. An possit Clericum deponere. Vid. *Degradatio.*

Vindicta contrà conjunctos offensoris facta, sub gravibus pœnis prohibetur. *Constit. pag.* 246. & *seqq.*

Violentum aliud simplex, aliud mixtum *Obser.* 22. *sect.* 3. *num.* 5. *pag.* 412. Violentum simplex ab omni delicto excusat, & quare. *num.* 6. & *seqq. pag.* 412. Violentum mixtum an causet involuntarium, diversimodè sentiunt Theologi, & Jurisconsulti. *num.* 9. *pag.* 413. conciliantur. *num.* 10. *pag.* 413.

Vis se opponit voluntati; & quid illa sit. *Obser.* 22. *sect.* 3. *num.* 1. *pag.* 412. Diversimodè, diversisque nominibus Vis accipitur à Theologis, Philosophis, & Jurisconsultis *num.* 4. *pag.* 412. In quo differat à metu. *num.* 3. *pag.* 412.

Vitia ex consuetudine possunt fieri mores, ideo à Religionibus, etiam per vitiosorum expulsionem, avertenda. *De expuls. par.* 1. *quæst.* 5. *num.* 57. *pag.* 142.

Universitatis tàm secularis, quam Ecclesiasticæ homines quandonam in testes non recipiantur. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 30. *pag.* 465.

Voluntarium quid sit, & aliud directum dicitur, aliud indirectum: & ex utroque potest haberi delictum. *Obser.* 22. *num.* 11. & *seqq. pag.* 403. & 404. Voluntarium quomodo ex irà, aliàve animi passione augeri, aut minui dicatur, etiam respectu delicti. *n.* 17. & *seqq. pag.* 404.

Voluntarium duplex est, & explicatur. *Obser.* 22. *sect.* 3. *num.* 20. *pag.* 413. Quæ ex metu fiunt, mixta sunt ex voluntario, & involuntario. *num.* 21. *pag.* 413.

Vota omnia principaliter emittuntur ob cultum Dei, *De expuls. par.* 3. *q.* 32. *num.* 250. *pag.* 236.

Vota omnia personalia cessant per solemnem Religionis professionem, & in votum solemne commutantur. *De expuls. par.* 3. *q.* 14. *num.* 93. *pag.* 202. Qui Religionem in genere vovit, si unam Religionem amplectitur, votum adimplevit, nec tenetur aliam quærere Religionem, si ab illa, quam professus fuerat, expellatur. *num.* 22. *pag.* 202. Tria vota essentialia statum Religiosum in genere constituunt, quibus, si alia vota addantur, efficitur status Religiosus in specie. *q.* 15. *n.* 97. *pag.* 202. Vota hæc essentialia à solo Summo Pontifice dispensari possunt. *ibid.*

Votum simplex Religionis qui emisit, tenetur curare, ut in Religionem admittatur. *De expuls. par.* 3. *q.* 11. *num.* 75. *pag.* 196. Qui emisit Votum simplex castitatis, & matrimonium contrahit, peccat, sed licitè stare debet Matrimonio. *num.* 76. *pag.* 197.

Vota biennii, quæ emittuntur in Societate Jesu, quam vim habeant. *De expuls. par.* 3. *q.* 12. *à num.* 80. *pag.* 198. Ritè expulsus à Societate liberatur ab his votis. *ibid.* Sed an sit tutus qui crimina finxit, aut commisit, ut expelleretur. *nu.* 81. & 82. *pag.* 198. Peccat contrà votum biennii, qui non satagit cavere ea, propter quæ posset expelli. *num.* 83. *pag.* 198.

Votum conditionatum removetur, remotà conditione. *De expuls. par.* 3. *quæst.* 12. *num.* 80. *pag.* 198. Nisi vovens nitatur, non impleri conditionem. *num.* 82. *pag.* 198. Votum non se extendit ultrà intentionem voventis. *num.* 83. *pag.* 198.

Votum qui fecit ingrediendi Religionem in particulari, liberatur à Voto, si pluriès petens ingressum, non fuit admissus, *De expuls. par.* 3. *q.* 12. *nu* 80. *pag.* 198. Non liberatur autem, si delinquat, ut non admittatur. *nu.* 82. *pag.* 198. Qui vovit Religionem in statu clericali, tenetur se disponere, ut in eà recipiatur. *n.* 83. *pag.* 198.

Vota tria substantialia Religionum remanent in Expulsis à Religionibus; Vota tamen Paupertatis, & Obedientiæ suspenduntur quantum ad multa. *De expuls. par.* 3. *q.* 6. *num.* 37. *pag.* 185. Expulsi tenentur quoque ad ea, quæ ex vi quarti Voti, quod in quibusdam Religionibus emittitur, inducta sunt, suspenduntur tamen hæ obligationes, si eorum statui obstent. *num.* 38. *pag.* 186. & *seq.* Declaratur exemplis. *ibid.* Votum semel extinctum non resurgit, nisi replicetur. *num.* 37. *pag.* 185. Vota solemnia Religiosorum comitantur personam, sed desinunt obligare, factà notabili mutatione. *num.* 40. *pag.* 186. Vota emissa in aliqua Religione manent integra, si Religiosus ad aliam Religionem transeat. *num.* 39. & 46. *pag.* 186. & 188. Limitatur in aliquibus. *ibid.*

Votum simplex castitatis quomodo obliget eum, qui cum vel sine dispensatione contrahit matrimonium. *De expuls. par.* 3. *q.* 6. *num.* 44. *pag.* 188.

Vota solemnia an possint à Papa dispensari. *De expuls. par.* 3. *q.* 32. *à num.* 202. *pag.* 227.

Votum decisivum, aut consultivum quinam habeant in Congregationibus criminalibus tribunalis Auditoris generalis Cameræ Apostolicæ. *Const. pag.* 91. *col.* 2.

Votum in causa Incorrigibilis Religiosi carcerati expellendi à Religione, quomodo formare debeant sex Patres pro his causis deputati. *De expuls. par.* 2. *à n.* 52. *pag.* 169. & *seq.*

Vox in eodem homine diversa esse potest juxtà ætatis, aliarumque circumstantiarum diversitatem. *Obser.* 23. *subsect.* 2. *num.* 25. *pag.* 470.

Usuras qui solvit, non est testis idoneus. *Obser.* 23. *subsect.* 1. *num.* 23. *pag.* 464.

Usufructus sequitur personam, in qua constitutus est. *De expuls. par.* 3. *q.* 28. *num.* 190. *pag.* 223.

Usufructus acquisitus Monacho ante professionem, transit cum eodem Monacho ad aliud Monasterium, si ex primo Monachus pellatur, & ad aliud transferatur. *De expuls. par.* 3. *q.* 28. *num.* 190. *pag.* 223. Si secundum Monasterium sit illius usufructus incapax, usus fructus cum proprietate consolidatur. *ibid.* Ususfructus relictus Monacho intuitu Monasterii, vel ipsius Monachi, cuinam erit adjudicandus, transeuntes Monacho ad aliud Monasterium. *num.* 191. *pag.* 223.

Usus rerum temporalium duplex, nempè juris, & facti, quis uterque sit, & an competat ejectis à Religionibus. *De expuls. par.* 3. *q.* 21. *num.* 129. *pag.* 207.

X

X*Enia.* Vid. *Munera.*

Laus Deo, Deiparæque Virginis sine labe originali conceptæ.